EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

XVIII
Scarlatini
1695

5. 2. 107
5F. 2.



Leonh. Heckenauer Sculpsit.

HOMO

ET EJUS PARTES

FIGURATUS & SYMBOLICUS,

ANATOMICUS, RATIONALIS, MORALIS,
MYSTICUS, POLITICUS, & LEGALIS,

COLLECTUS ET EXPLICATUS

CUM FIGURIS, SYMBOLIS, ANATOMIIS,

Factis, Emblematibus, Moralibus, Myſticis, Proverbiis, Hieroglyphicis, Prodigiis, Simulacris, Statuis, Hiſtoriis, Ritibus, Obſervationibus, Moribus, Numismatibus, Dedicationibus, Signaturis, Significationibus Literarum, Epithetis, Fabulis, Miris, Phyſiognomicis, & Somniis;

REFLEXIONIBUS ET DECLARATIONIBUS
tam ex Sacris, quàm profanis Auctoribus deſumptis,

OPERA & STUDIO

R. D. OCTAVII SCARLATINI

OLIM EX NOBILISSIMO CANONICORUM REGULARIUM
Lateranenſium Ordine, SS. Theologiæ Doctoris, Prædicatoris, & Scripturæ Sacræ Lectoris, & nunc Archipresbyteri Eccleſiæ Majoris Caſtelli S. Petri.

OPUS

UTILE PRÆDICATORIBUS, ORATORIBUS, POETIS, ANATOMICIS,
Philoſophis, Academicis, Sculptoribus, Pictoribus, Emblematum, ac Inſcriptionum Inventoribus, &c.

TOMUS PRIMUS.

CUM ADDITIONIBUS & INDICIBUS COPIOSISSIMIS;

Nunc primùm ex Italico Idiomate Latinitati datum

à R. D. MATTHIA HONCAMP

Canonico Capitulari ad Gradus B. M. V. Moguntiæ, Directore Congregationis, & Prædicatore Eccleſiæ ejusdem B. M. V. Ordinario.



Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis,
Et facultate Superiorum.

AUGUSTÆ Vindelicorum, & DILINGÆ,

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ.

ANNO M DC XCV.

AD

LECTOREM,

Intentio & Proœmium.

VSque adeo mens humana ſe in altum ſæpe elevat, & propriæ temeritatis ſuæ alis in ſublime fertur, ut ea, quæ conditionem & capacitatem ſuam tranſcendunt, audere & tentare non vereatur: nihili faciens, ſi, cum pugillus terræ ſit, cæleſtibus ſe negociis cum Jove ingerat (non ſecus ac Phlegræi Gigantes olim) dum ſe montibus cogitationum male ordinatarum & confundit, & extollit, & quamvis ad ſtaturam ſuam cubitum nullum poſſit adjungere, cum Atlante nihilominus & Hercule, imponere dorſo ſuo Sphæras, & Olimpum ipſum prætendit;

Non conoſce ſtanchezza
Petto di gloria ardente, e ben ſi vide
Atlante vacilar, ma non Alcide.

Sic de Panario ſuo hic cygnus intonavit. Videtur in aſtuti Archiomedis Operibus Altitonans deteſtari hujusmodi jactantias, quando illic de cælo, quemadmodum apud Claudianum, quaſi provocatus ad iram dixit,

Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Jam meus in fragili luditur orbe labor.

Laborioſior eſſe nequit virtutis collis: *Laboribus Dii cuncta protinus nobis vendunt bona.* Erat hæc Epicarmi viri docti apud Xenophontem ſententia: Semitæ virtutis diſtortæ ſunt, opacæ, confuſæ, vepribus & ſpinis coopertæ, faſtigio illius inconſcenſa ſunt, incerta Oracula, illic manibus rependum eſt, illic dumeta & tribuli de fronte ſudores exprimunt, de faucibus anhelitum, de venis ſanguinem: ſapiens nihilominus, & vir fortis his non obſtantibus etiam naturæ ſuæ & virium oblitus, ſolo magnanimitatis thorace munitus, cum Liſimacho leonibus objicit, & de faucibus eorum lingvas evellit; cum Regulo ſufferre gladios novit:

 pectus

pectus ſuum tanquam vallum, inundationi exercituum opponit, ut Cocles: in flammarum ſe torrentes præcipitat ut Curtius: nec vero in ſolis virorum militarium pectoribus hæc flamma vigoris ſuccenditur: etiam in imbelli ſexu hæc ſcintilla fovetur & ignem concipit, flagrat, & fulgurat. Non tam procul à memoria hominum abſunt præclarè geſta & Rhodopum, & Camillarum, & Marpeſiarum, & Cloeliarum, & Orynthiarum & tot inſuper aliarum, quæ palam fecerunt in ſphæra activitatis ſuæ, non ſolum ſe cum Venere, & Gratiis, & Amoribus blandimenta ſua diſpertiri poſſe, ſed etiam (ſicut Venus) illa comitari Martem; ut in theatro gloriæ, numiſma Nominis ſui futuris ſæculis ſuſpiciendum darent. Supponunt cadentibus rupibus dorſum ſuum Polydamantes, Milones cum Orſis ſylveſtribus, & cum Tauris indomitis & hirtis luctaturi accinguntur; Eumeni, Phociones, & Socratici viri, & agminibus hoſtium, & cicutis, & venenis ex adverſo ſtant. Atque ita verum eſt, quod ſcripſit is, qui Martem Romanorum (hoc eſt inclyti Scipionis acta) tam concinne ſtylo ſuo conſecutus eſt: Langueſcunt in Heroum fronte coronæ laureæ, ſi ſudore irrigatæ non fuerint: nec virtutis merces in capitali ſuo integra permanſura eſt, niſi negotiatio ſine intermiſſione acceſſerit unde agitari eam, & undequaque concuti oportet, prout Muſa illa præfata canit.

Gaudentius Bronacoi.

Rio, che ſtagna in Palude
Tra fetid' herbe, & putrefatte Zolle,
Torbido imbruna l'aque, & le corrompe.

Teſt.

Et hæc cauſa eſt, quod vir fortis, ſupra ſemetipſum dominium ſuum exercens, usqueadeo fortitudinem fragilis alioquin compoſiti ſui adauget, ut ſe ultrò periculis opponat, fortunam utramque ſuſtineat, & ſub baſe animi intrepidi, regendo Granatum cum Crotoniata ſpei vivæ, tandem coronam adipiſcatur, quam ei nemo de manu poſthac extorqueat: & his fundamentis niſus ad immortalitatem tendit, ipſis adeo dentibus cum Athenienſe Cynegyro (poſtquam manus jam amiſſæ ſunt) Navem hoſtilem mordicus retinens: actione omnino heroica, ad quam accingebatur, nihili faciens dummodo ſibi honor ſuus eſſet in integro, faciens immolare vitam & caput ſuum.

Sed abſit ut vir ſtrenuus, ſapiens, & virtuti deditus ſibi hominum memoriam, aut nominis ſui famam actionum ſuarum illuſtrium finem ſtatuat, ſufficit ei conſcientia recte facti, ſufficit in officio & actionibus ſuis glorioſe ſe & laudabiliter geſſiſſe. Verus enim applauſus (ſicut memoriæ noſtræ ſcripto reliquit ille qui tam eleganter inter virtutes diſtinxit) is eſt, qui ex ſemetipſo naſcitur: ſtatuendo enim apud ſe, ſe benè egiſſe, etiam ſi ſecus fuerit, terminum nihilominus ſuum, & metam conſecutus eſt. Plus valet honeſta actio unius adeo momenti, quam mille ſæcula vitæ: Et hæc vera gloria eſt, quâ ſtimulari ad laborem oportet viros generoſos, non ad laudem ſui, ſed ad proximi utilitatem. Vita ſua indignus eſt, qui exponere eam ei dubitaverit, qui eam dedit; ſic enim omnem actionem noſtram

Co. Theſaurus Philoſoph. Moral.

noſtram fieri & inſtitui oportet, ut pro DEO primum, pro patria deinceps, pro virtute denique, & pro domeſticis ſuis agatur. Nec ipſe Jupiter ægre tulerit ſibi caput ſecuri findi, dummodo inde Minerva in mundum prodeat: Etiam poſt fata Romuli, haſta ejus in arborem converſa, cum umbra ſua heroes fortiſſimos, cives nobiliſſimos, & populos ferociſſimos recreabat. De ultimo Amphionis & Orphei Cytharæ concentu, ipſæ adeo rupes aſperæ, & ſaxa inhoſpita, harmoniam ſuam edere, reſpondente Echo, didicerunt. Et poſtquam tot palmas Alcidi ſuo, clava illa inclyta produxit, in oleam transformata eſt, ut Heroi ſuo & novæ vitæ balſamum miniſtraret, & frontem Pacis illius glorioſæ redimeret, quæ ei, qui in vitæ ſuæ decurſu plurimum deſudavit, tanto expeditius, & cum majori decore, quietem ſuam parat. Hinc moraliſſimus Alciates in Emblematum ſuorum triceſimo ſexto adoleſcentulum figuravit, qui quanto fortius Palmæ proceræ ramos deprimebat, tantò ſublimius illa levabatur, cum hac videlicet Epigraphe; *obdurandum adverſus urgentia.* Quamvis illic facies & periculum mortis ſit: ſicut inter alios Epaminondas nos docuit, qui cum aliter Pelopidam amicum ſuum ſalvare, nec ultra niti pedibus ſuis poſſet, innixus genubus occubuit, valorem & virtutem genuflexus adorans. Hæc viri fortis & generoſi eſſentia eſt. Scriptum nobis Magnus ille Stagirenſis Philoſophus reliquit: *Fortitudo eſt, inconcuſſum à mortis metu, conſtantem in malis, intrepidum ad pericula eſſe, & malle honeſtè mori, quàm turpiter ſervari.*

De virtute & vitio.

Jam verò hæ, aliæque inſuper doctrinæ, & pauca ex empla hic adducta, inter tot alia quæ adduci poterant, in hac profeſſione mea, & quantum mihi in exercitiis meis vacat, me pepulerunt, animumque addiderunt, ut & ego cum ſollicitudine, hoc tibi Opus, benevole Lector, pro utilitate & beneficio univerſitatis, hominem, inquam hunc Symbolicum & Figuratum præſentarem. Fateor me in propoſito argumento meo plurimum, imò verò jam nimium proceſſiſſe, cum oportuerit me (prout tibi ſequens declarabit Oratio) adorare potius, & non inſcribere magnifici Templi hujus liminaria, & portas. Sed dum mecum ipſe perpendo, & de eodem compoſito me quoque fabricatum, de eadem maſſa me quoque concretum aliquod eſſe: cur mihi vetitum ſit de ſubſtantia mea propria dividere, & actiones meas proprias emetiri; imò & in eſſentiam meam totum immergi, & dum mihimetipſi præcepta vitæ expromo, etiam mundo proficuum eſſe? De cætu viventium tolli meretur, qui cum habeat unde eis prodeſſe poſſit, idipſum negligenter & otioſus omittit, ait modernorum quiſpiam. Non nego me Lactantii Firmiani calamum non habere: non ego lepores & candores lactis conſimiles illi, qui de lacte ethymologiam nominis habet, in chartis meis diſtendo: palam nihilominus facio me de penu ejus tale argumentum, talem etiam apologiam, talem intentionem traxiſſe. Videor mihi jure id repetere, quod ille in eximio illo opere ſuo *de Opificio Dei* (quod etiam, ſicut in ſecundi libri fine videre tibi licet, totum traduxi) ad Demetriadem ſuum ajebat.

Bartoli homo literatus.

Tentabo, quoniam corporis & animæ facta eſt mentio, utriusq; rationem quantum puſilitas intelligentiæ meæ prævidet, explicare, quod officium hac de cauſa maxime ſuſcipiendum puto, quod Marcus Tullius, vir ingenii ſingularis

laris in quarto de Rep. libro cum id facere tentaſſet, nihil prorſus effecit, nam & materiam late patentem anguſtis finibus terminavit, leviter ſumma quæque decerpens; at, ne ulla eſſet excuſatio, cur eum locum non fuerit executus ipſe teſtatus eſt, nec voluntatem ſibi defuiſſe, nec curam. In libro enim de legibus primo, cum ad ſummum hoc idem ſummatim ſtringeret, ſic ait, hunc locum ſatis (ut mihi videtur) in iis libris, quos legiſtis, expreſſit Scipio: poſtea tamen in libro de Natura deorum, ſecundò, hoc idem laxius exequi conatus eſt, ſed quoniam nec ibi quidem ſatis expreſſit, aggrediar hoc munus, & ſumam mihi audacter explicandum, quod homo diſertiſſimus penè omiſit intactum.

Hic ergo operationis meæ finis eſt, ut videlicet & ego mihimetipſi proſim, me acuam, & exerceam, usque ad ſeparationem ſpiritus; cum enim anima conſtemus & corpore, utriusque ratio ad ſalutem obtinendam habenda eſt. Nollem vero mihi in hoc loco venire in mentem id quod de Chryſippo refert Laërtius, qui non aliter nec ſcholas ſuas, nec commercia hominum frequentabat, quàm oneratus tot libris, quibus ferendis & bajulo labor eſſet, idque egit ut literatus homo
Satyr. 6. appareret, propter quod & Bibliolatæ ei nomen per illuſionem inditum: ſic eum Perſius deridet:

Deſpunge ubi ſiſtam
Inventus Chryſippe tui finitor acervi.

Dixerim nihilominus, me de pluribus voluminibus unum ſolum, ſicut de multis filis telam unam contexuiſſe, ut nimirum omne id, quod
Satyr. 7. alibi per diverſos de homine tractatus diſperſum eſt, hic majori ex parte recollectum invenias, quod boni utique conſules, eo quod tui ipſius diſcuſſio fiat. De cætero nulla me prurigo tangit, de qua Juvenalis

Laqueo tenet ambitioſi
Conſvetudo mali, tenet inſanabile multos
Dicendi, Caccoethes, & ægro corde ſeneſcit.

Sed cum præſato Lactantio concludo,

Loco citato. *Ego autem, ut nos ipſos ſimul, & cæteros inſtruam, nullum laborem recuſo.*

Scio quanto in his argumentis mihi opus ſit ſubſidio, ſum enim languidus in periodis meis, in materiis nimium aliò diſtractus, in applicationibus meis longe projectus, in alluſionibus forte deceptus, in ſignificatione frigidus, in Metaphoris egenus, in Authoritatibus citandis vel nimium quandoque copioſus, quandoque ſterilis (congeries, & farrago errorum) nonnunquam igitur mihi illud Ovidii in mentem venit:

Triſtium. 2. *Sæpe manus demens ſtudiis, irataque ſibi*
Miſit in arſuros carmina noſtra rogos.

Sed

Sed nihilominus ſuſpenſus, dixi apud memetipſum, quæ unquam chymica ars tam perfecta, ipſum adeo aurum ſic elevare poſſit, ut ab omni terreſtri fæculentia purum ſit? ubi inter Philoſophos tam peritus eſt, qui ultimas rerum differentias, diſcutiat, & rimetur? Quamvis cum Adamo poculum, mali, bonique potaſſemus ſub arbore vitæ, omne Pelagus ventos habet, omnis mons declive ſuum, & Perſii dictum verum eſt:

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus,
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Scio quantum mihi in his imperfectionibus meis, & in hac ſubjecti mei ſublimitate, ſi diligenter expuncta fuerint improperare apud Virgilium *Eleg. 3.*
Menalcas poſſit:

Cantando tu illum? haud unquam tibi fiſtula cera
Juncta fuit? non tu in triviis indocte ſolebas
Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen?

Sed Poëtæ cum Poëta reſpondeo, cum Martiale inquam:

Majores majora canant, mihi parva locuto
Sufficit in veſtras ſæpe redire manus,

Vive feliciter.

INVI-

INVITATIO
LECTORIS

Ad legendum ea, quæ volumine hoc continentur, quæ videlicet ad eum ipſum pertinent.

A Te, del gran Fattore alta ſtruttura,
Ch' ogni Elemento ubbidiente cole,
Soura cui veglia la ſtellata mole,
Et fan pompe di pregi Arte, & natura;

A te, di cui l' ingegno ſol miſura
Del Cielo i moti, & l' alte vie del ſole,
Che de gli Abiſsi in le piu cupe ſcuole
Tutto indagar, tutto ſaper procura

A te, mentre di te ſcrivo, e ragiono,
Invio i mei fogli, & tu del tuo Protratto
Sdegnar non dei, benche negletto, il dono,

Se l' huomo incontro al Cielo e un punto aſtratto,
Edjo, ſe pur fra l' huomo un punto ſono,
Coſi di linie, & punti il libro e fatto.

LIBER AD LECTOREM.

SI nimius videor, ſeraque coronide longus
Eſſe liber: legito pauca, libellus ero.

Martial. Ep. 10.

ILLU-

ILLUSTRISSIMO DOMINO
OCTAVIO SCARLATINO

In Eccleſia Sanctæ Mariæ Majoris Conſecrata, Archipresbytero meritiſſimo conſtituto.

AUCTORE IOANNE POASONE FRANCISCO.

OBtinet illuſtris meritis
Cæleſtia dona;
Tonat veram gloriam.
Amica veritas elucet tota.
Vide qui ſydera petit.
In libris hodie at nomen Jama legit,
Virtutibus omnibus verè eſt imbutus,
Solia meritisſimo parantur in altis.

SOlo vincit amore populos,
Clariſsimo legite flores.
At dotibus ornatus, coronatur in omni.
Reſpice, in iſto ſummo, leguntur merita magna
Lautè vaſta, enarrat laudes.
Amabiliſsimis civibus Muſa ſonat eloquia
Tibi Viro Doctori, præconia ſono
Ipſaque tua magna, & ſancta Minerva docet
Numina, præclaro diſponunt coronas,
Viro Domino Archipresbytero meritiſsimo,
Sidera tuis, terraque meritis.

AD

AD EUNDEM AUCTORIS EJUSDEM.

PRæclari cives nunc cunctis gloria præbet
Laute tonans populis, dicere ſancta viri.
Quæ ſapit in cælis, rerum moderamine ſummo,
In terris hodie diligit ipſa virum.
At facunda docens, non ceſſat ſcribere laudes
Enarrans dotes, Carmina Muſa canit.
Diſcite nunc cives, factorum ſancta ſuorum
At meritis impar ſydera noſtra petit.
Debentur palmæ, flores, debentur honores
Debetur ſummo gloria tota viro.
Lilia numinibus noſtris, ſunt certa ſecundo
Sydera Paſtori, Numina noſtra dabunt,
Nunc tua ſervantur, populis præconia dotes,
Religio cunctis prædicat eſſe decus.

Vidit D. Hyacinthus Cantinus Rector Pœnitentiariæ, ex Clericis Regularibus S. Pauli, pro Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. D. Cardinali Bon-Compagno Bononiæ Archi-Epiſcopo & Principe.

Si compiaccia il Sig. Dottore Bartholomeo Ceſi di rivedere per la ſtampa il libro *Dell' huomo, e ſue parti* Opera del Sig. Scarlatino 30. Maggio. 1679. Fra Tomaſo Mazza, Inquiſitore di Bologna.

Del' huomo e ſue parti &c. Bipertitum Opus Authore Nobili Viro D. Octavio Scarlatino, ex Commiſſione Reverendiſſimi P. Inquiſitoris Bononiæ, attentè perlegi; & cum Sanctæ Matri Eccleſiæ, Principibus, bonisve moribus adverſans ne hilum quidem repererim: quin potius ad homines recte inſtituendos apprime congeſtum cenſuerim, prælo dignum atteſtor. In quorum &c. ex ædibus propriis, ſexto Idus Aprilis 1680.

Ego BARTHOLOMÆUS CÆSIUS J. U. D.

Stante ſupradicta atteſtatione
Imprimatur.

Fra. Thomas Mazza,
Inquiſitor Bononiæ.

TRANSLATOR AD LECTOREM,

BENEVOLE LECTOR.

Quemadmodum olim Sapientiſſimus virorum Salomon, ad erigendam Templi Jeroſolomytani tam magnificam, totoque Orbe inclytam ſtructuram, non ſolum omnem, qua divinitus pollebat, animi ſui prudentiam, non ſolum omnem ſolertiam, & induſtriam adhibuit, quin & è longinquo ſubſidium ſibi accivit, è finibus Tyri & Sidonis, materiam tanto operi dignam advehendo: Sic Scarlatinus, quem præ manibus, latinitati datum habes, ad ſtructuram tam admirabilem hominis ſymbolici, non ſolum ſagacitate ingenii ſui plurimum contulit, ſed in omnium penè artium ſcrinia penetrans, illic operi ſuo tam magnifico, quæ conducerent, bono publico produxit. Quid enim homo in hac ampliſſima rerum Univerſitate dignius, quo mentem ſuam occupet, quid nobilius, quid utilius inveniat, quàm ſuimetipſius tam admirabilem, tam eximiam ſtructuram, in quam ſummus Architectus imaginem divinitatis ſuæ impreſſit? Quod ſi poëticum illud verum eſt:

Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus:

Nec cuiquam vitio vertendum, ſi ab his terrenis, ad cæleſtium conſiderationem oculos ſimul ac animum erexerit, quantò magis laude digniſſimum eſt, contemplationi humanæ Creaturæ immorari, propter quam reliqua univerſa, cœlum terræque omnes procreatæ ſunt? Nec verò quiſquam admiretur in unius hominis deſcriptione tot paginas, tot volumina adimpleta eſſe, tam diffuſum tam laborioſum opus excreviſſe: non enim ignorare oportet, Microcoſmum hunc compendium eſſe majoris Mundi, ut ſi in immenſitate illius mirum non ſit calamos ſcribentium fatigari, non minus quoque & illud omni admiratione careat, ſi immenſa volumina, inexhauſtis ſtudiis Authorum, in humanæ ſtructuræ expoſitione adimpleantur. Ut cætera omnia ſilentio prætereantur, ſi Anatomen corporis humani ſolam intueri libeat, tantæ vaſtitatis eſt, ut ſi profundiori diſquiſitione tractata fuerit, hæc unica ſuffecerit, ad plures adeo Tomos pro dignitate rei perficiendos.

Scarlatinus noſter, prout debebat, diligentiorem humani corporis indaginem, Medicæ Artis Profeſſoribus reliquit, quorum officii eſt minutiſſima quæque ſcrutinio ſuo ſubijcere: hic non niſi potiora in medium afferenda erant, quæ Lectori majeſtatem tanti ædificii, tanquam in brevi tabula depingerent. Ad alia ei gradiendum fuit, quæ univerſalitate ſua plurium neceſſitati, utilitati, vel etiam, ſi ſic placet, ſanctæ curioſitati inſervient. Illic Symbolorum, & Emblematum, & Hieroglyphicorum varietas delectat: illic myſtica & moralia è fontibus Sanctorum Patrum hauſta, chriſtianam mentem ædificant: Illic Proverbiorum copioſa fertilitas, amplam eruditionis meſſem lectori ſpondet. Prodigia quoque paſſim raritate ſua mentem transportant: Simulacrorum antiquus uſus in ſcenam prodit: nec de ſtatuis tacetur, quarum introductio non minus opus illud condecorat, quàm olim tabernaculum fœderis, jubente Moyſe, opere plumario & polymito exornatum fuit. Non minus hic hiſtoriarum fœcunditas excellentiam Operis commendat: antiquorum ritus & conſuetudines, & obſervationes non modicæ occurrunt. Ut nil meminerim de Numiſmatibus, Dedicationibus, literarum Notis, atque Epithetis, nonnullibi aptiſſima connexione fabulæ quoque locum ſuum obtinent. De Portentis hic non inamœna fit mentio: in Phyſiognomiis diſcretio oſervatur; dumque ea, quæ ſuperſtitioſa credulitate quorundam vanitas, ad deceptionem hominum inventavit, exploduntur, non in eundem ordinem rediguntur, quæ radicem quandam ex natura rerum traxerunt: par ſomniorum ratio eſt, ex quorum diverſis generibus diverſitas complexionum non inutili argumento deſumi poſſit: quamvis ridendi ſint Harioli, aut ſomniorum Conjectores, & omne id genus veterum Aſtrologorum, qui futura contingentia, & incertas hominum ſortes, ex neſcio quibus fundamentis præſagire necquicquam voluerunt. Quaſi verò fortunæ hominum, & ſeri poſterorum eventus artificio naturali, aut rationibus phyſicis prænotari poſſint, cum ſoli Deo, vitæ & mortis noſtræ Auctori, hæc ſolum conſtent, & ſoli reſervata ſint.

Diximus humani corporis admirabilem ſtructuram eſſe, digniſſimam quæ ſublimitate ingeniorum, ſpacio vitæ noſtræ examinetur, & circa quam doctiſſimorum virorum ſtudia verſentur: Quid verò hæc, ſi animæ noſtræ comparata fuerit? Quis enimverò condigne abditos humanarum mentium receſſus introëat? Atque adeo ſupremus ille rerum omnium opifex mirum in nobismetipſis prodigium fecit, quod nil tam nobis familiare, tam nobis quotidianum, tam eſt proprium, quàm anima, quæ tamen oculos noſtros, & intelligentias maximè omnium lateat. Facilius eſt emetiri immenſitatem Zodiaci, & inter ſpacia illa tam infinita, curſus ſiderum, eorumque varios aſpectus, aut analogias, vel influxus, vel ſedes, vel circumgyrationem explorare, multo expeditius eſt geographicis ſtudiis ſphæram terræ, ejusque zonas, & ſub illis tot regiones, tot urbes & caſtella pervagari, imò & vaſtiſſimum Pelagus enavigare, quàm profunditates humanæ animæ, ejusque myſterioſos ſinus, & penetralia rimari.

Miraculum omnium maximum homo, Idea ſupremæ illius & increatæ mentis, artificium æternum, imago divinitatis. Nemo ergo ſe tempus ſuum collocaſſe in vanum crediderit, quisquis tam illuſtre opus, tam

elegantem, tamque nobilem fabricam contemplandam propoſuerit. Legat hæc, quæ Scarlatini prodeunt induſtria, ſed ſi legerit, & intellexerit, incomparabiliter plura, & potiora ſupereſſe noverit, quæ non ſolum noſtram qualemcunque, ſed aciem quoque Angelorum fortaſſis effugiunt. Sola illa beata Mens, & ſummum illud Bonum, cujus miſerante omnipotentia ſumus, quidquid ſumus, creaturam ſuam perfectiſſime novit, renes ejus ſcrutatur, omneque artificium ejus comprehendit. Noſtræ vilitati, & ignorantiæ ſatis fuerit, ſi ad arcanum illud cum tremore & humilitate, de longe accedere licitum fuerit: Nos, inquam, qui de promiſcua plebe ſumus, qui jumentis inſipientibus comparamur, vereamur ad montem tam ſanctum accedere: liceat nobis velum ſanctuarii cum admiratione foris ſpectare, ſolus enim Pontifex maximus Dei Filius, æterna Dei ſapientia, ſemel & ſemper in ſanctum illud Sanctorum introire potuit: qui ſolus humani pectoris abditos Theſauros, qui latibula potētiarum noſtrarum examinat, & ſublime illud opus pro merito ſuo ponderat, & emetitur. Hæc in univerſum de toto opere dicta ſint, cujus dignitatem benevolus Lector lectione ipſa per ſemetipſum potius, meliusque, quàm qualicunque præliminari panegyri mea dijudicabit: Nunc etiam aliquid de genere translationis meæ dicendum. In quo illud admonitum velim, me *non anxie de Authoris* ipſius verbis laboraſſe, ut quàm maximè poſſem, mentem ſcriptionis aſſequerer. Nec enim eorum diligentia approbanda, qui in librorum verſione, dum in exprimendis iisdem verbis, nimium ſcrupuloſè, & curioſè fatigantur, aut dictionis claritatem obſcurant, aut elegantiam latinitatis corrumpunt: ita quidem, ut ſæpius quod Italica phraſis eleganter expoſuit, hoc indiſcretus Translator, irridenda potius, & præpoſtera elocutionis forma diſtorqueat. Habet nationis cujusque vernacula lingva certa quædam Idiomata, quæ ſi violenter in alienum transſumta fuerint, abſonum quid, & Ludimagiſtris convenientius, quàm viris eruditis, ingerunt. Quare ſi quid ſanæ verſioni indulgendum (ſicut nemo non videt indulgendum eſſe) id potiſſimum in iis libris faciendum, ubi perinde eſt, quibus verbis ſententia prodeat, dummodo nil ſuprimatur, quo nervus orationis debilitetur. Non eadem in ſacris paginis libertas eſt, ubi nunquam cavillanda diligentia, quin potius qualiscunque audacia refrænanda, quantum quisque religioſiſſime originali cohæſerit, tantò prudentius, & laudabilius egerit. Nulla illic verborum, aut periodorum, nulla diſpoſitionis prætereunda, vel vilipendenda obſervantia: cum nefas ſit temeraria manu audere aliquid in iis, quæ Spiritu Sancto dictante conſcripta ſunt, ne forte dum ſtudioſus lector in iis literis, quæ myſteriis, & ſacramentis profundiſſimis refertæ ſunt, ſenſum divinum indagat, fruſtra laboret, non niſi in verſoris explanatione humana deſudans. Sic nuper admodum non immerito verſio quædam totius Scripturæ Gallico Idiomate typis data, cenſuram graviſſimorum virorum incurrit, eo quod nimia libertate genuinum ſenſum eo tranſtulit, quo Translatoris interpretatio paraphraſtica voluit. Hi fontes ſacri varios utique, & à ſe diverſos interpretationum rivulos admittunt, ſic tamen, ut nemini liceat, quod ſuum eſt, Scriptutæ Sanctæ affigere, quæ in arctum cogenda non eſt, ſed legenti liberum relinquendum in quo quidque ſenſu accipiat; dummodo ab Ecclcſiæ univerſalis ſenſu non re-

cedat.

cedat. Simpliciſſima itaque litera, quantum fieri poteſt in Sacro Codice exprimenda eſt, ſi quid obſcurius occurrerit, quod explanatione indigeat, in notas, vel paraphraſes rejiciendum.

Sed hæc hujus loci non ſunt: illud ſolum hic memorandum eſt, non eandem in Authoribus aliis exactitudinem obſervandam eſſe: quamvis aliquid ſanctorum Patrum monumentis tribuendum ſit, quorum vitæ ſanctimonia, & excellens in divinis rebus intelligentia, venerationem non promiſcuam ſibi vendicat: itaque & in his vertendis ſanctior obſervantia verborum retinenda eſt.

Scarlatinus noſter non eandem punctualitatem in operis ſui verſione exiget, & ſatis illi fuerit, ſi verſor mentem ejus probè tetigerit, in dictionis forma, ſiquidem clara, & bonæ latinitati data fuerit, non uſqueadeo in jus eum idcirco provocandum arbitror: Nec enim dubito ipſum adeo operis hujus Authorem, ſi latinè dicturus fuiſſet (prout facere à primordio ſtatuerat) non eandem dicendi methodum adhibiturum fuiſſe. Id ſolum ſupereſt mihi, ut benevolum Lectorem obſecrem, id quocunque ei ſtudio meo offertur, æqui bonique conſulat. Si quid feliciter pro bono publico translatum eſt, Authori omnium bonorum id in acceptis referat: ſin aliter, infirmitati humanæ, non voluntati adſcriptum eſſe velit. Porro & illud, velim, conſideret, Typographi contigiſſe incuria, ut innumeris mendis editio ejus ſqualeret: ita ut verſori penè factu impoſſibile fuerit cuncta reſtituere. Id quod potiſſimum in citationibus latinis occurrit, communi Italorum Typographorum vitio (pace illorum dixerim) qui cum optime vernaculum Idioma ſuum calleant, potiſſima pars in Latinitate peregrina eſt. Hinc ineluctabili labore centena loca corrigenda erant: imo ſæpius Virgilius, aut Horatius, & ſimiles antiquorum libri integri percurrendi erant, ad locum unicum corrigendum. Quod quanto tempore ſteterit judicabunt facilè qui Italicum Opus, & rem ipſam ſano judicio ponderaverint. Nec verò quisquam dixerit remedium in citationibus inveniri potuiſſe: non diffiteor, ſiquidem ipſa capita, & numeri felicius prælo dati eſſent: nullibi namque tanta confuſio, tot errores irrepſerunt, quam illic: ubi partim numerus pro numero collocatus, partim capita falsò allegata, partim omiſſa partim aliò trajecta, partim in ſe invicem farrago citationum confunditur: ſic, ut quæ cuique citationi ſententia, & quis numerus conveniat, non niſi Oedipus divinare, aut conjecturare poſſit. In quo profecto deploranda eſt eorum inſcitia, aut negligentia, qui prælo præſident: Cum enim pòtiſſima libri hujus pars, authoritatibus conſtet, & ſententiis aut proverbiis aliundè ſumptis, & in iis ipſis tanta, & tam fœda corruptio appareat, ipſum opus penè legentibus videatur inutile. Quotus enim quisque eſt, qui omnium Authorum ſcripta recenti memoria retineat, atque ita ſine labore, quod male poſitum eſt, corrigat: Quis verò corrigenda protinus in fonte ipſo inquirat? Quàm pauci tot libros, & ampliſſimas Bibliothecas poſſident? Quis verò etiam in legendis libris tantam operam impendat? Itaque, ſi exiguitati meæ vitio non vertitur temeritas, auſim adhortari eos, quicunque in Republica Chriſtiana in componendis libris laborant, ut partus ſuos non negligant, ſed talibus Typographis committant, quorum vigilantia ſani & integri in ſcenam mundi, & non ſic,

laceri,

laceri, claudi, & miſere elumbes prodeant. Quamvis enim decor naturalis è laciniis his corruptis elucеſcat, neſcio tamen, quam id à natura comparatum habeamus, quidquid incompoſitè & indecore offertur dimidiam pretii ſui partem amittat. Obſecro Superos, ut ne idem fatum, quod in aliis conqueror, huic verſioni meæ eveniat: quod ne verear, præclariſſimi Viri Domini Johannis Caſpari Bencard, Bibliopolæ Auguſtani & Academici Dilingenſis vigilantia vetat, cujus ſumptibus Opus hoc excudendum traditur, qui eam ſibi laudem hactenus promeruit, ut quidquid ſub eo Orbis literatus vidit (vidit autem quamplurima) talia ſint, quæ & Viro, & ingenio, & ſumptibus, & Lectore non indigna ſint. Proſpiciet itaque, ut SCARLATINUS noſter in ſecunda editione ſua non ſolum latina veſte, ſed cum tali caſtitate indutus prodeat, quæ legentium oculos non offendat.

Pro concluſione & illud dicendum, quod ea quæ Italicis verſibus comprehenſa ſunt, Latinitati dare nec conſultum, nec verò etiam factu expeditum judicavi. Præterquam enim, quod metra Latinorum Italicis non correſpondent, atque ideo, quæ Italus in alio, rurſum translator in alio carminis genere expoſuiſſet (Nemo autem non videt, quàm procul hæc ab origine receſſura ſint) quis adeò felix eſt, ut eundem Authoris ſenſum rythmicè datum, ſine rythmis eadem elegantia proferat? Aut ſi rythmum imitari velit, non potius inſulſum genus carminis, ne dicam inuſitatum, producturus ſit? Itaque primævæ formæ ſuæ verſus relinquuntur, qui plerumque ita collocati ſunt, ut ad intelligenda quæ præceſſerunt, aut ſequuntur, neceſſarius eorum intellectus non ſit, quippe quod tantam connexionem non habeant. Fruere mi Lector his lucubrationibus meis pro gloria DEI, & ſalute animæ tuæ, & ſi quid beneficii hac verſione mea in te contuliſſe tibi videor, verſoris ſalutem, pro teſſera gratitudinis, in orationibus tuis commendatam habe. Et Vale.

TEMPLUM ANIMATUM, *SIVE DE* DIGNITATE HOMINIS

Diſcurſus Proœmialis Libri,

Habitus ab Authore in una Aularum Palatii Emientiſſimi Legati Bononienſis, nono die Martii ad veſperam Anno 1679. præſentibus Eminentiſſimis, Guaſtaldo Legato, Bon-Compagno Archi-Epiſcopo, & Protocarrero Hiſpanienſi.

Idque inter Dominos Academicos dictos Inhabiles.

ERgo mihi in hoc loco, ubi tot & tanta gloriæ lumina ſcintillant, & ubi purpuræ hæ Eminentiſſimæ, quæ triplicatæ aſſiſtunt, inſtar radiorum ſolarium adunantur, mihi inquam, omnis imperfectionis compoſito hac veſpera dicendum eſt? In facie Eminentiarum tam ſublimium, cæcutiens ego, inter tot ſplendores portenta Phaëtontis renovaturus ſum? Inter hos Dædalos rurſum ego Icarum imitaturus ſum, inter Apollines Marſiam, inter Joves Tireſiam? Sed quid deſpero? quid verear? Jovialitates, & non rigorem ab his expectare oportet aſpectibus, qui cum ſereniſſimi ſint, felicitatis augurium præferunt. Sed novus timor, Domini Coaccademici, in propoſito ſubjecto meo me occupat. Adeone ego de ſublimiſſimo opere, quod unquam de opifice Dei dextera, etiam ad creati mundi hujus complementum prodiit, hoc eſt, de dignitate hominis, peroraturus ſum? Hæc igitur dies eſt, in qua, ſicut ille quondam, qui de Sphæris ratiocinari non erubuit, cum nec ſemicirculo delineando par eſſet, vereor illud mihi Sinopenſis Latrantis objectum iri: *Quàm nuper è cælo veniſti.* Non ſum Macedo ille, cui datum fuit ligamenta Gordii nodi reſolvere; nec filum Ariadnæ dirigo, ut à labyrintho hoc me expediam. Ego inquam de metro tam eminenti, qui in dictione mea tam intricatus ſum? Ego de harmonia tam compoſita, qui ordinem non novi? Ego de formis tam elegantibus, qui inter Dominos, inhabiles ſum informis? Poſſent Cecopres, & Demarati exponere id, quod magnus Ariſtoteles per politicum ſuum Animal voluit intelligi. Poſſet Apelles quiſpiam, vel Zeuxis artifici tractu penicilli adumbrare id, de quo Magnus Auguſtinus: *Homo eſt omnis creatura:* nec vero niſi lingva Angelica deſcribendus eſſet Homo, ad cujus tutelam intelligentiæ puriſſimæ cæli Empyrei aſſignatæ ſunt: Non niſi Praxiteles abbreviare novit Coloſſos. Siquidem preces meæ ullum apud vos N. locum obtinent, de tam difficili arena me ſolvite, abſolvite me de tam arduo & rigoroſo imperio. Soli Moyſes & Eliæ per inhoſpita & inculta montium Horeb, & Sina ambulare nôrunt: ipſi etiam Polydamantes, & Enceladi ſub Atho, & Caucaſo ſuccumbunt.

Spero ego in humanitate judicii veſtri, futurum, ut ad evitandum periculum incepti hujus, me illuc unde profectus ſum, patiamini revocare greſſum. Altaria Sacra nunquam non loca libertatis & aſyli fuerunt. Sed quid audio, quid ſentio, quid in auribus meis de tot pennis mihi reſonat? Deſcendit Electionis illud vas eximium ad explicandam dignitatem hominis, qui ad Corinthios ſic ait: *Neſcitis quia templum Dei eſtis vos, & ſpiritus Dei habitat in vobis:* & paulò inferius eandem dictionem reduplicat: *Templum Dei ſanctum eſtis vos:* qui paulò ante declaraverat, & ſe quoque ad Architecturam tantam contribuiſſe: *Sapiens Architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat.* Hanc eandem ſimilitudinem incarnata ſapientia expreſſit: *Poſſum deſtruere templum hoc: & dicebat de templo corporis ſui:*

prout Sacri Evangeliſtæ meminerunt. O quale templum, Domini mei, quod ita formatum Cap. 7. eſt, ut dignum fiat habitaculum Altiſſimi. De quo Acta Apoſtolica referunt: *Excelſiſſimus in templis non manufactis habitat Deus.* Sic verò decentiſſimè, prout magnus ille Commentator In Iſai. c. 60. Iſidorus Clarus inquit: *Volo habitare in cordibus humilium magis, quàm in templo manufacto, quoniam me creaſtis de cordibus veſtris, neque in templo veſtro habitabo.* Illic divini quidam radii emicant, hinc Laurentius optimè id expreſſit: *Hominem,* inquit, *ob naturæ majeſtatem miraculum* In Anatom. *miraculorum, ac venerandum à Sapientiſſimis Ægyptiorum Sacerdotibus appellatum fuiſſe conſtat.* Hæc humana natura noſtra de prima illa ſumptuoſiſſima mole in campo Damaſceno fundata eſt, cum admirabili facie exterioris præſentiæ, qua univerſas orbis regiones, tanquam omnium Domina intuetur, quippe quod & nomen Adam, ſicut literatiſſimi harum rerum obſervatores de hoc teſtificantur, quatuor majores in ſe horizontes complectitur. Templum eſt homo, quod non ſecus ac illud Salomonis olim in ſe tabulata cedrina admittit, cum ſit immortalitate quadam divina ſingulariter dotatus, ubi oculi in vicem feneſtrarum luminoſarum ſunt, ubi per cogitationum gradus ad Sancta Sanctorum conſcenditur, interpoſitis muris, qui partem inferiorem, à ſuperiori diſterminant: ante illud ſe atrium intellectionis pandit: illic mare fuſile eſt, variis affectuum figuris inundans: illic Cherubim ſunt, & baſes, & capitella, & columnæ, variarum, & ſolidarum contemplationum, quæ ſe Seraphicè ad ſuſtinendum auratum tectum ſtabiliunt: Ipſe etiam tres petrarum, columnarum, lectorum, feneſtrarum, portarum ordines cum potentiis ſuis intellectivis repræſentat. Templum inquam, ubi talenta ſunt auri, & argenti diverſarum virtutum, quo adornatur, ubi victimæ & Hecatombe tantarum precum, ubi Portici, propitiatoria, candelabra, thuribula, & thymiamata orationum non intermittentium, ubi labra ærea cognitionum rationabilium, ubi tot objecta, in aquis illis formando ſpeculum terſiſſimum, per reminiſcentiam reflectuntur. Supra hæc vireſcunt, luxuriantibus foliis & oſtro ſuo decorantur Smaragdi, & rubini, & palmæ, nec non poma granata Spei & amoris, quæ menſâ panum propoſitionis; legalis inquam, juſtitiæ, ſacræ, & diſtributivæ ditantur: ubi decora partium ſymmetria harmoniam illam optimè ordinatam, quæ intra hos parietes ſacros audiebatur, æmulari non deſinit. Templum omninò admirabile, idque maxime in Propitiatorio ſuo, in tabernaculo, & aurato Sanctuario animæ, quæ verus halitus, flatus, & Spiritus Altiſſimi eſt: *ſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Hæc Mythologicorum ſcintilla eſt quam Prometheus de magno illo orbis luminari furto ſurripuit: hæc oculus mentis eſt, In ſoliloq. ſecundum Auguſtinum, decus maſſæ mortalis: hæc ille Deus, ſi cum Ovidio nobis loquen- In Joan. dum eſt, *quo agitante caleſcimus,* hæc ſola quæ audit, & quæ ſentit, & ſine qua potentiæ noſtræ ſopitæ ſunt, prout Plutarchus, de qua etiam Manlius:

An dubium eſt habitare Deum ſub pectore noſtro,
In cælum redire animas, cæloque venire?

Magna radix in arbore corporis noſtri, *quod tanquam lignum plantatum eſt ſecus decurſus aquarum:* magnus Archinauta in navi mentis noſtræ, quam per mare cogitationum ad Portum deducit; magna fax, quæ nos mortales à tenebroſis ſæculi erroribus tuetur. O quale templum, quàm excelſum, quàm elevatum eſt homo: *Templum Dei eſtis vos*: ad cujus ſtructuram inclytam cuncta divinæ omnipotentiæ attributa concurrerunt, quando ad creationem ejus divinum illud verbum protulit: *faciamus:* ubi ad reliqua ejuſdem opera ſolum illud, *fiat,* ſuffecerat. Adeoque ego dum in templum me recepturus eram, in hominem templum animatum incurri, non inveniens nec ſimilitudinem magis adæquatam, nec ſymbolum magis proprium. Cum ergò mihi licitum non ſit hujus evitare occurſum, deprecabor vos, Domini mei, ut infirmitatem concluſionum mearum æquanimiter toleretis, ſiquidem & ego ſub his portis Mendicus, ſicut ille quondam, *qui ſedebat ad portam, quæ dicitur ſpecioſa,* auxilium veſtrum imploravero, ut cum longanimitate benevolentiæ veſtræ ſuccurratis, & ſi ſacrum eſt argumentum, materia, & ſubjectum, non videantur vobis indebita & præpoſtera, ſi conformia his argumenta adduxero, quamvis extra templum hæc noſtra ratiocinatio fiat. Sed quid extra templum dixi, ſi noſtrum quiſque templum eſt animatum? Cum tot igitur templis, quot ſunt hic qui me auſcultant, non ſine ratione me ſermocinari gloriabor: *Templum Dei eſtis vos:* Ubi verò locorum magnificentius humana dignitas exponatur, quam in conſeſſu dignitatum tam ſublimium, quæ tanquam Soles in ipſa adeo marmora inſenſata poſſunt influere, ſicut in illa Mennonis: *vox mihi dum aderis.* Interim dum ad probationes meas accingor, attentionem mihi veſtram uniuscujusque, quotqot hic præſentes ſunt, repromitto, quippe qui meminiſtis, in Templo, ſicut omnem aliam virtutem, ſic quoque ſilentium ſemper venerabile fuiſſe.

Della ſtruttura mia celeſte, e ſanta
Adamantino il fondamento io voglio,
Che' l peſo appoggi de l' immobil pianta
Soura ben ſaldo, e non caduco ſcoglio,
Si che le lin ee ſue vadan per entro,
L' ultime punte a terminar nel centro.

Hos verſus de Oceano valoris ſui inacceſſi, Nobilis Vir Marini, tanquam de gurgite quodam undoſo emanare fecit, in Applauſu ſuo erga Majeſtatem Chriſtianiſſimam Mariam de Medicis, Reginam Franciæ & Navarræ. Hac, & non alia methodo, in hoc templo meo me uſurum confido, ubi nulla ſit nec Periodi, nec digreſſionum linea quæ in Sacrario Animæ non terminetur. Erunt hæ, ſicut illæ Cylindri quæ *omnes in unum* tendunt.

Ad clariſſimum olim fulgur decem millium candelabrorum aureorum, quæ facile me- *Azzor. t. 1.* ridiem ipſam extinxiſſent, ad odorem thimiamatis: quod de viginti millibus fumabat thu- *c. 14.* ribulis, ad concentum quadraginta amplius millium Inſtrumentorum Muſicalium, quibus quaſi per Echo ducentena millia tubarum correſpondebant (ſi expoſitoribus prudentiſſimis fides habenda) in præfato Salomonis magno illo Templo, veſtiti Dalmaticis auro textis apparebant Levitæ, & Sacerdotes, in mytris ſuis gemmatis, & in rationalibus ſuis pompoſis adornati: tum cum pene, innumerabilis eſſet cadentium victimarum numerus. Ubi ex improviſo, *majeſtas Domini implevit templum Domini:* In abyſſo luminum, in Oceano gratiarum, in aurifodina gloriæ inexhauſta, divina illic magnificentia ſe palam fecit. Valeat hoc ad exponendum, quanta illic ſublimitas, quam incomprehenſa, quam immenſa fuerit, dum ſe cæleſtis illa gloria in templum illud Deificatum inſinuavit, quod videlicet usqueadeo luminoſum fuit, ut reverberationem ejus non ſolum ferre plebs promiſcua non poſſet, ſed nec ipſi adeo Sacerdotes. Hic ergò & ego pronus deſcendo, oculo meo ad ſplendores tantos caligante: dum nihilominus eos qui in vultum meum intentos habent oculos, conſidero, præſertim hos dignitate præcellentes, partem aliquam majeſtatis, & magnificentiæ templi mei animati jam videre mihi videor. Rememoramini, ſi ſic placet, ingentem illam ſuppellectilem, quam æternus Opifex, huic ſuo Homini ſubito poſt creationem reliquit: *Dominamini piſcibus maris, volatilibus cæli, & beſtiis univerſæ terræ:* & cum nec in illo templo figuræ & leonum & ſerpentium defuerint: & de creatione animalium, quæ in operibus diei ſextæ incluſa ſunt, mihi quoque dicendum eſſet, hæc pauca quæ diximus locum eorum, quæ dicenda eſſent ſupplere debebunt: tam enim elevatum, tam grande, & portentoſum dignitatis noſtræ ſimulacrum eſt, ut ad conſiderationem non ſolum totius, ſed etiam partis unius, nec ipſa Steſicratis in Alexandro valere poſſit, hyperbolica temeritas, cum in vaſtitate montis Atho, figuram ejus & altitudinem figurare prætenderet. *Majeſtas Domini, implevit Templum Domini.* Quam attonitæ ad intuitum hominis ſteterunt feræ reliquæ, quæ tubæ in ejusdem voce, quæ lumina & ſplendores in oculis, quæ gravitas in erecto corpore, quanta ſublimitas in vultu, quantus decor apparuit? Confirmant id non ſolum ſacri, & prophani Scriptores, inter quos Metamorphoſeos author: *Metamorphoſ.*

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Dominamini: veſtri ſint piſces maris, venationes ſylvarum, aucupia aëris. *Dominamini:* Extendite retia veſtra ad capturam piſcium, fila veſtra ad avium, funes ad leonum. *Dominamini:* veſtra ſollicitudo ſit eorum qualitates indagare, ad reparanda damna veſtra. *Dominamini:* ſuggerant menſis veſtris de carne ſua epulas, de pennis veſtimenta, de ſquammis thoraces. De qualitatibus eorum internis documenta moralitatis aſſumite, pro Herili veſtra, familiari, & monaſtica vita. Unde vobis periclitantibus exemplo ſit generoſitas leonis, fidelitas canum, prudentia ſerpentum, robur Elephantis, velocitas Pardi, providentia formicæ. *Dominamini:* frenum equis injicite, jugum jumentis, inhibete volucribus alas & volatum, de reconditiſſimis terræ ſpecubus monſtra ſylveſtria producite: denique in terris quæcunque ſerpunt, quidquid in dumetis nidificat, in aëre quidquid volat, quidquid natat in mari, voluntati veſtræ ſubditum ſit, imperiis veſtris obtemperet, ſit præda appetitui veſtro, poſſeſſio manuum veſtrarum, ſupra hæc univerſa imperioſam frontem veſtram, & vocem, & juſſionem veſtram levate; de pilis & pellibus, de jubis, velleribus, & ſquammis, decorate ſceptra veſtra, & pallia, & diademata. O quàm auguſtus, quàm Imperioſus Monarcha, quam faſtuoſus Imperator! *Os homini ſublime dedit: dominamini: majeſtas Domini implevit templum.*

Non ſolum autem, hac majeſtate vultus ſui, qua ſuper reliquas feras ſublimiori principatu inſignitur, hic homo noſter conſpicuus eſt, Domini mei: nam divinus ille Opifex, ut creaturæ ſuæ pompam excellentiæ magis extolleret, naturam ei abundantem, & usqueadeo fertilem indidit, ut non tantum ſibi neceſſaria ſua, ſed & inſuper quæ decorem adderent, ſubminiſtrare poſſet. Vix illud: *Dominamini* ex ore altiſſimi prodierat cum verbum Domini ſuperaddit: *Ecce dedi vobis omnem herbam facientem fructum juxta germen ſuum, & lignum pomiferum.* Hoc verbum, non fabuloſa ſed verax eſt Rumina, quæ tota uberibus plena eſt, ut quidquid in mundo naſcitur lactare poſſit. Hæc illa ſublimis virago eſt, quæ à Cælio Auguſtino deſcribitur, ſublevans in ſpacioſiſſimis

Ex Pieri. Valer. Hieglyph.

Campis aëris manus ſuas, aperto ore, præter uſum communem, erectis in cælum capillis, & totis viribus, ad ſubveniendum mortalibus, infatigabiliter ingrediens: idque univerſum ad hunc finem, ut grande illud ædificium hominis exaltetur. Hoc verbum officium induſtrii Agricultoris adimplet, dum de inculta terra fœcundam meſſem producit: hortulana admirabilis eſt, de vepribus ſpinoſis & acutis odoriferas, in tempore ſuo roſas proferens, in vitibus botros ſuos abundanter pullulare faciens, unde muſtum ſvaviſſimum exprimatur: Hoc verbum unico de ſemine mortuo numeroſam familiam, centum ſæpe granorum germinare facit: ſtipulam educit, & inviſibili artificio rudem & informem alioqui calamum tornatili ſtructura elaborat, ſpicas proinde granis lacteis onerat, folliculis ſuis veſtit, & pungentibus ariſtis, non ſecus ac lanceis defendit; hoc per canales occultos, & aquæ ductus abſconditos humores terræ derivat, & de cælo ad irrigendas, & fœcundandas herbas, plantas, & vineas profundit: & amore hominis portenta Canæ Galilææ quotidianis vicibus renovare non ceſſat, dum chryſtallinos aquæ liquores, in dulciſſima, & pretioſa vina convertit. Hoc verbum inſcrutabili penicillo, mala granata colorare, deaurare mala punica, & ipſa poma ſpecioſe novit depingere, unde palatum titillari poteſt, ita ut mens & capacitas noſtra ad intelligenda illa ſufficere non poſſit; hoc denique verbum ad beneficium hominis de viſceribus terræ focum producit, unde ſe nocturnis obſcuritatibus opponat: hoe de Cavernis Eoli ventorum rapiditatem velocibus alis inſtruit, ut & naves ad portum ſuum propellant, & aërem noſtrum eventilent, ne res ſpirationi noſtræ, dum ſine motu torpeſcit, contaminatus ſe ingereret. Hoc deſuper illi cælum vigilare facit, cum ſtellifero mundo, qui ad commoda noſtra multo ditius de ſinu ſuo quam theſauris argenti & auri nos profuſionibus & influxionibus ſuis beatificat: ad quod mentem ſuam dirigens Lactantius Firmianus, hominem,

De opif. Dei.

inquam, templum intuens, & Cuſtodem templi, ſic ajebat: *Sicuti mundum propter hominem machinatus eſt Deus, ita ipſum propter ſe, tanquam divini templi* (advertite Domini mei) *Antiſtitem, Spectatorem operum, rerumque cæleſtium.* Hæc maturius ruminate, & concludite ſi majeſtas ſtructuræ hujus, cum templo illo mihi præſcripto æquiparanda eſt, ubi David magnus ille Monarcha centum millia talenta auri, millena millia talenta argenti, quæ ad monetam noſtram reducta, quadringentos milliones auri, & duplicatum numerum argenti conſtituunt, reliquiſſe traditur; nec tamen ad ſublimitatem ſtructuræ humanæ hæc pertingunt, quippe quod homo in ditione ſua habet, Aurifodinas Gangis, gemmas Erythræi, adamantes Cypri, theſauros, inquam, orbis terrarum, atque ita: *Mundum propter ipſum machinatus eſt, hominem propter ſe.*

Sed ne forte extra centrum meum, deſcripſiſſe lineas, nec in dictione mea hyperbolicus videri poſſim, ut proportionem adæquatam in propoſito argumento meo hic explicare non intermittam, officii mei eſſe arbitror, proportionem inter orbem elementarem & humanum aliquatenus exponere. Vivum mihi ſuper hoc teſtimonium reddunt, inter alios Philo, &

De unitate Dei, & duplici Templ. Lect. antiq. l. 2. c. 22.

Cœlius, quorum primus ſic ait: *Mundus verè templum eſt Dei, cujus ſacrarium eſt cælum, in tota rerum natura præſtantiſſimum, cujus donaria ſunt ſydera, Sacerdotes, Æditui, Poteſtates Angelicæ:* ad confirmationem opinionis hujus adducit alter Gineſium, & Tullium, hujus autem ultimi ſequens eſt ſententia: *Mundus Dei templum vocatur, propter eos qui exiſtimant nihil eſſe Deum, quàm cælum ipſum, ideo ut ſummam potentiam Deus oſtenderet Mundum Templum vocavit.* Templum igitur hic mundus ingens eſt, in quo & hic quoque, magnificentia & ſublimitas Creatoris adoratur: qui pro lampadibus ſuis, duo habet luminaria magna & ſplendentia, in quo ſtellæ, vicem Angelorum obeuntes, ad cuſtodiam mortalium accurrunt, cum ſomnolentia & lethargo quodam ſopiuntur: ibi cum elemento ſuo proprio ſacri ignes admittuntur, animas juſtorum ſymbolo ſuo præfigurantes, dum tanquam innocentes flammæ fugientes de terra, in Cælo ſibi ſubterfugium ſuum quærunt. Aër in quo verba formantur non ſincratione Prophetarum ſimilitudinem denotat, qui in divino templo vitam novam fomentare populis ſatagunt: habet templum hoc aquam Sanctorum Apoſtolorum, Evangeliſtarum, & Prædicatorum, de quibus ſcriptum eſt; *effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini:* terram habet ſparſam floribus ſanctitatis, qui eam tanquam gemmis ubicunque condecorant, de quibus illud pronuntiatum eſt: *Salvete flore martyrum: florebunt juſti ſicut lilium:* Templum, in quo Verbum Dei *tonitrui* imitatur, *præparantis cervos.* Ubi gratia divina dum quandoque terrenæ felicitatis ſole in aprico urimur, tanquam nubes gratiſſima eſt, quærore ſanctarum inſpirationem nos tingit: In quo mundo denique mors grandinem figurat, tum cum nos tanquam flores eradicat, tanquam herbas truncat, & tanquam minutas ſtipulas nos colligit: Mundus, inquam, Dei templum vocatur.

Si ergò mundanum hoc ædificium, majeſtate ſua ſublimitatem Factoris ſui repræſentans, velut Templum ſacrum ſe elevat, ſit mihi licitum non iniqua comparatione, reliquas quoque inter Macrocoſmum & Microcoſmum æqualitates ſtatuere. Quiſque noſtrum, Domini mei, mundus eſt, in quo primùm quidem cum ipſo ſpiritu quatuor humores elementares occurrunt, qui eſſentiam noſtram nobis conſervant:

Spiritus noſter, tanquam perfectiſſima quinta eſſentia,ætherea qualitate ſua ſtellato elemento reſpondet: hic humores ſenſibilia appellari elementa poſſunt, dum ignem gerit in bile, aërem in ſangvine, in pituita aquam, in craſſiori, & ponderoſiori humore terram. Mundus quiſque noſtrum eſt, dum ibi, non minus quàm in illo altero metheorologicæ impreſſiones animadvertuntur. O quantum in excandeſcentia, & ardenti oculorum ſuffuſione, terror ſe fulgurum exprimit: illic eructantes de nubibus ignes, & fulminum ſplendor, cruditatibus ſtomachi, & tinnitu aurium figurantur: illic flatuum quoque, & ventorum ſæva tempeſtas, o quàm metuendo experimento ſe produnt! non illis nec pluviæ, nec pruinæ deſunt, frigeſcente pituita, quæ de capite in fauces, laryngem, & thoracem deſcendit, unde & ſputa craſſa, & rotunda typum habent glacialis grandinis. Æmulantur lacrymæ rorem, nam & hic auroræ planctus nominatur. Terræ motus ſat imitantur palpitantes, tremuli, & convulſivi ægrotantium motus. Hic quoque fodinæ inveniuntur, unde metalla, & lapides eruuntur, non ad conſtruendam, ſed ad deſtruendam domum, & templum; hinc veſicarum, & renum calculi fodinas mineralium in typo referunt: hinc brevi ductu calami id totum Laurentius ſic concluſit: *Igitur homo parvus mundus, miraculum magnum, ejusque ſtructura mirabilis:* non immerito itaque: *Mundus Dei templum: Templum Dei eſtis vos.* Sed quid hic agitur, quid tractatur, quid cogitatur, inter hos, & ab his Dominis? Nondum à temeritate narrationis meæ diſcedo, quamvis tam vaſtarum ſimilitudinum ſulcare velle Euripum, aliud non ſit, quàm cum Icaro emendicare præcipitium ſuum: ſed dum brevitati ſuccinctiori, quantum poſſibile eſt, me aſtringo, litoribus tantum radendis immorabor: ubi primo loco id mihi occurrit, quod ſicut Philoſophicæ, Mathematicæ, & Aſtronomicæ Scholæ docent, in univerſali videlicet compoſitione Cæli duos, & in Mundi pariter duos dari globos, vel horizontes, ſic in uno ſolum Hemiſphærio duos comparere mundos, magnum, inquam, & parvum, quorum hic neceſſe habeat diſpoſitionem ſuam ſecundum illum alterum accommodare & dirigere, non ſecus ac Pater ad filium: unde quidquid in hoc forinſecus ſe ſpectandum præbet, exterior quædam & theorica alterius anatomia eſt, ſpeculum terſiſſimum, in quo homo ad vivum ſimilitudinem ſuam poſſit deſumere. Formas & eſſentias easdem utrique circumferunt; interim dum proportione quadam analoga, id quod inviſibiliter latet in homine, viſibili ſe modo repræſentat in Mundo. Quis non novit Elementum omne in qualitate ſua ad perfectionem concurrere, atque ideo ſi in uno hæ qualitates apprimè cognoſcantur, alterius quoque notionem in promptu eſſe? Similia omninò dicenda ſunt, & Anatomiis, & eſſentiis, & metheoris, nulla invicem diſſimilitudine alia intercedente, quam formâ, atque ideo dum hæ qualitates, ſe in his illisque miſcendo confundunt, ubique dominantur: & ſicut in Macrocoſmo radices dantur Mercuriales, Metallicæ, & Mineralogicæ, ſecundum qualitatum diverſitatem, ſic & in microcoſmo variorum habituum, affectuum, & diſpotionum cauſæ ſunt. Ad Influxionum Luminarium & ſtellarum (unde ab Oeconomo noſtro famoſo in villa de Luna dictum eſt: *Quod non informat*) progerminant ſemina, excreſcunt plantæ, intumeſcunt aquæ. Ad operationem hominis influit, & concurrit Spiritus aſtralis, ei proprius, qui virtus informans eſt, dum cum hoc ab imaginatione, ad Realitatem progreditur, non aliter ac de maſſa ferri, & ligni ſtipite informi, ſculptor, vel faber formam trahit & viſibilem, & realem. De hoc inferri debet, eſſe hominem non omne aſtrum, ſed unicum ſolum, quod cum ſpiritu Mundi analogiam ſuam habet, & omne id quod ſubtus terram magna illa mater, natura univerſitatis includit, ſpiritu ſidereo dotatum eſſe, qui aſtrum, aut cælum nominatur. Id quod hominem quendam literatum in hæc verba impulit: *Quodlibet creſcens, & vivens fert ſuum proprium Cælum.* Hinc patet utrumque Mundum ſubſtantia ſpirituali & corporea ſtabilitum eſſe & compoſitum. Theophraſtus magnus ſic ſcripſit: *Curſus externi firmamenti cum ſuis conſtellationibus liber eſt:* ſic libertas iſta ampliſſimè homini erogatur & conceditur. De quo facile diſcitur, quales utrobique tam internæ quàm externæ qualitates inveniantur. Hæc eſt illa tot encomiis decantata Homerica catena, quæ homines ſimul & Deos ligat: hoc illud ſolemne matrimonium, quo Dea Opis cum cælo copulatur.

Crol. Præfat. Admonitor.

Parom. lib. 2. de Orig. mundi.

Hi ſunt annuli myſterioſi Platonis, & Gygis, quibus inveſtigandis accurrerunt Gymnoſophiſtæ Ægypti, cum ſe magis in his ſylvarum obſcuritatibus intricârunt, tanquam in penetralia ſacra Philoſophiæ intruſi, peregrinantes ad Columnas Herculis usque; inter quos Hermes erat, & Brachmanni, & Pythagoras, & Plato, & Apollonius, & tot inſuper alii. Porrò hæ proportiones manifeſtius patebunt, ſiquidem placuerit Macrocoſmi tria conſiderare principia univerſalia, quæ ſunt, materia, forma, & privatio: quorum intelligentiam ſagaciſſima Philochymica diligenter conſequitur, in Sale ſuo, Sulphure, & Mercurio, quod idem eſt, ac Spiritus, corpus, & anima: omnia autem hæc tribus potentiis animæ vitalibus correſpondent, & ſicut hæ, ita & illæ unico corpori includuntur. Cognata vero ſibi ſunt, tanquam activitates ſibi invicem correſpondentes Sal terræ, Sulphur igni, aqua Mercurcurio, Spiritus aëri. Et non niſi univocæ dici poſſunt proportiones ſe invicem conſequentes, hoc eſt: in homine aſſimiliatur anima elemento ignis, utpote quæ

cæleſtis & activa eſt: partes ſolidæ & ſpermaticæ terram referunt: humores fluidi aquam: & ubi vacuum apparet & ſubſtantia deeſt, aërem: atque ita omne ſemen Oeconomiam Mundi æmulatur, adumbratam demonſtrando analogiam elementorum, dum hæc in omni re potentia, & actu concurrunt. Ex his deducitur dictum illud: ſemen eſſe Aſtrum Informans; nec unum ſine altero, tanquam extra centrum ſuum nativum, ad operationem validum eſſe: Portentoſæ in utriſque virtutes ſunt magneticæ, in quibus admirabiles illæ & exoticæ attractiones advertuntur, Magnetis in ferro, Remoræ ad navem, ſic dictæ *Uſneæ* ad conſolidanda vulnera, olivæ, & quercûs ad fodinas auri, ſalamandræ ad focum, hederæ & lauri, quæ contritæ ignem accendunt, & his ſimilia: quæ virtutes in homine quoque ſe notabiliter produnt, interim dum Spiritus ad ſtudium diſciplinæ, & hujusmodi res alias ſe impendit; elementares verò qualitates circa materialia verſantur, idque mediante appetitu corporeo. Spiritus ſuperior hominis, tanquam ſydereus, ad artes, & ſcientias, & facultates ſpirituales ſe extendit, ad quarum adeptionem toto cordis deſiderio fertur. Admittit Aſteriſmus hic ſpiritualis ſympaticus qualitatem elementarem in cælo, quemadmodum & ſtellæ: & ſicut illæ, ita & hæ Quintæ eſſentiæ appellari poſſunt.

Sed quis unquam, Domini mei, quis de Hybla & Hymetto favos omnes, quis de Pæſto roſas, de Pancaro flores omnes collegerit? numerentur, ſi ſic fieri poteſt, & notentur lynceis adeo oculis in hoc Mundo quot ſint montes, & valles, & fluminum lapſus vel cataclyſmi: quot rurſum urbes, caſtella, prædia, quot arbores, plantæ, ſtirpes, virgulta, quæ diverſis in locis vel plantata ſunt, aut in altum conſurgunt, aut delabuntur, aut dilatantur, aut ſerpunt, aut vadunt, aut revertuntur. Exponat nobis quicunque volet, etiam inter Anatomicos perfectiſſimus, quomodo in mundo noſtro, Domini mei, quomodo ſe invicem ligent, extendant, & reſtringant quadringenti & amplius muſculi, membrorum motui deſtinati, pari ratione quomodo triginta ſeptem nervorum paria ſibi invicem cohæreant, quorum ſeptem de cerebro, triginta de medulla ſpinæ dorſi eadem omnino conditione derivantur, dumque ſe diſtendunt in infinitos ſurculos & ramos ſcinduntur, qui per univerſam corporis maſſam proſerpunt. Quis vero & venarum, & arteriarum unamquamque, quæ ſe invicem fidiſſime & inſeparabilirer undequaque comitantur, diſtingvat? Quis tam feliciter vela ſua expandat, ut non in ſcopulum quendam erroris impingat, dum duo ſangvinis maria ſulcare voluerit, quæ per hunc microcoſmum decurrunt, ita ut jure merito comparari poſſint mari fuſili, quod in Templo olim Salomon expoſuit: de utroque autem ſangvine, quoniam hic quidem craſſior, alter ſpirituoſior eſt, qualiter hic ad animales operationes exequendas proclivis ſit, ille ad nutrimentum ſimplex. Quis innumerabiles rivos, & exigua flumina, quis canales, qui quaquaverſum diſperguntur, & humanum corpus transſudationibus ſuis adimplent, exequi digne valeat? Percurramus, ſi ſic nobis videtur, cartilagines omnes, quæ tanquam oſſa mollia ſunt, & flexibilia, tenacia itidem ligamenta, quæ juncturas membrorum copulant, tum vero & tendines, & membranas, & pelliculas, fortiſſimas proinde, quantumvis ſubtiliſſimas fibras, unde ſpiritus, & attrahitur, & retinetur, & relaxatur: tot porro carnium maſſas quarum parenchymata & ſubſtantiæ tam diſſimiles, contrariæ, & diverſæ, & tam varia ſunt cujusque eorum officia. Scrutemur varietatem medullarum & pingvedinem, quibus uncta membra & mobiliora, & læviora fiunt, & in operatione ſua promptiora: Indagemus, ſi nobis liberum eſt, humores terreos, denſos, igneos, ſubtiles, aqueos, aëreos, transparentes, opacos, qui in vaſis ſuis includuntur, & diſperſi ſunt. Numeremus, & quantum placet ſolidiores penetremus materias, earumque & ſtructuram, & ſitum diſcutiamus. Ducenta & amplius oſſa ſunt, quæ tanquam Architrabes & Cornices ſuſtentant & fulciunt ſtructuram noſtram, non ſecus ac in Templo illo ſuperiores fornices columnis ſuis innixi erant, ita & corporis noſtri machina fulcimentum ſuum habet. Plus quam humanam intelligentiam eſſe dixerim, quæ penetrare noverit poſituram ſtipitum, & transverſarum vel clavicularum inarcaturam; jacentium vel erectarum ſitus; qualiter ſe cranium in ſphæram ſuam extollat, qua ratione ſe vertebræ vel ſpondyli innodent: quæ buſti totius inarcatura ſit, quantum neceſſitati congruum eſt; porro oſſium, quænam indurata ſint, & ut ita dixerim, ſaxatica, quænam rara, quæ lævia, quæ ſpongioſa, quæ terebrata foraminibus, quomodo ſe ſuturæ committant, non ſolum invicem junctæ, ſed altera in alteram inſerta, ſe invicem finibus ſuis & extremitatibus innectant. Quis oculis ſuis etiam aquilinis cavitates univerſas humani corporis, templi hujus, penetravit, cum tot numerentur, quot ſunt per conſtitutionem membrorum & conchæ, & canales, & ut ita dixerim imbrices, & conductus, partim perforati, partim cæci: hinc antra, & cavernæ, quarum una alteram ingreditur, & in interiora protenduntur, ut inde ſuperfluitates percolatas transmittant, & expurgent: illinc cavernæ maximæ, ubi ſonitus reverberatur, & auditus formatur. Quis mente concipiat, qualiter infixi ſint oculi, plantati dentes, committantur maxillæ, nares protuberent? Si vero ab internis hiſce conſiderationibus, ad extrinſecam templi hujus apparentiam declinare mentem noſtram placuerit, cum coronato Cythariſta fatendum nobis erit: *Filiæ eorum compoſitæ, &*

circumornatæ ut ſimilitudo templi. Extra comparationem omnem eſt, quidquid comparatur, ſi cum illa, ſymmetria, & corporis humani partis ad partem æquabili proportione conferatur: ubi tanta aptitudo, tanta venuſtas, tanta congruitas, gratia, & decor, aliæque inſuper dotes, quæ machinam iſtam condecorant, & exornant, ut apud nosmetipſos non immeritò ſtatuamus, Altiſſimum Deum nil tam illic ſibi propoſuiſſe, quam ut fabricam elegantiſſimam, & pulcherrimam redderet. De his ponderato judicio ſententiam ſuam Tertullianus dedit, dum ait: *Recogita Deum totum in illo occupatum, ac deditum manu, ope, conſilio, ſapientia, & ipſum in prima effictione, quæ lineamenta ducebat:* & poſthæc admirabili conſequentia periodum ſuam concludit: *quandocunque limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo faciendus.* Cum ergò nos divina dextera tam provida, tam ſagax, cum tanto conſilio, & induſtria formaverit, non mirandum hanc prærogativam & dignitatem noſtram, etiam à Paganis intellectam fuiſſe: Unde Pythagoras hominem, magnam nominavit menſuram rerum omnium: Plato & Theophraſtus exemplare Univerſitatis: Sineſius corporeum, & incorporeum horizontem: Tullius facturam divinam conſilio & ratione præditam: Plinius Epitome naturæ, illiusque delitias: & verſatiſſimus Laurentius. *Alii,* inquit, *Auguſtum Dei templum, & ſimulacrum dicunt, ut enim in numiſmate charaſma Cæſaris, ſic in homine Dei imago conſpicitur.* *Ex Anatom. Laurentii.*

Sed ecce ſenſim ſine ſenſu, de materialibus ad ſacra transferor, de atrio ad medium, & de hoc ad Sacrarium, Propitiatorium, & Tabernaculum templi mei animati, in cujus penetralibus Deus ipſe adoratur. Verum hic ego tot ſplendoribus victus, & inacceſſibili luce imaginis Dei caligantes habens oculos, non ſecus ac Agenor olim aut Harpocrates, impoſito ori digito, adorare Deam iſtam debueram: aut in morem ſupplicis publicani prona in terram facie proſterni. Quem verò latet usqueadeo copioſo lumine ex alloquio divino inclaruiſſe vultum Moyſis: *ut non poſſent intendere filii Iſraël in faciem ejus propter emicantem inde fulgorem.* Hæc ergo dignitas hominis cum maxime ſuſpicienda ſit, & quamvis cum Romano Oratore ipſa me argumentorum gravitas, & abundantia pauperem faciat, nonnihil tamen etiam de hac mihi dicendum eſt. Levabatur illic in templo jam deſcripto altitudine & longitudine viginti cubitorum murus, qui ex una parte exquiſitiſſimis ſaxis compoſitus, & quantum quidem ars & natura poterant, elaboratus, reliquum omne luciđiſſimo auro coopertum erat, quod radios Solis æmulabatur: illic penes duos Cherubim de oliva ſculptos altitudinis decem cubitorum dominabatur altare, & ipſum totum deauratum, coopertum propitiatorio, vel ſacrario, in quo cum ſolemni pompa locanda erant & arca & manna; ſuper his duo Cherubim erant, quibus veſtimenta quaſi per commotum aërem fluctuare dixiſſes, quæ & ipſa quoque deaurata reverberato lumine ſplendoribus ſuis præſtringebant intuentium oculos; interim dum palmarum variæ figuræ, & ſecundum debitam proportionem flores in parietibus his, & ipſi auro radiantes germinare, & vireſcere ſpectabantur: nec verò infecundi, dici poterant, aut ſteriles, quibus in aurato Solo radix figebatur. Hîc potiſſimum divina emicabat, & fulgebat majeſtas. Huc precantium verti oculos, hic feriri oportebat. Hic igitur & ego, Domini mei, pedem tantiſper figo, & non ſecus ac Oraculum & Sacrarium digniſſimum famoſiſſimi Templi mei, humanam animam admiror, quæ à Sacris Theologis viris Compendium univerſæ creaturæ nominatur, omnium rerum totum aliquod, non ſecundum materiam, prout volebat Empedocles, ſed ab ipſis Platonicis Androgyna dicta, propter quod omnium ſpecierum receptaculum ſit, oraculum elevatiſſimum, quod ſupra omne mundanum objectum extollitur, ab omni mixtione, & corporea forma purum: quæ tanquàm apodes hirundinum genus, ſupra nubes volando, ad illam regionem, unde genus ſuum traxit, aſpirat: Hæc generationem nullam admittit, & quamvis ad productionem aliquam in ſubjectis concurrat, de potentia tamen ſua nunquam extrahitur, quippe quæ perfectionem impertit ſubjecto, ipſa individua in ſemet permanens; ubi aliæ formæ vel creſcunt vel diminuuntur, aut cum objectis ſuis dividuntur, ipſa tota in toto eſt, & tota in qualibet ſui parte. Eſſentia ipſius immaterialis eſt, cum materia aliud non admittens, niſi quod ſe illarum ſpecierum capacem reddit: Ærarium grande, quod omnium Idearum, quæ ſe ei præſentant, in ſe numerum continet: ab omni contagione mortali libera; nec ipſum adeo contrarium rejiciens: ipſa ſola de Incorporeitate gloriatur, quæ idcirco locus ampliſſimus, & promptuarium omnium objectorum appellari poteſt: in ſumma prout magnus ille Peripateticus ſentit: *Anima eſt quodammodo omnia.* Hoc ergo Propitiatorium majeſtate plenum, hic 30. *De Anima.*
cæleſtis character, hæc ſcintilla Solis, à divino Prometheo in pectus Adami protruſa: quæ ſecundum Platonicos in meditullio eſt rerum omnium, habens ſupra ſe Deum, & intelligentias cæleſtes, ſubtus ſe qualitates corporum, cum utrorumque particeps ſit; & intellectu, & origine, & æternitate, & cognitione & imaginatione ſua, & beatitudine, aliisque ejusmodi ſibi cognatis attributis naturæ Angelorum vicina eſt: in qua verificatur illud Davidicum jam præfatum: *Minoraſti eum paulò minus ab Angelis.* Tollitur verò in altum hoc ſublime ærarium in mente noſtra, & in corde hominis hoc propitiatorium ſacrum ſupra alas Cherubim, nam & hæc utraque ſeraphico ardore ab operatione ſua nunquam deſiſtunt: natura videlicet,

& Tempus, unum ſucceſſione tempeſtiva, & inſtantanea, prout poſtulaverit occaſio; alterum in perpetuo motu dorſum ſemper alatum gerens, niſi quod imperio hujus remorantur curſum ſuum, volatum ſuum retardant, & pennas ſuas reſtringunt. Sedet ipſa Monarcha excelſiſſima, & abſoluta Dominatrix ſupra colles honoris, & immortalitatis elevatos, & pedibus ejus ſubſternuntur peripetia fortunæ, & casûs; viciſſitudines humanas ridet, & ludibrio habet, ſceptra confringit, conculcat regna, projicit coronas, imperia nationum terræ deludit: ſi infremiſcunt auſtri non triſtatur, ſi aquilones ferociunt non angitur, in hoc mari terrenarum amaritudinum læta velificat, & ſecura paradiſi portum ingreditur: de hac immunitate & libertate animæ Panarii muſa lyrica, ſvaviter canebat:

Innocente di Cor, di colpe ſcarco,
E non impallidiſce, e non paventa
Se tuona Gioue, e ſe ſaëtte aventa
Del giuſto Ciel inevitabil arco.

De beatitudine B. Pacifici.
Hunc ſenſum plus ad vivum Nyſſænus ille magnus expreſſit, cum ait: *Excedit homo ſuam ipſius naturam, immortalis ex mortali, ex fragili atque caduco, integer, incorporeus ex Diario, atque temporario ſempiternus, in ſumma Deus ex homine evadens:* faciens id, quod Alexander: qui cum totius Aſiæ imperium ſibi acquiſiſſet, idipſum optimatibus ſuis ſine diſcrimine diſpertiit: interrogatus, quid ſibi reſervaret, *ſpem, meam*, inquit: totum hoc eloquenter Tirius Maximus: *Philoſophi ſpectaculum*, ait, *ad inſomnii ſimilitudinem, ſimilis eſt homini, cujus integro corpore manente, animus tamen extra terram effertur in cælum: terram ambit cum ſole, cæterorum aſtrorum jungitur choro, minimumq; abeſt, quin unà cum Iove cuncta gubernet, atque ordinet; ò beatam peregrinationem! ò ſpectacula pulchra! ò inſomnia digniſſima!* non aliter ac ille magnus morum magiſter in infelici regione Corſicæ, animam inter ſtellas habens, ajebat: *ad cognitarum rerum conſpectum, tendentem in ſublime cum ſemper habeam animum, quantum refert mea, quid calcem?* Anima qua ſe taliter ab terrenis vilitatibus in altum levat, non eam dixerim & naturam, & tempus ſupplantare pedibus ſuis? Confundantur invicem, quantum volent tempeſtates anni, intorqueant ſe flumina, ipſi adeo montes per mare ad portum ferantur, *non commovebit juſtum quidquid acciderit ei:* ait Spiritus Sanctus. His ſpeculationibus immorati Græciæ Sapientes, Sacerdotes Ægypti, & antiquiſſimi populorum Caſchi, prout refert Romanorum Orator, & Laërtius, mirum non eſt, ſi & ipſi, quantumvis ſcientiarum noſtrarum adhuc incapaees, animas noſtras immortales eſſe dixerunt? quocirca tam Pythagorici, quàm Platonici eas poſtquam corpus ſuum abjeciſſent, ad univerſalem mundi animam, in qua Deum denotabant, reverti docebant; prout id Virgilius inſinuat:

De conſol. ad Helued. — *In Tuſcul.* — *4. Georg.*

- - - reſoluta referri
Omnia, nec morti eſſe locum, ſed viva volare
Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cælo.

Affirmabat Empedocles vitam hanc exilium eſſe, de quo ſoluta animà, ad ſphæram ſuam naturalem reverſura ſit: Docebat Plato, animam cum à vinculis hiſce corporeis expedita fuerit, & in campos Eliſios pervenerit, oblivionis calicem haurire, nec deinceps miſeriarum mortalis incolatus ſui meminiſſe: quod cum illo concordat: *ſecuros latices, & longa oblivia potant.* Aſſerebant Stoici hanc particulam flammæ eſſe, quam de proprio ſuo pectore, tanquam de grandi foco mundi, & de cælo, ſupremus Numinum Jupiter diſpenſet: hac ſpe ſemetipſum palpans Amorum ſcriptor ajebat:

In fine Metamorph.

Ore legar populi, perque omnia ſæcula fama,
Si quid habent veri Vatum præſagia, vivam.

Hæc veterum commenta cum allegoricis intelligentiis ſuis, quamvis fabuloſa, non omnino rejicienda ſunt. Et dum in eodem intellectu Amator Lauræ ſic de illa cantabat: *dolce mia fiamma tra le belle, bella*, nonne Anima noſtra hujus Templi Sanctuarium eſt, quæ plus quam illud, quod manna virgamque includebat, in ſe continet: dum tribus vitalibus potentiis prædita eſt, & cum ſit ſola & unica in uno corpore, non obſcuram, ſed manifeſtam, & adæquatam præſefert ſimilitudinem Triſhagii illius ſanctiſſimi, ubi in perſonarum Trinitate, una Deitatis adoratur eſſentia? Præterire velle, Domini mei, ſubjectum tale, non aliud eſſet, quàm defraudare animam præcipuo charactere, dignitate, & officio ſuo, nec minus etiam eſſet principali argumento, diſcurſum ſuum ſequentem minorem reddere. Medemini obſecro vos, cum ſublimitate ſubjecti hujus, tædio prolixitatis meæ: non poſſum inprimis cum doctiſſimo Laurentio, quin ad iter me accingam, dicendo: *Lucet in eo imago Trinitatis: ſed cur animæ eſſentiam deſcribere audeo, cum planè divina ſit, de divinis autem dicebat Simonides poſſumus tantum dicere quid non ſint.* De his nihilominus ampliſſimis fontibus ut ſtillam aliquam, Domini mei, in doctiſſimas mentes veſtras derivem, id ſolum repræſento: quod ſi divina mens ſemetipſum neceſſario cognoſcens, conceptum ſuum imprimit, verbum inquam,

De Anatom. ut ſup.

inquam, intellectus quoque de cognitione ſua, quam de objectis haurit, expreſſionem verbi ſui format; ſi præterea in intrinſeco ſuo ſe Pater & verbum diligunt, producunt, & ſpirant perſonam tertiam, ſpiritum videlicet, vel diviniſſimum amorem ſuum, qui ab utroque procedit: hîc quoque concurrente intellectu, & voluntate tertium quoddam egreditur, ab utroque derivatum, quæ reminiſcentia, vel memoria nominatur. Hæ accidentales inhærentiæ correſpondere nihilominus dici poſſent ſubſiſtentiæ eſſentiali Amoris & Verbi divini, quæ jure metito hypoſtaſes appellantur: Et quomodo iſtæ ſoli ſubſtantiæ uniuntur, ita & hæ in accidentali relatione impartibili colligantur. Illic verbum per viam intellectus producitur, ſpiritus per viam voluntatis, in tribus tamen perſonis unus ſolusque intellectus eſt, una voluntas: pari modi & hic beneplacitum intellectionis, quod ab intellectu derivatur, attrahit voluntatem, ut ſe comitetur, & in uno ſolo compoſito hæ potentiæ inveniuntur. Et quanquam in divinis actus voluntatis & intellectus, ad perſonas diſtinctas terminentur, unum nihilominus ſunt, dum una cum alterius intellectu intelligit, & hæc cum illius voluntate velit, ſic & hic, quamvis vicibus ſuis diſponant intellectus, memoria, & voluntas, dum in compoſito uno inveniuntur, tres nihilominus diſtinctas ſortiuntur potentias. In divino illo Triumviratu, quamvis harmonia oppoſitionibus relativis exurgat, de paternitate, ſpiratione, & filiatione, non ſecus ac organica harmonia de oppoſitione vocum, altæ, profundæ, & mediocris; ita & hic reminiſcendo relationem habent invicem intellectus, & voluntas. Si in Deo Pater propter dignitatem priorem ſibi locum vindicare videtur, inter ſe nihilominus, nec majorem nec minorem gradum admittunt: ita & hic quamvis intellectus priorem ſibi officii locum adſciſcere videatur, nihilominus in eſſentia ſua majores vel memoriæ, vel voluntatis actus non excitat, juxta illud Ariſtotelis axioma: *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Hoc igitur ſtabiliatur, lucere in anima imaginem Sacro-Sanctæ Trinitatis.

Hæ proportiones, Domini mei, ab intro ſunt, & in formalitatibus ſuis intrinſecis: *Ex Croll. Baſilica chymica.* quod ſi verò etiam ab externis objectis ſimilitudinem aliquam deducere placuerit, Ariſtotelico fundamento nixi, unà cum doctiſſimis obſervatoribus, hanc rerum Trinitatem, in una eſſentia ſola deprehendemus; atque ut earum unam tanquam in tranſitu tangamus: Anima eſt, quæ cum homine ratiocinatur, ſentit cum animalibus, vegetatur cum plantis, & nihilominus non niſi una eſt anima, quæ naturæ & Angelicæ, & corporeæ particeps eſt, & cum identitate ſua Trinum compoſitum quoddam conſtituit, cumque ipſa habitaculum Dei facta ſit, non poteſt, quin etiam, dum ad ejus ſimilitudinem fabricata eſt, attributorum ejus omnium particeps ſit. Cum tribus illa mundis communicat, Archetypo, Angelico, & elementari: ſic cum primo conjungitur, facta ad imaginem ejus, particula animæ divinæ, dum in nobis Deus ſemen aliquod de effigie ſua expreſſit: quemadmodum Echo, quod de longinquo repercuſſam per aëra vocem reportat: unde & magnus ille Oſvvaldi Expoſitor concludit: *Mens elevata in Deum altiſſimum, cum ipſa unita converſatur cum Deo, & eadem opera efficit, nec reperitur in homine ulla diſpoſitio in qua non fulgeat aliquid divinitatis.* Symbolicam paritatem habet cum Angelis, & hic ratione corporis inviſibilis: tum etiam ratione amicitiæ & converſationis cum iisdem: utpote ſapientiæ illorum compos, unde cum firmamento, & ſtellis convenientiam habet, & hæreditatem quandam, de quibus corpus ſidereum, aſtrale & ſpiritale conſequitur, in quod caro & ſangvis non ingreditur. *Et ſicut aſtra* (diſcurrendo proſequitur ſupra citatus) *regunt hominem in ſpiritu, ita ſpiritus hominis regit corpus in carne, & ſangvine.* Denique de elementis quoque participat, dum ab eorum qualitatibus corpus phyſicum, terreſtre, & mortale recipit, in ſe, prout grandis Paracelſus notat, peregrinas quatuor habens, præfatas, inquam, qualitates: ſic cum catenis his colligantur quinque ſenſus, qui cum imaginatione quietantur. In ſumma demum communicat cum animante elementari, cum vegetabilibus, & mineralibus cunctis, quorum naturæ bene poſſeſſæ, & notæ ſunt. *Ergo homo* (ſic memoratus ille ex his definit:) *ultima creatura præſtantiſſima, & nobiliſſima, quia totius mundi partes habet, & nihil eſt in hoc majori mundo, quod in homine realiter non reperiatur.* Filius Patri quam ſimillimus, miraculum naturæ, nucleus elementorum quatuor, ſumma Dei cognitio, conſummatiſſimm exemplum muundi, templum animatum in hac mortali carne, *quod neque angelis, neque mundo neque cuique creaturæ datum eſt, niſi ſoli homini, poſſe S. Filium Dei fieri, & uniri Deo*, concludit magnus Crollius: & ſicut Altiſſimus unus in eſſentia eſt, Trinus in perſonis, ſic unitatem corporis admittit homo, ſed in potentiis tribus diſtinctus eſt, de corpore inquam terreno, & ſpiritu æthereo, & anima vivificante. Hunc ergò hominem tripodem aureum dixerimus, quem Idololatræ & Soli & Herculi contraſtare tradiderunt: homo trigonum, vel pentagonum illud eſt, quod ubicunque, & quocunque ceciderit in pedes ſuos erectum eſt: hic Mercurius in trivio poſitus eſt, qui rectum iter demonſtrat: hic Deus Phidius eſt, qui à ſamnitibus olim cum tanta veneratione colebatur: Compoſitum in quo jure merito *lucet Imago Trinitatis*, Propitiatorum, & oraculum de auro puriſſimo.

Hic

Hic ego, Domini mei, pedem figo, dum profundius in abyſſum meritorum; & valoris tanti penetrare nequeo: & nunquid non jam ante præfatus ſum, futurum ut ſub onere tanti Argumenti fatiſcerem, obcæcatos habens de tot ſplendoribus oculos? Reſtat ut ob oculos quoque veſtros ſtatuam, quantum ſupra omne ſublime ædificium terreſtre ſimulacrum hoc elevetur, quod eousque ſuperat, quantum meridiana lux Cymmerias tenebras. Omitto quia tempus me deficit Vaticanam molem, cujus pondere opprimor, & quam moderni omnes admirântur, unde & Concivica muſa mea canebat:

Achillini.

Che il gran Tempio, ove Pietro oggi ſi cole
Tant' alto s'erge ad ecliſar quel ſole,
Che ſpira in mezo alla pieta ſpaventi.

Non hic pietatis Chriſtianæ opera commemorabo, quæ ad gloriam Dei Theſauros ſuos profudit, & fodinas montium metallis ſuis depauperavit, & ſupradictas magnificentias, & ſublimitates æmulata eſt: potius hodie in conſiderandis iis conſtringor, quæ de longinqua memoria ad nos usque derivata ſunt, atque idcirco plus curioſitatis habent, intuendo quantum *lib.3.cap.25.* pietas Paganorum potuerit. Æthiopia mihi, & Græciæ Plinius apud fontem Cyzicum Templum demonſtrant, ubi induſtrioſus Artifex inter politiſſimas petras filum auri conduxit, idque ut coronaretur, in puriſſimo marmore ſculptus Apollo de ultimo harum petrarum ſinu elevabatur. Semiramis animum & virtutem virilem potius quàm femineam pectore gerens, in medio Cyrci Babylonici erexit Belo vaſtiſſimam molem, cui tres in faſtigio maximas impoſuit auri ſtatuas, Jovis nimirum, & Junonis, & Opis, hæcque poſterior ſede inſuper aureæ *Diodor. l.1. c.4.* inſidebat, ad cujus genua pronum contortumque ſpectabatur par leonum, & par ſerpentum de argento: hic prout Diodorus refert, recenſitis ſimul calicibus, & lancibus valor ſeptingentorum auri talentorum Gelo Syracuſanus Cereri & Proſerpinæ molem dedicavit, valoris in- *Idem lib.22. cap.1.* numeri: cum tamen victus diurnus tanto pretio compararetur. Roma mihi in ſolis adeo fundamentis Templi Jovis Capitolini Tarquinium ſuperbum demonſtrat, qui ad eadem ipſa collocanda quadraginta millia argenti talenta erogavit: quod opus poſtea à Domitiano conſummatum fuit, ubi in ſola parietum deauratione decem millia impenſa ſunt. Exponi *Plutarch. in vita Publicolæ:* condignè nequeunt theſauri immenſi quos Nero in obeliſco illo grandi exhauſit, qui domus auri appellatus fuit, hic enim lucidiſſimis, & terſiſſimis petris conſtructus, divinas quodammodo divitias fulgurabat. De univerſis terræ partibus confluebant populi, viſuri cum ſtu- *Plinius l.36. cap.2.* pore ſumptuoſam illam machinam à Veſpaſiano erectam Paci poſt victoriam, cum tanta celeritate obtentam, ut omnem cogitationem humanam tranſcenderet. Tot hiſtoriarum volumina nobis miraculorum omnium maximum, celebratiſſimum illud Dianæ Templum deſcribunt & depredicant, ad quod conſtruendum per annos ducentos & viginti quidquid pretioſum & rarum in Aſiæ portus tam celebres invehebatur, pro impenſis conſumptum fuit: ubi in longitudinem, & latitudinem immenſam erant centum & viginti columnæ, de totidem fortiſſimis regibus erectæ; præter hæc & portis omnibus, de cedro, & cypreſſo fabricatis gloriabatur: & ſimulacrum Deæ Tutelaris illic ex puriſſimo ebore elaboratum apparebat. Dagobortus Rex Franciæ piiſſimus Templum S. Dionyſii totum argento texit, ibique fere- *Volum.2. num.7.* trum totum ex auro collocavit, ſi Nauclero fides adhibenda eſt. De antiquiori memoria Joſephus nos docet, profudiſſe Iſraëlitas ad Templum Moyſis, bis mille, & quadringentas phialas auri, ſedecim lances de eodem flavo metallo hoc, & conſimilia vaſa ad centum viginti. Video denique, qualiter piiſſimi Imperatores ad Templorum tributa contulerint theſauros valoris immenſi, Juſtiniani, inquam, Fauſtini, Childeberthi, Michaëles, Bonifacii, Caroli, & Manni, & magni, Anaſtaſii, Aureliani, & Titi, & intra gentiles Darii, Alexandri, Cyri, Antiochi, Xerxes, Agrippæ, & alii, his conteſtantes, in quanta ſibi veneratione religionis cultus eſſet, exotico & ſtupendo teſtimonio liberalitatis, quæ de his Poteſtatibus monarchicis proceſſit. Hæ nihilominus pompæ univerſæ ſimul junctæ, & collectæ, ſublime illud & plenum majeſtate Templum humanum non tranſcendunt, ubi Anima reſidet, quæ valorem auri tantum exuperat, quantum ſtellæ nocturnam facem ſplendoribus ſuis excedunt. Hæc, ſicut ſupra memoratum eſt, univerſa illa ſuperiora ſimul ligat, amplectitur, in compendium redigit, & conſtringit, cum ſit *quodammodo omnia & Deus ipſe*, repræſentans Deum trinum & unum, cujus cum coronatus meus Cantor meminiſſet, ajebat: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.*

Sed aliquando tandem, Domini mei, cum ultra in hoc mari immenſo velificare nequeam, ne forte cum Democrito cadam in indagine tantæ veritatis obcæcatus, aut cum Palinuro in undis, qui ad navigationis perfectionem Argum quærebat, & Jaſone magis expertum, hic ad litus aliquod appellere cogor. Hic ergo anchoram jacio, hic vela colligo, & hic opportune ſe mihi quadrata petra offert, cui rudentem, non ultra hoc mare magnum navigaturus, aſtringo. Non miramini, obſecro Domini mei, ſiquidem in hoc ultimo loco mihi de quadrato ſermo eſt, hic enim mihi & Domus & Templum Salomonis occurrit. De hoc *3. Reg. 6.* ſic dicitur: *fecit in introitu Templi poſtes de lignis olivarum quadrangulatos*: de domo autem, in quo

quo tamen etiam Templum comprehenſum eſt, ſic ait Scriptura: *omnes iſtæ domus ex lapidibus pretioſis erant factæ, & erant lapides ad eorum menſuram quadrati.* Ejusdem formæ Templum erat, quod illic in Babylonia ſuperſtitioſo cultui & Idolo Belis conſtructum fuit, de quo Herodotus: *duorum undecunque ſtadiorum amplitudinis, formâ quadratâ.* Hæc mihi figura ad propoſitum meum ſerviet, ut de ſituatione Templi mei animati nonnihil afferam, quod utique *lib. 1.* ad complementum orationis hujus me facere oportet, niſi totam imperfectam voluero. Scio non defuiſſe inter Sapientes qui compoſitum humanum circularis figuræ deſcripſerunt, in hac enim formâ circumagi ignem, imo & cælos intorqueri: idque ut Sineſius exprimeret: hominem horizontem magnum appellavit: præſertim quod ſecundum Mathematicos, figura rotunda perfectiſſima ſit: ſicut & cylinder, qui lineas *in unum omnes* conducit. Gloriabatur de hoc Virgilius dum ajebat: *Securus mundi inſtar habens, teres atque rotundus.* Et Alexander ſcriptum reliquit, ſolem in figura rotundæ petræ adoratum fuiſſe, quæ ſupra *Cartari.* lignum collocata erat. Sic in Platone ſuo Marſilius Ficinus: *Circulus quidam*, inquit, *in ſe ipſum animadvertendo reflectit.* Hoc idem fortaſſe per allegoriam in Saturno & Jano figuratum fuit, dum ſerpentem manu tenebant, qui extremitatem utramque uniebat, unde circulus perfectus exprimebatur. Sic de ipſa adeo poſitura noſtra corporea magnus Laurentius inquit: *quin etſi inter expanſos pedes menſum concipias, itemque inter manum & pedem, utrinque perfectum* *In anatom. ut ſupra.* *habes circulum, inſcriptum quadrato.* Et ecce præterire non potui, quin, cum pace veſtra Domini mei, ad figuram quadratam transirem, de qua primo loco Simonides ſic ait: *Bonum virum eſſe difficilem, manibus pedibusque quadratum.* Obſecro vos Domini ſit mihi per vos licitum de circulari ad quadratum me vertere, ſi & ipſe oculus, prout expertiſſimi & doctiſſimi Optices magiſtri docent, in circulo æqualis diſtantiæ angulos obtuſos denotat, tanquam quadratum eſſet: dixit illud Lucretius:

Quadratas procul hinc turres cum cernimus Urbis,
Propterea fit uti videantur ſæpè rotundæ.

Sub hac igitur baſe ſe erigunt & Mundo dominantur Natura, & tempus, omnes creaturæ viſibiles, & hoc elevatiſſimum templum: pro tali illud profeſſus eſt Plato in Protagora ſuo, præcepit illud in Rhetorica ſua Ariſtoteles, in Ethica approbavit: Julius Cæſar hoc titulo Marcum Antonium decoravit, idque jure merito, quadratum enim quocunque projectum fuerit in pedes ſuos erigitur; ita & homo rectus ad omnem fortunæ adverſantis eventum in firmitate ſua perſiſtit. Pythagoras magnus ille Philoſophus appellari hominem *Quaterna* voluit, eum non niſi quaternario numero compoſitum dicens, idque propter quaternorum elementarium humorum qualitatem, ex quibus organizatus eſt. Conſimile Quaternarium, *de Philoſophando.* ſecundum Plutarchi ſententiam, in anima eſt hominis, quod in mente, in ſcientia, in ſpeculatione, & in ſenſu conſiſtit. Sic Lumen illud ſcientiæ hanc propoſitionem diſcipulis ſuis inculcavit, ut numerum hunc inter Deitates recenſuerint, & in tantam venerationem tranſierit, ut per hunc jurare in more poſitum habuerint. Vixit, & vivet ſemper glorioſiſſime auguſtiſſima illa Regina, & Mundi Metropolis Roma: quia ſecundum mentem Plutarchi, Solini, & Taciti, in forma quadrangulari à Romulo primitùs conſtructa fuit: unde famoſus eſt ille verſus ab Ennio adductus, & à Scaligero *Equis exter erat Romæ regnare quadrate?* Hæc lumina de grandi illa lampade literarii Maris Auguſtino Maſcardi mutuatus ſum, qui rationem *Tabula Cebetis.* adducit, cur in tabula Cebetis Sapientia ſupra quadratam petram collocata ſit: adjungit in tali forma Templum meum ſituatum eſſe, cum enim imago ſit Altiſſimi, ſic ſtabiliendum erat, ut in compoſitione ſua ſimile eſſet Civitati illi Sanctæ, & triumphanti Templo, Deo inquam, à quo creatum eſt. Cum hanc dilectus diſcipulus virga aurea menſurâſſet, dixit: *Civitas in quadro poſita erat, & longitudo ejus, quanta latitudo.*

Quantumvis ergo ſtaturâ ſuâ ſit homo exiguus, excelſiſſimis nihilominus molibus ſupereminet, & pinnacula elevatiſſima tranſcendit. Reſolvant mors, & Tempus ipſa adeo marmora, & ſæcula dente ferreo triturent: homo nihilominus his ſuperſtes ad immortalitem contendit: volent pennis ſuis Phœnices, & aquilæ ſupra montium faſtigia excelſiſſima, homo pernicitate cogitationum ſuarum velocius illuc incredibili agilitate pervenit; ita providus, ut de ipſis adeo mixtis opportuna vitæ ſuæ compoſita diſcooperiat: Dominentur quantum volunt, & fortuna, & fatum, & caſus fortuiti, & ipſum Tempus, homo ſupra hæc omnia, tanquam ſupra baſibus firmisſimis ſolidatus ſe regit, & eum acumine intellectus ſui (imitando propemodum Creatorem ſuum) gloriatur in intima cogitationum humanarum penetrare ſe poſſe: novit oculo ſuo (mediante Teleſcopio) etiam in ſole ipſo annotare maculas, quid his majus dici poteſt? Sint quantum volunt, humanæ cogitationes elevatæ dixerim, an profundæ (unde & numinibus Templa, & obeliſci, & moles erectæ ſunt) homo tamen hæc omnia eſſentiâ ſuâ ſuperat, & excedit: Et ut tandem aliquando hac ultima probatione meâ concluſerim, novi à Marco Manlio in Civitate Quirinali templum famoſisſimum Virtuti & honori erectum eſſe, quod à Marcello generoſo poſthæc adauctum fuit, cujus inſcriptio erat: *Patet aditus*, vel, *Virtute prævia.*

Sed quisnam harum virtutum, & dotium particeps eſt, & poſſeſſor, niſi homo? Scio Pom-

Pompejum, etiam in ſiniſtra fortuna generoſum, Minervæ Templum fundaſſe, cujus effigiem illic expreſſerat fortiſſima ægide ſua defenſam, & eandem loricatam: erat autem ſimulachrum totum ex auro fuſum, & formatum, unà cum haſta ſua, quæ de eodem metallo erat: forte per hoc volens intelligi, ſe quoque pectus invicibile ad omnem inimicam potentiam geſſiſſe, ſicut optime demonſtravit, tot domitarum gentium ſpoliis illuſtribus in illo templo ſuo glorioſo anathemate ſuſpenſis. Hæc eſt illa Minerva, quæ viri fortis & ſapientis pectus inhabitat, quæ inſeparabilem & individuam à ſemet fortitudinem habet. Scio Julium Cæſarem, poſt Pharſalicum prælium Genitrici Veneri ſumptuoſum erexiſſe Mauſoleum. Homo ſubjectus eſt influctionibus Deæ hujus, Deæ inquam amorum, quas ita corde fomentat, ut per oculos ſe prodant. Templum habuit operoſiſſimum Juno Lucinia, columnis altiſſimis fulcitum, intrinſecus candidiſſimo, & nitidiſſimo marmore veſtitum: ſed ubi melius candor honeſtatis, ſinceritatis, & integritatis, quàm in homine apparent? Statuit Numa Pompilius, ut inter ſumptuoſiſſimos muros Deæ Veſtæ dicatos, perpetui nutrirentur ignes; ardent in nobis potentiæ noſtræ, & triplici flamma de unico foco exurgente, ab Anima noſtra, ad illuminandum corporeum compoſitum noſtrum, ſuccenduntur. Glorioſum per ſæcula plura duravit Templum Solis ab Aureliano magno erectum ſupra collem Quirinalem, ubi inter cætera ornamenta ſimulachrum Planetæ hujus, ex auro ſolido formatum apparuit, junctum ſignis zodiaci, atque anni totius temporibus, quæ ſingula auro fulgurabant. Solis hujus beneficio, & temporum anni circulatione naſcitur homo, & augmentum & nutrimentum ſuum habet, & conſervatur. Scio denique illam molem Templi, quod Titus ſecus viam ſacram in illa Roma (quæ hac ætate noſtra nullibi prophanum ædificium habet) Paci erexit, admirabile fuiſſe tam magnitudine, quam ſumptuoſitate & artificio: hanc ego pacem in templo meo animato reſidentem invenio, concordiâ potentiarum, ordinatione membrorum, harmoniâ partium, qualitatum elementarium ſymmetria, aliiſque inſuper auguſtisſimis proportionibus. O templum de pluribus templis formatum! quod pro ſacrario ſuo virtutum compendium habet in anima: pro parietibus Cardinalium virtutum quaternarium, pro columnis virtutes Theologicas unà cum earum appendicibus, pro ornamento magnificentiam, prudentiam pro tecto pro fundamento æternitatem: quod undequaque reverentiam inſpirat, & pompam, & majeſtatem, & decorem, *ſed & majeſtas Domini implevit Templum: Templum Dei eſtis vos*: ad cujus immortalitatem inſcribi poterit Epigraphe illa Junonis Luciniæ Templo data: *flatus irritus omnis*: idque ob qualitatem ejus, ex omni enim parte ſua ventis pervium erat, nec tamen ab eorum violentia & furore elevari cineres victimarum poterant, qui ſupra altare jacebant: Templum eſt homo, quod ſicut illud Jani ſemper apertum eſt *Virtutis imperio*: aut ſicut illud Proſerpinæ, quamvis muri corporalis habitationis ſuæ in terram proſtrati fuerint, anima nihilominus in cælum levata *ſeipſam tuetur*, dumque etiam terræ adæquatum, & omninò funditus everſum fuerit, illam tamen ſententiam Templi Dianæ ſibi uſurpabit, quod cum in cineres redactum, & diſperſum eſſet, de eo pronuntiatum eſt: *nondum nomen ejus*, unde & mirificè Auſonius:

Sola poteſt homines felices reddere virtus,
Hinc ſoli è cunctis non Libitina nocet.

In hoc ego Templo, Domini mei, poſthæc commorari non dedignabor ſtatua immobilis, totus ſtupore in ſaxum converſus, intuens in excelſas dotes, quæ de hoc templo prodeunt: per ſilentium obmuteſco, & in tanta majeſtate me metipſum confundo, ad portentoſum lumen illud caligat oculus: retrorſum pellor veneratione, & cum canoro Compatriota meo

Rivolgendo nel Cor fatto ſi raro,
Piu d'ammirar, che di cantarlo imparo.

Itaque orandi finem facio, ut ſcriptioni finem non faciam, ceſſo lingva, non manu: orationem hanc concludo, ut voluminibus titulum imponam, interim dum in pœnam temeritatis meæ, vocem meam ſilentio magis proficuo conſecrabo, cum qua hactenus ſat rauca, & inſipida

D I X I.

Ad concluſionem Diſcurſus hujus Univocus hic verſus erit.

Fra piu excelſi prodigi, oue il gran Dio
Volle a ſue glorie eſercitar la mente,
Se i gran portenti a contemplar ſouente
Nutro nel Cor un ſourum an deſio:
Mi rivolgo al mirar de l' eſſer mio,
De l' ſublime lavor l' opra excellente,
Ne ſtupiſco ſe il verbo omnipotente
Spoglia mortal con la celeſte unio:

Degno ſi l' Huom compoſe il Creatore,
Et l' imagine ſua dentro v' impreſſe,
Acciò foſſe ſimile al ſuo Fattore:

Animato coſi Tempio lo ereſſe
D' immortale virtu, d' eterno honore,
Che per ſacrario ſuo l' Anima haueſſe.

COMPEN-

COMPENDIUM SYMBOLORUM,

DE CAPITE.

CAput armatum caſſide, cujus ſummitati corvus inſidet, adjuncta Epigraphe: *Inſperatum auxilium*: Ideam repræſentat auxilii opportuni. *fol.* 9.

Manus armata pugione, ſtans in actu feriendi caput quoddam collocatum ſuper altare, cum inſcriptione: *Vel in ara*; exprimit vindictam Omnipotentis, quæ ubivis locorum reos caſtigat. 9.

Calvaria hominis poſita in medio ſceptri & ligonis, juncto lemmate: *Mors ſceptra ligonibus æquat*: demonſtrat, quod mors regalia faſtigia vilitati promiſcuæ plebis æquiparet. 10.

Adoleſcens, caput reſciſſum fortunæ offert, cum ſequenti ſententia: *Bellua fit, cæcè ſtatuit, qui credit ſe ſorti*: quo palam datur ſtultitia ejus, qui ſe fortunæ donat. 10.

DE FRONTE.

Manus Indice digito frontem tangens, adjunctis verbis: *Frons hominem præfert*: ſinceritatem animi figurat. 43.

DE AURE.

Auris ſubulâ perforata, cum his verbis: *Servitus libera*: alludit ad ritum illum, quo ſervi olim manumittebantur. 83.

DE BRACHIO, & MANU.

Manus regens columnam, quæ coronata ſit, de cujus corona rurſum alia manus prodeat, gerens ſicam, adjuncto lemmate: *Non ſine cauſa*: Juſtitiam divinam, eamque vindicem figurat. 176.

Binæ manus, colligentes manna de cælo, cum Inſcriptione: *Non quæ ſuper terram*: alludunt ad receptionem Sacro-Sanctæ Euchariſtiæ. 186.

Manus, quæ in ſummitate haſtæ cujusdam in terram fixæ ſpectatur, cum Epigraphe: *Fiducia concors*: Bonum Concordiæ indicat. 177.

Manus, in pugno gerens ſaxum, quod jacere videtur, ſuper addito lemmate: *Si ſciens fallo*: Idea hominis eſt, qui ad hoſtilem exercitum transfugit. 186.

Duæ manus deponentes diadema, cum hac Inſcriptione: *Ecquis emat tanti ſeſe demittere*: Alluſio ſunt ad pondus grave eorum, qui regimini, & gubernaculo populorum præſunt. *ibidem.*

Brachium manusque armata, evaginans gladium, ſtans in actu feriendi, cum Epigraphe: *Non fallax*: integritatem mentis figurat. 187.

Binæ manus apprehendentes remum cum his verbis: *Non alteri*: typum habent vigilantiæ. *ibid.*

Manus ſupina, habens digitos canna perforatos, adjunctâ ſententiâ: *Heu cadit in quenquam tantum ſcelus*! crudelitatem tyrannidis demonſtrat. *ibid.*

Manus dilacerans chartam conſcriptam, ſubtus quam dependeant ſigilla aquilina, cum lemmate: *Præſtò eſt inſignis gloria facti*: inſinuat actum Chriſtianæ generoſitatis. *ibid.*

Duæ manus pendentes de manicis, adjuncta. Epigraphe: *Nec fas eſt, nec poſſe reor*: indicant, non ipſa ſupplicia, ſed opera perverſa, reum conſtituere, vel arguere. *ibid.*

Manus item ſuſtinens haſtam, in cujus apice ſtuppa ardens apparet, cum lemmate: *Nil ſolidum*: vanitatem mundanæ gloriæ repræſentat. 188.

Scyphus ſupra menſam apparens, plenus aqua, ſupra quem manus extenditur, infundens aliquantum farinæ, adjuncta Epigraphe: *Satis*: auream in quaque re mediocritatem ſubindicat. *ibid.*

Manus geſtans virgam, qua videtur capita pauperum detruncare, quæ ſublimius ſe cæteris elevaverant, cum inſcriptione: *Æquari pavet altera minor*: docet in Imperio æqualitatem obſervandam eſſe. *ibid.*

Manus fortis, & conſtans, pugno tenens lingvam, cum lemmate: *Tu decus omne tuis*: intrepiditatem animi deſignat. *ibid.*

Manus vicina calamo aptato ad ſcribendum, qui tamen atramento plenus characteres non format, cum lemmate: *Ulterius ne tende odiis*: tentamina humanarum virium repræſentat, quæ ſine adjumento divino irrita ſunt. 189.

Manus habens in Indice annulum viſibilem, quæ inter digitos ſuos monetam auream gerat, cum Epigraphe: *Sic ſpectanda fides*: robur Amicitiæ indicat, quæ in camino perſecutionum probatur. *ibid.*

Quatuor manus, quæ una cum brachiis ſuis

d baculum

baculum tenent, eumque diverſimode, hoc eſt quæque manus, tam in hanc, quàm illam partem trahat, cum lemmate: *hic, & ille:* inſinuant, beatitudinem in terris non eſſe, quæ ſecura ſit. *ibid.*

Manus, à ſerpente inter flammas mors vulnerata, cum Epigraphe: *Quis contra nos?* ſubindicat, quantopere divina ſupra nos tutela invigilet. 190.

Serpens, manu ſuſtentatus, qui caudam capiti in circulo jungat (non adjuncta ſententia) curſum anni demonſtrat, gubernatum à Domino. *ibid.*

Manus armata gladio, & nodos quosdam diſſecans, cum inſcriptione: *Nodos virtute reſolvo:* fortitudinem virtutis denotat, quæ omnia componit, & ſedat. *ibid.*

Manus, demonſtrans enſem, circumdatum lilio, cum ſubſcriptione ſequenti: *Etiam fortunam:* declarat, quantum valeat Patrocinium Principum. *ibid.*

anus geſtans ventilabrum compoſitum de plumis pavonum, quod muſcæ circumvolent, ſuperadditis verbis: *Tolle voluptatum ſtimulos:* docet, incentiva libidinis tollenda eſſe. *ibid.*

Manus vas quoddam portans, ex quo dimidium ſceleſti prodeat, impoſito lemmate: *In hoc intuens*: Inſtruit nos, etiam inter Convivantes memoriam mortis recolendam eſſe. *ibid.*

Cornu copiæ, quod binæ manus amplexentur, cum inſcriptione: *Ditat ſervata fides:* Exponit remunerationem fidelitatis. *ibid.*

Manus ſuper caſſidem multitudinem monetarum effundens, cum hac Epigraphe: *Expetendæ opes, ut dignis largiamur:* indicat fortunæ bona benè expendenda eſſe. 191.

Binæ manus invicem junctæ, cum duabus ſententiis, quarum ſuperior ſit: *Felicitas temporum:* altera ſubtus: *Rerum concordia:* utilitatem, & commoda Concordiæ inſinuant. 192.

Duæ manus ſupinæ, quæ videantur verſus cælum directæ, cum hac voce: *Tutiſſimus*: demonſtrant, omne bonum illac provenire. *ibid.*

COMPENDIUM FACTORUM,

DE CAPITE.

CAput faciem habens ſubſidentem, & venuſtam, ſine rugis, cum lemmate: *Rarò fallit:* denotat, rectitudinem animi ex vultu cognoſci. II.

Tres facies, quibus illa verba ſint juncta: *Mens unica:* inſinuant bonum concordiæ. *ibid.*

DE MANU.

Manus pulſans ad portam, cum inſcriptione: *Non ſemel ſufficit*: docet in oratione *perſeverandum eſſe.* 181.

Manus in palma ſua gerens oculum, cum Epigraphe: *fide, & vide:* inſinuat prius rem tangendam manu eſſe, antequam inde ratiocinemur. 182.

Duæ manus, quarum una ſine oculis, altera aurita ſit, cum hac elucidatione: *fide, & diffide*: Indicant, fidendum eſſe, quin imò, ſed vigilantiam non omittendam. *ibidem.*

Manus ſuſtinens ſcorpionem, cum lemmate: *Procul ab ictu*: exprimit integritatem Prælatorum. *ibid.*

Subtus digitos, quidam inſcripſit: *Diſparitate pulchrior*: intelligens, quàm accepta ſit unio in diverſitate officiorum. *ibid.*

Manus blandiens ſerpenti, cum Epigraphe ſequenti: *Propriæ blanditur neci*: periculum indicat, quod incurrit, qui carni nimium blanditur. *ibid.*

Manus aperta, cum hoc lemmate: *Operi, non verbo*: inſinuat operum virtutem. 183.

Manus premens ſpongiam, cum lemmate: *Premit, ut exprimat*; virtutem & robur laborantium indicat. *ibid.*

Manus inter flammas, cum Cartello: *His graviora*: meritum denotat eorum, qui heroico pectore dura tolerant. *ibid.*

Manus, quæ de agro ſpicas colligit cum ſequentibus verbis: *Bella meſſe diſpeme jo ſceglio intanto*: Hoc eſt: *Præclaram ſpei meſſem interim ego colligo*: ſpem inſinuat, qua de campo virtutis ſe utilitatem in tempore ſuo recollecturum quis ſperat. *ibid.*

DE CORDE.

Cor circumdatum à ſerpente, quod flammis impoſitum non uritur, cum Epigraphe: *Non comburetur*: demonſtrat, quod qui veneno culpæ infectus eſt, ardores Sanctus Spiritus concipere nequeat. 272.

Quantum valeat concordia, & mutuus affectus populi, hac ſignificatione denotabatur. Multa corda in ſcuto quodam depicta erant, cum ſequenti ſententia: *Hic murus aheneus eſto.* *ibid.*

Huic ipſi Emblemati alius titulus adjunctus erat: *Benevolentia optima cuſtodia eſt.* *ibid.*

Militaris

Militaris magnanimitas repræſentata fuit in gladio, qui geſtabatur à brachio, ſupra quem cor hominis apparebat, adjuncta dictione: *Ne fidas, ſi corde deficis.* *ibid.*

Cum conſideratione hac philoſophica, qua creditur anima, præcipuam in corde ſedem tenere, cor apparet, de cujus medio flammæ exurgebant, cum Epigraphe: *Mundi melioris origo.* 335.

DE HEPATE.

Fingatur, & figuretur armatura ſuperbiſſima, & omni ornamento condecorata, & illic ſequens ſententia collocetur: *Utilitati, & decori.* Ad demonſtrandum in corpore humano beneficium illius. 289.

Pes conterens ſerpentem, cum ſententia: *Premat, ne perimat*: Idea hominis eſt, qui viriliter noverit, tentamenta ſuperare, de hoc ratiocinatio ampla eſt. *fol.* 317.

Pes in radice montis collocatus, qui ſcandere videatur, cum Epigraphe: *Per ardua virtus:* poſſeſſionem virtutis difficilem eſſe arguit. 318

COMPENDIUM PRODIGIORUM.

DE CAPITE.

CUm primum Romanæ Urbis fundamenta jacerentur, inter ruinas tam profundas Caput inventum fuit, quod conſperſum ſangvine, guttasque deſtillans videbatur à buſto noviter reſciſſum, de quo uberius tractatur. *fol.* 15.

Ante mortem Barnabæ Vice Comitis, poſtquam flamma palatium ejus invaſiſſet, apparuit inter ignium volumina caput, quod urere videbatur, quæ viſio ſpacioſo tempore duravit. *ibid.*

Accidit item, cum Henricus Dux Brunsvicenſis cum Duce Saxoniæ prælium committeret, ut graviſſima grando in Urbe Argelienſi decideret. Inter grana autem cadentia ſimilitudo capitis obſervata fuit, repræſentans effigiem Ducis Saxonici, qui deinceps Brunſvicenſem captivum fecit. Vide alia quoque ſpectra, quæ vel permittente Deo, vel opera Dæmoniorum apparuerunt. *ibid.*

Cum Galba Provinciam Tarraconenſem intraſſet, atque illic juvenculum in fano publico ſacrificaret, repente puer ſenilem canitiem contraxit. In hoc loco plura de monſtris referuntur, quid ſint, & unde oriantur. 16.

DE CAPILLIS.

Inventus fuit aliquando piſcis, qui naturale caput hominis repræſentabat, ab oculis ad usque corporis partes reliquas quatuordecim pinnas vel alas protendens, dotatus longiſſimo, & ſpiſſiſſimo capillitio, quod vel intortum, vel ſparſum elegantiſſimum ſpectaculum præbebat: ſed cum animal monſtruoſum eſſet, propediem expiravit. Legantur ſuper hoc doctrinæ ſalutares. 35.

Prodigioſæ ſemper habitæ ſunt, & nunc habentur comatæ ſtellæ, vel barbatæ, vel crinitæ, ignitæ trabes, capræ ſaltantes, & ſimilia, de quibus ad longum habetur. *ibid.*

Qualiter hæc metheora formentur, & imprimantur, & de eorum variis apparitionibus vide *fol.* 36.

Eorum effectus, vel influctiones. *ibidem.*

DE MANIBUS, ET BRACHIIS.

Prodigioſa fuit Caji Mutii Scævolæ intrepiditas, qui potius ſibi manum amburendam præelegit, ante Regem Porſenam, quàm ut à propoſito ejusdem occidendi reſiliret. 209.

Stupenda eſt caſtigatio divina, qua bubulcum quendam, feſtivo die arantem ſic punivit, ut manus ejus aratro affigeretur. *ibid.*

Nec huic diſſimile eſt, quod de avaro quodam recenſetur, qui cum bipennem feſto die attrectaſſet, manus ita manubrio cohæſit, ut divelli non poſſet, acerbiſſimosque dolores pateretur. *ibid.*

Idem evenit feminæ, quæ dum feſtivo die panem coqueret, repentina flammæ invaſione dexteram manum amiſit. *ibid.*

Miſeram quoque pœnam incurrit molitor, cujus irreligioſa manus ferro, quod in lapide molari erat, adhæſit, eò quod molam ſuam die non feriato componeret. *ibid.*

Sic infeſtum fulgur manum mulieris cujusdam ambuſſit, quæ in ſacro Joannis Præcurſoris die ad laborandum agrum ſuum exierat. *ibid.*

Item luxavit alius & manum & brachium, qui contra vetitum Eccleſiæ die non feriali laboraverat. *ibid.*

Lignator, ſpreto timore Domini, quamvis eum cæteri dehortati eſſent, lignatum exiit feſtivo die, ſed inſtrumentum, quo id facturus erat, ferientis manui inhæſit, & brachium levatum retrahere nequiit, inauditis convulſionibus tormentatus. 210.

Mulier

Mulier item, quæ in partus ſui doloribus exaudita fuerat à S. Franciſco Patriarcha, anniverſarium feſtivitatis ſancti hujus celebrare contempſit, & continuò brachium ei aridum remanſit, & ſtupefactum cum tormentis aſperrimis. *ibid.*

DE CORDE.

Recenſent hiſtoriæ, poſt deceſſum Innocentiſſimæ Claræ de Montefalco, ſculptum in corde illius inventum fuiſſe nomen ſacratiſſimum Jeſu: ſicut illic quoque apparent tres lapilli, & globi æqualis invicem ponderis, tantundem autem duo habent in pondere, quantum unus. Idem recenſetur de Martyre S.Ignatio, ſicut & de alio Martyre, cui tyrannus vivo adhuc, evelli cor præcepit, poſt quæ tyrannus converſus eſt. 271.

Legitur item de Priori quodam Ordinis Prædicatorum; cui poſt mortem os pectoris præfixum cordi, cum ſigno crucis ſignatum apparuit. 272.

Pari modo ſtigmatizata fuerunt corda & S. Franciſci Seraphici, & S. Auguſtini. *ibid.*

COMPENDIUM SACRIFICIORUM, *ET* DEDICATIONUM.

DE CAPITE.

CUm religione barbarica olim Larundæ Deæ, vel Maniæ, humana capita devovebant: ſuper hæc inſtructiones quære. *fol.* 16.

Celtæ, populi gentiles, de occiſi inimici buſto caput truncabant, cujus calvariem ſiccabant, ac deinceps deaurabant, quo per modum poculi in conviviis utebantur. Super hoc præcepta vide. *fol. ibid.*

Arieti olim, primo nimirum Zodiaci ſigno Aſtronomi caput aſſignabant, vide ſuper hoc materias morales. *fol.* 17.

Religio, quantum in omni hominum ætate, & natione ſemper in veneratione ſit habita. 20.

Jovi, cælorum primario Numini à veteribus æſtimato, caput dedicatum fuit, vide ſuper hoc materias morales. *ibid.*

Prima adoleſcentulorum lanugo, dedicata fuit Apollini, & Nero eandem in urnam auream collocavit, & propriis eam manibus in fanum portavit. *fol.* 38.

Cogitata igitur noſtra Deo dedicanda ſunt, ſicut lex Levitica ordinavit capillos dedicandos. *ibid.*

Nec ſoli Proſerpinæ, aut Apollini dedicabantur comæ, ſed & aliis Deitatibus Germani olim ſuper altare devictorum hoſtium ſectas comas comburebant; quas item fluminibus conſecrabant, cur hoc factum, vide *fol. ibid.*

Erat Romæ arbor procera, cui olim Juvenculi cincinnos capitis ſui raſos conſecrabant, vide de his plura. *fol.* 39.

Hippolyto item capilli noviter nuptorum offerebantur. *ibid.*

DE OCULO.

Oculi Minervæ dedicati erant: rurſum alii dextrum oculum Soli, ſiniſtrum Lunæ devoverunt. Junonem ciliorum patronam crediderunt, ſicut & palpebrarum: ideoque hæc Dea Lucina appellata fuit: vide ob quam cauſam: ubi optimæ allegoriæ occurrunt. 72.

DE AURE.

Auris dextra, Saturno dedicata erat, ſiniſtra Jovi: ſacrabantur item Memoriæ, vide rationem *fol.* 94.

DE LINGVA.

Hæc Mercurio dedicata fuit, tanquam Caduceatori, & Legato Jovis: legatur cauſa. Item Herculi votata fuit. Hermes itidem Triſmegiſtus cultui ſuo ſacram habuit. *fol.* 189. applicationes de his devotæ ſunt. *fol.* 148.

DE BARBA.

Præter dedicationes de capillis jam allatas, Macrobius meminit, quibusdam in locis Venerem depictam, vel ſculptam fuiſſe barbatam, curioſum & utile eſt noſſe, cur hoc factum. *fol.* 157.

Minervæ item Deæ ſapientiæ barbæ dedicatæ ſunt, videatur cauſa. *ibid.*

DE PECTORE, THORACE, ET SINU.

Pectus dedicatum fuit Cancro, ſicut & Neptuno, videatur quam ob rem: pari modo cur ſinus ſapientiæ dedicatus ſit: Porriguntur de his ſalutaria præcepta. *fol.* 169. 170.

DE BRACHIIS, & MANIBUS.

Numa Pompilius, ſummus Romanorum Rex, manum *fidei* dedicavit.

Manus itidem dextra fortitudini dedicata erat.

Dixerunt Aſtronomi ſignum Geminorum prædominium gerere ſupra brachia & manus, unde & eisdem dedicata ſunt: ſignificat autem brachia geminorum fidelium ſibi invicem adjumento eſſe oportere. *fol.* 213.

DE DIGITIS.

Aſſignati erant Deæ Minervæ, aut ad uſum Lanificii, aut vero quod iis libri volvantur, Dea autem hæc Dea ſapientiæ eſt. *fol.* 230.

DE STOMACHO.

Cur dedicatus Lunæ, vide *fol.* 382.

DE JECORE.

Dedicatur Jovi: ſicut enim illud univerſæ corporis moli ſangvinem elargitur, ſic Principem decet populo ſuo univerſum victum ſubminiſtrare. *fol.* 290.

DE FELLE.

Dedicatur Marti, tanquam Numini furoris: de felle enim ira ſuccenditur. 394.

DE LIENE.

Hic olim Saturno dedicatus fuit, idque pluribus de cauſis: præcipuè vero, ex eo quod planeta glacialis ſit, indicans humores frigidos, & craſſos, qui in eo continentur, unde & prædominium ſupra eosdem habet. 295.

DE RENIBUS, & LUMBIS.

Convenit univerſitas Scriptorum illuſtrium, renes, lumbosque dedicatos Veneri, de iis enim humor ſalax emanat, quò deſideria laſciviæ ſuccenduntur. Hinc Redemptor noſter, eos ſuccinctos eſſe oportere præcipit iis, quicunque ſibi regnorum cæleſtium poſſeſſionem repromittunt. 301.

DE FEMORE, & PEDE.

Phyſiognomi, & Aſtronomi inquiunt, femora inter ſigna Zodiaci aſſignata eſſe Sagittario, & inter Planetas Marti, idque ob velocitatem, & robur eorum in curſu, & ob ſuſtentaculum quo hominem ſuſtinent: qua ratione etiam oſſibus, muſculis, ligamentis, & nervis compoſita ſint, vide *fol.* 338.

Porrò dedicati fuerunt pedes Mercurio, Libræ, & Piſcibus, idque ob velocitatem quâ præditi ſunt & piſces, & præfatus Planeta. Piſcis ſignum Jovis eſt: Libra ſignum juſtitiæ. Ad cultum Jovis commovendi pedes ſunt: non minus promptos nos eſſe oportet ad conſervandas virtutes univerſas, mediante Juſtitia. *ibid.*

COMPENDIUM NUMISMATUM.

DE CAPITE.

USus Heroicus eſt partes humanas Monetis imprimere. 18.

Moneta ærea, ubi Cæſaris caput, redimitum corona civica apparet, clementiam ejus indicat. *ibid.*

Caput hominis, lauro coronatum, quod in occipitio ſuo pharetram, & ſagittas portet, & quod fronte ſtellam contingat, beneficia & influxiones Solis figurat. Sic humanum caput opertum pelle caprina, cum flumine verſus gulam, & arcu in occipitio, ab altera autem parte Imago Pegaſi, & ſagittæ alatæ, velociſſimum hominis curſum indicat. *ibid.*

Doctiſſimus Erizzus in Monetis Antonini Pii obſervavit figuram capitis coronati, idque corona majeſtate plena. Corona compoſita erat è multis turribus, figurabat autem fortitudinem Urbis Laodicæenſis. *ibid.*

Caput quod in occipite caduceum demonſtrabat Mercurii, promptam repræſentabat obedientiam, ſicut & pacem, qua præfata Civitas obediebat, & ſubmittebatur ſupremo Principi ſuo. *ibid.*

Caput arietinis cornibus armatum ſimulacrum Jovis erat, propter abundantiam, & fortitudinem. *ibid.*

Caput hominis venuſtum, ætatis mediæ inter juvenem, & virum, olim corona decoratum imprimebatur, de qua ramus laureæ prodibat. Portendebat autem Dominium Solis ſupra reliquos Planetas. *fol.* 19.

Idem figurabatur per imaginem capitis coronati radiis in medio templi quadrati. *ibid.*

Caput Claudii Cæſaris victoriam Romanorum expreſſit, quam contra barbaros obtinuerunt. Sic ad demonſtrandos triumphos Valerianus caput mulieris expreſſit alatum, capillis retortis. Caput item feminæ armatum caſſide pro imagine Romanæ Urbis uſurpatum fuit, quippe quæ vi armorum caput orbis facta eſt. *ibid.*

Imago Martis æri inſculpta, potentiam Julii Cæſaris demonſtravit. *ibid.*

Apparuerunt olim monetæ, quæ ex una quidem parte binas facies monſtrabant, uni cervici adhærentes, ex altera figuram Navis, Æneas Vicus diligens obſervator inquit, in bina facie intelligendos honores, qui Saturno dantur: ſicut & legislatorem ſapientem. *ibid.*

Numa comparens in Tenedo, qui ab uno latere duo capita monſtrabat, ab altero ſecurim, cum lemmate: *ſecuris Tenedia:*

rigoroſiſſimam legem indicabat,contra adulteros. *ibid.*

DE FACIE.

Figura Jani compoſita duplici facie, ſemper cautelam, & prudentiam figuravit, qua oportet hominem in omni vitæ ſuæ inſtituto gubernari, ſignificavit item quod opportunum tempus à perſonis ſagacibus eligendum ſit. 112.

DE MANIBUS.

Duæ manus, tenentes monetam fractam, cum Epigraphe: *Fortuna fidem mutata novavit*, erectæ fuerunt pro memoria ejus, quod Childerico quarto Regi Franciæ contigit: Indicant autem fidem, & dominium. 210.

Nummus item repræſentatus fuit ſub Claudio Cæſare, qui ab una parte pileum habebat,ab altera hominem manu omninò, disjuncta,& transforata, ſuperadditis verbis: *Libertas Auguſta.* ibid.

Imperatrix Julia Pia, ut felicitatem mulieribus parturientibus imploraret, ſculpi monetam fecit, ubi Venus apparebat, ſiniſtra manu haſtam gerens,ſtans erecta, cum inſcriptione: *Venus Genitrix.* ibid.

Simulachrum Deæ Opis repræſentabatur demonſtrans manus extenſas, adjuncta ſententia: *Opem ferre.* ibid.

Pietas tantopere in Principe obſervanda, in moneta quadam ab Antonino Pio repræſentabatur,ubi virtus hæc apparebat, quæ dextram demonſtrabat extenſam, ſiniſtrâ verò videbatur donum ſibi datum ſuper aram collocare. Videantur de hoc plura *fol.* 211.

Marcus Cato Proprætor cudi numiſma fecit, imaginem habens Victoriæ, quæ manus ambas pandebat,pollice nihilominus ſubmiſſo. Videantur aliæ inſuper figuræ. *fol. ibid.*

Sapientes antiqui, in monetis quibusdam duas manus imprimebant invicem junctas,cum Inſcriptione: *Fides exercituum*, vel, *Fides Romanorum*: ſic alias quoque imagines,& inſcriptiones vide, *fol. ibid.*

COMPENDIUM PROVERBIORUM.

DE CAPITE.

PRoverbium ab Experientia originem ſuam deſumpſit: de uſu ejusdem, & ſimilibus vide *fol.* 12.

Caput ſcabere: dictum fuit de homine abſorpto in cogitationibus ſuis. *ibid.*

Correctio clanculum, & in ſecreto facta his verbis exprimebatur: *Capite admoto. ibid.*

Caput vacuum cerebro: de iis dictum, qui ſub eleganti apparentia exteriori, mediocritatem ingenii tegunt. 13.

Demonſtratio, & affectus veri Amici, hoc Laconiſmo exprimebatur: *Capite geſtare. ibid.*

Homo, qui plurimis negotiis diſtentus erat, exprimebatur per Gerionem Regem,cum inſcriptione: *Tertium Caput.* ibid.

Ad figurandum hominem ſic negotiis implicitum,ut difficulter extricari poſſit,adagium illud invaluerat: *Nec caput, nec pedes.* ibid.

A capite, usque ad calcem. Cognitionem rei cujusdam indicat perfectam. *ibid.*

Stupiditas, procedens de ignorantia craſſa, qua quis laudat, aut vituperat juxta intentionem & voluntatem loquentis, hoc dicto declarabatur: *Caput ſine lingva. ibid.*

Ebrietas vitium abominabile, hoc Laconiſmo condemnabatur: *Capita quatuor habens*: Ebrio enim objecta duplicia apparent. *ibid.*

DE CAPILLIS.

Ad demonſtrandum, quod adjumentum quamvis minimum, in occaſionibus nihilominus quandoque ſummi momenti ſit,hoc proverbium inventum fuit: *Capillus etiam unus*: Remora exiguum animal eſt, Navem nihilominus fixam tenet. 31.

Capillus ſervilis: animum abjectum in proverbio indicat, hominem nauci, & de fæce populi. *ibid.*

Quod de conſvetudine illa emanavit, qua ſervi ad cutem usque radebantur. *ibid.*

Cum quis ad negotium quoddam vi traheretur,ad illud vel occipiendum, vel terminandum hoc proverbio dicebatur: *Capillis trahi.* 32.

Ad ſignificandum, quod occaſio aucupanda ſit,& magnæ ſit imprudentiæ, eandem negligere,ſic dictum fuit: *Capillis capere.ibid.*

Ad monſtrandam vilitatem hominis gregarii, & nihili,ſic ajebant: *Homo pilo dignus.* ibid.

Modus ille quo quis alterum irridet, & ſubſannat, dicari hoc proverbio deſcribebatur: *Caput tondere*: Stolidis enim omnibus capilli tondebantur. *ibid.*

Vacare rebus inutilibus & vanis, declarabatur his verbis: *Calvum hominem vellis*: à quo nihilominus capillus trahi nequit. 33.

Uſus capiliorum, qui ſictitii ſunt, etiam in antiquis ſcenis cavillatus fuit,& hoc dicto expreſſus: *Homo calvus Comatus.* ibid.

DE FRONTE.

Prima facies, vel primus incurſus in qualicunque negotio, brevi hoc Laconiſmo exprimebatur: *Prima fronte.* 49.

Ad inſinuandum, quantopere in perficiendis actionibus, ex quibus commodum, & utilitas provenit, præſentia agentis proficua ſit,antiqui dixerunt: *Frons occipitio prior.ib.*

Homo ſummi ingenii, & capacitatis promptiſſimæ,proverbio hoc ſenſato exprimebatur: *A fronte ſimul, & occipitio*: per quod ſublimitas judicii inſinuatur. 50.

Indicat item intellectum illum, qui in ratiocinando ſine mora temporis finem ſuum conſequitur. *ibid.*

Fronte ſua: De eo dictum, qui liberè, & non clanculum, aut in abſcondito de actione quadam ratiocinatur,aut mentem ſuam exponit. *ibid.*

Impudentia,aut inverecundia,quam prudentes viri evitant, hoc adagio declaratur: *Froutem perfricare.* ibid.

Indicium animi læti, eſt ſerenare, & dilatare frontem: ſicut viciſſim ſignum mœſtitiæ eſt,eam rugare. Qui actus ſequentibus verbis olim exponebantur: *Frontem exporrigere, Frontem contrahere.ib.*

DE OCULIS, & CILIIS.

Oculus vicini invidus: turpiſſimo invidiæ vitio aſſignatum fuit. 66.

Oculus mulieris: Prodiit proverbium hoc, ad ſignificandum, quod cavere nos oporteat ab iis rebus videndis, quæ detrimentum adferunt, ſicut eſt viſio mulieris, quæ flammis,& incendio replet. *ibid.*

Homo aſtutus, & fictus, qui pro communi methodo loquendi, os in humeros transmutat,hoc proverbio exprimebatur: *Oculos in occipitio gerit.* ibid.

Ad demonſtrandum,quod plus oculis credatur,quàm auribus,ſic in adagio dicebatur: *Oculis magis habenda fides,quàm auribus.*67

Oculis fixis intueri: Expreſſum fuit de aſſidua rei cujusdam applicatione. *ibid.*

Neceſſitas, qua nonnunquam occultare quippiam tenemur, quantumvis manifeſtum ſit, his verbis expreſſum fuit: *Oculis pulverem offundere.* ibid.

Oculis,ac manibus: de eo dictum fuit, qui ad perfectam rei cognitionem pervenit. Animus collocatus in vera tranquilitate, & pace interna, hoc dicto exprimebatur: *In utrumque oculum dormire.* 68.

Oculus dexter mihi ſalit: tum docebatur,cum quis de re quapiam audire novi aliquid geſtiebat. *ibid.*

Videre res delicioſas, ſed non multum proficuas, hoc ſenſu exprimebatur: *Ad oculos mapis,quàm ad veſicam pertinet*: ubi veſica intelligenda, in quam olim argentum reponebatur. *ibid.*

Cor tyrannorum inflexibile, & ſeverum, his duobus verbis palam dabatur: *Oculi Atrei*: Scenæ etenim Atrei, furioſiſſimæ erant. *ib.*

Virtus, qua promiſſa effectibus correſpondent, hac ſententia exprimebatur: *Occultæ manus.* ibid.

Cæca dies, & oculatæ manus: de ſervis & mercenariis olim dicebatur, qui perfecto opere, & die ſolutionis illuceſcente, remunerationem nullam, nec mercedem videbant. De hoc ad longum vide *fol.ibid.*

Aperta negatio, vel impoſſibilitas habendi rem quampiam, his verbis dicebatur: *Oculum excludito.* ibid.

Homo incorruptus, animi juſti, & recti, qui nulla partialitate frangatur, hoc ſenſu deſcribebatur: *Oculus Iuſtitiæ*: hic plura alia diſcutiuntur *fol. ibid.*

Econtra cum quis in cautus ambularet, non conſiderans obvia, nec rationem habens eorum, quæ momentum adferat, hic olim declarabatur: *Oculis clauſis agere*: quod Itali ſic exprimunt: *Caminare cich' Occhi.* 69.

Quantum valeat præſentia in negotiis, his verbis ſæpè dicebatur: *Oculus Domini ſaginat equum*: quod quamvis vulgare ſit, ad rem èxprimendam aptiſſimum eſt.*ibid.*

Si quis emendatione non ſolum in actioninibus ſuis, ſed & in verbis indigeret, & ei quod Imperfectum eſt, ſubſtituere melius aliquid vellet, hac ſignificatione olim efferebatur: *Homo eſt oculatus.* ibid.

Si quid præter mentem, & inexſpectato accideret, hac ſententia dicebatur: *Oculum excludere*: de quo notatu digna vide *fol. ib.*

Hominis cæci præſcriptio: de re quadam abſurda, inconveniente, & impropria divulgatum fuit. *ibid.*

Homo cæcus auribus, & mente: de omnino ſtolido viro dicitur, reprobato tam ab hominibus,quàm à Deo. *ibid.*

Oculus ligius non fert radios ſolis, quod cum ſuperiori aliquantum correſpondet:nihilominus non tantam vilitatem ſubindicat: indicat enim mentem quamvis obtuſam, nonnulla tamen intelligentia dotatam. *ib.*

Supercilium attollere, de hominibus nimium arrogantibus, & ſuperbis dictum fuit: *Et ſupercilium pouere*: de humilibus,& demiſſis, vide illic curioſa, & eruditione plena. *fol. ibid.*

Tetrica Cenſorem ſeveritas hac ſententia brevi, ſed nervoſa exponebatur: *Supercilium Cenſorium.* Hic Cato percellitur. Condemnantur Critici.*ibid.*

DE AURE.

Proverbium res plauſibilis eſt, quippe quod in ſciens natum: item de conſvetudinem, & derivatione ejusdem. *fol.* 87.

Proverbium illud olim uſurpatum fuit: *Ad deorum aures pervenit*: in quo factum aliquod figurabatur, quòd non ſolùm jam privatim notum eſſet, ſed in publicum evaſiſſet: Materia utilis, & neceſſaria.*ib.*

Tacta aure. Hoc de reo expreſſum fuit, qui in forum deducendus erat & examini earum

rerum

rerum ſubjiciendus, quorum ei memoria recens adhuc, & de quibus interrogari eum opportebat. Antequam ergo in judicium traheretur, aures ei fricabantur. De his curioſa vide *ibid.*

Cultura animi, tantopere in quocunque homine neceſſaria, his verbis olim figurabatur: *Aurem culturæ accommodare:* neceſſitas actionis hujus deſcribitur *ibid.*

Actio intrepidatis, & conſtantiæ, in generoſo Ulyſſe intelligebatur, cum ad Sirenarum concentum ſibi aures cera obturavit: dans locum adagio: *Auribus ceram obdis:* quod item de iis dictum, qui voluntariam ſurditatem ſibi affingunt, id quod neceſſarium quandoque eſt in vita hominum. 88.

Auſcultare, ſed non niſi leviter, & per accidens, hoc ſenſu olim dicebatur: *Summis auribus inſidet.* *ibid.*

Conſvetudo, qua ſecretis auribus quædam committimus, quamvis in publico id fiat, hanc proverbialem ſententiam introduxit: *In aurem dicere.* *ibid.*

Homo negotiis ſuis ita immerſus, ut nemini aurem præbeat, hoc adagio indicatur: *Ne ad aures quidem ſcalpendas otium eſt.* Vide illic curioſa. *ibid.*

Rebus juſtis intendere, & intelligere ſincere quod dictum eſt, his verbis proferebatur: *Purgatis auribus*: id quod cuivis neceſſarium eſt. *ibid.*

Ad ambas usque aures: De ebrioſis dictum, & paraſitis, qui nunquam ſaturi ſunt, niſi ad utramque aurem repleantur. Contra quod vitium illic invectivæ ſunt. *ibid.*

Cum auris pars infima maximè tenera ſit, & mollis, veteres volentes hominem ſignare indolis flexibilis, ſic ajebant: *Auricula infimâ mollior.* 89.

Laudatur illic manſvetudo. *ibid.*

Faſtidium quod parit ſermocinatio inepta, & vaniloqua, his verbis ſignificabatur: *In aurem oleum inferre.* Cujus ſententiæ expoſitio in loco ſuo quærenda, ubi rurſum copioſa materia de adulatione occurrit. *ibid.*

Severitas, & aſperitas Socratica, vel Catonica, hoc dicto explicabatur: *Auris Battava*: cujus ſententiæ explanatio itidem prolixa occurrit; ſvadetur autem ſeveritas mixta manſvetudini. *ibid.*

Eo quod Principum aures ubivis penè locorum ſint, hinc proverbium natum: *Multæ regum aures, & manus*: quod tantundem eſt, ac Principes ubique eſſe. Narratur hic factum curioſum. *ibid.*

Cum quis ad negotium quoddam accingitur, de quo emolumentum nullum habiturus ſit, adagio locum dedit: *Homini ſurdo fabulam narrare.* *ibid.*

De iis qui continua loquacitate ſemetipſis ſenſum aurium obſtruunt, illud dictum fuit: *Homo ſurdior turdo:* per quod garrulitas animalis hujus condemnatur. Inventurus eſt lector plura illic utilia. *fol.* 90.

Proſequitur hoc genus ſurditatis Manutius, dicendo: *Surdior Toroneo Portu*: cùm explicatio hujus dicti prolixitate indigeat, eadem in fonte ſuo quærenda eſt. *ibid.*

Adagium illud: *fractis auribus*: in eos inventatum eſt, qui præſumptuoſi ſunt: Reprehenditur illic vitium arrogantiæ. *ibid.*

Stupiditas inſenſata, & aperta fatuitas, cum applauſu ſic enunciata fuit: *Cæcus auribus, & mente:* multa ſuper hæc quære *ibid.*

Negotium quod difficile ſit deſerere, periculoſum item expedire, admirabili ſententia exprimitur: *Auribus lupum teneo*: Expoſitio vivax eſt, & curioſa, ſed prolixa, hinc in fonte ſuo quærenda, unà cum eruditionibus aliis. *ibid.*

Audire multa à multis, præſertim à ſenibus, hanc ſententiam introduxit: *Eum auſcultare cui quatuor ſunt aures*: In quo neceſſitas intelligentiæ indicatur. *ibid.*

Securum eſſe, & in alterius fiducia requieſcere, hanc ſignificationem induxit: *In aurem dextram dormire*: quæ materia plauſibilis eſt. *fol.*

Tranquilitas, ſine perturbatione animi (quam quisque deſiderat) hoc adagio declaratur: *Procul auribus nuncius veniat.* 91.

Actio quædam cum non ſolùm ad notitiam aliquam pervenerit, ſed in publicum jam prodierit, pro ſua declaratione hunc Laconiſmum ſortita eſt: *Nec aures habeo, nec tango*: Unde hoc adagium ortum ſit, vide *ibid.*

Cum inferre vellent, cor in auribus habitare, olim ſic ajebant: *Animus habitat in auribus*: Materia hæc utilis eſt, & neceſſaria: neceſſitas auditus illic quoque demonſtratur. *ibid.*

DE NASO.

Naſo ſuſpendere: Hoc adagio uti conſveverunt, cum alter alterum ſubſannaret, ſed cum deceptione quadam verſuta. Argumentum curioſum, & ſalubre. 100.

Quod verò fames retardationem non admittat, ita exponebatur: *Fames, & mora bilem in naſum conjiciunt*: Quod eſt: *Iejunus venter non audit verba libenter.* *ibid.*

Traducitur & hoc proverbium ad bonum aliquod, quod præſtolamur, de quo diſcurritur. *ibid.*

Crabrones irritare, idem eſt, quod tentare Magnates, & Potentes: exprimitur autem adagio ſequenti: *Fumantem naſum urſi ne tentaveris*: ubi plura præcepta idonea, & & proficua ſuggeruntur. *ibid.*

DE FACIE.

Cum quis indicare intendit, ab externo de internis judicandum eſſe, ſequens ſignificatio proverbialis exorta eſt: *Ex facie bonum virum præſefert*: *fol.* 143.

In eos, qui modicam famæ ſuæ curam habent, illud uſurpatum fuit: *Faciem perfricare: frontis perfrictæ*: Quod vitium deteſtabile eſt. 109.

DE DENTIBUS.

De proprietate dentium, quâ lacerare & corrodere ſolent, Proverbium de ſugillatione famæ exortum eſt: *Theonino dente rodi.* Cujus explicatio cum admodum prolixa ſit, ad fontem recurrendum eſt, ubi ad longum de hoc ipſo diſcurritur. 117.

Supra id, quod nemini invidendæ ſint res, quas habere non poſſumus proverbium illud enatum eſt: *Edentulus veſcentium dentibus invidet*: Quod multis præterea argumentis deducitur. *ibid.*

Irridere eum, & ludificare, qui cum plenus minarum ſit, non habebat unde detrimentum inferat, duobus verbis, ſed iisdem nervoſis exprimitur: *Edentulæ maxillæ:* Ubi actio hæc omninò imprudens deſcribitur. 118.

DE ORE, & LABIIS.

Proprio ſtatu ſuo contentum eſſe, & ſemetipſum menſurare, hoc adagio expreſſum fuit: *A cauda ad os transferre*: hoc eſt: A principio ad finem. Quod præceptum admodum ſalubre. 130.

Facundia boni oratoris in fonte quodam figuratur, qui duodecim rivis, vel profluviis ſe effundit: adjuncta hac declaratione: *os duodecim ſalientium*: In quo loco plura recenſentur. *ibid.*

Loqui cum energia, & emphaſi, his binis verbis declaratur: *Os Curetum*: Cum hujus explicatio prolixa ſit, ad fontem recurrere oportebit, ubi plura alia exponuntur. 131.

Præmanſum in os inſerere: de Præceptoribus dicitur, qui cum omni aſſiduitate, & induſtria diſcipulos ſuos inſtruunt: tracta ſimilitudine à nutricibus. *ibid.*

Poterit idem applicari ad eos, qui in recenſendo, etiam quæ minutiſſima ſunt, non negligunt. *ibid.*

Inveniſſe rem deperditam, hoc proverbio declarabatur: *Ex ore Lupi.* Etiam hic expoſitio in fonte ſuo quærenda eſt. 132.

Spes rei venturæ hoc adagio ſignificabatur: *Magnum os anni*: Declarationem ejuſdem curioſam vide *ibid.*

Loqui fortuito caſu, hoc uſitato proverbio dicebatur: *quidquid in buccam venit*: reprobatur. *ibid.*

Loqui quæ decent, agere malè, hac ſententia percellebatur: *Os ſublimare*: ejus deteſtationem vide *ibid.*

Os expuens, de iis dictum, qui vel non conſentiunt dictis vel factis, vel qui eadem retractant. *ibid.*

DE LABIIS.

Felicitas hujus Mundi, plena turbulentiis hoc dicto proverbiali demonſtrabatur: *Multa cadunt inter calicem, ſupremaque labra.* Argumentum utiliſſimum. 133.

Si quis olim in negotium quoddam ſe ſuperficie tenus ingereret, ſic enuntiabatur: *Primoribus labiis deguſtare.* *ibid.*

Summis labiis. De iis exprimebatur, qui eſſe id ſimulant, quod non ſunt, aut ſe habere gloriabantur, quod non habebant, quæ utraque deteſtandà. *ibid.*

Si cui res quædam diſpliceat, & ejuſdem eum pœniteat, vindictamque inſuper minitetur, hac ſententia indicatur: *Mordere labrum.* Quod vitium & uſitatum, & deteſtabile eſt. *ibid.*

DE LINGVA.

Amicus palpans, & non niſi externo cortice ſincerus, ſequentibus verbis declaratur: *Lingvâ Amicus.* Qui nil non ſpondet, ſed promiſſis ſuis non ſtat. In hoc loco plura utilia obſervantur. 142.

Lingvâ bellare: Proverbium hoc in eos adinventum eſt, qui Thraſonica jactatione ſe efferunt, ſed cum data occaſio eſt, tergum vertunt: Incurrit hæc magniloquentia in deteſtationem debitam. 143.

De his, qui multiloquio in prandiis gaudent, & exhinc pabulum ſuum negligunt, illud inventum fuit: *Aliis lingva, aliis dentes*: Hic modus periculo ſuo non carens, repudiatur. *ibid.*

Non ſtare promiſſis ſuis, quod ſemper in opprobrium cadit, duobus verbis ſed ponderoſis exprimitur: *Lingvâ juravit*: Quod & inter Italos valet, qui ſic ajunt: *Amico di lingva.* *ibid.*

Si quis caſu verum dixerit, hunc ſenſum proverbialem habet: *Lingvâ prolapſa verum dicere.* Quæ virtus tantò magis laudabilis, quantò magis inexpectata. *ibid.*

Qui in loquendo timidus eſt, tracta ſimilitudine à bove timido, hoc proverbium olim meruit: *Bos in lingva.* 144.

Videat hic Lector, curioſa de iis, quibus largi-

largitione pecuniæ os ad tacendum obſeratum fuit. *ibid.*

Obſtinatio aperta, quæ plus animum indurat, his verbis exponitur: *Lingva non redarguta:* cujus inventio Lectorem ad fontem remittit. *ibid.*

Conſvetudo eorum, qui quemvis laceſſunt injuriis, ad vivum hoc adagio palam datur: *Impetere lingva:* unde dicitur: *Non impetam lingvâ:* res fugienda. *ibid.*

Proverbio illi, quo dicitur: *quidquid in buccam venit:* illud alterum confine eſt: *Quidquid in lingvam venit:* Quod tantundem eſt, ac caſu loqui: Quod nemo non improbat. *ibid.*

Lingva ſeorſim indicitur: & lingva præconi: geminum hoc proverbium, quod in eundem ſenſum coincidit, eo ſpectat, quod plerumque nuntiis lætis munera dari ſolent. Ubi concluditur remunerandos, qui noſtri cauſa laborarunt. *ibid.*

Lingva quò vadis? bona ſimul, & mala lingvæ indicat. Ubi plura in hunc locum invenies. *fol.* 145.

Accingi ad actionem quandam, de qua difficilis, imo impoſſibilis ſit exitus ſine detrimento, ſignificationem ſuam his verbis habuit: *Senis mutare lingvam:* ſicut ſententiæ hujus origo copioſè exponitur, ſic & reliqua huic materiæ congrua. *ibid.*

Eo quod in tempore ſuo tacuiſſe, ejusdem gloriæ eſt, ac locutum eſſe, ſequens adagium invaluit: *Clavis in lingva.* *ibid.*

DE MENTO ET BARBA.

Inter lepóres, & veneres locutionis maximè elegantes proverbium ſemper annumeratum fuit.

Barbam vellere: pro eo ſumitur ſi quis alterum injuria affecerit. Actio ſemper periculoſa, & idcircò ſemper improbata: poterit item applicari ad detractionem mortuorum, unde ad longum vide folium *ibid.*

De perſona ſycophantarum, mimorum, & hiſtrionum dictum eſt: *Simia barbata, ſeu caudata.* Hæc enim verum eſt talium hominum prototypon. Vide ſententiæ hujus originem *ibid.*

Qui nutrire comam, & barbam geſtiunt, illud adagium induxerunt: *Pronomi barba:* Quis hic Pronomus fuerit, vide *ibid.*

Eo quod indomita juventus inter luxus, & mollities effæminatas peſſum eat, hoc proverbium breve, ſed nervoſum uſurpatum fuit: *Binis tondere forpicibus:* Hic invectivæ ſunt in luxum. 154.

Ratiocinatio, vel actio quæpiam, quæ æſtimationem nullam nanciſcitur, his verbis expreſſa eſt: *Pili non facio.* *ibid.*

Ad demonſtrandum quantæ vanitatis ſit, ingerere ſe negotio, à quo pedem difficile ſit retrahere, illud inventum fuit: *Barbam à genis puerorum vellere.* Inventio admodum curioſa eſt. *ibid.*

Ubicunque juniores ſeniorum inſtructioni vacant, & juvenculi, ætate jam maturos docent, illud valet: *Hi ante barbam docent ſenes.* *ibid.*

Barbâ tenus ſapientes: de iis dictum, qui præter barbam, & mentum, nil philoſopho dignum habent, ſicut ſupra dictum eſt, quibus omne bonum in cortice ſitum eſt. *ibid.*

DE PECTORE, ET THORACE.

De homine, qui judicio & ratiocinatione ſana deſtitutus ſit, illud uſitatum fuit: *Corpus ſine pectore:* vide ſuper hoc plura. 168.

Qui in negotio totus occupatus eſt, nil concludens, nec perficiens, hoc adagium promeruit: *Pulmo prius veniſſet:* Inventio hujus adagii, eo quod prolixam explanationem habeat, loco ſuo inquirenda eſt. *ibid.*

Diſcurritur hic de temperantia. *ibid.*

Tarditas in largiendo expreſſionem horum verborum habuit: *In ſinu manum habere:* Quod rem optimè exprimit. Utilia lectu hic occurrunt; ubi mediocritas laudatur. 169.

Criticus reprehenſus, hoc mordaci dicto percellitur: *In tuum ipſius ſinum inſpue.* Videatur ad longum *ibid.*

DE DORSO, ET HUMERIS.

Reprehenduntur defectus eorum, qui aliorum errores cenſurant, ſuorum obliviſcuntur; hoc adagio: *Non videmus manticæ, quod in tergo eſt:* materia utilis, & neceſſaria. 176.

Sollicitum eſſe ob malum aliquod imminens, ſignificationem ſuam in ſequentibus verbis habuit: *Mens in tergoribus eſt.* Accommodari hoc itidem poterit iis, qui verbera timent. Lectio utilis *ibid.*

Perſiſtere in duritie, & in ſtatione ſua ſe pertinaciter tenere, hoc dicto declaratum fuit: *Humeris ſuſtinere:* Hic plura reprobatione digna adducuntur. *ibid.*

Labor

Labor irritus hanc expreſſionem in proverbio habuit: *Humeros licet perdas, aquam incernendo.* Origo adagii hujus expoſitionem prolixam habet. *fol.*177.

DE RISU.

Hortamentum utile ad conſervandam honeſtatem pudicitiæ, & refrænandam libidinem erat in his verbis: *Riſus Ionius.* Cur hoc dictum ſit, vide *fol.*135.

Reprehendere quempiam, vel irridere extra tempus, hoc adagio expreſſum fuit: *Riſus Megaricus.* Origo curioſa eſt. *fol.* 136.

Riſus Sardonicus: Quid ſit, & cur in proverbium tranſierit. *ibid.*

DE BRACHIIS, ET MANIBUS.

Proverbium quàm proficuum ſit ei, qui hoc ipſum recte uſurpaverit, vide *fol.* 200.

Ne cujus dexteram injeceris: Hortamentum eſt, ut in electione Amicorum perſpicaces ſimus. Id quod obſervatione dignum. *ibid.*

Si quis de beneficio præſtito, talionis vices expectet, hoc proverbio innuebatur: *Manus manum ſcalpit:* Id quod plurimum confert, imo neceſſarium eſt ad vitam humanam rite degendam. *ibid.*

Potentia Principum pro adagio induxit: *Longæ Regum manus:* De quibus caveant ſubditi. *ibid.*

Actioni cuidam ultimum dare complementum, his verbis expreſſum fuit: *ſummam manum addere:* Vide de his plura *ibid.*

In opere quodam ſponte remiſſum eſſe, vel levi brachio illud peragere, ſic explicatum fuit: *Manum non verterem: digitum non apponerem.* Id quod quandoquè prodeſſe, quandoque nocere poterit. *ibid.*

Ad corripiendum eum, qui vel præmaturè, vel econtra tardius ſe ab opere ſuo levat, illud dictum fuit: *Manum de tabula:* Ejus derivationem curioſam, vide *fol.* 201.

Si quis ultimas vires impendiſſet, hac ſententia proferebatur: *Manibus, pedibusque:* Quod dictum optime rem exprimit: & ſimul aliis confrontatur. *fol. ibid.*

Si quis facta alterius ſubſannaret, his duobus verbis expreſſionem ſuam olim obtinuit: *Addere manum:* Id quod honeſtis perſonis inconveniens eſt. *ibid.*

Cum Minerva manum quoque move: Declaratur hoc adagio, in omni adeo opere divinum ſubſidium implorandum eſſe. Materia utilis, & neceſſaria. *ibid.*

A promiſſis ad executionem operis progredi, ſignificationem ſuam hac ſententia habuit: *oculatæ manus:* In hoc vera amicitia eſt: vide illic curioſa, & utilia. *ibid.*

Auſus, ubi maximo labore opus ſit, hoc dicto declarabatur: *Ambabus manibus haurire:* Prudens vir à tali abſtinendum novit. *ibid.*

Sapientes olim dum rem irreverenter actam denotare vellent: *Illotis,* ajebant, *manibus.* Videatur originis declaratio. *ibid.*

Servitium plenum, & copioſum his verbis dicebatur: *Plena manu:* Expoſitio illius curioſa, & aperta. *ibid.*

Ut item noſſemus in omni negotio noſtro divinum auxilium invocandum eſſe, ſic dicebatur: *Manum admoventi fortuna eſt imploranda.* Videatur in hoc loco, qua ratione inſenſati homines huic Deitati cææ, & ſtultæ ſe crediderint. 202.

Adjumentum reciprocum his verbis exprimebatur: *Multæ manus onus levius reddunt:* Actio neceſſaria, & conveniens, digna exercitio, digna etiam lectu ejus ulterior explicatio. *ibid.*

Immergi otio his verbis declaratum fuit: *Manum habere ſub pallio;* copioſæ hic eruditiones occurrunt. *ibid.*

Actiones tyrannorum, ſicut & eorum opera hanc olim deteſtationem habebant: *Lemnia manu.* Inſinuentur per hoc exercitia, quæ in Lemno Inſula fiebant, & huc referuntur. *ibid.*

Homo bilingvis, & fallax hoc improperium ſortitur: *Altera manu fert aquam, altera ignem.* Verba admodum nervoſa, & conſideratione digna. *ibid.*

Affectus paupertatis, quæ calamitoſa, & plurimum afflicta eſt, his verbis declaratur: *Macilenta manu, brevem pedem:* videatur hujus origo ſat curioſa *fol.* 203.

Per manus tradere: De redditibus dictum eſt, qui viciſſitudinem ſuam habent. Quæ ſententia tantundem expreſſiva, quantum effectus quotidianus eſt. *ibid.*

Res, quæ acquiſitu difficilis ſit, his verbis explanatur: *Una manu capere.* Qui ſenſu, & prudentia præditus eſt, ab hoc abſtineat. *ibid.*

Manuari, vel lisbiari, vel manticulari, vel vaticinari, olim idem erat ac furto ſurripere, aut deceptorem eſſe. *ibid.*

Actio quædam per ſemetipſam clara & maniſeſta, breviſſimo hoc dicto comprehenditur: *oculis, ac manibus:* De hac recte quis ratiocinari poterit, de occultis non item. *ibid.*

Qui honeſtate contentus eſt, hoc adagium habuit: *Da panem, & pugnum.* Quod obſcurum videtur, idcirco expoſitio ejus quærenda. *ibid.*

Ad demonſtrandum, quàm neceſſe ſit dicta factis conjungere, ſic dicebatur: *Manu ignavus, mente præſens:* Materia admodum fertilis, opportuna, & neceſſaria. *ibid.*

Ignorantia affectara, atque idcirco deteſtabilis,

lis, ſignificata fuit hoc adagio: *Manum peteris, & pedem porrigis*: ubi digna lectu inventurus es. *ibid.*

De re quapiam evidenti, & clara ſic dicebatur: *Pugno tenere.* 253.

Breve temporis ſpatium hoc eleganti dicto exprimebatur: *Inter manum, & mentem*: curioſa lectu, quære *fol.* 204.

Legem ſibi pro libitu fabricare, hoc Laconiſmo dicebatur: *Lex in manibus*: Quod vitium fugiendum. *ibid.*

Modus in rebus agendis, ſic declarabatur: *Manu ſerendum, non ſacco*: dictum admodum ſagax, & proprium. *ibid.*

Da lapidi volam: Exhortatio eſt, ne minemur iis, quos offendere non poſſumus. Admonitio neceſſaria, magnique momenti. *ibid.*

Violentiæ extorſionesque tyrannicæ, hanc ſententiam ſortitæ ſunt: *Manus Briaræi injuriæ*: qui mores fugiendi ſunt. *ibid.*

Si quis in Profeſſione ſua jam perfectionem conſecutus eſſet, ſic dicebatur: *Manum ferulæ ſubduximus*: comparatione ducta à ſcholis. *ibid.*

Actio magni momenti feliciter ad finem ſuum perducta, ſententiam illam in proverbio tenet, quam antiquitas de heroico Mutii Scævolæ facinore deduxit: *Manum prudens in flammam mitto*; Vide hic digna lectu. *fol. ibid.*

Deſiderium habendi, & tenacitas avaritiæ his verbis exponitur: *Manus in Ætholis habet*: Id quod obſcurum eſt, ſed explicationem non obſcuram vide. *fol.* 205.

DE DIGITIS.

De iis, qui de eminenti fortuna in præcipitio magnæ ruinæ conſiſtunt, ſic dictum eſt: *Computatorum digiti*: Cauſam hujus ſententiæ quære *fol.* 225.

Brevitas vitæ humanæ hoc Laconiſmo exprimebatur: *Dies digitus.* Quid brevius digito? *ibid.*

Damnum quod ex paupertate emergit, item honoris diſpendium, hanc ſignificationem recepit: *Digitum quò proferat.* Videatur cauſa *fol.* 226.

Damnum quod ex paupertate emergit, item honoris diſpendium, hanc ſignificationem recepit: *Digitum quò proferat.* Videatur cauſa *fol.* 226.

Moderatio in omni vitæ genere tam neceſſaria, ſic proferebatur: *Duobus digitis primoribus*: Multum ad rem accommodate. Vide ſequentia. *ibid.*

Metiri digitis: Nimium rigorem denotabat, qui in negotiis ſemper detrimentum adfert. Admonitio neceſſaria. *ibid.*

Securitas in negotiis, pro ſignificatione hoc dictum habuit: *Uno digitulo.* *ibid.*

Cælum digito tangere quid ſibi velit. *ibid.*

Dare ſe victum in negotio quopiam hanc ſententiam habet: *Tolle digitum.* Quod idem eſt, ac levare manum. *ibid.*

Ad digituli crepitum: eos tangit, qui cum nimio faſtu, & tumiditate imperant. 227.

Premere pollicem: *convertere pollicem*: Expreſſum fuit de laudatione, vel vituperatione, prout videlicet digitus ille formabatur. *ibid.*

Summo digito caput ſcalpere: de his inferebatur, qui animum mollitiæ, & effeminatis actionibus tradebant. Quod vitium ſemper deteſtabile eſt, & correctione ſua indiget. *ibid.*

DE UNGVIBUS.

Ungvium, criniumque præſegmina ne commingito: de iis dictum fuit, qui cum cognatos, vel conſangvineos habeant depauperatos, aut diſperſos, eos vilipendunt. Etiam iis applicari poterit, qui rerum minutarum curam non agunt, quæ tamen rejiciendæ non ſunt. 254.

Conſortium malorum deteſtabile eſt, & abhorrendum: id quod ſequenti Proverbio indicatur: *Quæ uncis ſunt ungvibus, non nutrienda.* Hic rapinæ intelligendæ ſunt, & miniſtri non niſi quæſtui intenti, & divitiarum avidi. *ibid.*

Res qualiscunque, aut verò narratio non accepta, hoc dicto exponitur: *Notari ungve.* Quod originem ſuam ab eo ſumpſit dum ungvibus notanda ſignamus: intelligendæ etiam correctiones, quibus proprias compoſitiones noſtras notamus. 255.

Actio perfecta his verbis explicatur: *Ad ungvem*: videatur hujus ſententiæ origo, digna lectu. *ibid.*

De conſvetudine inveterata, quam cum lacte imbibimus, ſic dicebatur: *A teneris ungviculis*: hoc eſt ab incunabilis. *ibid.*

Si quis de paucis plura colligat, ſic dicitur: *Ex ungve leonem.* Curioſum eſt, noſſe hujus rei originem. *ibid.*

Ad monſtrandum quod res frivolæ, quæ propoſito non congruunt, relinquendæ ſint, ſic effertur: *Ab ungvibus incipere.* *ibid.*

DE CORDE.

Veteres dum actum mœſtitiæ, & exulcerati animi, curisque & ſollicitudinibus diſcerpti repræſentare vellent, ſic ajebant: *Cor ne edito*: In quo plura conſideratu digna quære folio. 269.

Cor calidum in re frigida: denotat, quod negotia factu impoſſibilia, & nullius momenti rejicienda ſint. Materia lectu digna. *ibid.*

Quod

COMPENDIUM PROVERBIORUM.

Quod nonnunquam ſoleat homo in ſucceſſu quodam inexpectato in jubilum & hilaritatem prorumpere, his verbis declaratum fuit: *Cor facit hiſtrioniam.* Plura de hoc lege *ibid.*

DE STOMACHO.

Cum quanta moderatione proverbiis utendum ſit. 281.

Elevatis proverbiis in oratione, familiaribus verò in Epiſtolis utendum eſſe. *Venter auribus caret*: ſignificat, famem aures obſtruere, hinc famelici longas ratiocinationes illibenter ferre ſolent. *ibid.*

Venter moleſtus interpellator: indicat, neceſſitatem ad quidvis audendum inſtigare. *ibid.*

Qui ventri deditus, ad contemplandum ineptus eſt, hinc illud: *Venter non gignit ſenſum tenuem*: Multa hic lectu utilia occurrunt. *ibid.*

Quod venter, quantò magis repletus eſt, tantò majorem levitatem corpori procuret, hoc modo ſignificabatur: *Ventrem mihi objicis.* Hic conſideratione digna de ebrietate occurrunt. Legatur folium. 282.

DE UMBILICO.

Laus Proverbiorum, de quibus plura volumina impreſſa ſunt, quæ ad longum videantur. 306.

Ad umbilicum ducere: ſignificat rei finem imponere. *ibid.*

DE GENIBUS.

Uſus Proverbiorum antiquiſſimus, atque idcirco nemini non incumbit ut ad eadem ſtudium ſuum impendat, propter utilitatem, quam adferunt. Brevi enim Laconiſmo multa ſignificant: ſicut gemmæ quamvis exiguæ, quodvis aliud metallum pretio ſuo exuperant. 311.

Genu ſura propius: Dictum in eo ſenſu, quod cura adhibenda ſit ſemper, ut quæ majoris momenti ſunt, tueamur, & defendamus. Probatur hoc multis eruditionibus, non minus curioſis, quàm utilibus. *ibid.*

Veteres volendo demonſtrare hominem, qui in nihilo, ne minimo quidem alteri cedat, nec verò actum humiliationis minimum exhibebat, perſonam repræſentabant in pedes erectam, nec ullo modo inclinatam. Adjungebant verba, quæ ſequuntur: *Ne genu quidem flexo.* Plura de hoc inventurus eſt Lector. *fol. eodem.*

Ad ſignificandum, quod oporteat data opportunitate uti, ventum videlicet in puppim recipere, cudere ferrum dum candet, hic verborum uſus in proverbio receptus fuit: *Dum virent genua.* Lectio proficua. *ibid.*

DE PEDIBUS.

Juſtitia divina, quæ cum rigore majori vindictam exequitur, cum tardius ad puniendum proceſſerit, expreſſa fuit in figura Saturni, quam in perſona humana repræſentabant, cui pedes in faſcia lanea involuti erant, adjuncta Epigraphe: *Dii laneos habent pedes.* 326.

Ad demonſtrandum, quantum nos oporteat procul à periculis remotos eſſe, dicere ſolitum erat: *Procul à pedibus equinis.* Nec enim gravi periculo vacat, equinis poſterioribus calcibus propinquum eſſe. *ibid.*

Homo pauper, & infortunatus, quamtumvis mundum univerſum pro patria habere videatur, non habet nihilominus ubi requieſcat, ſic expreſſus fuit: *Pedem ubi ponat, non habet.* *ibid.*

Negotium momenti magni, quod urgeat, his verbis explicatum fuit: *Duobus pedibus currere*, aliter, *fugere.* Explicatur hoc hiſtoria quadam convenienti. *ibid.*

Tuo te pede metire: contra eos dictum, qui ſtatus ſui finibus contineri nequeunt. Optima doctrina. *fol.* 327.

De homine repleto conſolatione, cui nil deſit, ſic dictum eſt: *Porrectis dormire pedibus*: Origo dicti hujus, ejusque proprietates habentur. *ibid.*

Contrarium ſuperioribus eſt, homo qui in negotio quodam ſpem omnem amiſerit, quem ſic deſcribebant: *Animus ad pedes decidit.* *ibid.*

Ingerere ſe actioni ſine notitia, & practica ſufficiente ſic expreſſum fuit: *Illotis pedibus ingredi.* Quod magnæ imprudentiæ eſt, & ſimplicitatis. *ibid.*

Obſtinatio in opinione ſua, & mentis inflexibilitas hoc dicto ſignificata fuit: *Ne altero quidem pede.* 328.

Operari clanculum, & in abſcondito hanc ſententiam habuit: *Tacito pede*: Deducta metaphora ab eo, qui pede elevato incedit, ne audiri poſſit. 400.

Ultima hominis ætas, & ſepulchro jam proxima his verbis indicatur: *Alterum pedem in cymba Charontis habere*: Juſtiſſima, & adæquata ſignificatione. *ibid.*

Diſtineri in rebus minimis, cum majorum nulla cognitio, nec uſus ſit, (id quod

ſummæ prudentiæ eſt), hac ſignificatione verborum exprimitur: *Pedibus ingrediar, natare non didici.* *ibid.*

Propriis invigilare commodis, & utilitati nemo melius poterit, quàm qui ſtatus ſui limites novit, nec eos transgreditur (optimo videlicet conſilio) id quod ſententia ſequenti, ſed in contrario ſenſu exhibetur: monſtrat enim hominem, introeuntem quo vocatus non ſit: *In alieno choro pedem ponere.* Lectio elegans, & fructifera. *ibid.*

Pedibus in ſententiam ducere: vel: *pedaria ſententia*: de conſvetudine antiqua originem ſuam ſumit, qua olim in ſententiis dicendis, ii qui ſedebant pede & oculo ſe conſentire annuebant, aut vero etiam ex una in alteram partem transibant. Videatur de his diffuſè. *ibid.*

Prudentia, qua quis novit ſe occaſionibus accommodare, & tempori ſervire, hoc dicto inſinuatur: *Ad pedem*: Tracta ſimilitudine à calceo, qui ſe pedi coaptat. Vide ſuper hoc plura *fol.* 329.

Is qui neglectis magni ponderis negotiis domeſticis, imprudenter ſe minutiis alienis ingerit, & in ſupervacuis diſtenditur, hanc ſententiam meretur: *Omiſſa hippagine, pedem inſequeris.* *ibid.*

Sexdecim pedibus ſuperavit: uſurpatur in iis perſonis, quæ in omni adeo re ſodales ſuos exuperare contendunt. Quod proverbium è re nautica tractum eſt. *ibid.*

Si quod objectum vicinum, & præ manibus eſſet, vel quod ſine difficultate haberi poterat, ſic olim dicebatur: *Ante pedem.* Quod dictum maximè ad rem accommodatum eſt. *ibid.*

De paupertate, quod non ſolum in burſa ſua deficiat, ſed inſuper ipſum pauperem affligat, ſic ſignificatum fuit: *Macilenta manu, pingvem pedem*: Pedes enim hujuscemodi hominibus frigore intumeſcunt, optimè dictum. *ibid.*

Huic ſententiæ illa ſequens affinis eſt: *ſuum rodit pedem.* Alluſio ad polypum marinum, qui inedia correptus, ſi aliud alimentum defuerit, proprios ſibi pedes conſumit. *ibid*

Si quis in negotiis ſuis, ubi commoda propria verſantur, ſe pedibus præſentem attulerit, illud proverbium enatum eſt: *Pecuniæ pedibus compenſantur.* Quo quid aptius quid melius dici poterit? 330,

In hoc calceamento pedem habet: de iis dicitur. qui quæ accepta, & grata ſunt audierunt: ſimilitudo autem à pede ſumpta eſt, dum ſe commodè calceamento ſuo adaptat. *ibid.*

De negotio quodam difficilis eventus, expeditionis, vel exitus illud uſurpatum fuit: *Nec caput, nec pedes.* Ubi multa eruditione plena inveniuntur. *ibid.*

Ultimas in negotio quodam adhibere vires, ſic dictum fuit: *manibus, pedibusque*: id quod aliter exprimitur. *ibid.*

Moderationem excedere, nec propriis ſtatus & elevationis ſuæ finibus contineri poſſe hanc ſignificationem habuit: *Ultra pedem*: Quod tamen magis propriè ad eos refertur, qui nimio ſe luxui dedicant. *ibid.*

COMPENDIUM HIEROGLYPHICORUM.

DE CAPITE.

PER caput ab Anteceſſoribus noſtris, viris judicioſiſſimis, principium cujuscunque rei intellectum fuit.

Item per caput, id quod præcipuum erat intelligebatur, vel in negotio quopiam, aut quavis alia re. Omne libri principium caput nominabatur.

Caput Dei, principia ſignificabat incomprehenſibilia, item Religionem. Schola Platonica aſſeruit caput humanum compoſitum eſſe ad ſimilitudinem Mundi.

Caput ſuper altare, dignitatem hominis indicat.

Caput cinctum faſcia Regia, diademate, vel *Camauro*, Conjectatores Dominium portendere dixerunt.

Per caput intelligitur Princeps, & maximè in populo ſpectabilis.

Imago Numinis Serapidis, quæ pro capite cælum ferebat, rerum terrenarum dependentiam cum cæleſtibus indicat.

Per Palladem, quæ de capite Jovis egreſſa eſt, rerum cæleſtium contemplatio denotatur. Omnia hæc ſuperiora quære *fol.* 13. 14.

Ex eo, quod plerumque ingruente timore manum capiti applicamus, hunc eundem actum Ægyptii in ſimulacro exprimebant, cui ſimulacro venerationem, tanquam ſigno ſalutis exhibebant. 14.

Bina capita ſimul juncta, pro ſigno proſperitatis & imperii ſumpta ſunt; vide cauſam *ibid.*

Impulſus Muſarum, vel enthuſiaſmus, per caput mulieris figurabatur, in fronte comam involutam monſtrans. *ibid.*

Caput feminæ deforme, in ſignum pavoris apud Corinthios uſurpabatur. 15.

Caput figuræ omnimodo tortuoſæ, & defiguratæ, cum prominentia convexum, malas qualitates ſigni cæleſtis, quod Scorpio dicitur, indicabat, quibus qualitatibus hoc ſignum refertum ab Aſtronomis deſcribitur. *ibid.*

Sui ipſius ſedula cuſtodia in duobus capitibus monſtrabatur, quorum unum mulieris erat, quod pupillas oculorum ad objecta exteriora gyrabat, alterum viri, quod introrſum verſus ſpectabat. *ibid.*

Bina Jani capita ſagacitatem & prudentiam indicant, quorum unum anteriora, alterum quæ retro ſunt ſpectat. *ibid.*

Tempus præſens, præteritum, & futurum per tria capita ſimul juncta repræſentabatur. *ibid.*

DE CAPILLIS.

Figura hominis, quæ à capite ad calcem usque capillos ſuos demittat, providentiam divinam monſtrabat. 27.

Capilli ſemper pro typo cogitationum ſumpti ſunt. *ibid.*

Antiqui dum formam ſervitutis, & miſeriarum exhibere vellent, faciem exponebant, cum capite ſimul & mento raſam. *ibid.*

Pari modo ad exhibendum animum, nimium effeminatum, & enervem, caput repræſentabatur, capillis diffuſis, pexis, & prolixis. 28.

Effectus ſolis in exornandis & veſtiendis campis & pratis capite raſo depingebatur, & ex ſui medietate capillis tectum. *ibid.*

Rurſum in eodem homo exprimebatur corpus habens in terris, animum in cælo. 29.

Occipitium raſum, & decalvatum, ſenectutem derelictam, & defœtam repræſentabat. *ibid.*

Amiſſionem rei cujusdam, quæ magni momenti ſit, & poſſeſſori ſuo accepta fuerat, capite nudato, & calvo exprimebant. *ibid.*

Ad docendum, quod Sapientis ſit, tollere ſuperflua, caput rurſum depingebatur, totum nudatum, & calvum. *ibid.*

Facies habens mentum, cum barba candida, apud Ægyptios Dei Patris omnipotentis imago erat. 30.

Virgo, quæ ambulare videatur, brachiis diſtentis, & capillis in aërem ſparſis, naturam univerſalem demonſtrabat. *ibid.*

Poterit itidem ideam animæ humanæ figurare. 31.

Caput Virginis cui comæ omnes abſciſſæ erant, virtutem, & robur debilitatum repræſentabat. *ibid.*

DE FRONTE.

Imago Jani depicta in quaterna fronte, quatuor anni tempora figurabat. 65.

Valet eadem imago ad demonſtrandam providentiam divinam. 44.

Frons aperta, & ſpacioſa, ſupra quam nec unicus capillus appareat, indicium libertatis erat. *ibid.*

Poterit item figura eſſe ſervorum Dei, qui interna tranquillitate perfruuntur. *ibid.*

DE OCULO.

Sceptrum oculatum vigilantiam in Principe neceſſariam exprimit. 56.

Oculus apertus Judicem indicat, intendentem cauſis judicialibus. *ibid.*

Fortitudo ſolis in oculo aperto figuratur. 57.

Veteres Deitatem repræſentaturi, duos oculos ſupra caput collocabant. *ibid.*

Ad figurandam activitatem & virtutem orationis, vel eloquentiæ, oculus ſangvinolentus ſupra lingvam pingebatur. 58.

Oculus ſupra ſoleam calcei, Hieroglyphicum erat ſpretæ religionis. 59.

Beneficentia, & favor per oculum cum ſerenitate intuentem repræſentabatur. *ibid.*

Defectus, aut error qualiscunque, in imagine duorum oculorum, ſed quibus pili deeſſent, figurabatur. 60.

Motus vitæ, & mortis in oculis apertis, & clauſis exprimebantur. *ibid.*

Impreſſiones meteorologicæ per oculos Polyphemi, & Cyclopum depingebatur. 61.

In facie Stenelei, qui tribus oculis dotatus erat, divina providentia intelligitur. *ibid.*

Cilia & palpebræ raræ ſuper oculos indicium ſunt auſteritatis Stoicæ. *ibid.*

Cæcitas, Hieroglyphicum eſt ignorantiæ. *ibid.*

Oculus male habens, & læſus, amicum infidelem, aut vitioſum ſodalem denotat. *ibid.*

Amor cæcus, indicat ſenſuum blandimenta, & amores muliebres fugiendos. *ibid.*

Amor oculos ligatos gerens denotat, prudentiæ eſſe, videre aliquando, quandoque non videre. 62.

DE AURE.

Statua Jovis, carens auribus, Principem repræſentabat independentem, & ſine partialitate. 83.

Imago Apollinis auribus quatuor dotata, quatuor item manibus, ſapientiam divinam, ejusque cognitionem indicat. 84.

Obſervantiam quam præceptis divinis debemus, olim aure aſperſa ſangvine figurabant. *ibid.*

Auris obſerata ſignum erat inobedientiæ, & obſtinationis. *ibid.*

Per aurem truncatam, homo iniquus, & vitioſus exprimebatur. *ibid.*

Figura hominis, quæ aurem ad audiendum

præbere videbatur, eum repræſentabat, qui ad actionem quampiam accingebatur. 85.

Per tauri auriculam promptitudo ſignificabatur auditus, eſt enim hoc animal acutiſſimi auditus. *ibid.*

DE NASO.

Hæc pars hominis pro indicio ſagacitatis erat, & prudentiæ. Unde proverbium *Naſuti* exortum eſt. 100.

DE DENTIBUS.

Antiqui in univerſa dentium compage, habitatores civitatis unius intellexerunt: Cum autem dentes in inferiores, & ſuperiores dividantur, qui poſtremi immoti ſunt, in his urbis incolas vel concives in illis vero peregrinos, & extraneos expreſſerunt. 115.

Cum præterea dentes copioſius nutrimentum non ſumant, quàm quod conducit, præceptum illud deductum eſt, cives quoque non ultra ſpem ſuam porrigere oportere, quàm ſtatus illorum exigat. 116.

De proprietate dentium, quod nimirum incidant, frangant, & comminuant ſignificatio deducta eſt, detrimenti, quod à qualicunque re provenit. Indicabatur item detractio. *ibid.*

DE ORE & LABIIS.

Ad figurandum hominem inverecundum, & effrontem, vultum olim repræſentabant, dotatum omnibus partibus ſuis, ſed deſtitutum ore. 122.

Homo ſtans in actu ſpuendi, eum ſignificabat, qui rem quampiam vilipendit,& contemptui habet. 123.

Os cui adjunctus ſit faſciculus, in quo collectæ appareant & roſæ,& ſpicæ, & pomum, hominem indicat, in omni vitæ ſuæ genere compoſitum, & qui ſibi ſpatia horarum ſuarum metiatur. *ibi p*

Imago hominis qui manu dextra cor ſibi in os ingerat, integritatem hominis boni, & incorrupti figurabat, qui facta verbis copulet. 124.

DE LINGVA.

Exactitudo in loquendo, & robur eloquentiæ tribus rebus repræſentabatur, lingva, oculo, & manu. 138.

Facundia item figurabatur per lingvam perforatam, à qua catenæ aureæ dependeant. *ibid.*

Lingva poſita ſuper altare, quæ ſeipſam comburat, figura ſomni erat. *ibid.*

Complures lingvæ reſciſſæ, & truncatæ, indicium ſilentii ſunt. 139.

Fortitudo eloquentiæ in lingvis ardentibus exprimitur. *ibid.*

Lingva ferrea collocata ſupra incudem inflexibilitatem, & firmitatem veritatis exprimit. 140.

Lingva apparens ſenſum guſtûs figurat, hæc enim eſt quæ guſtat. *ibid.*

DE MENTO, & BARBA.

Vultus barbâ longâ conſpicuus valoris, prudentiæ, & ingenii ſignum. 151.

Imagines hæ duæ paradoxo ſimiles, Pater nimirum ſemper juvenis, & Filius coopertus barba hiſpida, & ſpiſſa, ab antiquis formatæ ſunt: quarum prima Apollinem Patrem præ ſe fert, altera Æſculapium filium: ad inſinuandum, quod quidquid ſub ſole eſt, corruptibile ſit, ſed Apollo, ſumptus pro ſole, incorruptibilis, ideoque ſemper juvenis eſt, & imberbis. 152.

DE COLLO, & CERVICE.

Tumida & elevata cervix, typus erat animi arrogantis, & inflati. 160.

Eadem cervix ſic elevata idea erat hominis ferocis, inexorabilis, & inhumani. 161.

Erat item figura imperterriti animi,& ſignum audaciæ. *ibid.*

Bos tam pacificè collum jugo ſubmittens, à ſenſatis viris pro indicio humilitatis,& ſui ipſius contemptus fuit. *ibid.*

DE PECTORE, ET THORACE.

Pectus vaſi comparatur, quod theſaurum continet. 167.

Appellatur item domus ſapientiæ. *ibid.*

DE DORSO, & HUMERIS.

Per dorſum incurvatum, & quaſi elevatum, intelligebatur homo vitioſus, & ſceleſtus. 173.

Per humeros item fuga exprimebatur, unde in proverbium tranſiit humeros inimico obvertit. 174.

Dorſum Hieroglyphicum maxime proprium eſt fortitudinis, & vigoris unde etiam imagines Herculis, & Atlantis in humeris ſuis fortes, & dilatatæ apparuerunt. *ibid.*

DE BRACHIIS, ET MANIBUS.

Manus indicium operationis, & Hieroglyphicum ejusdem ſemper fuit. 192.

Manus lavare pro ſigno innocentiæ, & integritatis acceptatum fuit. *ibid.*

Manus elevata, poteſtatem, & authoritatem portendebat. *ibid.*

Manus ſiniſtra pro indicio furacitatis acceptata fuit. *ibid.*

Manibus plaudere figura erat lætitiæ, & hilaritatis. *ibid.*

Manus complicatæ apud Ægyptios impedimentum matrimonii figurabant. 193.

Lingva & manus unitæ, dictum factumque exprimebant. *ibid.*

Manus aperta pro actu liberalitatis, & donationis ſumebatur. *ibid.*

Simulacra Oſiridis, Gygis, & Briaræi, qui Centomani erant, fortitudinem radiorum ſolarium

ſolarium exhibebant, vel conſtitutionem temporis Vernalis. Poterit item ad Altiſſimi Dei adjutorium applicari. Utilis & curioſa lectio. *ibid.*

Manus præterea indicium fuerunt officii redhibiti, vel reciproci. *ibid.*

Sunt item typus adjutorii, quod manibus plerumque debetur. *ibid.*

Manus in tergo vinctæ, hominem repræſentabant in captivitate ſua ſupplicem. Vide plura *ibid.*

In oſculo manus, & in iisdem ſimul junctis adoratio intelligitur. 194.

In eodem actu, aut parum diſſimili, conſenſus exprimebatur: Locus eruditione plenus. *ibid.*

Fides ſedem præcipuam tenet in manibus. *ibid.*

Eodem modo felicitas publica repræſentabatur. *ibid.*

Figuræ ſine manibus, & oculis, judicem denotabant inviolabilem. 195.

Attributum operationis divinæ in ſtatua Jani, quæ absque manibus erat, repræſentabatur. *ibid.*

Manus ſiniſtra, plicatis digitis, tenacitatis & avaritiæ typus erat. *ibid.*

Manus item Hieroglyphicum Dictionis, & Dialecticæ fuit. *ibid.*

Manus autem extenſa, & aperta, pro energia eloquentiæ, & vigoris in oratione, uſurpata fuit. Hic plura obſervatu digna occurrunt. 196.

DE DIGITIS.

Hieroglyphica, deducta de myſticis illorum obſervationibus, in materiis tam ſacris, quàm profanis. 219.

Multi per digitum, Spiritum Sanctum intellexerunt, qui omnipotentiæ Patris jungitur, ſicut digitus manui. *ibid.*

In multitudine digitorum quidam multiplicitatem Prophetarum intellexerunt, quorum atteſtatione magnificæ Dei operationes indicantur. *ibid.*

Actio illa, quâ digitum in os immittimus, cum iraſcimur, ideam præ ſe fert hominis cogitabundi,& vindictam meditantis. *ibid.*

Statua repræſentans hominem barbarico veſtimento indutum, qui ſaltum facturus eſſe videatur, ſed qui digitos ſupra caput collocet, ſignum effæminati & mollis animi erat. 220.

Binæ manus, quæ reciprocè in ſe digitos connectebant, fidelitatem exprimebant, & reciprocam Magnatorum amicitiam. *ibid.*

Digitus ſupra tumulum eminens, furias, & peſſimam Oreſtis vitam indicabat. Acceptatus item fuit, ad exprimenda tormenta conſcientiæ exulceratæ. *ibid.*

Manus ſupina, cujus palmæ incumbebat pollex, Compoſitorem, & Pacificatorem litium apud antiquos figurabat. *ibid.*

Pollex erectus, plauſum, & favorem de obtenta victoria ſignabat. Idem indicium erat tyrannidis, & crudelitatis. 221.

Brachium erectum, cum quatuor digitis compreſſis, pollice elevato, indicium erat virtutis, & roboris. *ibid.*

Manus item extenſis digitis, ſine pollice, animum enervem, & debilem exprimebat. 222.

Index ori applicitus (ſicut figura Harpocratis monſtrat) indicium erat ſilentii. *ibid.*

Medius qualitercunque repræſentatus, ſemper irriſionem, & infamiam figurabat. Lege illic curioſa. 223.

Annularis dum coronatus apparebat, acceptatus fuit pro Hieroglyphico cordis. *ibid.*

Erat item indicium conjugii. Plura illic quære. *fol.* 224.

Veritas orationis; ſicut & humilitas in rogando ſignificabatur per hunc digitum, ſupra os collocatum. Lectio curioſa, & utilis. *ibid.*

Auricularis quantùm maximè poſſet ſupra palmam incumbens, numerum figurabat ſeptenarium. Locus ſingularis, & proficuus. *ibid.*

HIEROGLYPHICA de NUMERIS, QUI, PROUT DICTUM EST, IN DIGITIS FIGURANTUR.

Numerus centenarius in manu ſiniſtra figuratus, mulieris conjugatæ ſymbolum erat, vel etiam viduæ. In manu verò dextra pro Idea puritatis corporalis, & mentalis ſumebatur. 237.

Statuæ conſulares quotquot digitos plicatos monſtrabant, toties Conſulatum geſſiſſe demonſtrabant. *ibid.*

Numerus ternarius eos denotabat, qui viam matrimonialem ingrediebantur; unde Nuptias quoque ſignificaſſe legimus. *ibid.*

Sexagenarius ad eos pertinet, qui cum integritate viduitatem obſervant, aut vitam cælibem. Unde in his numeris continentur tres Mundi ſtatus, viduitatis, continentiæ, & matrimonii. *ibid.*

Quinquageſimus Hieroglyphicum erat Spiritus Sancti, videatur cauſa. *fol.* 238.

Numerus binarius naturam corpoream, & hinc nuptias ſignificabat. *ibid.*

Hi tres digiti, annularis, auricularis, & medius hanc Epigraphem portabant: *Anima Deusve:* ſignificantem Deum in Trinitate perſonarum, & unum in eſſentia. *ibid.*

Anima item trinitate gaudet in potentiis ſuis. *ibid.*

Atque hoc eſt trilaterum illud pentagonum, quod nunquam cadit: Idea perfectionis: vide ad longum *ibid.*

Quadratum eandem penè rationem habet cum ternario. *ibid.*

Quina-

Quinarius ab Horo Apolline pro Hieroglyphico Dominii univerſalis, tam cæleſtis, quàm terreſtris ſumitur; quinque etenim ſtellis gubernaculum omnium hominum aſſignabat. *ibid.*

Quinarius item indicium quinque ſenſuum erat. *ibid.*

Senarius, de quo ſexcenteſimus exoritur, indicium immenſitatis, & multitudinis erat. 239.

Numerus ſeptenarius ſignum erat Centurionis: cujus numeri prærogativæ aſſignantur à Deo. In eodem loco de ejusdem dignitate plura habentur. Attribuitur Deæ Palladi: Hieroglyphicum eſt Sapientiæ: ſeptem dona ſunt Spiritus Sancti. *ibid.*

Numerus octavus pro typo perfectionis habitus eſt: octavus apud Philoſophos gradus ſummus eſt. *ibid.*

Nonus multitudinem denotat: novem Muſæ ſunt, generatæ à Memnoſine. *ibid.*

Numerus Denarius conductor reliquorum nominatus fuit: hunc numerum litera X expreſſit, de ſignificatis ejusdem vide *ibid.*

Proceditur ab hoc ad millenos, qui primam ſui originem de ſpica grani ſumpſit: ex hac inſuper uncia, & reliqua pondera proceſſerunt. 240.

Diverſa hominis ætas, quomodo ex numeris deducatur, & ſignificetur. *ibid.*

Literæ ſupra monetas ſignatæ, ſicut & arcus triumphales Hieroglyphici, & ænigmatici declarantur. *ibid.*

Numerus viceſimus, numerus perfectionis eſt. Hinc ſine expoſitione numeri hujus, dies olim feſtivus factus non eſſet. *ibid.*

Qui olim viginti ſiclos Sacerdoti portabat, ab omni reatu abſolvebatur. 241.

Per numerum quinquagenarium intelligebatur remiſſio. Corpus putredine infectum cur hac litera L. quæ quinquageſimum exprimit, ſignatum fuerit. *ibid.*

In ſexageſimo viduitas expreſſa, & quare vide *fol.* 242.

In Octuageſimo Hieroglyphicum, & norma adorationis erat, cauſam quære. *ibid.*

In milleſimo figurabatur Taciturnitas. *ibid.*

Omnes hi numeri complura de ætate hominis conſideratu digna ſubminiſtrant. *ibid.*

Aliæ item conſiderationes ſupra numeros.

Primam ſui originem numeri à lineis, & punctis deduxerunt, prout illud fuſius quærendum. *fol.* 243.

In unitate perfectio notabatur, pariter in ternario. Numerus autem binarius, quia medium non admittit, imperfectionem exprimit. 244.

Perfectionem itidem & complementum indicat ſenarius: eſt enim compoſitus è ternario, binario, & unitate: videantur de hoc plura. *ibid.*

In ſeptenario, tanquam nodo, & ligatura mundi, Hieroglyphicum erat virtutis divinæ. Numerus hic virgineus eſt, dedicatus Palladi. Plurimæ ſupra hoc obſervationes ſunt. Deus expoſitus in ſeptenario literarum numero. Menſura dein temporis, ordinis, & quietis. *fol.* 246. 247.

In hoc numero numerantur dona Paracliti, conſiderata in pluribus perſonis particulatim. Videantur de hoc plura ex Cypriano. *fol.* 248.

Octavus numerus perfectionis eſt, Hieroglyphicum habebatur ſalutis, de ejusdem literis ſacratiſſimum Nomen JESUS conſtituitur: aliæ item conſiderationes illic inveniuntur. Plato in hoc numero ſympoſia ſua conſtituit, ſicut & Heliogabalus. Octo beatitudines ſunt Evangelicæ. *ibid.*

Nonarius plurium rerum Hieroglyphicum eſt. Videantur illic novem Muſæ, novem Hierarchiæ, Novendialis Romanorum, hora nona in qua Chriſtus expiravit, novem item ſeptimanæ Mundi. *ibid.*

Denarius numerus circularis, & qua de cauſa: Convivium in hoc numero perſonarum inſtitutum: ſcientiæ totidem: præcepta decalogi decem, aliæ item conſiderationes. *ibid.*

Undenarius, expreſſus in ſacro Evangelio, numerus imperfectus eſt, idea ſæculi præſentis, ſignificat Anti-chriſtum: transgreſſionem item legis, & alia. 249.

In duodenario continentur, & unio Apoſtolorum, & portæ paradiſi, & fontes palmarum, menſes anni, petræ collocatæ in rationali, vel pectorali Aaronis, duodecim item domus vel manſiones planetarum, ab Aſtronimis aſſignatæ, aliæ item res conſideratu dignæ. *ibid.*

Quinquageſimus numerus, jubilæum indicat, remiſſionem, & plenitudinem gratiarum, aliaque item non minus lectu digna. 250.

Centeſimus figura vitæ cæleſtis eſt, cujus ſymbolum atrium tabernaculi erat: tempus item, vel ſpacium fabricatæ arcæ per patriarcham Noë: Tempus præterea quo in terram promiſſionis filii Iſraël introierunt: Promiſſio Chriſti in hoc numero eſt, qui pactor centum ovium eſt, aliæque inſuper ponderationes. *ibid.*

Quadringenteſimus, in æſtimatione eſt, propter quod ſcriptura ſacra plura in hoc numero perſonarum contigiſſe meminit, quæ videlicet actionibus inclytis ſe ſignârunt: Illuc Lector curioſus recurrat. *fol.* 250.

HIEROGLYPHICA
DE UNGVIBUS.

Figura hominis, qui videatur ſibi ungves mordicus tollere, Hieroglyphicum eſt meditantis, aut ſpirantis vindictam de illata injuria. 252.

Ungvula bifida imago erat fallaciæ, ſophiſmatum, & mendaciorum. Videatur illic quantopere olim pſeudophiloſophi in odio fuerint. *ibid.*

Supra ungvulam obſervationes ſuas formant Heſychius, & S. Irenæus, ad quos lectorem ſcientificum remittimus. 253.

HIEROGLYPHICA
DE CORDE.

Integritas, & ſinceritas animi ſignificata fuit per figuram perſonæ ex medietate ſua nudæ, ætatis maturæ, cui in catena circa pectus imago cordis dependeat. Exprimebant per hoc, hujuscemodi hominem, & intus & foris eundem eſſe; cum hac ſententia: *Intus & extra idem.* 263.

Hæc nomina invicem ſemper alternativa fuerunt, cor & vita, vita & cor. Unde cum imaginem vitæ repræſentare vellent, cor repræſentabant. 264.

Ægyptii qui flumen Nilum in veneratione habebant (ab eo enim fœcunditatem agrorum ſuorum conſequebantur) figuram ejus in imagine cordis exprimebant, quod in meditullio ſui lingvam gerebat, in qua pluviarum abundantiam, de cælo deſcendentem intellectam voluerunt, adjuncto verbo, *Nilus.* *ibid.*

Rurſus eundem Nilum per figuram cordis exponebant, quod ſupra carbones accenſos collocatum erat, in medio videlicet flammarum ardentium, de corde autem tanquam de thuribulo fumus evaporabat. *ibid.*

Cor præmemorato modo locatum à Plutarcho pro cæli ſymbolo ſumptum fuit. Valerianus de hoc ſimilitudinem totius Mundi deducit. 265.

Cor idem adhuc in eadem diſpoſitione ſumptum, apud Pierium rationem habet conſcientiæ, quæ perfectiſſimè ſe mundat.

Quia verò clibanus ſubtus collocatus immurmurat, pro Hieroglyphico hominis ſumptus eſt, qui in cognitione arcanorum divinorum immoratur. Videatur de hoc ad longum *fol.* 266.

De hoc clibano Heſychius devotam conſiderationem de ſacratiſſima Virgine Maria format, cum verbum divinum paritura eſſet. *ibid.*

Per hoc cor fumigans item homo figuratur iracundus. *ibid.*

Craticula ſupra quam cor torretur, imago pœnitentiæ ſemper habita eſt. 267.

Scrinium quoddam, aut capſula, aut repertorium, etiam Hieroglyphicè pro corde nominata ſunt. *ibid.*

Quia vero cor celatur, intelligendum eſt, res magni momenti diligenter celandas eſſe. *ibid.*

Cor item à ſacris Doctoribus pro ſepulchro intellectum fuit. *ibid.*

Duo corda ſimul juncta, & colligata idea animorum concordium habita ſunt. *ibid.*

DE STOMACHO.

Digitus medius olim pro Hieroglyphico ſtomachi ſumebatur, tum quod mediante hoc digito exonerari ſtomachus ſolet, tam aliis de cauſis. 278.

Demonſtrat item ſtomachus notitiam principiorum, & cognitionem rerum longe diſſitarum. *ibid.*

Idea quoque Maris eſt, videantur utriusque proportiones. *fol. ibid.*

DE LUMBIS.

Victima ſine lumbis ſacrificata idolis, olim Hieroglyphicum erat temperantiæ. 300.

DE UMBILICO.

Quàm verum eſt, quod littera occidat, ſpiritus autem vivificet! videtur enim inconveniens & improprium eſſe, quod antiqui, dum providentiam divinam indicare vellent, umbilicum depinxerint, per hunc intelligendo Numen ſupremum, Jovem videlicet. Sed non ſine ratione id factum. Sicut enim umbilicus centrum eſt hominis, ſic providentiam divinam in medio collocari oportuit, ut videat cuncta, cunctisque provideat: *Iovis omnia plena*: proverbium tritum erat. *Sedebam in medio domus meæ,* inquit Rex David. 304.

Eo quod umbilicus in medio corporis ſitus eſt, idcirco pro meditullio mundi majoris ſumptus eſt. In hoc loco ſat amplè de amore Patriæ diſcurritur. *ibid.*

Finis item rerum umbilicus olim nominabatur, ſicut palam datur. *ibid.*

Quidam lapillos quosdam lotos, & mundatos umbilicos appellabant: alii limaces, vel buccinas concharum genus ſic nominârunt; Item ſic appellari conſveverant ligna cedri, vel buxi, vel cypreſſi, aut alia, quibus olim bibliopegæ libros ornabant. Annumeranda huc papyrus eſt, quæ de alga ſumebatur, ſupra quàm olim ſcribebatur. 305.

DE GENITALIBUS.

Tractari de hac parte corporis nequit, quin de concupiſcentiæ fomite nonnulla quoque mentio fiat: ſobrie tamen, ob materiæ lubricitatem, inde diſcurritur. Sufficiat, ex rationibus adductis, hanc partem hujus vitii Hieroglyphicum eſſe. Hinc etiam factum, quod hæc pars à victimis auferebatur, ut ſignificaretur non niſi cum puritate Altiſſimo Deo ſacrificandum eſſe. *ibid.*

DE

DE GENIBUS.

Genua pro Hieroglyphico miſericordiæ ſtabilita ſunt, unde hominem expreſſerunt tangentem genua alterius. Videatur de hoc copia eruditionis. 308.

Ad indicandum impedimentum quod in negotiis magni ponderis quandoque interponi ſolet, Ægyptii figuram hominis jam maturi collocarunt, cum hoc ſigno: inter genua pollicem pedis continebat, ſedens ſupra truncum arboris reſciſſæ, juncta Epigraphe: *Impedimentum.* 309.

Homo proſtratis in terram genibus, & brachiis expanſis, pro idea animi reſignati, & humiliter de ſe ſentientis ſumebatur. *ibid.*

Hoc ipſum (inquit Valerianus) propter terræ viciniam, proclivitatem ad vitia ſignificare poterit: de terra enim maligni vapores aſcendunt. *ibid.*

Quædam ſtatuæ, erectæ in Capitolio ante altare Minervæ, quæ in genua lapſæ ſupplicantibus ſimiles videbantur, Niſiades appellatæ ſunt, hoc eſt Levatrices dolorum in parturientibus: nomine derivato à *Niſu*: credebantur autem accurrere ad labores earum, quæ partui propinquæ erant. 310.

DE FEMORE, & PEDE.

Pes, qui veſtigium aquæ fluminis imprimere videtur, cum Epigraphe, *Initium*, principium negotii cujuſdam ſignificat, ſicut & vanum tentamentum, quære plura *fol.*318.

Significat item vacillationem, aut timorem. Qui timor quandoque laudabilis eſt, quandoque in vitium cadit. 319.

Pedes ſuper terram collocati, Hieroglyphicum erant fundamenti, vel ſtabilimenti cujuſdam rei. *ibid.*

Purificatio animi, tantopere neceſſaria cuique hominum, per pedem figurabatur poſitum in medio aquæ. Plura vide *ibid.*

Figura Tantali, in medio aquarum immerſi, idea erat hominis avari, & divitis. *ibid.*

Faſtus & gloria triumphantium ſignificabatur pede calcante caput humanum, cum lemmate: *Triumphator.* 320.

Pes ſupra viam conſiſtens, hominem indicabat alteri viam demonſtrantem. 321.

Solſtitium hyemale per duos pedes figurabatur, quibus tibiæ connexæ erant, & incluſæ compedibus, & catena. Videatur de hoc ſenſus moralis. *ibid.*

Os calcanei ob viciniam quam mediantibus ligamentis habet cum oſſe tali, apud veteres fomitem ſenſualis concupiſcentiæ figurabat, quæ omni cura & ſollicitudine fugienda eſt. *ibid.*

Cum pes in ultima corporis parte ſitus ſit, figurabat, finem cujuſque rei attendendum eſſe. 322.

Figura gigantis, cum pedibus ſerpentinis, & contortis tibiis, pro indicanda monſtruoſa iniquitate uſurpabatur. *ibid.*

Figura item gigantis, quæ pedes repræſentabat diſtentos in forma angvium qui relaxati erant, iniquitatem & omne crimen indicabant. Vide de hoc plura *fol. eodem.*

Quæcunque ſimulachra pedem ſiniſtrum foras porrigebant, indicium erant aſſilientis inimici: ſicut item quæ pedem dextrum ſic collocabant, hominem retrocedentem figurabant. 323.

Pes ſupra pedem collocatus, indicium erat otioſorum & ignavorum. *ibid.*

Calcaneus item ſymbolum erat hominum ſe mendaci ratione excuſantium, qui vitium ſuum palliare & defendere contendunt. *ibid.*

Intelligitur per eundem calcaneum debilitas mentis, quæ facile ſeducitur, & deceptioni ſubjecta eſt. *ibid.*

Deniq; calcaneus finem & terminum cujuſque rei denotat. Plura invenies. *fol. eodem.*

HOMINIS SYMBOLICI
TOMUS PRIMUS.

CAPUT.

Anatomia.

SCripturus ego de Capite, compoſito hominis principali, cui meritò reliqua corporis membra univerſa obtemperant, & ſubduntur, fateor ſufficientia mihi vela non eſſe, ad ſulcandum immenſum hoc pelagus doctrinarum, quas de cognitione interiorum tot Authores copioſe ſparſerunt, & effuderunt. Nimium elevatus mons eſt, ad quem pertingere pes debilitatus nequit: nec volucrium in paluſtribus locis immorantium alæ volatum aquilarum audacium & generoſarum exuperare poſſunt: ſuffecerit mihi ſi procul Cælum hoc contemplatus fuero, ſi radices montis hujus circumire, ſi fragili ſcapha maris hujus immenſi rivos aliquos mihi findere licuerit: ut ne videlicet in hoc volatu cum Jearo ſubmergi, in hac viſione cum Philippo excæcari & de ſpecioſis hujus montis ruinis cum Polidamente opprimi mihi contingat.

De oſſe nil referam, ſicut & pauca de oſſibus in ſequenti Anatomia tractaturus ſum, tanquam iis, quæ nec doctrinas hieroglyphicas, nec ſymbolicas, Emblematicas, Proverbiales, nec hiſtorias, nec ritus, obſervationes, conſuetudines, nec alia admittunt (ſi inde Anatomicas, & myſticas detraxeris) de quibus non ſolum, ſed & de univerſitate partium humanarum ratiocinari conſtitui. Diſcurrant pro libitu ſuo Authores de oſſe cranii, & commiſſuris ejus, cur compoſitio ejus & craſſa & rara ſit: & ut totius ſit corporis quaſi caminus aliquis, de duplici tubulato Cranii, uſum præfatarum commiſſurarum, Lambdoides, rectæ, ſagittalis, & coronalis exponant: diſcooperiant frontiſpicium cum Occipite, denudent Calvariam totam, ut viſui repræſentent quæ Commiſſuræ veræ ſint, quæ impropriæ: cur hæ in modum ſquammarum ſint: recenſeant & explicent uſum primum, & ſecundum: numerent in ordine unumquodque oſſium cranii, deſcribendo ad punctum uſque, figuram illorum, & ſubſtantiam, & foſſas, & foramina, & ſinus; examinent cujusque horum ſeparatim, & formas, & ſitus, & eſſentias, & diſpoſitiones oſſium, Occipitis & Sincipitis, & temporum: horum diſparitatem, inæqualitatem, ſimilitudinem, proportiones, & qualitates: examinent porro horum eminentias & proceſſus, notent inter calvariam & maxillas diſtantiam: ubi os ſphenoides ſitum ſit, & cum occipite connectatur, & poſthæc prolixa ſtructura ſua oſſibus temporum conjungatur, quod habitu & conſiſtentia ſua totum inæquale eſt. Dicant quod eorum quædam poros ſuos habeant, à Galeno obſervatos, per quos propagines nervorum & arteriarum ferantur; Deſcendant hinc ad os Ethmoides, idque exponant perforatum, non ſecus ac cribrum, ejusdemque rationem adducant; cur proinde ex parte una ſit tanquam chriſta galli gallinacei, ex altera rarum, laxatum, fungoſum, ſpongioſum, in modum pumicis, quod cavitatem narium adimplet, unde attrahantur odores, quod loco ſuo memorabitur: Denique perſcrutentur ſi Cranium figuram det cerebro, aut cerebrum Cranio; has aliasque quæſtiones, non mediocres, has indagines, has facultates, in quibus tam præteriti quàm præſentis ſæculi celeberrima ingenia deſudarunt, interim prætereo, tanquam partes inanimas privatas rationali anima, & ad conſideranda pretioſa earum contenta accingor.

Facturus nihilominus idipſum cum omi brevitate poſſibili, imitando viam & methodum Andreæ Laurentii Inclyti Viri, qui nomen ſuum per Illuſtriores Mundi ſcholas inſignivit, qui ampliari, & dilatari Lauros ſuas in quadam prima Regiarum totius Univerſitatis fecit, Franciæ nimirum, ubi inter lilia copioſius virideſcere edoctus eſt, & famam ſuam, & æſtimationem, & authoritatem adaugens, utpote qui eouſque clarus ſit, brevis, ſuccoſus, exactus, ut nulla ſit nec minutiſſima partium, nullus ibi muſculus, fibra nulla, quantumvis abditiſſima, & remotiſſima, quam non in lucem produxerit. Hic metam, normam, & lumen ſcriptioni meæ ſuggeſturus erit.

Hic ergo cum tanto authore Os Cranii apertum intueor, ubi duæ ſe mihi membranæ offerunt ab Arabibus antiquitus piæ Matres appellatæ, quæ videlicet non ſecus ac fideles genitrices tenerrimum cerebrum, aliaque his contigua tanquam filios cum cautela & ſedulitate magna complectuntur & tuentur. De his refert Hippocrates, eas temporis ſucceſſu converti in tunicas, earumque diſcrepantiam, in tenuiori & craſſiori eſſe materia: continent hæ & ſubtus & ſupra, cerebrum: quarum exterior dura eſt, craſſa, & cuticularis, correſpondens figura ſua, & magnitudine proportioni Oſſis Calvariæ: dum cranium nec ſinum, nec cavitatem habet, quæ hac ipſa non repleantur; In ſuprema regione duræ Meningis nomen habet, quæ durities correſpondet pleuræ, & peritonæo: in regionibus vitalibus, & naturalibus, ex omni parte Duplex eſt, unde & Moderni unam earum internam ſtabiliunt, candidam, & humore aqueo aſperſam, quæ tunicam tenuem reſpicit, alteram externam Oſſi Calvariæ contiguam. Verſatiſſimus Laurentius non niſi unam ſolam agnoſcit, & ait, duram hanc Meningem firmiter adhærere baſi Calvariæ, de ſuperiori nihilominus parte Cranii eatenus latam, quate-

nus dilatando, vel conſtringendo cerebro neceſſe eſt; colligatur autem Cranio, mediantibus villis, qui per commiſſuras creſcendo, ipſum propemodum pericranium conſtituunt: connectitur membranæ tenui mediantibus venis, quarum operâ cerebrum firmum redditur.

Hæc membrana multis foraminibus pervia eſt, per quæ ſe nervi, arteriæ & venæ, tanquam per infundibulum ſuum in medullam dorſalem effundunt: In ſummitate capitis reduplicatur, & dextram à ſiniſtra cerebri parte diſcriminat; nec tamen ad baſin pertingit, ſed ad cerebi medium usque, ubi duplicatione ſua falcem meſſorum repreſentat, unde & à peritis Anatomicis tali nomine appellari conſuevit; In poſteriori vero parte quadruplex eſt, & illic cerebrum à cerebello, non totum ſed ex parte diſtinguit. Inter has plicaturas & duplicitates quatuor ſinus conſpicui reperiuntur qui tanquam abundantes rivi, & vaſorum majorum vicarii undequaque per ſubſtantiam cerebri ſanguinem diffundunt.

Intrant in hos ſinus venæ internæ jugulares: cumque cerebrum ampliſſimum ſit, nec trunci venarum ad illud usque pertingere poſſint, hos Rivos natura fabricavit, tanquam aquæductus, in quos venæ copioſiſſimum ſanguinem effundant, ad nutrimentum cerebri, & generationem ſpirituum animalium. Horum ſinuum primi duo laterales ſunt, & eorum exitus primus grande foramen, vicinum occipiti, format; per quod jugulares venæ ingrediuntur, quæ ad principium Suturæ Lambdoidis terminantur, ubi utræque uniuntur.

Naſcitur de his ſinus tertius, qui per longitudinem commiſſuræ ſagittalis diſcurrens, ad oſſa narium conducitur: de his verò vagando multæ venulæ, ex omni parte per membranam tenuem diſperſæ procedunt: extenditur ſinus hic ad extremitatem frontis, unde nõ immerito docet Hippocrates, percuſſa fronte, caput univerſum inflammari. Quartus ſinus cæteris brevior inter cerebrum, & cerebellum vadens, in extremitatibus convexis cerebri terminatur, nates cerebri ab Anatomicis appellatæ: harum uſus admirabilis eſt, ſicut & venarum ab eo ſinu, tanquam à perenni fonte, divaricatio.

In aliis corporis partibus venæ in tantum arteriis vicinæ ſunt, ut ſe invicem tangant, & venæ arterias ſibi ſocias ſemper habent: in cerebro autem, varia & diſſimilis hæc diſtributio eſt, dum orificia venarum deorſum verſa ſunt, arteriarum verò ſurſum ſpectant.

Irrigant laudabili ſucco cerebrum venæ, arteriæ verò ſpiritum continent, qui per levitatem ſuam facile aſcendit: Cum ergo venæ orificia ſua deorſum ſpectantia habeant, primò illis aſcendendum erat, quod nec per cutem externam poterant, nec per oſſa, nec per medullam interiorem cerebri, itaque id fit per duplicaturam duræ meningis.

Multiplex uſus eſt Membranæ duræ: primus eſt cooperire cerebrum, & medullam ſpinalem, atque eandem contra injurias quasvis tueri: ſecundus eſt, diſterminare cerebrum in latus dextrum, & ſiniſtrum, in anticum & poſticum: Tertius ad recipiendum venas omnes, quæ calvariam nutriunt, ſitque tanquam caldarium cerebro, & membranæ tenui, quæ continet: de qua etiam partes ſanguinem ſuum pro neceſſitate recipiunt. Detracta nihilominus & rupta membrana craſſa, conſpicuam ſe & viſibilem reddit Pia mater, propter tenuitatem & mollitiem ſuam ſic nominata: quæ talem ſeu compoſitionem habet, ut in omnem cerebri ſinum ſe inſinuare facile poſſit, ita ut per gravitatem ſuam oneroſa cerebro non ſit, ſimul ut per totum corpus illius portare vaſa poſſit, ideo & Secundinæ nomenclaturam adepta eſt. Hæc proprium velum, & operimentum eſt cerebri, quippe quæ non ſolum ſuperficiem externam operit, ſed ultra tendit, inque occulta penetralia & receſſus ingreditur: extendit ſe, & prolongat in ventriculos usque, non à parte ſuperiori, ut vulgus opinatur, ſed inferiori: in his partibus aſcendit, ubi velut catinum quoddam eſt, per quam portantur arteriæ quædam exiguæ de iis venis quæ carotides, & cervicales nominantur per latera ſphenoidis.

Admirabilis hic providentia naturæ eſt in harum membranarum ſitu, ſicut enim Creator, focum tenuiſſimum, leviſſimum & tariſſimum ſeparavit à terra, craſſa, denſa, graviſſima, & opaca, idque per aëris ſpatia, & aquarum divortium: ita & Natura imitatrix & æmula divinorum operum, duriſſimam calvariam à molliſſimo cerebro per interpoſitionem geminæ membranæ diſtinxit: quam triſtis, quam injucunda futura fuiſſet vita noſtra, ſi tenera & dura ſe invicem ſemper ſine medio ullo colliderent, & concuterent?

Hac porro meninge pia remotâ, Cerebrum ipſum prodit. Hoc illud eſt, quod junctum cordi eſſentiam homini miniſtrat, de quo videlicet formatur ratio, intelligentia, & ratiocinatio, unde formantur nutrimenta, & ſpirituum univerſorum generatio: animalium præſertim: à quo, & per quod formatum caput eſt; contentum continente ſuo multò nobilius, quamvis & hoc quaquaverſum ſpectabile ſit, cum caput in omni natione terrarum tanquam ſacrum aliquid ſemper ſit in veneratione ſua habitum, & obſervatum, per quod Ægyptii Sacerdotes jurabant: quod ſecum radios majeſtatis portat, in quo etiam ſplendores divini perlucent, tanquam opus, & ſublime artificium altiſſimi Dei.

Hæc pars excelſior cæteris, & vicinior cœlo eſt: hæc fidiſſima petra ſenſuum eſt: altiſſimum mentis culmen: hæc Regimen & gubernaculum totius obtinet: cerebrum non tantum ſedes eſt ſenſuum & motuum: ſed Artifex vaſtiſſimam molem membrorum dirigens, ſicut & prætumida corpora nervorum, idque per fibras, non ſecus ac per muſculos; ad eorum, qui conſtructionem iſtam diligentius, & ſolertius perveſtigaverint, ſtuporem & miraculum:

Hoc domicilium ſapientiæ eſt, & memoriæ, & judicii: audacis naturæ prodigium. Hoc in formam orbicularem compoſitum eſt, tum ut capacitas ei major eſſet, tum ut ſecurius adverſitati omni, quæcunq; eventura ſit, obſiſtere valeat, nec quovis modo ab eadem offenſionem ullam patiatur. Accedat ad hæc, quod huic parti propemodum divinæ, figura quoque omnium perfectiſſima, non promiſcua conveniebat: cujus præterea magnitudo, quodvis animalium cæterorum cerebrum facile vincit: ita quidem ut hominis unius cerebrum duorum boum cerebro æquivaleat, & mole, & quantitate. Hoc ita per ingenioſam naturæ providentiam diſpoſitum fuit ad varietatem functionum animalium exercendam, imo perfectionandam. Sentiunt quidem & bruta, ſed eorum ſenſus totus in gratiam eſt appetitus animalis: quæ etiam naturali quadam intelligentia conducta, à noxiis abhorreſcunt, & per inſitam inclinationem ad ſibi profutura feruntur

Subſtantia cerebri mollis eſt, candida, & medullaris, de puriſſima ſeminis & ſpirituum portione fabricata, ita ſibimetipſi propria, ut in compoſito alio nunquam eadem ipſa inveniatur: nec enim medulla quæ in cæteris oſſium cavernis eſt, huic par eſt, illa enim non colliquatur, nec verò inediâ, aut febrili calore diminuitur: continetur autem calvariâ ſuâ, ut cranium nutriat: cranium nutritur, ut contjnere me-

1. de motu muſc.

dullam hanc poſſit. Ait Galenus fluidam eſſe medullam oſſium, ſimilemque pinguedini, nec tunica coopertam, nec interſecatam arteriis, aut venis, nec participationem ullam habere cum muſculis, aut nervis, prout facit medulla cerebri, quæ glutinoſa magis quam pinguis eſt: quam Hippocrates idcircò partem glandulosam appellavit, cum ſit candida, & friabilis. Hæc capiti has commoditates ſubminiſtrat.

libello de glandulis.

Sedet in ſimilitudinem ventoſæ, atque ideo inferiorum partium reſpirationes omnes abſorbet, quarum exhalationibus ſi calvaria oſcitatione ſua, ut ita dixerim, meatum non daret, & niſi tantisper hiatu ſe quodam aperiret, nimio ſe calore cerebrum repleret. Subſtantia cerebri mollis eſt, tum ut tanto facilius imaginationes rerum viſarum ſe imprimant, tum ut nervi tanto tractabiliores ſint, tum denique ut ponderoſa duritie ſua non gravet. Candida eſt, quia ſpermatica: idque ratione finis, ut videlicet animales ſpiritus limpidiſſimi ſint, & non obſcuri, vel tenebroſi: quales melancholicorum ſunt.

Quare ſubſtantia cerebri mollis ſit.

De hac etiam medullari ſubſtantia, temperamentum frigidum & humidum colligitur: his qualitatibus excedit, ne forte cogitationum continuatione ſuccendatur, cum ſit pars hominis hiſce functionibus deſtinata; tum vero etiam quod ſpiritus animales facillime diſſipari & evaneſcere poſſent. In cerebro calido, motus furibundi eſſent, & temerarii, & delirantes ſenſationes, ſicut phreneticorum ſunt. Junguntur his ſomnia inquieta, quæ ſi modum ſuum teneant, facultatibus animalibus quietem indulgent: & quæ ſi calidum cerebrum eſſet, de limpiditate ſua deſciſcerent, cum ſit proprium caloris, ſublevare & perturbare rerum conſequentiâ.

Cerebro refrigeratur cor.

8. de uſu partium.

Cognovit Peripateticus officium principale in cerebro, nempe ut inde cor refrigeretur: Galenus nihilominus ad hunc ſolum uſum conſtitutum eſſe intelligi non vult, quin potius ut facultatibus ſenſuum & horum principiorum exitum præbeat: tum ut generationi Spirituum animalium inſerviat.

Motus cerebri.

Habet motum ſuum non animalem, aut voluntarium, nec violentum, ſed naturalem, & hic proprius & peculiaris eſt generationi ſpirituum animalium, temperamento, & purgamento aliarum præterea rerum, non ſecus ac arteriarum. A ſemetipſo ſe dilatat & contrahit: in diaſtole ſua cum admirabili plicatura ſpiritum & aërem narium trahit: in ſyſtole, interiores ſinus contrahit, & profundit ſpiritum animalem in ventriculos ſuperiores, in tertium, & quartum, ſicut & ſenſum in organa. Sentit cerebrum, cum ſit ſenſuum author, ipſum tamen ſine ſenſu eſt, cùm communis ſenſûs ſedes ſit, omnium enim horum Judex eſt: ſicut ergo nec audit, nec videt, ſic nec tactum ad ſenſibilia ſentienda poſſidet.

Structura cerebri.

8. c. 9. de uſu partium. Anatom. 7.

Quemadmodum præcipuum membrum hoc diverſarum facultatum matricium ſenſificarum faber eſt, ita & mirabiliter cum diverſarum partium ſtructura fabricatum eſt. Præfatas partes copioſiſſime deſcripſerunt, primum Galenus, tum & Veſalius exactiſſimus obſervator: dictas partes cum claritate limpidiſſima exponit author meus: quæ ſingulæ à me (qui brevitati, quantũ poſſibile eſt, conſulo) an exactè repreſentari poſſint, neſcio. Dicam inprimis omnem eam partem, quæ à nobis calvaria nominatur, cerebrum appellari ſolitum eſſe: duo ejus extrema ſunt, anterius nimirum, & poſterius: quorum illud primum retinet totius nomenclaturam, pars poſterior cerebellum appellatur: hæ autem partes invicem dividuntur de medulla quadam craſſa, per duplicaturam quandam, non ex omni parte tamen, ſed ex ſuperiori ſolum, namq; in media & inferiori unum alteri vicinum & contiguum eſt.

Rurſum anterius cerebrum mediante proprio diaphragmate in dextram & ſiniſtram partem deſcribitur, intercedit autem portio quædam duræ meningis, quæ à figurâ ſuâ, prout memoratum eſt, falx nominatur: idque ob faciliorem motum, & levitatem, & nutritionem medullæ interioris. Hujus ſuperficies exterior ſubcinericia potius, quam candida apparet, multos habens anfractus & circumvolutiones, quarum non paucæ ſubſtantiã ipſam cerebri introgrediuntur & penetrant, unde & ſubſtantia talis varicoſa nominata eſt.

Ridendi ſunt, qui cum Eraſiſtrato hos ſinus formatos idcirco credunt, ut per eos intelligentia formetur, quia tali modo & ipſi aſini (ait Laurentius) intelligerent utique. Vult hic cum Galeno, tali ratione & cum tot meandris, & intorſionibus cerebrum formatum eſſe, ut habere nutrimentum ſuum, & ſuſtinere tot vaſa ad ſe ſpectantia poſſit: cùm enim illic moles ejus vaſtiſſima ſit, quî fieri poteſt, ut venæ & arteriæ, quæ per ſuperficiem ſolam diſcurrunt, ſufficientes ſint, ad nativum calorem illi ſubminiſtrandum? Quidam arbitrantur hos gyros fabricatos eſſe, propter levitatem, ut nimirum tanto promptius moveri poſſit: alii rurſum ut medulla ejus tanto fortior & robuſtior ſit, ita ut molle humidumque, ab hac & illa parte diſcurreret: dixerunt nonnulli idcirco factum, ut ſpiritus & ſanguis levamentum ſuum habere, & recreari poſſint, ne videlicet dictum cerebrum in diaſtole ſua, tempore plenilunii exceſſivo calore ſuffocetur. Concludunt alii propterea factum, ne continuo motu ſuo vaſa disrumpantur aut relaxentur.

Qui, prout debet, externam hanc ſuperficiem contemplatus fuerit, ſiquidem duobus tribusve digitis hæc medulla cerebri in profundum ſecata fuerit, continuò pars altera candida, & durior, cum venulis quibusdam, & arteriis parvis, quæ aciem oculorum prope ſubterfugiunt, apparent: connexam habet membranam quandam tenuem, quæ corpus calloſum appellatur, hujus interventu eæ partes, quæ prius diſcretæ fuerant, in dextra, & ſiniſtra continuantur.

Eſt corpus calloſum hoc in ipſo propemodum cerebri medio (hocque inter ſupremum & imum intelligendum eſt) apparet autem duobus ventriculis cavatum, dextro, inquam, & ſiniſtro. Hi primi ſinus cerebri ſunt, qui à Galeno anteriores nominantur; melius à nobis ſuperiores dicantur, figurâ ampliſſimi, ſicut & ſitu, & magnitudine & uſu, reliquis omninò ſimiles, portant figuram ſemicirculi, aut falcis, aut Lunæ falcatæ: in medio cerebri ſituantur, eodem enim intervallo à fronte, quanto ab occipitio diſtant, tanto à baſe, quanto à ſummitate: propter quod non rectè anteriores dicuntur: ſed potius primi vel ſuperiores dicendi ſunt. Magnitudinem æquivalentem habent, cùm ſecundum proportionem aliarum partium ampliſſimi ſint: nam tales eſſe oportet, ut ſpiritum craſſiorem continere valeant. Duo ſunt, ut impedito altero, hæ functiones interceptæ non ſint, alterque alterius vicem ſuppleat.

Multiplex horum vaſorum, vel ventriculorum uſus eſt: inprimis ad præparationem ſpirituum animalium, unde & *inchoatio ſpiritûs* appellantur: deinceps ad inſpirationem & reſpirationem cerebri: tertiò ad recipiendum, & attrahendum odorem.

Sunt illic quaſi labyrinthi quidam exigui, qui per particulam unam membranæ tenuis, quæ aſcendit, diſcurrunt: in quorum medio ſpiritus animalis coquitur, attenuatur, & præparatur: duo illic proceſſus, vel tubercula protenduntur ſimillima papillis mamillarum, parti inferiori horum

ſinuum, aut vero oſſibus narium propinqua, in modum cribri perforata, cooperta membrana tenui, quæ tamen inter nervos non numerantur, cum de cranio non cadant. Per hæc ad cerebrum aër portatur, & ad idipſum ſpecies odorum conducuntur: unde & organa odoratus nominantur: id quod Hippocrates dixit: *Olfacit cerebrum humidum exiſtens aridorum odorem, unà cum aëre per corpuſcula ipſum trahens.* *In libello.*

Diſtinguit hos ſuperiores ventriculos, certa quædam cerebri particula, quæ ſeptum lucidum, aut petra ſpecularis nominatur. Sub hoc illud eſt, quod Arantius à figura vermiculari, & bombicina nominavit.

Tertio loco ſe corpus calloſum offert, compoſitum per modum cameræ vel fornicis, idcirco & camerale dictum, quaſi tribus quibusdam columnis ſuſtentatum & erectum: repræſentat autem compoſitione ſua figuram triangularem, conſtantem lateribus inæqualibus, à parte poſteriori quaſi duplici arcu, ab anteriori uno ſolo. Uſus corporis hujus, idem qui in fabricis fornicum vel architrabium eſt, quod & teſtudo nominatur, quæ ſicut alter Atlas ampliſſimam molem cerebri totius ſuſtentat, ne ventriculum tertium comprimat.

Apparet ſub camerato hoc, ſinus tertius, qui aliud non eſt, quàm cavitas communis (& concurſus duo, qui ſe in cavitate prædicta explicant) quæ cum humillima ſede ſua quodammodo cedit. Hic ſinus à Galeno ventriculus medius appellatur, vel quod intra duos ſuperiores, & quartum inferiorem ſitus eſt, vel quod quaſi centrum cerebri occupet, dum tantundem diſtat ab occipite, quantum ab oſſe frontis. In eo obſervantur meatus vel canales duo, quorum unus ad baſem cerebri deſcendit, alter in quartum ſinum dirigitur: unus eorum & ſtatu, & poſitione humiliori ultra tendit, in cujus extremitate oſtium quoddam parvum eſt membranæ tenuis; primùm quidem dilatatum, & apertum, poſthæc anguſtius in ſimilitudinem infundibuli, unde & nomen illius, ſicut & catini mutuatur; per hoc tanquam per manicam Hippocratis, percolatur pituita cerebri.

Sub hoc catino extenditur glandula pituitaria dicta, quæ tanquam ſpongia, aut caro vaporoſa, & bibula, attrahit, & imbibit excrementa ſuperflua cerebri, & ea ſenſim per cunei foramen diſtillat. Apparent hic à lateribus plexus duo, qui à Galeno rete nominantur: Tres hæ particulæ, nempe Infundibulum, glans pituitaria, & rete monſtrari non poſſunt, niſi detracta, nudata, & levata medulla cerebri univerſa.

Meatus alter aut canalis ventriculi tertii, amplior primo ad quartum ſinum dirigitur, de hocq; ad illum via eſt, in qua particulæ quædam exiguæ ſe offerunt, & primum quidem glandula turbinatæ figuræ, non diſſimilis nuci pineali; dicunt eam pro fundamento, & firmamento venis eſſe, & arteriis in cerebro ſparſis, ſicut & aliis glandulis puris, ut libera via pateat omni animali ſpiritui, ad tertium & quartum ventriculum.

A tergo canarii corpuſcula quædam rotunda ſunt, & duriora, quæ quaſi nates formant, ſub quibus tubercula quædam apparent, per modum teſtium: quorum uſus eſt, ut canalem forment, qui de tertio ad quartum ventriculum deſcendat, & (ut dici ſolet) ſalvum conductum ſpiritui animali præbeat.

Denique ſinus quartus occurrit, communis cerebello, & medullæ ſpinali: minimus omnium parvitate ſua, ſed ſolidior cæteris; Hic à principio ſuo dilatatus, ſenſim reſtringitur, donec in acumen terminetur, in modum pennæ ſcriptoriæ, unde & hoc nomine à verſatiſſimis Anatomicis appellatur, inter quos Hierophylus eſt. Errant autem qui opinantur, membranam eſſe tenuem & plenam rugis: neceſſarium autem erat hunc in dilatatione cerebri diſtendi, & in ejusdem contractione complicari. Brevis & ſuccida eſt hæc deſcriptio cerebri anterioris, & partium ejus.

Succedit huic cerebrum poſterius, appellatum Cerebellum, quod à natura ad beneficium, & levamentum prioris formatum videtur: idque ut ſpiritus animalis de ſinubus cerebri tranſmiſſus, hujus ope conſervetur, aptetur, & ad medullam ſpinalem ablegetur. Figura ſua largius eſt, quàm longum ſit aut profundum, exprimens formam ſphæræ, vel globi compreſſi, & dilatati: quod ipſum quoque membrana tenui & dura opertum eſt, non ex omni parte nihilominus: ab inferiori parte enim viciniori cerebro contiguum eſt, & color ejus ſubcinericius, ſubſtantiæ craſſioris & durioris anfractus ejus exteriores ſunt, & ad interiorem uſque medullam pertingunt: decuplò minus eſt cerebro.

In illa parte calvariæ ſitum eſt, quæ duabus foſſis occipitis circumſcribitur: totum ex quatuor partibus formatur, quarum duæ laterales ſunt, & quaſi binos globos ſibi invicem oppoſitos conſtituunt; duæ reliquæ in medio conſiſtunt, & quaſi proceſſus quidam ſunt, qui vermium figuram referunt, unde & proceſſus vermiformes vocantur: quarum unus anterior, meatum apertum tenet de tertio ad quartum ſinum: alter ad partem poſteriorem medullæ ſpinali incumbit, & ad quartum ſinum reflectitur, quem apertum ad motus neceſſarios tenet.

Interim de ſubſtantia unius alteriuſque cerebri tanquam de radicibus ſuis propriis egreditur ramus, ſpinalis, inquam, medulla, à quibuſdam cerebrum longum appellata. Spiritus Sanctus in Eccleſiaſte, cum eleganti, quamvis obſcura allegoria hanc medullam funem argenteum nominat, ſic & receptaculum ejus fiſtula ſacra dicitur: appendix autem & vicaria cerebri reputatur: nec enim hujus dignitas & officium inferiora ſunt dignitati cerebri, ſic nimirum hujus & illius natura ſe providam conſervatricem præbet: & quemadmodum cerebrum oſſibus calvariæ munitum, & circumvallatum, duabusq; tunicis opertum eſt, ſic altera, circumdata eſt & munita vertebris ſuis, tanquam ſepimento ſuo, tecta etiam dura & tenui meninge, diuturnam oppreſſionem non ſuffert.

Sed veteres opinati ſunt integra defluctione quadam, aut vero etiam luxatione ſola vertebrarum ſubitaneam evenire poſſe mortem. Neceſſaria fuit creatio hujus: ſine concurſu etenim ejus per univerſum corpus derivari nervi non poterant: præſertim qui ſextæ conjugationis eſt, tam minutus, ut ad plantas uſque prolongari non potuiſſet: nec vero etiam prædicti nervi vaſtiſſimam membrorum molem commovere. Idcirco altiſſimus Deus medullam creavit, cui fecunditatem generandi nervos contribuit.

Naſcitur hæc de utroque cerebro, non de inferiore aut cerebello ſolo (prout minus experti judicant) cum mediante illo, tanquam de communi officina & aquæductu ſpiritus animales diffundere ſe in nervos debeant, tanquam in rivos, atque inde in totum corpus deſcendere: qui ſpiritus perfectionem ſuam in ſinubus cerebri naciſcuntur. Conveniens itaque erat locare & ſtabilire principium illius prope illorum ſpirituum officinam: qui etiam in tertio & quarto ventriculo continentur: & hi puriſſimi ſunt, omnimodo ab omni impuritate defæcati, & mundi.

Spinalis medulla ergo de quatuor quaſi magnis formatur radicibus, quarum duæ majores de una alteraque cerebri parte naſcuntur: alteræ duæ minores de cerebello. De his quatuor ſimul junctis medullæ ſpinalis corpus compingitur. De hoc autem deinceps quaſi infiniti quidam ſurculi oriuntur, & in

plures ramos fructificant, qui in partes corporis univerſas propagantur: & qui à veteribus Anatomicis olim in varias conjugationes diſtincti fuerunt.

De Modernis noſtris ſic medulla hæc dividitur: pars ejus, inquiunt, calvariæ includitur, & illic obſeratur, altera foris eſt. De illa quæ ab intro eſt, ſeptem nervorum paria naſcuntur: hinc proceſſus mamillares ſunt, & principalia odoratûs organa. Altera medullæ pars, munita & circumvallata vertebris, motum ſyſtoles, aut diaſtoles non habet, ut nimirum ſubſtantia ſe cerebri includeret oſſibus, quæ motum habent: unde hic apparebit, qualiter nervi per brachia, per femora, perque alias principales partes, & inferiores divaricentur.

Hic caudex, aut ramus cerebri coopertus membrana tenui, aliquantum diſtat à dura: per teneram autem venulæ quædam diſcurrunt, & arteriæ minutæ, diverſimode implicatæ, quæ medullam nutriunt, & per eandem vitales ſpiritus diffundunt.

Egreditur medulla hæc per foramen amplum, & rotundum è calvaria: primùm ampliſſima, & craſſiſſima, quæ paulatim attenuatur, dum de ſubſtantia ejus deperit aliquid, nil tamen de corporea mole, quam ubique eandem retinet: pertingens denique ad dorſi finem in varios ramos conſumitur, qui omninò caudam equi figurant: atque hic terminum ſuum conſequitur.

Quaſi infinitus nervorum numerus eſt, qui ab eadem derivantur: hi vero, dum illi, qui quaſi infiniti ſunt, egrediuntur, ſe uniendo tanquam corpus unum formant; volueruntque Anatomici tot nervorum eſſe paria, quot ſunt vertebrarum foramina. Omnis interim nervus à principio ortus ſui multas habet fibras conflatas, & productas de ſubſtantia medullari, & membrana tenui: & hæ fibræ deſcendendo paulatim de medulla ſeparantur, & dum foraminibus vertebrarum appropiant, craſſa quadam membrana, tanquam tunica induuntur, & in unum ſe reducendo nervum conſtituunt, qui dum per foramen ſuum egreſſus eſt, in iisdem foribus rurſum divellitur.

Interim quanto longius ſpinalis medulla deſcendit, tanto altius nervorum fibræ naſcuntur, & longinqua habent principia: ſicut nervi dorſales, & lumbares, ſi attentius obſervati fuerint, de cervicali medulla deſcendunt. Ab initio lumborum uſque ad extremum Oſſis Sacri multi funiculi craſſiores inveniuntur, qui tamen invicem uniuntur ea ratione, quâ pori vertebrarum, ut dum in anteriora, & poſteriora ſpinalis medulla incurvatur, non nimium violenter agitata, aut premeretur, aut rumperetur, neceſſarium itaque erat eam in inſtrumenta capillaria terminari. De his autem hactenus rationatum ſit: quandoquidem definire ſingula cum circumſtantiis & conditionibus ſuis, idem eſſet, ac numerare velle arenas maris, & ſtellas firmamenti.

Cum autem calamus mihi ſit in prædictis & brevis, & imperfectus (præſertim quod hæc profeſſionis meæ non ſint, quâ mihi cura animarum non corporum incumbit) multò potius talem illum eſſe conconfiteor, in diſcutiendis quæſtionibus illis arduis Galeniſtarum, contra Peripateticos, Hippocratis, Avicennæ, Raſis, & intra modernos Veſalii: videlicet an cerebrum principium ſit facultatum: quomodo facultas ſenſitiva duplex ſit, interna, & externa: qua ratione fiant imaginatio, & intelligentia: de quali temperie cerebri, ſedes memoriæ fiat: de loco majori, & ſitu principali animæ rationalis: cum Hierophylus eam in vaſe cerebri collocet, Xenocratres in vertice capitis, Eraſiſtratus in membranis cerebri, Empedocles, Epicurei, & Ægyptii in thorace pectoris, Morchius in univerſo corpore, Heraclitus in agitatione extrinſeca, Herodotus in auditu, Blemor Arabicus, & Sinenſis Medicus Cyprius in oculis, Strato Phyſicus in ſuperciliis, Peripatetici & Stoici facultatem hanc omnem in corde collocent. Concludam ego cum Vetulo famoſo Coi: *Cerebro*, ait, *intelligimus, deliramus, inſanimus, cum aut calidius fuerit, aut ſiccius, aut frigidius*; idipſum & Galenus ſentit. Hiſce auream Philonis ſententiam adjungo, qui ait: *ubicunque ſatellitium regium eſt, & Rex à ſatellitio ſtipatus ſedem habet; ſed totum animæ ſatellitium, ſenſuum quippe organa in capite ſita ſunt, ibi ergo ſedes animæ præcipua.*

de morbo Sac.
de Placitis c. 4. l. 3.
de lois effectis.

Nec vero etiam mentis oculum uſque adeo perſpicacem eſſe reor, ut ad unam omnes ſedes, & reſidentias facultatum dignoſcere valeat: id ſolum referam quod Galenus ſentit, qui arbitratur, earum omnium originem in cerebro eſſe, non in cæteris organis, prout facultas motus eſt, & ſenſus. Arabum univerſa Schola harum diverſas manſiones partita eſt in cerebro, & cuique facultatum ſuam propriam ſedem deſtinavit: idipſum etiam Avicenna & Averroës voluerunt. Hæ opiniones validioribus argumentis ſtabiliri poſſent: ſed iis ea remitto, qui hæc fuſius aut tractare, aut indagare ſtudendo ſatagunt. Porro nec modica nec brevis quæſtio eſt, ſi nimirum facultates præcipuæ à temperie cerebri dependeant, aut de conformatione ejus: hoc eſt, utrum actiones ſimilares ſint, aut organicæ. Obſcuriſſima quæſtio, in quâ ſe plura etiam illuminata ingenia intricarunt. Ad hanc nihilominus obſcuritatem magnam attulit elucidationem Plato, tum cum nos monet: *Non recte ſe habet anima, in denſo, aut lutulento, molli nimis, aut duro cerebro: molle enim celeres quidem ad percipiendum efficit, ſed eosdem oblivioſos; durum diu memores, ſed ineptos ad percipiendum efficit: denſum ſimulacra obſcura continet.* Et Galenus: *Melius foret exiſtimare Intellectum ſequi non varietatem compoſitionis, ſed corporis, quod cogitat, laudabilem temperiem; neque enim perfectio intellectus quantitati ſpiritus tam attribuenda eſt, quàm qualitati.* Unde ad ſuperiora quæ à præfatis allata ſunt, concludit Laurentius. *Ex his ſatis patere arbitrantur quidam facultates Animæ non à conformatione, ſed à temperie cerebri exerceri.*

de Placitis.
Fen. 1. Doctrin. 6. c. 5. in Canticis. lib. de memoria.
in Theeteto?
8. de uſu partium
de uſu c. 9. l. 2. de Animalibus.

De uſu cerebri Ariſtoteles ſentit, idipſum ſolùm ad refrigerandum cor formatum eſſe, itaque compoſitionem ejus humidam eſſe & frigidam: quam ſententiam Galenus refutat. *Cum cerebrum*, inquit, *actu, quovis ambiente aëre, etiam æſtivo calidum ſit, quomodo refrigerabit cor? an non ab aëris inſpiratu hauritur? temperabitur potius? ſi dicam Peripateticis non ſufficere aërem externum refrigerando cordi, ſed requiri aliquod viſcus internum: hoc eis obtrudam, cerebrum longiſſimo intervallo à corde diſſitum eſſe, & oſſibus calvariæ undique obvallatum: debuiſſet, mehercule, aut in thorace locari cerebrum, aut ſaltem interjecta cervice oblongiore non diſtingui.* Hæc Quæſtio non de ſimplici pennæ tractu eſt, dum per has undas expertiſſima etiam navigia naufragârunt: cumque ſe in portum evadere poſſe deſperarent, prout non raro accidit iis, qui margaritas piſcantur, ceſſare ab indagando coacti ſunt: unde & ego, dum tales video illuc non potuiſſe pertingere, iter tam laborioſum, & prædictas ſyrtes evito: videlicet qualis ſit ſpirituum natura, modus, & locus generationis: erronea de hoc opinio Argenterii, admirabiliter à diligentiſſimo Authore meo confutata: utrum præterea ſe cerebrum moveat violenter, & vigore connaturali, aut vero per motum arteriarum:

de uſu partium. 8.

ardua, longa, & difficilis omninò quæſtio, ſi ulla alia, an nimirum ſentiat cerebrum, & quomodo: in quo loco rurſum diverſæ ſunt Galeni, Hippocratis, & Peripatetici ſententiæ. Prætereo haſce doctrinas, tum quod obſcuræ ſunt & difficiles, tum quod non tam ad Anatomicum hæ ſpectent, quantum illa quæ ſuperius jam relata, & adhuc referenda ſunt; potius ad philoſophiam naturalem pertinent.

Quapropter in ultimo loco ſe mihi offert de qualitatibus ſicut & de cerebri temperamento ratiocinatio: ubi denuo non paucæ ſunt à multis partibus introductæ opiniones, quas ego tamẽ quâ poſſum brevitate perſtringam. Conſentiunt interim hic & Peripatetici, & Medici, cerebrum in qualitatibus ſuis activis frigidum eſſe, in paſſivis humidum: diſſentiunt nihilominus Medici ab eo, quod Peripateticus retulit, dum cerebrum frigidum id circo ſtatuit, ut refrigerando cordi ſerviret: Medici non minus calidum volunt: dum illud Galenus quovis æſtivo aëre calidius eſſe docuit.

De partibus Animal. c. 7. t. 5.

Sunt nonnulli, qui Galenum, & Ariſtotelem conciliant, duplex temperamentum cerebri admittendo, inſitum unum, alterum influens. Frigidiſſima eſt compoſitio medullaris ſubſtantiæ illius, ſed de influente ſubſtantia calefit, dum circumdatum & perfuſum eſt à ſpiritibus multis, multiſque Arteriolis interceptum. Si innatam temperiem ejus intuemur eadem eſt, quæ ſpinalis medullæ, dum ſubſtantiam cum eadem communem habet: ſi ad temperiem influentem reflectimus, unum altero calidius dicitur, idque ob arteriarum copiam, quæ ſe vaporoſis ſuis & fumidis exhalationibus ſublevant.

Quidam ſuſtinent cerebrum abſolutè, & ſimpliciter calidum eſſe, ſed ſolâ comparatione frigidum: & Galenus: *Cerebrum quamvis calidum, frigidiſſimo corde eſt frigidius:* propter quod Hippocrates ſedem illud frigoris appellat: hanc tamen Laurentius non approbat, dicendo: ſiquidem illud frigidius eſt cute, quæ videlicet extremitatum medietatem tenet, potius frigidum quam calidum eſſe debebit: illud verò cute frigidius eſſe Galenus docet. Contrà quidam argumentantur, qui dicunt, nudato cerebro, continuo ab aëre refrigerari, quod ab ambiente non evenit. Reſpondetur alterari cerebrum, dum aëris aſſuetum non eſt, prout cutis: ſic & dentes, non aſſueti aëris continuo ab ipſo lividi fiunt; ipſum etiam cerebrum calidius cute, dum calvaria cooperitur, de arteria etiam & membrana multos plexus habet. Concluditur ex his: Cerebrum de temperie ſua innata frigidius eſſe, & de temperie influente, calidius: atque ejusmodi illud eſſe oportuit, ne portio dedicata continuis meditationibus accenderetur, ne evaneſcerent ſpiritus animales, qui tenuiſſimi ſunt, ne motus temerarii eſſent, & ſentationes deliræ, quales phreneticorum ſunt.

C. 9. lib. 21. de Temper. pertinentibus.

2. de temperament. c. 7.

Adverſarii hic novis argumentis inſurgunt, dum ajunt: ſi temperamenti frigidi eſt cerebrum, qua ratione ſpiritus animales progignit, & vitales attenuat, qui effectus vehementiſſimi caloris ſunt? Reſpondetur attenuari ſpiritum in plexibus parvarum arteriarum, in illis viarum anguſtiis: non minus etiam ſpiritum animalem fieri, non tam per manifeſtam qualitatem, quàm per inſitam quandam & abditam proprietatem: cùm enim ſpiritus cordis, quamvis calidiſſimi, craſſiores fiant, quam illi cerebri, qui frigidiſſimi ſunt, evenit hoc imbecillitate caloris agentis; ſed de diſpoſitione materiæ patientis generat cor ſpiritus vitales de ſanguine per venam cavam portato. Fabricat animales ſpiritus cerebrum de ſpiritu vitali tenuiſſimo; ita & calor modicus alimentum debile concoquit, validus id quod craſſius eſt.

Sit itaque in activa quantitate ſua frigidiſſimum cerebrum, in paſſivis non eſt qui ambigat illud humidum eſſe, non minus & inſita ſua, influenteque temperatura. Cum hac videlicet temperie creatum à Natura eſt, propter perfectionem qualitatis ſenſibilis, ſenſatio autem hæc à paſſione fit, & id quod humidum eſt, facilius ſpectra & imagines recipit: pari ratione ad ortum & propagationem nervorum, qui ſi de duriori ſubſtantia eſſent, ægrius utique flecterentur, tum proinde ne duritie ſua & pondere aggravarent: denique ne membrum illud ad perpetuum motum, ſenſationes, & cogitationes deſtinatum inflammaretur: Sic enimverò qualitate qualitati unitâ cerebrum humidum potius quam frigidum eſt, & inter partes humidas tertium ordinem, & inter frigidas quaſi poſtremum obtinet.

Occurrit hic alia inſuper non modica, & neceſſaria admodum quæſtio, quanta ſint & qualia cerebri excrementa, per quos etiam canales & conductus expurgetur. Cerebrum ergo cum temperamenti medullaris, frigidi ſit, & humidi, nutritum ſanguine pituitoſo, per virtutem ſibi innatam, & naturæ ſuæ propriam de ſuperfluitatibus alimentorum copiam grandem excrementorum generat: ſed cum ſit totius corporis caminus, in ſimilitudinem cucurbitæ parvæ, aut cujusdam ventoſæ, cujus figura ab amplitudine in anguſtum aut acutum terminatur, inſidet trunco corporis, & à partibus inferioribus, omnium generum reſpirationes attrahit & abſorbet; teſte Hippocrate.

Inde dubitandum non eſt, quin vaporibus his impletum, & ſine intermiſſione imbutum, & quaſi inebriatum, in ſemet multa ſuperflua & ſuperabundantia contineat, ità quidem, ut cum humidum ſit, & frigidum, ratione manifeſtiſſimi ſitus, excrementis multis, & materia craſſiori abundet. Hæc autem, ſi Hippocrati & Galeno fides habetur, duorum generum eſt: altera enim tenuis, altera craſſa eſt: quarum illa vapori, aut fuligini non diſpar; per conductus inſenſibiles tranſpirat: altera autem per meatus conſpicuos, & ex inferiori parte apertos purgatur, ſicut illa ſuperior per partem ſuperiorem.

Libello de glandulis.

Excremento tenui & vaporoſo redundat cerebrum ratione ſituationis; halitus enim ad partem ſuperiorem aſcendunt, & vaſa in capite terminantur: in partes vero inferiores quod craſſum eſt propter frigidam & humidam temperiem facilius deſcendit, unde plus reliquis viſceribus omnibus hoc humore abundat. Hujus excrementi craſſi pars pituitoſa, aquea, & ſeroſa eſt, pars biliosa, pars melancholica: quorum illud quod aqueum eſt, de reliquiis ſanguinis pituitoſi & crudioris producitur: bilioſum verò de portione melancholica, terrena, aſſata, & torrida, propter caloris exceſſum, portio videlicet alimenti illius, propter quod & facile amareſcit.

Arbitratur Argenterius aqueum illum & mucoſum humorem qui per nares & palatum ſeparatur & emungitur, proprium cerebri excrementum non eſſe: cum multi nec ſpuant, nec emungant hanc pituitam: ſed humorem quendam eſſe generatum in hepate, miſtum ſanguine in venis detento, qui generationem ſuam in cerebro non habeat; ſed illuc portari, quando per imbecillitatem facultatis concoctricis, aut verò per intemperiem frigidam aſſimilari cerebro nequeat, ita verò tanquam ſuperfluum per nares & palatum emitti. Hoc ſi verum eſt, ad quem uſum in ſede ſphenoidis extenditur glandula carnis poroſæ, & bibulæ, prout dictum eſt? hæc ergo ad hoc deſtinata non eſt, ut hanc eluviem recipiat, & expurget? ſi humor hic pituitoſus in cerebro male temperato generatur, quis glandulæ uſus erit, quæ in cerebro quamvis temperato reperitur? Natura ſagax &

pru-

prudens nil fruſtra operatur: quod ſi vero doctrina Argentarii valida eſt, ſupervacaneum erit infundibulum, & glandula pituitaria: præter hæc præfatus author inquit, bene temperatos nunquam pituitam hanc ſputo ejicere, contrarium tenet Galenus, itaque excrementa pituitoſa & mucoſa propria ſunt cerebri, & proprios canales ſuos habent, ad hoc fabricatos, ut inde expurgentur.

His ſtabilitis & in ordinem redactis, ſupereſt, quibus itineribus hæc expurgatio fiat, diſcutere. Excrementum quod tenue eſt, & fuliginoſum, cum ex ſui levitate ſuperiora petat, per Meningem evaporatur, per cranium deinceps, & per cutem, idque inſenſibili tranſpiratione, dum corpus humanum per modum ſpongiæ, foramina multa in ſe continet. Inde eſt, quod cum per oſſa penetrare hæc fuligo nequeat, provida natura commiſſuras in cranio, pluresque cavitates ejus diſtinxit, & collocavit.

Excrementa verò craſſiora, cum ex ſui diſpoſitione naturali ad partes inferiores ferantur, canales habent conſpicuos, nondum à Medicis ſtabilitos. Hippocrates ſeptem conductus agnoſcit, per quos de cerebro humor hic defluat; per aures nimirum, per nares, per oculos, per palatum, per partes gutturales, per gulam, per venas, & medullam ſpinalem in ſanguine. Galenus eorum quatuor aſſignat, hoc eſt: palatum, nares, aures, & oculos: idipſum etiam alibi ſentit, & confirmat: quamvis in Commentariis non niſi nares, & palatum enumeret, dum ait: *declives cerebri meatus tum per palatum in os, tum per corpus narium, conſpicuis ac magnis orificiis craſſa eructant excrementa.* In primo ſymptomatum ſolùm ad id vult idonem eſſe palatum, dum opportune concoquitur, & nares pro odoribus ſolis compoſitæ ſint, & pro reſpiratione; ſic in variis locis diverſimode hic Medicorum Anteſignanus diſcurrit.

Libello de glandulis. C. 13. Artis parvæ. C. 2. lib. 2. de locis affectis Aphor. 21. Sect. 1. c. 8.

Hinc eſt, quod doctiſſimus Author meus, ad concilanda loca tam diverſa, primo ſui intuitu ſibi admodum diſſentientia, per varios conductus varia cerebri excrementa, pituitoſa nimirum, bilioſa, & melancholica expurgari credit: Horum conductuum alios naturæ ordinarios eſſe, multùm familiares, & conſuetos: alios extraordinarios, nec uſque adeo congruos. Ordinarii ad expurgandam pituitam dedicati ſunt, ut palatum, & nares; plus tamen illud, quàm hæ, cum potiſſimum pro odoratu fabrefactæ ſint. Ipſa adeo Anatomia docet, conductum viſibilem, & conſpicuum de tertio cerebri ſinu formari, qui ad anteriorem ejusdem baſem extendatur, in cujus extremitate tenuis quædam membranæ particula, primum larga, & patula, deinceps anguſtior, & ſtrictior appareat, per modum infundibuli, quod ſenſim in palatum, & in os deſtillat: & hîc eſt, ubi tanquam per Hippocratis manicam (prout alibi relatum eſt) humor percolatur, & à glandula pituitaria poſthæc recipitur. Quod ſi ſuperiores cerebri ventriculi quandoque abundent, & eluviem mucoſam diſtillent, hanc per tubercula ſimillima papillis & per os Ethmoides vel cribriforme emittunt: ex hinc ſubtus materiæ bilioſæ continuò per nares expurgantur.

Quidam ſic philoſophantur materias haſce bilioſas ad aures rejici, ut earum oſſa calore & ſiccitate ſua defendant: pituitoſas verò per os & nares evacuari, ut videlicet hi meatus aperti humiditate prædicta à ſiccitate prohibeantur. Hi canales ordinarii ſunt, per quos conſueto naturæ ordine cerebrum purgatur. Illic rurſum alii ſunt, extraordinarii, per quos cerebrum, humorum copia prægravatum ſe nonnunquam exonerat. Sunt autem oculi, Medulla ſpinalis, & Nervi, unde paralyſis oritur: quandoque & per venas, & per arterias id contingit, dum humorum decubitus in parotides contrahitur. Hæc autem excrementa particularia cerebri non ſunt, hoc eſt, medullaris ſubſtantiæ, aut de ventriculis ejusdem, ſed potius de his vaſis, de venis & arteriis videlicet, ex quibus tumores glandularum, opthalmiæ, & aurium inflammationes ſequuntur.

Hæc excrementa interim cerebri temperati, in ſubſtantia ſua nihilominus, & quantitate qualitate intemperata ſunt. Tempora quo excernuntur fluida ſunt ſubſtantiâ ſuâ, quæ non nimium craſſa eſt, nec humida: taliter in quantitate ſua ſunt, nec enim copia abundanti luxuriant: in qualitate verò nec acria ſunt, nec ſalſa: præſertim ſi ſucceſſu temporis à facultate ſua concoquantur, & ſeparentur.

Reſtat breviter videre per quos conductus excrementa quarti ſinus, & de cerebello purgentur. Non abs re erit noſſe, hæc excrementa pauca admodum eſſe, tam propter cerebelli duritiem, quam quod hujus ſinus tenuiſſimi ſpiritus ſint, & ſinceri, jam omnimodo expurgati, ita ut id quod illic facile colligitur, facile etiam diſſipetur: id quod in cerebro non evenit, cum ſit humidum, continens ſuperfluitates non modicas, atque ideo copioſa expurgatione neceſſe habet.

Grandis, laborioſa, & non minus ſuperioribus difficilis indagatio eſt, noſſe numerum, uſum, & præſtantiam ventriculorum cerebri. Ego verò intuens me occurſum diſcuſſionis hujus declinare non poſſe: ut inde aliquid etiam adducam, cum Authore meo, dicendum qualiter ventriculos quatuor Galenus ſtabiliat, ſuperiores duos, quos anteriores vocat, unum in medio, quem communem nominat, ultimum deinceps, qui cavitas eſt. Avicenna non niſi tres aſſignat: ſupremum, medium, & poſtremum. Verum quidem eſt ſub titulo unius priores duos ab eo intelligi, cum unius adeo figuræ ſint, & ſitus, & magnitudinis, & ſtructuræ. Verſatiſſimus alioqui Veſalius reprehendit in hoc loco Galenum de uſu ventriculorum ſuperiorum, idcirco quod hos ſinus organa odoratus eſſe voluit, & eoſdem etiam pituitam in os cribriforme percolare. Author meus in defenſam Galeni ait, ſinus anteriores in tantum organa odoratus appellari, quod ad eos odores ferantur, de quibus eligunt, rejiciunt, vel judicant, nec tamen propterea obſtare quicquam, quin ſi cerebrum eluvie mucoſa refertum ſit, in eos ſinus ſe fundat: cum pituita non raro quoquo verſum in cerebri corpus ſe diſpergat, prout ſæpè in Apoplexia contingit, ſe diffundendo in nervos, & in ſpinalem medullam: unde paralyſis.

Argumentantur in contrarium alii, dicendo: extingui utique odoratus ſenſum, ſi per hunc pituitoſa tranſcolatur materia, prout experientia docet. Reſpondetur ad hæc, hoc de fluxione continua & magna humorum abundantia provenire, qui tum obſtructionum in proceſſibus cauſa ſunt: non ſecus ac in perpetua occluſione pororum qui in oſſibus ſunt. Quidam Modernorum ſuſtinent anteriores ventriculos non ad præparandos ſpiritus factos eſſe, cum ſint excrementorum receptacula, ſpiritum vero animalem cavitate ſenſibili non indigere. His Galenus reſpondet, ventriculos ſuperiores ad purgationem ſpirituum miniſterium ſuum exhibere, & ad expurgationem materiæ ſuperfluæ. Ita per Ethmoidem odores aſcendunt, & non minus ſuperflua evacuantur. Sic enimvero de excrementis cerebri dicendum, quæ per palatum & nares ſine intermiſſione excernuntur, quod nullum omnino nocumentum nec odoratui, nec guſtui adferant, ſiquidem cum moderamine defluxerint.

Quod

Quod præſtantiam & dignitatem horum ventriculorum, qui ſuperiores ſunt, attinet, ambigendum non eſt, quin cæteris ex omni ratione poſtponendi ſint, non quod cæteri principalis facultatum ſedes ſint, ſed quod in iis generatio ſpirituum animalium fiat.
C.3. l.7. Totum hoc Galenus docet. Cum interim quatuor ventriculi ſint, quæritur quis eorum potior ſit, & nobilior: vult Galenus ſinus ſuperiores cæteris eſſe ignobiliores, idque exemplo adoleſcentis cujuſdam demonſtrat, qui Jonii in Civitate Smyrnenſi recepto vulnere in his ſinubus ſuperioribus, vitæ & ſanitati reſtitutus eſt. Non cum tanta elevatione loquitur de his citatus Galenus, dum de tertio & quarto tra-
8. de uſu partium C. 10. 7. de placitis. ctat; in quinto enim capite ad tertium *de locis affectis* primatum poſteriori donat: hæc verba ejus ſunt: *Spiritus animalis in cerebri ventriculis, maximè in poſteriori continetur: quamvis non contemnendus ſit me-*
C.3. lib. 7. *dius.* Ipſe etiam Hippocrates: *poſtremi quidem ventriculi vulneratio maximè omnium animal lædit, ſecundo loco medii, minima ex anterioribus utriſque noxa contrahitur. Hcc idem quod ſectiones, colliſiones quoque faciunt.*

His omnibus ratio ſuffragatur, dum ventriculi ignobiliores apparent, qui majorem habent amplitudinem; Quartus ſinus omniũ anguſtiſſimus eſt, & minimus, ſpiritumque animalem ſincerum, defæcatum, & omnimodo expurgatum continet. Reliqui duo præparando ſolum ſpiritui ſerviunt: itaque omnium nobiliſſimus eſt quem dixi.

Videtur Galenus his contrarium ſentire, illic ubi
3. de locis affectis C. 2. & 4. de locis C. 2. ait: *Si aliquando tota anterior cerebri pars afficiatur, ea quæ ſunt circa ſupremum ventrem* (ſupremum autem eo loco medium intelligit, neſcio ob quam rationem) *ei conſentire neceſſe eſt diſcurſivas omnes actiones vitiari.* Si diſcurſus in medio ſinu, ergò nobilior. Hîc ergo prærogativam ſinui tertio aſſignare videtur. Sic in capite ultimo fabulam Vulcani exponens, cum caput Jovis bipenni conquaſſaſſet, eum inde Minervam Deam Sapientiæ traxiſſe ait: per quod videtur non minus ventriculo tertio prærogativam hanc donare. Hanc dignitatem ſtructura memorati ventriculi admirabilis indicat, dum vulnera occipitis minus periculoſa ſunt, quàm quæ in ſyncipite fiunt: ita ſentit Hippocrates: *Plures ex his, qui poſteriori capitis parte ſunt vulnerati, mortem effugiunt, quàm qui anteriore.*

Conciliabitur itaque Galenus, ſi dixerimus: quod dum ſinum quartum præſtantiorem eſſe inquit, & digniorem, hoc eum ſuo arbitratu dicere, dum autem de tertio ratiocinatur, eum ſententias aliorum ſequi, & in particulari Nicrophyli, præſertim quod facultatibus præcipuis ſuas ſedes proprias non adſcripſit, ſicut alibi memoratum eſt. In vulneribus occipitii raro admodum ventriculus quartus offenditur, dum caro, ſicut & craſſities, & durities oſſis vehementer reſiſtunt: ſed in ſyncipite, hoc eſt in ventriculo tertio oſſa tenuiora ſunt: Hinc Author meus ait: non erraſſe Galenum in hiſtoria præſente cerebri totius, niſi in mirabilibus ejuſdem plexibus. Hoc os in homine uſque adeo breve & parvum eſt, ut pene oculorum aciem effugiat. Hunc plexum coronalem qui in ventriculis Cerebri ſuperior eſt, cum Modernis quampluribus Rete mirabile nominat; dum in eo Spiritus vitalis attenuatur, & animalis certum quoddam rudimentum & præceptum conſequitur.

Ex tot igitur operationibus, quæ de interioribus Capitis proveniunt, nobile, ſingulare, & elevatum hoc Compoſitum, plus adeo quàm quodvis aliud in humano corpore dicendum eſt: Altiſſima rupes, in qua præcipua vicinæ civitatis conſtructa ſunt propugnacula: niſi malumus cum majori proprietate illud nominare, Metropolim famoſam ſubjectarum ſibi Regionum: vel Primum Mobile, ſub quo reliquæ ſphæræ inferiores moveantur; vel luminoſum Solem, qui partes omnes, tam vicinas, quam longe diſſitas, illuminet & perluſtret; vel Officinam ubi pungentiſſima tela, acutiſſimarum cogitationum fabricentur: vel Ditiſſimum Aerarium, de quo tot potentiarum & effectuum theſauri depromantur; vel Compendium, in quo Univerſitatis totius negotia reſtringantur, & epilogentur. Vel fontem perennem de quo copioſiſſimi rivi profluant, ad inundanda & fœcundanda prata membrorum tam quæ propiora, quàm quæ longius collocata ſunt; Vel Principem abſolutum, qui de partibus ſibi ſubditis homagium fidelitatis exigat; Caput, inquam, quod jure merito Principium, Dominatorem, Patronum, Anteſignanum, Ducem, & Magiſtrum dixeris omnium eorum, quæ humano corpore continentur: Mundus eſt, propter quem Mundus creatus eſt, & quidquid in his ſphæris mortalibus & immortalibus concluditur: vivum ſimulacrum, & Imago Altisſimi, qui in hac prodigium admirabile Omnipotentiæ ſuæ manifeſtare voluit.

Sed ſi tot, tamque inexplicabiles dotes in hoc contento includuntur: ſi divina manus in interioribus tot mirabilia & ſtupenda operata eſt, unde ad dignitatem tantam profecit; non diſſimili gloria ſcintillare. Video Continens, hoc eſt Faciem, illam dico, in quam Creator Deus, *ſpiravit ſpiraculum vitæ, & factus eſt Homo in animam viventem.* Facies quæ tali nomine inſignita eſt, quod univerſa operetur & *faciat*, prout jam ſupra determinatum eſt; Facies ſine qua imperfecta, in anima ſine vitalitate, ſine ſpiritu reliqua membra poſtrata jacerent: ſine qua tanquã truncus monſtruoſus, inutilis, & abominabilis, reliquũ corpus omne decumberet; Facies quæ imprimit, & exprimit objecta tam interna, quàm externa, per quam Homo ab Irrationalibus diſtinguitur: quæ ſola radium circumfert Majeſtatis, typum & copiam Originalis illius ſupremi, quod beatitudinis noſtræ objectum in cœlis eſt: per quam ſolam cogitata interna producuntur: ſola pulchritudo, & complementum corporis, per quam ſolam, & non per aliud, læti, triſtes, ſupplices, erecti, aut ſubmiſſi ſumus: Hæc prima eſt quæ placet, quæ attrahit, quæ commovet, quæ amplectitur, quæ repudiat. Indicat hæc ſexum, ætatem, decorem, & ſtirpem: in qua manifeſtiſſima mortis & vitæ indicia deſignantur.

Jam vero quod partes ejus Anatomicas concernit, de his in tractatu de maxillis abunde ratiocinabimur. Supereſt hic videre paucis, ad Encomium potius, quam Anatomicam ejuſdem expoſitionem, cur in eadem Facie omnes adeo ſenſus collocati, cur eorum quinque ſint, & non plures: de quibus illud inprimis dicendum eſt, quod cum anima Hominis formarum omnium prima ſit, quotquot earum ſub concavo Lunæ reperiuntur, eaque nobiliſſima, quantumvis individa, poſita in hoc Corporis Ergaſtulo, eam nihilominus ſine ſenſuum adjumento intelligere non poſſe. Cum his ratiocinatur, diſcurrit, & ſpeculatur: inter phantaſmata & opiniones verſatur: unde non immerito Philoſophus dixit: *Nihil eſt in Intellectu, quin prius fuerit in ſenſu.*

Cum igitur Caput ſedes ſit facultatum animalium, tum vero etiam domicilium Rationis, congruum erat, ut ſenſus omnes velut ſatellitium ſibi ſubditum, & tanquam aulæ ſuæ miniſtros principales imperio ſuo obtemperantes, & in Regia cerebri ſibi aſſidentes haberet. Senſuum verò numerus quinarius eſt, qui numero

numero aliorum tot ſimplicium in mundo corporum correſpondet, cæli, videlicet, & quatuor Elemento-
Facies comparata ſtellis. rum. Potentia viſus juxta Platonicos elemento ſtellari correſpondet, quæ ſtellæ non minus oculi cælorum nominantur: hæ inquam faculæ quarum objectum corpus ſplendidum & flammigerum eſt, quamvis non urens. Odoratûs objectum igneum eſt, omnia ſiquidem aromata calida ſunt: Auditûs quidquid aëreum eſt, Guſtûs compoſita aquea, Tactûs terrena.

In univerſitate autem quidquid continetur, in quinque objecta diſtingui poterit, in colores, in ſonos, odores, ſapores, & qualitates omnes tractabiles tam primarias, quàm ſecundarias. Atrogant autem ſibi quod Peripateticus dixit:
3. de Anima. *Media quibus ſentimus quinque tantum modis alterari poſſunt.* Inde proſequitur: Medium eſſe ſenſum vel internum, vel externum: Externum aërem, vel aquam: Internum membranam & carnem: quorum illa prima alterentur rebus externis, veluti iis quæ luminoſa ſunt, tunc enimverò objecta ſunt viſûs; aut vero iis quæ rara ſunt, & mobilia, & tunc audituí ſerviunt: aut verò iis quæ humiditatem cum ſiccitate permiſcent, & ad odoratum pertinent, ſubjiciendo ſibi carnem, & membranam; aut verò temperiem qualitatum primariarum ſequuntur, aut mixtionem ſicci, & humidi: & tali modo illa quidem objecta tactûs dicuntur; hæc objecta guſtûs.

Denique quinque ſolæ ſenſationes ſunt; tot enim earum neceſſariæ erant, non plures: aliæ quidem ſimpliciter & abſolutè, aliæ ad jucunditatem & dulcedinem vitæ: abſolute neceſſarii ſunt tactus, & guſtus: Tactus fundamentum ani-
Tactus & guſtus ſimpliciter neceſſarii ad vitam. malitatis eſt (ita ſentit Philoſophus) guſtus viciſſim fundamentum eſt nutritionis, ſine qua abſolute vivere nemo mortalium poteſt: Viſus, Odoratus, & Auditus idcirco data ſunt, ut vitam beatiorem, & magis tranquillam degeremus.

Hi ergò quinque, ut ita dixerim, Favoriti ſunt magnæ illius Reginæ, animæ nimirum: inter quos viſus, ſapientum omnium judicio, propter eximias ejuſdem utilitates & commoda, priorem ſibi locum & prærogativam vendicat. Præſtantiam illius & dignitatem quatuor res potiſſimum indicant. Primùm varietas rerum, quæ repræſentantur: tum deinde modus actionis inter omnes alias nobiliſſimus: porrò convenientia & proprietas cujuſq; objecti particularis; quæ quaſi lux divina actionum omnium eſt: denique horum omnium certitudo.

Omnium rerum viſibilium differentias viſus demonſtrat, cum omne propemodum objectum coloratum ſit; & viſibile: hinc oculus, præter ipſum objectum multa ſibi inſuper adſciſcit, hoc eſt, figuram, magnitudinem, numerum, motum, ſtatum, ſitum, & diſtantiam: unde aptiſſimus dicitur ad inventionem diſciplinarum. Dignitas & præſtantia viſûs. Intellectus ideas recipit; ab omni imperfectione materiæ omninò liberas; oculos itidem ſpecies incorporeas; quæ per barbariſmum *Intentionales* vocantur: Intellectus uno eodemque tempore binas res invicem contrarias comprehendit, tum potiſſimum; cum à falſo verum diſcernit: ſic potentia viſus inter nigrum & album dijudicat. Intellectus liberum mentis ſuæ vigorem & fortitudinem conſervat, ita ut nulla ei vis hanc libertatem adimat: eandem quoque oculus præſefert in videndo, quæ libertas nihilominus cæteris ſenſibus negata eſt: nares enim, & aures nunquam non apertæ ſunt, nec aliter poſſunt; non ſic oculi qui ad libitum clauduntur, & aperiuntur (ſicut in eorum anatomia dicendum eſt) in noſtro ſiquidem beneplacito eſt, videre, vel non videre. Nobiliſſimum denique objectum oculorum eſt, lux nimirum, præſtantiſſima, communiſſima, & notiſſima qualitatum omnium: Hac ratione motus Theophraſtus formam hominis ex viſu definiri ajebat: Anaxagoras ad hoc dixit natum hominem; ut videat. Multò plura his in Anatomia particulari oculorum dicentur.

Debilem nihilominus in his & imperfectam perſpicacitatem meam recognoſco; unde ne à tanta luce excæcari mihi contingat, ab ulteriori Capitis indagine me retraho, qui optime novi cum aquilis nec noctuas nec talpas proportionem ullam habere. Tu qui magis oculatus es, conjice viſum tuum in Anatomicorum lucem; qui tibi lectionibus diſertioribus, & clarioribus in hiſce fibras profundius abſtruſas, & repoſitas eruent; ego interim accingor ad contemplanda



SYMBOLA.

PAradinus doctiſſimus ut indicaret quantum ſupra nos divina tutela vigilet (tum præſertim ad ſuccurrendum nobis promptiſſimam) cum ab omni humano auxilio deſtituti ſumus, ſupra id quod antiqui- In ſymbol.

tus Marco Valerio Corvino accidit, cum in ſingulari certamine cum hoſte confligeret: caput armatum caſſide depinxit, cui corvus inſidebat, adjungendo Epigraphen: *Inſperatum auxilium.* Generoſus miles, & intrepidus dimicabat viriliter, ſed fortaſſe ſuperatus eſſet, niſi corvus inopino adventu, & roſtro, & unguibus adverſarium lædendo perterruiſſet, ut tandem ſuccubuerit. Hoc divinum ſubſidium à S. Auguſtino ſupra id quod in nuptiis Canæ Galilææ factum eſt, inſinuatur, dum redemptor noſter diviniſſimæ matris ſuæ precibus quæ commenſalium curam agebat (vinum, inquit, non habent) annuit, vocans eam mulierem: & quia in hydriis reſiduum aliquid remanſerat, evacuantur vaſa, & rurſum aqua adimplentur, exhinc admirabilis illa & prodigioſa tranſmutatio apparuit. Hæc autem ejus propria ſunt verba: *Propter hoc properante Maria ad admirabile vini ſignum, ante tempus volente participare compendii poculum, repellit dicens: Nondùm venit hora mea: expectans eam, quæ à patre fuit in opportunum auxilium præcognita.* Fortificabat his ſe ſuoſque Philo Hebræus: *bono*, inquit, *animo eſtote fratres, ubi enim humanum ceſſat auxilium, divina non deſtituemur ope: neminem dereliquit Deus.* Elevatiſſimâ Muſâ ſua Joannes Ciampolus in amaritudine ſiniſtræ fortunæ ſolabatur animam ſuam, in paraphraſi ſuper pſalmum: *Qui habitat*: de verſu illo: *quoniam in me ſperavit liberabo eum*, ſic ſcriptum relinquens:

Lib. 3. ad verſ. Hæres. — Argumentum opportunum. — *apud aras de Tribulatione lecti. 5.*

Fiduccia conſolata Jo pur ſon certo,
Se la Reggia m'è chiuſa,
Che ſta tra ſacre mura il Cielo aperto
E chè ſtar ſordo a i voti il Ciel non s'uſa.



Inevitabilis Ira Dei.

Idem Paradinus, manum armatam ſicâ repreſentat, qua jamjam caput quoddam percuſſura eſt: inſcripſit autem hanc ſententiam: *Vel in ara.* Volens indicare, vindictam divinam ubivis locorum paratam ad caſtigandos protervos eſſe; ubivis etiam locorum, quantumvis privilegiata ſint, crimina ſontium punienda. Id quod inter alios filio Franciſci Sforzæ, nomine Galeazzo contigit, qui etiam ante ipſam aram ſacram ab Andrea Lampuniano interfectus eſt. Hanc inamiſſibilem vindictam verebatur propheta Regius, dum inquiebat: *Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum tu illic es*, & ea quæ ſequuntur. Magiſter ille morum Gabriel Simeon volens inferre ſublimitates Regales, & eminentias per mortem adæquari vilitati plebejorum (unde & purpura Ageſilai cum cineribus Ergaſti Paſtoris in una eadem ſociatur) Calvariam hominis figuravit inter ſceptrum, & Ligonem poſitam, cum hac declaratione: *Mors ſceptra ligonibus æquat*: quod omne ab Horatio mutuatus eſt, qui ait: *Mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, regumque turres*: alius in eodem ſenſu ſcripſit: *Mors nullo parcit honori*: Sententia quæ ſimiliter à philoſopho Phoclide conſiderabatur dum ajebat: *Communis omnes locus manet, tum pauperes tum Reges.*

Mors omnia adæquat. — *Horat, 1. Carmin.*

Si quis ſe fortunæ totum dedicaſſet, ſperans ab eadem ſibi bonum omne eventurum, ſic ab authore quodam repreſentabatur: Juvenem figurabat, reſciſſum caput ſuum fortunæ immolantem: hæc vero adoleſcentis collo Leonis caput inſerebat, tum etiam caput ſerpentis, & monſtruoſi præterea animalis cujuſdam; mentem ſuam his verbis, exponens: *Bellua ſit, cæcè ſtatuit, qui credit ſe ſorti.* Hæc quatuor Capita in quatuor cyathis à Plutarcho expreſſa ſunt: *Fortuna*, inquit, *nobis cyathos exſiccantibus præbet: ſi unum bonum infundat, tria mala miniſtrat.* His ſubſcripſit Quintilianus cum ait: *Cum fortuna ruere dementia eſt.* Et Seneca: *Suis contenta viribus invenit pericula ſine Authore; Nullum tempus ei certum eſt: in ipſis voluptatibus cauſæ doloris oriuntur.*

Fortuna inconſtans. — *De tranquilitate animæ.* — *Decla. 4.* — *Ep. 91.*

FACI-

FACINORA.

Sinceritas cordis.

SInceritas & rectitudo animi potiſſimum ex tranquilitate, & hilaritate vultus cognoſcitur. Qua de cauſa Joannes Ferrus faciem repræſentavit ridentem & venuſtam, abſque omni ruga, ſignificationem apponens cum hac Epigraphe: *Raro fallit.* Hoc ipſum Cleantes indicare voluit, dum ait: *Ex ſpecie comprehenduntur mores.* Et Euripides: *Ad vultum boni viri aſpicere dulce eſt.* Et Tullius: *Vultus, ac frons animi eſt Janua, quæ ſignificant voluptatem abditam, & occultam.* Quamvis Juvenalis nos aliter doceat: *Fronti nulla fides*, inquit. Utique enim verificatur non raro: in vultu roſas apparere, tegi ſpinas in corde.

Apud Diogen. lib. 7. — *In Ion. de petit. Conſulat.* — *Satira II.*

Arma gentilia & antiqua excellentiſſimæ Domus Trivultii, quæ è tribus vultibus compoſita ſunt, indicando quantum ad felicitatem vitæ, & ad omnem inimicam poteſtatem profligandam valeat concordia, anſam dederunt Antonio Trivultio, qui Atavus fuit Magni illius Joannis Jacobi, ut in vexillis militaribus tres facies has repræſentaret: adjuncto lemmate: *Mens unica.* Et hæc eſt laurea illa tantopere celebratæ ſententiæ Saluſtianæ: *Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordia ruunt.* Zelantiſſimus Caſſiodorus inter ſuos vel minimum indignationis ſuſurrum ferre non poterat, unde & cuique ſuorum ajebat: *Summopere jurgia fuge, nam contra parem contendere anceps eſt, cum ſuperiore furioſum, cum inferiore ſordidum, maximè autem contra fatuum contentionem inire.* Sanctus Gregorius Papa omne tanquam ſordidum explodebat, quodcunque manu datur, vel recipitur, ubi cor maculatum eſt rixis & diſſenſionibus: *Munus*, inquit, *non recipiatur, niſi prius diſcordia repellatur ab animo.* Verè illud Davidicum experimento certiſſimum eſt: *Ecce quàm bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum.* Hoc ipſum S. Auguſtinus innuit, qui tam fratribus Religioſis regulas, quàm & univerſo Mundo præſcripſit, dum ait: *Lites nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca.*

Concordia quam ſit utilis.

EMBLEMATA.

POtentiſſimum frænum ad retinendum hominem à foſſa præcipitii, & peccati ruina, memoria eſt foſſæ ſepulchralis. Veritas non ſolum quotidie in roſtris ſacris declamata, ſed à Reuſnero quoque intellecta, qui depingi puerum fecit, incumbentem cranio humano: adjungendo ſignificationem cum hac Epigraphe: *Vive memor Lethi.* In eundem ſenſum verba S. Gregorii incidunt, ubi inquit: *Qui conſiderat qualis erit in morte, ſemper pavidus erit in operatione, atque inde in oculis ſui Conditoris vivit.* Magnus ille Mediolanenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus S. Ambroſius ſic illud expreſſit: *Mors pro remedio nobis data eſt.* Si primi noſtri parentes divinum illud vetitum obſervaſſent: *quacunque hora comederitis, morte moriemini*, ſucceſſores ſuos in tantum miſeriarum barathrum non præcipitaſſent: ſed tentator ſpiritus cum ſuo: *nequaquam moriemini*, promittens ejus vitam, ad excidium conduxit, ex quo proinde origo decidii ſubſecuta eſt: ſic Baſilius Seleucienſis meditatur: *Quærens Sathan Protoplaſtorum perniciem, conatur ab eis memoriam mortis eripere, nequaquam*, inquit, *moriemini.*

Mors & memoria ejuſdem. — *12. Mor.* — *De vita Reſur.* — *Lib. 4. Hexaëmeron.*

MORALIA.

Rectitudo & Sinceritas.

JUxta commune Axioma: *Cum caput dolet, cætera membra languent*, quod quidam ſapienter dixit: Et ego convenienter dico ſic mentem humanam eſſe oportere: defæcatam nimirum, & ab omni tenebroſo vapore partialitatis, & proprii commodi ſeparatam, ut ſane & prudenter actiones inferiores gubernare & dirigere poſſit: ſicut caput cùm ſanum eſt, & purgatum, vitalitatem æqualiter in reliqua membra partitur; hoc ipſum Plutarchus intendit, cum ait: *Mens cernit, mens audit, reliqua ſurda, cæcaque ſunt, & rationis indiga.* Pulcherrimum, arbitratu meo, quamvis compendioſum id, quod Euripides affert, dum Helenam formoſiſſimam deſcriberet: *Mens optima vates eſt, ac bonum conſilium*: Hoc idem encomio ſingulari Seneca deprædicavit, dum ait: *Cogita in te præter animum nihil eſſe mirabile; cui magno nihil eſt magnum.*

De Alexand. fortitudine. — *In Helena.* — *Ep. 8.*

Caput jure merito Caminus totius corporis appellandum eſt, ad quod exhalationes omnes, & flumina commeſtibilium aſcendunt: dumque his præter modum gravatur, recidunt cum damno, & totius corporis incommodo. Quis non ex hoc dignitatem Perſonæ Principis figuratam videat, qui per modum capitis tanquam verus caminus, quidquid exhalationis de ſuorum ſubditorum motu extollitur, in ſe recipit? Jam vero ſi Princeps male ordinatus eſt, nimiiſque fumis & caliginibus repletus, non niſi popularis perturbatio in membris ejus, in ſtatu, & corpore politico expectanda eſt. Inculcat Socrates hoc Principi ſuo, ut mentem ab omni fæcum illuvie puram teneat, dum ait: *Veriſſimos eſſe honores Princeps exiſtimet, non qui in propatulo cum timore fiunt, ſed quando ſubditi apud ſe ſoli mentem principis potius, quam fortunam admirantur.* Et magnus Pythagoras prævidens nocumenta, quæ ex hac vaporum attractione ſecutura eſſent, ſic ſcripſit: *Princeps non ideo creatus eſt, ut læderet, ſed ut juvaret.* Ut hæc flumina reprimeret, Claudianus Honorium ſuum ſic hortabatur:

Recta Principis operatio. — *de Principe.* — *ex Laertio.*

. . . . Tunc omnia Jura tenebis,
Cum poteris Rex eſſe tui proclivior uſus;
In pejora datur, ſuadetq; licentia luxum,
. . . . . Sed comprime motus.

Poſt Cordis generationem, prout univerſa Medicorum ſchola docet, in capite cerebrum generatur; quod ex ſui natura frigidum & humidum exceſſivo cordis calori opponitur. Proferam ego id, quod jam ante me alius, intelligens nimirum in hoc loco Mariam Virginem glorioſiſſimam, quæ in myſtico Eccleſiæ Corpore, poſt Chriſtum, quem in corde figuramus, primum ſibi locum vendicat: hæc enim ardores cordis in juſtitia æſtuantes contemperat. Conflagrare magnitudine criminum ſuorum jam Mundum oportuerat: hoc expreſſit S. Anſelmus: *Dudum cælum & terrâ ruiſſent, niſi Maria precibus ſuſtentaſſet.* Quod S. Bernardus mellifluus ſic expoſuit: *ut ſole ſublato nihil luceſcit, ſic ſublata Maria, nihil niſi denſiſſimæ tenebræ relinquuntur*: S. Auguſtinus cum dulciloquio ſuo hunc ſenſum ita dedit: *Auctrix peccati Eva, Auctrix meriti Maria; Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit, illa percuſſit, iſta ſanavit.*

Protectio Mariæ Virginis. — *Serm. de Nativ.* — *Serm. de Aſſumptione.*

De humiditate cerebri canities naſcitur: hæc verò Sapientum judicio prudentiam indicat, juxta oraculum divinum: *Cani ſunt ſenſus hominis*: de calore calvities oritur: Symbolum illud eſt, prout ſuo loco demonſtrabitur, Eleemoſynæ: unde optimum erit, ut homo ad hanc partem reflectendo, in frigiditate *Timorem Domini* contempletur, in humiditate *Pietatem.* His virtutibus armatur homo rationalis, tanquam telo pungentiſſimo, cum quo & tempus, & oblivionem, & peccatum ferit. Hoc omne de ra-

Pietas eleemoſyna, timor.

tione

apud Stobæum L.C.

tione provenit, quæ è cerebro elicitur, & in eodem fundatur; unde & Ingenium derivatur. Totum illud Phoclides Philoſophus explicuit. *Ratio*, inquit, *hominis telum eſt acutius ferro.*

In Hermath. Imperium. Cuſtodia.

Diligens obſervator Goropius ſcriptum reliquit, in primitiva lingua pronuntiationem, & denominationem *Capitis* ſonum edidiſſe ſimilem huic: *Heet*, quod imperium, & dominationem indicat: idque non immeritò, dum caput cæteras corporis partes gubernat, & ditioni ſuæ ſubjicit, prout opportunitas, & neceſſitas exigit in unoquoque ſuorum ſenſuum ſe exercens. Præterea caput quoque cum hoc Nomine *Huet* expreſſum fuit, quod Tutela, & Cuſtodia interpretatur, non abs re, dum ſine illius ſubſidio, cætera membra non ſecus ac militaris phalanx interrupto ordine hac illacque palantes habens milites, ſine Duce, manifeſtum incurrit periculum.

c.7. Divina myſteria. *Pſal. 130.*

Cum tot ergò tantiſque prærogativis decoratum ſit, mirandum non eſt, ſi hoc Nomen Altiſſimo Deo adſcribitur, prout legitur in Daniele, qui ſub figura capitum divinam texit eſſentiam, nec ea videre detecta dilectus Apoſtolus potuit, per hoc ſignificans quantum inacceſſibilis ſit vel minima cognitio myſteriorum ejus, quæ tantopere elevata ſunt. Hoc inferre propheta Regius voluit, dum ait: *Obumbraſti caput ejus in die belli:* alludens myſterium paſſionis, quod omnem intellectum humanum transſcendit.

Chriſtus. *ad Coloſſ. 1.* *Serm. de Elia.* *Ep. 58.* *in Matth. c. 40.* *Super Marc. 6. 5.* *Pſ. 59.* Fervor devotionis. *Cap. 21.* *De ſomn. Nabuch.* *c. 28.* *de profugis.*

In ſcripturis ſacris per nomen *Caput* Chriſtus Redemptor noſter ſæpius ſignificatur. S. Paulus hoc inquit: *Primum noſtrum Caput eſt Chriſtus, nosque membra de membro:* Sic Eucherius & Ambroſius, prout S. Bernardus ſentit, divinam eſſentiam indicant. Vult S. Auguſtinus, cum Maria Magdalena caput Chriſti inungere, idem eſſe, ac eum cum fructu bonæ operationis laudare. Origines conſiderando Joannem Baptiſtam decapitatum, vult in metaphora Chriſtum intelligi à Judaiſmo derelictum, & à lege Judæorum ſublatum. Hieronymus & Hilarius idipſum referunt ad Judæos gloriantes & prætendentes Chriſtum à Prophetis ſeparatum: ſuper hæc, gloriam Legis ab iisdem levatam eſſe. Caput aureum in Sacro Cantico memoratum, juxta Richardum de S. Victore, perfectum ſtatum charitatis, intentionem devotam, & fervidum Cæli deſiderium indicat. Supra id, quod in Levitico ordinatum eſt. *Caput Sacerdotis non radendum*, Philo Hebræus in ſæculares illos invehitur, qui ſe negotiis ingerere eccleſiaſticis non erubeſcunt. Id quod in Geneſi de capite Jacob ſcriptum reperitur, quod lapidibus capite ſuo dormiturus incubuerit, ſubjungit Beda, intelligi poſſe hic principatum Chriſtianiſmi fundatum & ſtabilitum ſupra Petram Chriſtum; cum & ipſe Apoſtolus dicat: *Petra autem erat Chriſtus.*

c. 15. 48. 7. Errores. Triſtitia. *Super Pſ. 18.* Suggeſtiones.

De Capitibus decalvatis filiarum Sion, quorum mentio fit in Iſaia, Jeremia & Ezechiele, Sancti Hilarius & Ambroſius errores Oratorum & Rabularum intelligunt, quorum infidelis dicacitas decalvatur, & denudatur, nihil habens de ornamentis Chriſtianæ veritatis & eloquentiæ. Per caput opertum, ſicut in locis pluribus Regum, Eſther & Job legitur, Liranus fraudulentiam intelligit, & dolum larvatum, quandoque velo pietatis & religionis involutum. Magnus Mediolanenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus Ambroſius, de intrepiditate animi, qua mulier illa Apocalyptica continuit caput ſerpentis, hanc moralitatem eruit, dum ait: ſic omninò caput naſcentis ſuggeſtionis conterendum eſſe, ne in cor noſtrum ulterius ſerpendo irrepat. Applauſerunt Auguſtinus & Gregorius actioni Davidis, dum jactantiam illam Goliath gigantis truncato capite repreſſit, ubi dicunt: intelligi poſſe per Goliath Luciferum, *cui caput ablatum eſt, ut Chriſtus eſſet caput gentium.* Sed ne ultra de ariditate rivorum meorum guttas quasdam diſtillem, ſufficit in materiis hisce me de plurimis, quæ dici poſſent, dixiſſe pauca: Liberum relinquens Lectori ſedulo reſtinguere ſitim ſuam, ſi ſic placuerit, in amœniſſimis verſionum ſacrarum, & Gloſſatorum fontibus, de quibus ſine intermiſſione doctrinæ perennes ſcaturiunt.

S. Pſal. 103. 1. Reg. 5.

PROVERBIA.

Cogitabundus. *lib. 10. in Hippol.*

PRoverbia originem ſuam vel ab experientia, vel ab uſu, vel etiam abuſu, aut de partibus aut de proprietatibus humanis, vel de dictis ſapientibus aut vulgaribus traxerunt. *Caput ſcabere*, ab inferioribus multis ad eos refertur, qui fixam mentem, multumque in cogitationibus ſuis abſorptam tenent: per quod tanquam per clariſſimum radium oculus mentis illuſtratur, ut homo videre bonum ſuum poſſit, & malum evitare. Inter alios id Quintilianus innuit: *Cogitatio*, inquit, *paucis admodum horis cauſas etiam magnas complectitur.* Et Marcus Tullius: *In omnibus negotiis, priusquam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.* Et Euripides: *Et quæ longè abſunt, & quæ propè ſunt, conſiderari debent.*

Correctio remota, privata. *apud Platonem de Amic.* *Adulator.*

Optimum documentum ad monendum, & corrigendum Amicum cum trito illo adagio inſinuatum fuit: *Capite admoto:* hoc eſt, in abſentia Arbitrûm, Judicum, & extra publicum, imò cum ſuavitate verborum, ſine omni aſperitate. Juxta divinum magiſterium: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Quæ veritas & gentilibus non ignota fuit, inter alios Euripides ait: *Amor ſimpliciter objurgans magis premit.* Propter quod Diogenes canis appellatus eſt, qui cum nimia libertate etiam in publico importuna reprehenſione mordebat. Pro verborum dulci moderamine ſaluberrima doctrina Chryſoſtomi eſt: *Circa vitam tuam eſto, auſterus, circa alienam benignus: audiant te homines parva mandantem, & gravia facientem.*

Facies ab opere diverſa. *Ep. 203.*

Venuſta facies, & aſpectus comis, cui nihilominus dictamen rationis deſit, & qui judicio privatus ſit, hoc dicto figurabatur: *Caput vacuum cerebro.* Et hæc eſt Æſopicæ vulpis ſignificatio, quæ ſtatuarii officinam ingreſſa, atque illic formatum caput inveniens, ſed vacuum videns, à ſe projecit, dicendo: *O quale caput: ſed cerebrum non habet.* His objectis, eorumque blandimentis fallacibus fidem non habere admonet Lucilium ſuum Seneca: *Erras*, inquit, *ſi iſtorum, qui tibi occurrunt vultibus credis: hominis effigies habent, mores autem ferarum.* Quaſi diceret: Attende tibi, ſerpens enim in viridi prato abſconditur, illic potiſſimum, ubi te amœnitas florum arridebit. Quis crediſſet unquam Alcibiadem ſub cæleſti vultus decore, nutriviſſe mores inferni? Amarus pavonum cibus eſt, cum tantus nihilominus viventium ſit faſtus, & decor.

Cap. 10. de Republ. Vera amicitia. *4. Ethic.* *3. Confeſſ.*

Per Nutrices, quæ quandoque cunas in caput levant, ubi infantulus quieſcit, & de loco in locum transferunt, inferre Plato voluit, cum quanto affectu amicus amici ſui commodis, & utilitatibus ſervire debeat: unde & vulgare illud axioma ortum eſt: *Capite geſtare*, hoc eſt: omnem ad id cogitatum ſuum applicare. Exactiſſimum præceptum divinus Ariſtoteles nos docet: dictamque legem cum omni perfectione obſervare vult: *Amicus ſe debet habere ad amicum tanquam ad ſeipſum, quia amicus eſt alter ipſe.* Et S. Auguſtinus, amicum *dimidium animæ, & medicamentum vitæ* appellabat.

Lib. 6. de Civ. Dei.

Gerion olim, ſive propter compoſitionem inſolitam

Diſtractio in negotiis. *In Pſal. 85.*

tam membrorum, in ſpecie trium corporum figurabatur, ſive id factum alia de cauſa, ut videlicet hominem pluribus negotiis diſtractum repræſentarent; occaſionem autem proverbio dedit: *Tertium caput.* Similitudine inſper à bajulis ſumpta, qui ſæpius onera ſua ab humeris ad caput transferunt. Vitium hoc evagationis tantundem perniciosum eſt, quantum eſt utilis recollectio, & tot curarum depoſitio. S. Auguſtinus commentando ſupra verſum pſalmi: *Quoniam tu Domine ſuavis ac mitis*, ita eum dilucidat: *Nil ſtultius, quam ſi ſeipſum quisquam ſeducat: attendat ergò, & videat quanta, & qualia aguntur.* Conſimilis huic aphoriſmus eſt: *Age quod agis.*

Sur. in Vit. 23. April.

Inimicus noſter communis, ut nos à recto virtutis tramite aberrare faciat, non aliis potentioribus armis contra nos militat, quàm diſtractione mentis. Dixit hoc B. Ægydius in vita S. Franciſci: *Litem oranti intendit dæmon, tanquam animatus prædo.*

Difficultas negotiorum. *3. Metamorph.*

Ad indicandum hominem ſic negociis ſuis implicitum, & immerſum, ut non niſi ægre ſe inde eripere & extricare poſſit, ita ut in Labyrintho Dædaleo, vel in Ergaſtulo, vel in compedibus & manicis ſe eſſe credat, fuerunt qui adagium illud effinxerunt: *nec caput, nec pedes.* Innuentes usque adeo negocium hoc intricatum eſſe, ut principio & fine careat. Non eſt vermis tantopere mordax ad conſumenda & rodenda corpora, quantum animabus affligendis, & mortificandis ejusmodi ſunt intricata negocia: Ita ſentit Ovidius:

Attenuant vigiles corpus miſerabile curæ.

Ad hos laqueos diſſolvendos, & tales occupationes aſſumendas, quibus ſucceſſus non difficilis ſit, hoc conſilium Ariſtoteles ſuggerit: *In negotiis oportet unum negociari ad unum opus, quia melior eſt cura intenta in unum, quàm circa plura.*

Cognitio matura. *Ethicorum.* *De ira lib. 11.*

Perfecta rei cujusdam notitia ſic exprimebatur olim: *à capite usque ad calcem:* quod his quoque verbis dici poterit: *à capite ad pedes, ab ingreſſu ad coronidem, à vertice ad talos.* Quemadmodum autem, prout ſupra relatum eſt, negotiorum incompoſita turba, in iis, qui veram eorum praxin ignorant, perturbationem animi adducit, ita & matura præmeditatio tantundem expeditum iter habet ad eadem feliciter terminanda, & in ſecuritatem collocanda, ex quibus optimum judicium, & rerum quantumvis involutarum diſcriminatio oritur. Magnus Peripateticus noſter ſic ait: *unusquisque bene judicat, quod cognoſcit.* In eundem ſenſum Seneca, iracundum hominem vult prius de re quaque diligenter inquirere, qum in iram erumpat: *totum inſpice mentis tuæ adytum: etiamſi nihil mali facti poſſit facere.* Et Quintilianus: *Noſcat ſe quisque non tam ex communibus præceptis, quàm ex natura ſua capiat conſilium formandæ actionis.*

Sententia pedaria.

Stupiditas quædam, aut mentis inſenſata durities, de ignorantia craſſa exordium ſuum ſumens, in iis, qui pro cujusque ratiocinantis arbitrio & voluntate, vituperium & laudem ſine diſcrimine cuique rei attribuunt, hoc adagio figurabatur: *Caput ſine lingua.* Hoc idem *Sententiâ Pedariâ* inſinuatur, qua olim Senatores determinationes ſuas, pede ſignificabant, & concludebant: unde & *Senatores pedarii* appellati ſunt, qui ſapientiorum ſe judicio conformabant. Talis erat Marci Tullii filius, qui nunquam os ſuum aperire ad ſententiam dandam, vel mutire noverat, procul degenerando ab intelligentia patris ſui. Horum calamitatem deplorabat Demoſthenes, illic nimirum in Olyntho, ubi in ejusmodi plures invehens, declamabat: *Homines ſocordes præſentia negligunt, futura benè ſucceſſura putant.* His adjungatur illud Juvenalis.

de Scientia. *Super Gen. hom. 29.* *Super Matth. hom. 59.* *Super Ioan. hom. 26.*

Inguinis & capitis, quæ ſint diſcrimina neſcit.

Quod idem eſt, ac ſi dixerim: neſcire eum inter turpe & honeſtum, inter nigrum & album diſcrimen. Similium converſationem hominum ne in ſomnio quidem, ne dixerim in ſcholis ſuis Plato perferre poterat, quos tanquam infideles rejiciebat: *Neſcienti quid laudet, aut quid vituperet, non eſt adhibenda fides.* De menſa Athenæi, quæ ſapientia & ſobrietate instructa erat, contra eos qui his finibus non tenebantur, ſed de vitio nefando ebrietatis ſacrificabant, muſto domiti, Proverbium illud vibratum fuit: *Capita quatuor habens:* utpote quibus unicum objectum, in varia multiplicatum apparet. Nec mirum eos tanta videre, qui tot vitis oculos epotârunt: Hi fumo vini vaporoſo tantopere ſui compotes non ſunt, ut nil eis ſubſiſtere, ſed cuncta vacillare videantur. Enormitatem vitii hujus aureum Chryſoſtomi os ſic deteſtabatur: *Ebrietas excæcat ſenſus; voluntarius eſt dæmon: Ebrioſo Aſinus melior: Ebrietas quædam Ira, Mater eſt Scortationis; tempeſtas tam in animo, quàm in corpore.* Natus eſt inter fulmina Bacchus (ſic fabulæ tradunt) hac prudenti mythologia docendo, de abundantia vini fulgura procedere, quæ facile eidem deditos in cineres redigant.

HIEROGLYPHICA.

JAm à Primordio Mundi Hieroglyphica nata ſunt, in ea videlicet hominum ætate, quæ adhuc ballutiens dici poterat, nondum habens characteres alios, quibus mentem ſuam, aut ſenſuum animi exprimeret: itaque neceſſarium eis erat, communibus inſtrumentis, & rebus ad uſum, & utilitatem hominum factis cogitata ſua exponere. Inter alias autem harum inventionum maxime ferax, populatiſſima Ægyptiorum Regio fuit, ubi in parietibus interiora animi prodebant. Hæ verò obſervationes à viris ſapientibus, tanquam myſterio plenæ collectæ ſunt, quas ego quoque prout rerum materies aut occaſio exegerit, in medium adducam, ut figuratus homo meus ex omni adeo parte obſervata utilitate, curioſorum oculis legendus proponatur.

Ex Valeriano de Capite. Bonum principium. *Elench. 2.* *lib. 2. de legib.*

Igitur per *Caput* judicioſi progenitores noſtri principium cujusque rei ſignificabant, prout Caput verum hominis principium eſt. Sic Varro docet: *Caput corporis eſt initium, eo quod ab ipſo capiant principium ſenſus, & nervi.* Sic adagium ſonat: *piſcem à capite primum putére.* Caput itaque benè collocatum, bonam membrorum conſtitutionem, & complexionem denotat; ſic prout quæque res bonum habet principium, ita finem quoque ſuum felicius conſequitur: *Dimidium finis, qui bene cœpit habet.* Sic Muſa poëtæ Venuſini ſonat. Quam id ſtudioſè obſervandum, & ſedulo huic invigilandum ſit, Peripateticus innuit: *Principium quantitate eſt minimum, poteſtate maximum, & hoc invento facile eſt augere.* Volebat Tullius initia à ſuperis ſumenda eſſe: *A Diis inquit immortalibus ſunt nobis capienda initia.*

Res principalis. Divina principia incomprehenſibilia.

Per *Caput* itidem res principalis figurabatur: unde Marcus Tullius ad Appium ſcribendo, ſic ajebat: *An tibi obviam non prodirem? Primum Appio Claudio, deinde Imperatori, deinde more majorum; deinde (quod Caput eſt) amico?* Omne libri principium Caput vocatur, ſic nomen illud Bereſith in ſcripturis idem eſt, quod vulgariter *Caput*, aut verò *in principio.* Quidam ſacrorum interpretum per nomen Capitis filium Dei intellexerunt, quandoquidem per verbum ejus diviniſſimum mundus productus eſt. Et Adamantius, per Seraphim, qui binis alis Caput Dei velabant, incomprehenſibilia eſſe inquit,

Divina eſſentia.

inquit, nec detegi poſſe divina principia. Et cum ſit eſſentia divina omnium rerum tam cæleſtium, quàm terreſtrium perfectiſſima, ſic ab Eucherio nomine capitis appellatur. Quod tantopere inter Ægyptios venerationem & reverentiam auxit (juxta id quod Hieronymus refert) ut injuriam Divinitati crederent fieri, ſiquidem qualecunque caput aut male cibatum, aut male tractatum fuiſſet, mortuum æque ac vivum.

Religio. *lib.* 14.

Usque adeo Religio ab iis, qui non niſi in obſcuro eam noverant, obſervata fuit: ſecundum quod Plinius ſenior ſcripſit: *Religione vita conſtat*: & in eundem ſenſum Livius: *Omnia proſpera ſequentibus Deos eveniunt, adverſa ſpernentibus.*

Schola Platonica nobis ſcripto reliquit, Caput noſtrum ad ſimilitudinem Mundi compoſitum eſſe, atq; idcirco Microcoſmum appellatum.

Parvus mundus.

Quis vero eſt, qui hoc non fateatur? dum illic & impreſſiones, & Planetæ, & tot negotia exercentur, & generantur? Illic animæ noſtræ, tanquam ſpiritui informanti, duos dederunt circuitus: atque ideo membrum hoc partem diviniſſimam, & principium reliquarum partium appellarunt, utpote quæ huic in ſervitium datæ ſunt. Et quemadmodum Deus ipſe per potentiam ſuam, & præſentiam mundum replet univerſum, ita & deliciæ illius ſunt converſari in orbe terrarum, prout liber ſapientiæ teſtificatur. Quantumvis autem hæc probatione non indigeant, audiatur nihilominus inter tantos Manlius:

lib. 4.

An dubium eſt habitare Deum ſub pectore noſtro?
In cœlumque redire animam, cæloque venire?

Caput ſupra altare.

Ad hanc capitis ſublimem dignitatem magnam authoritatem tribuit Heſichius Hieroſolymitanus: obſervans ritum ſacrum, in lege veteri celebrem, per quem caput victimæ ſupra altare collocabatur, nobilius corde æſtimatum, cor enim iraſcibilis, & concupiſcibilis fons eſt, itaque non immerito ſe caput à corde ſeparavit: poſthæc ſubjungit: *Non decet autem mentem ſolum dividi, ſed eſſe veluti vinculum, quod affectus noſtros ad ſanam rationem adjungat, atq; devinciat.*

Dignitas terrena.

Dum de cæleſti ad principatum terreſtrem deſcenditur, hunc Ægyptii adumbrare volendo, caput proponebant vel faſcia regia vel diademate, vel *camauro* cinctum: Porro Artemidori ſequaces, & ſodales, quamvis vana ſuperſtitione, ſiquidem ejusmodi caput in ſomno cuidam appareret, futurum Dominium & Principatum portendere crediderunt.

Principi reverentia debetur.

Cum quanta igitur reverentia caput noſtrum conſiderandum & honorandum eſt, cum tanta quoque revereri, metuere, & honorare Principes oportet, tanquam eos qui luminaria ſunt mundi: lucernæ poſitæ ſupra candelabrum, civitates ſanctæ ſupra montes collocatæ. Imo & ipſa omnipotentia divina Principibus prophetas ſuos viros ſapientiſſimos ablegavit, iisdemque ipſis, per figuras & ænigmata locuta eſt. Curtius etiam, qui tanta de principatu ſcripſit, hoc præceptum dedit: *Obſequio mitigantur imperia.*

lib. 8.

Longe quidem à proportione Architectonica, vicinam nihilominus in contemplatione, à cœleſtibus rebus dependentiam rerum terrenarum eſſe, ut antiqui ob oculos ponerent, Imaginem Serapidis Dei repræſentarunt, per quam moles mundi intelligebatur, ſed quæ loco *capitis* ingentem cælo vaſtitatem portabat. In gratiam quoque Nicocreontis, Regis Cypri ſequentes verſus addiderunt:

Sum Deus, ut diſcas, talis, qualem ipſe docebo.
Cæleſtis Mundus Caput eſt, Mare venter opacum,
Terra pedes, aures verſantur in æthere ſummo,
Lux oculi, quam Solis habet ſplendentis Imago.

Contemplatio Paradiſi.

Hinc Palladem de Capite Jovis prodeuntem de cælo deſcendiſſe fabulati ſunt: prudenter nos inſtruendo, cogitationes noſtras ad cælum ſemper directas eſſe oportere, ſicut directum eſt caput noſtrum. Ad hoc S. Ignatius Loyola reſpiciens exclamabat: *Quàm ſordet mihi tellus, dùm cælum aſpicio!* & S. Zenon Epiſcopus Veronenſis: *Quamdiu*, inquit, *tectorum umbræ præſumunt, quamdiu fumoſarum urbium nos carcer includit?* Et S. Cyprianus: *feſtinemus ingredi in illam beatam requiem.* Aliaque inſuper centum millia fidelium. Propter quod & infideles, illi ſumptuoſiſſimis delubris præfati Serapidis imaginem decorârunt: Et in Alexandria viſum fuit ejusdem ſimulacrum tam proceræ magnitudinis, ut ambabus manibus duos ponderoſos ſuſtineret parietes de ligno & metallo conſtructos: *Ut nihil non complecteretur*; ſubjunxit Valerianus, *quod terra vel proferat, vel intra viſcera abditum occultârit.*

Ser. de Martyrib.

Salus vitæ.

Actus naturalis, quo quisque mortalium, dum ei periculum læſionis imminet, objecta manu caput tuetur, à celebrioribus, & notioribus terræ Nationibus pro Hieroglyphico *Salutis* receptus fuit: unde & Ægiptiis ſolemne erat in quocunque luctu, vel inopino caſu ſe capiti devovere, per illud jurare, eidemq; ſe commendare. Hinc Tiberius Gracchus olim ſalutem populo devovere volens, hoc fidiſſimo ſigno in Capitolio comparuit. Sic Ariſtophanes ab Anacarnanis poſtulabat: *Etſi juſta non profatus fuero, manu ſupra caput impoſita, quæque univerſus approbet populus.* Ipſa adeo portenta cæli his ſuffragari videntur; quandoquidem Cæſaris ſtatuæ in templo omnes fulmine de cælo miſſo in caput percuſſæ, præſagium deſtructionis & ruinæ principatus hujus fuerunt quæ etiam poſt Neronis mortem evenit.

Usque adeo Romani olim prudentiſſimum Alexandri Severi, & Antonini pii filii ejus regimen acceptum & gratum habuerunt, ut ſimulacra & picturas cum bino capite, ſimul invicem juncto repræſentaverint. Hæc in annulis, & monilibus portabantur, hæc auro & argento imprimebantur: prout Græci & Macedones in figura Alexandri fecerunt: ita ut matronæ illuſtres pro ornamento, & mundo muliebri his figuris, & monilibus uterentur. Hæc ſuperſtitio à Chryſoſtomo Magno reprobatur, invehente in illam cum prophetico dicto: *Mendaces filii hominum in ſtateris.* Hæc bina capita dixerim ego eſſe oportere, providentiam in bono, & præcautionem in malo, cum axiomate philoſophiæ naturalis: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quocunque defectu.*

Proſperitas Imperii.

Diodorus volens Muſarum ſignificare impulſum, quæ videlicet cum ſuavi quadam violentia ad ſe Genium attrahunt, Caput Fæminæ repræſentavit, quæ capillos in fronte contortos, vel involutos, aut quaſi per humeros expanſos monſtrabat. De his Sulmonenſis ajebat:

Poëtæ.

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo:
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

Et elevatiſſima penna Commendatoris Teſti ſic exprimebat:

A me di quei lumi
L' Influence corteſi
Genii inſtillaro à Caſte muſeamico:
Si lungo i duo gran fiumi
Aufido, & Imeno appreſi
Trattar con Toſca man plettro pudico,
Lungi da rei coſtumi
Volſi il pie vergognoſo, & dove ſiorſi
Regnar virtude, inamorato jo corſi,

In ultimis, vel primis Corinthi viciniis inveniebatur olim

olim caput mulieris usque adeo deforme, & horridum, ut ipſe terror, ſi ad ſui expreſſionem, ſimulachrum ei vel imago eligenda fuiſſet, invenire aliud monſtruoſius illo non potuiſſet. Pauſanias vir literatus, & Legislator ibidem nominatiſſimus legem promulgavit, per figuram hanc, intelligi oportere imaginem, terroris. Quidam illud imaginem eſſe Capitis Meduſæ voluerunt; Domitianus ex hinc volens quandoque iis, qui ſe non alio oculo, quàm exterioris apparentiæ intuebantur, terrorem incutere, & ſe formidabilem reddere, caput hoc in pectore portabat. Hoc eorum obverſandum eſſet oculis, qui dum male operantur, divinam juſtitiam poſt tergum ſuum collocant. Sed nimium, prô dolor! verificatur illud, quod S. Bernardus ait: *Cor durum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur; nec movetur precibus; nec minis cedit, exemplis non inducitur, beneficiis induratur; flagellis non eruditur, & ut in brevi cuncti horribilis mali mala complectar, ipſum eſt quod nec Deum timet, nec homines reveretur.*

Lib. 1. de Conſiderat. ad Eugenium.

Obſtinatio in peccato, absque pavore peccati.

Obſervârunt Aſtronomi intra decem gradus Scorpionis aſcendentis ſupra Horizontem Caput quoddam omnino deforme, & cum prominentiis ſuis tortuoſum; ſuper hæc cavitates usque adeo male compoſitas & inamvenas, ut, ſi fieri poſſet, hæc portentoſa deformitas ipſi adeo cœlo terrorem incuteret. Conſiderando peſſimam ſigni hujus qualitatem, & aſpectum ejus horrificum, dixerunt præfati Aſtronomi, ab hoc inſtructionem moralem nos deducere poſſe, ut nimirum noverimus ab aſſaltu inimicorum præcavere, qui non ſecus ac ſignum illud in medio blanditiarum, & amplexuum, eludunt, decipiunt, & opprimunt. Præceptum politicum eſt Principi contra hujusmodi occultos hoſtes, non minùs, quàm contra inimicos exercitus præmunitum eſſe oportere, ſi vel minimum prudentiæ ſenſum poſſideat. Sanctus Chryſoſtomus etiam minimos horum adverſariorum obſervare motus, eloquentia ſua docet: ubi tam in campo verſare gladium, quàm in templo paſtorali pedum poſſe videtur. *Nihil*, inquit, *pernicioſius eſt, quàm hoſtem, quamvis imbecillum contemnere.* Et Vegetius nos inſtruit: *quod adverſarius reconciliatus etiam vehementer cavendus ſit.* Univerſum hoc etiam de inviſibili inimico intelligi poterit, qui, juxta Apoſtolum, tanquam Leo vorax, *circuit quærens, quem devoret.*

Occultare ſe ad aſſaltum inimici.

In Ep.

In hiſtoria Saxonum.

Sui ipſius cuſtodia.

Cum per naturæ legem, ad ſui tutelam quisque ſe præſervare, & defendere poſſit, idipſum Ægyptii indicârunt, cum bina aut depicta aut ſculpta *capita* expoſuerunt, virile alterum, quod introrſum ſpectabat, alterum muliebre, quod circa exteriora objecta pupillam oculorum circumgyrabat. Horus Appollo figuras & ſignificationes conſimiles, usque adeo perſpicuas eſſe dixit, ut ulteriori expoſitione, aut externa inſcriptione non indigeant. His imaginibus, cum ſuperſtitioſa, dixerim, Religione, prophani idolorum cultores Diis infernalibus defunctorum animas commendabant, adjunctis literis duabus D. & M. Si cum hac cautela incederent hi, qui paſſionibus ſuis in tranſverſum rapiuntur, & ſeducuntur, non tam incaute ſæpius aperto pectore in tela hoſtium, in globos lethales, in gladios & inſidias incurrerent. Per commune proverbium S. Bernardus nos, quantum doctrina hæc cuique hominum proficua ſit, inſtruit dum ait: *Solet dici, bonum caſtellum cuſtodit, qui ſeipſum ſervat, & obſervat.* Dumque nos amare docet Ponti Incola, ſic ait:

In quodam Serm.

De arte amandi.

Non minus eſt Virtus, quàm quærere, parta tueri:
Caſus ineſt illic: hic erit Artis opus.

Corroborat quæ dicta ſunt Hieroglyphicum prudentiæ, quod à ſapientibus Romanis in ſimulacro Jani bicipitis figuratum fuit: cujus finis erat ut repræſentaretur memoriam fidelem conſervandam præteritorum, & futurorum eventum cum ſagacitate prævidendum. Unde juſtiſſima eſt, & non abs re, de eodem ſubjecto Perſii exclamatio:

Janus.

Prudentia.

O Janne à tergo quem nulla ciconia pinxit.

Inde templum quod Antevorta, & Poſtevorta appellatum, & à Romanis cum ſingulari judicio apertum fuit. Sed de his figuris maturius in ſecunda parte integri hominis ratiocinabimur: quod præſens attinet adhuc illud referendum eſt, quod Demoſthenes in Olyntho ait: *Non tam videndum quid in præſentia blandiatur, quàm quid deinceps ſit è re futurum.* Et Plutarchus: *Prudentia non corporum ſed rerum eſt inſpectio.* Sed hic lectorem meum primitus ad vivum fontem Ethicæ Ariſtotelicæ tranſmitto: imò verò ad venas perennes glorioſiſſimi Doctoris Angelici Divi Thomæ de Aquino; denique ad id quodcunque poſteritati impreſſum, & latiori deſcriptione diffuſum reliquit Comes Emanuel Theſaurus in Philoſophia ſua morali.

Apud Stobæum.

Porro ut antiquitus, in uno ſimul omne tempus colligatum repræſentarent, præteritum, præſens, & futurum, in uno buſto terna capita figurarunt. Sic Heſiodi interpres ratiocinatur. Inventio hæc, prout refert Pauſanias, Alcamenis eſt: Et de Luna Virgilius:

Tempora.

Luna.

Tergeminamque Hecatera, & Virginis ora Dianæ.

Ut hæc tempora ſedulò diſpiciamus, & prævideamus, Sapiens nos exhortatur dicendo: *Omnia tempus habent*: Et hinc: *Tempus plantandi, & tempus evellendi quod plantatum eſt.* Hic Cardo major eſt, ut in Mundo vivere bene noverimus: *Tempori parcere, id eſt, opportunitatis locum expectare, optimi, & prudentis eſt*, ſic Marcus Tullius inquit. Et Ovid. *Dum licet, & ſlant venti navis eat.* Sic vulgò dicitur: *Dum ferrum candet, cudendum eſt.* Sed nimium vera ſunt quæ S. Bernardus inquit: *Nihil pretioſius tempore, ſed heu! nihil vilius hodie invenitur.*

PRODIGIA.

Quamvis jam & vulgò notiſſimum ſit, nihilominus ego, ne ab ordine mihi præſcripto, in Principio Oſtentuum & Prodigiorum diſcedam, non poſſum quin illud tantopere decantatum commemorem, de quo inprimis mentionem Plinius habet: videlicet tum cum prima Romanæ Urbis fundamenta jacerentur, in ruinis hiſce profundis inventum fuiſſe caput, recenti ſanguine tinctum, conſperſum, & quaſi diſtillans, ita ut à buſto noviter avulſum credi potuerit: quod futuræ felicitatis huic urbi omen fuerit, præſagiens eam non tantum Romani Imperii, ſed totius inſuper orbis Caput futuram. Sic enimverò pluries, quæ nobis contigiſſe fortuito caſu videri poſſunt, divina præordinatione diriguntur, ut Mundus his moneatur, & in futurum ſibi proſpiciat. Variis adeo Altiſſimus uti mediis conſuevit, quibus hominem ad ſe vocet.

lib. 28. *c.* 2.

Fundamenta Romæ.

Non caſu quodam, ſed ad inſtructionem & diſciplinam converſionis olim in Ægypto plagæ Pharaonis contigerunt: in Rubo flamma, Columna nubis, & ignis, Virga prodigioſa; manus repente leproſæ, Mons fumigans, & horum ſimilia. Sed cum ejusmodi portentis non corrigerentur, ecce illud Salomonis experientia comprobatum eſt: *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur.* Propter quo ſagacitate opus eſt, ut hæc præſagia poſſint intelligi: ſicut nec illud Amalecitæ fortuitum fuit, cum ſceptrum, & Regalem Saulis paludem

Vocative divina.

Proverb. c. 29.

Regi

Regi David, tum quidem adhuc Duci turmæ militaris, ad pedes projecit, ſed hic rurſum Lectorem meum, ſi de hac materia ei viſum fuerit ampliora noſſe, ad *Davidem meum muſicum armatum* ablego.

Præſagia.

Bugattus ſcripto reliquit: ante mortem Barnabæ Viſcontis, quæ paucis poſthæc ſubſecuta eſt: in palatio ejusdem incendium occepiſſe, atque inter atra flammarum volumina comparuiſſe Caput, quod ipſum quoque ardere viſum ſit, idque multo temporis ſpatio non diſparuiſſe. Sic

lib. 2. Hiſt.

Anno Domini noſtri milleſimo quingenteſimo quadrageſimo quinto, tum cum Henricus Dux Brunſvicenſis cum Duce Saxonico belligeraret, in civitate Argelia exoticæ magnitudinis grando delapſa eſt, inter hos autem glaciales globos, caput quoddam referens imaginem Saxonici Ducis inventum eſt, à quo poſtea Brunſuicum urbs & Regio debellata fuit.

Caput in tempeſtate delapſum.

Seductor ſpiritus, ut animos ad cultum ſui quamtumvis prophanum alliceret, decidentibus cælo ſaxis, jumentis humana voce loquentibus, cumque aliis diverſorum generum monſtris, porro & in victimis ſuis, quas quandoque omninò inter manus Sacrificantium diſparentes repræſentabat, non ſolum militares viros, ſed ipſas adeo matronas ad ſacrificia, ad Lupercalia; ad Lectiſternia; ad Saturnalia, & ad innumeros ejusmodi ritûs gentiles currere, & properare fecit. Unde & in pluribus locis Livius refert, quod *majoribus hoſtiis placata ſint Numina.* De tonitru autem & fulminibus, quæ quaſi quotidiano eventu decidebant Poëta inquit:

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos.

Ipſa quoque omnipotentia Divina, quamvis inter candelabra aurea, ſacerdotali indumento vel podêre veſtita, in labiis ſuis nihilominus gladium utraque parte acutum portat: & hic ille eſt de quo propheta meminit: *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea.* Utque hunc gladium metuamus Regius Propheta inquit: *Niſi converſi fueritis gladium ſuum vibravit, arcum tetendit; & paravit.* Felix qui ex ejusmodi magiſterio novit emolumentum ſuum capere.

Mutatio Regiminis.

Dum Galba Provinciam Tarraconenſem introiret, & in vicinia publici fani caput infantis immolaret, idipſum continuò & ex improviſo in ſenilem canitiem transmutatum fuit; cum inſolito circumſtantium ſtupore; unde & Haruſpices de hoc ipſo præſagierunt, futuram propediem ſtatus & regiminis mutationem; id quod etiam ſubſecutum eſt. Non minus prodigioſum fuit Caput illud, quod pontificia tiara redimitum comparuit non modico tempore in aëre, circa annum Chriſti quingenteſimum octavum. Relationes Cracovienſes recenſent, in Sarmatia Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo viceſimo tertio è flumine Viſtula cœpiſſe piſcatores piſcem humano capite ſpectabilem.

Ep. ad Bovillum.

Sagaciſſima inventio, quæ de manu ingenioſiſſima Creatoris procedit! verum enim eſt, quod poëta inquit:

Ludit in humanis divina potentia rebus.

Sic delectatur Deus operibus ſuis nobiliſſimis, & pulcherrimis, contraria omninò producere. Eveniunt monſtra vel exceſſu, vel defectu naturæ: dum vel nimium eſt quod operatur, vel dum in toto, aut parte quadam totius deficit; hinc eadem pulchritudo, juxta ſententiam ejus, qui Amator Lauræ fuit, eo quod videatur terminos concinnitatis excedere, intuendo & membrorum proportionem monſtruoſa appellata fuit.

Unde monſtra.

Oh delle Donne altero, e raro moſtro!

Hinc cum in domum Xanthi introduceretur, atque in ingreſſu ſuo Æſopus, hic Carbo animatus, è Phrygia usque adeo difformis, & tam prodigioſæ turpitudinis appareret, univerſa familia conturbata obſtupuit, & materfamilias ingenti vociferatione virum ſuum inclamat: *Unde hoc mihi monſtrum attuliſti?* Monſtruoſum appellari conſueverat ingenium D. Thomæ Aquinatis, tanquam quod communes intelligentiæ humanæ limites tranſiret, & omnino etiam optimis præſtaret: vera aquila, quæ fixis oculorum pupillis intendere poterat in ſolem illum, quem tam condignè portabat in pectore. Nero monſtrum crudelitatis nominatus fuit. Hoc etiam nomine transmutationes vel Metamorphoſes nominantur: unde Ovidius de ſororibus Phaëtontis in populos arbores transmutatis inquit:

Affuit huic monſtro proles ſtheneleia Cygnus.

Sic Gygantes, & Pygmæi, ſic quæ præcocia & præmatura ſunt in homine, vel mixtis, vel animalibus, vel plantis, vel petris, vel in lignis, quidquid aut excedit, aut deficit in communi naturæ curſu, monſtrum, aut monſtruoſum dicitur: hæc præterea nomina ſortiens: Oſtentum, Portentum, Prodigium, Miraculum. Inde iis inhærendo, & concludendo quæ ſupra jam relata ſunt, pro coronide hujus capitis vel capituli referam id quod Iſidorus ſcripſit: *Monſtrum ita nuncupatur, quia aliquid futurum monſtrando homines moneat; quapropter nonnulli hac ratione ducti monſtrum quaſi moneſtrum appellarunt; vel quia monendo aliquod myſterium divinæ ultionis præmonſtret; vel quia aliquid ſingulare à ſingulis obſervetur, & propter admirationem digito monſtretur.* Ipſa adeo Iris in pulchritudine ſua prodigioſa nos exhortatur ut Factori ſuo debitas referre gratias de tot benefactis erga nos non deſinamus: quod ſi minus factum fuerit, intuendo eam ut arcum incurvatam, utique de iraſcente Deo habemus, quod vereamur, cui nunquam deerunt ſagittæ, ad feriendos impios, qui vitam ſuam male degunt.

Lib. 2. orig.

SACRIFICIA.

PAgani olim barbaro omnino, ſuperſtitioſo, imo & nefando ritu Larundæ Deæ, vel Maniæ, quæ Deos Lares genuit, humanum Caput litârunt, opinati hoc ſacrificio nefando penates ſuos ab omni invaſione hoſtili ſecuros fore: quæ impietas è medio ſublata, & penitus à Junio Bruto Conſule abolita fuit, qui ſtatuit ut in vicem Capitum humanorum capita papaverum immolarentur & dedicarentur. Hoc cruentum nihilominus idololatrarum ſacrificium inſtructionem præſefert maxime utilem & moralem patribus familias & quibuscunque aliis, quibus domus cura concredita eſt, ut videlicet ſe laribus ſuis dedicent, mentem ſuam & cogitata ſua ad domeſticorum & domus totius ædificationem & gubernaculum dirigant, ſui & ſuorum indefeſſam ſollicitudinem gerant, expenſas cum receptibus ſuis ponderando: tantopere morigerati, & diſciplinati ſint, ut nemo habeat, quod de præpoſtero agendi modo conqueratur. Ad hunc ſcopum collimant Doctrinæ Peripatetici noſtri, in Ethica: ubi œconomica, herilis, familiaris, & monaſtica vita & regimen deſcribuntur. Imo & Apoſtolus

Paulus definiens Epiſcopi boni munera, inter alias virtutes eidem neceſſarias requirit: *ut ſuæ domui benè præpoſitus ſit*, juſta illatione inferendo, *ſi quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Sic Prienenſis Bias inquit: *Optima illa domus eſt, in qua talem ſe præſtat Dominus, qualem foris leges cogunt.* Et Cleobolus apud Diogenem: *Priusquam domo quis exeat, quid acturus ſit apud ſe pertractet: rurſus cum redierit, quid egerit recogitet.* Et Pythocles: *Optimè conſtituta domus, in qua ſuperfluum nihil abundet, & neceſſarium nihil deſit.*

Regimen domûs.

Epiſt. ad Tim. c. 3.

Apud. Plutar.

In more poſitum Celtæ antiquitus barbara gens habuit, de hoſtium occiſorum corporibus amputare capita, atque eadem evacuata, & exiccata, tum deinde auro tecta in conviviis & ſolennitatibus proponere, iisdemque pro poculis, & patinis uti. Si tantundem, quantum cum ſuorum hoſtium calvariis agebant hi barbari, Chriſtiani quoque in univerſum mortuorum ſuorum capita in conviviis exponerent, ſi, inquam in his lautis epularum ſolemnitatibus defunctorum memoria ſæpius reviviſceret, & tanquam ſpeculum convivantium oculis proponeretur, fortaſſis eorum menſæ frugalius planctu, quàm ebrietate aliisque inſuper indecentiis, rixis, diſcordiis, & perturbationibus inordinatis, quæ ex ebrietatis vitio derivant replerentur. Sic Moraliſta eos, qui talibus menſis absque omni metu aſſident, cum ſtent in ipſo limine ſepulchri, vellicat? *Quia incertum eſt, quo loco te mors expectet, tu omni loco illam expecta.* Et S. Gregorius: *Qui conſiderat qualis erit in morte, ſemper pavidus erit in operatione.*

Memoria mortis in conviviis.

Ep 24.

12. Moral.

Arieti, utpote primo Zodiaci ſigno; & quod ejusdem caput ſit, & omnem in eo potentiam, fortitudinem, & vigorem poſſideat, antiquiores Aſtronomi *Caput* aſſignârunt, dicendo: Eos qui ſub hac conſtitutione in trino, aut ſextili nati fuerint, optimè ſituatum caput, bene ſanum, ſine doloribus, ſine fluxionibus habituros. Sed ego potius hoc *Caput* optimè ſtabilitum dixerim, quod plenum generoſitate, & virili fortitudine, ſiniſtris fortunæ caſibus, vel paſſionum violentiis contraſtare noverit. *Obdurandum adverſus urgentia*, in ſuis Emblematibus exclamat moraliſſimus Alciatus. Dicebat Diogenes ad magiſtrum ſuum ſe percutientem: Non tantum tibi virium erit ad me feriendum, quantum roboris eſt dorſo meo ad ſuſtinendum. Et hoc eſt illud unde Æneam ſuum animabat Sibylla apud Mantuanum.

Fortitudo contra adverſitates, & paſſiones.

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito. Quod verò attinet paſſionum victoriam, & clavæ Herculis, & ſcuta Atlantis, & ægides Palladis, Ancilia Numæ, ſpecula Ubaldi, annuli Meliſſi, convenientes ad hoc allegoriæ ſunt. De his etiam S. Bernardus ait: *Major eſt victoria hominum, quàm Angelorum: Angeli ſine carne vivunt; homines in carne triumphant.* Portentoſum erat videre Senecam (prout ipſe de ſeipſo refert, dum de victoria ſenſus, & de hominis iraſcibili loquitur) ſuſpenſa in aëre manu, quæ flagellum tenebat, caſtigaturum ſervum immorigerum, dumque in hoc actu deprehenſus, interrogaretur, quid hoc rei? reſpondit: *Exigo pœnas ab Iracundo.*

6. Æneid.

De irac. 3.

SIMULACRA.

UT intentiones, & affectus, & paſſiones humanæ exprimerentur, à ſapientibus ſtatuarum, & ſimulacrorum uſus, una cum variis corporis & membrorum diſpoſitionibus inventus fuit, quibus vel ſtuporem, vel confidentiam, vel amorem, vel odium, aliasque in homine prædominantes qualitates figurabant. Statuariorum, & ſymbolicæ artis peritorum hæc gloria eſt, è pictis telis ſuis, & lapidibus ſculptis etiam ſine voce humana loqui potuiſſe. Cum ergo affectus, & commotiones animi ad hominem ſpectent, non ſine ſingulari defectu, & imperfectione propoſiti operis hujus foret, de his nil meminiſſe, ſed cum ſilentio præteriiſſe.

Scarlattini Hominis Symbolici Tom. I.

Ut cum facilitate & delectatione duarum nobis humanarum qualitatum notitia daretur, quarum una non nego, mœſta eſt, odioſa, & noxia, duo *Capita* Joannes Baptiſta Porta, nobis videnda dedit, quorum alterum fixis oculis, & melancholico intuitu terram ſpectabat, alterum hilare & jucundum cælos intuebatur: in horum uno dejectionem animi notabat, tum cum curarum anxietate deprimitur, & languentibus oculis in terram fixus, ſe in haſce tenebras præcipitare velle, alterum ad tranquillitatem illam gloriæ aſpirare & approximare videtur, quæ eſt finis & meta humanæ vitæ noſtræ. In altero horum Syntereſis culpæ recognoſcitur, quæ tanquam gladius ſupra caput Demadis Rei ſuſpenſa minitatur: alterum per modum Apodis ultra nubes ſe volatu ſuo levans, inſcriptionem illam judicioſam conſecutum eſt: *Deſpicit ima.* Alterum non ſine ratione dici poterit Cain aliquis fratricida, impius, perfrictæ frontis, & inhumanus, alter econtra manſuetus Abel, plenus tranquilitate, & amœnitate vultus. Hic velut Democritus ſemper ridens, prout eum Poëta loquentem introducit:

Dolor, lætitia.

In libr. de Fort. lit. notis.

Syntereſis in Innocentia.

E vanita, o Mortali
Nelle miſerie voſtre,
Dalle afflite pupillè
Con inſano dolor grondare il pianto.

Bruſon.

Alter velut Heraclitus ſemper plorans, in antro Trophonii ſepultus, quem nec menſæ Luculli, nec Panchaiæ amœnitas, nec Tempe conſolari poſſent. De uno eorum ajebat Marcus Tullius: *Ego ſemper hac opinione tractus fui, ut eum, qui nihil commiſerit, ſibi nullam pœnam timere exiſtimârim:* de Altero ſapiens ait: *fugit impius nemine perſequente:* Quibus S. Bernardus adjungit: *Infernus quidam, & carcer animæ eſt, rea conſcientia.*

In Vatin.

Prov. 28.

Serm. de Aſſumpt.

Porro ad eorum frangendam & terrendam impietatem, qui non verentur detecto ſarcophago, & lapide ſepulchrali amoto, defunctorum famam ſub terra dilacerare, inſculpi talibus ſaxis Meduſæ caput antiqui voluerunt, cujus capilli degenerabant in colubros. Prudens enimvero inventum, ex eo quod infamis carnificina eſt ſævire in corpora mortuorum, quorum animæ quotidianum implorare ſubſidium non ceſſant. *Cum Larvis non luctandum*, ait Moraliſta Alciatus. Viliſſimum pecus leporum eſt, qui pedes Leoni mortuo vellicant, ſic recenſet Homerus: *Non ſanctum eſt viris interfectis inſultare.* Ad hujus vitii deformitatem luculentius demonſtrandam, ejusmodi homines Plato canibus æquiparat, qui jactum in ſe lapidem mordent, cujus hæc verba ſunt: *Quid putas eos, qui ita ſe gerunt, differre à canibus, in jactos lapides ſævientibus, eo qui jecerit prætermiſſo?*

Iacobon. in Apolog de pris gentibus.

Non murmurandum de mortuis.

Lib. 5. de Repub.

Intellexit Manaſſes Rex, cur ſibi videntium nomen prophetæ adſciſcant: Hic enim Iſaiam prophetam è medio ſuſtulit, conſcindens vivi corpus ſerra,

& poſthæc ſe in forma quinque capitum depingi, & ſculpi fecit: ſtultè ratus, ſe totum Mentem eſſe, non prævifo præcipitio ſuo, & infeliciſſima morte, & condemnatione ſua. Solet hoc evenire temerarie præſumentibus, qui cum ſe omnia noſſe arbitrantur, nil omninò nôrunt. Id palam expreſſerunt Mythologi in fabulis Icari, & Phaëtontis. Etiam infimæ ſortis hominum hæc ſententia eſt: *eos qui alta contemplantur, cadere.* Inæqualitatem tam Architectonicam, quam moralem & numericam inter homines ſuſtulit S. Auguſtinus his verbis pulcherrimis:

De Civit. Dei cap. 11.

Jactantiam tollas, & erimus pares. Hugo Cardinalis ejusmodi progeniem hominum ſequentibus verbis explodit:

Lib. de Anima,

Inſipens, quid tibi prodeſt vanæ gloriæ memoria, ſi ubi es, torqueris, ubi non es, laudaris?

In gratiam vulgi (quamvis id à multo tempore jam periti viri, & ſapientes noverint) id quod ſequitur apponam; nempe Calvariæ montem (ſic Nauclerus opinatur) idcircò appellatum eſſe, quod in ea foſſa, in quam crux Chriſti collocata, & in qua cruce Redemptor mundi affixus fuit, calvaria vel caput hominis inventum fuerit, idque volunt protoparentis noſtri Adam fuiſſe.

Caput Adami in monte Calvariæ.

Voluit per hoc ſapientia divina & infallibilis indicare, quod illic ubi caput hoc condemnationis noſtræ origo fuit, ibi per merita tam excelſi ſacrificii poſteritati ſalus exoriretur; & ubi per lignum mors victorioſa intravit, per lignum deſtrueretur. De primo S. Paulus inquit:

Vita & Salus per Chriſtum. *1. Cor. 15.*

Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto viviſicabuntur: De ſecundo ſic Eccleſia canit: *qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur:* quod myſterium præfatus Apoſtolus Paulus optimè concludit; *factus eſt primus homo Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in ſpiritum viviſicantem.* Et paulò infra: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis.* Supra quod Iſidorus Clarus:

Super hunc locum.

Ut cum audimus Adam illum priorem factum in animam viventem, id eſt, ut ſit corpus animale, quod nunc circumferimus, conſideremus poſteriorem Adam præſtantiora allaturum, quæ ſpiritus appellatione vocanda ſint.

NUMISMATA, ET MONETÆ.

HEroicus non minus, quàm utilis & decoroſus ſemper æſtimatus fuit uſus humanas partes monetis imprimendi, ut per orbem univerſum magnanima geſta, & heroicæ actiones tranſcurrerent, & æternitatem quandam conſequerentur: ſtimulus proinde generoſis pectoribus daretur ejuscemodi illuſtribus factis, unde fama nominis nunquam intermoritura naſcatur, devovere animum. Præcipuè tamen hæc glorioſa memoria Principibus reſervata eſt. Sic videlicet excellentia figurati magnificatur, & in hujusmodi ſymbolis virtus ſimul & actio connectuntur, ejus, qui in utroque horum vel tanquam literatus, vel tanquam Heros deſudavit.

Clementia Principis.

In moneta quadam ærea Caput Julii Cæſaris corona civica decoratum cernitur, quod clementiam ejus figurat: Principibus enim quam maximè convenit tales erga cives ſuos ſe exhibere. Hanc clementiam, tanquam præclariſſimam Principum dotem iisdem Vopiſcus aſſignavit: *Prima*, inquit, *Dos Imperatorum Clementia.* Et Diogenes ſcriptum reliquit: *Contubernales juſtitiæ ſunt pietas, & clementia.* His potiſſima olim ſacrificia Athenis, in altari eisdem deſtinato, mactabantur.

In quibusdam præterea nummis humanum caput monſtrabatur lauro redimitum, quod pharetram, aut telum in occipitio ſuo portabat, fronte ſtellam contingens. Per hæc intelligi conſervatoris Apollinis beneficium influxum volebant,

Pier. lib. 23. Hieroglyph.

(prout Valerianus ſentit) ſtella autem virtutem radiorum ejus denotabat. Porro & caput aliud ſpectabatur pelle caprina coopertum, habens in faucibus ſuis fulmen, & in occipite arcum:

Vigilantia.

ex altera monetæ facie imago Pegaſi apparebat, & ſagitta alata: quæ ſimulacra mentibus hominum repræſentabant, non ſolum Principis, ſed omnium etiam eorum, qui regimini populorum præſtituti ſunt, in rebus agendis, & ad ſublevandos ſubditos indefeſſam celeritatem, & promptitudinem. Septem petræ quas Altiſſimus Zachariæ Prophetæ monſtravit, ſeptem principatus figurabant: hæ inſuper ſeptem oculis dotatæ erant, ſicut & virga quæ Jeremiæ prophetæ monſtrata fuit. Non usque adeo in exercitiis navigationis ſuæ intentus eſſe potuit Palinurus, tum cum infortunia calamitoſa temporis imminerent, ut non in unico oculi nictu in naufragium inopinum incurreret, qui tamen juxta Virgilium:

. . . . Clavumque adfixus, & hærus
Nunquam amittebat, oculosque ſub aſtra tenebat.

Doctiſſimus Erizzus obſervavit in monetis Antonini Pii caput matronæ plenum majeſtatis idque coronatum, quæ corona è multis turribus compoſita erat, in ſimilitudinem Deæ Opis, quam fabulæ docent.

Laodicea.

Hac figura fortitudo, & propugnacula Laodiceæ civitatis repræſentabantur, quæ tot annis impavide hoſtibus ſuis reſtitit. Ex altera parte caput hominis erat, quod in occipite caduceum Mercurii monſtrabat, per quæ promptitudinem obedientiæ ſuæ, tum & pacem, & erga principem ſuum ſubmiſſionem denotabat. Talem eſſe oportet Vaſallum, juxta mentem Pythagoræ:

Principes, & ſubditi.

Subditi non tantum morigeri ſint, ſed amantes etiam ſuorum magiſtratuum. Hæc & ſubditi in ſe invicem correlativa ſunt patris ad filium, imò *capitis* ad membra: atque idcircò (prout Caſſiodorus meminit) *Membrum ſequi debet caput.*

Caput arietinis cornibus inſigne, per ſupra memoratum obſervatorem Jovis ſignum erat apud Amonitas Gentem ferocem: cum aries apud veteres inſtrumentum bellicum, & fortitudinis ſymbolum fuerit.

Cornua inſigne honoris.

Imò verò cornu inſigne honoris erat: non uno id loco Propheta Regius inquit: *Exaltabuntur cornua Juſti. Exaltetur Deus cornu ſalutis meæ.* Sic cum fabulæ referunt Jovem Nutricis Amalthææ Cornucopiæ, omnigenis bonis adimpleſſe, Mythologis campus apertus eſt dicendi:

Abundantia de Urbium fortificatione provenit.

abundantiam provenire; ſiquidem civitates, & regionum limites cum ſumma vigilantia muniantur, & cuſtodiantur. Hoc ipſum per Numina tutelaria intelligitur.

Natal. Comit. Mythol.

Caput hominis venuſtum, & juvenile, mediam inter virilitatem & adoleſcentiam præſeferens ætatem, in numiſmate expreſſum, idque coronâ cinctum, unde ramus lauri egrediebatur, Solem denotabat, qui ſolus inter planetas coronam portat, cui etiam Laurus dedicata eſt, quod in amoribus Daphnes, quæ in Laurum converſa eſt, veteres indicare voluerunt. Idem ipſe Sol per caput radiatum in medio templi quadrati exprimebatur; quaſi lucidiſſimum ſimulacrum hoc, per mundi ambitum idcirco volvatur, ut in gratiarum actionem ſibi debitam, ſacrificia ab hominibus, per hoc mundi templum ornatiſſimum exigat. Eadem imago Solis per faciem juvenilem, cui nulla in mento barba erat, figurabatur, tum vero etiam

ſparſos

ſparſos habens capillos, duos ab auribus ſuis ſerpentes pendulos repræſentans, prout jam memoratus Author annotavit: exponens nil eſſe in terrarum orbe tam remotum, quo radii ſolis, (quos diſperſi crines referunt) non pertingant: & quia Sol ætatis detrimentum & caducitatem nullam novit, Adoleſcentulum eum, & imberbem eſſe voluerunt.

Refert itidem Valerianus vidiſſe ſe in numiſmate, veteri ſculptam faciem, coronatam radiis, & alatam inſuper manum, quæ in aërem levabatur, indicans prima orientis ſolis itinera.

De Sole Hieroglyph.

Tanta erat huic Datori luminum & obſervatio, & miniſtratio, & adoratio. Interim gratiarum actio, ſpecioſiſſima & acceptiſſima eſt monetarum omnium, quæ donari poſſunt; atque ideo Marcus Tullius ajebat:

Gratiarum actio. Philip. 2.

Cui gratia referri non poteſt, quanta debetur, habenda tamen eſt quantam maximam animi noſtri capere poſſint.

Victoriæ obtentæ.

Quandoque Capita monetis impreſſa, caſus militares cum felici ſucceſſu terminatos figurabant. Sic in numiſmate quodam Imago Claudii Cæſaris, juxta mentem præfati Erizzi, victoriam illam quam Romani adverſus Barbaros impetrarunt, ſignificavit.

Lib. 3. Hierogl.

Ad victoriam hanc exprimendam, Valerianus vir doctiſſimus, caput mulieris alatum, cum capillitio retorto demonſtrabat, aſſerens ſe idipſum in quam plurimis monetarum inſculptum obſervâſſe. In his ipſis idem Caput muliebre, ſed coopertum caſſide apparebat: de quo non pauci dixerunt, eſſe illud effigiem vel imaginem Urbis Romæ, quæ virtute armorum ſuorum Caput Orbis effecta eſt:

Roma Caput Mundi.

ex altera parte vultum ſuum inſculpſit Julius Cæſar, ſed in figura Martis: alludere volens, debere originem ſuam Romanos huic numini belligero. Quidam etiam non irrita cogitatione præſagierunt, Romam Caput fidei Chriſtianæ futuram, ubi Caput Apoſtolorum Petrus primariam pontificiam ſedem ſuam collocavit, ubi hæc eadem fides gigantea, & glorioſa membra ſua extendit, & non ſecus ac Davidica illa vitis, potius quàm illa fabuloſa Aſtyagis *à mari usque ad mare extendit propagines ſuas*: atque adeo Petrus Petra nominatus eſt, immobile Capitolii ſaxum reſpiciente Redemptore noſtro.

Inventæ ſunt monetæ quædam, quæ ex una parte duplicem faciem in cervice una monſtrabant: dum ex altera figura navis cerneretur.

Lib. 40. Hieroglyp.

Æneas Vicus diligens horum inſignium obſervator; per binam faciem hanc, honores, & ſacrificia dedicata Saturno vult intelligi, qui videlicet mortalibus uſum tam agriculturæ, quam plantandi, putandi, & conſervandi vites edocuit.

Saturnus Agriculturæ Inventor.

Rurſum alii per hoc intelligi volunt ſapientem Legislatorem, ante cujus conſpectum ſtare, inquiunt, oportet faciem boni & mali, ad reprimenda damna ûnius, & ad commoda alterius procuranda.

Lib. 1 num. cap. 3. Bonum & malum.

Commentati ſunt alii per hoc utriusque fortunæ, tam proſperæ, quam adverſantis tanquam fluminis decurſum figurari, ut quisque noverit, tam per citatos vortices, quam per placatas undas felici navigatione ad portum ſuum appellere.

De Tenedo Nummus comparuit, qui ex uno latere duo capita monſtravit, ex altero ſecurim, cum hac circulari inſcriptione: *ſecuris Tenedia:* explicatio lemmatis hujus, vel proverbii inde derivavit.

Lex contra Adulteros.

Rex Provinciæ illius ſeveriſſimis legibus, & pœna capitis mulctabat adulteros; factum eſt autem ut genuinus ejusdem filius hujus criminis reus deprehenderetur: quidquid pro eo plebs intercederet, ut in viſceribus ſuis propriis pœnam hanc moderari dignaretur, inflexibilis ad hæc pater, coràm omnium oculis palam eum plecti capite imperavit: & ut hæc actio ſeveritatis retinaculum eſſet effrænatæ liventiæ in populo, præfatas monetas elaborari juſſit, cùm præmemorata inſcriptione: Verum enim eſt, quod literatiſſimus Vir Camerarius ait:

Lib. 5.

. . . . amor urit adulter
Relliquias Dominæ, relliquiasque domus.

Et juxta ſententiam Ambroſii: *Adulterium naturæ injuria eſt: Hoc enim etiam feris, ac barbaris deteſtabile.*

Lib. 1. de Abram.

Huic legi ſimilis illa fuit, quam Seleucus promulgavit: ut adulteris excavarentur oculi: deprehenditur filius ejus, ne utrumque oculum amitteret, Pater pro filio unum perdere maluit.

SIGNATURÆ.

CUm quanta devotione proſtratum humi non oporteret eſſe hominem, ad referendas Creatori ſuo grates, qui non ſolum ei divinum ſpiritum ſuum inſpiravit, dum animam dedit, non ſolum eum de peccati ſervitute, fundendo ſanguinem ſuum, redemit: propter quem ſolum cæli fabricati ſunt, qui in hunc mundum tot bonorum feracem locatus, divitiis elementorum gaudet, equorum qualitatibus compoſitus eſt: in hunc mundum, inquam, in tot mixtis fœcundum: præter hæc nihilominus etiam in herbis, in arboribus, in fructibus, in foliis, & in floribus, quaſi in tot voluminibus conſtitutionem humanam, conditionem ſuam, & ſtatum, & actiones, & motus, & imaginem ſuam cognoſcit.

Eloquentia Arborum.

Propter quod & ſagaciſſimi indagatores, medicinas, ad reprimenda mala ſua, congrua invenerunt. Ditiſſima Natura, & provida omnino, quæ ſignaturis etiam externis eos, qui horum ſcientiam habent admonet, ut in tempore ſuo Alexipharmaca & Repercuſſiva remedia adhibere malis ſuis non negligant, quibus utique propter Protoplaſti peccatum ſat abundanter ſubjicimur. Quot folia, tot linguæ ſunt, quæ cum eloquentia non verborum ſed factorum, nobis utile noſtrum inſinuant, imò bonum noſtrum, felicitatem, & commoda noſtra, & experientia nos docent, ſe oratores eſſe non verbis, ſed factis fœcundos. Benefica Creatoris noſtri manus, cuique plantarum, & herbarum virtutem ſuam indidit: & in ipſo cortice ſignaturâ ſuâ nobis expreſſit ea, quæ ſub eodem continentur. Dixerim ergò ſtudium hoc nón minus cæteris inperfecto. Botanico utilitate plenum eſſe, ut videlicet in cognitione ſignaturarum, de quibus dictum eſt, virtutes herbarum noſſe elaboret, & ab externis ad interna penetrare ſatagat. Hic ergò, ubi de Capite mihi ſermo eſt, de harum virtutum nonnullis ſuccinctam mentionem facturus ſum: ut videlicet nec Lectori meo, nec libro copia rerum earum deſit, quas hic deducere præſumpſi.

Primum ſibi locum vendicat *Nux* juxta eorum, qui maxime ſenſati ſunt, opinionem. Nux arbor fortunæ eſt, quæ quandoque inveteratum illud axioma falſum reddit: *Nux quaſi nex, & nux à notendo:* utpote quæ cortice ſuo utilitatem ſuam adfert. Hæc integram humani capitis figuram hæreditavit:

Nux ſignatura Capitis.

In exteriori & herboſo nucis cortice, tota pericranii forma apparet; in cortice duro, parte videlicet ejusdem ſolidiore cranium figuratur. In pellicula interiore quæ nucleum ambit, quis non meningem, aut piam matrem ut cum vulgo loquar, circumdantem cerebrum, quod in nucleo repræſentatur, cognoſcat? Non igitur mirum, ſi decoctio corticis, aut externi involucri aptiſſima tingendis capillis eſt. Et quod his potius eſt, ſal inde extractus potentiſſimum remedium eſt, pro pericranii vulneribus.

 Prout

Prout etiam Phyſici docent, ſiquidem nucleus contuſus fuerit, & pulſui applicitus, Alexipharmacum eſſe adverſum venena, & cephalalgiis mederi. Nux Indica etiam cum magnitudine ſua ſimilitudinem capitis refert, atque ipſum pene caput adæquat, unde etiam ſi oleum ex eadem extraxeris, corrigendis capitis vitiis & defectibus, potens medicina eſt. Flos pœoniæ collectus, & intra folia ejusdem admodum grandia reſtrictus, non ſolum præfatam ſimilitudinem gerit, ſed etiam in fiſſuris ſuis, niſi melius dixerim juncturis, quæ eundem reſtringunt, vera quædam effigies Commiſſurarum Lambdoidum, & rectarum, vel ſagittalium repræſentatur: Hinc etiam pro infirmitatibus cerebri, & radices ejus, & ſemina, & flores, & folia cum utilitate adhibentur. Serpit & in altum levatur Betonica, & Stoechades, quaſi cum rotunditate foliorum, & floris: diceres per luſum quendam imitari velle figuram ſupra memoratam: unde nec à medicamentis excluduntur, quæ caput concernunt. Capitatum papaver, tum & poma cydonea, ſicut & cucurbitæ & melopepones eandem portare videntur capitis imaginem: unde & à Medicorum Schola, inter præſervativa, & lenientia adhibentur, ad capitis dolores mitigandos. Inter alias Antirrhinon ſylveſtre, & quod flore ſuo, & ſemine calvariam humanam præſefert, præſtantiſſimum propulſandis capitis doloribus medicamen eſſe compertum eſt. Sic verum illud, quod cenſet Oſvaldus Crollius, Magnam illam Matrem Naturam, ſemper ad ſervitium noſtrum applicatam, ſemper beneficam

De ſignaturis præfat.

eſſe. *Omne, quod occultum eſt*, inquit, *& intrinſecum, fert illius extrinſecam figuram, tam in ſenſibilibus quàm inſenſibilibus creaturis: tacentibus nobis loquitur veluti quibusdam natura, ac ingenium cujusque & mores revelat.* Quas igitur gratiarum actiones, quam gratitudinem referet homo huic dexteræ Dei altiſſimæ, *quæ terram dedit filiis hominum*, prout Regius pſalmiſta canit?

DEDICATIONES, ET OBLATA.

Sublimiſſimus, utiliſſimus, & generoſiſſimus ſcopus, ad quem mortalium genus in omni tempore & in omni ætate potiſſimum collimavit Religio

Religio in quanta æſtimatione ſit habita.

eſt. Sapienter enim de cœlo cuncta nobis provenire apud ſe ſtatuerunt, propter quod & vota diis ſuis voverunt, victimas immolârunt, & ſacrificia obtulerunt. In ipſis adeo primordiis ſeculi hoc Reges Phari demonſtrârunt, qui pyramidibus erectis, in quibus Hieroglyphica ſculpta erant, numinibus ſuis memoriam beneficiorum acceptorum inſcripſerunt: & quamvis illis ſupremi Entis, hoc eſt DEI, notitia nulla eſſet, in immolandis nihilominus victimis ſuis veraci pietate quadam non caruerunt, & compoſitione precum ſuarum uſi ſunt. Elevatiſſima hæc virtus eſt, ſi enim à fine ſuo ſpecificantur actiones noſtræ, hæc pro ſcopo ſuo cultum habet altiſſimi Dei:

Etich. 4.

Magnificæ ſunt, ſicut & honorabiles, quæ deorum cauſa fiunt dedicationes, ſcribebat Philoſophus. De honore illis debito, ipſam penè elevatiſſimam ſapientiam æmulando, doctiſſimè ſcripſerunt, non inter ultimos, ſed primos numerandi philoſophi, Linus, Orpheus, Tales, Muſæus, quos Zoroaſter ſtellarum omnium indagator inter Deos adorabiles annumeravit.

De Iſide & Oſiride.

Sic Ægyptii, prout Plutarchus & Diodorus volunt, res eximias, & negocia ponderis magni, monumenta templorum, ſcripturarum interpretationes, præmia, & mulctas, adſcribi ſacerdotibus, per eosdem gubernari, tractari, dividi, & concludi voluerunt: Denique, prout M. Tullius inquit, *omnes religione moventur, & deos patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos ſibi diligenter, & retinendos arbitrantur.* Unde & ego in horum conſideratione, opus hoc meum, & obtuſum, & lumine ſuo deſtitutum arbitrarer, niſi de ſacrificiis quoque, & dedicationibus, (quamvis eorum mihi pauca admodum occurrant) nonnihil etiam afferam, de iis videlicet, quæ pro cultu numinum de partibus humani corporis facta ſunt.

6. Act. in Verrem.

Caput dedicatum Jovi.

Jovi itaque, tanquam Cælorum Capiti, quidam antiquitus Caput obtulerunt: arbitrantes, quod ſicut ſub illo (de quo Lucretius inquit: *Jupiter eſt quodcumque vides, quocunque moveris*) cætera Deorum turba verſatur, ſic à Capite cætera quoque membra dependere: opinio, quam ita fixam eſſe oportet in iis, qui Deum adorant, ſicut ei ſubſtantiale eſt, rationalem eſſe. *Quæ Dii vocant, eundem*, ſic vociferantur non Chriſtianorum, ſed paganorum ſcholæ. Ita vero & verba Senecæ in hunc ſenſum mordacia & pungentia ſunt, quæ præterire nequeo, dum de penna gentili volatum Chriſtiani adverto. *Prope Deus eſt: tecum eſt, intus eſt: Ita dico Lucili: ſacer inter nos ſpiritus ſedet, bonorum, malorumque noſtrorum obſervator, & cuſtos: hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat. Bonus vero vir ſine Deo nemo eſt.*

Seneca ad Lucilium.

Caput dedicatum Soli.

Quidam intuendo in circulum ſolis, dum nubibus ſuis cinctus, ſeſe hominum aſpectui videndum præbet, & in eodem ſimilitudinem capitis figurantes (à quo etiam, tanquam à capite, fonte, & origine quadam omne bonum noſtrum derivare non ceſſet) habere eum itidem in generatione hominum partem principalem, juxta illud: *Sol & homo generant hominem:* illi vota ſua ſolverunt, & præfatam majorem partem caput nimirum ſub dominio ipſius collocarunt. Quanto potius igitur, & quanto utilius Anima Chriſtiana ſe Redemptori ſuo devovet: *qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos:* prout inquit Apoſtolus? Hic verus ſol eſt, de quo propheta Malachias inquit: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ:* Atque idcirco huic ſupremo ſoli noſtro plus quàm Achæi, plus quam habitatores Heliopoleos, plus quàm Arcades (de quibus Pomponius, & Melas, & Suidas, Lactantius, & Macrobius & alii meminerunt) oportet ut Chriſtiani ſacrificemus, dedicemus non tantum caput, ſed & corda noſtra. In hunc modum Glorioſiſſimus inter Sanctos Antonius Patavienſis ſcripto reliquit: *Sol eſt Chriſtus, qui lucem inhabitat inacceſſibilem: cujus claritas omnium Sanctorum radiolos, ſi ei comparentur, obfuſcat, & denigrat. Quia non eſt Sanctus, ut eſt Dominus.*

Chriſtus Sol.

Malachias.

S. Antonius Patavienſis.

In Apocal. cap. 16.

Caput arietis.

Conſiderando virtutem & potentiam *Arietis*, quippe quæ in ejusdem capite ſita eſt; (Etenim ſi hanc partem exceperis, non habet unde ſe defendat, vel offendere poſſit) Cum præterea ſignorum Zodiaci caput ſit: ubi ſol, pro communi Mathematicorum & Aſtronomorum ſententia, curſum anni novi orditur: ſapienter ſtatuerunt hunc parti illi hominum, capiti nimirum patrocinari. Propter quod ſub felici hujus conſtellatione natos, immunes à fluxionibus, abſceſſibus, catharris, epilepſiis, & horum ſimilibus futuros ominantur: ſicut contrarium evenire iis, qui eam male poſitam & ſituatam, ſub orientis porta invenerint. Hic ego dixerim imitandum nobis hoc animal eſſe, ut videlicet oppreſſionibus, & infortuniis fortiter reſiſtamus. Melius enim Naucleri peritia patet, ubi fluctus, & ferocitas tempeſtatis deſæviunt. *Spectaculum Jove dignum*, inquit Seneca, *videre hominem in afflictionibus poſitum.* Reſtitit magnanimiter his fortunæ ſiniſtræ caſibus

Reſiſtendum Infortuniis

Seneca.

ſibus Propheta Regius, dum inquiebat: *Impulſus, everſus ſum ut caderem: Dominus autem ſuſcepit me.* Memoriam immortalem nominis ſui poſteritati transmiſerunt, ambuſta manu, Scævola, Cocles ſupra pontem, Curtius in voragine, Gracchi, Meſſallæ, & Corvini cum hoſtibus conflictati: & Anaxarcus, contuſus & contritus ab Anacreonte Tyranno, tum cum ajebat: *tundite Anaxarcum ſidera celſa petit.* Bonum eſt ſimilem eſſe Lunæ, de qua ſcriptum: *Oppoſita Clarior:* aut verò flumini, de quo illud refertur: *Quanto più ſi rattien, vie più s'ingroſſa.* Ita lilium inter ſpinas: *magis redolet:* & roſa odorem ſuum ſpargit: *Oppoſitis fragrantior.* Non minus quoque Palma de ſeipſa loquens introducitur: *adverſum pondera ſurgo.* Sub his oppreſſionibus vegetiores & firmiores in perſecutione Ægyptiaca apparebant Hebræi: unde in ſcripturis divinis relatum eſt: *Quantò opprimebat eos, tantò magis multiplicabantur, & creſcebant.* Ita Seneca in Hercule ſuo furente ait:

Seneca.

Nunquam ſtygias fertur ad undas
Inclita virtus. Vivite fortes.
Hæc Lethæos ſæva per amnes
Vos Fata trahent. Sed cum ſummas
Exiget auras conſumpta dies,
Iter ad ſuperos gloria pandet.

HISTORIÆ.

Ad conſcendendum decoroſum gloriæ clivum, & victorem ſeſe demonſtrandum, & ad jubilandum in excelſis honorum faſtigiis, in quibus ſolis æternitatem famæ adipiſcitur homo, ſeveriſſimi Duces fuerunt ſemper viri illuſtres heroicis actionibus ſuis inclyti, qui virtutum, & meritorum ſuorum alis innixi, illuc nobis iter ſtraverunt, & callas applanârunt: Qui plus quam Atlantis ſcutum, de nebuloſis ignorantiæ tenebris nos expediendo, ſicut Dii Terminii in triviis difficillimarum ambagum rectum nobis tramitem demonſtrârunt. Fuerunt hi veraces Ariadnæ, qui Theſeis in labyrintho dubioſo difficultatum intricatis felicem exitum edocuerunt. Hoc ipſum Imperator Leo, tanquam ſeveriſſimum præceptum dedit filio ſuo. *Tu per hiſtorias veteres ire ne recuſa; ibi reperies ſine labore, quæ alii cum labore collegerunt.* Magna utilitas, magna ſecuritas, noſſe viam ingredi, cujus terminus glorioſus ſit, quæ nullis ſit prædonibus infeſta, nullis occupata monſtris, non anceps, non periculoſa, ſed directa, amœnitate, & ſecuritate plena.

Hiſtoriæ.

Apud Beierlinch. lit. H. Hiſtor.

Inter Heroës ſapientiſſimi, dum non ignorarent, non minus Mundo profuturas eſſe hiſtorias, quam ipſa armorum geſta, è Bellidúcibus facti Hiſtoriographi, depoſito gladio, pennam arripuerunt, & chartas atramento tinxerunt: atque illic certo quodam modo torrentibus ſanguinis inundare campos fecerunt. Sic victorias ſuas deſcripſerunt Moyſes, Joſue, Gedeon, Neemias, David, Salomon, Job. Ipſa adeo divina omnipotentia in habitu ſcribæ apparuiſſe videtur, tum, cum eum Ezechiel propheta ſibi viſum eſſe teſtatus eſt: *Veſtitum lineis, & atramentarium ad renes ejus.* Tentet quantum volet nos in pulverem redigere edax rerum tempus, conſumat ipſa marmora, & celſiſſimas rupes cum profundiſſimis vallibus adæquet, & in nihilum deducat: Hiſtoria nihilominus has moles renovatura eſt, & rurſum humi ſtrata ſublimabit: redintegrabit in memoriis geſtorum hominem, quamvis jam corruptum, quamvis corroſum, & abolitum. Idcirco & ego non poſſum quin hic reiterem verba Tullii, jam alibi memorata: nimirùm quod: *Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ.* Hoc ipſum ego mecum ponderans, ubicunque ratio poſtulaverit, tam in partium hominis, quam in totius deſcriptione capitulum facturus ſum proprium: non tamen eousque in longum evagabor, ut quæ potiora ſunt ſilentio prætereantur.

Deus in habitu ſcribæ.

De Orat.

Caput longum.

Fuit inter Scythas olim gens, quæ ſicut à communi hominum genere & climate ſuo, & vivendi methodo, & moribus diſtabat, ita & ſingulare delectamentum habebat, ipſa quoque membrorum conſtitutione & figura corporis diſcrepare. Ob quod etiam cùm inter eos infans natus eſſet, prehendebat utraq; manu nutrix tenelli caput, idque fortiter premendo in longitudinem ſurſum figurabat; & ne in priſtinum ſtatum ſuum ſenſim delaberetur, & rurſum ſe contraheret, linteaminibus, & faſcibus in eadem forma conſtrictum conſervabat. Hic uſus poſthæc, & hoc artificium, beneficio temporum, & ætatum in naturam degeneravit: ex hinc proverbium quoddam exortum eſt, ut ſi quando in ejusmodi formato oblongo capite compareret homo, continuò reperiebantur qui dicerent: oportet hunc *Macrocephalum Scytham* eſſe. Sic enimvero apud hanc gentem, qui produceret, prolongaretque frontem ſuam, & majoris animi, & generoſioris, tum etiam majoris virtutis credebatur. Subjungit igitur Author ille: *Nunc non tam longis amplius capitibus naſcuntur, quemadmodum prius, lege per incuriam hominum non amplius durante.*

Hipp. de Aere Aqu. Loc.

Pericles grandis ille Orator, & Miles, qui virtute armorum ſuorum, & literarum, tam vicinas quam longe diſſitas ſibi ſubjugavit provincias: qui vibrante gladio ſuo ejaculari fulmina videbatur, ſed non minus etiam perorando, fulgur jaciebat ex oculis. De hoc memoria eſt, eum usqueadeo oblongum habuiſſe caput, ut intuitu reliquarum corporis partium ſymmetriam omnes excederet, & deformitatem incurreret: unde etiam factum, ut ubicunque ſtatuæ ejus erectæ eſſent, aut pileo quodam, aut caſſidæ tectæ viderentur, ne vitium illud capitis (ſic ajunt) ſpectantium oculis pateſceret. Hæc igitur corporis forma, otioſis & malevolis garriendi cauſam ſuggeſſit: unde & Poetæ Athenienſes, & reliqui contra eum ſiniſtre affecti, propter eandem capitis amplitudinem per detractionem ſatyricam eum Schinocephalum appellabant. Teleclides item faceta quadam ironia illudendo ei (in quo nihilominus à vero non aberrabat) eum capite gravatum ſedere dixit, cum tot negotiis prægravatum ſupportare vix poſſet. Detractor ille interim hoc aliò referens, eum in opem conſilii, & parcum ſagacitate intelligi voluit.

Plutarch. in Pericl.

Detractio.

Sic enimvero in omni ætate critica vafrities ſagittas ſuas vibravit: in hoc loco autem pro ſcopo ſuo ſibi elegit virum inter heroës, non tantum ſui, ſed & ſeculorum præteritorum, æque ac venturorum præſtantiſſimum. Videant igitur, qui regimini Reipublicæ præſunt cum quanta ſibi cautela agendum ſit, ſi & vitia corporis & naturæ in cenſuram cadunt, ubi nullum nec meritum nec demeritum eſt: quid cum iis futurum erit, qui aut ſpontaneà mente, aut incuria quadam, in damnum plebis peccaverint? Lucernæ, quæ ad illuſtrandum expoſitæ ſunt, ventorum flatu agitantur: ipſe adeo ſol in curſu obſervatores habet; Phenomena, quæ vitia naturæ ſunt, curioſius examinantur. Quin & arundines Midam habere aures aſininas loquuntur. Progreditur hæc cenſura critica ad colum usque, & ad ſputa decrepitarum vetularum, dum fila ſua de fuſo trahunt. Sonat ſchola Magni Stagyritæ, quod:

Cautela pro miniſtris publicis.

parvus

Ariſt. 1. de Cœlo & Mundo.

parvus error in principio, fit maximus. Inſita oblectatio mulieribus eſt præſentia mala in lingua habere, ſic de cythara ſua nos Euripides docet. Non eſt aura peſtilentior alia, quæ totius amicitiæ campum infectat, & venuſtiſſimos ſpei flores marcidos reddit, prout S. Auguſtinus ait. *Detractio eſt venenum amicitiæ.* Dicebat Teleclides memoratus de citato Heroë: de hoc capite *endecalino*, hoc eſt ſeſquipedali, magnum oriturum eſſe tumultum.

In Alces.

De Amicitia c. 13.

Caput upupæ.

Refert Suidas de Philocle, Nepote Æſchyli (hic autem neſcio, ſi textus mendoſus non eſt, *Inimicum* ponens, pro *Comico*) qui caput oblongum habebat, & criſtatum in ſimilitudinem upupæ: unde *Halmion*, quaſi ſalinator, vel acrimonia dictus fuit: deducta fortaſſe comparatione & Metaphora ab ave illa ſolitaria & fœtente. Annales Sarracenorum recenſent, Mahomethum Legiſlatorem, & primum Turcarum Imperatorem, Caput habuiſſe enormiter magnum, & faciem intermixtam colore rufo, & albo. Indecens tinctura, ubi anima tantopere nigra erat, quæ tot animarum ruina & jam antehac fuit, & eſt hodiedum, & deinceps futura erit: & in hoc cranio tam ſpatioſo, tanquam in aula vacua liberum fuit ſpiritui rebelli pro voluntate ſua incedere, quippe qui illic habitaculum ſuum fixerat: poterat illic pro libitu ſuo extendere figuras, & formas iniquiſſimarum legum ſuarum, quas ad Catholicæ veritatis exterminium excudere, & promulgare auſus eſt. Verus Goliath corde non corpore, qui ab innocente paſtorculo humi proſtratus eſt. Ubi virtus Altiſſimi opifex eſt, illic è formicibus prodeunt veri Myrmidones, qui metuendos alioquin orbis domitores de ſede ſua deturbare norunt.

Theatr. vitæ hum.

Berlinchius vir doctiſſimus refert: non paucis abhinc annis in Belgiæ urbibus, oſtentui publico circumlatum fuiſſe infantem, gracili omnino, & ſubtiliſſimo corpore, ſed capite usque adeò inſigniter magno, ut amplitudinem vaſis, ad menſuram modii usque capacis, adæquaret, & vix puer ille ætatis ſuæ annum unum expleverat. Illud ipſum caput ad ſimilitudinem fluxus & refluxus maris, jam intumeſcebat, jam rurſus comprimebatur: dum ab intro ſubtus membranas humor aqueus diſcurrere, inflari, & elevari videbatur. Monſtrum prodigioſum: & quia à conſueto naturæ curſu exorbitavit, in defectu ſuo propediem collapſum eſt. Sic & vitam ephemerem habent ſpes capitis noſtri, quæ inconſtanti viciſſitudine, non ſecus ac decreſcens ac ſuccreſcens Oceanus, periodis ſuis nunc extollitur, nunc procidit. Alludebat ad ſpes Capitis noſtri eloquentiſſima muſa Commendatoris Teſtii:

Spes vana.

Vagabondo penſiero
Dove vai, & d'onde torni, e che pretendi?
Tu ſu l'ale leggiero
Ora parti, ora torni, or poggi, or ſcendi:
Et nel tuo moto eterno
Sei l'iſſion de l'amoroſo inferno.

Apud Stobeum ibi.

Sic illud verificatur, quod: *Spes temeraria plerumque homines fallit.* Sicut Euripides ajebat. Pindarus *vigilantium ſomnia* hæc nominabat. Etiam vicinus eſt naufragio, qui navem ſuam ad *Caput bonæ ſpei* dirigit.

Non minus curioſa, quam faceta erat inter antiquos conſuetudo, qua Athenienſium quæque domus utebatur: quæ de Græcia etiam ſucceſſu temporum Romam usque migravit: videlicet tum cum ad patronos ſuos primum ingrederentur mancipia, ſervitura. Ut enim eos vel ad ſervitutem animarent, vel ut ſubjectionis, & onerum quæ portanda eſſent, meminiſſent, eorum capita diverſi generis & ſarmentis, & fructibus, & nucibus, & beta, & caſtaneis, & leguminibus aliisque inſuper rebus onerabant: quos cum poſtea ſic oneratos per univerſam domum traduxiſſent, & in cubile eorum perveniſſent, onus illud in pavimentum cadere ſinebant; idque catachyſmum nominabant, hoc eſt effuſionem, profundendo id quod in capite geſſerant, hocque illis poſtea pro mercede erat, quamdiu in eadem domo morabantur. Unde Demas cum Siro ſuo rurſum reconciliatus illic in Terentio ajebat.

Caput ſervorum oneratum.

Huc ad me Sire, ut tibi caput demulceam:
Perfundere unguento fructibus.

Hæc ceremonia pro ſigno abundantiæ annualis habebatur. Hujus conſuetudinis Theopompus taliter meminit: Verſificatores, vel poëtæ præmiabantur, imo vero delibuti & uncti unguentis variis: ſic & matronæ civitatis Segeſtæ, tum cum Dianæ ſimulachrum pro more portaretur, redimire caput ſuum corona de diverſis floribus contexta, variisque unguentis delibuta conſueverant, atque ita exornatæ vicos & compita tranſibant, idolum ſuum proſequentes. Hinc Themiſtii pater ut Epicurum, quamvis falsò, percelleret, incuſans eum ſenſuali voluptati datum eſſe (de quo ne ſomniare quidem ei in mentem venit, qui voluptatem nullam ſtabilem niſi intellectus, & animi agnovit) vas ei unguentarium ſupra caput effudit, fragrantia odoris eum tingens: volens per hæc mollitiem ejus vellicare, qui tamen ſemper durum & inflexibilem, adverſus delectamenta ſenſuum ſe præbuit.

Cel. lib. 6. c. 6. antiq. lection. ex Suida.

Cicero in Varrone.

De hoc uſu fortaſſe Novendiales cæremoniæ derivatæ ſunt, in quibus, prout Athenæus recenſet ex Gellio, novem continuatis diebus, patresfamilias ſuccincti mantilibus, manicisque replicatis, accumbere ſervos ſuos faciebant, illisque ſervitium præbebant, illorum ſe imperio ſubjicientes. Quid plura? Spes præmii vigo[r]ſiſſimum calcar eſt ad quodvis ſubjugale animal, etiam tardiſſimum incitandum. Id quod ipſe quoque Altiſſimus ſæpe in electis ſuis præſtitit, dum iis gloriæ ſuæ portas reſeravit: prout patriarchæ Jacob, & S. Stephano contigit. Propheta regius vir optimus, per hoc ſe ſingulariter ad bene operandum pellectum eſſe fatetur: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem.* Veritatem hanc inter alios Marcus Tullius agnovit, dum ajebat: *Nec domus, nec reſp. ſtare poſſunt, ſi in ea nec rectè factis præmia extent ulla, nec ſupplicia peccatis.* Nec tantum in uis ſatyris Juvenalis abſorptus fuit, ut non remunerationi locum ſuum tribueret. *Quis enim*, inquit, *virtutem amplectitur, ipſa præmia ſi tollas?* Non veretur carduelis quamvis ſubtiliſſimo pede ſuo hirſutas cardui ſpinas calcare & premere, cum ſperet ex ejusdem ſemine ſe cibandum.

Spes præmii.

De natura Deorum.

Satyr. 10.

Exponebant ſe olim duriſſimis & periculoſiſſimis conflictibus viri bellatores, dum ob oculos ſibi ponerent, ſimplices lauros, & quercuum frondes: certam enim nominis ſui ſibi immortalitatem ex viridantibus his, & perennibus foliis ſpondebant. Incertis fluctibus maris, & infeſtationibus piratarum ſe committit de litore ſuo procul navigans ratis, quia portum ſuum ſibi promittit. Cum ſudore vultus ſui, infatigabilis arator glebas ſcindit, eo quod in tempore fœcundam meſſem ſibi de labore ſuo futuram augurat: denique ſic ait Ponti infelix incola:

Lib. 5. de Triſtibus Eleg. 13.

.... Non parvas animo dat gloria vires:
Et facunda facit pectora laudis Amor.

Hac ſpe allectus Pallas Spartanus (referente Pauſania) ferociter dimicabat, & jam corde fixum tenebat,

In Phocicis.

Tarentum urbem tum quidem ditiſſimam, omnique genere abundantiæ, ſi ullla alia illuſtrem expugnare: ſed ſpe ſua deluſus eſt, dum non minori valore & animoſitate exercitus ejus à loci incolis propulſatus & proſtratus eſt. Hic aliquando mœſtitia & dolore plenus, in ſinus uxoris ſuæ (cui nomen Æthra) caput inclinaverat, quod illa pectine mundabat, tum cum ille amariſſime fleret, memoria repetens quæ perdidiſſet: junxit illa lacrymas ſuas, quas calidas deſtillabat incumbentis caput. Tum enimvero in memoriam ei rediit, quod ab oraculo quondam audierat, futurum ut civitatis & campeſtrium, potiretur, ſiquidem ei ab Æthra ſuper caput pluvia decidiſſet: ſuſcepit augurium, collectisque rurſum ordinibus, nova vi aggreſſus, & extrema auſus, muros & urbem usque adeo in anguſtias compulit, ut paucis eam diebus ditioni ſuæ ſubjecerit.

Civitas augurio capta.

O ſi Chriſtiani noſtri & mentem, & aures ad oraculum ſuum adverterent, dum ad corda eorum pulſat, plantarent utique victorioſum vexillum ſuum in civitate illa ſancta, quæ utique & ipſa *vim patitur, & quam violenti rapiunt.* Hoc punctum tale eſt, ut concionem integram mereretur: ſed cum id jam inſtituti mei non ſit, nec hic ſit ſcopus meus præcipuus, ad paucas admodum, & ſuccinctas me reflexiones reſtringo. Id ſolum referam, quod de Dilecto in Cantico Canticorum recenſetur, qui ad portam animæ ſanctæ pulſando ſtabat, dum illa pigritando veſtimenta ſua inquirebat: cum vera jam compoſita eſſet, prompta voluntate exiit, ſed: *ille declinaverat.* Ruina totius Hieroſolymæ, quæ Salvatori noſtro lacrymas extorſit, aliunde non contigit, teſtante ipſo Redemptore, quàm: *quod non cognoverit tempus viſitationis ſuæ.* Homo nonnunquam ipſis inſenſibilibus rebus inſenſibilior eſt. De roſa ſcribitur: *Deſtaſi alloſpuntar del, primo raggio:* hoc eſt: ad primum Solis radium excitatur: & Claudianus de magnete ait:

Inſpiratio divina.

Claud.

Arcanis trahitur gemma de conjuge nodis.

De magnete.

Ad primum Auſtri flatum Laurus germinat: ipſa aſtra influentiis ſuis loquuntur. Unde laudabiliter ab homine fieret, ſi quandoque internis commotionibus, quibus ad bonum incitatur, locum daret: hæ enim ſunt illæ memoratæ pluviæ Æthræ. Loquebatur ut Poëta, nihilominus ut Chriſtianus Commendator Teſtius, quando Matthæum Sacchettum ſic affari voluit:

Quelle, Matteo, che miri
Entro al opaco velo
Dela notte brillar faci ſuperne,
E che in perpetui giri
Parte ſtampan nel Cielo
Con luminoſo pie ſtrade eterne,
Parte a li altri Zaffiri
Del firmamento immobilmente inſerte,
Han piu ſtabile ardor, ſedi piu certe:
Otioſe pitture,
Stampe in utili d'oro
Non ſon, qual ſe le crede il volgo inſano,
Piove da raggi loro
Qua giu l'Influſſi omnipotente mano.

Denique quàm bonum eſt imitari exemplum Apoſtolorum Andreæ & Petri, qui unica hac Redemptoris & ſimplici voce: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum, relictis retibus ſecuti ſunt Dominum.* Supra quod S. Gregorius inquit: *nulla eum feciſſe miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamen ad unum Domini præceptum ſecuti ſunt eum.*

S. Gregorius.

Salutatio vitæ civilis & politicæ fundamentum eſt: hæc omnium negociorum, hæc commerciorum & tractatuum poſta eſt. Hæc vitam ſocialem inſtituit, & ſolidat. Cum hoc ſigno cor loquitur, æque facunde, ac maximè elaborata eloquentia. Hæc tam ſæculorum præteritorum, quàm modernorum conſuetudo eſt: unde & ad omnem occurſum, & caput ſuum diſcooperiebant, & levabant. Quidam manu, quidam nutu ſe explicabant: potiſſima tamen pars detecto capite: per quod ſecreta intima ſuorum cordium ſe palam facere credebant; ſic nos Varro apud Plinium docet. Quandoque etiam id ſanitatis intuitu fiebat. Multi enim in juvenili ætate adhuc vegeta, detectum caput contra frigus, & calorem, conducere ſanitati arbitrabantur: Ego idipſum Medicorum ſcholæ diſcutiendum relinquo. De Ægyptiis refertur, eos ſemper nudato inceſſiſſe capite, & robuſtioris ſanitatis fuiſſe, cum è contra Perſiani operto capite ſemper imbecilliores, & infirmiores corpore viſi ſint. Illud certum eſt de Hannibale, & de Julio Cæſare ſingulariter id recenſeri, ut aliorum Heroum non meminerim (quod infatigabiles ad ardores ſolis, ad ventos, ad grandines, ad gelu, ad pluvias, ad omnem temporis injuriam invicti detecto ſemper capite in militaribus expeditionibus ſuis comparuerint: demonſtrando, ſe ſine caſſide ferreum caput, & adamantinum in caſtris ſuis & inter arma animum geſtare.

Salutatio detecto capite.

lib. 28. cap. 6.

Imperatores & Belliduces capite ſemper detecto.

De Maſſiniſſa Numidarum Rege, qui Romanorum potentiam fregit; & ad præcipitium ruinæ ſuæ penè propuliſſet; recenſet Alexander, nec eum æſtu, nec frigoribus, nec temporum viciſſitudine, nec cæli inclementia adduci unquam potuiſſe, ut caput ſuum operiret. Idem de Adriano refertur, & Severo, principibus tanti vigoris, ut in graviſſimis hyemis tempeſtatibus nunquam caput vel pileo, vel alio tegumento operuerint. Sed quod ſaltutationem attinet, recenſet Egnatius, Petrum Laurentii Celſi, Ducis Veneti Patrem eousque obſtinatum fuiſſe, ut nunquam perſuaderi potuerit ad occurſum filii ſui diſcooperire caput ſuum: unde ut hic error publicus tolleretur, crucem auream in capitis ſui tegmine affigi juſſit, ut Patri occaſio eſſet, ſe detegendi occurrente filio Duce, reſpiciendo ad ſignum hoc redemptionis noſtræ. Itaque omninò utiliſſima ſalutatio eſt, & neceſſaria, quippe quæ conſervat, imò & inſtituit, familiaritates, amicitias, ſocietates, affinitates, contubernia: efficitque ut homo per hæc ad cognitionem, & conſortium ſui ſimilis perducatur. S. Paulus eos Romanos, qui nunc in arte magiſtri ſunt, de hoc vehementer admonitos eſſe voluit dum ait: *honore invicem prævenientes: ſollicitudine non pigri.* Bonum enim eſſe cenſuit, imo & ad ſalutem animarum proficuum, per hujusmodi reverentiam inclinationem animi benevolam demonſtrare adverſus proximum ſuum; procul ab aſperitate & duritie morum, & geſtuum, quæ quandoque rixarum, & querelarum incentivum eſſe ſolent. A Philoſophis moralibus hæc reciproca reverentia definitur: quod ſit: *honor exhibitus in teſtimonium virtutis.* Et S. Thomas Aquinenſis inquit: *Revereri eſt actus timoris, & ut debetur Deo, eſt actus latriæ.* Ipſa adeo irrationabilia animantia hujus rei nobis præbent exemplum. Admirabile in hoc examen apum eſt: de quibus libri memorant, quod in veneratione & ſubmiſſione erga Duces ſuos ſe *æmulentur obſequiis*: quod cum illo ſuperiori convenit: *honore prævenientes.* Eximia eſt Elephanti proprietas, qui ad primum Lunæ ortum ſe tanquam luminis hujus Adorator proſternit.

Genial. dierum l. 7. c. 19.

lib. 9. c. 12.

Cap. 12.

2. qu. 81. art. 1.

PHYSI-

PHYSIOGNOMIÆ,
ET SOMNIA

GLoriatio vana, ut non dixerim, temeritas eſt, æquiparanda iis, quæ maxime vetantur, de exterioribus ſignis hominis, interna ejus penetrare velle. Qui id præſumpſerit, ad hoc ſe præparet, ut in Veſuvii luminoſis vorticibus mortem nanciſcatur: & naufragus in abyſſum maris demergatur, & rurſum dictum illud redintegret: *O Abyſſe tu me cape, quia teipſum non capio.* Sapientia Salomonis inſinuat: *Sicut aquæ profundæ, ſic cogitationes in corde viri.*

Prov. 7.

Quis eſt qui fundum fluminis non tranſuadere ſolum, ſed & proſpicere poſſit, cum turbidum eſt, & inundatione intumeſcens? Quis credidiſſet in corpore tam exiguo Alexandri Magni domicilium ſuum collocaſſe animum, qui capacitate ſua mundum univerſum poſſideret? Sub inſulſis & turpibus membris Faunorum & Sylvanorum, præſtantiſſimæ quandoque virtutum Ideæ deprehenſæ ſunt, & cultum venerationis debitæ obtinuerunt? Quoties ſub cæleſti forma corporis infernale monſtrum vitiorum latuit? Fatui ſunt, qui de cortice externo ſe profunda qualitatum internarum rimari poſſe gloriantur. Siquidem ars talis dari poſſet, fruſtra Momus in pectoribus hominum feneſtrellam deſideraſſet, ut & cogitata & corda hominum videri poſſent. Hinc & Trina illa, & Sextilia ab Aſtronomis præſignata, ſæpius in momento temporis in quadratum, & oppoſitiones notivas convertuntur. Cum eadem facilitate, qua ſe ſudum cælum in obnubilum commutat, etiam mens hominum involvitur, & obnubilatur. Magna voce nos Apoſtolus Joannes exhortatur, ejusmodi ſigna corporis forinſecus ſpectabilia ad formandas genituras ſimiles non trahere, nec præſcriptiones inde, aut aſſerta producere: *Nolite*, inquit, *judicare ſecundum faciem, ſed juſtum judicium judicate.*

De externa hominis conſtitutione judicari interna nequeunt.

Cap. 7.

Hæc mihi adverſum eos ſcribere occurrerunt, qui per Phyſionomias & ſomnia ratiocinari præſumunt de internis hominum, atque inde ſignificata quædam benè ſolidata deducere. Negari interim nequit, accidentali quadam diſpoſitione de ſtatu, infirmitate, vel ſanitate hominis indicia ſumi poſſe. *Vultus ac frons, animæ janua, quæ ſignificat voluntatem abditam*, ſic Marcus Tullius ſcripto reliquit, Motus enim Iræ, & ſimilia externa quæ accidunt, antequam foris promineant, prius ſedem fixerant in corde. Dabimus itaque ſigna phyſionomica, & ſomniorum, quæ & ante me ab aliis annotata & figurata ſunt.

In petit. Conſul.

Dixerunt itaque, qui antiquitus jam talibus corporis indiciis ſe applicarunt: Caput grande, excedens cæteram membrorum proportionem, indicare hominem pigrum, & mente ſtupidum: ſicut & exiguum nimis & gracile fatuitatem & ſtultitiam notare: idque non ſine ratione, illic enim vapores nimii levantur; hic vero exiguitas Organi, & Receptaculi, nutrimentum debitum impedit, ut cognitionis perfectionem maturare non queat. Scripſerunt quidam; ſi vertex capitis promineat, ita ut in ſimilitudinem pini terminari videatur, taliter natum, inverecundum ſine fræno, & ſine pudore paſſionum ſuarum futurum eſſe: & ut verum fateamur, cum ibidem magna fiat ſpirituum attractio, qui in ſummitate illa nimium acuta reſtringuntur, & uniuntur, fieri non poteſt, ut temeritatem, & inconſideratam proterviam non eliciant.

Caput craſſum, & in ſuperficie ſua planum, & adæquatum, omnem morum pravitatem & licentiam portendit: tanquam illic in ſpatioſo campo, audacia, arrogantia, & affectuum inæqualitas vagari, & dilatari liberius poſſint. Concavum in anteriore parte fraudulentiam, dolum, & effrontem excandeſcentiam notat. Dixerim id rationem quandam habere phyſicam: Ira enim in hoc ventriculo compreſſa, ſicut ignis ſubtus terram, aut in tormento bellico concluſus, quantò plus obſtaculi invenit, tanto vehementius exploditur, & viam ſibi aperit, feriendo.

Caput bonam humorum temperiem & conſtitutionem indicans tale eſt: proportionatum videlicet cum reliquo corpore: quamvis ſint, qui aſſerant, ſi in longum protendatur, maturitatem & prudentiam deſignare. Talis erat Pericles, homo ſagaciſſimus: tales & Scythæ, & Parthi, prout ſupra memoratum eſt. Hæc ſunt quæ cum vanitate obſervantur in homine, cum experientia quotidiana in contrarium militet: cogitata enim mortalium, non ſecus ac Maris undæ ſunt, inquit S. Gregorius, quarum nec origo, nec medium, nec finis reperitur. *Mare mens hominis, & quaſi fluctus maris cogitationes mentis*: jungatur his educatio, quæ plerumque ordinem naturæ interturbat, & pervertit: adjungantur & fines, qui actiones hominum ſpecificant, & tanquam ſcopi ſunt, ad quos humanæ cogitationes collimant: quamvis Ovidius dicat: *Heu quam difficile eſt crimen non prodere vultu!* In vultu enim & ego non negaverim tanquam in Tribunali accuſationes Syntereſeos apparere: unde & Cleanthes illic apud Diogenem ait: *Ex ſpecie comprehenduntur mores.*

11. Moral.

2. Metam.

Bonus & malus ex vultu cognoſcuntur.

Quod ſomnia attinet, cum quanta de his vanitate Cardanus in Interpretationibus ſuis ſcripſit, tantumdem à veritate nullatenus aberravit, cum ait; eos qui alioquin ſomniandi conſuetudinem non habent, ſiquidem repentè ſomniare cœperint, aut morti, aut ſaltem longiturnæ infirmitati vicinos eſſe. Id reor ſenſit, ob abundantiam humorum, qui heterogenei aut inconcocti, in tali corpore detinentur, ſomniarunt itaque, aut in vanum obſervârunt, qui dicunt: ſomniare de *capite*, Principatus eventuri indicium eſſe, aut Dominii, Honoris, Ingenii, Gubernaculi, & Regiminis domeſtici. Huic ſententiæ & ego ſubſcripſerim: ſiquidem per hæc dici volunt: omnes hos Principatus, & Celſitudines terreſtres oriri & evaneſcere ut ſomnium, vel phantaſma. Dixit hoc Pſalmiſta Regius: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Et paulo infra de eadem materia: *Velut ſomnium Domine in civitate tua imaginem illorum ad nihilum rediges.*

Cleanthes.

Caput viſum per ſomnium indicans Principatum.

Pſal. 72.

Ibidem.

De hac negociorum turba, de his dignitatum humanarum faſtigiis, de hoc ambitu gloriæ, qui terminum non invenit, S. Baſilius Seleucienſis Epiſcopus ſic inquit: *Mox una febris, aut certe pleuritis abreptum hunc è medio hominum cœtu rapuit, & ſplendor ille majeſtatis & gloriæ, ad inſomnii ſimilitudinem momento diſparuit.* Et S. Chryſoſtomus. *Fabula quædam eſt vita noſtra. In ſcena aulæo ſublato varietates diſſolvuntur, & omnia coruſcante luce avolant ſomnia.* Interrogatus Diogenes tum, cum in agone vitæ ſuæ conſtitutus eſſet, & quaſi ſomnolentus indormiſceret, à Medico ſuo, qualiter haberet, reſpondit: *Nullam ſentio moleſtiam, nam frater ſororem anticipat, ſomnus mortem:* Recordor & me quoque in florenti adhuc ætate mea ſic ceciniſſe:

lib. 4 Hexameron.

Ex Patre Martineng. Homil. 55. ad populum.

Plutarchus in Conſolatione ad Apollon.

Vita noſtra ſomnus eſt.

Giaccion Tebe, Numantio, Ilio, è ſagunto,
E le moli ch' alzó Memfi ſuperba:
Fatte ſpoglie del tempo, or copre l' Erba
Nea le grandezze lor reſta un ſol punto.

Tal

Tal di chi dorme a le pupille a punto
Il ſonno luſinghier pompe riſerba:
Ma tolto al dolce Inganno, oh come acerba
Sparve la gloria, ando l' honor conſunto!
Dorme il regnante, e d' alta vite intanto
Un ramo a quel potente il crin circonda,
Che piu al figlio portende auguſto il manto.
Si del faſto mondan ſotto ala fronda
Chi ſi âdagia, rimira il legno, oh quanto
Di morte al fine al Aquilon ſi sfronda.

NOTA LITERÆ C.

INgenioſiſſima (ſi ulla unquam inter homines facta eſt) inventio characterum fuit, tam neceſſaria (ut reliquorum non meminerim) potiſſimum Principibus, utpote quibus negotiorum ſumma & eſſentia conficitur literis: dum ubi ſua intereſſe viderint, celant quæ volunt, promiſcuam plebem; rurſum autem quibus volunt, eadem propalant. His nil tam pernitioſum eſt, quam ſi de pectore ſuo ſacrato exeuntes, prophanæ plebi ſe divulgaverint, atque ita ſe malevolorum oculis expoſuerint, ſapientiſſima, inquam, inventio, manifeſtare ſeipſum, nec tamen cognoſci, ſicut Ulyſſes nube tectus. Sic ſapienter Demaratus cum Lacedæmoniis uſus eſt, Senatus Spartiatarum cum Bellliducibus ſuis, Hiſtieus cum mancipiis, Beda cum Principibus, Trithemius cum focis aëreis: Harpago in ventre timidi leporis conſilia magnanimitatis abſcondit. Denique his ad compoſitionem Veteris Teſtamenti, per quod novum figuraretur, ipſe altiſſimus uti voluit.

His à me ritè ponderatis, qui univerſitatis utilitati ſervire intendo, & qui à Phyſionomicis inſtructus ſum, & præſertim ab ingenioſiſſimo viro Joanne Baptiſta Porta, qualiter ſagaces quidam & acuti, ſe in variis corporis membris contingendo majores & principaliores Alphabeti literas expreſſerint: unde etiam quæ volebant integra dicta concinnare poterant, atque ita hac quaſi muta eloquentia invicem fabulabantur: Ego, inquam, non ad horum intelligentiam, ſed qualiter antiqui notas ſuas deſignaverint, expoſiturus ſum: ne ſi quando in lapidis cujusdam aut monumenti inſcriptionem quis inciderit, nec propter ſenſus combinationem, & interpretationem, prima fronte involutam & confuſam ſe expedire poſſit, vehementius in duritiem obſcuritatis offendat, quàm in ſaxum ipſum. Propterquod, cum contingendo Caput C. literam ſignificare voluerint: Quid hæc litera ſola, quid conjuncta cum aliis indicaverit, paucis expediam.

Quantæ utilitatis ſint characterum notæ.

C. itaque ſolum ſine copula alterius literæ ſequentia verba denotat: *Comitia, centum, Cajus, cauſa, condemno.* CA. AM. *Cauſa amabilis.* C. B. *Civis bonus: Civis Corynthius.* C. C. *Calumniæ cauſa.* C. C. E. *Cauſa conventa eſt.* CC. *Circum.* CCC. DP. *Tercentũ, Duplex.* CCC. TP. *Tercentum Terræ pedes.* C. C. F. *Cajus, Caji filius.* CS. *Cauſa.* CA, vel CAM. *Camillus.* CAE. *Cæſar.* CÆ. AV. GG. *Cæſareæ Auguſtæ.* CAR. COIV. *Cariſſimæ Conjugi.* CARIS. *Cariſſimus.* CB. *Commune bonum, Civis bonus.* CC. *Ducenti.* CCLR. *Cauſam claram Regi.* CR. *Contrarius.* CC. *conſilium cæpit: Ceſſit calumnia: Cauſa contractus.* CS. *Cujus.* CDC. *Quadringenta condemnatur.* CD. *Condignum: Quadringentum.* CEL. *Celeres.* CEN. PP. vel CENS. PP. *Cenſor perpetuus.* CEN. A. *Cenſoris arbitratu.* C. E. N. T. *Centuria: Centurio.* C. E. N. T. V. *Centuriones.* C. F. *Caji filius.* CFR. *Cauſa filiæ Regis.* CH. *Cuſtos hortorum: Cuſtos Hæredum.* C M. *Centum millia.* CIC. *Cicero* C. I. C. *Cajus Julius Cæſar.* C. T. IN. *Cubitos tres invenies.* CI. vel C. I. P. P. *Cippius ſeu terminus, ut, ad tertium Cippium, ſeu lapidem.* CIV. *Civitas, Civis.* CIV. *Cauſa Juſtitiæ.* CCI. P. *Cubitos duos invenies plumbum.* C. C. *Cajus Claudius.* C. L. V. *Clariſſimus Vir.* CL. F. *Clariſſima fœmina vel familia.* CL. *Claudius.* C. L. D. B. L. *Cauſam Laudabilem.* C. L. *Caji Libertus, vel Liberorum.* CLBCL. *Conlibertæ Clariſſimæ.* C. MAR. P. *Caput margine pleno* C. M. *Comus.* CML. *Centum millia.* CMS. *Comis.* CM. *Civis malus.* CM. vel CA. M. *Cauſa mortis.* COM. *Comitia.* CMS. *Cauſa mali ſui.* CML. *Crementum multum.* CME. XII. *Camelos duodecim.* CN. *Cneus.* C. N. *Cajus noſter.* CN. L. *Cnei Libertus.* CO. *Conjugi.* C. O. *Civitas omnis: Controverſia.* COM. OB. *Comitia obdurata.* CON. *Conſularis.* CON. SEN. E. OR. P. Q. R. *Conſenſu Senatus, equeſtris ordinis, populique Romani.* CONS. vel CS. *Conſiliarius.* COL. vel CL. *Colonia: Coloni.* COLL. *Collegæ: Collegia.* COL. *Collega: Colonia: Columen.* COLL. FABR. *Collegium Fabrûm.* C. O. H. *Cohors.* CONIV. *Conjunxit.* CONIV. O. *Conjugi obſequentiſſimæ.* CONIUG. M. *Conjugii Mercurii* CONX. *Conjux.* CONLIB. *Conlibertus: Conliberta.* CONTUB. *Contubernalis.* COR. *Cornelius.* COR. *Corpus.* CORN. R. F. *Corneliæ Regis filiæ.* CORN. AVRS. *Coronas aureas.* COS. *Conſul.* COS. QVAR. vel IIII. *Conſul quarto.* COSS. DESSIG. *Conſules deſignati.* CSS. *Conſulis. Conſularis.* COS. DES. *Conſul Deſignatus.* CP. *Civis Publicus,* C. P. *Caſſa publica.* CPS. *Capſa.* CP. *Cauſa petitionis: Cauſa poſuit.* CPRSS. *Cupreſſi.* C. R. *Civis Romanus.* CR. *Creticus: Criſpus: Contractus.* C. R. C. *Cujus Rei Cauſa.* C. R. C. P. *Cujus rei cauſa promiſit.* CS. *Communis.* CS. A. *Cæſar Auguſtus.* CS. IP. *Cæſar Imperator.* C. S. S. *Cum ſuis ſervis.* C. S. FL. *Cum ſuis filiis.* C. S. H. *Cum ſuis Hæredibus.* C. S. P. E. *Cum ſua pecunia eſt.* CTS. *Controverſia.* CT. V. O. A. B. *Civitas vitæ omnia auffert bona.* C. V. *Centum viri: Clariſſimus vir: Caſa Virginum.* CIV. *Civis: Civitas. Civitas.* CVL. *Cultores.* CVR. *Curionum: Curiarum. Curſor.* C. X. IN. AR. *Cubitos decem invenies argentum.* C. XX. IN. AUR. M. *Cubitos viginti invenies aurum mirabile.* Quot myſteria diſcooperit, quot theſauros effodit, quæ abſcondita revelata hæc admirabilis characterum inventio, quorum indagatio nec pauca eſt, nec brevis, nec expedita? Scio apud Authores antiquos, te his plura inventurum eſſe. Nihilominus hæc quæ præſento, parca non ſunt, quippe quæ plurium Authorum lecturam, & fatigationem tibi in compendium redigunt. Sequuntur.

EPITHETA.

IN materia Adjunctorum vel Epithetorum, documenta multa & præſcriptiones, per occaſionem partium, & membrorum humanorum tibi occurrent, ex quibus facile videre tibi liceat, quam neceſſaria ſint, quantæque virtutis præfata Epitheta, tam in arte poëtica, quam oratoria: cum ex his decor, & pulchritudo omnis formetur. Epithetum enim eſt, quod proprietates ſignificat, interiora exponit. Illud denique eſt, quod unit, dividit, ſeparat, incorporat, declarat, & implet dictionem, & periodum omnem. In Hypotypoſi potiſſimum, aut deſcriptionibus, pars eſſentialis nominari poterit: per hanc enim objecta quaſi ante oculos ſtatuuntur. Epithetum eſt, quod qualitates, conditiones, & eſſentias rerum repræſentat. Sicut in

Neceſſitas, uſus, & qualitates Epithetorum.

in Terentio, quem citat famoſiſſimus Co. Emanuel Theſaurus (cujus diffuſiori lecturæ te remitto) qui Phormionem introducit hæc dicentem: *Non novi kominem:* cui Pamphilius reſpondet: *Faciam ut noſcas: Magnus, rubicundus, criſpus, craſſus, cæſius.* Quæ circumſtantiæ, in deſcriptionibus evidentiam adjungunt objectis, dulcedinem orationi, cognitionem partis de toto.

Ut ergo hunc Tractatum tam copioſum cum omnibus circumſtantiis ſuis, & per atteſtationem authorum maximè illuſtrium concludam, primus mihi obviam procedit Martinus Capella qui *caput rutilans* apellat. *Quod rutilum circum caput geſtabat.* Pontanus illud Auricomum vocat: *Præradiat caput Auricomum, roſeusque per auras, it decor.* Strozzius illud honeſtum appellat: *At procera caput cervix fulcibat honeſtum.* Tibullus nitidum: *Nec nitidum tarda compſerit arte caput.* Purum Ovidius: *Longa probat facies capitis diſcrimina puri.* Flavum Virgilius: *Summa flavum caput extulit unda.* Roſeum Textor: *Et roſeum pubens oculis, herba caput.* Venale Juvenalis. *Et præbere caput domine venale ſub haſta.* Idem ipſe vacuum appellat: *Vacuumque cerebro jam pridem caput.* Inviſum denuò Ovidius. *Protinus inviſum nec petet aſtra caput.* *Indeploratum* idem. *Indeploratum Procere caput.* Horatius illud perfidum vocat. *Obligaſti perfidum votis caput.* Ab eodem inſanabile vocatur. *Si tribus Antyciris caput inſanabile nunquam Tonſori Lycino commiſerit.* Laurigerum à Politiano: *Laurigerum morti ſubjicere caput.* Manto impavidum vocat. *Impavidumque ultro caput ad tormenta reportat.* Ruinoſum ab eadem nominatur: *Tecta ruinorum caput inclinare videbat.* Ab eadem funeſtum: *Funeſtum dirumque caput.* Adhuc ab eadem implume: *Implume caput.* Grande à Prudentio: *Grande per infirmos caput exciſura miniſtros.* Eximium ab eodem: *Servaſſet caput eximium, ſublime, beatum.* Hoſtile à Statio. *Spectat atrox, hoſtile caput.* Furiale ab eodem. *Obnubit furiale caput.* Ab eodem adhuc venerabile. *Meritaque caput venerabile quercu.* Si hæc tibi forte non ſuffecerint, copioſius Authores evolvere placeat, ex quibus tibi major ſuppellex ſuppeditabitur.

Lib. 1.
De Art. Amandi.
Lib. 3.
Lib. 3. Georgicorum.
Satyr. 3.
Satyr. 14.
In Iben
ibidem.
Carm. 2. in Arte.
In Pſych. 8. 11.

Solet Convivalis Menſa, poſt cibos, neceſſarios, & macteas ſuccoſas, ut commenſalium palatus indulcoretur, inter bellaria, ſaporoſiſſimos, & exquiſitiſſimos fructus proponere. Ego itaque pariter in hoc Tractatu meo, in hac menſa, non Lotophagorum, aut Læſtrygonum, quamvis humanis membris inſtructâ, in apparatu bellariorum, ſi non prout oportet, ſaltem in eſſentia, hoc eſt, ad manum ſemper habens Authores quibuſcum loquor, tibi ſatisfacere ſatagam. Et hi ipſi Coci Athenienſes ſunt, quos omni ſcientia ad certum quendam terminum inſtructos volunt, ſi fides habenda Magno Maſcardio, qui Authores nominat, Athenæum & Plutarchum.

Tabula Cebetis.

Itaque ut ego te non ſine fructu quodam dimittam, in cujusque Tractatus fine pro concluſione tibi Oden quandam poëticam offeram, quæ ſi aliunde, & non de calamo meo prodierit, ſcio te ſpiritum aut dulcedinem in ea deſideraturum non eſſe. Sed ſi paupercula Muſa mea tibi donum hoc dederit, precabor te, ut cum eam incultam, & inſulſam adverteris, infirmitati compatiaris: ſiquidem etiam in habitu quandoque veteri, aut nimium prolixo, aut in lacerna vili comparuerit, noſſe oportet me Protheum non eſſe, qui verſicolorem me præbeam, ſemper idem ſum. Nec in diebus meis hiſtrionem unquam egiſſe memini, ut quotidie glorier, me indumenta mea, & perſonam tranſmutare. Invidus ſum iis, qui imitantur funambulones, tam perite ſupra funes choreas ducentes. In tanta autem vivacitate, cogitationum in tot quorundam conceptibus, & influentiis, quisque quantum poteſt, bilancem in æquipondio teneat: ſi autem in unam vel alteram partem inclinaverit, videat ne impingat, & ſe contubernalium riſioni exponat. Non ignoro & hic ollam mihi ſat bullientem non eſſe. Ad omnem nihilominus greſſum pedum meorum intentus ſum, ne forte procidam; cum noverim in terram hic cecidiſſe, mortale eſſe, ſicut jam videre licuit. Libet mihi pedibus potius incedere, quàm equo effræni, aut refractario me committere: qui me de ſella excutiat, cum ſciam Hippogryphos Atlantis, & Chymæras Bellerophontis fabuloſas eſſe. Pauci & rari ſunt, qui ſupra dorſum Pegaſi ſaltare noverint: & ſiquidem ille cum ungvula ſua effodere Caſtalium fontem potuit, quem lateat cuique ſaltem licitum eſſe fontem hunc attingere? Hic cum perennis ſit, pauperi æque ac diviti potum miniſtrat: qui etiam dum equi ungvula tactus fuerit, tam pauca, quam multa ſuggerit: tam cui datum eſt ſolis ungvulis intrâſſe, quam totum ſe immerſiſſe. Fateor parſimoniam pedis mei, qui non niſi intingere ungues potuit. Id totum retuli, ut benigne lector occaſio tibi detur, qua mihi compati velis, ſiquidem tibi de delicioſis Pindi convallibus meliores fructus non attulero, quam quos tibi in hoc loco obtuliſſe me vides: Argumentum tale eſt.

Laus Capitis.

Supra ſententiam Philonis, ubi ait:

Ubicunque ſatellitium Regium eſt, ibi Rex ſatellitio ſtipatus ſedem habet. Sed totum animæ ſatellitium, ſenſuum nempe organa in capite ſita ſunt.

Del medemo ſuo Autore eccelſa Imago,
A cui pur volle il Creator Sourano,
Nella grand opra eſercitar la mano,
Se ſteſſo in lei d' effigiarſi vago.
Sfavilli il Sole, è folgoreggi il Tago,
Tutto è creato al beneficio humano:
Infuſe l' Alma in lui: celeſte arcano:
Onde foſſe di glorie altero, e pago.
Come qualós di chi mirar s' avenne
Sotto al ſuo Re di purpurati Eroi,
Glorioſo Senato in Di ſolenne,
In ſimil guiſa à miniſtri ſuoi
Principi numerar ſubditi ottenne,
Se potenze vitali il capo in noi.

CAPILLI.

Anatomia.

QUandoquidem humano capiti Capilli connexi ſunt, de iisdem ratiocinandi hic mihi locus non incongruus videtur: cum præterea ſcopus mihi non ſit, de una ſola profeſſione ſermocinari, ſed de multis pauca delibare (ut videlicet ex hac varietate lectori utilitas cum delectamento eveniat) cum Andrea Laurentio breviter dico: Capillos ab Altiſſimo Conditore homini ad tutelam, & ornamentum datos, unde & pro qualitate & pro conditione varia nomina conſecuti ſunt. Doctiſſimus Aldrovandus ſic eos nominat: *capillus, quaſi capitis pilus.* Peripateticus eos *congenitos* vocat. A Perſio *cyrrhi* vocantur. Tota capillorum congeries *Coma* appellata eſt, quod ſæpius radantur. A Latinis *Ceſaries* à *cedendo*: à dictis Latinis etiam *juba*, & *crines.* In primo ſuo exortu lanuginis nomen habent. Ad generationem eorum univerſæ cauſæ quatuor concurrunt: Materialis, efficiens, formalis, & finalis. Materia illorum duplex eſt, quæ ab optimis Phyſicis, *ex qua & in qua* appellatur. Illa excrementum tertiæ concoctionis eſt, fuliginoſum, dum videlicet vapor per ſpiracula cutis rariora evagatur. Hæc autem cutis eſt moderate ſicca, & rara, ad differentiam locorum paluſtrium & uliginoſorum, ubi nil generari ſolet. Quam neceſſaria ſit ad generationem capillorum, raritas cutis, his verbis Hippocrates docet: *Plurimi, & maximi enaſcuntur pili, qua corporis parte cutis rariſſima eſt, & ubi poſterius rareſcit cutis, ibi poſterius naſcuntur pili, ut in mento, & pube.* Cauſa efficiens, ex qua pili naſcuntur, moderatus calor eſt, qui vapores fuliginoſos per ſpiracula cutis propellit, & eatenus exiccat, ut formam talem adipiſcantur. Hi diverſos ſortiuntur colores, ex accidentibus, complexionibus, & temporum diverſitate, unde conſimiles qualitates derivant, cum color ab humore prædominante non disjungatur, & omne excrementum humoris ſui ideam referat. Sic in affectu, & complexione bilioſa flavi erunt capilli: in pituitoſa albi: in melancholica nigri. Hi aut criſpi ſunt, aut prolixi, aut obliqui, pro cujusque complexione aut ſicca, aut humida, aut debili, aut vegetiori, quæ de materia calida, aut frigida originem ducit: De quibus copioſiſſime Galenus. Cauſa denique finaſis triplex eſt: Defenſio partium, quas diximus: Ornamentum capitis, & faciei: tum deinde exhalationum humidarum, & recrementorum fuliginoſorum emiſſio. Hinc & eæ capitis partes quæ *tempora* nominantur, ex eo dicta ſunt, quod illic in provectiore ætate canities primum ſe prodit, tempus, & ætatem hominis annuntians.

Lib. 9. c. 3.
De monſtris pag. 75.
Varia Capillorum nomina.
Cauſæ concurrentes ad generationem capillorum.
Color ſimilis humori prædominanti.
2. De Temperament.

HIEROGLYPHICA.

AGgreditur, & ferit, ſenſata doctrina Valeriani homines atheos: qui abutentes eo, quod propheta regius contra hujuscemodi olim ſcripſit: *non eſt ſcientia Dei in excelſo*: cum ſumma impietate omnipotenti Deo oculum divinitatis & providentiæ, quocum omnia videt, tollere non verentur. Hic author itaque refert: Ægyptios, ut quantum ſupra nos divinus oculus vigilet, demonſtrarent, qui non ſolum externa noſtra, ſed & abdita cordis cogitata cernat, & cognoſcat: depinxiſſe (ſic ille ait) aut ſculpſiſſe figuram venerabili vultu, quæ à capite ad calcem usque longiſſimos capillos protendebat: in hoc ſignificare volentes, Deo, tanquam Creatori, & Autori noſtro omnes cogitationes noſtras dedicandas eſſe. His enim anima noſtra adornatur, mens tegitur; hæc mens cogitationes producit, non ſecus ac a capite capilli generantur, ſecundum expoſitionem etiam Virorum doctiſſimorum, cum Redemptor ait: *omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt*, numeratas eſſe cogitationes noſtras intelligi voluit. Quod porro capillos tondemus, indicat, de mente noſtra curam omnem ſuperfluam & vanam tollendam eſſe: hæc enim excæcat animum, ſicut pili oculos, niſi radantur. Eucherius hoc de iis cogitationibus intellectum voluit, quæ de rebus jam præteritis ſunt. Nazaræi autem, qui nunquam tondebantur, ſe omnimodo mente in Deum abſorptos, & dedicatos eſſe indicarunt. Propter quod de Præcurſore Domini Joanne Baptiſta dictum fuit: *novacula non aſcendet ſuper caput ejus*: ſubſcribit huic S. Gregorius in quarta, & in vigeſima prima epiſtola, libri primi, his pulcherrimis verbis: *Capilli in capite exteriores cogitationes indicant, & præſentis vitæ curas exprimunt, quæ quidem ex negligenti; atq; torpeſcenti ſenſu coortæ quia minus opportune prodeunt, nobis quaſi non ſentientibus pullulant, igitur aliis qui præficitur Sacerdos, neque prorſus debet ſollicitudines exteriores a ſe projicere, neque illis multum inhærere.*

Hieroglyph. lib. 32.
Divina providentia.
Videt profunda cordis cogitata:
Quæ Deo dedicanda ſunt:
Cogitationes autem vanæ removendæ:
Eucherius.
S. Gregorius.

Vana quoq; ſuperſtitio, à ſpiritu maligno & infeſtatore hominum ſuggeſta, ſub religionis ſpecie, antiquitus vovere, & dedicare capillos dæmoni conſueverat. Unde Virgilius de Didone moribunda hæc referebat.

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, ſtygioque caput damnaverat orco.

Lib. 4. Æneid.

De hoc diffuse ratiocinantur Morettus, Pontanus, & Cerdas. Turnebus refert, ab omni victima in facie altaris primum reſcindi pilos ſolitos eſſe: pari modo & ab hominibus, vel morituris, vel ſupplicio damnandis. Prima cæremoniarum erat, eos ad radices usq; tondere, & Diis Infernalibus conſecrare. Hinc Cerdas de Ænea ſacrificante concludit: *& ſummas carpens media inter cornua ſetas.* In duodecimo Æneidum: *& tempora ferro ſumma notant pecudum.* Cantabrus hoc originem ſuam inde traxiſſe opinatur, quod in crinibus ſumma ſit hominis fortitudo, prout de Samſone notum eſt: ſacrificia autem hæc Proſerpinæ vovebantur, juxta Horatium:

Lib. 4. c. 16.
Lib. 9. Adver. cap. 17.
Lib. 6.
Cantabrius.
Sil. 1. de Glaucia moribundo. Lib. de Como c. 2.

Jam complexa manu crinem tenet infera Juno. Videatur de his Adrianus diffuſius.

Signum, vel Hieroglyphicum ſummæ ſervitutis, etiam ad noſtram ætatem usque conſervatum fuit: ſiquidem homo miſer & deploratus, mento, & capite raſo, & ad cutem usque nudato appareret. Hinc Tacitus refert: ſervum quendam Agrippæ Poſthumi, nomine Clementem, ut generoſam occiſi domini ſui vindictam exerceret, cum ei omnino in cætero corporis habitu & conſtitutione ſimilis eſſet: excepto capillitio, quod raſum habuit: *ignotis ſe abdidiſſe locis, donec crinem barbamque promitteret: nam ſervi caput raſitabant:* Sic apud Ariſtophanem Comicum certus quidam Aulius Piſtotherus Poëtam quendam mirabatur comatum eſſe, cum ſe Muſarum ſervum eſſe profiteretur. Nec tamen his ſolis capilli reſcindebantur, ſed hic mos etiam ad captivos, & bello cœptos pertranſiit. Hinc Claudianus ſic habet:

Servi incedebant raſi.
Tacit.
Captivi.

Tuque ſimul ferri religata catenis
Tonſa comas, imo barathri claudere receſſu.

Claudianus.

De his prolixius videatur Scholiaſtes. Hoc modo mutilati & deformes victi ad pedes ſtatuæ victoris ſui & Numinum ſternebantur: Imo & non raro pedibus victorum deprimebantur, & calcabantur: De his primis S. Gregorius Nazianzenus inquit: *Barbarorum Domitorum, atque ad pedes jacentium multiplices figuras*: De ſecundis Statius captivum Rhenum poëtice deſcribendo, ad pedes ſtatuæ ipſius reſciſſam projeciſſe comam inquit:

Lib. 1. contra Rufinum.
Orat. 3.
Lib. 1. Sil. 1.

. . . . *Vacuæ pro ceſpite terræ*
Ænea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Alludit hic Poëta ad uſum Romanorum, qui flavos captivorum Germanorum capillos abſcindendo, eos juvenculis puellis dono dabant, ut inde (prout hodie quoque in more poſitum habent, adjungendo mundum muliebrem) ut inquam, caput ſuum inde ornarent. Incedebant tum, ſicut hodie quoque pomposi capillis ſuis Germani. Unde Tacitus: *Habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero idem omnibus: truces & cæſii oculi, rutilæ comæ.* Nec contenti capillo naturali, etiam ad pompam artificium & compoſitionem addunt: Sic ait Amianus Marcellinus: *videbat quoſdam habentes comas rutilantes ex more.* Idem Lipſius confirmat, magnus ille Taciti commentator: fortaſſis & inde ad Corinnam Ovidius:

Germani flavis comis.
De moribus Germanorum.
Germani flavos capillos effingunt.
Ovidius.

Jam tibi captivos mittit germania crines:
Culta triumphatæ munere gentis eris.

Hic ornandi modus inter veteres pretio magno parabatur: hinc etiam Abſalonis capilli quotannis ſemel tonſi ducentis ſiclis vendebantur: de quo ſcriptura: *gravabat eum cæſaries.* Exponit hunc locum admirabiliter Petrus Chryſologus his dictis: *In impii capite non aliquam virtutum, ſed tantum vitiorum ſarcinam ſcriptura deſignat, ponderabat, inquit, capillos capitis ſui.* Infeliciſſimum pondus, quod ei poſtea pro fune fuit, tum cum in quercu, tanquam in patibulo pependit: in quo ei tribus lanceis transfoſſum pectus eſt: factus vulturum & corvorum eſca.

Abſalon
2. Reg. 14.

Sed ut ad ſervitutem, & captivitatem revertar, quæ per caput mentumque raſum demonſtrabatur, hoc pro inſtructione noſtra dixerim, eos qui à Mundo, vel Dæmone, vel Carne captivi facti fuerint, quamvis nullam foris comam prolixam nutriant, eam nihilominus interiorem habere ampliſſimam: magna enim cogitationum abundantia neceſſe eſt, ut cor piloſum habeat, prout de Alexandro Magno refertur: quandoquidem ut Redemptor inquit: *Ex corde exeunt fornicationes, adulteria, homicidia.* Et id quod deterius æſtimari poteſt, hæc veritas nec philoſophos paganos latuit, idcirco Peripateticus ait; *In pravis ac male diſpoſitis corpus dominatur animæ.* Et Seneca ad Lucilium ſuum: *Quantum potes circumſcribe corpus tuum, & locum animo laxa. Multa ſequuntur incommoda huic deditos curæ.* O crines, ô laquei, imo retia, quibuscum inſidiator animarum noſtrarum piſcari eaſdem ſtudet, & in captivitatem infeliciſſimam, & in profundum barathrum perditionis detrudere.

Ariſt. Polit.

Indicium animi mollis & effæminati fuit ſemper, nimius capillorum cultus, vel eorundem unitio: unde & Græci cum juvenem usque adeo comptum intuerentur, eum enervem, & imbellem, colo potius, quam haſtæ idoneum nominabant. Hinc Cicero quoque ſæpius in Conſule capillum nimium elegantem, & redolentem, jam calamiſtratum, jam in cincinnos contortum repræhendebat, & ſugillabat. Idipſum fit à Virgilio. Refert Alexander in Genialibus ſuis, Cajum Cæſarem eatenus habuiſſe in odio hos comptulos, & delicatos Ganymedes, ut omnibus, in quoscunque offenderet, forfice, quem idcirco ſecum ferre ſolitus erat, ejusmodi opacum capillitium abſcinderet: demonſtrans convenire hæc ornamenta mulierculis ôtioſis, & molliculis. De Salmace ſua cantabat dulciſſima & nunquam ſat laudata Muſa compatriotæ mei Hieronymi Petri:

Cicero.
Virgilius.
Capilli ab Imperatore Juvenibus abſciſſi.
Gendier. l. 8.
Poeſia Idil. Salmac.

Or con la man di neve
Tratta eburneo ſtromento,
Quaſi di mille denti aratro acuto:
Con cui per ſeminar l'eſca d' amori
Ara del biondo crine il campo incolto.

Comatas Veneres non immerito dixeris, quæ cum ejusmodi filis irretire incautos volunt. De his modernus, & eloquentiſſimus Author meminit: *Nequid deſit criſpando, ornantur capilli croco, & pulveris aſpergine, & lixivorum genere omni: multicolori nectuntur fidicula, ne fugiat quod radicibus infixum eſt capiti.* Infeliciſſimæ nihilominus, ſi his ligulis ſuis & faſciis diverſicoloribus crediderint ſe retinere ſenſum mentis & judicium poſſe; tanto enim velocius avolat. Inter Poëtas celebriores, quibus mentem ſuam exhilarare, his undantibus comis, & pennas ſuas explicare inter hos nodos libuit, afferam Oden quandam, ut mihi quidem videtur, elegantem admodum, Domini Marchionis Ludovici Malvezzi: cujus enthuſiaſmus ſi ad maturam ætatem reductus fuiſſet, dubitandum non eſt, quin famoſiſſimi Avunculi ſui, nomine Virgilii, glorias æquiparaſſet. Itaque in deliriis ſolitudinis ſuæ oculos formoſæ cujusdam deſcribens, ſupra quos auratæ comæ depluebant, ſic inquit:

Scriban. Philoſ. Chriſt.

Se'l gran carro del Sole havea gia ſciolto,
Se di lucido vampo arſi gli Empiri,
Di clue puri alabaſtri in brecci giri
Il Fetonte de gli occhi è qui ſepolto
Fatto nova Fetuſa il crin diſciolto
Va rotando ſe ſteſſo in bei deliri;
Erra d' intorno ai languidi Zaffiri
E vi piove in elettro in ſu quel volto:
Staſſi à formar de pretioſi avelli
Su mauſolei, ſu gli obeliſchi intento
Il bel ciglio funebre Archi gemelli:
Fomentati, agitati, indi dal vento
A caratteri d' oro ibei capelli
Delineando van l' urna d' argento.

Ut varietatem opinionum, & affectuum demonſtrarent Ægyptii, prout quemque corporis motum magis varium, aut exoticum figurabant, tanto eum ſibi ad myſteria indicanda magis proprium, tanto magis ſe quoque admiratione & obſervatione dignos arbitrabantur: Inde etiam quæ inter nos præpoſtera viderentur, ab illis myſterioſa vocabantur. Quam monſtruoſum inter nos eſſet, videre caput ex una ſui parte raſum, & diſcoopertum, ubi ſe calvities prodat: ex altera vero capillorum tanta ſit prolixitas, ut per corpus univerſum deſcendat? Nihilominus Xenophon, ut figuram Oſiridis Dei exprimeret, ejusdemque contra Titanes victoriam, (quod in ſenſu literali proinde eſt, ac ſi dixerim, ſolem diſſipare exortu ſuo vapores) eum contortis ſupra frontem crinibus figurabat, usque adeo denſis, ut perſonam ejus integram occuparent: Partem vero capitis poſteriorem omnino calvam, & denudatam. Ajebat eum in decennio, quo per mundum vagatus eſt, à cælo ſuo exul, & ab eodem infeſtatus, hanc capillorum prolixitatem nutriviſſe. Propter quod & peregrinis, nutrire comam, permiſſum erat. Et Valerianus recenſet, pauco annorum ſpatio, antequam opus ſuum in lucem daret, Viterbii ſe ſubtus terram eruiſſe petram quandam, quæ caput demonſtrabat à dextra parte piloſum, à ſiniſtra omnino calvum & denudatum.

Caput ex parte raſum, ex parte capillatum.
Oſiris.

Quid de his inferendum eſt? niſi quod hominem in peregrinatione mortalitatis hujus, ubi eſſe non poteſt, quin varietate cogitationum involvatur, quod veram dixeris capillorum eſſe intricatorum congeriem, deceat nihilominus meliori animi ſui parte ab his turbinibus liberum elevari ad illud cœlum, unde deſcendit, & ad quod ei redeundum eſt, negandum non eſt nos peregrinos eſſe: *Si peregrinamur a Domino.* Sententia Apoſtoli eſt: ſed & hic in terris corpore poſitus, animâ in cœlis, gerebat, & intonabat: *cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Peregrinatio de qua David: *multum incola fuit anima mea:* loquens de incolatu mundi; ſed alas columbarum deſiderabat, ut inde ſe volatu eriperet: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.* De his capillis, qui ligatos nos in vita detinent, tum cum animus tamen in libertatem ſuam vendicatus in cœlum evolat, S. Epiphanius, de Martyribus verba faciens, ſic cum emphaſi inquit: *O pedes feliciter vincti, qui itinere ſalutari ad paradiſum diriguntur! O pedes ad præſens in ſæculo ligati, ut ſint ſemper in cœlis apud DEUM liberi.* Hanc veritatem in ſimilitudine ſomnii Maximus Tyrius deſcripſit, dicens, animum ſapientis *in ſomnio ſimilem eſſe hominis, qui integro corpore manente, terram ambit cum ſole, cæterorum aſtrorum jungitur choro: minimumque abeſt, quin unà cum Jove cuncta gubernet, atque ordinet.*

Quamvis in Mundo conſtitutis de cœlo cogitandum eſſe.
2. Cor. 5.
Ad Philip. 1.
Pſ. 119.
Pſ. 54.
Ep. 77. ad Hun.

Per has quoque partes, tum raſas, tum comatas, curſus ſolis, & viæ ejus intellectæ ſunt: prudenter innuendo, ut mihi quidem videtur, cum per medium anni ſpatium beneficio radiorum ſuorum terras illuſtrat, veſtiri campos, coma ſua ornari plantas, cuncta ridere, videſcere, jucundari, & exornari: contrarium evenit, cum à nobis recedit, & calorum ſuum ſubtrahit; tum enimvero ingruit ſæva hyems, hirſuta, ſqualida, obſcura, inamœna, & inculta. Totum hoc Origines, ni fallor, intelligi voluit, cum inquit: *Sicut Sol, niſi vibraverit ſuper faciem terræ, nullus ex fructibus ejus creſcit, neque adoleſcit, neque matureſcit; ſimiliter niſi per fidem veritas refulſerit in animabus hominum, nunquam erunt acceptabiles coram DEO.* De abſentia Dei ſub ſymbolo ſolis S. Auguſtinus ſupra id quod Cantor coronatus in Pſalterio ſuo cecinit: Ad *veſperam demorabitur fletus:* eleganter inquit: *Veſper fit, quando ſol occidit: occidit autem ſol ab homine, quando fugit à facie DEI.* Itidem Auguſtinus: *Domine*, inquit, *quis ſimilis tibi? Si ipſe eſt beatitudo noſtra, quid erit recedenti, niſi miſeria?* Per occipitium raſum & decalvatum, afflicta ſenectutis ætas figurabatur, cum deficiente calore naturali, hæc pars impotens generandi capillos, ætatem hanc adeſſe arguit, & manifeſtat: ſic cantabat Commendator Teſtius Pandoram de vaſe ſuo infelici effudiſſe:

Curſus ſolir.
Præſentia Dei.
Abſentia Dei.
In Iob.
Pſ. 29. S. Aug. in Pſalm. 70.
Senectus.

L' Afflitta pouerta, l' egra vecchiezza
E' l veſtito di brun, lutto funebre.

Ætatem hanc ſenilem inter alios deplorando, annosque jam transactos deteſtabatur Euripides, dicendo: *Nos Senes aliud nihil, quam turba ſumus, & figura tantum; ſomniorumque ſimulachra ſerpimus, mens autem non eſt amplius; putamus verò nos rectè ſapere. Quisquis mortalium cupit infauſtam aſſequi ſenectutem, non benè rem ſecum æſtimat: nam ætas longa parit ægritudines infinitas.* Hinc Sophron poëta: *Odioſa ſenecta*, inquit, *corpus paulatim tabeſcens macerat.* Perfectiſſima ſimilitudo illa fuit, quam, ſecundum Favorinum, dedit Eratiſthenes, *qui vigentem ætatem veri comparabat: declinantem æſtati & automno, ſenectam hyemi.*

Ex Eolo in Oenomao.
Ex Stobeo.

Ut rem magni pretii amiſſam indicarent antiqui, caput depingebant denudatum, & calvum, præcipue ſi quod perditum erat, ad veſtimentorum ornamentum pertinebat: propter quod & vetitum erat, quiscunque demum is eſſet, tondere totum caput, niſi ſolis ſacerdotibus, aut iis forte, quorum infirmitas id exigeret, idque tum cum periculum extremum vicinum eſſe videretur. Militi etiam, qui in more poſitum haberet radi frequenter, in acie victum iri, naviganti autem naufragium paſſurum eſſe, præſagiebant.

Inter perdita autem maxime calamitoſum eſt, perdidiſſe DEUM: Audiamus eum id ore ſuo proprio docentem: *Sine me nihil poteſtis facere.* Verum non minus eſt, quod prædilectus Redemptoris diſcipulus inquit. *Sine ipſò factum eſt nihil, quod factum eſt.* Veritas à Gregorio Nicephora explicata: *Ubi divina providentia non commilitat conſiliis, & actionibus hominum, tunc neq; conſultus, nec fortis fortis: ſed ſapientiſſima conſilia inſipienter deſinunt.* Eadem voce nobis per Malachiam Prophetam inſonat: *Ipſi ædificabunt, & ego deſtruam.* Quale ædificium ſibi viſus eſt erigere velle Henricus Octavus, dum exploſa Religione Catholica, & Catharinam Arragonenſem legitimam conjugem ſuam repudiando, Annam Bolenam ſibi copulavit, ptopter quam miſerandum in modum ardoribus inhoneſtis ebulliens, in univerſum regnum tam floridum pernitioſam hæreſeos luem invexit, in eodem innumeros excitando motus, & ſubverſionem deplorandam, unde miſer fateri compulſus eſt, ſe nunquam placidam, & ſine pavore noctem ullam transegiſſe.

Ioan. 15.
Ioan. 1.
Deus anima rerum.
Lib. 7. c. 1.
Henricus VIII. Angliæ Rex.
Anna Bolena Hæreſia.

Non eſt beatitudo, quæ conſolationem illam æquiparet, qua fruitur homo contentus ſorte ſua: ut hoc conſequatur, abſcindendæ ſunt non tam res materiales, quam ipſum etiam deſiderium ad res ſuperfluas. Hoc figuris ſuis docuerunt Ægyptii, & Græci, demonſtrando caput calvum, & omnino mundum: per hoc indicando Sacerdotes Ægyptii nullum in corpore noſtro relinquendum veſtigium ſuperfluitatis Hunc ritum legitimaſſe videtur ipſe altiſſimus, cum hanc Deuteronomii legem promulgavit: *Si videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, volueriſque habere in uxorem, introduces in domum tuam: quæ radet cæſariem, circumcidet ungues: deponet veſtimenta.* Cui Iſidorus Clarus adjungit: *ne forte ornatus veſtium impulerit te in amorem ejus:* & S. Cyrillus interpretatur: *Si quid in prophanis diſciplinis deprehenderimus quod approbemus, idque in uſum noſtrum transferre cupiamus, danda eſt opera, ut ex his, quæ ſuperflua ſunt amputentur.* Hanc tranquillitatem animi Commendator Teſtius his elegantibus verbis deſcripſit:

Res ſuperfluæ.
Caput raſum.
Cap. 21.
S. Cyrillus Alexand.
Poëſia Teſti

Beato e quei, che in liberta ſicura,
Pouero, ma contento i giorni mena,
E che fuor di ſperanza, & fuor di pena
Pompe non cerca, e dignita non cura.

Tale lumen, talemque notitiam nobis ſuggerit Amator Lauræ in fortunæ adverſitate: *Pauca & modica, & ad victum neceſſaria: quidquid acceſſerit, illud grave erit; nec jam divitiæ, ſed & compedes, ſed & vincula: nec jam corporis ornamenta, ſed impedimenta animi.*

De remediis.

In omni ætate & in omni gente conſuetudo vetus invaluit (quæ de temporibus primis ad noſtram usque generationem derivata eſt) ut in Triſhagio ſanctiſſimo, prima Deitatis Perſona Pater æternus, qui in cælis moderatur, & gubernat omnia, ſub ſpecie

viri

viri ſenis exponeretur; qui canitiem in capillis capitis, & barbæ gerat: non ut decrementum ætatis in hac ſuprema mente admittatur, in quem defectus, vel diminutio nulla cadit: ſed ut eſſentia Patris indicaretur, cui, ſymbolum prudentiæ Canities pro captu noſtro maxime convenit. In hac igitur figura ab Ægyptiis Græcisque Sapientibus mundo demonſtratus eſt: Sicut etiam in eadem forma, compoſitione, & ſtatura ſe æternus Pater in magno Daniele propheta videndum dedit: cum inquit: *Antiquus dierum ſedit, veſtimentum ejus candidum quaſi nix, & capilli capitis ejus, quaſi lana munda.* Hinc Eucherius Angelos appellabat: *Albatorum multitudinem.* Imo vero in hoc ipſo, antiquitas demonſtratur altiſſimi, cum nil tam ſit reconditum, quàm ille.

Pater æternus.

Daniel. 7.

Hæc Canities olim pro Hieroglyphico bene ordinatæ ſenectutis ſerviebat: quam probare neceſſe non eſt, cum ex ætatis provectu quotidiana experientia incrementum ſumet: prout gens illa antiquitus docebat, quæ videlicet de ſignis exterioribus his, quid de quoque homine ſibi ſentiendum eſſet, decernebat. Ut verum fateamur, abſit ut hæc ætas infelix ſit, ſi honoris ſui & authoritatis augmentum, tum vero etiam maturiatem prudentiæ adeptæ, intelligentiam animi, cum ſanitate corporis conjunctam habuerit. Intellexerunt bona ſenectutis & Plato, & Pytagoras, ſicut Favorinus philoſophus refert, cum ait: *Senectutem non tam eſſe juxta finem vitæ, quàm juxta principium bene beateque vivendi.* De his diſcipulus Democriti inquiebat: *Robur & forma juventutis bona ſunt: ſenectus vero flos eſt temperantiæ, & prudentiæ.* Recenſet memoratus Favorinus de Boëcio quodam, viro provectæ ætatis, qui theſaurum invenerat, quem calce projiciens, ajebat: nil ſibi jam his opus eſſe, cum in limine vitæ ſit; ex his proinde non ineleganter infert: *Ita ſenectus animum tranquillum reddit: & multæ pecuniæ ſtudium, & impenſas adimit.* De his concludi poterit, etiam in media ſenectutis hyeme, non deeſſe vernum tempus tranquilitatis internæ, & ſatisfactionis.

Bona Senectutis.

Vetulus theſaurum repudiat.

Favor. 83.

Celius Auguſtus, ut nobiliorem hominis partem, animam videlicet (de qua alibi diffuſius mihi tractandum) repræſentaret, expoſuit Virginem ambulantem, expanſis brachiis, & capillis in aëre ſparſis.

Stobeus.

Celius Hieroglyp.



Ad id fortaſſe antiquorum philoſophorum authoritate motus. Plato præſertim, inverſæ arbori hominem comparat, cui crines pro radicibus ſerviunt: qui ad cælum ſublati, ſemper ad ſolum ſuum genuinum, & nativum unde illis origo prima eſt, contendunt. Ita vera radix noſtra, hoc eſt Anima, ex qua vivimus, & ſpiramus, cum ſpiritus ſit à Deo infuſus, de cœlo ortum habet: per hanc fructus operationum producimus, optimos, ſi prout debemus: peſſimos ſi ſecus. Hic locus mirifice in Cantico Canticorum exponitur: ubi de dilecta ſua ſponſus ait: *Comæ capitis tui vinctæ canalibus*: intelliguntur per canales hos ſcaturigines paradiſi, de quibus virtus ad nos efficax deſcendit. Sic exponunt Origines, & Hieronymus, & alii.

Anima hominis.

Homo arbor inverſa.

Cap. 4.

Si vero hominem ſecundum partem ejus corpoream dixerimus arbori ſimilem, alludere ad id æterna quoque ſapientia tum voluit, cum ſanato cæco (prout illic in S. Marco narratur) eodemque interrogato quid videret, reſpondit cæcus: *Video homines veluti arbores ambulantes.* Exotica omnino curatio, dixerit nonnullus: ſic enim non videre eum, ſed cæcutire fecit: Non ita eſt, inquit Petrus Chryſologus: *benè vidit, eò quod homines ut arbores ambularent, neque in hoc ſæculo permanerent.* Propter quod & animarum noſtrarum Redemptor, hac allegoria

Cæcus videt homines ut arbores ambulantes.

Marci 8.

Super hunc locum.

goria ſæpius uti voluit: *Ab arbore fici diſcite parabolam: ſecuris ad radicem poſita eſt. Non poteſt arbor bona malos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur.*

Matt. 14. 3. 7.

Huic aſſimilatur grandis illa prophetæ Danielis viſio, qua Regis Nabuchodonoſor potentia exprimebatur: erat autem ſimilitudo *magnæ arboris, & fortis*: ſed propediem truncata fuit: *ſuccidite*, inquit, *arborem*, & quæ ſequuntur. Quod ad animam ſpectat, hanc quoque nobiliſſimam partem inter poëtas gentiles deſcripſit Ovidius; cum de creatione mundi tractaret.

Dan. 4. 7.

Metamorph.

Sanctius his animal mentisque capacius altæ
Deerat adhuc; & quod dominari cætera poſſet,
Natus homo eſt, ſive hunc divino ſemine fecit
Ille Opifex rerum; mundi melioris origo:
Sive recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Æthere cognati retinebat ſemina cæli.

Prout veteres eximiam crediderunt partem fortitudinis & vigoris occupare in homine capillos (ſicut in Samſone apparuit ſic ut virtutem infirmatam demonſtrarent, virginis figuram exprimebant, cui caput omninò tonſum eſſet. Hinc forte fabulam ſuam mutuatus eſt Euripides, Alceſtem mori non potuiſſe, ſi Mercurius ad hoc miſſus de cælo, non ei pilum unum truncaſſet. Sic Niſus à Minoë occidi non potuiſſet, ſi una filiarum ſuarum non ei pariter comam totondiſſet. Sic & in Virgilio recenſitum eſt, Didonem, quamvis lethali vulnere jam ſaucia extremam traheret animam, vitam ſuam terminare non potuiſſe, ſi Juno miſerata vices illius, flavum crinem ei non amputaſſet, qui in comis ejus reliquis reconditus latebat. His inventionibus uſi ſunt moderni *Romanzi* noſtri, ut magnanimitatem Heroibus, & Heroinis ſuis affingerent.

Capilli ſymbolum fortitudinis

Samſon. Alceſtes. Niſus.

Dido.

Ex re tam vili, tamque minuta, prout jam relatum eſt, hi præfati nihilomnius magnam vim fictionibus ſuis addiderunt: non minus itaque, quantum quidem evolare ingenium Chriſtianum poteſt, ad contemplandum elevetur, quantum valeat ad noſtri fortificationem, & conſolationem, quantum ad refocillandos animos noſtros vel unica mica gratiæ divinæ. Hujuscemodi particula ſola adimplere nos poteſt. Super hoc Richardus à S. Victore ſolidiſſime meditatur, dum illius ſententiæ de Cantico Canticorum, ad 30. meminit: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, tenentes gladios ad bella doctiſſimi*: Advertatur hic, inquit, ad diminutivum illud, *lectulum*, & poſthæc ſexaginta ex perfectiſſimis, & maxime provectis militibus, qua ratione omnes è loco tam exiguo, tam anguſto, vigorem & fortitudinem, & valorem attrahant, ad ferrum arripiendum, & ad expeditiones militares cum provectu exequendas; mirabiliter proinde concludit: *quia minimum eſt, quod de illa quiete cognoſcere poſſunt, per diminutivum exprimitur, nam lectulus nominatur*: erat radius vel ſcintilla quædam minutiſſima quietis, & pacis beatorum, unde & his ſexaginta fortibus hoc allevamentum præſtabat. Intelligebat particulam hanc Cananæa mulier armata fide viva, dum ajebat: *Nam & catelli edunt de micis*: Sic illud optimè comprehendit, ut filiæ ſuæ ſanitatem corporis, ſibi ipſi ſanitatem impetraverit animæ. Unde Victor Antiochenus digniſſime expreſſit: *Minimam virtutis ejus partem (hoc enim micæ nomine ſignificabatur) præſtandam filiæ ſanctitatem arbitrata eſt.* Ultimi divini Solis radii, qui de pedibus Seraphim, aſſiſtentium Deo, lumen ſuum emittunt, templum infinita claritate adimplent; *& ea quæ ſub ipſo erant replebant Templum*, inquit Iſaias propheta.

Unica divinæ gratiæ particula nosmetipſos totos adimplet.

Part. 2. c. 10.

Ex Baeza lib. 1. cap. 8. ſſ. 18.

Victor Antiochenus.

Iſai. 6.

PROVERBIA.

ADjumentum nullum eſt, quamvis modicum, & non magni admodum pretii, quod in tempore opportuno, & data occaſione adhibitum, non poſſit utiliſſimum, & maximi ponderis eſſe: unde & proverbium natum: *Capillus etiam unus*: hoc eſt, ſecundum gloſſam meliorem, *habet ſuam umbram*: Sic & ea quæ mala ſunt, quamvis modica, ex vicinitate ſua damnum ſemper inferunt. Parvus piſcis eſt Remora & nihilominus ingens navigium retinendi vim habet. Sæpe immenſa mole, unico lapillo ſuſtentatur; quæ dudum ſubverſa, & collapſa fuiſſet niſi hoc exiguo fulcimento retineretur. Sic & lex ad cujusq; utilitatem definire novit, dum ait: *Intereſt nobis bonum habere vicinum*: ſicut è contrario inquiebat Heſiodus: *Detrimentum eſt malus vicinus.*

Modicum adjumentum tempeſtive datum, maximum fit.

§. Fin. de contrah. empt.

Heſiodus.

Leo apud Æſopum, ex rumore, quamvis minimo, qui de caverna montis audiebatur, ſuſpicionem mali concipit, arrectisque auribus intendit, nec prius deſiſtit, donec ranam foras prodeuntem cernit, eandemque conculcat. Sicut & capra alibi contra lupum erigitur, tum cum in eminenti quadam feneſtra ſecuritatis locum invenit, quamvis de cratibus & viminibus maceria ſtructa eſſet. Unicum napelli, herbæ venenoſæ, dragma (quid minus dici poteſt) mortem infert: Epilepticus ſiquidem ungue alcis contactus fuerit, vitam ſæpe recuperat; unde & lemma ei vel inſcriptio addita: *& minima proſunt.* Huic ſenſui alluſit S. Iſidorus: *ſicut paulatim*, inquit, *homo à minimis vitiis in maxima proruit; ita à modicis virtutibus, gradatim ad ea, quæ ſunt excelſa, contendit.* In ſcribendo, titulus unicus, una litera, virgula & punctum unum dirimit, & penitus in confuſionem redigit, & pervertit ſenſum. Unde & dæmoniorum oracula plerumque his fallaciis referta, & confuta erant. In arte muſices nota unica, *croma*, vel *ſemicroma* non poſitum loco ſuo harmoniam omnem confundit.

Dragma napelli mortem infert.

In 2. ſent. c. 36. nu. 3.

Capillus ſervilis: adagium erat olim deductum ab eo, quod mancipia ad cutem capitis uſque radebantur (ſicut ſupra meminimus) per quod gregarius & de plebe vilis homo, & morum peſſimorum intelligebatur: de quibus cavendum eſſe ſapienti innuebant. Similitudo hæc adæquatiſſima eſt: ſervi enim per emptionem comparati, & mille modis ludibrio habiti, catenisque ſuis vincti, quantumcunque abnuerent, etiam vi ad ſerviendum adigebantur: ſicque non immerito præſumebatur, eos cuncta cum livore, & indignatione agere, atque idcirco corde infideles fugam ſemper meditari. Affectus qui plerumque in nihili homines, & in animos abjectos cadit. Sic magnus Peripateticus noſter inquit: *ſervos negantes, ac contradicentes magis flagellamus.* Et Juvenalis, qui ubique ſatyris ſuis refertus eſt, de lingua quoque mancipiorum non tacuit, dum ait:

Capillus ſervilis de homine vili dicebatur.

Lingua mali pars peſſima ſervi.

Cum viciſſim ſervi, qui nulla coactione, ſed ſpontaneo amore Patronis ſuis famulantur, juxta mentem Menandri, jucundiſſimus uſusfructus, & pretioſiſſima ſint poſſeſſio, quam conſequi quis poſſit: *non eſt ulla*, inquit, *poſſeſſio in vita jucundior, quàm benevolum ſibi ſervum adipiſci.* Ita & Seneca: *ſervi ſunt, homines ſunt; imò contubernales, imò amici, imò conſervi, ſi cogitaveris in utrosque tantundem licere fortunæ.*

apud Stob.

Ep. 47.

Porrò ſi quis forte vi quadam, aut per violentiam, aut per imperium ad agendum impulſus fuerit, ad quod prius nunquam animum applicuerat, nec genio ſuo correſpondeat, nec ad id reſpectu aliquo inductus, etiam noſtro Italico loquendi modo, dicitur: *Vi e*

Capillis trahi.

ſtato

ſtato tirato per i capelli: quod ex latino illò, ni fallor, mutuum accepimus: *capillis trahere.* Unde Homerus recenſet, Palladem aperta vi traxiſſe Achillem comis ſuis, atque eum à prælio ſevocaſſe. Sed violentia hæc ſemper erit incaſſum: quamdiu genius hominis repugnat. Flumina ſuapte natura in oceanum ferri non deſiſtunt. Planetæ, qui retrogradu curſu labuntur, tardiſſime pertingunt, pauciſſimumque iter perficiunt. Qui contra torrentem natando nititur, periculo ſe ſubmerſionis exponit.

Fruſtranea vis eſt, quæ contra genium pugnat.

Inter ea, quæ à Romanis olim ſapienter inſtituta ſunt, ſchola illa fuit, quæ univerſitatem quandam rerum in ſe habuit, ex quibus infantilis ætas, etiam ſine ſenſu, id quod maxime conveniret indoli ſuæ, amplecteretur, videlicet ad quod eam genius ſuus ſponte ſua, & violentia quadam dulci impelleret. Quantumcunque Achilles in muliebri veſtimento lateat, cum ferrum apparuerit, neceſſe erit ut ſe prodat. Expreſſit illud Satyricus.

Naturam expellas furcâ, tamen usque manebit.

Deſcripſit antiquitas geniorum multitudinem: intellexit enim varias eſſe humanorum cordium inclinationes. Et hoc fortaſſe fatum illud eſt, de quo Seneca, poëticè loquendo, ait.

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Ethicor. Cicero.

Et Ariſtoteles: *facilius eſt*, inquit, *conſuetudinem mutare, quàm naturam.* Cicero quoque, dum Catonis dictum deduxit, ſic inquit: *Nihil eſt aliud naturæ repugnari, quàm gigantum more pugnare cum Diis.* Itaque & eos qui certare cum violentia genii ſui auſi fuerint, & *capillis ſuis* ſe *trahi* permiſerint, eadem ruina, idem præcipitium manet.

De antiquo illo Hieroglyphico, quo ad demonſtrandam *occaſionem*, figura apparebat in fronte capillos gerens antrorſum involutos, cum hac Epigraphe:

Fronte capillata, poſt eſt occaſio calva.

Tum vero etiam quod quandoque rei per capillos comprehendebantur, didicit Plautus (cujus comica dicta, cum tanto judicio, & ſale prolata fuerunt, ut in legem poſtea tranſierint) didicit, inquam, adagium illud, *crines capere:* intelligi volens hoc ipſum, occaſionem nempe negligendam non eſſe, cùm ſe obtulerit. In hunc ſenſum ego quoque, dum mihi occaſio quædam proſperè eveniſſet, forte aliquando deſcripſiſſe memini in *Sapientibus Pindi*, vel in poëſi mea, quæ prælo tradetur, cujus principium, ne tibi tædio ſim, & ut majores tibi authoritates afferam, hic ſolum allaturus ſum. Tale igitur exordium eſt Pindaricæ cujusdam odæ, quæ triginta propemodum ſtrophis compoſita eſt.

Quantum interſit occaſione uti in tempore ſuo.

D' inconſumabil filo
Con falce armato il volatore edace,
Miete le vite, e dal funereo lampo
Non ſia ſchermo, od aſilo;
Pure al balen della notturna face,
Ponte il mortal delle vicende in campo
Dare il piede a lo ſcampo,
E à l' apparir di folgorante albore
Render ſi curo, & ſerenarſi il Core.

Itaque in hac præſentis vitæ noſtræ navigatione hæ Tyndareæ ſtellæ nobis obſervandæ ſunt: quæ ſi obſervationem noſtram fugerint, cum tranquilitate noſtra; non ſolum omnem nobis certitudinem, ſed pene dixerim, omnem ſpem boni nobis aufferent. Sic ſenſit magnus ille Moraliſta Plutarchus: *Opportunitas non obſervata cum in omnibus quidem rebus ingens affert malum, tum maximè in admonendo detrahit virtutem.* Declamabat Orator Demoſthenes ad Olynthios tam improvidos, & incautos: *Graviſſimæ ſunt,* inquiebat, *& ſapientiſſimæ occaſionum conciones, eædemque perſpicuæ: nec ſine pernicie negliguntur.* Et paulo infra, ut reor, admirabiliter. *Occaſionis vox nihil aliud eſt, quàm diligens temporis, & cæterarum circumſtantiarum conſideratio.*

De amicis & adulatoribus.

Demoſth.

Cum præterea capillus res tam minuta, tamque levis ſit, ut detonſus ad quemvis etiam minimum auræ motum, avolet, & diſpareat, adagium illud reſultavit: *Homo pilo dignus*; per quod indicari hominem de plebe, & humili loco natum, infimæ ſortis, voluerunt, quem nos Itali dixerimus: *un huomo che non vale un capello.* Tantum ergo homini intereſt, ut nullam æſtimationis ſuæ jacturam patiatur, & in ſtatione ſua immotum ſe conſervet, ne à quopiam deturbetur.

Homines viles & plebei.

Ut quisque & ſtatus, & conditionis ſuæ memor ſit, & ne forte in promiſcua turba & fæce hominum deliteſcat, Marcus Tullius admonuit: *Si conſiderare volumus quæ ſit hominis excellentia, natura, dignitas; intelligemus quàm ſit turpe diffluere luxuria, & delicatè, ac molliter vivere: quàm honeſtum, parcè, continenter, ſeverè, ſobrie.* Ad hoc ipſum Paulus Apoſtolus Galatas ſuos adhortabatur: *Qui ſtat, videat ne cadat.* Et S. Bernardus, alludendo ad animam, ita ſe expreſſit: *Nobilem hoſpitem habet corpus, quem honorare debet.* Vitium eſt quod deturpat, & abjectum reddit hominem, imò verò dignitatem illius tantopere in nihilum redigit, ut ipſo luto deterius, omni vilipendio dignum efficiat, prout Moraliſta inquit: *Serpunt vitia, & contactu nocent, & in proximum quemque tranſiliunt:* Et Gregorius M. *Sicut bonus odor ex virtute, ita malus ex vitio.* Propter quod ex Suetonio Tiberius nominatus eſt: *Senex hircinus*, propter odioſiſſimas & nequiſſimas libidines ejus.

Serm. de adventu Dom.

De tranquil. animi.

Ad irridendum, traducendum, & cavillandum hominem, hoc proverbiali dicterio uti ſolebant: *Caput tondere.* Sicut morionibus, & ſtolidis capilli omnes tonderi ſolent. Unde & is, qui in illuſores hujuscemodi inciderat, & in promptu habebat, unde talionem redderet, ſic ajebat: *ne me tondeas.* Hic ſe acuunt Diogenis dentes, Juvenalis Satyræ, Archilochi Jambi: Hic metaphoris, ſimilitudini, attributioni, hypotypoſi, hyperbolis, æquivocis, deceptionibus, & horum ſimilibus locus eſt: Hic non ſolum parvis, ſed ingentibus opus eſt forficibus, quas in cote ſua Ariſtarchus acuerit. Ironiæ figura hoc ferrum portare in manibus ſuis pro more ſolet. Sed negari nequit exhinc plerumque violentas mortes oriri. Et quàm ſæpe qui per jocum irriſor eſt, ſine joco occiditur. Et repercuſſio illa: *ne me tondeas*, ſæpe eousque tonſuram violentam habet, ut ſub ferro ipſa pellis patiatur: Unde pro cautela & moderamine alterum quoque vulgare axioma increvit: *Non mottegiar che doglia, non ſcherzar ſul vero.* Hoc eſt: *Noli quemquam irridere ut doleat, nec ſit tibi jocus in iis, quæ vera ſunt.* Hoc ipſum magnus Ethicus Plutarchus ad vivum expreſſit, dum ait: *Nihil eſt pejus convicio, quod in Authorem recidit.* Hæ irriſiones, cum in perſonam, dignitate quadam eminentem inciderint, etiam ipſi plurimum nocuæ ſunt Reipublicæ. Hoc ſenſit Demoſthenes: *Bonorum virorum*, inquit, *contemptus periculoſus eſt Reipublicæ.* Ejusmodi jocoſa improperia à ſapientibus magnopere vitio dantur, quippe quæ nimium acerba ſint, & ſugillent. Hoc inter alios maxime Tullius exaggeravit, qui à Catilina, Verre, & aliis farinæ ejusdem hominibus ſic impetitus fuit: *Habet*, inquit, *in ſe aculeum contumelia, quem pati prudentes ac boni viri difficillimè poſſunt.*

Deludere quempiam. Deluſi reſponſio.

Irriſiones quàm periculoſæ ſint.

De utilitate cap. ab Inimicis.

c. Actio. in Verrem.

Inter alia, quæ hominem nauci, & absque ratione

inſipidum demonſtrent, non minimum illud eſt, iis ſe rebus & actionibus impendere, quæ cum vanæ ſint, & ponderis nullius, nullum etiam terrarum orbi emolumentum, & commodum afferunt; unde & proverbium natum eſt: *calvum hominem vellis.* Infudes quantum volueris, ut de calvi capite capillum evellas, operam perdis nec obtinebis id, quod ibi non eſt. Convenit hoc, cum altero illo: lavare *Æthiopem:* quod vulgo inter Italos dicitur: *lavar la teſta al aſino: caput aſini lavare.*

Tentare id quod factu impoſſibile, quàm vanum ſit.

An quisquam, cui ſenſus integer eſt, & cerebri drachmam unam poſſidet, tam vecors ſit, ut credat, infelices habitatores terræ Sennaar inter ſulphures, & bitumina fabricare potuiſſe turrim, quæ culmine ſuo ipſum cœlum penetraret: opus erat hoc volentibus etiam fundamentum in inferno usque collocare. Sed utrumque vanum erat, & factu impoſſibile: idcirco etiam in ſtultorum numero reputati ſunt: hæc vanitas in impoſſibilitate nixa à Mythologicis demonſtrata fuit, dum fabulas de Icaro & Phaëtonte confinxerunt. Grandis ille orator Tertullianus de hac ſtolida temeritate nos avertere allaborat dum ait: *Non tentanda, quæ effici omnino non poſſunt:* Ulpianus celeber ille JurisConſultus ſuper hanc impoſſibilitatis materiam diligentiſſimum format aphoriſmum: *Mancipia quæ rudia ſunt, præſumuntur eſſe ſimpliciora, & ad miniſteria multo aptiora: trita verò & veteriora difficile eſt reformare.* Verum enim eſt, quod S. Hieronymus inquit: *corpus aſſuetum tunicis, loricæ onus non fert: caput opertum linteo, galeam recuſat: mollem otio manum durus exaſperat campus.* Hæc etiam referri ad ingenium obtuſum & pinguis Minervæ poteſt, cui characterem ſcientiæ quis inprimere ſatagat: quod idem eſt ac velle aſinum adigere, ut generoſiſſimo equo in curſu ſuo par ſit: Idem erit ſi præfatum ingenium ad impetrandam tàm beatam ſcientiarum poſſeſſionem ſtimulaveris. Totum hoc ab Annulo Poëta refertur, cujus ſenſus in hoc potiſſimum cardine verſatur:

Lib. 4.

§. de ædil. edict.

Ad Heliod. de laude vitæ ſolitariæ.

Ingenium obtuſum.

Annulus Poëta.

Indocile ingenium ſi pergas velle docere,
Infelix operam perdas, ut ſi quis aſellum
In campum doceat parentem currere fræno.

Impoſſibilitas ut detur capacitas ingenio duro.

Seneca hoc confirmat: *Nullâ ſapientiâ naturalia corporis aut animi ponuntur vitia. Quidquid infixum & inſitum eſt leviter, arte non fingitur.*

Epiſt. 11.

De conſuetudine illa, alienis ſe comare capillis, aut ficto capillitio caput ſuum operire, aut ſuppoſititiis ſe cincinnis ornare, juxta mentem Doctorum, non inelegans ortum eſt proverbium: *Homo calvus, comatus.* Quod de iis intelligendum, qui diſſipatà jam ſubſtantia ſua propria, alienis vivere expenſis gratiſſimum habent, aut mercedem & ſtipendium vitæ aliunde emendicare. Quod etiam de iis dici poterit, qui cum nullam ſcientiarum poſſeſſionem habeant, nec de proprio penu quid proferre poſſint, aliorum doctrina, tanquam ſua propria gloriari contendunt.

Falſa capillitia.

Prodigus, qui propria ſua diſſipando, nunc alienis expenſis vivit.

Idiota, qui alienos labores furatur.

Quod fictitios hos capillos, eorumq; abuſum concernit, memini me in Ode quadam, ad quadraginta usque ſtrophas extenſa, precatum fuiſſe admodum reverendum Patrem Joſephum Conturlam, Prædicatorem exquiſitiſſimum inter Patres Societatis JESU, ut videlicet hoc furtivum vitium de pulpito deteſtari vellet. Ne tædium tibi parem mi Lector, & ut te authoritatibus majoris ponderis conſervem, hic principium ſolum apponam. Reliquum tibi legere in promptu erit ex *manipulo meo poetico*, qui propediem, ſi Deo placitum fuerit, in lucem prodituruſ eſt.

Ne de i Genii inquieti
Mai deporra l' ambitione il faſto:
Onde l' Angel dibrama inalza il volo?
Tratti i coturni al ſuolo
Del ſenſo luſinghier vinta al contraſto
In Lete mergera Ragion gli Abeti,
E ſempre volgera torbido influſſo,
Per cui triomfi a noſtra etade il luſſo?

Quantum ad eos, qui in alienis literis, ut ita dixerim, commeatum eunt, atque inde ex melioribus ſcriptoribus furto abripiunt, quæ poſthæc ſibimetipſis approprient, ſenſata maxime reprehenſio eſt Senecæ contra Lucilium, qui centonem quendam coacervare & componere mente verſabat, quem ſic alloquitur: *Viro captare floſculos turpe eſt, & fulciri notiſſimis, & pauciſſimis vocibus. Turpe eſt ſeni ex commentario ſapere. Hoc Zeno dixit, hoc Cleanthes. Tu quid? quousque ſub alio moveris?* & paulò infra: *præterea qui alium ſequitur nihil invenit, imò nec quærit.* Sic reprehendebatur Chryſippus, qui ſecum ſemper bajulum librorum habebat, prout refert Laërtius, quem nemo nec verbum dicere, niſi aliunde ex textu quodam mutuatum credidit, unde & *Bibliotheca* titulari meruit. Sed quid obſecro de me, mi Lector, dicturus es hic, quod in hunc modum ratiocinari volui? Ad tuum ego tribunal hic, non ad aliud, recurro, te judicem ſtatuens, an alia loquendi forma vel uti poſſim, vel me uti oporteat, cum mihi propoſitum ſit formare & inſtituere dogmaticum hominem? Non eſt hic mihi argumentis Metaphyſicis, aut verbalibus ſed præceptis, de theſauro meliorum Authorum deſumptis utendum: unde dixerim adagium contra eos loqui, qui ſicut Corvus Æſopi ſe alienis veſtire plumis non erubeſcunt: dixerim inquam id, quod alibi jam memoravi.

Epiſt. 33.

Che ſe languido, e imbelle il volo ſia,
Pur m' inalza dal ſuol la penna mia.

Maximè interim deteſtabile eſt, diſſipare patrimonium ſuum proprium, ut deinceps neceſſe ſit ſe aliena ſuſtentare ſubſtantia. *Sumptuoſitas incontinentiæ pars eſt,* inquit Stobeus. Cadunt hi in condemnationem vel cenſuram infeliciſſimam Plutarchi: *Qui quod habebat conſumpſit in quæ non oportebat, quæ non poſſidet ſi contingat, non utetur in quæ oportebat.* Vitium ex diametro contrarium nimiæ tenacitati: quæ utraq;, alterum quidem prodigalitate, alterum nimio habendi deſiderio, ad utrumque finem tendentia, cum violenta ſint, diuturna eſſe non poſſunt.

Prodigalitas vitioſa.

MORALIA.

ORnamentum cincinnorum, qui in fronte terminum ſuum habent, aut per utraq; capitis tempora, quaſi quoddam pluviale ſtillicidium defluūt, & cirris ſuis ſeſe invicem tanquam annullis innectendo, criſpata forma ſecus maxillas, per devexa colli dilabuntur, ut deformitatem illam, quam occipitio natura diſpertiit, emendare poſſint: Hi itaq; cincinni quantum quidem coronam majeſtate plenam repræſentant, in fronte criſpi, juventutem ſignificant: quantum autem de cervice deſcendunt & per collum labuntur; ſenectutem indicant: & quod fiducia noſtra nobis nec in robore virium, nec in ætatis vigore collacanda ſit: & ſic nec à ſiniſtro quopiam rerum eventu, nec à morte improviſa omnino præoccupari poſſimus. Hi flores vitam habent ephemerem, nec diei unius ſpatium duratione ſua excedunt. Sic magnus ille Hypponenſis Epiſcopus Auguſtinus ſenſit: *Hodie videas adoleſcentē pubeſcentis ætatis nitore florentem, craſtina die occurret tibi totus facie & ore mutatus.* Et de flore Iſaias propheta: *Et erit flos decidens gloriæ ejus, qui erat in vertice collis pinguium.*

Decora erat utique planta vel arbor à Rege Nabuchodonſor per ſomnium viſa, truncus ejus robuſtiſſimus, faſtigium ſublime, frondoſi rami, luxurians pampinis ſuis: & ecce per ſolam cœleſtis agricolæ vocem: *ſuccidite illam, ut quid terram occupat;* evellitur, eradicatur, ad pedem usque amputatur,

Arbor Nabuchod. *Dan. 7.*

& eſca datur infernalibus flammis. Sic non raro etiam inter plauſus, & jocoſa mundi, imo & Cypriæ Veneris gaudia & voluptates, honor Veneris Libitinæ ingruit, & finem locat deliciis? Marcus Tullius hoc declamat: *Quis eſt, quamvis ſit adoleſcens, qui exploratum habeat ſe victurum ad veſperam?* Et Venuſina Lyra ut nunquam non alias bene, ſic optime hic:

Philip. 1. — *3. Carm.*

Singula de nobis anni prædantur euntes,
Eripuère jocos, venerem, convivia, ludos.
Diverſos diverſa juvant.

Capilli de exhalationibus fumoſis producuntur.

Capilli qui frontem occupant, non procul ſunt ab occipitio. Obſervandum eſt, capillos ab exhalationibus fumoſis produci, unde & quantum exhalatio hæc copioſior erit, tanto major quoque capillorum erit productio; deficientibus illis, deficient hi. Sic & capiti humano attribuitur animus, qui cogitata noſtra producit; prout ille conſtitutus fuerit, ſic & cogitationum, tanquam crinium conſtitutio erit, (in crinibus virtutis opera intellige:) Prout igitur vanum & vitioſum eſt, comam vanitatis nutrire, ita neceſſarium eſt, & conſultum, hos virtutum, & bonorum operum capillos alere, utpote ſine quibus animus noſter tanquam calvus, & deſtitutus omni ornamento actionum laudabilium, & rectitudine affectuum erit. Ut hos crines alamus, & has cogitationes nutriamus, Magnus Moraliſta nos docet, dum ait: *aliquid quotidie adverſus paupertatem, aliquid adverſus mortem auxilii compara, nec minus adverſus cæteras peſtes: & cum multa percurreris, unum excerpe quod in illo die concoquas.* Hi capilli, hæ videlicet cogitationes noſtræ, purgatiſſimum Divinitatis oculum non latent, itaque & ore ſuo proprio Salvator, prout ſupra memoratum eſt, inquit: *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt.*

Cogitationes bonas nutrire oportet. *Ep. 2.*

Senectus plena ſenſu.

Sicut de humoris alimentalis frigiditate canities producitur, quæ facultatem concoctricem jam infirmatam eſſe demonſtrat, unde & ſenectus ingraveſcit: ſic & illa ætas nos ſenſim inſtruit, compoſitum noſtrum exuere & ſpoliare affectibus terrenis, & cogitata noſtra ad patriam illam, unde orti ſumus, elevare. Quem ſenſum Salomon elegantiſſimè proſecutus eſt dum ait: *Cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Et quia frigus contrahit ſpiritus, dicendum erit, tum cum divini timoris gelu in nobis dominatur, nos comam candidam portare, hoc eſt candorem intemeratum bonorum morum, & puritatem vitæ. Felix frigus, beatus timor, per quem anima decoro, & candido innocentiæ veſtimento ornata incedit, candidiſſimos gerens illibatorum affectuum capillos. Et Plato hoc noverat, qui ait: *Ubi timor, ibi pudor*: ſed ad rem magis accommodè S. Gregorius: *Qui timere ſe Deum cognoſcit, ſe ſapientiam Dei habere intelligit.* Idem alibi: *Timendum eſt judicium divinum, ne timeatur.* Propter quod propheta regius: *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis.* S. Bernardus, etiam ſi hic timor ſervilis ſit, non eum rejiciendum eſſe docet, eo quod quaſi viam ſternat ad ſalutem: unde ajebat: *Timor ſervilis bonus eſt, & utilis, licet imperfectus, & inſufficiens.* Hinc & Senatores cæleſtes, cum primum agnus ille, ſacroſanctus apparet, ex debito reſpectu & reverentia, prout S. Joannes ait: *Mittebant coronas ſuas ante thronum Dei.* Proſternuntur, & in faciem procidunt, & Moyſes, & Daniel, & Prophetæ omnes ante conſpectum Altisſimi: & cum magnificentia ejus adimplevit templum, Sacerdotes Dei pavefacti intra hujuscemodi ſacra penetralia comparere non audebant. *Sed & majeſtas Domini implevit templum, ita ut non poſſent Sacerdotes ingredi templum Domini.* O ſi ſaperent & intelligerent hi, qui cum tanta irreverentia etiam intra domeſticos parietes divinam majeſtatem offendunt! Bona frigiditas: optima canities, candor innocentiæ, crines nivei, reverentia, & timor filialis erga Altiſſimum.

Timor Dei quantum proſit. — *De Sanct. 19. Mor.* — *Homil. 16. in Evang.* — *Serm. 7.* — *Apocalypſ. 5.* — *Paralipom. 7.*

MYSTICA.

Richardus de S. Victore vult per capillos ſignificari Chriſtum poſſe, tanquam verbum à patre procedens, ſicut comæ derivantur à capite. Sicut capilli Samſonis, in quibus nervum fortitudinis ſuæ poſitum habebat, juxta mentem S. Ambroſii, virtutem diviniatis Chriſti prænotabant, aut verò Spiritus Sancti: aut vero ſacrum velum templi à Judæis vilipenſum, ſicut in libro Judicum, Ezechiele, Daniele, & S. Matthæo. Vult S. Auguſtinus, & Rupertus Abbas, capillos lanæ candidiſſimæ à propheta Daniele viſos, prout ſupra memoravimus figuram Angelorum eſſe, & virtutum, quæ ab illis proveniunt. Porro cum in variis Sacri Cantici locis capillorum mentio fiat, juxta Ambroſium & Gregorium, in myſtico intellectu aut Doctores ſacri ſignificantur, aut verò populi, qui pro ornamento Eccleſiæ ſerviunt, ſicut crines capiti. Cumque hi in canitiem degeneraverint, his Catechumenos intelligi poſſe, & Neophytos, qui de baptiſmo candidi & puri revertuntur. Quomodo cincinni tepidos in ſervitio divino, laxosque fideles. Unus autem ille inter capillos ſponſæ, de quo ſponſus in Cantico meminit, ſe amore illius captum eſſe, juxta mentem Origenis, humilitatem glorioſiſſime Virginis figurat, quæ ſemper ſubdita, nec unquam ad nutum divinæ voluntatis exequendum vel minimum fecit obſtaculum.

De ſecuritate conſcientiæ. — *De Spiritu Sanct. Prolog.* — Virtus Spiritus Sancti in Chriſto. — *16. 8. 14. 5.* — Angeli. — *De eſſentia divin. in Apocalyp.* — *In pſal. 18.* — *In Cant. 4.* — Doctores Populi. — Neophyti, Fideles, — Humilitas Mariæ. — *In num. hom. 1. 10. 12.*

Per capillos numeratos (de quibus, prout ſupra jam dictum eſt, in S. Luca, & Matthæo fit mentio) ſecundum ſententiam Hilarii virtutes animæ exprimuntur, omniaque ea, quæ ſervare præcipimur. Comæ tinctæ, quas ſponſæ adjungit Scriptura in Cantico, Eucherius, & Auguſtinus docent, quod Martyres denotent, aſperſos & intinctos ſanguine. Porro quod capilli guttis nocturnis humidi recenſentur, ſecundum præfatorum authorum ſententiam peccatores indicantur, qui forinſecus rore Sacramentorum, & ſanguinis Chriſti aſperguntur, ſed qui intro non pertingit. Juxta S. Hieronymum, & Rupertum, prolixæ comæ, quæ deorſum verſus per humeros copioſè ſparguntur, ſignificare poterunt, continuas, longas, & indefeſſas orationes, quæ ad Deum aſcendunt, ſicut in Iſaiæ capite tertio. Ordinaria gloſſa inquit, comam arborum ſignificare multitudinem operum, vel bonorum, vel è contra malorum: & (ſicut in Hiſtoria Job narratur) aſpectum quendam multitudinis fidelium præſefert qui in Chriſtum, poſt glorioſam reſurrectionem ejus crediderunt.

5. Matth. — Res, quas conſervare præcipimur. — *For. Spirit, In Ioan, Tract. 57.* — Peccatores. — Orationes. — *In Iſai. 3.* — *In Cant. hom. 5.* — *In Iob. 14.*

Capilli aut criſpi, aut longi, qui intorti deſcendunt (ad ſimilitudinem decoræ cornicis, in pulchro Quadro) per genas, & per totam vultus ſuperficiem, optimum juventutis, & robuſtæ virilitatis indicium præbent: prout etiam pulchritudini & venuſtati, quæ radius quidam divinitatis eſſe videtur, complementum & ornamentum ſuum addunt: ſiquidem hi raſi & detonſi fuerint, nuditatem quandam infelicem & deformem diſcooperiunt, qua fit ut quæque capitis pars decore ſuo deſtituta, quaſi extenuata, & mortua appareat. De hoc materiali S. Hieronymus ſtatum Hieroſolymæ tam felicem quàm infelicem exponit, tum cum ei gratia divina præſto eſſet, eam decoratam comis ſuis, cùm receſſiſſet calvam appellans. Mira res, quod ad populi hujus tutelam non ſolum quæ magna ſunt, ſed etiam minima militarunt, imo minora his, culices, & muſcæ, & ranæ. Pugnarunt pro his elementa, aquæ maris diviſæ ſunt,

Capilli indicium roboris, & ornamentum pulchritudinis. — Pars raſa quaſi deſtituta & mortua. — *In Ezech.* — Gratiæ factæ Iſraëliticæ genti.

arida ſaxa profluviis aquarum humectata ſunt; illuxerunt rubeta incendio flammarum incombuſta: cælum pyramide ignita, & columna nubis ſuccurrit: firmamentum illis cæleſte manna irroravit: ſtetit ſol in curſu ſuo: ſtellæ retrorſum abierunt: & ipſa Majeſtas & omnipotentia divina ad eos ſæpe deſcendit: nunc autem gens illa profligata, exul, egens, calamitoſa, pannoſa, lucris ſuis inhians, non niſi mendaciis, fraude & dolo vitam ſuam ſuſtentat. Gens ſemimortua, dum à vita ſua, à Deo ſuo aliena eſt: Et hæc ejus diſperſio (ſic præfatus author commentando proſequitur) in ea capillorum parte exprimitur, quæ in ſummitate pallii ligatur (prout in Ezechiele quinto capite habetur) ſupra quam vaſtatrix flamma, & ignis omnia devorans caſurus ſit.

Miſeriæ præfatæ nationis.

Docent Heſychius, S. Ambroſius, S. Hieronymus, pilis qui in ſuperciliis ſunt, figurari poſſe contemplationes Prælatorum, & magnorum Dei miniſtrorum, qui in ſublimitate meritorum, & gratiarum divinarum conſiſtunt, & radicantur: figurant etiam cogitationes elevatas, & divinas. Quandoquidem etiam capilli pro ornamento faciei ſunt, ſed de utraque vultus parte dependent, novas rurſum expoſitiones Heſychius, & Gregorius formant, dum per hos intelligi volunt certamina doctrinæ ſacræ, & moralitatis. Quamvis S. Gregorius, intendens ad hoc, quod facili negotio capilli de capite decidant, in his ea cogitata intelligat, quæ facile diſſipantur & diſpereunt: propter quod & illic in Ezechiele præceptum eſt ne radantur, nec tondeantur de Sacerdotum capite: indicando cum quanto zelo, cum quanta cautela iis memoria & cogitatio rerum ſacrarum obſervanda ſit.

Levit. 14. ſerm. 63. pro SS. — *Levit. 13. 2. Moral.* — *5. Cantic. de contemptu mundi.*

Proinde cum capilli totius corporis pars eſſentialis nominari non poſſint, ſed pars integrans hominis (ſuperfluitas enim ſunt, quæ de corporum humoribus evaporat) Auguſtinus & Rupertus in iis bona hæc terreſtria & tranſitoria intelligunt: atque idcirco quod comæ capitis noſtri, quaſi nobis connaturales non ſunt, ita & illa bona in eodem gradu ſtatuenda ſint: nihilominus ſicut pili non omninò radendi, ſed quod ſupervacaneum tollendum eſt, ita & de poſſeſſionibus terrenis quod ſuperabundat abſcindendum, ne ſicut crines prælongi impedimento eſſe poſſint. Id quod S. Auguſtinus tum potiſſimum, cum de S. Magdalena, & ejusdem actione ſcriptura meminit, ſic exponit: dicitur autem de ea: *capillis pedes Domini tergebat*, unde ille: *Capillis terge: ſi habes ſuperflua, da pauperibus, & Domini pedes terſiſti.* Et S. Gregorius in eundem ſenſum: *Capillis ergò pedes Domini tergimus, quando ſanctis ejus, quibus ex charitate compatimur, etiam ex his, quæ nobis ſuperfluunt, miſeremur.* His etiam dignitates, & honores temporales præſignantur, ſicut recenſetur in Eſdra, Judith, S. Joanne, Luca, ad Corinthios. Capilli prolixi, ſicut in Daniele habetur, ſecundum quod ait Richardus à S. Victore, & Clemens Alexandrinus, profunda & acuta conſilia in typo ferunt. Conſiderando deinde Mariam Magdalenam, perfuſam lacrymis, & diſſolutis crinibus, & incultis ſe ad pedes Domini proſternentem, dum per humeros ei comæ defluunt, dixerunt præfati, ſignum eſſe, quantocyus hanc formoſam pœnitentem laqueis, & nodis peccati ſolutam iri, omniq; illo ſuperfluo faſtu ſpoliandam, non minus & ab omni errore, & contractis maculis ſolvendam.

Capilli denotant bona temporalia. — *Tract. 50. in Ioan.* — *Hom. 33. in Evang.* — Cappilli dignitates temporales. — *9. 13. 2. 7. 1. 1.* — *De ſecurit. Conſcient.* — *2. Pæda. 8.* — Capilli ſparſi abſolutio peccatorum.

Per oblationem pilorum, quæ per mandatum Domini in libro Levitici, ſupra altare fiebat, Origines & Heſychius peccatum jam mortificatum, & ab anima jam ſeparatum figurârunt, dum illa priori ſedi ſalutis ſuæ reſtituitur: ſacrificium hoc altiſſimo acceptabile eſt. Per piloſum Eſau, & hirſutum, nec illa divinæ gratiæ abundantia dotatum, qua fuit Jacob frater illius, S. Gregorius hominem impium & bonis temporalibus ſuperabundantem, & qui quotidie ditari ſatagat, ſignificari poſſe ſcripſit.

Lev. 14. Lev. 8. — *5. Exod. hom. 13.* — Eſau piloſus divitiarum cupidus.

Capilli qui nimia ſui copia frontem occupant, prout ſentit S. Clemens Alexandrinus, ignorantiam denotant, quæ rationem obfuſcat, & quaſi velo quodam operit, ut rerum veritatem diſcernere, & ſano judicio ponderare nequeat. Uſus, in lege Moſaica, inter Iſraëlitas viguit, mulieribus captis in prælio in teſtimonium captivitatis, & ſervitutis, omne capillitium tondere: commentantur Origenes & Hieronymus, id ſignificare, viros doctos & novitatis induſtrios, non tam facile gentilium doctrinis perſuaderi, & allectari debere, ut non ea, quæ ſuperflua illic repererint, & inutilia, vel vana reſcindant: non ſecus ac in oratione, & concionibus, omni ornamento, & luxurie verborum ad rem non faciente abſtinendum.

Frons capillis tecta ignorantiam notat. — *In Ezech. 24.* — *5. In Apocal.* — Inutilia reſecanda.

Prudenter admodum ponderat gloſſa colores capillorum, docens flavos denotare omne id, quod ad ritus, & conſuetudines infidelium pertinet, & à vero ſanæ fidei colore abſcedit, & alienat. De tali colore mentio fit in Levitici 13. capite. Nigri verò fumum idololatriæ repræſentant, qui per caminum inferni levatur: itaque & horum in memorato loco ſcriptura meminit: idem dicitur de coma raſa, & in formam coronæ tonſa, de qua in Levitico cap. 19. Per varietatem capillorum, quam alii aſcendere, alii de fronte deſcendere demonſtrant, variæ hæreſum ſpecies intelliguntur: hinc etiam reſipiſcentia, & lapſorum reſtauratio colligitur. Per occipitium raſum, ſcapulas denudatas, & pilis ſuis orbatas, occaſionem nos Hieronymus ſumere docet, ut Babyloniorum exercitum inde concipiamus, qui victus, & in obſidione Tyri depreſſus, neceſſe habebat in dorſo ſuo & ſaxa, & ligna, & ejusmodi onera portare, unde in ſignum mancipatus, hac tonſuræ forma incedebant.

Capillorum colores ſignificant infidelitatem & idololatriam.

PRODIGIA.

Olaus magnus tabulis ſuis piſcem annumerat, qui cuique obſervatori perfectiſſimam humani capitis formam repræſentabat: niſi quod ab oculis ſumendo initium, per omnes corporis partes quatuordecim pinnas, vel radios mobiles protendebat, quibus mergebatur in mare, & rurſum emergebat: &, (id quod obſervatu digniſſimum) prælonga & ſpiſſiſſima coma dotatus, imò & decoratus erat: quæ itidem ſparſa nonnunquam, nonnunquam verò collecta, pulcherrimum ſpectaculum cernentibus præbebat. Monſtruoſa omninò, & præter ordinem naturæ hæc figura fuit, cumque talis eſſet ſubito diſperiit, & diſparuit.

Piſcis cum humano capite capillato.

Admonemur his ut in iis rebus, quæ durationem ſubitaneam habent, quæ brevi temporis intervallo accedunt, & rurſum recedunt fiduciam nullam collocemus: hoc ipſum etiam, veraci plectro ſuo cecinit, poſthæc experientia ſua propria edoctus Commendator Teſtius:

Poeſiæ.

Equanto fu preſta al venir, totanto
Sollecita al partir ſarà fortuna:
Seren di corte in un momento imbruna:
E chi ride il matin, la ſera e in pianto.

Incautum eſt magnas res, eisdem caſibus, eisdem tempeſtatibus ſubdere, dicebat Plinius junior. Sub ipſa præcipitii extremitate ſumus, & idcirco: *nemo tutus eſt, qui periculo ſe ſubdidit*, inquit S. Cyprianus. Cum mare tranquillum eſt, abſit ut infido huic elemento quis ſe, ſine neceſſariis ad ſuſtinendam tempeſtatem inſtrumentis & utenſilibus committat.

Præſumptio nimia eſt iis rebus fidere, quæ incertæ ſunt, in iisque ſpem ſuam collocare. — *Lib. 3.*

Cometæ comatæ vel crinitæ ſtellæ.

Ut porro fructus campo meo non deſint, & ex omni adeo mundi parte nobis non deeſſe poſſit occaſio, qua neceſſitati internæ vitæ noſtræ ſuccurratur, hic ubi prodigiorum, & comarum ſit mentio, errorem utique me commiſſurum arbitrarer, ſiquidem materiem Stellarum quas Cometas dicimus, & quæ nomen Comatarum, vel crinitarum ſibi adſciverunt, ſilentio præterierim. Sed hic nihilominus mihi ſcopum non ſtatuero, de hac materia cum rationibus philoſophicis & Meteorologicis perquirere, in quibus experiſſimi philoſophorum jam ante me profundiſſimè deſudarunt: Id ſolum dixero, quod hæc metebra humano generi infauſta quævis, & male proſpera præſagiunt, & virgæ ſint in manu Dei ad nos caſtigandos extentæ: unde nos ad emendandum ſtimulari oporteat: ejus inquam, rei particularitatibus tantiſper immorabor. Itaque naturales philoſophi, & inter eos præſertim Stagirita noſter memoriæ prodiderunt, de his terris noſtris, de ſubſtantia nimirum terreſtri & aquatica, naſci, elevari, & nutriri binos halitus: quorum alter, quem vaporem nominant, de humidis terræ partibus emergit: alter, qui exhalatio dicitur, & levior ſubtiliorque priori eſt, de aridis terræ partibus ortum ſumit, & in altum exurgit: Ille in regione aëris, utpote qui gravior, & humidior eſt, ſerpendo, inferiora loca poſſidet: alter verò conſtans ex partibus calidioribus, & ſubtilioribus, plenus activitate, & ſpiritualitate, non ſolum regionem aëris ſecundam, ſed & tertiam evadit, & ſuper eam extollitur, & elevatur. Atque hic eſt, qui nomen foci adeptus eſt, & primum locum ſubtus ſphæras omnes occupat. Pars quæ ſe infra hanc ignitam recipit, de ejusdem quidem natura participat, ſed quandoquidem humiditati nonnulli colligatur, activitatem tantam non habet, nec cum tanta celeritate extollitur, Elementumque aëreum appellatur. Hæc igitur, cum materia ad combuſtionem ſit diſpoſita, ad quemvis levem motum, ad omnem favillam ſalientem, tanquam Salnitrum præparatum, vel pulvis pyreus, ignem momento concipit, & in flammam convertitur: ſicut fieri in face videmus, quæ quamvis extincta, ſed fumigans adhuc fuerit, ſiquidem fumus ille ad lucernam quandam acceſſerit, continuo reaccenditur. Non ſecus & ſpiritus ille calidus à terra, ejusdemque aridis partibus elevatus, cum ad ſphæram illi deſtinatam aſcenderit, incaleſcit, inflammatur, & in focum ſuccenditur.

In meteor.

Hæc igitur chaſmata, aut Hypocaumata cum motu circulari accenduntur, has varias formant figuras: trabes nimirum ignitas, Dracones volantes, Capras ſalientes, Cometas & comatos, & crinitos, & cornutos, & barbatos, qui vel in formam gladii, vel umbonis figurantur. Hinc etiam aves, quadrupedia, piſces ſtellati, homines, aliaque inſuper ſigna quotidianis propemodum viciſſitudinibus apparuerunt, de quibus etiam Poetæ, & Aſtronomi libros impleverunt, & diviſiones plurimas fecerunt. Hinc Lucanus.

1. Pharſal.

Ignota obſcura viderunt ſidera noctes,
Ardentemque polum flammis, cæloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem regna Cometen.

Naſcitur varietas hæc de vapore inflammato, qui pro ſitus diverſitate vel longitudinem, vel largitatem majorem recipit: Quod ſi flamma in latitudinem diſtenditur, Campus appellatur: Si in modum fumi collecta, Ara nominatur, in hac etenim figura antiquitus in altaribus foci fiebant. Cum in longitudinem porrecta fuerit, majorem latitudine trabis ſimilitudinem habet. Si in ſubtile erecta, & in acumen terminata fuerit, haſtæ ardentis nomen ſortitur. Cum verò accenſiones hæ concatenatæ non ſunt, ſed diſparatæ videntur, præter quod radiatæ linguæ nominantur, etiam caprarum ſaltantium nomen habent. Cometæ nihilominus ſiccioris, & calidioris naturæ ſunt: & hinc eandem aeris temperiem denotant. Componuntur de exhalatione, aut Hypocaumate agitato in aëre cum motu circulari, & hinc non omni ex parte accenſo, ſed in illa jam diſpoſita & conſueta ad recipiendum focum, vicinas partes paulatim ad hoc ipſum diſponente.

Campus, Ara, Trabs. Haſta.

His rebus tali modo diſpoſitis, quidam Cometarum originem ad cæli vim quandam ignitam referunt: quos etiam nobilis Bonardus Commentator ſuprà Adriaticum cæcum, influxus ferales Saturni, vel Martis nominat: unde de his ſtellis prædictæ exhalationes procedunt. Quod autem tempore tanto perdurant, id fieri ajunt ob vaporum abundantiam, qui quotidie ad nutrimentum illius, vel pabulum conſcendunt: hancque cauſam materialem vocant: propter quod Cometa dici debet, non aliud eſſe quàm exhalatio ſucceſſive inflammata, & accenſa. Hinc fit, quod cum talis exhalatio crinibus, & cincinnis ſtellam quandam circumdederit, comata, vel barbata appellatur. Democritus & Anaxagoras opinati ſunt, quinque cæteros planetas, dempto Sole, & Luna, eos eſſe, qui Cometas generent, & producant, hosque variis invicem diſpoſitionibus, varioque occurſu ſibi conformi accendi, & contingi, atque ita crines, comasque formare. De his fuſius videantur, Cornelius Gemma, & Albertus Magnus.

Quod præſagia concernit, doctiſſimi viri hactenus indagarunt, nec videre potuerunt, cur hæc phenomena maleficis influxionibus ſuis non æque promiſcuam plebem, quem Principes populi tangant: niſi forte, quod hi complexione quadam teneriori, & ſubtiliori dotati, atque ideo huic Aſteriſmo, vel influxui infortunato magis ſubjecti ſint. Si defectus hic (inquiunt) vel cauſa de exhalationibus primordium ſuum tenet, cum hæ quaqua verſum de vaporibus terræ in univerſum leventur, quid vetat, quin univerſaliter quoque, & æqualiter terram feriant? Si ex ſtellarum concurſu Cometarum gyrus formatur, æque ſupra quodque tugurium, quàm ſupra Regum palatia reſplendent, & influxionem ſuam conducunt: cum hæc mundi inferioris facies, ſecundum mentem Ariſtotelis, faciei ſuperiori cælorum ſubjecta ſit. Proinde ſi de cauſis naturalibus (inquiunt alii) dependere dixerimus, cur locum habeant in iis influxionibus, quæ ſupernaturales ſunt, & proinde futura præſagiant, mortes, bella, caritatem, famem, & ejusmodi alia. Nec enim cauſa eſſe poſſunt, nec effectus, nec ſignum: non operantur ut cauſa efficiens: nec formam, nec finem habent: nequeunt conſiderari ut ſigna, nec enim proportio ſigni ulla eſt, ad id quod ſignatur. Si præfatos influxus à memoratis ſtellis provenire dixerimus, à Jove, inquam, & Venere, planetis omninò beneficis, utquid ſiniſtra & adverſa influunt? Demus autem id fieri, cum oppoſitionibus tamen, & quadratis, etiam trina, & ſextilia portant. Albumazar ſcriptum reliquit, dictos cometas nullatenus dependere à ſtellis aut aſtris, nec iisdem colligari, cum etiam in ſigna terrea & aërea ſint.

Influxus Cometarum promiſcue ſuper omnes fieri.

Non influunt ullo modo.

In libro de Conjunctionibus.

Reſtat ut dicamus, huic præcedenti doctrinæ, eſſe qui ſe opponant, referendo inprimis: quod non negent cometam ſuper omnes omnino in univerſum influere: mortem nihilominus perſonarum illuſtrium, & potentium, utpote quæ plurium in ſe intentos habent oculos, diſtinctius, & cum majori admiratione

tione conſiderari. Verum eſt dependere Cometas à cauſis naturalibus, absque ulla relatione, & cauſa mortis: cum nihilominus potiſſimum in ſigno Martis & Saturni ſituati ſint, in ſignis inquam, utroque violento, non poſſunt niſi cum prædictionibus conſimilibus influere: Stellæ enim prædictæ ejusmodi commotionibus dominium ſuum exercent; & cometæ, ſi non cauſæ ſigna nihilo ſecius dixerimus: his enim maleficis correlativa ſunt, peſtilentiæ, bella, fames, hoſtilitas, diſſenſiones, & hujusmodi alia, quæ de ſiccitate & calore proveniunt. Hæc igitur gentium animos ferocire faciunt, & pectoribus præliandi ardorem ſuggerunt. Hinc inter alios Carolus Magnus de ſua morte metuiſſe legitur, tum, cum apparuit cometes: quem tamen Eginardus Philoſophus, quaſi reprehendit, & correxit, illud Jeremiæ citans: *Nolite timere à ſignis cæli, quæ timent gentes:* Sed ſapientiſſimus ille monarcha dictum hoc reſponſo prudenti retudit: *Non metuo,* inquit, *ſigna, ſed ſignorum opificem Deum, eumque ob id veneror, quod laceſſitus hominum ſceleribus Reges & populcs hac ratione præmonet, priusquam feriat, ut ad pœnitentiam eos provocet.* Sic in loco quodam Pontanus ait:

Ex theatro vitæ humanæ. I.C. pag. 309.

. . . dirum mortalibus omen
Spargens ſanguineos, flammato vertice, crines;
Ille quidem morbosque ferens, inopinaque bella.

Et alibi.

De meteor.

Illi etiam bellique motus, feraque arma minantur
Magnorum, & clades populorum, & funera Regum;
Et dirus quatit in terras jacula aſpra cometes.

Et ante hunc Virgilius:

Æneid. 10.

Non ſecus ac liquida ſi quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut ſyrius ardor;
Illa ſitim, morbosque ferunt mortalibus ægris,
Naſcitur, & lævo contriſtat lumine cælum.

Nec minus his eleganter Sillius Italus.

Crine ut flammifero terret fera regna cometes,
Sanguineum ſpargens ignem: vomit atra rubente
Fax cælo radios; & ſæva luce coruſcum
Scintillat ſidus, terrasque extrema minatur.

Fateor hic benevole lector, me in comparatione materiarum, quas jam tractavimus, plus æquo fortaſſe in hac prolixum fuiſſe: Sed ipſe videris, o amiciſſime, ſi Laconica brevitate quadam, aut ſimplici narratione poſſibile eſt in ſcholas Philoſophorum introire, quibus mos eſt in altercationibus ſuis finem nullum invenire: unde & in campos, & in ſtoas, & in longiſſimas deambulationes, quæ in porticis fiebant, & in Peripatum ducebantur. Imo verò convenientius erit te precari, ut ſiquidem minus dixerim, quam res poſtulabat, conniventer indulgeas, id factum ratus, ne te longius diſtinerem. Ut igitur ratiocinationem hanc de prodigiis ad finem ſuum perducam: cum ipſorum adeo gentilium exhortamento concludam: quod ſicut altiſſimus in ſignum pacis per firmamentum cæli expandere ſolet, diverſitate colorum ſuorum decoratam, & inſignitam Iridem ſuam, ſic in ſignum iræ DEI, prout Imperator ſupra memoratus ſentiebat, apparere Cometas. Obſtinata duraties, & arrogantia hominum eſt, quod his ſignis nec intendant, nec commoveantur: quæ cum ſpreta fuerint, culpam adaugent, & caſtigationem divinam ultrò provocant. Magna DEI miſeratio, inquit S. Chryſoſtomus: *Minatur ſæpe Dominus, non ut opere compleat minas, ſed ut caveatis vobis, ne ad opus perducat.*

Quod divinis admonitionibus auris præbenda ſit.

Loquitur Deus ad Regem Jeroboam ſciſſo altari: ad Regem Baltaſar cum inſcriptione characterum ſuper parietem: ad Saulem cum ſciſſione pallii: ad Nabuchodonoſor, in ſimilitudine petræ de monte ſciſſæ, & ſtatuam illam eximiam conterentis: quid ultra? Ad Pharaonem, non rebus talibus, quæ magnificentiam habent, ſed lingua culicum, muſcarum, & ranarum. Ah perditio infelix! Ploravit ſuper duritiem hanc, quod videlicet emendationem vitæ ſuæ ad ſalutem recuperandam non inſtitueret, ploravit, inquam, ſalvator animarum noſtrarum ſupra Jeruſalem, devaſtandam ferro & igne, & deſolandam prædicens: *Eo quod non cognoverit tempus viſitationis ſuæ.* Amantiſſimus ille Pater ſic inquiebat: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallinæ congregant pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Hanc quoque proterviam arrogantiæ noſtræ deploravit, ſanctus Valentiæ Archi-Epiſcopus Thomas de Villa nova his verbis: *Quot bella! quot flagella! quot infortunia! Non eſt qui redeat, non eſt qui pœniteat. Inſenſibiles ſumus: & quò amplius percutimur, amplius deſipimus.* Ut ne caput noſtrum inſaniat, capilli crinitarum ſtellarum nos docent.

Luc. 19.

Serm. 4. de Dom. advent.

SIGNATURÆ.

Natura, utpote mater univerſitatis, amiciſſima homini, tanquam principali compoſito ſuo, in ſimilitudinem periti pictoris, in tabula vel tela, aëris, terræ, arborum, & plantarum, depingere facturam hominis, eandemque ad vivum exprimere cum compoſitionibus & figuris ejus gaudet. Hinc tam longos, tam criſpos, ſubtiles & varios dependere videmus muſci odoratiſſimi crines, qui inviſcerantur, & ſuſpenſi ſunt in magnis arborum truncis, & pini, & populi, & cedri, & ulmi: quos novo quodam apparatu veſtimenti alioquin neglectos, diſciſſos, ex omni parte nodoſos, & deformes, adornant. Ipſa adeo arbuſta, quæ in medio rapidorum fluminum prodeunt, videntur delectari capillitio ſuo. Quin & alga ipſa in arenis ſterilibus orta, & aquis ut plurimum deficiens, videtur Najadum aliquam ad ſe veſtiendam habere, quæ videlicet eam comis talibus induat, ut defectus nodoſus, & nuditas abortus ejus tegatur. Secum fert odorem tanto magis pretioſum & æſtimabilem, quanto magis ei naturalis eſt, ad differentiam capillorum humanorum, quorum ſuaveolentia tanto magis vilipendenda, quod emendicatis odoribus delibuti & unguentati ſunt. Unde & muſcus de Regionibus Tumbaſci & Sinæ ad nos translatus eſt, aut de veſicis animalium ſectus, quæ nardo, aliisque odoriferis herbis paſcuntur. Cum nomine muſci, etiam qualitates quasdam, odoriferas, & ſalubres nobis ſubminiſtrat. Sic herbæ quædam comatæ, in paluſtribus & aquaticis locis naſcentes, cum ſymbolicam quandam paritatem cum muſco habere videantur, qualitates ejusdem ſibi aſſumunt, adjuvando capillos, ut producantur, excreſcant, decoctis nimirum, & oleis ſuis, & extractis. Tapſia quæ nomen ab Inſula Tapſo mutuata eſt, ubi primum inventa, & cognita fuit, in fronde ſua humanorum capillorum æmulatrix eſt. Propter quod & Medici, & Simpliciſtæ omnes concludunt, eam in Alopexia potentiſſimum remedium eſſe, ad hoc, ut rurſum novi producantur capilli, qui defluxerant, & novis augmentis redintegrentur. Eundem effectum producunt, juxta mentem Apuleji, adiantum, tricomane, & polyricum, quæ tamen omnia ſub ſpecie Capilli Veneris à Dioſcoride memorati comprehenduntur; & ſicut diverſimode operantur, ita etiam varia ſortiuntur nomina, de quibus tamen muſcus ſupradictus non excluditur, qui generaliter Italico Idiomate *Brio* vocatur: quod nomen fortaſſe propter diverſitatem, qua aut criſpantur, aut depluunt, aut ſaliunt, aut aſcendunt, crinibus

Natura in ſimilitudinem Pictoris conſtitutionem humani corporis depingit.

Muſcus.

Brio unde derivetur.

bus humanis aſſignantur. Sic enim verò inanimatum extractum quoddam, rejectamentum quandoque algæ, legem dat, & nomenclaturam hominis compoſito: præter hæc & Sphagnum, & Splachnum, & & Hypnum appellatur. In quibusdam ſylvis, eousque arbores onerat, ut plus umbræ jaciat, quàm arbor foliis & frondibus ſuis.

Oſvvaldus Crollius non indocte autumat lanuginem cydoneorum, quaſi crinem quendam capitis, & vultus hujus inæqualis, in decoctionem reductam, potentiſſimam eſſe, ad reſtaurandum caput decalvatum per morbum meretricium, & venereum, dicamus verius, quàm Gallicum. Præter jam memorata, correctiva efficacia ſunt oleum Abrotoni, & ſuccus anethi. Ad quod etiam plurimum opitulatur lacerta viridis, in oleo olivarum ſuffocata, & ad ſolem expoſita; hoc oleo deinceps calvities loci inungenda, ut crinem provocet. Totum hoc intelligendum, ubi debita adhuc corporis diſpoſitio eſt. Sic ergo natura provida ſignaturis ſuis, & figuris præſervativa nobis indigitat, & remedium defectibus, & neceſſitatibus noſtris.

Hæc dona naturæ ſunt, ad hoc intentæ, ut perfectioni corporis humani ſplendorem & decorem adjungat: ſed multò eloquentius, & cum majori facundia, ad ornamenta virtutis divina gratia invitat intellectum noſtrum. Hæc in univerſum omnibus ſe communicat, hæc fons & ſcaturigo eſt nunquam
Ioan. 7. deficiens: ſi quis veniat, & bibat, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*: Sic illa Præconis voce clamat, non ſolum in privatis laribus, ſed in foris publicis:
Prov. 1. *Sapientia clamat in plateis.* Pulſat malleis Steropis
Prov. 9. & Brontis: *Sto ad oſtium & pulſo.* Vocat milites ſuos ad rupes, & propugnacula: *miſit ancillas ſuas ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis.* Gratia eſt, quia *gratis data*, & *gratum faciens*, & ab illo Deo provenit, *qui dat omnibus affluenter.* Hæc for-
In Cantic. Serm. 3. tificat animas. *Quantum quis creſcit in gratia*: ait S. Bernardus, *tantum in fiducia dilatatur.* Absque hac impoſſibile eſt invenire Deum: *Quærere Deum non poteſt anima, niſi præveniatur, ut quærat*: verba ſunt S. Bernardi. Hæc *murus inexpugnabilis eſt*: adhuc verba ſunt Bernardi. Hæc ornamentum eſt, decor, & complementum ſpiritualis ſtructuræ: *Gratia Dei ſalvat, & laborum dat retributionem.* Beatus qui hanc vocem intelligit, qui ſub hac ſecuritatem ſuam nanciſcitur, qui his Comis adornatur.

SACRIFICIA, ET HISTORIÆ.

IN tranſitu, quem juventus ab ætate puerili, ad pubertatem faciebat, hoc eſt ad annos juventutis
Comæ dedicatæ Soli. & robuſtiores, & magis ſtabiles, Idololatrarum olim mos erat, capillitium tonſum, primamque menti lanuginem dedicare Apollini. Cujus origo hæc fuit: Arbitrabantur augmentum, & incrementum animalium, & mixtorum in terris, ab humido & calido derivare. In quo hallucinati non ſunt, ſi naturam rerum ſpectemus. Numen enim hoc, tanquam Pater Caloris, ad ſe humidos vapores attrahit: itaque illud implorabant, ut eis ætas hæc feliciter eveniret, ergò de bono in melius unà cum capillis præcipuæ & firmiores corporis humani partes augeſcerent, ad ſacrificium hoc faciendum ſtimulabantur. Et quia ſimulacrum hoc depictum cernebant, & ſculptum in hac florenti ætate cum capillis, & cincinnis ſuis deauratis, & criſpis, pro iisdem Apollinem Anteſignanum, Cuſtodem, & Promotorem ſtatuerunt.

Jam ſupra vidimus hæc ſacrificia cum majori utilitate, & cum vera religione ordinata ab altiſſimo in libro Levitici: Hic enim verus Sol eſt, & lucidiſſimus, ad cujus intuitum etiam ipſi naturalis Solis radii impalleſcunt. Quis eſt, qui neſciat huic non ſolum opera, ſed & cogitata noſtra, tanquam authori, & Creatori dedicanda eſſe? Propoſitio hæc argumentis non indiget: ſufficiunt quæ dicta ſunt; juxta auream præſertim Senecæ ſententiam: *Deus ipſe quemadmodum nos tractat, ita à nobis vult tractari.* Ad hunc ſcopum collimant verba doctiſſimi Lipomanni: *Solus vult Dominus amari, & ut ſolus* In c. 17. Gen.
dominus eſt, nos exigit eſſe ſuos. Solent poëtæ, metaphorica quadam elegantia capillos nominare, *flammam ſerpentem*: Unde & ego me quoque, aliorum inſtinctu de obſcuriſſimo plectro meo inſonuiſſe memini: Capilli flammæ appellantur.

Di quel Ciel di bellezze auree fiammelle,

Has flammas igitur in altari Domini ardere oportet, prout lex Levitici mandavit: *Ignis in altari meo ſemper ardebit*, loquor de cogitationibus noſtris. De quo S. Gregorius: *Altare Dei eſt Cor noſtrum, in quo jubetur ignis ſemper ardere, quia neceſſe eſt ex illo ad Dominum flammam charitatis aſcendere.* Capilli, hoc eſt cogitatà noſtra ſemper ardeant in altari Domini.

Nec vero ſoli Proſerpinæ aut Apollini dedicatæ Comæ erant, ſed aliis quoque numinibus vovebantur. Refert Tacitus: Germanos, antequam in prælium cum inimico deſcenderent, vovere Marti ſolitos, non prius ſe caput ſuum nec raſuros mentum, quam debellaſſent adverſarium: poſthæc manipulum de capillis ligando, eum ſupra altare comburebant: ſunt autem Taciti verba quæ ſequuntur: *Quod aliis Germanorum populis uſurpatum: rara & privata cujusque audentia crinem barbamque ſummittere: nec niſi hoſte cæſo exuere votivum, obligatumque virtuti oris habitum.* Sillius Italicus hunc morem quoque Gallis fuiſſe ait, hinc ita concludit:
25. Moral. cap. 7.
Capilli dedicantur olim Marti, cum bellum eſſet.
De moribus Germ.

Occumbit Sarmcius flavam qui ponere victor
Cæſariem, crinemque tibi Gradive vovebat,

Et ut demonſtraret, quanti præfatus Gallus hanc ſuam Cæſariem æſtimârit, ſubjungitur:

Auro certantem, & rutilo ſub vertice nodum,
Sed Parcæ intonsâ (non exaudita voventem,)
Ad Manes traxêre comâ.

Hunc ritum etiam aliis nationibus conſuetum, ſic eleganter Statius refert: Theb. 6.

Flavus ab intonſo vertebat vertice crinis
Arcados, hoc primis Triviæ paſcebat ab annis
Munus, & Ogygio victor cum Marte rediſſet,

Videantur de his fuſius Dempſterus, & Turnebus. In Paralip. ad Roſ. lib. 10. c. 29.

Adhuc in veterum more poſitum fuit fluminibus dedicare crines: dum arbitrabantur, eo quod fluviorum ripæ & lecti diverſimode & ſarmentis, & ſubtilibus filamentis, & arbuſtis tanquam barba quædam veſtiebantur, hoc donum illis acceptum fore. Imò verò Iconologici non alia re quam ſpiſſiſſimis comis figuras ſuas veſtiunt. Unde & Achilles ſtans ſecus Patrocli corpus (prout Homerus meminit) ad ripam fluminis Sperchii ſic fatur: Crines dedicati fluminibus.

. . . . Sic quoque gemiſcit:
Sperchie, nec quicquam Genitor tibi Peleus olim
Oravit Patriam dulcem, te dante, viderem,
Tonderemque tibi Crines, faceremque Hecatomben.

Hoc à Statio confirmatur:

Huic & purpurei cedat coma ſaucia Niſi,
Et quam Sperchio tumidus ſervabat Achilles.

Erat Romæ antiquitus magnifica & frondoſa arbor, ad quam juvenculi exorta prima lanugine ducebantur, atque ibi tonſo capillitio votum ſolvebant, unde & planta capillaris nominata eſt. Videatur de his ad longum Pomponius. Ad hoc alludit Petronius Arbiter, Arbor capillaris Romæ.

Arbiter, cum de adoleſcentulo in hac forma compoſito ita loquitur: *Cui DEO crinem voviſti?* Hoc loco Alexander in diebus genialibus prolixus eſt.
Lib. 3. c. 22. Hoc factum Tertullianus eloquentiſſimus impro-
In lib. de Anima. perat, dum inquit: *Quis non exinde aut totum filii caput reatui vovet: aliquid excipit crinem, aut tota novacula proſecat, aut ſacrificio obligat, aut ſacro ſignat, publica & privata devotione.*

Hi ſuperſtitioſi ritus, & vani, per conſvetudinem ab Altiſſimo ſanctè ordinatam aboliti ſunt, prout in
Cap. 6. libro Numeri legitur. Sic animarum noſtrarum deſtructor ſub religionis ſpecie ſibi venerationem & cultum extorſit. Hujus meminit Guevartius, qui Statium confutando ſic ait: *Ritus (Diabolo, uti ſolet, divinum cultum æmulante) à Nazaræis Judæorum deſumptus: quibus ſolemne fuiſſe comam radere, in templo offerre, & cum ſacrificio cremare, ex ſacra hiſtoria docemur.* Contrarium nihilominus ſuſtinent
Ex Pinto Ramirez Spic. Sacr. Tract. 1. c. 33. authores ſenſati quamplures; inter quos Pintus eruditiſſimus vir, inquit: Conſvetudinem hanc à DEO introductam fuiſſe, ut cultus paganorum impius aboliretur, hancque ſententiam ſuam S. Athanaſii teſtimonio ſolidat, qui ſupra illud Levitici: *Non facietis ſciſſionem in coma capitis veſtri*, ritu planè à præfatis diverſo, ſic inquit: *Sciſſionem quidem aliter interpretati ſunt. Ego verò ſentio prohiberi hac lege capillorum tonſuram: Conſuevêre namque Græci puerorum verticem tondere, & lanuginem abradere, eamque poſtmodum Dæmonibus dedicare.* Legantur ſacri Interpretes, ſupra decimum nonum Levitici caput, non minus & ſupra vigeſimum primum, ubi concluditur: *Non radent caput, nec barbam, nec in carnibus ſuis facient inciſuras.* Deteſtatio cultus ſuperſtitioſi.

Hic uſus nihilominus non omnino in omni natione
Lib. 2. de Hippol. abolitus fuit. Recenſet enim Pauſanias, apud Trezzenios noviter deſponſatos reciprocè ſibi invicem unum alteri floccos capillorum ſcidiſſe, atque eos Hippolyto, jam ab Equis Neptuni diſcerpto, ſed ab Æſculapio vitæ rurſum reſtituto, in ſacrificium obtuliſſe: quem Hippolytum Anteſignanum nuptiarum habuerunt. Authoris verba hæc ſunt: *Apud Trezzenios Hippolyto omni vitæ tempore ſacerdos conſecratur, eique ſacrificia perſolvuntur annua: præterea & tale quippiam faciunt cuilibet puellæ: Coma ante nuptias detondebatur, temploque illatam ipſa detonſa dedicat.* Hoc à Luciano confirmatur: Comæ dedicatæ Hippolyto.
De Dea Syria. *Trezzenii virginibus, & adoleſcentibus leges ſtatuerunt; ne quis ipſorum conjugio ſe alligaret, priusquam Hippolyto comas totondiſſet.* Cenſorinus in medium
De die Nat. c. 1. affert, Diis dedicatas comas eſſe, ut ſalutem ab iis impetrarent: *quidam pro certa corporis valetudine crinem Deo paſcebant ſacrum.* Totum hoc evidentius confirmatur à Diodoro, qui de infante ægroto inquit: *Si ſanitatem recuperet, diſſectus illorum capillus diis dicabitur.* Hi ritus usque adeo invaluerant, ut eo die quo Princeps ſibi caput lavabat, in tribunalibus feriæ intimarentur, & per urbem dies feſtivus eſſet. Ita Alexander in diebus genialibus ſcripto reliquit;
Lib. 3. cap. 18. *Idus Auguſti ſervi, & mancipia, atque omnis famulatus feſtos obſervârunt: quod Servius Tullus ancilla genitus in lucem tunc editus fuiſſet, quo tempore uxoribus caput lavare felix fauſtumque precabantur. Sicut apud Indos cum Rex capillos abluit, feſtum celebrant diem, deinde invicem muſſitant, & divitias oſtentant.* Dies feſtus tum, cum Princeps tondebatur.

Hucusque de cæremoniis & ſacrificiis capillorum, quæ à vivis fieri conſueverant, dictum ſit: reſtat, quæ intuitu mortuorum, & in luctu eorum inſtituta fuerint, videre, quæ videlicet non minus quam illa ſuperiora, narratione digna ſunt. Doloris interni ſignum erat, ſiquidem mulieres apparebant capillis ſparſis, & per humeros fluentibus, ad finem usque. Unde Pedus Aldinovanus in Epicedio formoſiſſimi Germanici, qui magna Imperii ſpes fuerat, ſic ait: Capilli ſparſi ſignũ doloris.

Vidimus attonitum fraterna morte Neronem,
Pallida projectâ flere per ora Coma.

Diſcimus per hæc, non ſolis id mulieribus, ſed & viris inuſu poſitum fuiſſe. Simili modo Plutarchus refert, filias defuncti Patris cadaver ad ſepulchrum conduxiſſe paſſis crinibus, ſicut & uxores mariti. Unde Livius exactus rerum obſervator inquit: *Solvit crines, & flebiliter nomine ſponſum mortuum appellat.* Filiæ paſſis capillis defuncti patris cadaver ad ſepulchrum conducunt.
In problem.

Et Ovidius de Lucretia. Mulieres mariti.

: : : paſſis ſedet illa capillis,
Ut ſolet ad nati mater itura rogum.

Et de Philomena: Libr. de ſorore Horatiorum. Lib. 11. Faſt. Lib. 6. Metam.

Mox ubi mens rediit paſſos laniata capillos
Lugenti ſimilis.

Et de Ariadne à Theſeo. In Epiſt.

Aſpice demiſſos lugenti more capillos.

Sic etiam Tibullus: Lib. 1. Elegi.

Tu Manes ne læde meos, ſed parce ſolutis
Crinibus, & madidis Delia parce genis.

Petronius in Satyra quadam de Matrona Epheſina per dolorem tanquam infatuata, ait: *Non contenta vulgari more funus paſſis proſequi crinibus, aut nudatum pectus in conſpectu frequentiæ plangere.* De fæminis Gallicis vide commentarium Cæſaris, ubi de his ampliſſime tractatur, quæ videlicet parum ducebant promittere ſolutam comam, niſi & eandem evellerent, & eradicarent. Curtius libro decimo refert, Darii matrem cum mortem ejus ab Alexandro intellexiſſet, laceratis crinibus ſe humi mirum in modum ſtraviſſe. Etiam prudentibus viris nonnunquam eadem deliria contigerunt, prout Cicero meminit, dum ait: *Ex hac opinione ſunt illa varia, & deteſtabilia genera lugendi, pedores muliebres, lacerationes genarum, pectoris, capitis percuſſiones. Hinc ille Agamemnon Homericus, & idem Accianus.* Et paulò poſt: *Scindens dolore identidem intenſam comam. In quo facetum illud Bionis, perinde ſtultiſſimum Regem, in luctu capillum ſibi evellere: quaſi calvitio mœror ſolveretur.* Quid aliud hoc, quam dolorem dolori adjungere? nec enim evelli ſine pœna poſſunt. Præter hæc & conſvetudo illis erat fœdare & deturpare capillos, aſpergendo illos pulvere, & cineribus: Sicut de Ninivitis legitur, cum eis repentinus nunciaretur à Propheta Jona interitus: magis autem in pluribus locis de Rege Davide. Hoc ipſum de Achille memoratur in morte Patrocli, quod Homerus poſteritati tradidit. Priamus pari modo ſordidatus mortem Hectoris filii ſui planxit: Ita Virgilius de Rege latino refert.
Petronius. Lib. 6. de bello Gallico. Lib. 10. 3. Tuſcul. Capilli aſperſi cinere. Iliad. 22. Æneid. 12.

Demittunt mentes: it ſciſſa veſte Latinus
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina
Canitiem immundo perfuſam pulvere portans.

Idem ipſe alibi: 10. Æneid.

Canitiem multo deformat pulvere.

Et in morte Cyri.

- - - clade exterrita triſti;
Intonſos multo deturpat pulvere crines.

Sillius Italicus non minus eleganter:

Spectabantque viros, & læta & triſtia ferre
Indociles, nunc propexis in pectora barbis
Verrere humum, nunc fœdantes in pulvere crines.

Sic Ovidius: Metamorph. 8.

- - - lugent juveneſque ſeneſque.
Plangunt ora ſimul matres Calydonides, Oeneus
Pulvere canitiem genitor, vultusque ſeniles
Fœdat humi fuſus.

Nec

Nec tamen ulla Natio in hoc uſu tantum occupata fuit, quantum Hebræa, prout in plurimis Scripturæ ſacræ locis evidenter patet. Proinde prout tempora variabant, ſic & hominum mentes, & juxta has, ritus quoque & cæremoniæ. Unde & in contrarium ei, quod jam retulimus, nunc videndum erit, quomodo in teſtimonium luctus & mœroris muliebris ſexus, per tempus aliquod conſueverit tondere ſe: quanquam plures authores ſint hunc ritum modico temporis ſpatio viguiſſe. Ego atteſtari ipſemet poſſum, vidiſſe Zigaros, vel, ut quidam, Ægyptios, gentem vagam, & alioquin barbaram & incultam, nihilominus cum ex illis quiſpiam morte deceſſerat, quantocyus fœminas ad forfices & cultellos, me ſpectante, properaſſe, ſibique comam ſcidiſſe. De Græcis recenſet Plutarchus quod in funeralibus ſuis viri quidem comam nutrierint, fœminæ abſciderint. Accius poëta inquit:

In Kireman. funeribus. l. 13.
In Amphitrion.

Sed quænam hæc eſt
Mulier funeſta veſte, tonſu lugubri?

Apud Calabrum de Briſeide narratur, quod *tonſis crinibus Herum ſuum luget.* Dicit itidem quod *Græcia crine tonſa luxit obitum Alcæi Poëtæ.* Hoc confirmatur ab Antipatro, qui concludit:

In quodam Epigrammate.

Attonſo, impexo vertice ad usque cutem.

Viri in luctu nutriebant comam.

Sic Svetonius de Caligula refert: *Quoſdam Regulos audita Germanici morte uxorum ſuarum capita raſiſſe ad indicium maximi luctus.* De viris autem, qui in deceſſu chariſſimorum ungebant & nutriebant capillos, atteſtatur M. Tullius: *Sordidati maximâ barbâ, & capillo Romæ biennium propè fuerunt.*

4. Verr.
Lib. 44.

Livius de Legatis Alexandrinenſibus, qui Romam ſupplicatum venerant, ait: *Sordidati barba, capillo promiſſo cum ramis oleæ ingreſſi Curiam procubuerunt, & oratio, quam habitus fuit miſerabilior.* Memoriæ dedit Svetonius de Julio Cæſare: *eum audita clade Turriana, barbam capillumque ſubmiſiſſe, nec ante demiſiſſe, quàm vindicaſſet.* Sic & Auguſtus (prout idem refert) in clade Varriana fecit. Ita quoque Caligula mortua Druſilla impatiens, & ex dolore quaſi mente captus: *cum Campaniam transcurriſſet* (verba ſunt ejusdem Authoris) *noctu ab urbe profugus Syracuſas petiit, nec rurſus inde rediit, niſi barba, & capillo promiſſo.* Populus Syracuſanus hunc morem habuit, prout docet Lycophron, quod videlicet in ſuorum funere

In ejus Viro c. 68.
In eodem. c. 23.

Intonſa per tergum fluet capitis coma,
Doloris antiqui memoriam refricans.

Viri & in ſuperciliis raſi.

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis. Unde & in contrarium Nationes cultum ſuum variando, viri quoque, conſvetudinem mulierum æmulati ſunt, dum non ſolum ſibi comam, & barbam radere, ſed ipſa adeo ſupercilia voluerunt. Quid plura? Ipſis etiam equis ſuis pilos raſerunt, ſic in funeralibus publicis comparendo. Magnam authoritatem huic loco adfert Seneca, cum ait: *Dum decerpitur, ſi quid in proxima nocte ſuccreverit, dum de ſingulis capillis in conſilium itur: dum aut disjecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc inde in frontem compellitur.* Neſcio quo fundamento nixus Fridericus Morellus Profeſſor Regius, hoc axioma format, dum ait:

Equi raſi in funeralibus.

Tonſi capillo, damna rerum detegunt.

Lib. 11.

Sed hic apertiſſimè Herodotus: *Apud cæteros homines more receptum eſt, ut in luctu ſtatim capita radantur, & eorum potiſſimum ad quos jure luctus provenit:* Sic Athenæus infert: *Quamobrem in luctu nos contrà, tanquam eodem dolore tangamur, ac qui affligitur, decurtamus nos, & detonſo capillo, & detractis coronis.* Mortuo Attila univerſus Exercitus tonſo capillo comparuit, plangendo, cùm potius ridere oportuiſſet, eo quod monſtrum crudelitatis interierat. Sic Priamus in Iliade malorum ſuorum, prout authores plurimi fidem faciunt, in ſignum mœroris capillos ſibi ad cutem usque raſit. Explodit hanc ineptiam, conſvetam Ægyptiis, Julius Firmicus, dum ait: *In aditu habent Oſiridis ſepultum Idolum: hoc annuis luctibus plangunt, radunt capita, ut miſerandum caſum Regis ſui, turpitudine & deboneſtate defleant capitis.* In his Plutarchus copioſus eſt per multa capita. Diodorus adjungit, quod: *non caput ſolum, ſed & genæ, & ſupercilia radebantur.* Et Artemidorus id clariſſime expreſſit: *Vetus mos,* inquit, *in luctu ſupercilia nudari.* S. Ambroſius hos abuſus deteſtatur, ridens vanitatem Ægyptiorum, unde concludit: *Et cùm ipſa capita & ſupercilia radant, ſi quando Iſidis ſuſcipiunt Sacra.* Id quod ſpectat ad tonſuram capillorum, quæ in equis fiebat; copioſæ atteſtationes præſtò ſunt, & Herodoti in morte Mardonii, & Plutarchi in morte Epheſtionis, & Thebanorum erga fortiſſimum Belliducem ſuum Pelopidam. Sic Euripides narrat factum à Rege Admeto in luctu uxoris ſuæ Alceſtidis. Sic Perſæ intellecto fato Maſiſtii Ducis eorum, ſeipſos, & equos ſuos totonderunt.

Lib. 15. de Coron.
Ieſnand. in rebus Goticis.
De Iſide & Oſiride.
In libr. proph. Relig.
De Iſid. & Oſiride.
Lib. 1.
Lib. 1. Cap. 27.

Hi crines pari modo reſciſſi & tonſi cum pietate (Chriſtianorum more loquor de ritu infidelium) conſecrabantur, & dedicabantur defunctis, credebant enim in hoc omnem ſe poſſeſſionem donare. Et profectò ſi rerum æſtimatio non ab eo quod verè ſunt, ſed ab eo dependeat prout in veneratione & pretio ſunt, pauca non dabant; In tanta enim æſtimatione capillos habebant, ut Abſalonis cincinni detonſi, magno auri pretio venditi fuerint. In hac igitur forma oblationes fiebant: Quidam populi eos ſupra defuncti pectus jaciebant: alii verò ſupra ſepulchrum: alii proinde in veſtibulo & portis domorum eos ſuſpendebant. De hoc, quod ſupra pectus jaciebantur Maximus Tyrius diſcurſum copioſum habet, unde concludit: *Ultimum quod jam ſepulto donari poteſt, munus.* Sæpe de hoc ritu meminit Dionyſius Halicarnaſſæus, ubi ait: filias Virginii in ſignum doloris projeciſſe ſupra lectum: *Vittas virginalis comæ, & detonſos crinium tortorum cincinnos.* Hinc Propertius:

Crines ſparſi ſupra pectus defuncti, aut ſupra ſepulchrum, aut affixi in introitu ædium.

Orat. 8.
Lib. 11.
Eleg. 17.

Illa meo caros donaſſet funere crines
Molliter, & tenera poneret oſſa roſâ.

Hinc etiam Petronius, non ſatyrizando, ſed potius laudando Matronam quandam Epheſinam, concludit: *At illa ignota conſternatione perculſa laceravit vehementius pectus, ruptosque crines ſuper pectus jacentis poſuit.* Ovidius pariter deſcribendo mortem Narciſſi hanc narrationem inſtituit:

Metamorph. Lib. 3.

- - - - - planxere ſorores
Najades, & ſectos fratri impoſuere capillos.

Sic Statius:

- - - tergoque & pectore fuſam
Cæſariem ferro minuit, ſectisque jacentis
Obnubit tenuia ora comis.

Rurſum Ovidius:

De Faſtis.

Mixta bibunt molles lacrymis unguenta favillæ,
Vertice libatas accipiuntque comas.

Idem:

Epiſt. ad Can. ad Macarium.

Non mihi te licuit lacrymis perfundere juſtis
In tua non tonſas ferre ſepulchra comas.

Sic Anna ſoror Didonis evulſis de capite ſuo capillis eos ſupra rogum illius, dum arderet, projeciſſe fertur. Sic de Cariclea pro conſorte ſuo Caliſyro recenſet Heliodorus: Helena, ſecundum Euripidem, *Crinium ſummitates truncavit, & ad Clytemneſtræ urnam offerre ſe dictitavit.* Sic Teucer filio ſuo imperat, ut præfato modo matri ſuæ votum ſolvat. Refert Plato, Socratem jam jam moriturum fuiſſe: *Itaque inquit Phædon contrectans poſteriores capitis mei capillos, quibuscum ſæpiſſime ludere ſolebat, cras dixit ò Phædon, hanc pulchram comam reſecabis.* Seneca in Tragœdiis ſuis Phædrum introducit ſic loquentem:

In Phædro Act. 1. Scen. 1.

Placemus umbras: capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe abſciſſam comam.

In hunc modum & de Achille apud Homerum, dum tracta manu crines ut inde Patroclo ſacrificium redderet, ſic refertur:

Ante pyram aſſiſtens rutilantem præſecat ultrò
Cæſariem, quam Sperſhicio nutriverat amni.

Hoc idem feciſſe Antoninum Imperatorem in morte Liberti ſui Feſti, Herodianus memorat, ſic concludens: *cumque eſſet raro capillitio, & crinem quæreret, ut imponeret ignibus, ridiculus fuit omnibus. Nihilominus tamen quos habuit capillos totondit.* Suſpenſio capillorum defuncti, & parentum ſuorum ad portas ædium cum hoc præterea uſu fiebat: Inter alios Scaliger id recenſet, ad liminare domus ingens vas luſtrali aqua plenum ſtetiſſe, acceptum de domo quadam, in qua eodem Anno nil ſiniſtri accidiſſet: hac qui ad funus proſequendum incedebant, aſpergebantur: ſic Pollux memoriæ tradidit: & Suidas ſimiliter, vas de terra coctum erat, inquit Heſychius. Portæ autem affixi erant capilli defuncti, unde pars una apud Euripidem in Alceſte conqueritur, dicendo: *Non video ante portam, ut lex eſt, lavacra pro mortuis: nulla coma præciſa eſt in veſtibulo, quæ accidunt in luctu mortuorum.* Totum hoc obſervatum fuit ab eruditiſſimo viro Caſaubono in Commentario ſupra Theophraſtum.

Crines portæ affixi.
Aqua luſtralis.
Lib. 3.

Fateor me hic aliquantum prolixius diſtentum fuiſſe, mi Lector, ſed unde melius ad ſolamen animarum, & ad piam defunctorum memoriam (negotium tam utile, tamque expeditum) animari fideles poſſunt, quàm cum paganorum erga defunctos ſuos tam eximiam viderint pietatem? ad verecundiam & ruborem faciei eorum, qui cum tot bona à prædeceſſoribus ſuis acceperint, forte, ſi ſuperis placet, in tot annorum decurſu, nec unicam eorum memoriam habent, aut ſuffragium præbent. Atque hæc eſt illa crudelitas, quam S. Auguſtinus ſanguineis lacrymis deplorat, dum ait: *O mira inhumanitas, cadit aſinus, & omnes eum ſublevare feſtinant: clamat fidelis in tormentis potius, & non eſt, qui reſpondeat.* Ne forte igitur, quod pudendum ſit, à pietate gentilium vincamur, idem ipſe nobis, cum certa retributionis ſpe inſinuat: *Ora pro defunctis, ut dum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant: Expectant enim nos, ut juventur per nos.* Dici nequit, quantum valeat, vel unicum ſuſpirium à fideli Chriſtiano de imo pectore prolatum.

Adjutorium animabus in Purgatorio præbendum.
Serm. 44. ad fratres in Eremo.
ibidem.

PHYSIOGNOMIÆ, ET SOMNIA.

Capillus criſpus,

QUi corporum colores obſervant, ſicut & eorum complexiones, referunt, capillum criſpum magnanimitatem cordis arguere, caloris enim illic abundantiam eſſe, qui partes illas arefaciat, & comburat, unde tanquam ſemiuſti ſeſe retrahunt, prout in ſarmentis, & virgis igni traditis apparet: quamvis & de his dici poſſit, evaporationem ardentem eſſe, quæ in illas partes elata, ejusmodi arſos, & ſemiambuſtos crines poſt ſe relinquat. Dicunt præterea prolixum, & rectum denotare ruſticam complexionem, & mores incompoſitos & plebejos. Eum verò qui mediocriter cincinnatus, & mediocriter prolixus compoſitione moderata de utraque qualitate participet, arguere complexionem, & compoſitionem moderatam, ſuccum bonum, & calorem debitum, & qui juſtam proportionem non excedat. Capillus durus, in ſimilitudinem ferarum, hominem aſperum, durum & intractabilem portendit, ſicut animalia ſunt ſylveſtria, & nemoribus aſſueta. Mollis, copioſus, delicatam & muliebrem complexionem indicat: unde etiam in hoc moderatio præfertur. Comæ nigræ duplicitatem animi, & vafritiem morum ſignificant. Subalbæ & rufæ, ſicut ſunt Scytharum, ruſticitatem & ignorantiam. Quæ leviter coloratæ in ſubobſcurum colorem more caſtanearum vergunt, docilitatem notant, & proſperitatem infantis. De his coloribus nonnihil etiam Martialis attulit, cum de Zoilo ſic ait:

longus
Mediocris,
Durus,
Mollis;
Comæ nigræ.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus,
Rem magnam præſtas Zoile ſi bonus es.

Nolim ego interim omninò prognoſtica hæc rejicere: ſi enim à mediocritate judicium ſumatur, quantum extremitates elongentur, facile patet: quæ ſi violenta ſunt, ſubſiſtere nequeunt. In hac grandi bilance Aſtræa regnum ſuum fundavit: ſub hoc grandi æquatore Sol rationis curſum ſuum tenet. Si Phaëton, ſi Icarus his viis incedere noviſſent, eorum alter Icariis aquis nomen ſuum non dediſſet, nec alter contra ſe infeſta fulmina patris ſui, in medio honorum ſuorum curſu provocâſſet. *Meum* enim ac *tuum* ab hac ſemita declinant, propter quod etiam *frigidum verbum* appellantur, eo quod omnium malorum origo ſint. Per hanc ſemitam feliciter decurrunt Eutrapelia, & Epicheia, quippe quæ utraque nimiam legis aſperitatem moderando ſplendorem & decorem throno Juſtitiæ addunt. Si quisque in negotiationibus & contractibus ſuis tam ſeverum Pythagoricæ ſcholæ præceptum obſervaret: *nec ultra, nec citra*: utique cum maturiori judicio nonnulli viverent, & tractabiliores ſe præberent. *Modiocritate ſecluſa, ubique malum eſt*: ajebat Chryſoſtomus: quod punctum optime etiam à M. Tullio expreſſum fuit, dum inquit: *Mediocritas ad omnem cultum usque vitæ referenda eſt: in omnibus rebus mediocritas eſt optima.* Et Ovidius præcepta Solis, quæ filio ſuo Phaëtonti dabat, ſic concludit:

Æquitas.
In Act. Apoſt. hom. 16.
1. Officior.
1. Metam.

Inter utrumque tene: medio tutiſſimus ibis.

Sed quid placuit Artemidoro, homini deliro, ſerratis oculis, videre velle, imò & prævidere? Nihilominus ſcripto reliquit, ei qui ſe tonſum eſſe ſomniaverit, id felicitatis, & lætitiæ præſagium eſſe: poſthæc verò in alio quodam loco, ſuimetipſius immemor, ex diametro huic contrarium docet: *Capillitio,* inquit, *privari caput, mortem ſignat amicorum,* hinc iis quæ ſupra dixerat, confeſtim adjungit, ſibi ipſi alapam infligens: *Si quis ſeipſum tondeat, luctum ſubitaneum, aut calamitatem malis magnis refertam ſignificat: qui enim in talibus verſantur, neceſſariò ſeipſos circumtondent.* Vult ergo hic Author, quod conſuetudo captivorum phantaſiam dormientium adeat per noctem, ut illi hæc eventura infortunia ſuggerat. De hoc Poëta Aſtrampſicus non diſſentit, in Senariis ſuis Onirocriticis, qui ab Adriano Julio in latinum translati, ſic habent:

Lib. 1. c. 23.

Damnum in negotiis coma abraſa indicat,
Diſcrimen ingens, ſi cadant crines notat.

Ita etiam his veſtigiis incedens Fridericus Morellus ſcribit:

Tonſi capilli damna rerum detegunt:
Fluxus capillorum, periculum edocet.

Satyr. 12. De hoc quod Juvenalis inquit:

Tunc ſtagnante ſinu gaudent ibi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula Nautæ:

De hoc, inquam, occaſionem ſumit præfatus Artemidorus, curam injiciendo Nautis, qui mare navigant, ut videlicet præter innumera pericula, quæ paſſim incurrunt, etiam hunc illis metum imprimat, ſiquidem ſomniaverint capillos ſibi reciſſos, & decalvatos eſſe, certum illis hoc prognoſticon imminentis eſſe naufragii. Si idem contigerit infirmis, ultimum illis inſtare vitæ periculum: quaſivero & ſalus, & mors hominis dependere poſſit à crinibus. *Ex Aldronan. Hiſt. monſtrorum fig. 150.* Cardanus itidem refert, ſe per capillos intelligere domorum tegulas, earumque ornamenta, & decorem: ſic qui ſe crinibus ſuis privatum ſomniaverit, id ei adverſitatem & afflictionem præſagire. Ita enimvero ſcriptores hi imaginationes varias & phantaſmata nobis exponunt, dum tamen dormientibus oculus clauſus nil videat, ſopiti ſenſus nil audiant: nil ſentiant aggravati vaporibus: immò & tot plumis circumdati, careant volatu omni: ſed diſtenti jaceant, immobiles, pigri, ſomno capti, & miſere inter laqueos, quos eis frater mortis tetendit, ſopiti recumbant. *In ſpeculo.* Unde & Cato ajebat: *Nihil eſt tam ſimile morti, quàm ſomnus:* & hinc S. Auguſtinus docet: *ſomnia non eſſe obſervanda.*

Sic ergo hucusque Capillis immoratus ſum: & te, benevole lector precatum velim, ut non mihi improperes, quaſi qui levitate adductus id fecerim, imitando capillorum vanitatem: ſed occurrat tibi ornamentum eos capitis eſſe; & quamvis leves ſint, ponderoſa nihilominus, prout audiſti, documenta inde afferri poſſe. Ornamentum, inquam, & decor, ſi verum diffiteri nolumus, de quo S. Ambroſius, tum cum de rebus altiſſimis tractaret, non verecundatus *Lib. 6. Hexaem.* eſt meminiſſe, dum ait: *Comam eſſe reverendam in ſenibus, venerandam in ſacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram adoleſcentibus, comptam in mulieribus, dulcem in pueris. Tolle arboris comam, arbor ingrata eſt. Tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flacceſcit.* De hoc etiam cantare Ovidius geſtiit, quem Sanctus ille citat, prout ſequitur: *præſto Ovidiana id comprobans ſententia:*

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Ex theat. vitæ humanæ Capilli. p. qu. 74. Non videntur mihi Encomia capillorum omittenda, quæ illis porrigit Apulejus: *Mulier venuſtiſſima, ſi capillitio nudetur, licet illa cœlo dejecta, Mari edita, fluctibus educata, licet, inquam, Venus ipſa fuerit, licet omni gratiarum choro ſtipata, & toto cupidinum populo comitata, & baltheo ſuo cincta, cinnamomo fragrans, & balſamo rorans, ſi calva proceſſerit, placere non poterit nec Vulcano quidem ſuo.* Gloria jam olim, & præcipua Hiſpanorum jactantia erat in prolixitate capillorum: unde Martialis:

Hiſpanis ego contumax capillis.

Lib. 1. c. 18. Alexander ſcripto reliquit, Reges Indiæ cum maxime capillos ſuos compſiſſent, & diſcriminaſſent, tum eos leges, & ſolemnia decreta Regni promulgaſſe. Spartani non prius ſe ad expeditionem militarem, contra inimicos ſuos parabant, aut in prælium exibant, quàm cùm plus ſolliciti de capillatura ſua unguentata & delibuta, quàm de ſcuto & miſſili ſuo fuiſſent. Apud nobiles Gallos uſu receptum fuit, ut à primis juvenilibus annis, colerent & nutrirent comam ſuam: eamque filis ſericis colligarent, & innodarent, auroque ſuaveolenti, & decoro intertexerent. *Ioan. Till. l. 1. de rebus Gall.* Tillius rerum Gallicarum ſcriptor recenſet, ex hoc comarum apparatu Burgundos in campo filium Clodovæi Regis agnoviſſe, & occidiſſe. Verè caſtra locus deliciarum, aut luxûs non ſunt, ſed illic valor Martialis, & pugna imperterrita vigere debent: ubi miles, ſub ferro indurandus, non verò ei his munditiis laſciviendum. Interim tamen manet illud ſine conteſtatione, ornamentum vultus capillos eſſe.

EPITHETA.

QUemadmodum per denominationem quandam, aut proprietatem ipſa rerum quandoque etiam non nominatarum notitia pateſit (ſic in exemplo, de riſibilitate à Philoſophis ratiocinatio hominis, ſicut & virtus ejus diſcurſiva definitur) pari modo non raró per Epithetum, vel adjunctum ad dignoſcendam objecti de quo mentio fit, aut quod nominatur, proprietatem pertingimus: ſive illa ſit accidens, ſive cauſa. *Epitheta ſignificant, & patefaciunt rerum ordinem.* Hinc Mantuanus, cum capilli potiſſimum genarum & vultus ornamentum ſint, formoſos eos appellat: *Formoſos circum Virgo removere capillos.* De munditie vero Horatius eos lucidos nominat: *Quem tenues docuere togæ, nitidique capilli.* *In Cyro Lib. 1 Epiſt.* Eo quod quandoque unguentis delibuti ſunt, ſupramemoratus eos molles nominat: *Et molles imitabitur ære capillos.* *In arte.* Sic Ovidius odoratos dicit: *Ibat odoratis humeros perfuſa capillis.* Eosdem flavos dixit: *Forma placet, niveusque color, flaviq; capilli.* Idem cum eos humectatos videret, hunc verſum elegantem dedit: *Littore ſiccabant rorantes rore capillos.* Martialis eos dulces vocat, non quod tales in effectu ſint, ſed quod auſteritatem, & ruſticitatem vultus ad humanitatem componunt: *Conſilium formæ ſpeculum, dulcesque capillos.* *Lib. 9.* Propter eandem rationem à Sidonio teneri appellantur: *Lambebant teneros incendia blanda capillos.* Pontanus propter nitiditatem pexos appellat: *Hinc choreæ, cantusque placent, pexusque capillus.* Ab eodem ob fulgorem quem habent, fulgidi nominantur: *Ipſa refulgentes auro interplexa capillos.* Eo quod ſe diverſimode diſtendunt, ſic ſe exprimebat Manilius: *Effuſi ſcapulis haſêre capilli.* *Lib. 5.* Titulum conſpicui, ob pulchritudinem adepti ſunt: *Cœlia conſpicuos ornarat flore capillos.* Mordax Satyricus, pro ſolito ſuo, propter levitatem puellares vocat: *Ora puellares faciunt incerta capilli.* *Satyra 15.* Eo quod inſignes eſſent candore ſuo, à Politiano nivei appellati ſunt: *Atque oculos canis, atque manus, niveosque capillos.* Capilli longiores prolixitatis nomen ab Ovidio mutuati ſunt: *Squalida prolixis, qui tegit ora comis.* *lib. 4. triſt.* Decori nominantur à Statio: *Mollisque decoræ, margo comæ.* *lib. 2. ſi* Splendidi à Seneca: *Per has Senectæ ſplendidas ſupplex comas.* Ab eodem teneri: *Teneram eruente falce depoſuit comam.* Severi à Statio: *Diveſque ſeveras fronde ligare comas.* *In Achil.* Deaurati à Pontano: *Quæ nitet aurata cythria ſylva coma.* Ab Augurello floridi: *Ut vi nitente florida jocus coma.* A Tibullo inſignes: *Et gerit inſigni myrthea ſerta coma.* Propertius eos laudatos nominat: *Gaudet laudatis ire ſuperba comis.* Polus pendentes: *Comas decenter pendulas.* Seneca breves: *Te brevior coma, nulla lege jacens.* *lib. 1.* Statius virginales: *Virgineas libare comas, primosque ſolebant, excuſare thoros.* *lib. 2.* Verſicolores Polus: *Verſicoloribus ardet terra comis.* Sed de tot proprietatibus, cauſis, accidentibus, ſubſtantiis, & coloribus, ne pars quidem adduci poteſt, quæ menſuram debitam adimpleat, & rei magnitudini correſpondeat: nihilominus, qui plura deſiderant, ad manum eis eſt Authorum numerus infinitus, qui curioſitatem ſatiare poſſit.

Sed

Sed hìc non ſine altiſſima conſideratione prætereundem eſt, quod cùm tam inſigni pietate Magdalena quondam egit, dum ſacratiſſimos Redemptoris noſtri pedes capillis ſuis terſit, quos lacrymis rigaverat: factum, in quo devotiſſimi & ſanctiſſimi ſcriptores eruditas pennas ſuas exercuerunt.

Itaque cum hoc actu tam religioſo tam pio hunc tractatum meum concludo, ubi dum imaginem præfatæ Sanctæ ex ambra elaboratam intuitus ſum, reflectendo ad hanc peccatricis actionem, hoc infra poſito verſu poëtico finire volui, qui cum capillorum mentionem faciat, non eum huic loco incongruum, aut ſyncathegorematicum ratus ſum. Sic enimvero Muſa mea imbecilla, innixa merito tam ſublimi tam ſancti fervoris, & tam generoſi, ſpacium habebit, ubi imperfectionem ſuam occulere aliquantum poſſit: Imo verò pro communi axiomate: *Oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcunt*, ſplendor tam magnanimæ actionis in tam excelſa Heroina tanto magis promovebitur. Subjectum autem tale eſt.

Sancta Maria Magdalena d'Ambra.

Maddalena è d' Elettro? oh come ardente
Scender qui veggio il ſuo divino amore:
Se con moto leggier l' Ambra al colore
Mobil a ſe lo ſtel trae di repente
Di tal luce ſi ſgombra al ſole ardente
Qui del peccato il piu funeſto errore;
E di tal gemma il raggio al Redentore
Cinger le tempie auguſte anco è poſſente,
Se compoſto di pianto è un ſi bel miſto
Qui di ſalute al' Ame in argomento
Piange la Maddalena a i piè di Chriſto.
E ſe d' argento, e d' oro è il bel portento,
Piouon qui a far del Paradiſo acquiſto
O ro le chiome *& le pupille argento.*

FRONS.

ECce pertigimus hic ad faciei ſpeculum, indicium affectuum, & paſſionum cordis: unde ſi ſerena & tranquilla frons eſt, eandem internorum cordis motuum compoſitionem: ſi vero rugoſa, & nubibus ſuis involuta, nimbum rancoris, amaritudinis, & doloris in corde demonſtrat. Tabula eſt frons, in qua imagines diverſæ notantur: Teleſcopium, per quod non raró etiam affectuum, & cogitatuum maculæ deteguntur. Frons potiſſimum eſt, per quam ab irrationalibus brutis diſcernitur homo. Hoc ipſum Sulmonenſis poëta voluit, dum inquit:

Metamorph. Fab. 1.

Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Quæ ſententia à Ludovico Dulci ſic Italicè redditur:

L' Huom ſi come piu nobile, e gentile
Volſe, che dritto al cielo alzaſſe il volto,
Accio che luy mirando comprendeſſe
Che qual ſuo albergho, & patria eſſer doueſſe.

ANATOMIA.

OCto ſunt cranii oſſa: duo ſincipitis, duo temporum, os Sphenoides, ac Ethmoides, oſſa occipitis, & os frontis. Hoc poſtremum à Græcis & barbaris coronale, & à multis obſervatoribus, inverecundum nominatur: cum juxta mentem Ariſtotelis frons indicium pudoris ſit: unde & vetus adagium fuit: perfrictæ frontis eſſe, quod de iis dicitur, qui pudorem omnem, in genis alioquin apparere ſolitum, exuerunt. Hæc frons, ſuperiorem faciei partem conſtituit, & interiorem calvariæ. In quibusdam os unicum eſt, in quibusdam duplex, quibus nimirum commiſſura ſagittalis ad intercilia usque & radicem narium derivat. Falopius vult in infantibus duplex eſſe, Ariſtoteles non niſi unicum: ſed prout potiſſima Doctorum pars ſentit, uterque hallucinatus eſt. Hoc os ſemicirculare eſt, & ſecundum externam faciem læve, & politum, ſecundum internam inæquale: In ſuperiori parte elevatum eſt, & prominentiam habet, in inferiore, cavum, & profundum eſt intuentibus, fulcimentum & tutela oculorum. Subſtantiam admodum craſſam habet, tenuiorem nihilominus occipitio: nec tamen ejuſdem ubique craſſitiei eſt, in ſuperiori enim rotunditate oculorum ubi ſupercilia terminantur, & ubi ampliores ſinus, & capaciores ſunt, à veteribus ignorati, magis tenue, & rarum eſt. Os hoc in parte ſuperiori à commiſſura coronali circumſcribitur, & hoc pacto ſincipiti jungitur. Ab inferiori parte ſextæ & ſeptimæ commiſſuræ copulatur, quibus nempe à Sphenoide ac Ethmoide diſtinguitur. Hic multa obſervanda ſunt: primùm foſſa duplex (non aliter ac ſi ſuprà caput hominis natura collocare ſepulchrum voluerit, ut frequens ei mortis non deſiſtat occurſare memoria) hæ cavitates per modum valli ſuperiorem capitis rotunditatem conſtituunt. Hinc foramina bina ad ſedem usque ſuperciliorum egrediuntur. Pariter & interius binas foſſas præter ſupradictas continet, quibus cerebrum, una cum amfractibus, & prominentiis ſuis includitur, ad quem uſum etiam fabricatæ ſunt. Denique rurſum duo ampliſſimi ſinus illic ſunt, poſiti infra ſquammas vel laminas duas ſuperciliorum. Hi diſcreti & compoſiti ſunt, inter fibras, oſſa, & ſquammas minuſculas: ubi corpuſculum molle & medulloſum continetur, viridi membrana inductum. Quidam hos ſinus ita formatos opinantur, ut inde vox humana diſtinctior, & magis ſonora egrediatur. Alii autumant hic elaborari, & diſtineri vehiculum odorum: & ſic fieri generationem, & expurgationem ſpirituum animalium. Hæc ſufficiant, ad hoc, ne univerſæ deſcriptioni pars aliqua deeſſe videatur. Qui verò cum majori exactitudine elaborare frontem nititur, & profundius in ſpeculativam, & eruditam praxin penetrare, campus ei tot voluminum apertus eſt, quæ ad beneficium noſtrum quotidiè in lucem prodeunt, & de prælo producuntur, ut ſatisfieri ſtudio ejus, & applicationi & genio abunde poſſit.

SYMBOLA.

ALdrovandus vir doctiſſimus recenſet, vidiſſe ſe tabulam, in qua manus picta apparebat, frontem capitis cujusdam indice digito demonſtrans, cum ſequenti Epigraphe: *Frons hominem præfert.* Atque hoc eſt illud quod jam dictum, & dicendum eſt. Frons enim decorum frontiſpicium eſt characteris ejus, qui in corde celatur: lingua cogitationum, idea internorum, & ſi verum fateri volumus, genuina cordis ſinceritas, quæ cum externis actibus conjungitur, & unitur ſplendidiſſima, & tutiſſima moneta, quæ cum fœnore multo diſpendi ad utilitatem poteſt, hominemque opulentum, poſſeſſione ditiſſima reddit. Quisque ſine metu, & ſecuris pedibus *Sinceritas animi, proficua eſt, & multum neceſſaria.*

flumen tranſvadare poteſt, cujus limpidæ, & chryſtallinæ aquæ, pellucida claritate fundum demonſtrant, & vadum, lectúmque non abſcondunt. Huic fronti, imo vero toti faciei Joannes Ferri hoc lemma ſubſcripſit: *Raro fallit.* Hanc frontis cordisq; concordiam quidam modernorum celebrando, ſic ajebat:

Nempe micat roſea Sapientis fronte coruſcus
Splendor.

Mutuatus, ni fallor, ſenſum hunc à Claudiano poëta, qui ait:

Frons expirantis præportat pectoris ignes.

His rationibus ductus S. Bernardus, perfectæ prudentiæ regulas, quibus mores, & Inſtitutum Chriſtianæ converſationis, tanquam ad normam veram componantur, ſorori ſuæ dictavit, ei ſuggerens: *quod facies hominis, ſpeculum eſt cordis.* Non ignoravit hoc M. Tullius, dum inquit: *Vultus, ac frons animi eſt janua, quæ ſignificat voluntatem abditam, ac recluſam.* Bonum eſt ſi ſicut cucurbita fuerit, de qua dici poterit: *abſque notis, & rugis.* Diſtillatorium, cui hæc verba ſubſcripta ſunt: *Clara quæcunque profert*: Speculum quod gloriatur: *cunctis æque fidem*: Horologium cum hoc lemmate: *Cio che cela nel ſen, ſcopre nel volto*: Hoc eſt: *Id quod in ſinu celat, in vultu profert*: Inventio dulciſſimi compatriotæ mei, & poëtæ Hieronymi Preti. Hæc præclarados animi ſi defuerit, aut docenti, aut ſcribenti, aut ratiocinanti, aut contractus ineunti profundioribus ſe tenebris involvit, & ſpiſſiori vapori, quam ſi antro Trophonii vel ſtygi incluſus fuerit: Sententia Juſti Lipſii eſt: *Candor ſi abeſt à ſcriptis, nebulæ & livor ſunt, nec illuſtrabit ea diuturnior lux famæ.* Sic ad Encomium ſinceriſſimæ venuſtatis, & Eloquentiæ, de Angelo Scholarum inquit Eccleſia: *Scripta ejus, & multitudine, & varietate, & facilitate explicandi res difficiles adeo excellunt, ut ob eam cauſam etiam nomen Angelici ſit adeptus.* De his hactenus: fortaſſis alibi copioſior, & diffuſior futurus ſum.

In petit. Conſul.

Centuria ſing. ad Germanos.

Epiſt. 49.

Brev. Roman.

NOTÆ ANTIQUORUM SUPRA LITERAM F.

CUm antiqui hanc literam ſine voce denotare vellent, prout Joannes Baptiſta Porta refert, manu frontem tangebant. Sic litera hæc obſervata fuit, tanquam ſemivocalis, quæ multum ad ſignificationem, & complementum dictionum, & vocabulorum contribuit, ſic à veteribus multum annotata fuit, quippe qui paucis junctam literis, ſignificare multum volebant. Ego verò (ſicut mihi conſtitutum eſt, de materiis hiſce, non cum omni omnino exactitudine ratiocinari, ſed quaſi anſam præbere, ut poſtea in ſignificationibus me diſtendere latius valeam) unam hic & alteram notam allaturus ſum, per quam pateat, in quanta æſtimatione, in quanto pretio antiquitas characterem hunc habuerit, is videlicet, qui ex partibus corporis humani nobiliſſimam hæreditavit. Igitur FR. ſignificabat: *fratres*, vel *Forum Romanorum*, Eædem literæ conjunctæ his P O M. *Forum Pompeji* denotabant, F. E. D. ſignificabat *Factum Eventu Dubio.* FR. F. *Fratris Filius.* FR. J. *Forum Julii.* FR. L. *Forum Liviæ.* F. S. *Forum Sempronii.* FS. E. *Factus eſt.* F. T. C. *Familia*, vel, *Famula Teſtimonii Causâ.* F. J. *Fieri Juſſit.* F. B. *Fraude Bona.* F J C. *Fiſcum* vel *FIdei-Commiſſum.* F I D. *Fides.* FIC. RP. C. *Fiſcum Reip. Cauſa.* FID. D. *Fide Dignus.* FID. IMP. *Fides Imperatoria.* FOR. RED. *Fortunæ Reduci.* F. H. *Filius Hæres.* F F. *Fecerunt, Fabricaverunt, Fefellerunt, Fabrefactum.* Hæc ergò aut brevitatis affectatæ gratia, aut vocabulorum parſimonia, obſcurâ in ſignificatione ſua, aut alio quodam myſterio recondito ſic notabantur: atque ut ſenſum mentis abſconditum, idonea ſignificatione exteriori exprimerent, alienis quandoque literis per compendium ampliores ſenſus, & copioſiora verba delineabant.

Notæ antiquorum ſupra literam F.

HIEROGLYPHICA.

Rex Janus.

AB antiquis Idolorum cultoribus usque adeo Janus Rex in veneratione habitus eſt, ut pro more temporum illorum, ad cœlos usque elevatum, divino cultu latriæ adorarent; nec contenti menſem ei Gamelionem, qui apud nos Januarius dicitur conſecrare filium Saturni eum eſſe rati ſunt: utque in eo perfectam rerum cognitionem, & ſubſidium in omni mundi eventu denotarent, non eis ſuffecit frons unica, ſed quaternam ei affinxerunt indicando per hoc (prout optime in hunc locum ſcripſit Obſervator Valerianus) quatuor anni qualitates, & tempora. Hunc etiam promotorem fauſtum principiorum omnium coluerunt, hinc & mediatorem rebus jam cœptis, tum & finiendis, & complendis Patronum, qui quaquaverſum oculos vertat, invigilet & ſuccurrat. Hinc etiam fana in honorem illius erecta, ſtructuræ quadrangularis erant, in quæ pretioſiſſimæ merces locabantur, venum etiam dari ſolebant: In his ditiſſimæ & ſplendidiſſimæ nummulariorum menſæ pandebantur: & circum circa capacia domicilia erant, in eorum uſum de quibus ſupra meminimus. Ab hoc ſimulacro ſalutaria, & illuſtria documenta opinati ſunt prodire. Hinc Horatius:

Lib. 32.

Hæc Janus ſummus ab imo perdocet.

In hàc omnino forma depingi, & repræſentari figuram boni Principis poſſe arbitror, aut vero Miniſtri, aut Belli ducis: quorum officium eſt, ad providenda damna imminentia, & procuranda reipublicæ commoda, ubique frontem & oculos obvertere. Saluſtius Criſpus, prout refert Tacitus, volens de lethargo turpiſſimo infamium concupiſcentiarum, exuſcitare Tiberium, eum monuit: non tantùm Senatui authoritatem indulgendam, tempore quo eum abſoluto gubernare oportebat imperio: ſed neſcio ſi exhortamentum illud locum invenit, in viro tot libidinibus fœdis immerſo, & langueſcente. Grande præceptum, quod Plutarchus de Perſarum Regibus refert, quibus id conſuetum erat, cubiculariis ſuis imperare, ut ad ſolis ortum, feneſtra patefacta, in aurem illud inſonarent: *Surge Rex, eaque cura negotia, quæ te curare præcepit Meſoromasdes*, qui Fundator Regni fuerat.

Princeps: Belli dux: miniſter: vigilans.

Lib. 1. Annal.

Canis humi cubans, leporem non venabitur, nec cuſtos pede dolens ad metam pertinget. Per univerſa mundi ſæcula nominatiſſimus erit Veſpaſianus Imperator ille magnanimus, propter eximias virtutes, quibus decoratus fuit, præcipue autem ob hanc, quam affert Suetonius: quod videlicet: *Calceabat ſe, & amiciebat, poſtquam deciſa, quæcunque obveniſſent negotia.* Non dormit aquila, tum cum filios ſuos legitimos à ſpuriis diſtinctura, prima omnium ſuſpenſa in aëre fixis oculis lumen ſolis intuetur, unde etiam hæc Epigraphe ſubjungitur: *provocat exemplo.* Sic Xenophon Cyrum ſuum inſtruebat: *Atque in rebus gerendis, ſi quid in æſtate fecerit debet Imperator tolerare plus Solis, & id quidem non occultè: in hyeme vero plus frigoris: in laborando plus laboris. Hæc nomina conducunt ad amorem ſubditorum.*

Cyropedia.

Hæ frontes Jani, repræſentare divinam quoq; providentiam poſſunt, quæ cum tota mens ſit, quoquoverſum videt, cognoſcit, operatur, invigilat, aſſiſtit: Hoc

Providentia divina.

Cap. 6.

Hoc ipſum Redemptor noſter ore ſuo protulit illic apud S. Matthæum: *Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent: dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis.* Sic nec in omni ſerico ſuo, nec in omnibus Erithræi Maris gemmis, nec in omni argento, & auro Indico unquam Rex ille inclytus tantopere glorioſus apparuit, quantum in agro floſculus unus eſt, qui tanto magis coopertus, tanto felicius veſtitus eſt, quantò magis derelictus, & ſolitarius videtur. Intellexerunt hoc non ſolum ſapientes credentium & fidelium, ſed & paganorum: *Divina providentia*, inquit Xenophon, *communiter omnibus ad utilitatem providet: quæ autem rebus accidunt noxia, & interitum afferunt, materiæ infirmitatem ſequuntur.* His ſubjungebat Didymus: *Omnium cogitationum abſcondita cognoſcens opifex, omnibus providet; non ſolum ex his, quæ cogitantur, & aguntur, ſed etiam ex iis, quæ ipſe prænoſcit, & meliora quævis, & auctiora reddens.* Acutiſſimus Galilæus, cum ingenioſiſſimo Teleſcopio prudentiæ ſuæ, nondum penetrare potuit, quâ ratione Deus, etiam remotiſſimos cogitationum noſtrarum receſſus divinitatis oculo perluſtret, ut in tempore opportuno remedium indigentiis, & neceſſitatibus noſtris afferre poſſit.

Ex Stobeo.

Quatuor Jani filiæ ſemetipſas laqueo ſuſpendunt.

Critolaus magnus & Philoſophus & hiſtoricus, & naturæ rerum ſcrutator dixit, idcirco etiam Regem Janum frontem quaternam conſecutum, quod videlicet à quatuor filiabus ſuis quæſitus, nec inventus, cum tandem perlatum ad eas eſſet, illum ab Agricolis lapidatum eſſe, voluntario ſe ſuſpendio, dederunt. Cauſa propter quam Rex ille taliter necatus eſt, ſi Pierio narranti fidem damus, hæc erat: Docuerat gentem hanc ſimplicem, hosque idiotas vini uſum, iisque calices epotandos miniſtraverat, quibus capti ſeſe ſomno gravi dederunt, cumque evigilando ſibi pocula venenata illum præbuiſſe rati eſſent, ut talionem & vindictam veneficio redderent, è vivis eum ſuſtulerunt. Quid non mali operatur ſimplicitas cæca, ignorantia ruſtica, & infelix mentis imbecilitas? quæ album à nigro non diſcriminat, nec lepram à lepra diſcernit. Quot domus ab hoc monſtro deſolantur? Quod tum pejus ſævit, cum quietum eſt, & majorum ruinarum fomes eſt tum, cum maxime latuerit. Quot palatia ſubverſa ſunt, quot utiliſſimi Tractatus diſſoluti, & diſciſſi? Sed ſtultitiæ argumentum maxime illuſtre eſt, id quod Inventor Idearum Plato ait: *Argumentum inſcitiæ eſt à ſapientibus diſſentire.* Et Peripateticus noſter: *Turpe eſt ignorare, quæ omnibus ſcire convenit.* Nec tamen eandem cenſuram meretur cujus ignorantia invincibilis eſt, quantam is, qui hanc maculam eluere in poteſtate habet, & hoc monſtrum fugare, & id facere turpiter negligit: Sic S. Auguſtinus inquit: *Non omnis ignorans immunis eſt: ſed is ſolum, qui non habuit unde diſceret.* Fugiatur ergo hic error.

Lib. 32.

Vino ebrii, cujus virtutem ignorabant Agricolæ, ejusdem inventorem occidunt.

Perturbationem generat ignorantia.

De mendacio Exquaſt. ex utroq. Teſtam. quæſt. 67.

Libertas.

Frons aperta, & ſpacioſa, ſupra quam nec minimus quidem capillorum dependeat, apud Græcos, Ægyptios, & Romanos pro Hieroglyphico libertatis obſervata eſt. Unde & Spartiatæ, cum in prælium egrediendum eſſet, crines capitis retrorſum intorquebant, ne forte inimicis ſuis, ſic inquiebant, ad capturam ſuam laqueum præberent.

Servi DEI.

Dixerim hoc ipſum veri ſervi DEI typum eſſe poſſe, qui relictis poſt tergum inordinatis affectibus, & humana, propriaque voluntate, fronte ſerena, & corde tranquillo ſe Altiſſimo totum conſecrat. Ad hanc mentis tranquilitatem, & ſerenitatem frontis nos propellebat pſalmatiſta, dum ait: *Jubilate DEO omnis terra, ſervite Domino in lætitia.* Interrogata, imo verò cum improperio cenſurata intrepidiſſima Virgo S. Agatha à Quintiano Præfecto his verbis: *Nonne te pudet nobili genere natam ſervilem Chriſtianorum agere vitam*, reſpondit: *Melior eſt Chriſtianorum ſervitus, Regum opibus, ac ſuperbia.* Hoc etiam titulo gloriabatur Paulus, qui Epiſtolam nullam dictavit, niſi hoc inſignitam frontiſpicio: *Paulus ſervus JESU Chriſti.* Supra quod erudite commentatus eſt Fauſtinus Presbyter: *Nonne DEO ſubdita eſt anima mea? Hujus ſervum fieri ſummi decoris eſt, & quaſi quædam ſupereminens mundo nobilitas. Ideo & Apoſtolus gloriam ſuam ſcribit: Paulus ſervus JESU Chriſti.*

Ex Brevi. Rom.

Contra Anian. c. 5.

MORALIA.

FRons magnificum illud theatrum eſt, in quo, tanquam in proſcenio optimè ordinato perſonas ſuas agunt, verecundia, honor, conſtantia, intrepiditas animi. In hac fronte, quidquid in volumine cordis abditum eſt, tanquam in proemio colligitur. Tabula vel index eſt, vaſtiſſimi libri, in quam, tanquam in compendium, (ſic dici poteſt,) quodcunque latius eſt in paginis, materiæ univerſæ rediguntur. Cœlum hæc rationis eſt, in quo varii ſolis, hoc eſt rationis motus deprehenduntur. Pars hæc corporis dura eſt, & ſolida, unde & injurias aëris non metuit, quantumvis tempeſtate agitatus fuerit. Hæc in corpore myſtico Eccleſiæ per Apoſtolos & martyres repræſentatur, qui conſtantiori animo magisque imperterrito, quam Epaminondas aliquis, aut Ajax, contra fulmina, & ſævitiem tyrannorum frontem obduraverunt. Nec enim tyrannorum fremitus terrorem eis injecit: atque ut omnibus in propatulo eſſet, quàm prompto deſiderio ad cœleſtium hæreditatem adipiſcendam vitam hanc temporalem vilipenderent, ſpontanea alacritate ad manicas, ad pedicas, equuleos, & rotas properarunt: ferebantur hilari promptitudine ad præcipitia murorum, ut inde dejecti in lanceas inciderent, aquis immergerentur, in rogos & ignes rotarentur: ut feris denique diſcerperentur, & in earum eſcam cederent; ubi nullum erat tormentum, cui ſe ſpontanea voluntate, propter amorem DEI ſui, non ſubmitterent. De hac fronte, duritie tali divinitus dotatâ admirabiliter Doctor gentium prophetizavit, cum inconcuſſum valorem Ducum, de ætatibus jam transactis memoraret, in his pugiles Chriſtianæ militiæ figurando. Sic enim Hebræos alloquendo perorat: *Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Samſon, Jephte, David, Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugierunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos.* His ac ſimilibus ſpacioſius immorando, illorum Chriſtianam virtutem, & inauditam fortitudinem nominatim recenſet, ſic terminando: *experti inſuper vincula, & carceres: Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.* Retineri in hoc loco S. Cyprianus nequit, quin cum prolixa, eaque facundiſſima oratione, ad horum encomia prorumpat: *Quibus ego vos laudibus, inquit, prædicem fortiſſimi martyres: robur pectoris veſtri, & perſeverantiam fidei quo præconio vocis exornem? toleraſtis usque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem, nec ceſſiſtis ſuppliciis, ſed vobis ſup-*

Frons Apoſtolos & Martyres denotat.

Cap. 11.

Ad Martyres & Confeſſores.

plicia ceſſerunt: finem doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt; laniena gravior ad hoc diu perſeveravit, non ut ſtantem fidem dejiceret, ſed ut homines Dei ad Deum velocius mitteret. Sic ſanctus ille cum pari eloquentia proſequitur, convenienter intrepidiſſimæ fronti horum pugilum, & gloriæ illorum ſtylum ſuum elevans, quippe qui tanquam munimenta & propugnacula fidei, ſtatum Eccleſiæ ſacroſanctæ confirmarunt, & roborarunt.

MYSTICA.

INter auguſtas maxime, & pompoſas domus DEI ſtructuras, menſuratas à magno illo Sacerdote, quem graviſſimi Expoſitores ſacri Chriſtum figuraſ- *Cap. 40.* ſe docent, inter quos Iſidorus Clarus eſt, præcipua narratio in Ezechiele de porta quadam eſt, quæ aperta & octo cubitorum erat, & frons ejus duorum cubitorum. Verba autem Prophetæ & Chroniſtæ hæc ſunt: *& menſus eſt veſtibulum portæ octo cubitorum,* *In hunc locum in Ezechiel. 46.* *& frontem ejus duobus cubitis.* Per hanc frontem Iſidorus jam memoratus ornamenta & poſtes ſubintelligit: *Per frontem intelliguntur poſtes, qui more arborum rotundantur: quæ figura operi decorem red-* *In Ezechiel. hom. 16.* *dit.* S. Hieronymus refert, quod his frontibus utriusque teſtamenti præſignetur notitia, aut vero cognitio ſpiritus, & literæ, vel prout ſentit Gregorius Papa, totum hoc præſentis vitæ meritum figurat, quod in bina charitate, DEI nimirum & proximi, completur. Frontes thalamorum, juxta mentem Iſidori præfati, *Loco citato.* pulcherrimæ porticus ſunt, ante hos thalamos collocati, quæ, ſecundum Gregorium Magnum jam allatum, miracula Sanctorum tam novi, quàm veteris teſtamenti in typo referunt: non aliter enim ac humana frons, indicium eſt cordis, ita & illa lumen ſunt, & facula, & Pharus peregrinantibus & navigantibus ad patriam cœleſtem. Porro, juxta ſententiam dicti Patris, repræſentantur his externa opera, quæ hominum oculis tanquam veſtibula domus expoſita ſunt: Sicut eſt prædicatio verbi, & eleemoſyna, quæ exercitium ſuum in exteriori habent. Per frontes portarum Gazophylacii, prout rurſum in Ezechiele habetur, juxta Commentarium Gregorii, verba & opera Prædicatorum intelligenda ſunt, cum per eorum doctrinam de foris pateat, quale interius vitæ inſtitutum ſequantur. Optima merx Eccleſiæ, ſicut & in Gazophylaceis antiquitus mercimoniis intendebatur.

In Ezechi. 41. Vult S. Hieronymus frontem templi ſex cubitis altam, creaturarum ſignificare notitiam, per quam ad omnipotentis DEI cognitionem aſſequendam elevemur. Sacri Doctores in fronte Sacerdotis, de qua *Cap. 28. 8.* liber Exodi, & Levitici meminerunt, quam inſigniri lamina quadam geſtante nomen DEI, lex præcepit, tanquam in abyſſo quadam profundius ſcrutati ſunt, *Gloſſa ordinaria, in Exod. 28.* & in his intelligi volunt, Sacerdotum eſſe, id quod corde claudunt, etiam palam manifeſtare, & exprimere. Nec ab hoc diſſentit, quod judicant his intelligi oportere, ſinceram operum cum dictis, actionum cum verbis concordantiam, in iis qui Chriſtiani nominis profeſſione cenſentur: quod myſterium etiam in Apocalypſi capite ſeptimo expreſſum eſt. Per capillos, qui de fronte cadunt, prout in Levitico *C. 3. F. Serm. 88.* habetur, ſic ſentiente S. Ambroſio, excellentiæ, & gloriæ & prodigia virtutum omnium ſignificantur. Idem ipſe in fronte Gygantis Gethei, in quam petra Hebræi Paſtoris jaculata & infixa fuerat, quæ ei mortem intulit, ponderando myſterium, docet Chriſtianos in eundem modum ab inviſibili hoſte caſtigandos, ſiquidem in periculis, & tentaminibus ſalutifero crucis ſigno munire & fortificare frontem ſuam neglexerint: Sic nobis dehinc inſinuans: *Ubi frons mentem ſignificare poteſt, ibi ſit ſignum in bonum, & in malum.* Horum exempla in primo Regum, in *17. 13. 7. 17. 22.* Eſaia, in Ezechiele, in Apocalypſi reperiuntur. Hæc Oziæ Regis frons eſt, quam plaga lepræ percuſſit, ſicut in Paralypomenon libro fit mentio. *36.* Gloſſa interlinearis, & Rupertus Abbas ſupra frontem æream commentando, de qua in Iſaia memoratur, ſicut & in libro Apocalypſis, in hac rebelles illos, & obſtinatos *48. Iſa. 1. Apoc.* intelligunt, qui dura fronte, & contumaci ad divinum imperium erubeſcere neſciunt, imo vero ad minas DEI & increpationes plus indureſcunt. Hæc meretricia frons eſt, hæreticorum nimirum tum & ſceleratorum, quibus conſtitutum eſt à erroribus non abſtinere, imo vero his ipſis ſibi gloriam aucupari, & inflari. In his copioſus eſt Jeremias, Ezechiel, & liber Apocalypſis. *3. 3. 17. 1. Iud. 3.* Per frontem exercitus Joſue, & Judæ, ſcriptores omnes concordant, principium exercitus juxta literam intelligi oportere.

DEDICATIONES.

PLurimi Authorum conveniunt, inter quos Cælius *Lib. 4. lect. antiq. c. 23.* Rhodiginus copioſior eſt, frontem inſcriptam, & dedicatam fuiſſe Genio, idque fortaſſe, ut ad libertatem cordis alluderent, eandemque per hoc intellectam voluerint. Frons dedicata genio. Quæ libertas cordis, ubicunque *Ex Alexandro Genial. dier. lib. 6. c. 4.* viſum fuerit, ſeſe vertendo, & revolvendo, frontem ſibi tanquam obſequioſam habet pediſſequam, & miniſtram, quæ ad omnem Dominæ ſuæ motum & ipſa ſine mora ſequitur. Varro vetuſtiſſimus Scriptor, prout S. Auguſtinus, & Maximus Tyrius referunt, *De Civit. Dei lib. 4. c. 23. Maxim. Tyr. Ser. 1.* numerum Deorum ad centum usque millia ſtatuit: quorum non modicam turbam, utpote electorum nominibus ſuis propriis inſignivit: Inter quos & Genium collocavit, eum Apollini, & Marti, & Jovi, & his maxime illuſtribus in mundo annumeravit. Complures ſunt, inter quos eſt Feſtus Pompejus, qui opinantur per Deos Genios quatuor elementa intelligi, adjungendo his, Datores lucis, Solem, Lunamque, qui omnium quoque generationum authores & promotores ſunt. Quatuor elementa, ſic Luna quoque & Sol pro Geniis colun- tur.

Quidam opinati ſunt Genium cœleſtium numinum prolem eſſe; forte per hoc unanimitatem quæ in cœlis regnat indicando. Quæ concordia poſthæc Paternitatem quandam in mundo adipiſcatur, dum in terris eandem quoque regnare concordiam oportere intimatur: Sicque à nomine Genii verbum generationis derivari. Hinc S. Auguſtinus, Valerium *Lib. 7. de Civ. Dei.* Soranum interrogans, aut ab eodem potius interrogatus: *Quid eſt Genius?* Reſpondit: *DEUS, qui præpoſitus eſt, vim habet omnium rerum gignendarum.* Ex his & ſimilibus attributis, non pauci per hæc nomina: *Magnus Jupiter, Omnipotens Progenitor, Genitrixque,* nil intelligi aliud, quam unicam illam perfectiſſimam Creatoris eſſentiam volunt. Præfatus Auguſtinus alibi per nomen Genii rationalem cujusque hominis animum intelligit, qui videlicet inclinatione ſua ad hanc potius, quàm ad illam rem propendeat. Hoc cuique ſingulariter ingenitum eſt: Deum proinde animam & Genium mundi eſſe. Jupiter pro Genio ponitur, qui nil aliud quam ipſe DEUS. Animus rationalis. Idololatræ nihilominus ignorantes quibus victimis, & oblatis placetur Deus, ei fercula pertioſiſſima & vina odoroſiſſima libabant: non ſecus ac ſi hominibus iſtis cordi fuiſſet opiparis conviviis Deum ſibi fautorem conſciſcere, & præcipuè ad hoc invigilare ut ſibi commenſalem facerent. Sic enimvero cum parca & frugalis menſa eſſet, fraudare ſe, & percutere Genium ajebant. Sic elegans illa Commendatoris Teſtii Muſa, loquens de Epicuro Metrodori filio (non vero de Epicuro illo Gargetico, vero ſobrietatis & parſimoniæ

moniæ exemplari) dum libertatem illam effrenatam, & diſſolutam condemnat, ſic ait:

Poëſia.

Chi del ſozzo Epicuro
Spenſierato, e ſeguace
In prodighi conviti i di diſpenſa;
Le ricchezze che furo
Di genitor tenace
Faticoſo ſudor, ſtrugge una menſa;
E de Lieo, che oſcuro
Per tropp' anni ha il Natal, le tazze gravi
Di lor frugalita Schernifcon li Avi.

Hi ſunt, de quibus illud S. Pauli verificatur: *Eſca* *Apud Plutar. de tranquil. Animi.* *ventri, & venter eſcis: quorum Deus venter eſt.* Empedocles cuique mortalium, & Genium bonum, & genium malum datum eſſe cenſuit. *Satyr. 9. Lib. 2. De placitis Philoſophorum. Lib. C. 15. Æneid. 6.* Idipſum etiam Euclides Socraticus, & Lucillus apud Cenſorinum ſenſerunt. Dixerunt alii, quemque hominum in vita ſua comitem habere Junonem, & Genium: inter alios Plutarchus, & Lactantius: Unde & Virgilius dixit: *Quisque ſuos patitur manes.* Refert Alexander, olim Geniis pretioſiſſimos lectos, intertextos auro, & ſerico, ſtratos fuiſſe ad quos cum quinque limpidiſſimis facibus, compoſitis ex terebintho, & pinis ſuaveolentibus conducebantur novi Nupti: Sponſi cum lectis Genialibus. & cum ab Ædilibus accenderentur, optimum rebantur augurium eſſe: pinis enim ſuccenſis Romani olim Sabinarum raptum patrarunt: per quem primum fortunæ incrementum, & urbis Romanæ, tanquam univerſalis mundi matris augmentum ſubſecutum eſt. Sic primitivi illi idolorum cultores delirarunt, tum potiſſimum, cum ſe maxime ſapientes eſſe opinabantur, dum nimirum ſub tot formis difformibus ſeſe mendaciorum patri pronos ſubſternebant, & devotis pectoribus adorabant.

Quam ergo mentis gratitudinem, & quantam cordis intimi devotionem Redemptori noſtro non debemus Chriſtiani, qui tot falſis numinibus caput contrivit, tot Dagones in terram profligavit? Sic *Iſai. 19.* enim verò tandem prophetia Iſaiæ eventum ſuum habuit: *Ingrediente Domino in Ægyptum, commovebuntur ſimulacra à facie ejus.* Hic verus Genius eſt, qui juſtis, piisque deſideriis ſe inſinuat, & eorum ſe participem reddit, quem fideles veraciter ut *Genial. dier. lib. 6. c. 26.* Genium ſuum amant, & adorant. Sic doctè & erudite concludit præfatus Alexander: *Quantum debemus Chriſto Domino, Regi, & Doctori noſtro, quem verum Deum veneramur, & ſcimus, quo præmonſtrante exploſa ferarum gentium doctrina, rituque immani, & barbaro, veram religionem edocti, humanitatem, & verum Deum colimus, evictisque erroribus, & infandis ineptiis, quæ priſci coluere, quid quemque deceat, & quibus ſacris, quaque mente Deum colere oporteat noſcitamus.* Chriſtus verus Genius. Huic Genio corda noſtra, ſimul & frons conſecranda ſunt: intellige: non opera ſolum, ſed & cogitata noſtra.

METOPOSCOPIÆ ET SOMNIA.

IIs quibus ſtudium fuit exterioribus ſignis in interiora penetrare, & motus ſenſusque animorum dignoſcere, & quaſi in futurum proſpicere, tabulam ad hoc apertiſſimam, ſpeculum lucidiſſimum, frontem humanam habuerunt: hoc folium usque adeo manifeſtum & clarum eſſe voluerunt, ut quot ibi rugæ, tot eis lineæ, tot characteres viſi fuerint, è quibus per ſignificationem Planetariam dijudicare ſe poſſe opinati ſunt, non ſolum cordium affectus, ſed futura etiam prædicere. Ad hæc ego, quantum quidem ad corporum temperamenta, & conſtitutionem eorundem attinet, de quibus & morborum, & morum deduci poſſit diverſitas, non diffiteor me quoque ejusdem propemodum ſententiæ & mentis eſſe. Sed ex his præterea tam futura quam præterita prognoſticare velle tempora (niſi forte longinqua, eademque incerta quædam conjectura, ratione plerumque fallaci nixa permittatur) profiteor me ejusmodi præſagæ arti adhærere non poſſe. Morbi & mores. Et quamvis mihi in medium proferantur argumenta quæpiam, nimium evidens eſt increatæ ſapientiæ in Chriſto Redemptore noſtro teſtimonium, qui diſcipulos ſuos, in hisque univerſum orbem alloquens, ſic ajebat: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, & momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Conjecturæ fallaces.

Itaque Metopoſcopi à ſummo ad imum usque, de uno latere ad alterum menſurando frontem dixerunt: eam, ſi ad vultus totius proportionem anguſta admodum fuerit, indicare animum omnino ſtolidum, & indocilem; eundem etiam datum crapulis, & abundantiæ poculorum: ſiquidem illa plus æquo lata, & ſpacioſa, nec reliquæ corporis ſymmetriæ conveniens; & inconcinna fuerit, prout frons eſt boum, illam & obtuſum & deſidioſum denotare ingenium. Ignorantia, & indocilitas. Hanc ſententiam, ſi ſecundum Phyſicam ratiocinandum eſt, condemnare nolim. Tanta enim anguſtia, vel è contra tam exotica dilatatio vaſorum, dum in ventriculis cerebri, prout oportebat, fieri nutritio convenienter nequit, obtundit phantaſiam, conſequens eſt, ut in memoratos defectus dilabatur. Obtuſio, & pigritia. Frons demiſſa, & plus debito deſcendens, eundem animum qui ſupra, ſimul etiam proſtratam fortitudinem notat: demiſſa rurſum, & rotunda, inconſtantiam demonſtrat & ineptiam, idque ob rationes adductas. Inconſtantia & ineptia. Sic frons quadrata, & proportione debita formata, indicium erit magnanimitatis, prudentiæ, probitatis, & judicii: Prudentia. Multum extenſa, & lucida, adulationem & duplicitatem præſagire volunt: Adulatio. Sic è contra quæ nebuloſa, ut ita dixerim, fuerit, & obſcura, ſignum eſſe temeritatis, & audaciæ: tanquam illa ſit nubes quædam unde fulmina metuenda ſint, tanto periculoſiora, quanto è ſublimioribus locis emiſſa fuerint. Audacia. Frons elevata, & prominens, hominem arguit liberalem, amicum, & ſincerum, non ſecus ac ſi detani patulo vaſe anguſtiæ tenacis avaritiæ relegatæ ſint: Liberalitas. Cum verò aſpera fuerit, & inæqualitate quadam, & collibus hiulca, hominem indicare malitioſe, & ſubdole, morionem vel fatuum, qui exotica quadam appetentia commoditatem & divitias ſectetur: ſicut enim aurum de montibus effoditur, ſic æſtuans horum hominum deſiderium inter hos ſinus reconditur: & ab his eminentiis, & convallibus fucatam hanc & artificioſam fatuitatem effingunt. Stultitia ſiſta. Cupida divitiarum.

Qui verò à principiis ſublimioribus cognitionem indagare ampliorem ſatagunt, reponunt, imò verò componunt in rugis frontis Planetas ſeptem firmamenti, quarum quæ prima, & ſuperior eſt linea, frontem ſecans, illic ubi capilli ſunt, Saturno attribuitur: & ſic deinceps reliquæ pro ordine ſuo. Unde linea Solis, qui Pater, & Dator eſt vitæ, & Conſervator ejusdem, medium inter has locum obtinet, nobiliſſimum, inquam, & maximè conſpicuum: Venerem & Mercurium inter cilia naſumque collocant, tanquam luminaria, quæ illis ſupereminеant. Hi etiam colores obſervant, ſi rubicundus fuerit, aut pallidus, aut aliter: Item & figuras, ſi rectæ, ſi tortuoſæ, ſi in modum ramorum hac illac disjectæ, ſi continuæ, ſi obliquæ, vel introrſum verſæ. Ad ſitum etiam reflectunt, & poſitionem, ſi aſcendant, aut deſcendant, ad dextram aut ſiniſtram, ſi ſupra, ſi ſubtus, ſi in medio.

Etiam

Etiam per minutias quæque accidentia explorant, quæ non ſolum his lineis, ſed toti fronti eveniunt: prout ſunt: figuræ diverſæ, pontes, colliculi, foſſulæ, pori, nævi, maculæ, panniculi, & hujusmodi alia. Volunt hi, à commenſuratione rerum memoratarum deſcribi poſſe tempora, & effectus his correſpondentes: hinc etiam de linearum commutatione incrementa, & augmenta rerum prognoſticant. Sic de illarum unione, aut conjunctione, aut ſi interſecatæ fuerint, præſumunt pari modo & Planetas influere, ex his idcirco, ſicut è figuris Aſtronomicis colligi, ſi fortuna proſpere ſucceſſura ſit, item ſi econtra eventus infauſti, ſi oppreſſiones, ſi pericula, ſi infortunia ſecutura ſint. Hinc ſi linea Jovis male collocata fuerit, diſſipationem bonorum præſagiunt, calamitates inſolitas, paupertatem, Eccleſiaſticorum, & Jurisprudentium perſecutiones, & hujusmodi alia. Si linea Martis ritè, & in ordine ſuo ſita fuerit, bonos Medicos, Anatomiſtas, & Chyrurgos futuros: ſi undoſa fuerit, minari ſuffocationem in aquis.

Etiam in linearum usque concurſum (nonnihil enim & de his dicendum) argumentando procedunt: Si linea Saturnina alias lineas interſecaverit, idque in deſcenſu, pericula graviſſima portendere, ob qualitates peſſimas Planetæ hujus prædominantes. Siquidem linea Jovis idem fecerit, & in locum Mercurii usque derivaverit: hominem, ajunt, perfecti indicat ingenii, ſed ſiniſtræ fortunæ in bonis temporalibus, ob velocitatem & inconſtantiam memorati planetæ. Si linea Jovis, lineam Martis ſecaverit, penuriam imminentem indicare, amiſſionem ſubſtantiæ, hominem injuſtum, obſtinatum, & litigioſum; Mars enim conſtellatio mala eſt. Si linea Solaris in Mercurium inciderit, omen hoc eſſe hominis juſti, nobilis, glorioſi, elevati, intenti ad literarum ſtudia, multum religioſi, idque ob bonam Solis qualitatem: Si econtra male collocata hæc linea fuerit, hominem ſuperbum, ambitioſum, intractabilem, & arrogantem. Venus locum occupans Mercurii, hominem annunciat ingenioſum, in arte potiſſimum poëtica: hæc enim Venus eſt, ornamentum inquam rei literariæ: Item hominem delicioſum, voluptatibus deditum, & jocis, iis nimirum qualitatibus, quæ huic Planetæ conveniunt. Dicunt præterea, ſi Lunaris in Mercurii ſitum propendeat, ſignum eſſe ingenii elevati, ſed inſtabilis, vagabundi, negociationi, & peregrinationibus dediti, propter inſtabilitatem Planetæ hujus errabundi. Sic enimvero Planetas hos ſibi invicem jungendo, aut diſparando, quaſi cœlum quoddam in fronte deſcribunt: ſed faxint ſuperi, ut bonam vivendi normam hi ſibi pro horizonte ſuo collocent.

Ad hæc deliria inſana deteſtanda, Iſocrates, non tanquam gentilis, ſed Chriſtianorum more loquens, ait: *Futuros eventus prædicere, noſtræ non eſt naturæ.* Diogenes, totus contemplationi dicatus, vitam, actiones, & mores Philoſophorum, Medicorum, Politicorum aliorumque ſtudioſorum contemplatus, nil his dixit in mundo inveniri poſſe ſapientius, nec magis abſolutum, meliusque redactum in ordinem: Sed cum mentem ſuam ad conſiderationem Aſtrologorum, Metopoſcoporum, & Chyromanticorum, & ejusmodi Impoſtorum, & Divinorum applicuit, evidenter & palam dixit, nil eſſe his ſtolidius, & deteſtabilius; unde contigit, ut quandoque audiendo horum quempiam de Aſtrorum influxu garrientem, eum dicacitate mordaci ſugillando, interrogat: *Quàm nuper è cœlo veniſti.* Ad vivum usque gentem hanc explodit Aulus Gellius, & cum eo ſimul, Philoſophus illius Favorinus: Si tibi tales (ſic præfati Authores philoſophantur) aut proſpera nunciant, aut ambigua, jam ipſa futuri præſtolatio tormentum eſt: miſer es, ante diem etiam vana metuendo: & ſiquidem res infeliciter eventuræ ſunt, præoccupant tempora infortunii tui, dum ante tempus torqueris, & inquietus es: Si tibi felicitatem ſpondent, quæ etiam eventura ſit; etiam hinc nihilominus duo te incommoda ſequuntur. Primùm enim expectatis futurorum te ſuſpenſum cum labore tenebit, & proinde jam potiſſima pars floris boni hujus diſperibit, qui hac eadem procraſtinata expectatione, præcoci maturitate flacceſcit.

Apud Alciat. ex Comment. Tul. in Aſtrolog.

Aſtrologia condemnatur.

Lib. 14. Cap. 1.

Arcet de habitatione ſua hos homines M. Tullius, dum ait: *Nunc illa conteſtor, me non ſortilegos, neque eos, qui quæſtus cauſa hariolantur, neque pſychomantiam quidem agnoſcere.* Ennius poëta in his fuſius detinetur, & hoc genus hominum culpat: quoddam hic verborum ejus fragmentum adjungo: *Non habeo denique nauci Marcum augurem, non vicanos Haruſpices, non de Circo Aſtrologos, non Iſiacos conjectores, non interpretes ſomniorum: Non enim ii ſunt aut ſcientia, aut arte divini, ſed ſuperſtitioſi vates, impudentesque harioli, aut inertes, aut inſani; aut quibus egeſtas imperat: qui ſibi ſemitam non ſapiunt alteri monſtrant viam, quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipſi petunt.*

1. De Divinat.

His itaque ſic conſtitutis concludendum ejusmodi homines procul eſſe à cœlo, quippe qui cum tanta temeritate in fronte cœlum collocant, ſedem, inquam, planetarum. Sed adhuc deterius hallucinando delirant, qui de vaporoſis inſomniis futurorum eventus conjecturare præſumunt.

Videlicet ſi ſe nocturnæ phantaſiæ noſtræ frons polita, & munda, ab omni penitus vel minutiſſimo pilo purgata obtulerit, nos ab omni moleſtia liberos futuros, ab omni impedimento, & labore. E contra ſi frons turbata apparuerit, vel crinibus ſuis confuſæ, indicium eſſe periculorum, condemnationis, & mortis. Totum illud fundamentum ſuum à ritu Lacedæmoniorum deſumpſit, de quibus jam relatum, quod pugnaturi cum hoſte, ſibi crines ſuos innodare & involvere aſſueverant, ne forte inimicis ſuis captivitatis propriæ vincula offerrent. Paupercula gens, quæ non vidit, dum in fronte & parte anteriori ſibi conſulebant, pars poſterior hoſtili manui patebat: Sic enimvero turpiores apparuerunt, tum cum frontem ſuam tranquillam maxime & ſecuram arbitrabantur, cum enim illis aliter in bello accidiſſet, quàm præmeditati eſſent, in tam aperta & ſerena fronte, tanto magis rubor, & pudor, & obnubilatio rugoſa apparuit.

HISTORIÆ.

CUm frons hominis tam nobilem, tamque elevatam ſedem teneat, ſic olim Judices, & Patroni res ferro hanc eandem deturpando & maculando in iis, quos candente maculatos criminibus convicerant, tam inter ſervos, inuſti in quam reliquam populi fæcem, ſatis id credebant efficax eſſe, ad eorum nequitiam, & turpitudinem propalandam. Mos autem talis erat: certa quædam ferramenta, in quibus characteres, aut figuræ pro more patriæ, aut loci, proque eorum intentione inſculptæ erant, focis impoſita, & jam igne candentia potiſſimum fronti reorum inurebant: tum & reliquo, horum miſerorum corpori, quibus nempe infortunium tale eveniebat. Hi à Seneca & Plinio inſcripti vultus nominabantur. Per Thraciam univerſam hic mos longo tempore invaluit, ita ut à primis adeo cunabilis jam infantes diſcerent inſcriptiones

Characteres ferro candente frontem delinquentium, & ſceleratorum.

Vultus inſcripti.

ones has ridere, & vilipendere. Quamvis Herodotus ſentiat, in vicem literarum puncta potius ſtilo candenti impreſſa fuiſſe, quæ proinde ſimilitudinem characterum habuiſſent. Aliis præterea nominibus inſigniebantur juxta quod docet Nonius, videlicet *Literatorum*, vel prout Celius vult, *Sculptorum*, & *Iſthrianorum*, in hac enim provincia maximè hæc conſvetudo viguit. Per Babyloniam univerſam, juxta Ariſtophanem, hoc nomine literatorum appellabantur Samii, quos in hunc modum Athenienſes inuſſerant: unde & proverbium Ironicum inolevit: *Samiis nullum eſſe literatiorem.* Scribit Ariſtoteles de Samo habitatores Athenas tranſlatos fuiſſe, partim quod hæc urbs incolarum penuria laboraret, partim etiam quod Samii à ſe quinque & viginti Alphabeti literas inventas eſſe gloriabantur, hinc ſibi honori duxiſſe, inventionem ſuam portare in fronte.

Apud Beierlinch. theatr. vit. hum. Tom 3.

Ex Beierlinch. ſupra.

Sami literati.

Signum navis impreſſum in fronte ſervorum.

Referunt alii, non eos literas, ſed figuram navis, *Samenem* dictam, geſſiſſe in fronte, idque ut optatam ſibi in mari velificationem impetrarent. Hujus rei inventor fuit primus Sami Tyrannus Polycrates, prout Celius, & Plutarchus volunt. Quidam rurſum ſentiunt *Samenam* hanc figuram fuiſſe monetæ, quam Syracuſanus populus, velut ignominiæ notam, quibusdam captivorum Athenienſium impreſſerit. Eâdem omninò formâ à Tyrannis olim S. Martyres in fronte notis ignominiæ ſignabantur, ad irriſionem videlicet & deſpectum. Sic recenſet Zonara, quod ſub tyrannide Imperatoris Theophili, *viros ſanctos, ac confeſſores Theophanem, ac Theodorum germanos fratres verberatos nigris notis in faciem notavit, ac frontibus eorum carmina jambica inſcripſit.*

Sed ſi hæ frontium notæ barbarico hominum, aut vero etiam legitimo imperio inuſtæ, ignominiæ, & deſpectui fuerunt: in ſacris literis vice verſa, ad honorem, & tutelam, & electionem & pro ſigno ſalutis fuiſſe animadvertuntur, atque ita frontem potius his inſigniis condecoratam, ornatam, & venerabilem fuiſſe. De ingenti illa hominum turba, quam dilectus Domini diſcipulus vidit, ſic dictum eſt: *habebant nomen ejus ſcriptum in frontibus eorum.* Hoc inſigne vel hunc characterem, aliud quàm Thau literam non fuiſſe Authores unanimiter, non ſine ratione conſentiunt: illud inquam Thau, per Ezechielem prophetam intimatum, cum ei altiſſimus imperat: *Tranſi per mediam civitatem in medio Jeruſalem, & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus,* tum vero etiam ordine dato ad deſolationem univerſalem, ſic concludit: *Super quem videritis Thau, ne occidatis.* Supra hanc inſcriptionem S. Hieronymus inquit: *Hebræi autumant quia lex apud eos Thau litera in principio nominis ſui ſcribitur, illos hoc accepiſſe ſignaculum, quia legis præcepta compleverant: antiquis autem hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani extrema Thau litera crucis habet ſimilitudinem.*

Electi DEI in frontibus ſignati.

Apocal. 7.

C. 9.

Ex Iſidor. Clar. in hunc locum.

Sancta crux.

Ecce deſcendimus, & neceſſitate quadam ad ſacroſanctum crucis ſignum pertigimus, quæ omnium fortiſſima & tutiſſima ægis eſt, temperatiſſimum omnium ancile, vel ſcutum: haſta potentior illa, quam Achilles unquam, vel Ajax aliquis vibrare gloriatus ſit. *Thau litera crucis habet ſimilitudinem.* Hæc lamina aurea eſt, quæ per mandatum Domini in fronte Sacerdotis ordinatur, quam condecoret, & præmuniat: hoc unicornu eſt, quod in fronte invictum illud propugnaculum portat. Hac armati, & fortes facti contra inimicorum inſultus, divinam vocem audituri ſumus per Jeremiam: *Dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Ut hoc ſigno muniamus frontem noſtram, nos exhortatur S. Chryſoſtomus: *Si crucem infixeris vultui tuo, nullus dæmonum nocere poterit, videns arma in quibus DEUS vicit, videns enſem quo Chriſtus caput ejus abſcidit.* De hoc ſacro Thau in figura meminit Propheta coronatus: *Fac meum ſignum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur.* Supra quod S. Hieronymus: *muniar crucis tuæ ſigno, quod videntes poteſtates adverſæ fugiant, & confuſæ recedant.* Signum regium, ſplendidiſſimus decor frontis ipſius, de quo S. Ambroſius inquit, quod Chriſtus relictis ſceptris & Regali diademate, *Crucem ſibi reſervavit:* Atque idcirco hanc nobis hæreditatem reliquit: *qui non tollit crucem ſuam, & venit poſt me, non eſt me dignus.*

C. 1.

Serm. de Cruce.

PROVERBIA.

NOn ſecus ac flumina, quamvis non raro ambagibus obliquis, & retrorſum contortis, ab incepto curſu ſuo deviare videantur, non idcircò tributum ſuum Oceano dare deſiſtunt: Sic mihi quoque in tractatibus his, non ſic ad unguem usque uni adhærere ordini licuit: aut enim materiæ ſterilitate, aut ad rei majus complementum, aut neceſſitate, aut occaſione, aut intuitu ornamenti, aut verò alia quadam utilitate urgente, mutare, poſtponere, aliud pro alio collocare, ſimilique methodo ſæpe admodum uti compellor. Interim tamen non reor hæc à ſcopo meo aberrare, quin potius ſingula ad magnum illud mare, & miraculum hominis, humanæque ſtructuræ contribuere. Hæc dicta ſint, ne (ſapiens Lector) à tramite præfixo aberrare tibi videar. Hinc inter Proverbia primum ſe mihi offert, quod ſupra thema aſſumptum inquit: *Prima fronte:* hoc de primo cujuscunque negotii aſpectu, de prima facie, & intuitu dicitur.

Prima cujusque negotii facies.

Hanc primam faciem, hanc frontem, inquam, rectitudinem animi & bonitatem eſſe oportere dixerim. Hoc præſtantiſſimum figuræ humanæ ſignum horoſcopum eſt: optimus index hujus horologii: aurora maximè rutilans, & transparens diei hujus. *Probitas ad omnia diſciplinarum genera viam aperit,* ajebat Auguſtinus: Qui in ſemita ſua cum hoc lumine procedit, pedem non offendit. *Homo virtutis providebit ſemper bona, non ſolùm coram DEO, ſed etiam coram hominibus,* referebat S. Bernardus: *Magnus Artifex infelicitatis, eſt ipſa perverſitas.* Quantum illa miniſtra eſt tranquilitatis, ſecuritatis, & honoris: tantundem altera prænuncia eſt, triſtitiæ, infelicitatis, & infortunii: una Epithalamiis canendis, altera canendis næniis, lamentationibus, & tragœdiis apta eſt.

Rectitudo & bonitas.

De curioſitate.

Porrò ut inſinuaretur quantum ad perficienda negotia & propriam utilitatem procurandam, proficua ſit operanti propria perſona & præſentia, hoc proverbium ortum eſt: *Frons occipitio prior:* ubi nomen illud *prior*, pro *potiori*, & *meliori* ſumendum eſt, cum frontem occipitio capitis priorem eſſe nemo non noverit. Natum eſt adagium hoc, juxta mentem Manutii, inter primos agricultores de ſituatione partium humanarum deſumptum; atque ita poſtmodum in communem uſum acceptatum, & non ſecus ac oraculum quoddam

Negotia præſente Domino acta.

Adagium.

obſervatum

obſervatum eſt: ſic & Silenorum reſponſa venerationem magnam obtinuère. *De re Ruſtica cap. 4.* Cato hoc proverbio uſus eſt, cum ad bona operanda nos ſic incitat: *Si bene ædificaveris, libentius & ſæpius venies, fundus melior erit, meliusque operabitur, fructus plus capies: frons occipitio prior.* *Hiſt. mundi, lib. 18. c. 5.* Approbat hujusmodi ſententiam Plinius, dum ait: *Eumque qui bene habitet, ſæpius ventitare in agrum: frontemque domini plus prodeſſe, quàm occipitium, non mentiuntur.*

De his omnibus facile eſt videre, quanti interſit in quocunque negotio præſentem eſſe. Hinc Columella interrogatus, quid maxime agris nocuum ſit, reſpondit, hoc inprimis ſi ſæpè elocati fuerint, & proinde ſi per alios, quàm per temetipſum colantur. *Putat rem malam eſſe*, inquit Manutius, *frequentem fundi locationem, pejorem tamen urbanum colonum, qui per familiam mavult agrum,* L. C. *quam per ſeipſum colere.* Recenſet Gellius de homine quodam corpulento, & pingui, qui equum inſidebat macilentum, exiccatum, vix oſſibus ſuis hærentem, interrogatus de hoc, reſpondit: *Mirum non debere haberi, quandoquidem ipſe ſe paſceret: Equum curaret ſervus.* Hinc & illud dictum, de quo paulò infra memorabimus, enatum eſt: Oculus domini paſcit equum. *Oculus domini impinguat equum.* Super hæc proverbia prolixior aliquantùm eſt Plutarchus: ſic & Æſchylus ait: *Domus oculum eſſe domini judico præſentiam.* *De educandis liberis.* Hoc verum eſſe inquit Terentius Comicus: *In Eunucho.* *Ita ut ſit domini ubi abſunt:* (adjungit Commentator) *ſignificans, abſentibus heris, miniſtros omnia facere indiligentius, & peccare licentius:* & deinceps concludit, *id nulli magis obſervandum, quam Principi, ſi modo Principis animum gerat, hoc eſt, ſi publici commodum cordi habeat.* Aphoriſmum conſimilem propheta coronatus his verbis intendebat: *Pſal. 100.* *Sedebam in medio domus meæ.*

Siquidem eſſet olim, qui inſolita quadam capacitate, & talentis ſuis cæteros antecelleret, quippe qui ſine difficultate rem quamvis comprehendere, Homo magni ingenii. medullamque rei, & eſſentiam penetrare conſueverit, hoc proverbio monſtrabatur: *A fronte ſimul & occipitio:* per hoc palam dabant, eum memoria ſimul & intellectu plurimum valere, cum in utrisque harum partium ventriculis hæ binæ potentiæ abſcondantur: hinc etiam rerum præſentium ſcientia provenit, memoria præteritarum, providentia, & præcautio futurarum. Qui hoc ſignum tetigerit, gloriari poterit ſe rotam fortunæ clavo fixam tenere: velificet hic talis ſine metu ad portum felicitatis, & navigium ſuum expanſis velis illuc appellat. Sed hic non immerito Sibylla dixerit, quam rari inter homines ſunt, quibus contingit de hoc trunco ramum aureum avellere: quem cum negaverit dare, *nec duro poteris convellere ferro:* prout idem author ait. His concordat proverbium quod ſequitur: *Ex fronte proſpicere*, quod de iis dictum, qui Metoſcopi appellantur, & qui de frontium lineis ſe præſagire poſſe futura gloriantur.

Homo prompti ingenii. Hoc nihilominus in ſtrictiori intellectu de iis dici ſolet, qui promptitudine ingenii, ſine mora id quod proponitur, intelligunt, & ad fundum usque penetrant. Quod à Marco Tullio in conſimili occaſione exprimitur, dum ad Antonium inquit: *Non enim ſolum ex oratione, ſed ex vultu, ex oculis, ex fronte, ut ajunt, meum erga te amorem proſpicere potuiſſes.* Hæc eadem frons à præfato authore cordis janua nominatur: unde ad fratrem ſuum ſcribens, dum conſilia ei porrigit, ſic ait: *Cura, ut aditus ad te diurni atque nocturni pateant: neque foribus ſolum ædium tuarum, ſed etiam vultu, ac fronte, quæ eſt animi janua.* Pari modo Ariſtophanes Poëta inquit:

Nobis ut ipſis frontibus faciant palam,
An noſtra dicta, & facta læti comprobent.

Fronte ſua, de iis dicebatur, qui non clanculum, vel in abſcondito, aut de re quapiam conſultabant, aut Apertè operari. propoſitionem in medium afferebant. Si hoc ubivis locorum fieret, non utique tot inteſtinæ diſſenſiones, imò nec tot clandeſtinæ mortes, per occulta & ſubdola itinera, & machinationes acciderent: profligaretur è finibus omnis duplicitas: homines vafri, & vagabundi non tot retia honeſtati, & ſaluti, & vitæ tenderent. De homicidis ajebat David: *Pſ. 36.* *paraverunt arcum, ut ſagittent in occultis immaculatum.* Intra muros, & columnas ſe abdunt, & tutantur, ſed cum majori oppreſſione his ipſis receptaculis ſuis obruuntur. Intelligunt hæc ii, qui Sicarii & fautores illorum condemnantur. ſicariis, vel patrocinio, vel auro ſubterfugium, & aſylum præbent: quos tamen in ſinu ſuo nutriunt, non alia conditione, quàm ut in ſe experimento diſcant, quod quidam ait: *Ut lapſu graviore ruant.* Quod ipſam duplicitatem attinet, hoc Corripitur duplicitas. vitium inter alios, ſeveriſſime in exordio orationum ſuarum Demoſthenes percellit, dum ait: *nequior eſt,* *Exord. 54.* *qui decipit, quàm qui decipitur.* Non eſt aliud veneficium usque adeo lethale in mundo, quam præfatum illud, inquit Cicero: *Nulla pernicies vitæ inveniri major poteſt, quàm cum in vita ineſt ſimulatio.* *3. Officior.* Hanc ſceleratam conſvetudinem S. Joa. Chryſoſtomus ſanguineis deplorabat lacrymis: *5. Matth. 7.* *Nulla res ſic exterminat bonum, ſicut ſimulatio, nam malum ſub ſpecie boni celatum, dum non cognoſcitur, non cavetur.* Ita frons aperta ſit, hoc eſt cum ſinceritate, & rectitudine cordis ſit ſermo noſter.

Ne ſilentio vulgatiſſimum proverbium prætereatur, quod ab antiquis acceptatum, & uſu frequenti Fricare frontem, quid ſibi velit. tritum eſt, ad principium tractatus hujus retrogredi cogor, & illud, mi Lector, replicare tibi, quod cum frons virginitati, & pudori ſacra ſit, effrontes dicti ſint, quibus verecundia deperiit, & qui omnem honorem poſt tergum projecerunt: idcirco de his dictum eos *perfricatæ frontis* eſſe. Cum hoc Adagio Martialis perfrictæ frontis hominem, impudentiamque ejus percelluit, dum ait: *aut tum perfricuit frontem, poſuit pudorem.* Et M. Tullius *In Bruto.* in loco quodam: *nulla perturbatio animi, nulla corporis frons, non percuſſum femur.* Hic geſtus asperè à Quintiliano corripitur, cum ait: *Vitioſa enim ſunt illa intueri lacunaria, & perfricare frontem.* *De vitio pronunciationis. lib. 11.* Fabius Maximus Tullii Calvi audaciam deteſtatus eſt, qui cum Catone conſulatum petere non erubuit, quippe qui illo tum temporis tantò inferior erat: qui & in uſu habuit in primordio orationum ſuarum fricare frontem. Verba ejus hæc ſunt: *Lib. 9. ex Calv.* *perfrica frontem, & dic te digniorem, qui prætor fieres, quàm Catonem.* Seneca pari modo infatigabilis in inſtruendo Lucilio ſuo, ſic ait: *Lib. 5. Ep. 40.* *perfrices frontem oportet, & ipſe te non audias*, ſic eum Manutius citat. Omne hoc ad inverecundos pertinet, quos *effrontes* nominamus, unde dicitur: *Ex qua fronte hæc facies.* Itaque prout *Pudor* inter præcipuas virtutes, quæ animum humanum condecorant, cenſetur, ſic inſolentia, & proterva temeritas è contrario, cum ſine fronte ſit, non ſolum pro vitio, ſed ab iis, quibus ſenſus integer, & vera prudentia ineſt, non immerito defectus abominabilis reputatur.

Hilaritas & mœſtitia. Indicium animi læti & hilaris eſt, ſerenare & dilatare frontem: ſicut in oppoſito ſignum mœſtitiæ eſt, eandem obnubilare, & rugis obducere, unde & proverbia, vel axiomata prodierunt: *frontem exporrigere, frontem contrahere.* De hoc toto ſapienter *Lib. 11.* Plinius: *frons* & aliis, *ſed hominum triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſecuritatis index.* Hinc Terentius: *Exporrige frontem.* Et Horatius: *Sollicitam explicuere frontem.* *In Caſina.* Plautus alludendo ad jucundum colloquium, ſic ait: *Porrectiore fronte mecum loquaris, oportet.* Et alibi: *obducta fronte, contracta, caperata.* Et hoc nomen *Caperata* ſeveritatem indicat, deducta ſimilitudine aut translatione à capro, qui frontem cornutam & capitis ſuperficiem armatam habet: ſemper ad offenſionem præparatam, & promptam. Exinde nubila dicitur frons, & ſerena, & explicata, de iis, qui clari & dilucidi in verbis ſunt. Extat locus *Lib. 3. Carm. Od. 29.* admodum eximius poëtæ Venuſini in Lyricis ſuis:

Mundæque parvo, & ſub Lare pauperum
Cœnæ ſine aulæis, & oſtro
Sollicitam explicuere frontem.

De hoc quod rugoſa quandoque & nebuloſa monſtratur Cicero inquit: *In Cluent.* *Hic ille improbiſſimus quæſtu judiciario paſtus, contrahit frontem:* Rurſum Plautus. *Bacch.* *Spectatores ronchos cient, conſulcant frontem, & ore concrepante frequenter fremunt, & malè muſſitant.*

EPITHETA.

Epitheta qualitates occultas exprimunt. Epitheta non minus & ipſa, quam figuræ reliquæ orationis, lumen & claritatem ſignificationi rerum præbent, & non raro adjectivum quoddam eſſentiæ ſubſtantivi umbram eſſentialem adminiſtrat, dum videlicet per hoc ipſum occulta quædam objecti quod præ manibus eſt, in lucem panditur proprietas. Sic in Exemplo *aureus ſol* dicitur, non ſolum propter radios, quos jacit, qui auri ſimilitudinem referunt, ſed etiam quod in montium fodinis ad compoſitionem auri concurrit. Unde etiam, cum paſſiones, quæ celantur in corde pateſiant in fronte, hæc *Carm. 28. 3.* ab Horatio proterva nominatur: *Jam proterva fronte petet Lalage maritum.* Eadem ab eodem ſollicita vocatur: *Solicitam explicuere frontem.* Hirta dicitur à Seneca: *In Hyppol.* *Te frons hirta decet:* Supina à Juvenali: *Sartyr. 19.* *Totiesque ſupinam attolit frontem.* Ab eodem mobilis dicitur: *Non mobilis illi frons erat.* Obſcæna ab eodem: *Metuant obſcœnam attollere frontem.* Ferruginea à Statio: *In Theb.* *Et ferrugineam frontem diſcriminet anguis.* A Quinto Sereno appellatur ſevera: *Perpetuoque ævo frontem præſtare ſeveram.* Capillata à *Lib. 4.* Catone dicitur: *Fronte capillata poſt hæc occaſio calva.* Tenera à Martiali: *Et frontis teneræ cupis videri.* Decora à Manilio: *Illis cura ſui vultus, frontisque decoræ.* Honeſta à Pontano: *Decusque egregium formæ, & tot honeſtæ frontis honores:* Ab eodem lucida: *Lucida frons, caput auricomum, roſeique capilli.* A Conrado læta: *Lætaque frons, longe niveos anteibat olores.* Pura à Propertio: *Sive vagi crines puris in frontibus errent.* Manto venuſtam: *Frontemque venuſtam movit:* Eadem ſideream vocat: *Sideream circa, pulchro certamine frontem:* A Baptiſta Pio punicea dicitur: *Quamvis punicea ſudor de fronte cadebat.* Berenicea ab eodem: *Et Berenicea ludentes fronte capilli.* Sic cum variis procis ſignificationum, & nominum hic Protheus deambulat, & hic Chamæleon, Epithetum inquam, quod complementum, gratiam, & venuſtatem præbet objecto quocum ſe alligat, & quod amplectitur.

Nolim hic, Benevole Lector, ut me effrontem arbitreris, ſi te ad audiendam & legendam ſubjunctam Oden, ſat debilem & languidam invitavero. Partus & productiones Muſarum, non ſecus ac apum, non omnes ejusdem ſaporis ſunt, ſed pro diverſitate florum, quos ſugunt, & aëris quem reſpirant, diverſi ſunt. Cum enim videam me ad Aganippæi fontis, originem ſublimem pertingere non poſſe, in quo ſitim ſuam olores, canora voce dotati reſtinguunt, ſufficit paupertati meæ, in inferiori Pimpla mea commorari. Sol in ortu ſuo tam benevole canentes luſcinias, quam ſtridentem paſſerum vocem recipit. Itaque mi Lector, vices meas dole, & quæ hic tibi offero benignus lege, condonans deſiderio, quod ad ſervitium tuum hactenus exardeſcit.

Pro Argumento erit jam ſupra memoratum proverbium:

Frons hominem præfert.

Cum diverſitate æquivocorum, alluſionum, & proprietatum.

Campo tu di certami, ove garreggia
Con lo sdegno l' Amor, l' odio, e la pace;
D' infiniti penſier vaſo capace,
D' ogni affeto vital theatro, & Reggia.
Se il duol n' aſſal, ſe la letitia ondeggia,
Scuopre il tutto; del cuor nuncio verace,
Specchio de l' Alma, in cio che approua, ò ſpiace,
Onde o s' attriota, o ſpera, odia, ò carreggia
Varie linee dimoſtri, oue di vita
Volubile talhor corſo ſi conte,
E ogni'una il tempo a miſurar ne invita.
Generoſa ti ſcorgo, allor, ch' al' onte
Forte t' opponi, e reſoluta, e ardita
De perigli maggior reſiſti a Fronte.

OCULI, ET PALPEBRÆ.

Anatomia.

Poëſiæ.

Spiraculi de l' Alma
Fineſtre del deſio, porte del cuore,
Del ſenſo interior nuncii lucenti,
Chiare ſtelle, onde ha calma
Il tempeſtoſo pelago d' Amore;
Del Ciel de la Bellezza aſtri viventi.

SIc nobilis Vir Fr. Joa. Baptiſta Theodori, dum cæcitatis encomium deprædicat, ſubterfugere non potuit, quin pari modo applauſum debitum daret oculis, qui pars ſunt hominis, ut de externis loquar, maxime ſpectabilis, & æſtimabilis, pars maximè pretioſa, propter quam ab ipſo adeo omnipotente Deo colorum producta eſt variegatio, & omne ſubjectum viſibile creatum. Et ſicut videndi actus in operatione ſua prodigioſæ & admirandæ extenſionis eſt, ſic & organum de quo potentia prædicta elicitur, omnem admirationem, & ſtuporem tranſcendit. Mare illud aqueum, & cryſtallinum ſulcare cum lacera veli parte, ſi audere voluero, ſi cum obtuſa penna rimari & nervulos oculi, & pelliculas, & membranas, & tunicas, aliaque hujusmodi, hoc eſt, ſi ſuper his Anatomicum tractatum in perfectione ſua, à me poſtulaveris, idem erit ac ſi me ſponte in Anti-Cyram tranſtulero, ubi arrogans jactantia mea, Hellebori potu indigeat. Nec poſſum nec debeo diſtendi ultra, ut ex his mihi liber integer formetur, ſed non ſecus ac Canis ille Niliacus lambendo minutatim, ad moralia tandem me convertam, ubi materia & copioſiſſima, & ſuperabundans eſt.

Natura magna.

Hoc Organum itaque de tot particulis, & cum tali compoſitum eſt induſtria, ut veraciter cum Plautino & Sineſio, nec abs re, aut non inconvenienter appellari illud Natura magna poſſit: dum videlicet in tam exiguo corpuſculo apparent & concluduntur tot particulæ, tot tunicæ, muſculi, humores, nervi, venæ, & arteriæ, tam inter ſe invicem diviſæ, & disparatæ, & nihilominus hic in unum coacervatæ, & reſtrictæ. Oculus quaſi ab occulendo dictus eſt, tanquam qui ſub valle ciliorum ſinuoſa incluſus, & absconditus ſit. Hebræi illum *Oogen* appellant, quod altitudinem denotat, ut nimirum ſuccurrat homini, ſibi non quæ humi deliteſcunt, ſed ſublimia contemplanda eſſe.

Nomen oculi unde.

Figura eorum rotunda eſt, & quanquam in longitudinem aliquantum protendantur, ſituationem talem adepti ſunt, quæ capacitati, & agilitati, & robori eorum conveniat. Profeſſores Opticæ volunt, oculum objecti magnitudinem recipere non potuiſſe, niſi rotundum, & quod ſolum res ſibi æquales intueatur, & diſtinguat: cum autem ille orbicularis ſit, radios qui hic ex omni parte perpendiculariter concurrunt, frangi, hoc eſt, ad centrum pupillæ dirigi. Adhuc ratio alia de rotunditate eorum affertur, ut tanto videlicet expeditius, & copioſius videre poſſint: ſicut in rebus rotundis promptitudo eſt volubilitatis, revolutionis, & celeritatis.

Cooperiuntur palpebris ſuis tanquam ſepimentis, & circumvallationibus ſecuritatis. Admirabilis eorum ſympathia eſt, dum unus læſionem alterius facile ſentit: ſiquidem contigerit elevari unum, altero depreſſo, objectum bipartitum & duplex videtur: idcirco quod nervus ſecundæ conjugationis, qui oculos movet, continuus eſt: id quod à paucis obſervatum. Oculorum magnitudo tanta eſt, quanta ad objectorum recipiendam imaginem ſufficit. Natura eorum propemodum univerſa aquea eſt, mollis, lubrica, ſplendida, translucens, ut tanto promptius & ſpectra, & imagines, & colores recipiat. In ſolo homine virgati, vel radiati ſunt oculi, diverſorumque colorum: in animalibus quodque ſpeciem ſuam obſervat. Connectuntur autem nervo optico: delicatiſſimi, & vivaciſſimi ſenſus ſunt, unde facile offenduntur, & depravantur. Totum eorum corpus ſex muſculis conſtat, totidemque tunicis, humoribus tribus, nervis duobus. Circumdantur venis & arteriis quamplurimis iiſdemque exiguis, multaque pinguedine obſepti ſunt. Quatuor muſculos rectos habent, ut quæ recta ſunt videre poſſint: duos autem obliquos, ad videnda obliqua; De rectis unus ſurſum levatur, alter deorſum, tertius ad dextram, ad ſiniſtram quartus. Eandem omninò ſtructuram habent, de eodem principio progreſſi. Fallopius eruditè obſervat, nervum obliquum, qui angulum oculi majorem ferit, colligari cum funiculo quodam ſubtili admodum, & ab antiquis à multo tempore non obſervato: hic porro cum trochlea quadam vel rotula unitur, qui à memorato parvo fune involvitur. Hæc rotula, vel trochlea cartilago eſt, continens in ſe canalem, per quem funiculus ille tranſit, & cum membraneo ligamento pendet ab angulo: ita ut præfata rotula muſculum repræſentet: hinc ſi introrſum ab hoc fune trahitur, motu circulari oculus, verſus angulum majorem torquetur. Poſterior, hoc eſt angulus, qui & interior eſt, de fiſſura illa natus, quæ oſſa maxillaria ſibi invicem jungit, in angulum exteriorem, ex transverſo inſeritur, atque ita oculum quaſi amplexu quodam circumdat. Itaque ſex ſolùm muſculi ſunt, quibus periti, pro cujusque conditione nomina ſua impoſuerunt: primus appellatur elevatus, vel ſuperbus: ſecundus humilis, vel deprimens: tertius adducens, vel bibitorius: quartus indignatorius: duo reliqui, qui oculum circumagunt, circulares vel amatorii nominantur, eo quod horum motus, non niſi per affectus fiat.

Natura oculorum.

Nomina muſculorum.

Tunicarum officia.

Poſthæc ſequuntur tunicæ oculorum, in hunc finem compoſitæ, ut circumdent & ambiant humores aqueos, cryſtallinos, & vitreos: quædam earum oculum capiti annectunt, quædam cum ſplendore ſuo & luciditate rerum viſibilium ſpecies admittunt, quædam præterea calefaciendo & conſervando ſpiritui, quædam refractioni externi luminis deſerviunt: quædam denique alimentum ſuggerunt. Quod earum numerum attinet, ut controverſiis nullis me hic ingeram, cum moderniori ſchola, earum ſex eſſe ſtatuo, juxta numerum muſculorum. Prima à latinis conjunctiva nominatur, ſed & alios titulos ſortitur, nam & nata, & inhærens, & candida, & pinguis, & conſolidativa dicitur: cujus ope & interventu oculi à ſe invicém vicini, conſiſtunt, ne quovis modo exorbitent. Hinc & Conjunctiva nominatur, eo quod oculos connectat, & invicem ad ſibi contiguas partes liget. Hæc tunica ab extimis pericranii partibus naſcitur, nec vero integrum oculum cooperit, ſed ad circulum usque, qui linea orbicularis appellatur, pertingit.

Prima Tunica conjunctiva.

Triplex ejusdem uſus eſt: primus, ne videlicet oculus duritie oſſis offendi poſſit; ſecundus, ut capiti oculus connexus ſit & ne vagabundus hac illacque motibus externis & exorbitantiis ſuis circumferatur: ſed ut in ſedibus ſuis muſculos (qui tertius uſus eſt) ſolidatos virtute ſua contineat. Altera tunica Corneæ nomen habet, quippe quæ duritie ſua, & nitiditate, & claritate, pellucidum terſumque cornu imitatur. Naſcitur autem de cerebri membrana craſſiori, inde medullam nervi optici ambit, atque ita integrum oculum veſtit. Subſtantia ejus duriuſcula eſt, & denſior, ut ſic fortitudine ſua, & tenacitate objectis exterioribus reſiſtat, ne inde læſionem patiatur. Admodum craſſa non eſt, ut tanto commodius viſibilium ſpecies admittat, & ut lumen externum expeditius ad humorem cryſtallinum ferat. Ex omni parte lævis eſt, polita, lucida, ut lumen ſine impedimento emittat. Nec venas, nec nervos, nec arterias habet, obſtaculum enim perfectæ viſionis potentiæ fuiſſent. Alimentum ſuum ab uvea tunica, ſibi propinqua nanciſcitur. Uſus illius duplex eſt: primus ut humori cryſtallino tanquam propugnaculum & cuſtodia ſit, eundem ab externis frigoribus conſervans, æque ac de nimiis æſtuationibus caloris: alter uſus eſt, ut tenuiores tunicas amplectatur, & ſic easdem tueatur, & defendat.

Tunica ſecunda cornea.

Officium Tunicæ corneæ.

Tunica uvea.

His ſuccedit Tunica tertia, quæ non alia de cauſa, dicitur uvea, quàm quod uvæ acinum, aut ejusdem folium repræſentet, de cujus medio pediculus quidam levatus, vel tractus eſſe videtur, hinc ejusdem figuram, colorem, tenuitatem, & levitatem externam præſefert: & hæc per modum corii recolligit, & fortificat vaſa reliqua tunicarum: & de membranâ quadam tenui, & lævi derivatur: talis eſt ſubſtantia illius, quamvis hic aliquantum craſſior ſit, quàm in cerebro, ut nimirum cryſtallinum humorem, & reliquas partes ſibi ſubjectas tueri poſſit. Originem ſuam à membrana quadam tenui habet, quæ nervum opticum inveſtit; dilatata vero in circulum, totum oculum circumdat, excepta anteriori parte, in qua aliquantiſper comprimitur, & viam parat foramini rotundo, & ſat minuto: & aliud non eſt, quàm pupilla vel pupula nigra oculi, ejusdemque feneſtra. Poſthæc in parte poſteriori ſe binis nervis optico, & reticulari connectit, & cum involucro quodam fibrarum Tunicæ corneæ cohæret ad Iridem usque: ab anteriori parte nihilominus absque vinculo, & libera eſt, ut in affluentia vel ſpirituum, vel luminis dilatari poſſit. Hæc ſola inter cæteras tunicas hoc privilegio gaudet: quod colorata eſt, nec tamen ubivis eodem colore. Pars anterior, quæ humorem aqueum & cryſtallinum reſpicit, nigreſcens eſt, & obfuſca: Exterior quæ Iridem conſtituit, jam cærulea, jam nigra eſt, pro diverſitate temperamenti, quod in oculo eſt. Pars poſterior, quæ ab intro quaſi virgulis & lineis variegata eſt, primum ſubalba apparet, deinceps viridis, hinc cærulea eſt: quamvis forinſecus ubi corneam verſus reſpicit, fuſca & nigricans eſſe videatur.

Uſus uveæ.

Varius ejusdem uſus eſt: primo loco, humorem cryſtallinum defendit, ne à duritie corneæ offendi poſſit: ſecundò, ut alimentum tunicæ reticulari præbeat: præterea ut colore ſuo & nigro, & cæruleo diſſipatos ſpiritus in unum colligat, luminisque externi ſplendorem refringat: atque idcirco in hac cryſtallinus humor, tanquam in ſpeculo recreatur, & vigorem aſſumit, unde etiam attributa, mollis, variatæ, perforatæ, & venoſæ adepta eſt.

Tunica aranea.

Succedit huic quarta tunica, aranea dicta, tenuitate enim, & ſubtilitate telam aranearum æmulatur. Hæc humorem cryſtallinum ambit, & eundem à tergo circumdat, & involvit, atque ideo tenuem eam, lucidamque eſſe oportuit, ne videlicet ulla craſſitudine ſenſum viſus offendere poſſit, proprium illa tutamen, & quaſi tegimen cryſtallini humoris eſt: per interſtitium ciliare partibus vicinioribus connectitur: alias venas, quàm ciliares, vel palpebrales non admittit.

Tunica reticularis.

Hic rurſum quinta tunica profertur, quæ reticularis dicitur, eo quod in compoſitione ſua reti non diſpar ſit. Hæc de ſubſtantia medullari nervi optici naſcitur, dilatatâ & extensâ: atque idcirco mollis eſſe, & candida animadvertitur: cerebroque abſterſo & loto non abſimilis. Hæc ſpiritus viſioni famulantes diffundit per humorem cryſtallinum, & oculum univerſum, ejusdemque illic alterationem recipit, portans ſpectra, & imagines rerum viſarum ad cerebrum tanquam Judicem.

Tunica vitrea.

Ultima tunicarum, & ipſa longo tempore etiam eruditis viris incognita, nomen vitreæ conſecuta eſt eo quod humorem vitreum ambiat, & circumdet in cujus medio interſtitium ciliare comparet, ſimilem figuram repræſentans: eſt autem prolongatio quædam quæ tenaciter choroidem humoris cryſtallini, cum uveo colligat; appellatur autem à Fallopio ligamentum, vel nodus: ſeparat & diſtinguit humorem aqueum à vitreo, ne invicem commiſceantur. Quidam tunicam ſeptimam adjungunt, de tendinibus muſculorum compoſitam.

Humores.

Itaque cum jam tunicæ expoſitæ ſint, ſcaturiunt poſthæc humores, aqueus, cryſtallinus, & vitreus: inter quos ſupremum locum & præcipuum obtinet Humor cryſtallinus, omni adamante pretioſior, & omni gemma illuſtrior: unde & anima oculi, & centrum ejusdem, & ſpeculum internum titulatur. Hic ſolus eſt, qui colore alteratur, qui ſpectra & imagines rerum viſibilium recipit. Hic nihilominus per guttam caliginoſam offenditur, quæ ſuffuſio nominatur; unde ei videndi actus interdicitur, tanquam lumine extincto. Hæc ſi ſedem ſtabilem fixerit, omnis etiam videndi potentia, & facultas ſupprimitur. Omnes reliquæ partes conſervant, magisque habilem, & acutam hanc potentiam reddunt: his autem tanquam præcipuis partes inferiores, tanquam miniſtræ deſerviunt.

Humor cryſtallinus cæteris pretioſior.

Hic humor tunica cornea inſtrumento utitur, non

ſecus ac vitro quodam, ut tanto perfectius lumen ſuum de uveo emittat: per modum amœniſſimi horti, ubi colorum omnigena diverſitas in plantis cernitur. Pupilla illic feneſtra oculi facta eſt: tunica aranea varias ſpecies retinet, ne effugiant. *[Humor aqueus.]* Humor aqueus, velut propugnaculum, ſplendorem luminis externi reverberat, factus mediator ad portandas imagines. Vitreus in ſimilitudinem coci, alimenta ſuggerit. Nervus opticus ad portandum ſpiritus rei viſæ ad humorem cryſtallinum ſervit, traducens eos ad cerebrum usque, tanquam harum ſpecierum judicem & arbitrum. Humor aqueus albuminoſus eſt, & tenuis, non abſimilem habens ab ovi albumine conſiſtentiam. Avicenna hunc humorem glaciale excrementum vocat, quamvis id, pro plurium Doctorum ſententia, immeritò. Hic in anteriori parte fixus, & locatus eſt, ut humori cryſtallino pro tutela ſit: medium etiam eſt, quo imagines perferantur. Hic humiditate ſua ſine intermiſſione partes tunicæ uveæ interiores irrigat, ne ex perpetuo motu exareſcat. Uveam à cryſtallina disjungit: corneam tunicam perpetuò diſtentam tenet, quæ ſi ex incurſu alterius cum altera corrugetur, continuo videndi actus intercluditur. Pars autem eſt oculi viventis, & ſpermatica, & nullatenus excrementum.

[Cryſtallinus glacialis.] Secundus humor, ſicut Galenus interpretatur, cryſtallinus & glacialis dicitur, quaſi qui concretam glaciem repræſentet, & quia per modum cryſtalli lucidus eſt. Avicenna eum guttam, vel grandinem appellat. Actius à figura lentis, quam præſefert, eum lenticularem nominat. Hujus integra ſubſtantia non niſi aqua eſt, quæ tamen non diffluit, ſed ſicut albumen, aut vitrum, denſa eſt, & conſiſtens, ut cryſtallus: idque ut illic ſimulacra figi poſſint: lucida eſt, non opaca: tenuis non craſſa, ne tam facile lumen amittat: alieni coloris expers eſt, ut omnium colorum receptaculum eſſe poſſit. Figura ejus rotunda eſt, quamvis non in globum perfectum compoſita. In medio propemodum oculi hic humor ſitus eſt, tanquam in centro, ut lumen tam externum, quam internum admittat. Connectitur anteriori parte ſua humori albuminoſo, poſteriori parte humori vitreo: quibus utrisque mediante tunica ciliari conjunctus eſt.

[Humor vitreus.] Tertius humor vitreus dicitur: certa enim craſſitie ſua, & conſiſtentia, vitro non abſimilis eſt; Hic nihilominus in colore ſuo, & luciditate condenſatus, & conſtrictus eſt. In parte poſteriori ſitus eſt, ut cryſtallinum admittat: ſed in medio concavitatem habet. Subſtantia ejus mollior eſt humore aqueo, quantumvis fluidiore. Alimentum præbet cryſtallino, eundemque conſervat ne à duritie membranarum infeſtetur: continet ſpiritus viſioni ſervientes, ut inde ſe ad illuſtrandum humorem glacialem transferant. Sed cum hic liber ex profeſſo pro Anatomica ſcientia inſtitutus non ſit, video me ultra debitum limites meos exceſſiſſe, quamvis in tanta dicendorum abundantia videor non immerito dicere, me nihil hactenus dixiſſe. Itaque aliis hanc provinciam relinquo, ut tibi amice lector diffuſſiorem, copioſioremque ſuppeditent materiem, de nervis nimirum oculorum, de quibus, ſicut & de ſuperioribus omnibus volumina integra repleta ſunt. In his doceri poteris, quisnam inter illos ad viſionem, quis ad motum pertineat, eidemque miniſterium præbeat. Quomodo primus eorum, qui calvaria continentur, opticus vocetur, nobiliſſimus & ampliſſimus, in ortu ſuo ſeparatus à reliquis: hinc vero introrſum obliquè diſtentus ſit. Cernere tibi inpromptu erit, qualiter hi nervi æqualem planitiem obſervent in pupilla: ſine hac enim conjunctione & amplexu mutuo, deluſus oculus, unum pro duobus objectis ſumeret. Hierophylus meatus viſorios nominat. Hos reperies in nativitate ſua continuum poſſidere motum, unde non immeritò funem quendam conſtituere videri poſſint: proinde accidit, ut ad unius oculi commotionem, neceſſario ſecundus quoque ſine interpoſitione temporis moveatur.

Illic inventurus es, cum quanta omnipotentis Dei manus largitate, quæ hæc eadem produxit, per nervos, venas, & arterias, ſpiritus viſibiles ad oculum usque deducantur, idque cum abundantia admirabili, & cum quantitate ſufficienti, qui ſpiritus & naturales, & vitales ſunt. Hinc evenit ut pro eorum quantitate majori vel minori, in oculis non eadem ſemper magnitudo cernatur, nec idem ſplendor; Sed hi aut plus aut minus languidi, & obſcuri ſunt, ut in iis accidit, qui rebus venereis cum immoderatione dediti, aut qui morti proximi ſunt. Obſervare tibi licebit quam verum ſit illud, quod uno oculo clauſo, pupilla alterius ſine mora dilatetur, propter ſpirituum copiam, qui in tunicam uveam deſcendunt.

Oculus copioſa pinguedine circumdatus eſt, hocque ut in motu continuo, nec nimium calefiat, nec verò etiam ſiccetur, ſicut ab eadem à frigore nimio conſervatur. Denique illic paucæ quoque carunculæ ſunt, aut glandulæ vicinæ, & continuæ oculo: quæ impedimento ſunt, ne lacrymæ, aut verò alius humor nocivus plus debito genas infeſtet: angulum etiam ab omni ſorde purgatum & ab omni acrimonia liberum tenent: Hinc eſt quod hæ glandulæ humorem omnem de cerebro venientem abſorbent: eodemque oculum irrigant, & ad commotionem magis idoneum reddunt: per has humorum copia effunditur, dum lacrymæ deſtillant.

Maxima documenta, problemata, quæſtiones, & præcepta de his tibi ſumere licebit: ſed prius mihi de palpebris cum omni brevitate dicendum, tum & de ciliis. Dixerim itaque hæc duo, per Architectum naturæ fabricata ut parti tam eximiæ corporis humani, & quam cuſtodiri tantum intereſt, pro tutela eſſent & munimento: *[Cur palpebræ creatæ ſint.]* id quod juſtiſſimum erat, quamvis enim oculus tenerrimus ſit, & delicatiſſimus, vento nihilominus, & fumo, & animalculis, aliisque corpuſculis expoſitus eſt: atque ideo ne ab his repentino damno affici poſſet, his cuſtodiis & munitionibus circumſeptus eſt.

Adjungitur oculo potentia negativa: ut videlicet ei liberum ſit, ſi ſic voluerit, non videre quod ei diſpliceat. Aures enim & nares nunquam non patent, ſed oculi pro libitu reſerantur. Nomen ſuum palpebræ à palpando traxerunt, eo quod ſine intermiſſione moveantur, & ſe invicem contingant. Earum compoſitio de ſubſtantia cutis eſt, cartilaginea, & muſculoſa: ejusdem cutis laxa admodum eſt, ut corrugari, & contrahi ſine mora poſſit. Cartilago neceſſaria fuit, primum ut motus expeditior eſſet, eundem enim adjuvat, æqualiter aperiendo, & claudendo oculos, ut tanto facilius objectis exterioribus reſiſtant: deinde ut in hac duritie tanto firmius & ſtabilius plantarentur pili, qui omne objectum foris imminens ab offenſa oculi arcerent, hæ cartilagines ab omni etiam minimo oſſe exemptæ ſunt, figuramque ſemicircularem habent: Introrſum membranulis qibusdam veſtiuntur, forinſecus cute. Ad earum etiam ſtructuram muſculi nonnulli concurrunt, qui ad oculos aperiendos, & claudendos neceſſarii erant. Binæ ſunt hæ palpebræ, ſuperior, & inferior: quarum illa in homine major eſt inferiore: ſicut & in animalibus, quibus inferior ſine motu eſt. Superior igitur
&

& ſurſum & deorſum movetur: ſurſum trahitur à muſculo, qui ab interiori rotunditate, & quaſi ab eodem principio, quo oculus derivatur: dum hæc levatur oculus pateſit: clauduntur ambæ per muſculos itidem binos, quorum extremitates ſe invicem dormiente homine conjungunt, & de rubedine ſua ungulæ nominantur. Pars ſuperior cava, pars inferior ſubcava nominatur. Transeamus nunc de palpebris ad

CILIA.

Pili, qui in palpebrarum ſummitatibus enaſcuncuntur ab Ariſtotele & Nicandro cilia, & gazæ appellantur. Celſus eos polluces appellat, eo quod eleganti ordine compoſiti, ornamentum vultui præbent. Polluces, inquam, qui lucem Tyndaridam promittunt, cum tranquilitate aſpectuum. Hi pili per modum valli ſpiritus viſibiles dirigunt, ſicut & radios, qui ab oculis egrediuntur: & palpebris ſimul juncti ad tutelam oculi concurrunt, adverſum noxia, quæ eidem imminent: prout eſt pulvis, inſecta, fumus, & hujusmodi alia: hinc ille motus eorum tam frequens viſum recreat & facilem reddit, eundemque defendit, ne improviſo quodam rei incurſu moleſtetur. Superioris partis pili aliquantum ſurſum verſus curvantur, idque per ſingularem artificis Dei providentiam: ſi enim ſecus fieret, & deorſum verſus ferrentur, umbram oculo crearent, & obſtaculo eſſent, ne libero intuitu cælum intueri liceret, ad quod tamen nati ſumus. Pili inferiores deorſum incurvati ſunt. Partes palbebrarum, quæ ad latera ſimul ſe tangunt, anguli à latinis vocantur: qui duo ſunt: unus eorum naribus confinis, alter temporibus: ille, utpote grandior, internus major, & domeſticus vocatur: Pollux ab Heſychio: de quo etiam lacrymæ prodeunt. Alter verò *minoris* nomen ſortitus eſt, & per barbariſmum *Salvatici.*

[Supercilia.] Superſunt examini noſtro ſupercilia. Quæ & ipſa non minus ad tutelam oculorum ordinata & compoſita ſunt. Hoc nomen eis inditum, quia ciliis ſuperpoſita. Hirſutæ frontis extremitates ſunt, aut vero pili ſupra oculum enati. Horum pars vicina naribus, caput, pars temporibus propinqua; cauda vel finis appellatur. Spatium illud quod in ortu naſi, intra hos pilos patet, Intermedium dicitur. Hippocrates illud Intercilium vocat. Strato illic animæ ſedem præcipuam ſtatuit, prout in libris ſuis memoriæ reliquit. Eo quod ſæpe in arcum eleventur, ſæpe deprimantur, jactantiæ illic ſedem, & arrogantiæ deſtinarunt Poëtæ, prout loco ſuo palam dabitur.

Illorum officium eſt, inquit Galenus, ut ſe molibus opponant, aut easdem recipiant in ſeſe, utpote quibus aut ferendis oculus par non eſt, aut quæ oculum offenſuræ erant. Hæc ſupercilia ex cute compoſita ſunt, intertextâ plurimis fibris carnoſis, quæ de muſculo frontis oriuntur, & de pinguedine duriori & craſſiori. Hæc igitur cutis cum reliquo apparatu ſuo per modum propugnaculi ad munimen oculorum locata eſt. Dura eſt, ut in æquali numero ſe pili coacervent, nec inæqualiter diffluant: & quemadmodum in paluſtribus locis iisdemque macris non niſi ægrè admodum vegetabilium proventus expectandus eſt, ita & in corpore humano, ubi nimia ſiccitas eſt, aut nimius humor, pili nulli naſcuntur. Hæc cutis præterea & muſculoſa eſt, & laxa, ut tanto promptius, prout experientia nos docet ſusque deque moveri poſſit. Pili ejus æqualis longitudinis ſunt, numeri, & ſpiſſitudinis: ſi ſecus eſſet, non tam facili negotio ſeſe objectis exterioribus opponerent: longiores enim & denſiores pupillam oculi tegerent, & viſui impedimento futuri fuiſſent. Itaque illorum inſertio obliqua eſt, non recta, ut quidquid illuc inciderit, tanto facilius ab oculis avertatur. De hoc magno fonte igitur, ad ſatiandam Lectoris curioſitatem, ſufficiat me hos quatuor rivulos delibaſſe. Interim præſto ſunt, cuique id volenti, volumina diligentius à Protophyſicis & Medicis, tum & acutius elaborata: ubi hæc potiſſimum quæſtio agitatur, an viſio per transmiſſionem, vel receptionem formetur, ubi natura viſionis dilucidius exponitur: cum verò inſtituti mei non ſit ſolis philoſophicis immorari, ſed univerſalibus, hic pedem figo, & ad hoc accingor, ut nonnihil etiam conſideretur oculorum

DIGNITAS.

ADorabant Ægyptii Solem, eundemque Mundi oculum appellabant, credentes filium hunc viſibilem inviſibilis eſſe DEI. Oculi humani duo itidem ſunt microcoſmi, aut parvi mundi lumina: hi oculi dum ſpectra, univerſarumque rerum imagines repræſentant, in iisdem delectantur, omnemque in ſe formam, magnitudinem, qualitatem, & diſtantiam recipiunt: id quod ſingulare eorum privilegium eſt, nulli reliquorum ſenſuum indultum. Plato *diviniſſimam partem* appellat oculum: *ſunt,* inquit, *oculi participes ignis cæleſtis, qui non urit, ſed illuminando ſuaviter diem invehit mundo.* Orpheus oculos naturæ ſpeculum nominat: Heſychius partum Solis: Alexander Peripateticus, feneſtras animæ. Imo vero negari nequit eos animæ indicium eſſe, ſicut vultus animæ imago eſt, ubi illa præcipuam ſedem fixit, in vultu audiens & videns. Intuentur oculi, amant, & deſiderant: iram monſtrant, & furorem, & miſericordiam, & vindictam: audacium oculi prominent, reverentia eos coërcet, amor blandos, odium feros reddit, læti ſubrident, mœſti languent, irritati exaſperantur: dum curis homo & cogitationibus agitatur, & ipſi quoque menti ſollicitæ acquieſcunt, ejusdemque intricatis meditationibus & ipſi quoque intricati videntur: unde etiam à tot commotionibus, varia inſuper Epitheta ſortiuntur, prout infra palam fiet.

In hunc modum compoſiti ſunt, ut motus animorum exprimant, ita quidem, ut nulla videri poſſit inter animam oculosque diſparitas. Ad quod reflectens Blemor Arabicus, & Sineſius Medicus Cyprius, ſedem animæ in his ſtatuerunt. Galenus vir alioquin tam excelſæ doctrinæ, ab hac nihilominus oculorum inenarrabili ſymmetria convictus, eos organum lucidum appellat, tum deinde alibi ſolarem animantis particulam, alibi membrum divinum, quos tantopere æſtimat, ut dicere non vereatur in eorum gratiam, & conſervationem univerſum cerebrum conſtitutum eſſe.

De his, tanquam de terſiſſimis ſpeculis indicia mortis & vitæ enuntiantur, & deducuntur. Cumque lucidiſſimi ſint, & pretioſiſſimi, minimo etiam nævo offenduntur, non ſecus ac in ſpeculo clariſſimo fit, & in veſte auro intertexta, & opere plumario depicta. Conſtans & perpetuus eorum ſplendor, proſperitatem ſecuturæ vitæ promittit. Magnus Peripateticus noſter, de eorum conſtitutione bona, ſigna vivida fecunditatis exoptatæ deduxit. *[2. De Gener.]* Oculi (inquit vir hic doctiſſimus,) pleni ſpiritu ſunt, turgidi virtute ſeminali: idcircò noviter nuptis concidunt, & rugantur. In loco nobiliſſimo, & elevatiſſimo corporis humani ſituati ſunt, tanquam nocturni, diurnique exploratores negotiorum noſtrorum, de longinquo noxia, & profutura proſpicientes. Defenduntur à naribus, quæ tanquam murus ad eorum
cuſtodiam

cuſtodiam eriguntur. Ut paucis complectar, non immerito Orator Demoſthenes, *Oculi*, inquit, *morum indices* ſunt, & S. Auguſtinus: *Oculi ad cognoſcendum inter ſenſus principes ſunt.* Et Quintilianus, ſi quid homini contingere in vita deplorabile poſſit, hoc eſſe ſenſit, ſi lumen oculorum amiſerit: *Totius*, ait, *hominis debilitas eſt, oculos perdidiſſe.* Horum gratiâ potiſſimum omnipotens Architectus ſtructuram terrenæ molis hujus efformaſſe: horum gratia diſtinxiſſe colores, ſtabiliſſe elementa, & mixta: id quod natat in mari, volat in aëre, in terra currit, id quod extenditur, quod movetur horum gratiâ productum videtur.

In Orat. Amat.
Lib. 10. Confeſſ. c. 35.

Lux ipſa, corpus hoc diaphanum, vel transparens, imago & figura ſplendoris æterni, ſi ab oculo cerni non poſſet, nonne vana & fruſtratoria futura fuiſſet? Exuberent campi, pingantur prata floribus ſuis, ſcaturiant fontes, cuncta hæc oculorum gratiâ fiunt. Paupercula mens hominis, & infelix intellectus, ſiquidem ei ſolo auditus inſtrumento utendum eſſet; ſed cum quanta facilitate, & felicitate corporeus oculus mentali oculo cognitionem impertit? Hic in cauſa eſt, quod facilior nobis ſcientiarum, & doctrinarum conquiſitio eſt: Hic ſolus varietates corporum animadvertit, ſicut & magnitudines, figuras, numeros, proportiones, ſitum, motum, & quietem. Hinc Plato in Timeo ſuo virtute oculorum ſuorum ſe proteſtatur in poſſeſſionem philoſophicæ cognitionis perveniſſe. Et Philo admirabiliter dixit: *Defluxit philoſophia de cœlo in hominum animos; ſed oculis ſequeſtris deducta eſt in hoſpitium.* Idem alibi: *quod mens in animo eſt, id eſt oculus in corpore; videt uterque altera intelligibiles, alter res ſenſibiles; viſus mentis ad noſcenda incorporea: oculi ad contemplationem corporum.* De his omnibus, iis etiam, quæ ſequentibus capitulis tractabuntur, facile apparebit, quanta ſit magnitudo, & dignitas, quantus honor oculi, Solis inquam hujus corporei.

Lib. de ſpecial. legibus.

HIEROGLYPHICA.

NIſi quis tam vecors eſt, qui negare auſit, cum tamen periculo animæ ſuæ perſuaſum ei eſſe oporteat, officii noſtri eſſe ut contemplatione intellectum ad cæleſtia erigamus, unde ortum ſuum traxit, & ad quæ deinceps curſu vitæ noſtræ tendimus: nemo vitio mihi vertet, ſi in conſideratione Hieroglyphicorum, exordium meum à Principe altiſſimo & Creatore oculorum, hoc eſt Deo, in explicatione mea ſumpſero.

Ægyptiaca itaq; ſapientia volens nobis ſubſidium, vigilantiam, & providentiam Creatoris Dei, ponere ob oculos, quibus nimirum gubernacula mundi tenet, ſceptrum figurabat, cujus apici patens apertusq; oculus ſuperimpoſitus erat: intelligendo per hoc,

Oculus in apice ſceptri.



quod ſicut oculi in minori mundo ſupra articulos reliquos, & humani corporis membra & muſculos principatum tenent, moderatores & rectores omnium actionum noſtrarum, omniſque boni noſtri, dotati pulchritudine & decore, atque idcirco ſingulariter præ membris reliquis, privilegiis ſuis præcellentes: ſic Deum mundi magnum oculum (ſicut à prophetis nominatur) & pulchritudine, & venuſtate, & omnipotentia ſua, & virtute tranſcendere univerſa entia rationalia, & creata (plus quàm vivaciſſimam aquilam) de ſummo cæli vertice recondita quævis penetrare, non ſolum occulta vallium, ſed intima quoque cordium penetralia. Ita enimverò cum ſcripturæ ſacræ de oculo ratiocinantur, id de Deo interpretandum inquit Eucherius, cujus puriſſimæ, & fœcundiſſimæ intelligentiæ nil non opertum eſt. S. Cyril-

Lib. 9. Apolog.

S. Cyrillus condemnat, & explodit cavillationem, & mordacitatem Juliani Apoſtatæ, qui oracula viri ſancti Moyſes reprehendit, eo quod verbis non claris nec manifeſtis, ſed occultis nos erudire voluerit, ſupra quod etiam his verbis contra eum garrit: *Hi omnes qui antiquitus habiti ſunt ſapientes, hujusmodi inſtitutionis genere uſi ſunt.*

Sic per ſceptrum regalis dignitas intelligitur. Etiam quædam altiſſimi Dei præter hæc, in oculo ſimilitudo deprehenditur; dicitur enim oculus habere in ſemet radium quendam, vel Ideam lucis, quæ paradiſum condecorat, & ornat: Magnum lumen, magna Pharos civitatis illius immenſæ: de hac inter homines, quidam parcius, quidam liberius participant. Sic de Tiberio Tacitus Suetonius recenſent, quod nocturno ei tempore æquè ac diurno viſio oculorum clara & diſtincta fuerit: idem de Antonio Sabellico narratur. Sic altiſſimus Deus Lux rerum omnium, ſplendor mundi, & oculus univerſitatis non immerito appellatur, & creditur. In hac ſe figuræ prophetæ Jeremiæ videndum dedit, cum in viſione vocatum eum interrogat, quid rei videat, qui ei reſpondit: *Virgam vigilantem ego video*, unde rurſum Deus: *bene vidiſti, quia ego vigilabo ſuper verbum meum, ut faciam illud.* Hæc Idea eſt, vigilantiæ, quam habere Principem oportet, de quo ſufficienter mihi dixiſſe videor in *Davide meo muſico armato.*

Cap. 2.

Idea exacti Judicis, qui ſomnolentus non eſt, ſed vigilans, cauſæque ſuæ intentus, repræſentabatur in oculo aperto: atque ideo Plato libro nono legum juſtitiam ſpeculatricem nominavit, & vindicem: Chryſippus ait: *Oculos juſtitiæ eſſe rectos, acres, atque immotos: & qui rectè judicaturus eſt, non oportet huc illucque ab honeſto deflectere.* Idem ipſum ob oculos ponitur in Scena Diphyli Comici: *Eſt qui tuetur cuncta juſtitiæ oculus*: & de antiquis Epigrammatibus habetur: *Cernunt omnia quæ fiunt lumina juſtitiæ.* Arianus tradit populos Bithyniæ tribunale ſuum contra faciem ſolis erexiſſe, atque illic cauſas egiſſe; credebant enim in cauſarum elucidatione ſat luminis non habere, niſi hic Planeta luminoſis radiis ſuis opem ferret. Si hæc lux eſſet eis in mente, non eſſe purpuram rebantur usque adeo pretioſam, & copioſam, quæ huic pallio comparari poſſent.

Tribunale juſtitiæ erectum contra faciem ſolis.

Inter varias rationes propter quas congruum viſum fuit Solem Mundi oculum appellare, hæc non inter poſtremas eſt, quia in ſimilitudinem eſt oculi, qui illuminat, lucernaque eſt microcoſmi. Sic & ſidus Solis mundum majorem clarificat. Itaque & ab Ægyptiis Oſiris appellatus fuit, ſive id factum ſit ad exaltationem ſummi ſtatûs, & divitiarum ditiſſimi Regis; aut quia nomen hoc è binis ſignificationibus compoſitum eſt, hoc eſt de *Os* & *Iris.* Prius illud ſignificat tantundem ac *multùm*, ſecundum autem ſignificationem *oculi* habet, inſinuando tot eum oculos habere quot radios: itaq; & in forma ſceptri ramoſi, vel frondoſi repræſentabatur, in cujusque rami apice oculus erat. Veſtiebatur hic Sol, aut vero Rex veſtimento aureo, ſed tranſparente & lucido, ut vigor & valor ejus indicaretur: hinc Mantuanus noſter Homeri ſenſum mutuatus inquit:

Sol qui terrarum flammis opera omnia luſtrans.

Ex Pierio de Sole.

M. Tullius hæc pulcherrima verba in ſcriptis ſuis dedit, *Solem*, inquiens, *mundi mentem eſſe, & temperationem.* Quod univerſum, ni fallor, de obſervatione ſacerdotum paganorum deſumptum eſt, qui cum judicem & hominem moderatum indicare vellent, figuram ſupramemoratam, oculi ſceptro ſuperimpoſiti monſtrabant, de quo ſceptro tamen rami multi egrediebantur qui invicem implicati, & compoſiti figuram præfatam exponebant.

Hinc apparet, & facile deducitur, quanta ſagacitate, conſideratione & prudentia indigeant, qui præſunt, & qui clavum gubernaculi tenent, & ſceptrum in manibus geſtant. *Maturandum* eſſe clamat alta voce Alciatus? Hoc punctum M. T. Cicero admirabiliter in loco quodam tangit: *Docto homini atque erudito cogitare eſt vivere*: Item alibi: *In omnibus quid tempora petant, aut perſonis dignum ſit, ſemper conſiderandum eſt.* Celeritas nimium immatura Marcelli Conſulis parum abfuit, quin Imperium Romanum Univerſum in periculum ruinæ traheret, & verſuti Hannibalis inſultui exponeret: Interim cunctatio Fabii Maximi rem Romanam, reſtituit, urbemque illam & muros inclytos conſervavit: *Temeritas enim impetus eſt ſine ratione*, inquit Demoſthenes.

Conſiderare, & ponderare res ſuas.
4. Acad.
2. de Invent.
Apud Stobeum.

Ab exactitudine oculorum, eorumque promptitudine ad corpus humanum inſpiciendum, & eidem in quavis neceſſitate ſubſidium opportunum præbendum, penè univerſa ſapientium ſchola hominis ſimilitudinem traxit, qui rei cujuſpiam fidelis cuſtos eſt. Unde ſæpe duo oculi ſupra humanum caput depicti apparuerunt cum ſequenti Epigraphe: *Dis Manibus.* Capita enim apud Ægyptios pro his Diis acceptabantur: ſicut oculi divinitatem repræſentant.

Oculi ſupra caput hominis.



Ineffa-

Ineffabilis & admiranda eſt vigilantia, qua cuſtodiunt & qua cuſtodiuntur oculi; quocirca & obſervator Euthimius, Rerum cuſtodia. Pſ. 17. ſupra id quod inquit David: *Cuſtodi me Domine ut pupillam oculi*, hæc ſequentia refert: *Tunica ſuper tunicam, & alia quædam integumenta eam muniunt, quorum alia tenuia, & tranſlucida ſunt, ne ullam pupillæ, quæ ſuapte natura humida eſt, ac perinde mollis, inferant aſperitatem: alia verò exterius craſſiora, ut palpebrarum tunica, quæ duobus eſt ſemicirculis diſtincta, ut pulveris aut aëris incurſum, & parvula quoque animalia in oculos involare ſolita repellat. Quin pilis etiam vallatæ ſunt, ut ſudorem prope fluentem alio avertant, neque in oculum influere permittant: acutum enim & ſalſum ſudorem eſſe, ac perinde moleſtum, & cruciabilem, ſi oculum attigerit, futurum.* De his omnibus facile patet cum quanta exactitudine, & diligentia cuſtodienda ſint, & conſervanda, quæ cuſtodiæ noſtræ conſignantur. *Qui cuſtodiæ præeſt, debet cuſtodiæ obſervantiſſimus eſſe*, ait Plutarchus. Dec. 1. Probl. 2. de arte amandi. lib. 1. Sic etiam Ponti incola nos monet.

Non minus eſt virtus, quàm quærere, parta tueri,
Caſus ineſt illic, hic erit artis opus.

Et Lucanus:

O faciles dare ſumma deos, eademque tueri
Difficile.

Porro dici nequit oculus humanus ſufficiens eſſe ad hoc, ut activitate ſua propria, & ſuo arbitrio, libituque vices ſuas, & functiones obire poſſit, quamvis luce ſua propria & ſplendore dotatus ſit, ſi alio præterea lumine confortatus non fuerit, ut potentiam ſuam reducere in actum poſſit. Hoc perpendendo prudentiores & ſapientiores viri, in hac ſimilitudine adjutorium divinum, vel Geniorum expectandum eſſe, intellexerunt, in quo nihilominus, Geniorum loco, ſi pro Chriſtiana pietate loquendum eſt, Angeli ſancti ſubintelligi debebunt. Hæ puriſſimæ ſubſtantiæ, rivi Lucis, ſcaturientes de abyſſo illa radiorum indeficientium Deo nimirum, ad cuſtodiam noſtram aſſignatæ, confortant mentis oculos, & eis lumen illud ſuggerunt, & ſubminiſtrant, quo deficimus, ut videlicet in itinere pedem nullum offendamus, nec male collocemus: *Quoniam Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*, inquit Coronatus ille Cantor. Exod. 32. *Ecce ego mitto angelum qui præcedat te & cuſtodiat in via - - - Obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaveris, & eſt nomen meum in illo*, dixit Deus ad Moyſen. Sanctus Bernardus nos extimulat, ut fidei & tutelæ eorum nos committamus, his verbis: In Pſal. Qui habitat. *Quid ſub tantis cuſtodibus timeamus, nec ſuperari, nec ſeduci poſſunt; fideles ſunt, prudentes ſunt, potentes ſunt, quid trepidamus?* Conſtant hi potentia & actu: qualiter id fiat quæſtionibus, & argumentis Theologiæ ſpeculativæ diſcutiendum relinquamus; non enim his, quæ propoſiti mei non ſunt, me libenter ingeſſerim: tantum cum S. Gregorio Papa concluſerim: In Paſtoral. *Angeli nos à Diabolo defendunt*, item: In Ezech. hom. 7. *Angelo noſtro debemus reverentiam pro præſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia.* Quamvis lingua vera idea, Oculus, lingua, Et diſcurſus. & typus ſit, ad ſignificandam eloquentiam, prout loco ſuo palam fiet, nihilominus hi, qui artem eloquentiæ tradiderunt, & facundiæ experientiam habuerunt (quam facundiæ facultatem natura homini gratuito dono ſubminiſtravit) hi, inquam volendo inſinuare facilitatem, qua cujusque linguæ idioma diſcimus, aut vero in eodem exercemur, vel elegantiam, & fluiditatem in perorando, linguam monſtrabant depictam & ſupra eam oculum, ſanguine aliquantum perfuſum. Per hoc indicare volentes, vigorem, & principatum animæ, quæ corpori præſidet, eodem omnino modo, quo oculus reliquis membris: hæc autem in ſanguine ſedem habet. Sic enimvero eloquentiæ perfectionem in ſimilitudine oculi, tam elegantis, tam nobilis, tam perfecti, tam venuſti, deſignare voluerunt, oculi inquam, qui lucidiſſimus partus eſt humani corporis. Itaque ut oratio perfecta ſit, multa dona gratuita, & naturalia, & acquiſita in homine eloquente requiruntur: prout eſt in primis compoſitio oris debita, pectus ſonorum, promptitudo linguæ, actio purgata, fæcunda memoria, & ejusmodi alia naturæ & artis bona.



Hæ ſunt igitur catenulæ aureæ, quas Galli de ore Herculis ſui prodire dixerunt, quibuscum multitudinem populorum poſt ſe multo fortius adegit, & domuit, quàm cum clava ſua. Fateamur enim quod verum eſt, juxta M. Tullii Oratoris ſententiam: *Ut hominis decus eſt ingenium, ſic ingenii lumen eſt eloquentia*: de Claris Oratoribus. & in alio loco: *Nihil eſt tam incredibile, quod in dicendo non fiat probabile, nihil tam horridum, tam incultum, quod non ſplendeſcat in oratione.*

Quàm

Quàm accurati, & quam exacti fuerunt olim Ægyptii in demonſtrandis figuris, quibus cultum divinum venerabilem, & religionem honorandam eſſe declararent? Itaque ut contemptores religionis caſtigandos, & quaſi pede conculcandos denotarent, De oculis Lib. 33. ſigna quædam, & imagines expoſuerunt: Et quidquid alii obſervatores in diverſum ſentiant, Valerianus ſcriptum reliquit, tum cum Veteres ſoleam calcei, in eademque depictum oculum figurarent Spreta Religio. (illam quidem rem viliſſimam, & conculcationi deſtinatam, hunc nobiliſſimum) per hoc indicare voluiſſe, temeritate omnino plenum eſſe, ſi quis auſus fuerit vilipendere Deum ſuum, quippe quod ejusmodi homines in reprobum ſenſum dati ſint, & jam pede ſuo ſacrilego inferni portas pulſare cœperint. De his enim dicendum eſt, quod pedibus ſuis pretioſiſſimam gemmam ſubjecerint, Deum inquam, & religionem ejus. Sic etiam Virgilius:

Atque metus omnes, ſtrepitumque Acherontis avari
Subjecit pedibus



Hæc Religio diademate luminoſiſſimo, plus adeo quam humana ratio concipere poſſit, inſignita eſt. Non eſt ſceptrum principis, quod huic æquiparari valeat. Non eſt paludamentum auro diſtinctum, quamvis ab arrogantia ipſa inventum, quod ditius & auguſtius eſſe poſſit hoc ipſo. Absque hac imperfecta & manca ſunt omnia, inquit Auguſtinus: *Religio ubi nulla eſt,* 1. Dec. l. 5. *nec cæteræ virtutes eſſe poſſunt.* Quam veritatem & Livius intellexit, dum alicubi ſcriptum reliquit: *Omnia proſpera eveniunt ſequentibus Deos, adverſa* 1. Dec. l. 2. *ſpernentibus.* Et alibi: *Religiones piè & magnificè coli debent.* Hæc eſt illa regina inclyta, quæ ad dexteram Dei ſedet, prout David Rex in pſalmis meminit: *In veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Dathan, Abiron, Pharao, Ozias, Ochozias, Jeroboam, Heliodorus, Oza, Aman, Sennacherib, Baltaſſar, Darius, Nabuchodonoſor, Saphira, & tot alii in ſcripturis ſacris nominati, proprio experimento, quamvis ſero, edocti ſunt, quantis ſe miſeriis involverint, dum ſuperbo pede hunc oculum conculcare auſi ſunt.

Beneficentia & favor. Sicut oculus luſcus, & torvus terret, & humi ſternit intuentem, ſic placidus & tranquillus erigit animos, & ſpem refocillat, & conſolatur: quare etiam antiqui obſervatores Hieroglyphicum beneficentiæ, & favoris de hoc ipſo benigno oculorum aſpectu traxerunt. Sic in ſacris bibliis, cum coronatus Pſaltes dixiſſet: *Oculi Domini ſuper juſtos:* ſubjungit confeſtim: *& aures ejus in preces eorum:* inde paulo infra: *cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur.* Econtra de viſu ejusdem iracundo ſic ait: *Vultus Domini ſuper facientes mala:* ſed heu mihi, quid ſequitur? *Ut perdat de terra memoriam eorum.* Quia *mors peccatorum peſſima.* Pſal. 33. Et in alio loco: *Proſpexit Dominus de* Pſal. 22. *excelſo ſancto ſuo:* ſequitur beneficentia & favor: *Ut audiat gemitus compeditorum, & ſolvat filios interemptorum.* Diviniſſima viſio Domini, quæ paradiſum intuitu ſuo nobis donat! Oculi Dei. Intuentur oculi Dei Magdalenam, & ecce eam à mundo avellunt: intuentur Matthæum, & officinam uſurarum deſerit: Zachæum, & fit commenſalis Dei, de fœneratore injuſto pœnitens & contritus: intuentur Petrum & in mari errorum, felici naufragio in abyſſum doloris, compunctionis, & pœnitudinis demergitur. Hinc non immeritò Valerianus inquit: *in ſacris verbum aſpicere*, Loco citato. ſignificat ſe propititum, & benignum oſtendere.

Hoc ipſum in numinibus ſuis olim Idololatræ obſervârunt: Virgilius enim recenſet, Trojanos benevole in iis regionibus ſuſceptos fuiſſe: *ubi Jupiter Lybiæ defixit lumina regnis.* Econtra quo Pallas infortunatos

 oculos

oculos ſuos verterat, ſignum calamitatis fuerunt, prout idem author refert:

Diva ſolo fixos oculos averſa tenebat.

Palpebræ alloquium Dei indicant.

Et quod ſatis conſtat, & apparet, nictum palpebrarum Haruſpices & divini olim, plebem perſuadebant, & docebant, alloquium Dei eſſe: id quod non procul à Davidica ſententia eſt: *Et palpebræ ejus interrogant filios hominum, ut videant ſi eſt intelligens aut requirens Deum:* ſupra quod inquit S. Hieronymus; palpebras incomprehenſibilia Dei judicia eſſe.

Pſ. 10.

In hunc locum.

Libidinoſi.

Porro ut eos, qui effrænata libidine nimiam ſenſibus ſuis libertatem dabant, etiam in prophanis ſcholis ſuis antiqui ſapientes percellerent, hanc eis notam inurebant: huic enim vitio deditos paucos in palpebris ſuis & ciliis pilos habere per ignominiam dicebant: ut ergo hujusmodi corruptos hominum mores ſignificarent, oculos depinxerunt, ſed in præfatis locis glabros. Cum ſapientia divina dicebat: *Mors intrat per feneſtras:* de nulla re alia, quàm de concupiſcentia id intelligi voluit, prout omnes penè Expoſitores ſacri autumant. Ut has valvas diſcipuli ſui obſeratas tenerent, S. Auguſtinus diligentiſſima cura, & fervidiſſimo zelo procuravit, identidem illud repetendo: *Impudicus oculus, impudici cordis eſt nuntius.* Oculi noſtri officina ſunt ignium, per quos tota ſtructura noſtra ſæpe accenditur, & inflammatur: de hoc eloquenter Propertius: *Si neſcis oculi ſunt in Amore Duces.* Quamvis diverſum ab hoc ſentiat doctiſſimus vir Camerarius, dum ait:

Jerem. 9.

Oculi officina amorum.

Embl. 13.

Fallitur heu oculos quicunque in amore canebat
Eſſe Duces: oculi ſunt in amore cruces.

Hinc Virgilius Paſtorem ſuum ſic loquentem introducit:

Eclog. 8.

Ut vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

In Epi.

Ovidius quoque:

Tunc ego te vidi, tunc cœpi ſcire quis eſſes,
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Et vidi, & perii, nec notis ignibus arſi.

3. Amorum.

Et in præceptis amoris, hoc modo conqueritur:

Perque tuos oculos magni mihi numinis inſtar,
Perque tuos oculos, qui rapuere meos.

Pari modo Commendator Teſtius dolorem ſuum exaggerabat dicendo:

Poeſia.

Quel di Cinthia, quel di ch' io ti mirai
Fu il primo di mia morte
L' ultimo di mia vita, e pur l' adoro.

Ex Alciat. Emblem, 116.

Plato ſic dicere ſolitus erat: *Amoris vulnera radios eſſe quoſdam tenuiſſimos, qui ex intimo cordis expirant, ubi vitalis ſanguis dulciſſimus, & calidiſſimus ſedem habet: viaque ſibi per oculos patefacta, per amantis oculos elapſi ad intima cordis penetrant.* Hinc ſympathiæ, & Antipathiæ naſcuntur, transmiſſione quadam ſpirituum, ſicut alibi fuſius à me explicitum eſt. Totum hoc itidem Propertius confirmat, dum inquit:

Sympathiæ & antipathiæ.

De amore.

Cynthia prima ſuis me in cautum cœpit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.
Aſſidue creſcit ſpectando cura puellæ:
Ipſe alimenta ſibi maxima præbet amor.

De remediis fortunæ.

Laus Cæcitatis.

Seneca dum encomia cæcitati attribuit, ſic ait: *Non intelligis partem innocentiæ eſſe cæcitatem; hinc oculi ſunt irritamenta vitiorum, Ducesque ſcelerum.* Sapiens itaque conſilium fuiſſe æſtimatum eſt, quod Hecuba Menelao ſuggeſſit contra Helenam, prout Euripides voluit: *Cernere hanc fuge, ne trahat ſui deſiderio: capit enim oculos virorum, delet civitates, accendit ædes.* Vult Philoſtratus laſcivum cupidinem in his oculis, tanquam in ſecura latebra occultari: denique hi Veneris officina ſunt: unde compatriota meus ſuaviſſimus, Hieronymus Preti ſic concludebat:

Nel mirar la bella fera
Simulai languir per lei,
Ma rivolſe luſinghiera
Gli occhi belli à gli occhi miei,
Fece amor colpo gagliardo
Vera piaga à finto ſguardo.

Fugiatur itaque. Experientia enim docuit verum eſſe quod idem author inquit: *Non ſi vince amor ſe non fuggendo.* Et S. Baſilius de Seleucia: *Fuge ſpectare, ut ſalveris.* *4. Hexaem.*

Oculi qui cum primum homo in mundum & in vitam hanc ingreſſus fuerit, reſerantur, & qui in morte primi inter ſenſus deficiunt, idcirco inter veteres vitæ & mortis ſignificationem habuerunt. Unde ut vitam repræſentarent, juvenculi vel adoleſcentis Iconem figurabant, qui ſolem intuebatur, tracta fortaſſe obſervatione à verbis præfati Homeri: *Homo vivens intuetur Solem.* Ex his adverti poteſt, quantum vita hæc mortalis in comparatione æternæ vitæ fugax ſit & caduca, quæ videlicet, ut ita dixerim, eadem celeritate tranſit, qua palpebrarum occluſio fit, vel reſeratio. Quæ veritas non tantum à ſacris ſed & à prophanis authoribus intellecta fuit: propter quod Seneca, me quidem judice, apte ad rem noſtram inquit: *Quotidie morimur, & tunc quidem cum creſcimus, vita decreſcit, infantiam amiſimus, deinde pueritiam, adoleſcentiam, & quidquid tranſit corporis, perit: & hunc ipſum diem quem agimus cum morte dividimus:* Hinc Coronatus Pſaltes: *Mille annis ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præteriit.* In Iſaia vita noſtra periodo diei unius æquiparatur: *de mane usq; ad veſperam finies me.* Eandem ſomnio comparat David: *Velut ſomnium ſurgentium Domine in civitate tua, imaginem illorum ad nihilum rediges.* Job illam vento aſſimilat: *Memento quia ventus eſt vita mea.* S. Jacobus vaporem nominat: *Vapor ad modicum parens:* ſic & ego memini me calamum meum in hac aura fugitiva exercuiſſe:

Vita & mors.

Brevitas vitæ.

De brevitate vitæ.

Pſ. 89.

Iſai. 38.

Pſ. 72.

Cap. 10.

c. 2.

Di vaſto Egeo sù le procelle inſide
Pur ſulchiamo infelici onde rivali,
E dove tempo, e ſorte a noſtri mali
Portan ruote fugaci, ali homicide:
Ma in periglio mortale ancor ſi ride,
E fra ruote crediam farci immortali;
Porti il tempo a ſua voglia i di sù l'ali,
Che pur bramiamo eternita d' Alcide.
A che fine aggruppaſti Atropo al fuſo
Debile ſtame di mio viver corto,
Se poi troncar lo ha tua ſorella in uſo?
Chi vidde mai coſi deforme aborto,
Di vaſto mar ne l'onde al fin deluſo
Legno ſcherzar, che in ſu le cal me e abſorto?

Cantic. 2.

In Cantico ſponſa, vix dixerat tempus florum apparuiſſe, cum jam tempus putationis appropinquaſſe ait: *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit.* Imo huic flori vita noſtra in Iſaia propheta comparatur: *Et erit flos decidens gloriæ exultationis ejus, qui eſt ſuper verticem vallis pinguium.* Vix hi oculi aperiuntur, cum rurſum occluduntur.

Cap. 38.

Polyphemi & Cyclopes olim figurabantur, ſed non niſi Monoculi, dotati nihilominus inſolita fortitudine, & ſtaturâ gigantæa; ſic enimvero in hac parte multum præcellebant cum in altera deprimerentur, & deficerent. Hos viros antiqui crediderunt metheorologicis ſtudiis & meditationibus datos fuiſſe, atque inde profundius ſcrutatos unde tonitrua, & fulgura, & fulmina, & id genus metheora, quæ in aëre

Obſervatores Meteorum.

aëre fabricantur, originem ſuam trahant. Ratio autem, cur in tali apparere forma hos fecerint obſervatores, hæc fuit: cùm aër in mundi medio collocatus ſit, tanquam oculus ejusdem, æſtimarunt in frontis medio, ſed interius organum ſimile nobis datum eſſe, cujus virtute figuras hujuscemodi, & phenomena contemplari poſſimus: In hoc ſenſu ſtudioſi Theogoniam Heſiodi interpretati ſunt. Verè ſtudium Gigantæum ejusmodi profeſſio eſt: in harum enim rerum inveſtigatione laborantibus Athletico, hoc eſt gigantæo non ſolum robore complexionis, ſed & ingenii acumine opus eſt. Nobiliſſimum & elevatiſſimum ſtudium. Unde M. Tullius (quod de Cleante ſumpſit) principalium, inquit, cauſarum unam, per quas humana mens notionibus divinis informata eſt, provenire de prodigiis cæli, quæ quandoque futuri infortunii prænuntii ferales ſunt. Et Damaſcenus his ſequentibus verbis ſe explicat: *Loquitur cum hominibus Deus non modo humana lingua per ſacros vates, ut à peccatis avocentur, & reſipiſcant ſed nonnunquam ipſis elementis in formas & imagines diverſas ad eorundem terrorem compoſitis.* Studium enimvero omnium ſtudiorum ſublimiſſimum, cum pro ſcopo ſuo, & recto itinere cælum petat, & contempletur. Ad hoc fortaſſe Coronatus Pſaltes alluſit, dum ajebat: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum,* ſupra quod hanc ſuaviſſimam paraphraſin dedit Joan. Ciampoli:

De natura Deorum.

Medication. 2. lib. ſeu Laranеſ. c. 1.

Poïſia.

Sono eloquenti i cieli,
E con voci di rai ſempre novelle
Han per lingua le ſtelle.

Recenſet Pauſanias, qualiter à Stenelo Capanei filio de rivis Argi altare Athenas translatum & omnium oculis expoſitum fuerit, ad quod, tanquam ad aſylum, & præſidium ſe Rex Priamus poſt incendium & deſolationem Trojanam contulerit. Supra altare hoc expoſitum erat ſimulachrum Jovis ſedentis, cum paludamento regio, manibus demiſſis, ſed quod in fronte tres oculos ferebat: Id quod ſine difficultate acceptum, & intellectum fuit de providentia divina; quemque enim oculorum iſtorum uni Regnorum trium deſtinatum eſſe ad cuſtodiam, & conſervationem, cæli nimirum, & terræ, & inferni. De his memini me alibi ratiocinatum eſſe: ſed ut tantiſper nihilominus in conſideratione hujus oculi triplicis commorer, id ſolum dixero, Damaſcenum, Theodoretum, Theophylactum, aliosque Patres, ut aliquid de eſſentia divina exprimeretur, his tribus potiſſimum nominibus uſos eſſe: *Deus, Tetragrammaton, Jaeoa.* Quorum unum ſignificationem *curſus* habet: ut enim neceſſitatibus noſtris accurrat Deus, velocitatem caprearum, & cervorum ſibi aſſumpſit. Innuit hoc ſponſa in Cantico: *fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ, hinnuloque cervorum ſuper montes aromatum.* Alterum bina hæc indicat, *qui es, & qui erit:* quod ipſe de ſemetipſo ait: *Ego ſum alpha, & omega, principium & finis, qui & loquor vobis.* In tertio denique, tantundem quod, *proſpicere,* indicatur: nec enim aquila aut lynx eſſe poterit, tam acuti ſenſus oculorum, quæ divinam mentem exuperet, quippe quæ intima etiam cordium penetralia rimatur. His tribus itaque oculis ad prævidendas indigentias noſtras, & neceſſitates accurrit. Hunc ſenſum S. Auguſtinus diſtinctiſſime dedit, dum ait: *Deus totus oculus eſt, qui omnia videt, totus manus eſt quia omnia operatur, totus pes eſt, qui ubique eſt:* Ecce verum Jovem cum tribus oculis in ara ſedentem.

Providentia divina.

Ex catena SS. Patrum.

Cap. 4.

Ep. 36.

Ut verò ab oculis ad palpebras & cilia progrediamur, hoc dixerim inter veteres obſervatum fuiſſe. Cilia in decrepitis hirſutiora, & hiſpidiora deveniunt, copioſiorique pilo tanquam inculta, quod ex relaxatione oſſis ciliaris provenit, dum in vetulis majorem humorum copiam transmittit, unde etiam usque adeo corrugatur, & aggravatur præfatum cilium. Hac igitur aſperitate ciliorum, quæ in ſenibus apparet, veteres ſapientum inducti, figuram de illa & præſagium ſtatuerunt auſteritatis Stoicæ, quanta maxima eſſe poteſt. Hæc auſteritas flagellum duriſſimum eſt, quod Dea Nemeſis in manu ſua geſtat, ut delicta mortalium caſtigare poſſit, usque adeo ad populorum & ſtatuum regimina & gubernacula neceſſarium: ſine hoc enim ſæva iniquitatum graſſatio Principibus & Regibus adimeret ſupplicantium turbas, & gladius juſtitiæ, ſine filo acuminis obtuſus, imò dextera Jovis triſulco fulmine ſuo privata eſſet, ad percutiendos Encelades, expugnatores cælorum. Magna nihilominus præcautione utendum in adoperatione flagelli hujus, ajebat Seneca, dum nullum intervenire oportet paſſionis impetum, ſed æquum rationis moderamen. *Nihil minus quam iraſci punientem decet.* Et M. Tullius: *Omnis caſtigatio,* inquit, *& animadverſio contumelia vacare debet. Prohibenda enim eſt maximè ira in puniendo. Nunquam iratus, qui ad talia accedit, mediocritatem ſervabit, quæ eſt inter nimium & parum.*

Auſteritas.

De Ira lib. 1.

1. Officior.

Hactenus de viſione diximus: ſupereſt, & convenit, ut mihi quidem videtur, de cæcitate, quæ contraria eſt viſui, propter luminis privationem, nonnulla quoque in medium proferre. Inprimis igitur hanc pro Hieroglyphico ignorantiæ, qua Deus neſcitur, ſumptam invenio. Tales enim interno oculo deficiunt, quo levato, lucem illam immenſæ veritatis dignoſcere, ejusdemque mandata comprehendere non valeant. Hoc ipſum de Phariſæis increata Redemptoris noſtri ſapientia olim dixit: *Sinite illos, cæci ſunt. Si cæcus cæco ducatum præſtet, nonne ambo in foveam cadunt?* His nihilominus, qui in ſolo literæ cortice hærent, videri potuit Redemptor noſter perſuaſiſſe etiam corpoream cæcitatem, tum cum apud Marcum dixit: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum eſt tibi cum uno oculo in cælum intrare, quàm duos oculos habentem mitti in ignem æternum.* Confutat non immerito hos Valetianus ſequentibus verbis: *Ineptè quidam, imò impie atque Judaicè carneum oculum reipſa effodiendum, abjiciendumque intelligunt: unde nonnulli nacti hinc calumniandi anſam in Chriſtiani jugi ſuavitatem, oneriſque levitatem dura nimis præcepta vocaverunt.*

Ignoratio Dei.

Matt. 15.

Marc. 9.

De oculo.

Volunt itidem Patres Sancti, Cyprianus, Chryſoſtomus, & Hilarius per oculum læſum, & infirmum, aut amicum infidelem, aut depravatam ſocietatem intelligi oportere, quæ nobis evitanda ſit. Plutarchus hanc ſummam veritatem ſtabilit: *Fœdera injuſtè frangere impium eſt: ſed hoſtes fallere non juſtum eſt modo, ſed honeſtum, verum, & lucroſum.* Amicitia ficta venenum eſt, quod de poculo in labris ſuis indulcorato propinatur, ſed væ cordi, in quod immiſſum fuerit. Malum hoc duplicitatis agnovit Heliogabalus Rex, quamvis & ipſe lethargo tot vitiorum ſopitus: dum de eorum miris intorſionibus & gyris, quibus ſe inſinuant, & rurſum retrocedunt, nunquam ſtabiles & fidi, edoctus novo ſupplicio eos rotæ imponi, & circum circa rotari fecit, nominando eos: *Amicos Ixionicos.* Adverſum hos ajebat Tullius: *vigilandum eſt ſemper, multæ enim inſidiæ ſunt.* Livius etiam, quanti periculi ſit, cum hujuſcemodi familiaritem inire, docuit, dum ait: *major dimicatio eſt cum perfidia, & proditione ſociorum, quàm cum hoſtibus.*

Amici ficti.

In Apophteg.

Alciat. Emblem. 54.

pro Planco.

Lib. 1. Dec. 1.

Cum autem de cæcitate nobis ſermo ſit, non extra propoſitum erit meminiſſe, qua ratione doctiſſimus vir Camerarius in binis Emblematibus, cauſas adduxerit, quibus mota antiquitas, amorem cæcum pinxerit. In quorum uno ei fortunam ſociam dedit, inſcribens hoc lemma: *Sapiens contemnit utrumq;*: quod totum ſequenti inſcriptione animavit:

En puer imbellis fugitivo lubricat orbe,
Fortunæ cœco fœdere junctus Amor.
Pacatos meritò paveas, ſpernasq; minaces.
Non potis eſt vinci; lumina quisquis habet.

In altero idem Amor vel Cupido inter tres thalamos nuptiales collocatus apparet, tribus filiabus nuptui dandis præparatos, ſicque introducitur loquens: *Sum cæcus, ne cædar:* cum infra ſcripto Epigrammate.

An quæris caſtam? tibi ſors obtrudet egentem.
An pulchram? pulchris non ſolet eſſe fides.
An ditem? Niobem potius, vel Amazona ducas.
Harpyas potius Theſiphonemque feras.
Non ſervire ſat eſt, notas & ferre catenas,
Servitium fas eſt diſſimulare tuum.
Unde fit ut cæcos inducat faſcia vultus,
Serius ut jugulum comprimat illa meum.

Diſſimulatio. Documentum maximè Ethicum: hoc eſt tale, quod ſimul nos videre & non videre docet, ſicut in proverbiis dehinc demonſtrabimus. Hæc virtus, eorum potiſſimum eſt, qui regimini populorum præſunt: qui ſi fumum paſſionum ſeſe elevare ad faſtigium mentis ſiverint, excæcatio ſubſequetur neceſſaria, prout inquit Petrus Chryſologus (*Serm. 19.*): *Quod vult, non quod eſt, audit ſemper, qui decrevit errare.* Et Terentius ait (*in Heaut.*): *Ubi animus ſe devinxit cupiditate mala, neceſſe eſt conſilia conſequi conſimilia.* Et Sineſius ad Arcadium (*Orat. de Regno.*): *Iſtud primarium, ac ſummè Regium eſt, ſui ipſius regem mentemque, domeſticæ belluæ quaſi moderatricem præficere.*

Sed ne te, mi Lector, cum cæcitate relinquam, revertor ad oculos. Dum proprietates ſtruthionis, & teſtudinis conſidero (*Plin. l. 9. c. 10.*), qui juxta mentem Plinii, ſolo viſu ova ſua fomentant, & partum ſuum in lucem edunt: Doctiſſimus vir Cauſinus, in hoc intelligi poſſe dixit ſubſidium amici, qui videlicet, & vigilantia ſua, & aſſiduitate inſpectionis amicum ſuum defendit: contrarium ei, quod de ſtruthio camelo refertur, qui in deſertis arenarum ova ſua ſine ulteriori cura exponit, unde etiam (quod non ſit, qui iis incubet) miſere pereunt. De priori inquit Cicero: Amicitia vera. *Qui amicum intuetur, tanquam oculum, & exemplar ſui intuetur, quocirca abſentes præſentes ſunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, & quod difficilius, mortui vivunt.* De altero genere amicorum, qui in rem ſuam ſolum intenti, cum maximè ſuccurrendum amico eſt, eum turpiter deſerunt, recordor me in tranſacta jam florenti ætate mea Oden quandam è multis ſtrophis compoſitam contexuiſſe, ſupra id quod ait Ovidius:

Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam,
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.

Unde in ultima ſtropharum ſic concluſi:

Ma ſtupor non m' arreca
E ter nato veder l' infando abuſo,
Che ſe cader minaccia alta una pietra,
Fugge ogniuno, e s' arretra.
Et oſo dir ſe il Genitor racchiuſo
Del' Erebo n' andaſſe in carcer cieca,
Il figlio d' Enea indevoto
Il ramo d' or più non ſciorrebbe in voto.

MORALIA.

AB oculis, qui in omni adeo actione tantoperè uniti ſunt, tantopere concordes, ut ſi eorum alteruter contuſus fuerit, fieri nequeat ut alter ſimul non offendatur; ſicut etiam parem ortum habuerunt, & ſiquidem aliud impedimentum non intercesſerit, pariter deficiunt: ab hac itaque inſigni amicitia, & Charitas. reciproca correſpondentia, S. Gregorius virtutem charitatis intellexit, quæ inter duos maxime manifeſtatur. Hæc amicitia, inquit ſanctus, tum potiſſimum nectitur, *cum duo viri juſti non voluptatibus non conviviis, ſed communi utilitati eſſe ſe natos arbitrantur.* (*Ex Aldrov. de monſtris f. 241.*) Quis verò neſciat virtutem hanc reginam cæterarum eſſe? *Tria manent*, inquit vas electionis, *fides, ſpes, charitas, major autem horum eſt charitas.* Charitas major eſt omni virtute. Abſque hac exhæredatus, & depauperatus ſociabus ſuis thronus eſt: quantumvis mente ad penetranda paradiſi arcana elever, juxta mentem ejuſdem Apoſtoli: *Si charitatem non habuero, nihil ſum.* Hæc purpurâ ſuâ veſtitur, ut ſe non ſine ratione reginam demonſtret, hæc de cella vinaria pretioſiſſimum muſtum expromit. *Introduxit me Rex in cellariam ſuam, & ordinavit in me charitatem*: his verbis dilecta in Cantico gloriatur. Deus totus in illa eſt, & illa tota in Deo. *Deus charitas eſt*, ſubjungit Apoſtolus. Denique, juxta mentem Ambroſii, hoc nomine appellatur, *eò quod illa charius inveniri, & excogitari* nil poſſit. (*Lib. 2. Hexaem.*)

Oculi profundius in capite collocati efficiunt, ut Oculi prominentes & oculi profundius locati. viſiva potentia unita & recollecta, cum majori vigore radios ſuos pyramidales foras jaciat, quocirca etiam pupilla oculi in his aptior eſt, ad ea quæ procul ſunt, diſcernenda: cum è contra oculi, qui prominent, & foras protenduntur, quippe quod eorum potentia diſparata eſt, & diſgregata, languidiores ſint, & facilius retundantur, ipſaque pupilla, niſi forte perſpiciliis reuniatur, fracta & deficiens, diſpergatur. De his omnibus fuerunt, qui in oculis profundis, hominem perfectum intellexerunt, & juſtum, qui totus in ſemetipſum concentratus, & à mundo abſtractus, pupillis elevatæ intelligentiæ ſuæ ad contemplanda arcana paradiſi, cum Apoſtolo Paulo pertingit. Vita ſolitaria. Attende, inquit S. Ambroſius, quibus eſca divina communicetur: *non otioſis, aut in civitate degentibus, ſed intra deſerta quærentibus Chriſtum.* (*Homil. ſuper miſereor ſupra turbam.*) Sacer rubus inter vepreta accenſus monſtratur, & gloria Domini apparet: *ſuper montem excelſum ſeorſum.* Ambitioſus. Tabulæ legis in montibus, & medio fumi miniſtrantur.

Itaque in prominentibus oculis, tumorem arrogantiæ, & faſtum intellexerunt antiquitus: qui nil aliud, quam ſemetipſos, & emolumenta ſua conſiderant, quamvis ſemper id malo ſuo faciant. *Superbia eſt vitiorum regina*, dicebat S. Gregorius. Hæc ad gubernaculum omnium criminum ſedet. Væ nobis ſi capite dotata eſſet. Hæc nihilominus tantopere pedibus ſuis valet, ut ſi quando intromiſſa fuerit, difficulter expelli poſſit. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*, exclamat lacrymantibus oculis propheta David. (*Pſ. 35.*) *Quia ſuperbia non habet caput* ſubjungit S. Ambroſius, atque idcirco: *ſuperbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam.* (*Pſ. 100.*) Impoſſibile eſſe inquit Caſſiodorus, ut cor ambitioſum divinorum munerum particeps reddatur: (*Super miſerere.*) *Tunc incipit adeſſe virtus divina, quando incipit deficere præſumptio humana.*

Oculi id ſibi proprium habent, quod alter alterum videre nequeat, quamvis omne id videant, quod pe- Oculi alter alterum videre nequeunt. nes ipſum poſitum eſt, & omne adeo objectum diſcer-

nant. Aptiſſima ſimilitudo eorum, qui cum actiones proximorum ſuorum ſedulo diſcutere delectentur, in ſuorummetipſorum oblivionem incurrunt: ſic obſervator quidam inter modernos ratiocinatur. Alienarum actionum obſervatores. *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras?* exclamat increata Redemptoris ſapientia. (*Matt. 7.*) Defectibus veſtris propriis intendite, exhortatur S. Chryſoſtomus (*De Compunct. Cordis lib. 1.*), *vos qui ad condemnandos cæteros vitæ veſtræ abſumitis tempus*, & nihilominus, *ab hoc vitio*, inquit, *neque ſæculi homines, neque monachorum unum invenies liberum.* Deus qui nil niſi ſumma perfectio eſt, in perſona ſua ſupra turrim Nemroth apparet, & ſupra civitates contaminatas: unde in quodam loco refertur (*Gen. 11.*): *Deſcendit Dominus, ut videret civitatem, & turrim*: & in altero (*Gen. 18.*): *deſcendam, & videbo.* Obſervat hic S. Gregorius Papa, id quod ſequitur: *Ut nobis exemplum proponeret, ne ante præſumamus credere, quàm probare.* Concludatur cum S. Bernardo: *multi multa ſciunt, & ſeipſos neſciunt.*

Munivit natura, & circumſepſit oculum duplicatâ palpebrâ, ut pro libitu ſuo foras evagari poſſit, Palpebræ boni miniſtri ideam habent. nec à rebus exterioribus offendatur. Ideam hanc eſſe dixerim miniſtri boni, quem ad mandata Domini ſui munitum, omnique virtute proviſum, & omni talento dotatum eſſe oportet, ut ſi forte in ſiniſtrum quippiam inciderit, non deſpondeat animum, nec expaveſcat, ſed illud cordi ſuo inſcriptum teneat, quod Æneæ quondam Sibylla ſuggeſſit (*Æneid. 11.*):

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Perſuadet hic Heroi ſuo figuram Regis Aſſueri, qui dextram multò longiorem ſiniſtrâ habuiſſe legitur. Jeremias propheta conſtituitur, *in murum æreum, in columnam ferream, in adamantem, & ſilicem, ut evellat, & diſſipet, & ædificet, & plantet.* Conditionem perſonæ hujuſcemodi, cum omni exactitudine Caſſiodorus deſcribit, cum Regis Alarici verba de Tolonio Miniſtro Regis Theodorici refert: *Amaſti in audiendo patientiam; in ſuggeſtione veritatem: ſæpe quæ ad eum pervenirent, recto ſtudio corrigebas, & quod rarum confidentiæ genus eſt, interdum reſiſtebas contra vota Principis, ſed pro opinione Rectoris.*

MYSTICA.

DEUS. DE doctrina S. Auguſtini, Caſſiodori & Eucherii habetur, quod oculi per metaphoram Deo attribuuntur (*83. q. 52. de verb. Domi. Serm. 18. Lib. 8. cap. 4. For. Spirit. 1. 32. 8. 4. ſ. Jerem. hom. 12. In Pſ. 655.*), ejuſque fortitudini, qui nimirum cuncta penetrat, qui à fine uſque ad finem pertingit, ut nil eum latere poteſt. Sic in Jeremia, Zacharia, & ad Hebræos legitur. In hac ingenti terrarum mole non eſt angulus uſque adeo remotus, nec receſſus uſque adeo abſtruſus quo diviniſſimus ille oculus, Deitatis ſuæ radios non emittat, bonitatem inquam, & miſericordiam, & authoritatem: ſic Origenes, Baſilius, & Hilarius ſentiunt, idque de Pſalmo trigeſimo ſecundo deducunt: Juſtitia & miſericordia. *Oculi Domini ſuper juſtos.* Item de primo Regum capite decimo quinto, de Jeremiæ capite decimo ſexto. Pari modo ſiniſtrum oculum in argumentum vel figuram Juſtitiæ Divinæ trahunt (*Cant. 1. Cant. 1. T. 6. c. 34. In Apoc. hom. 1. In Amos: 9.*), qua reos caſtigat, inhærendo citati Pſalmi verſiculo ſequenti: *vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Sic commentatur Georgius Venetus. S. Auguſtinus, & S. Hieronymus conſiderando dictum illud Pſalmiſtæ: *præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, & id quod S. Joannes Evangeliſta in Apocalypſi ait: Præcepta divina. *oculi ejus tanquam flamma ignis*: referunt hæc in myſtico ſenſu ad cognitionem, & obſervantiam divinorum præceptorum: & ſicut oculi totius corporis lumen ſunt, ut idipſum ab omni ſiniſtro incurſu tueantur, & præſervent, ſic oculus mentis lex divina eſt, retinens mentem ne malè evagetur, & intueri ea geſtiat, quæ obſcuritatem & tenebras pariunt, quibus non ſolum divina majeſtas offendatur, ſed ipſe adeo homo ſibimetipſi damnum inferat.

De hoc, quod cap. tertio Iſaias ſcriptum reliquit: *Ruit Jeruſalem, & Judas concidit, quia lingua eorum, & adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majeſtatis ejus:* Et de ſimili ſenſu qui in Devteronomio reperitur, & in libro Job: denique & de eo quod in Amos propheta cap. 9. legitur: *Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans:* dicunt S. Gregorius, & Baſilius, judicium & iram Dei argumentandam eſſe, Judicium & ira Dei. tum videlicet, cum ignitis oculis intuebitur peccatores, & cum vultu indignabundo (*Moral. 13.*), & ſupercilio adirato eos pœnis ſempiternis addicet: referunt autem præfati ſancti, de hac Dei iraſcentis viſione plus damnandos habituros eſſe ſupplicii, quàm de ipſis tormentis. S. Hieronymus elevatiori mente ponderans id quod pſalmiſta inquit: *Oculi Domini ſuper juſtos* (*Pſal. 33.*), inſinuat de hoc poſſe vigilantiam & cuſtodiam angelorum inferri, ſicut omnium etiam poteſtatum, & virtutum aliarum, ſicut ſunt Prophetæ, & ſancti omnes. Cuſtodia Angelorum, Prophetarum, & Sanctorum. Sic de cuſtodia & defenſione, quam Deus electo populo ſuo ſpondet, in Zacharia dicitur: *non tranſibit ſuper eos ultra exactor, quia nunc vidi in oculis meis:* quod convenit cum ſententia Iſaiæ (*cap. 9.*): *Glorificatus ſum in oculis Domini, & Dominus factus eſt fortitudo mea.* S. Hieronymus & Origenes (*Sup. Iſai. 19. In Geneſ. hom. 17.*) aſſerunt, alluſionem hic fieri ad glorificationem & pretium Redemptoris, quando ſtabilita & firmata jam diviniſſima fide ad amplectendam eam concurrerunt gentes, Glorificatio Chriſti. ut videlicet nomina ſua huic ſanctæ militiæ ſub vexillo crucis darent. Sic de oculis Joſeph patriarchæ in Geneſi dicitur (*Cap. 49.*): *Attollens Joſeph oculos, vidit Benjamin.* Vult S. Ambroſius hic benignitatem (*De bon. Patriarch.*) Salvatoris noſtri ſignificari, qui nos oculo bonitatis ſuæ intuetur, Benignitas Chriſti. ſicut quondam Joſeph, tum cum ſecundus à Rege in Ægypto conſtitutus erat, fratres ſuos intuebatur.

Supra id rurſum, quod de Geneſi legitur; *Iſaac elevans oculos vidit camelos venientes ad ſe* (*Gen. 14. In Pſ. 15. 1. Paſto. 1.*), commentantur Hieronymus, & Gregorius, ſubſidium hic intelligi Salvatoris noſtri, quo ad animarum noſtrarum ſalutem indeficienti ſollicitudine vigilat, & ſuccurrit. Juxta mentem Bedæ, & S. Auguſtini in oculis Chriſti repræſentantur Apoſtoli, Evangeliſtæ, Prophetæ, & Doctores (*In Gen. 49. In Pſ. 87.*). Divinitas Chriſti agnita. Supra dictum Apocalypſis jam ſupra memoratum: *Oculi ejus ut flamma ignis*: rurſum S. Hilarius, & Rupertus Abbas omnimodam illuſtrationem, & ſplendorem Jeſu Chriſti intellexerunt (*In Pſ. 53. 1. In Apoc.*), tum videlicet cum in ligno Crucis de inimicis ſuis triumphavit, & impleta ſunt verba Davidica (*Pſal. 53.*): *Super inimicos meos deſpexit oculus meus.*

Per oculos vulturis, quorum Job mentionem habet (*cap. 28.*), qui acumine aquilino circumſpectant, nec tamen *intuitus eſt eam oculus vulturis:* docet nos Gregorius Papa (*18. Moral.*), intentionem Redemptoris, ejusque ſanguinem ſparſum intelligendum, quæ operationes nihilominus Hebræorum populum ingratum non juverunt. Per oculos columbarum, de quibus in Cantico Canticorum mentio fit ſecundum S. Hieronymum (*Cap. 1. In Iſai. & ſuper Zachar.*), dona Spiritus Sancti indicantur, Dona Spiritus Sancti. quæ juxta fluenta pleniſſima fontis, & fluminis inexhauſti Sacroſanctæ Triadis diſpertiuntur, & in mundum emittuntur. Hæc eadem in Chriſto figurantur, illic ubi Zacharias propheta ſuper lapidem unum ſeptem oculos vidit (*cap. 3. v. 9.*), ſicut & diſcipulus dilectus in Apocalypſi (*Cap. 1.*). De his oculis inquit David: *imperfectum meum viderunt oculi tui* (*Pſal. 138.*): Idem ſenſus etiam de Cantico Canticorum dedu-

Cant. c. 4. v. 1.
Doctores, Sacerdotes, & Prælati.
29 Moral.
1. Cant. hom. 2.
Matt. 6.
Prælatus & judex.
Homil. 5.
5. Rom.
Iob. cap. 29.
Prædicator.

deducitur, & de S. Matthæo: Per hos oculos autem figurantur in Eccleſia viri docti, & literati, acuti ad intelligendum divina myſteria, ſicut ſunt Prælati, & Sacerdotes. Ita ſentiunt Gregorius, & Origines. Pari modo de hoc, quod præfatus Evangeliſta inquit: *ſi oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus lucidum erit.* Iidem Patres Prælatum perfectum, & judicem æquū intelligi poſſe cenſent, qui videlicet univerſæ plebi non ſecus ac candelæ & lumina prælucent. Job etiam de ſe inquit: *oculus fui cæco, & pes claudo:* Cum autem oculus totum corpus dirigat & illuminet: præfati authores Prædicatorem eximium in hoc oculo intelligi volunt, cujus acuta pupilla, ſensûs ſpiritualis intelligentia dici poſſit. His pupillis fumus moleſtus eſt, hoc eſt, nefaria hæreſeos corruptela, quæ ſine intermiſſione candorem, & lumen Chriſtianæ veritatis obſcurare & denigrare ſatagit: de his

Prov. 10. 26
De Regul f. 14.
In Pſal. 118.
Serm. 105. de dignit. Sacerd.

Proverbium illud Salomonis intelligendum: *ſicut acetum dentibus, & fumus oculis.* Et hi ſunt oculi columbæ, ſuperius jam memoratæ (ſecundum Baſilii & Ambroſii mentem) qui puritatem, & decorem ſuum, & integritatem caſtimoniæ conſervant: nec minus etiam in morem columbarum, dum vitam in terris degunt, ad cæleſtia ſine interruptione temporis ſuſpirant, & ingemiſcunt.

Virtus intellectiva.
In Pſal. 16.
5. Proverb. 10.
5. Iſai. hom. 7
Cap. 8.

Per oculos generaliter virtus intellectiva figuratur, & cognitio animæ, prout benevolus Lector diffuſius invenire poterit, in pluribus locis Exodi, Levitici, Pſalmorum, Proverbiorum, Cantici, Iſaiæ, Matthæi, Lucæ, Epiſtolæ ad Romanos. Sic commentantur S. Hieronymus, Beda, & Origenes: Et in oculis Samuelis, illic ubi dicitur: *Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis:* In libro Regum primo, præmemorati authores, intellectum ſanctorum figurari volunt, & hominum juſtorum, quibus oculi principali privilegio reſerantur. Hinc per oculos columbæ intelligi, & explicari poterit is intellectus, qui non ſolum ad ſacras literas comprehendendas ſe idoneum præbet, ſed cum ſingulari acumine mentis profundius ſeſe ingerit, & cum ſubtilitate ſua altiſſimas intelligentias conſequitur; columba enim ſymbolum, & figura Spiritus Sancti eſt, & ad donum tam eminens nemo eluctatur niſi divina opitulatione præventus. Senſus S. Ambroſii eſt, cum ſæpe plangere columbarum ſit, hos oculos ideam animæ referre poſſe, quæ doloroſam Chriſti paſſionem ob oculos ſæpe verſet, in eaque meditanda diſtineatur.

Mens aucta & penetrans.
Columba Symbolum Spiritus Sancti.
In Pſ. 118. Serm. 5.
Paſſio Domini.

Proprietas Columbæ.
In Ioan. tr. 13.
5. Lev. 26.

Notant S. Auguſtinus, & Heſychius proprietatem quandam columbæ admodum inſignem, quod cum vulturi inimiciſſima ſit, & ejusdem inſidias vereatur, ſæpe ſoleat circa fluminum fluenta commorari, ut illic, tanquam in ſpeculo, umbram, & figuram vulturis intueri, & ſic antequam rapaci ungue deprehendatur, avolare in libertatem poſſit. Pari modo & anima juſta ſecus torrentem ſinceritatis & rectitudinis, & in conſcientia inviolata inambulans, ſpacium habet, unde ſe à Sathanæ unguibus defendat; Hic enim Angelus tenebrarum rapaciſſimus eſt, inter volucria, quæ ampliſſima aëris ſpacia pervagantur.

In Cant. Serm. 45.
De Iſaac. 7.
Canti. 1.
Cap. 4.
Fides, & virginitas.

Porro ſicut oculi corporis bini ſunt, in pari numero ſunt oculi mentis: quorum alter moralis eſt, alter myſticus, ſic exponunt SS. Bernardus, Ambroſius, & Gregorius. Oculus qui fidem repræſentat, ſponſum in Cantico decore ſuo cœpit, ſic enim illic habetur: *vulneraſti me in uno oculorum tuorum.* Alter de quo idem ipſe ſponſus vulneratus eſt, oculus eſt virginitatis, & integritas vitæ immaculatæ: iidem authores volunt, cum uterque oculus conjunctus ſit, unitatem cogitationum piarum indicari.

Adverſ Iovin. 17. Moral.
Cap. 59.
Sancti aquilis ſimiles.
Iob. c. 39.
De ſomno Nabuch. 38.
1. Reg. 16.
Cap. 4. 19.

Volunt S. Hieronymus, & S. Gregorius, quod oculus ſapientis, qui in pluribus hiſtoriæ ſacræ locis in capite ejusdem fixus refertur, perſpicaciam providentiæ, & maturitatem prudentiæ denotare poſſit, quæ utraque in mente ſapientis fixa eſſe oportet. Hic enim, utpote fidelis, cujus capitis membrum ſit conſiderare non negligens, profundiori meditatione in vitam & actiones Redemptoris ſui penetrat, & omnem adeo illuc cogitatum ſuum refert, & in illo ſolidatur. His oculis privati ſunt & Judæi, & infideles omnes, qui tanto bono mentem non applicant: prout cæcitas hæc, miſerandum in modum ab Iſaia Propheta repræſentatur. Longe aliam methodum ſequuntur ſancti, & reverentes Deum ſuum. Hi enim tanquam aquila, prout de eadem patientiæ ſpeculum teſtificatur: *Eſcam de longè oculi ejus aſpiciunt*, etiam in hoc rerum terreſtrium vapore ad lucem illam inacceſſibilem divinæ claritatis & ſolis æterni pertingunt. Richardus de Sto. Victore, ex eo quod quæque res objectum oculorum eſſe poſſit, ſymbolum judicii naturalis tam ad bona, quàm mala diſtinguenda formari poſſe inquit. Quantumvis autem his luminibus tam pretioſis nonnulli hominum ditati & dotati ſint, nonnulli tamen, prout inquit S. Gregorius, hæc cum ſingulari quadam fatuitate habere dedignantur, & inſanè rejiciunt. Hanc cæcitatem ſanguineis lachrymis deplorant, Jeremias, & propheta Job; quorum ille quidem de anima meretricia ſic loquitur: *Cum pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtra componeris*, & alter: *Quid te elevat cor tuum, & annuunt oculi tui?* Pari modo per oculorum elevationem (ſicut ſtudioſus Lector pro capacitate ſua id in Geneſi, Exodo, Joſue, & Jeremia inventurus eſt) intelligi poterit anima, ſe à ſæculo in ſublimem abſtractæ vitæ contemplationem recipiens, ubi elevato corde Divinorum myſteriorum arcanis immoretur.

Contemplatio.

Intentio recta.
De ſerm. Dom. in monte.
Intentio mala
Cap. 11.
Cap. 17. 10. 14. 17.
28. Moral.
Homil. in Principio pro Hic. Ep.
Homo avarus.
18. 33. 15. 17. Serm. de Angelis.
Conſiliarius bonus, & malus.
Cap. 4.
In Pſ. 118.
Serm. 16.
Matt. hom. 5.

Exponit pro more ſuo doctiſſimè Auguſtinus, oculum corporeum ſignificare intentionem, cum qua quisque operatur: oculus verò infatuatus, obliquus, & corruptus, voluntatem perverſam denotat & paſſionibus ſuis turbidam. Quod univerſum cum illis præfati Patientis verbis convenit: *Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & ſpes illorum cruciatus animæ.* De eadem re & capite decimo ſeptimo habetur: ubi ſimul eorum ſcelerata propenſio ad omne genus vitiorum advertitur, quibus immerſi actiones vitæ ſuæ peragunt. Supra id quod in Salomonis proverbiis habetur: *Oculi ſtultorum in finibus terræ:* Sancti Gregorius & Hieronymus eos intelligunt, qui cæca quadam avaritia, & immoderato habendi deſiderio linceis oculis ad capturam lucri invigilant, nec prius ſaturitatem nanciſcuntur, quam ad fines usque & terminos terræ pertigerint. In hoc ſolo fixæ firmæque eorum pupillæ ſunt, & in his finibus metam cupiditatum ſuarum collocant. Quandoque oculus voluntatem & affectum ſignificat, inquit S. Bernardus, ſupra id quod habetur in Geneſi, Exodo, Pſalmis, & Job. *Oculus*, inquit *ſcandalizat dum voluntas noſtra aliquam minus caſtam, & importunè ingerit intentionem.* S. Ambroſius in oculo etiam ideam conſiliarii prudentis cognovit, fundatus ſupra id, quod in proverbiis legitur: *Oculi tui recta videant.* Adjungit Origines per oculum dextrum ſignificari poſſe eum, qui bonum conſulit, per ſiniſtrum is qui malum ſuadet; non enim deſunt in utramque partem & Doctores & ſeductores. S. Hieronymus itidem hanc eruditam reflectionem inde colligit: *Quidquid nobis charum eſt, poteſt dici oculus ſcandalizans, aliquando poteſt intelligi uxor.*

De hac negatione, & defectu facile eſt noſſe, quantis opus ſit ad mulierem bonam conſtituendam.

Super Matt. 13. 18.
Contemplatio gloriæ.
Affectus ſenſuum.
1. Reg 11.
2. Moral. 26.
Gratia, & ſupplicium.
Loc. cit.

Per oculum dextrum intelligimus, inquit S. Auguſtinus, viſionem, & intuitionem gloriæ, & claritatis æternæ: ſed oculus ſiniſter concupiſcentias noſtras figurat, & effræniata deſideria ſenſuum noſtrorum. Adjungit S. Gregorius: oculum dextrum, oculum gratiæ eſſe, oculus ſiniſter figuram, aut demonſtrationem ſupplicii, & pœnarum portat: primus ſignatur in Aino, ſecundus in Ennone, ſicut in primo Regum capite undecimo (ita proſequitur Gregorius) in dextro ſymbolum vitæ contemplativæ, vitæ activæ habemus in ſiniſtro. Scandalizat oculus dexter, cum quis contemplationi non idoneus, ſe in eam nihilominus ingerit, unde poſtea terram ſumens pro auro, deceptioni neceſſariò ſubjicitur, & caſum ſuum fabricat. Sic ratiocinari liceat de activa vita in ſiniſtro: erit enim qui ſe Hectorem opinetur, ſed parvus adhuc Aſtyanax eſſe deprehenditur: unde conſultum eſt ut potentiæ juxta activitatem, & diſpoſitionem ſuam operentur.

Operentur potentiæ juxta diſpoſitionem ſuam.
Miſericordia.
In Matth. hom. 13. ſup. Iſai. 29. ſuper Iob. 29.
1. Reg. 2. 3. & 7. Paſtoral. ſuper Gen. hom. 7. 15.
Gen. 21.

Oculus item miſericordiæ typum præſefert, juxta dictum Deuteronomii: *Neque parcat ei oculus tuus.* Dicunt Sancti Hieronymus, & Gregorius, unà cum Origene, in oculis Jacob (ſicut in libro Geneſis cap. 48. invenitur) qui prius obfuſcati, poſtea primitivam lucem & claritatem adepti ſunt, intelligi oculos Iſraëliticæ gentis prius obcæcatos, & vanis idololatriis corruptos, ſed per adventum Chriſti rurſum illuminatos. Sic per oculos Agar à Deo apertos, unde etiam, quem deſiderabat, fontem protinus invenit, illud ſignificatur, quod in Judæis adimpletum eſt, tum cum abolita idolorum ſuperſtitione & cultu ad verum Deum converſi, de morte peccati, ad vitam cognitionis ſpiritualis reſurrexerunt. Per oculos Lyæ lippientes, & diſtortes, de quibus in Geneſi capite 29. refertur, debilitas, & defectio ſynagogæ præſignabatur. Sic in oculis Judaicæ gentis, (de quibus Iſaias cap. 29.) Principes, & Prophetæ intelligendi ſunt. In oculis Eliæ, de quibus in lib. 1. Regum ſic habetur: *Caligaverunt oculi ejus*, cæcitas Pontificum, & Scribarum inter Judæos exprimitur; id quod etiam in Pſalmis, in Zacharia, in S. Matthæo manifeſtū fit. Gentiliſmus primum quidem obcæcatus perverſitate peccatorum ſuorū, & deinceps illuminatus, & ſplendore divinæ gratiæ illuſtratus, præſignatus fuit in cæco nato (prout illud Origenes, Hieronymus, & Gregorius expoſuerunt) qui à benigniſſimo Redemptore noſtro lumen oculorum accepit.

Synagoga deficiens.
Principes, Prophetæ.
Cæcitas Pontificum.
73. 14. 20.
Paganiſmus converſus.
Sup. Iſaiam hom. ſup. Iſai. 29.
ſ. 1. Reg. 25.
1. Reg. 15.
Cognitio ſui ipſius.

Cognitionem ſui ipſius his duobus verbis, juſſu Dei Saulem Samuel alloquens, expreſſit: ſic enim ait: *Nonne cum eſſes parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es?* Hic enim Saul antequam ad faſtigium tam ſublime hoc eſt Regale pertingeret ſe parvulum agnoſcebat. Talem decet eſſe ſui notitiam ei, qui ad dignitates ſublimiores aſpirat.

Oculi aperti experimentum malorum.
ſ. Num. hom. 36.
Defectus fidei.
Contemptus religionis.
Prælati decepti.

Oculi progenitorum noſtrorum aperti ad dignoſcendum bonum & malum, quibus ſerpens illud, è ſacra Geneſi inſufflavit: *In quacunque hora comederitis, aperientur oculi veſtri, ſcientes bonum & malum,* idcirco aperti ſunt, inquit Origenes, ut experimentum mali haberent, quod prius non habuerant. Per oculos Iſaac, de quibus in Geneſi dicitur: *Caligaverunt oculi Iſaac, nec videre poterat*, ſignificatur & exprimitur defectus fidei, unde oculus mentis obtenebratur, & confunditur, ex quo proinde contemptus & vilipendiū religionis conſequitur: non minus illic quoq; Prælati figurātur, à deceptione adulationis diſtorti, & corrupti.

Curioſa, & majori reflexione digna ſunt, quæ S. Hieronymus ſuper caput nonum Zachariæ prophetæ commentatur, ubi ſic habetur: *Onus verbi Domini in terra Adrach: & Damaſci requies ejus, quia ad Dominum erit oculus hominis*, ſubjungit Hieronymus: *Oculus hominis, & omnium tribuum Iſrael dicitur eſſe Domini: qui Domini eſt, quicunque & de gentibus reſpicit Deum, & ſperat in eo, & de cunctis tribubus Iſrael: vel quia Dominus æqualiter cunctos reſpicit ſine exceptione perſonarum.* Nequit verecundia meliori & aptiori figura exprimi, quam oculo pudibundo, & humi demiſſo: hic enim motus naturalis pudicæ virginis eſt, & ubicunque ſingulariter in obſervatione habitus. Idcirco Doctores omnes in hoc conveniunt: idq; maximè ex eo, quod Rex Achimelech cum Sara & feciſſe, & dixiſſe legitur, deducunt: *Ecce* (inquit Rex mulierem hanc Abrahami) *mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit in velamen oculorum tuorum.* Velum enim quod ad oculos tegendos adhiberi ſolitum erat, indicium eorum eſt quæ ſupra memoravimus.

Cap. 20.

Petulantia & laſcivia.
Cap. 39.
Cap. 34.
Cap. 52.
Salus per Chriſtum operata in mundo.
1. 4.
Sup. Ezech. hom. 6. ſup. Apocal. hom. 3.
In Ezech. hom. 5. & 19. Moral. 16.
Lux Evangelii.

Audacia rurſum, & proterva libertas, quæ petulanti vagabundo & arroganti oculo, omnium circumſtantium in ſe provocat, quippe quæ flammas ſcintillantibus oculis fulgurare videtur, cor indicat impudicis ignibus ſuccenſum, propter quod & prava concupiſcentia nominatur. Talis erat in uxore Putipharis adverſus continentiam Patriarchæ Joſeph, de quo in ſacra Geneſi refertur: *poſt multos itaque dies injecit domina oculos in Joſeph, & ait: dormi mecum.* Sic & Job propheta inquit: *quaſi impios percuſſit eos dominus in loco videntium.* Et in prophetia Iſaiæ: *Nudavit Dominus brachium ſuum in oculis gentium:* quod per interlinealem expoſitionem ſic elucidatur: *quia Dominus propoſuit ſalutem omnibus per Chriſtum acquirendam.* In myſterioſis viſionibus, quas habuiſſe leguntur prophetæ Ezechiel, & S. Joannes in Apocalypſi, ubi ſic habetur: *omnia plena erant oculis ante, & retro:* dicunt Sancti Hieronymus, Auguſtinus, & Gregorius his figurari lucem Evangelicam quæ tanquam lucidiſſima Pharos, cæleſtis ſplendoris radios emittit, quibus orbis univerſus illuminatur, & ſuccenditur. Præfigurant itidem, juxta eorundem Patrum mentem, cognitionem rerum præteritarum, & futurarum, in iisque exactiſſimam providentiam. Oculi verò, qui præterea illic ab intro in viſione illa, verſabantur, ſecundum id, quod præfati authores meminerunt, animas juſtorum in typo referunt, quæ in ſemetipſas introrſum converſæ Deo ſoli placere quærunt, ſic tamen ut extendere lumen ædificationis ſuæ de foris ad ſalutem, & ſolamen proximorum non negligant. Per oculos Balaam, qui ad videnda caſtra & tentoria populi Iſraelitici aperiuntur, dum contra eos clamorem ſuum extollit, indicatur (prout id Origeni viſum fuit) Diabolicum ingeniū, & perſpicax Sathanæ ſenſus, qui ad hoc intentus eſt, ut à recto tramite nos ſeducat. Oculus vulturis, prout exponit S. Hieronymus, idem ipſum ſignificat. Oculi Leviathan ſerpentis, juxta eundem, cum aſtutiſſimum animal ſit, de quo in libro Job legimus, idem concludunt: imò verò cum præfatus ſerpens quaſi Rex ſit omnium ſerpentium, viſuque acerrimo dotatus, per hunc ſignificari poterunt (ſequitur in paraphraſi ſua Hieronymus) conſiliarii Sathanæ, qui vivaciſſima pupilla ſua, prævidere cum poſſint ſecutura, omni machinamento conſiliorum ſuorum, & ſuggeſtionum indirectam, laqueos pedibus noſtris tendunt, ut videlicet ab itinere noſtro, vel deflectamus, vel omnino ab eodem ceſſemus: hæ pupillæ inſidiantium nihilominus apud Job ſpondere nobis audent, pupillas ſe & radios auroræ eſſe, dum promittunt fugare ſe à cordibus noſtris poſſe tenebras illas, quibus tamen fœdum in modum obnubilatæ ſunt: & quarum lux æquiparanda eſt fulguri, quod prænuntium eſt & tonitruum, & tempeſtatum.

Sathanæ ingenium
In Num. hom. 7.
In Iob. 28. 40.
In Iob. 41.

Arrogantia. *In proverb.30.*

Per hos oculos itidem Beda intelligi vult, protervam arrogantiam, & inflatam magniloquio ſuo pſeudoprophetarum & hæreticorum inanem jactanctiam. Sed quæ propediem tanto majori lapſu caſura eſt, juxta illud Iſaiæ: *Claudet oculos veſtros.* (*Cap. 19.*) Ad ſignificandum filium vilipendentem patrem ſuum, in proverbiis ſenſus quidam habetur, qui, meo quidem judicio, id quod præ manibus eſt, optimè exprimit, & eſt is, qui ſequitur: *Oculus ſubſannans Patrem*: (*Proverb. 30.*) Hic auctores pene omnes conveniunt poſſe inſinuari hæreticos, qui Eccleſiam matrem ſuam tam benignam, & omnibus communem, imò verò & Chriſtum Redemptorem Patrem ſuum ſubſannant, & irrident.

AntiChriſtus. *Cap. 11.*

Minatur apud Zachariam prophetam Deus, ſe Paſtorem ſtultum caſtigaturum eſſe, qui relicto grege in prædam idololatriæ deſtinat, & ait: *Gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum ejus dextrum brachium ariditate ſiccabitur, & oculus tenebreſcens obſcurabitur.* Hic Paſtor ſtultus (ſenſus eſt S. Hieronymi) (*Super L. C.*) alius non erit, quàm AntiChriſtus, oculus ejuſdem ſcientia ejus falſa erit, quam infatuato lumine ſuo diſſeminabit, & diſperget. Per oculum, qui datur pro oculo, ſicut in Levitico diffuſius exponitur, juxta interpretationem Heſychii, (*Super Levit. c. 24.*) homo denotatur, qui cum aliis cauſa ſit, ut in viam erroris incurrant, & ipſe denique hoc eodem errore, corrumpitur & occæcatur. Vidit propheta Zacharias, foras exeuntem menſuram, & audivit intonantem Angelum: *hic eſt oculus eorum in univerſa terra.* Explicat Heſychius vel de iniquitate propalata hoc accipiendum eſſe, vel in avaris (inquit ille) (Avari.) mentem obtuſam ad divina contemplanda indicare; oculi enim horum ad nil aliud invigilant, quàm ut theſauros accumulent, & argenti maſſam coacervent. Pſalmiſta David cum humili opinione de ſemetipſo inquit: (*Pſ. 130.*) *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.* (*In Levit. c. 24.*) De talibus oculis inquit S. Hieronymus, (Superbia. *Cap. 37. Cap. 16.*) quod homines indicent ambulantes in ſublimibus, & mirabilibus ſuper ſe; cum petulantia, & mentis elevatione. De his latius in Iſaia propheta, ſicut & in libro Job invenitur: *ubi oculi terribiles*, de quibus præfatus Job meminit, crudelitatem exprimunt, & barbariem Judaiſmi, contra Salvatorem Deum: ſic commentatur S. Hieronymus. (*Super Iſai. 2.*) In afflictionibus & neceſſitatibus noſtris, eum oculo intuemur attento, de quo beneficium, & adjumentum ſperamus, hinc Pſalmiſta inquit: (*Pſ. 144.* Preces & adjutorium.) *Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno.* Gloſſa hic preces, & ſupplicationē, tum deinde adjutorium præſtitum intelligit, quod ſit orationis præcedentis effectus: ſic ergo memoratus pſalmiſta concludit: *ſicut oculi ſervorum in manibus dominorum ſuorum*, ab his enim illi, vel caſtigationem prævaricationibus ſuis debitam verentur, vel præmia meritis ſuis danda expectant.

Mancipia peccati carnalis.

Hi oculi ſervorum in manu dominorum, ſervos quoque peccati in manu paſſionum indicare poterunt. & viciſſim id quod propheta regius inquit: *ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ*: intelligi poſſunt hi, qui libidinibus & ſenſualitatibus vincti, niſi melius dixero diſſoluti ſunt, in quo loco *Domina* humanam carnem figurat. In libro Job habetur textus quidam obſcurus admodum: nec facilis ejus expoſitio eſſet niſi Sancti Gregorius, & Hieronymus neceſſarium nobis lumen ſuggeſſiſſent: (*Cap. 40. 33. Moral. 8. ſ. Ioan. 40.*) ait Job: *In oculis ſuis tollit eum in offendiculis*: hi verò ſic legunt: *in oculis ſuis hamo captus eſt.* (Dæmon timens, & ſperans.) In quo dæmon intelligendus, qui poſtquam Chriſtum cognovit, ringebatur: cognovit enim eum, à quo ſibi timendum erat: poſt hæc nihilominus nova ſpe allectus fuit, fore ut mediante vetito, & prævaricatione legis tam divinæ, rurſum tot populi æternæ damnationi deſtinandi eſſent.

In talione, de quo oculus datur pro oculo (ſicut in libro Exodi reperitur) (*Exod. 20.*) ſumi poteſt, ſic Iſidorus Clarus inquit, ſimplex & literalis ſenſus: vel potius hoc ſecundum Origenem & Caſſiodorum exponendum eſt, (*In hunc locum Exod. hom. 19.*) qui illic ſubjectionem, vel captivitatem intellectus figurari aſſerunt. Dictum hoc Pſalmiſtæ: *Qui eripuit animam meam de morte, pedes meos à lapſu*: (*Pſ. 114.* Viſio beatifica.) ad id referunt præfati, quando Altiſſimus transportaturus electos ſuos ad Paradiſum æternitatis, levat obſtaculum, quo præpediebantur, ne ſerenam illam & æternam viſionem intuerentur: ſic enimvero id quod dicitur videre oculo ad oculum, (Oculus ad oculum.) idem eſt quod videre facie ad faciem, hoc eſt, prout memorati authores inquiunt, gaudere viſione intuitiva: de qua propheta Iſaias meminit. Oculi item qui in apice cornuum in ingenti illa beſtia apparuerunt, quam Danieli prophetæ monſtravit Dominus: (*Cap. 51.*) AntiChriſtum repræſentant futurum quidem verum hominem, ſed idcirco Dæmoni aſſimilandum, quod ab eodem inhabitandus ſit, prout ſanctus Hieronymus in præſcripto loco, gloſſatur. (*Cap. 7.*)

PROVERBIA.

Oculus vicini invidus. Fatendum eſt proverbium hoc fundamentum habere antiquiſſimum: (Invidia vicini.) quippe quod jam tum à primordio ſæculorum fratricida Cain, (*Gen. 4.*) invidebat fratri ſuo ſacrificia: ſicut & fratres Joſeph eandem invidiam nutrierunt, de quibus ſcriptura: invidebant ei, *nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* (*Gen. 37.*) Hoc vitium deinceps, quo quis in proſperitate vicini ſui marceſcit, per longam poſteritatem ſerpendo, & novis ſemper viribus auctum ad nos usq; pervenit: cujus ampla deſcriptio, inter alia à Poëta Ovidio in Metamorphoſi ſua legitur. De præfato proverbio Alippus in Manutio inquit: *Inimicus, & invidus vicinorum oculus, ut dictum eſt in proverbio.* (*In Epod. Encyon.*) Et Ariſtoteles: *Vicinus invidet vicino, juxta Heſiodi ſententiam*: (*2. Rhetoric.*) hoc eſt, fortaſſis abſque authore, & in hanc rem Ovidius.

> *Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in arvis.*
> *Vicinumque pecus grandius uber habet.*

Et alibi:

> *Invidus alterius rebus marceſſit opimis.*

Pari modo Sanazarus:

> *L'invidia figlivol mio ſe ſteſſo lacera,*
> *E ſi dilegue come agnel per faſcino.*

Oculus mulieris. Hoc proverbium enatum eſt, ſignificans res omnes, (Res perniciosæ.) quæ cum fuerint ab oculo noſtro notatæ, damnum nobis inferre poſſunt: ſicut de vultu mulieris flammæ ad incendium excitandum prodeunt, quæ usque adeo violentæ nonnullibi fuerunt, ut domos, & familias, civitates & regna ſubverterint. Unde nunquam intermoriturum erit excidiū calamitoſæ Trojæ, cui focos hos exitiales oculi Helenæ intulerunt. Sed de hoc jam mihi ſufficienter dixiſſe videor in Hieroglyphicis: hic ſolum cum Virgilio concludo, qui de muliere inquit:

> *Uritque videndo Fæmina.* (*Ex Aldimano p. 221.*)

Nec hoc mirum eſſe Terentius inquit: *Novi ingenium mulierum, nolunt ubi velis, ubi nolis cupiunt ultro.* Quidam etiam philoſophorum usque adeo male de mulieribus ſentiebant, præſertim de Stoicorum ſecta, ut ſi quem denotare vellent hominē in otio enervatum, mulieris eum (ut cum venia loquar) podicem appellarent. Hinc Heſiodus: *Amat otium fæmina, & fucorum in morem, virorum laboribus quæſita, ſibi inſumit.* Sed de his alibi fuſius.

Oculos in occipitio gerit. Cum hoc proverbio exprimebatur homo vafer, & aſtatus, imo vero fi- (Proverbiū Italicum.)

ctus,

ctus, & diſſimulator, de quo Itali noſtri in proverbio inquiunt: *far di bocca ſpalle*: (far di bocca ſpalle.) hi enim oculos ſibi in tergo collocant vitium omninò monſtruoſum, quod quantum in ipſo eſt, ipſum adeo Deum hypocriſi ſua fallere intendit: unde S. Gregorius ait: (*12 Moral.*) *Mens hypocritæ ſemper præparat dolos*: Et S. Auguſtinus (*In Pſal 65.*) accommodate in rem noſtram, *ſimulata æquitas*, inquit, *non æquitas eſt, ſed duplex iniquitas.* Ejusmodi homines ſcorpionum ſimiles ſunt, quibus hæc Epigraphe convenit: *Amplexantur ut perdant.* Si verò jam memoratum proverbium in alio ſenſu acceptum fuerit, usque adeo naturam mutat, ut ex peſſimo in optimum degeneret, dum videlicet, juxta virum doctiſſimum Aldrovandum (*Monſtror. hiſt. p. .c.96.*) Commentatorem ejusdem, non ſolum in principe vigilantiam, ſed in omni adeo gubernatore denotat, (Vigilantia.) quem oportet non ſolum ſicut Argum oculis multis proviſum eſſe, ſed in adverſa quoque corporis parte: volens eum totum oculum, plenum perſpicacitate, & mente eſſe. Perſius hunc Janum nominat: Homerus eum principem ubique oculatum appellat. (*Pro Murena.*) Talem aſſiſtentiam M. Tullius recommendat illic, ubi ait: *Eſt boni magiſtratus, non ſolum videre, quid agatur, verum etiam prævidere quid futurum ſit.* Sol Mundi Princeps idea eorum qui regnant, curſu infatigabili, & cum oculo inflammato iter diurnum perficit, relinquens vices ſuas Lunæ nocturno tempore. (*Iliad. 6.*) *Non oportet*, inquiebat Homerus, *noctem integram dormire conſiliarium virum, cui commiſſi populi, & tantæ curæ res ſunt.*

Facilius creditur quod oculo videmus quam quod auribus audimus.

Oculis magis habenda fides, quàm auribus. Nunquam fuit, & nunquam, opinor, futura eſt natio, quæ proverbium hoc non acceptaverit, aut poſthæc acceptatura non ſit, cùm ejusdem experientia quotidiana nunquam defutura ſit. *Quæ cernuntur certiora ſunt, quàm quæ audiuntur*, ait Manutius. Hinc in loco quodam Horatius: (*In hunc locum de arte.*)

> *Nec retinent patulæ commiſſa fidelius aures.*

Et alibi:

> *Segnius irritant animos demiſſa per aurem,*
> *Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ*
> *Ipſe ſibi tradit ſpectator.*

(*Ex Ald.*) Hinc Plautus: *Manus lenes voco oculatas, non auritas, quæ demum credunt, quæ vident.* Admirabiliter hæc Virgilius, & ad longum exprimit in portis illis, quas Æneæ Sibylla in inferno monſtravit: quarum una de ebore erat, quo ſomnia, & phantaſmata introëunt, ſed confeſtim inde rurſum prolabuntur, & evaneſcunt: altera de cornu erat, ubi viſus figurabatur, ad corneam illam oculi tunicam reſpiciendo poëta, quæ ejusdem pars præcipua eſt: tum verò etiam ad nigrum illud, nigrum inquam pupillæ. *In ſumma*, concludit Manutius, *ad cognitionem magis faciunt aures: ad fidem faciendam certiores ſunt oculi.* Hinc evenit, ut ſi quis, quod mirum nobis & exoticum videatur, recenſuerit, interrogare conſuevérimus, num hæc oculis vidiſti?

De Epiſtola quadam Juliani ad Leontinum deductum eſt proverbium, ubi ſic habetur: *Sermo quidam Thurius dixit: aures hominibus minus eſſe fideles, quàm oculos: Thurium appellavit, indicans Herodotum, dicti Authorem, vel ob impetum divinum, vel quod is ſcriptor apud Thurios vixit, & mortuus eſt.*

Sedula in rem quandam applicatio.

Oculis fixis intueri. Hoc de iis dictum, qui in operatione ſua fixi ſunt, & omni modo intenti: impoſſibile autem eſt eum, qui mente incerta huc illuc evagatur, operationem ſuam perfectam reddere, quam nihilominus perficiendam occepit: *Age quod agis*, tota Socratis ſchola inclamat. Proverbium autem hoc exinde deductum eſt, quod rem quandoque cum tanta applicatione intuemur, ut illuc fixo oculo toti in eandem abſorpti videamur.

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus: proverbium Ariſtotelicum eſt, & jam vulgo notum; de quo Manutius: *ſumptum eſt ab amantibus, qui ſtupentibus, nec unquam dimotis oculis inſpiciunt id, quo delectantur.* (*In Comment. de Audiendo.*) Primus qui authoritatem adagio huic præſtitit Dionegianus quidam fuit, juxta mentem Plutarchi: ſubjungit inde: *gravis Author & moleſtus, qui ad ſingula ſtupet, & defixis eſt oculis*: Concludit M. Tullius: *Ut totam cauſam, quam maxime intentis, ut ajunt, oculis acerrime contemplemini.* (*Pro Lucio Flacco.*)

Condemnat quantum poteſt vehementiſſime, in agendo incuriam, (Ruinæ, quæ negligentiam in agendo conſequuntur.) & ſupinam negligentiam Petrus Chryſologus, in iis præſertim, qui gubernaculis populorum præſident, dum ex his pullulantes abuſus, inevitabiles caſus, ruinas, & præcipitia ob oculos ponit: *Hæc eſt illa remiſſio*, inquit, (*In Epiſt.*) *per quam unus ædificat parietem, & alius linit: per quam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ. Imo per hanc canes muti, non valentes latrare, per conſenſus uniformitatem, faciem & ſimilitudinem peccatorum aſſumunt, ſicut ſcriptum eſt: Usquequò judicatis iniquitatem, & faciem peccatorum ſumitis?* Clamat Deus illic apud Joannem, de quodam eorum: *Utinam aut frigidus, aut calidus eſſes, ſed quia tepidus es, incipiam te evomere.* (*Cap. 4. Apocalyp.*)

Oculis pulverem offundere. De iis dicitur, qui rem manifeſtam occulere quærunt, (Res manifeſtas occultare velle.) eo quod ad commodum eorum non vertat, quam etiam abolire ſatagunt, & rationes infringunt eorum qui contra ſentiunt. Quod adagium perinde jam tantopere tritum eſt, ut etiam per ora turbæ promiſcuæ transeat: dicunt enim: *Coſtui ci vorrebbe far travedere, e gettar la polve ne gli occhi.* (Pulverem in oculos injicere.) Videtur autem traxiſſe primitivam originem ſuam à caſtris militaribus; antiquitus enim conſuetudo inoleverat, ut ad principium pugnæ hoſtis hoſti pulverem jaceret in oculos, ut cum manus conſerenda eſſet, percuſſoris ictus tanto magis lateret, & minus evitari poſſet. Hac arte & hoc ſtratagemate militari quondam uſus eſt magnus ille Bellidux Sertorius, qui à tergo montis pleni pulveribus eousque latuit, donec ſecundo vento propinquanti inimico omnem adeo arenam illam in aërem levatam, in oculos impulit, atque ita malo hoc involutum hoſtem, & ferienti milite adortum, ad internecionem usq; delevit. Materia hæc Prædicatoribus non inutilis: quamvis enim antiqua, moralitati tamen aptiſſima eſt, Quadrageſimæ primo die in uſum jam deducta, (Memento homo.) ubi ad memoriam terrenæ, & pulverulentæ conſtitutionis noſtræ quotannis repetitur: *Memento homo, quia pulvis es.* Siquidem pulvis hic in oculos inimicorum noſtrorum, mundi, carnis, & Diaboli injectus fuerit, excæcantur, ita ut à nobis victi recedant. Hinc S. Anſelmus inquit: *facilè contemnit omnia, qui cogitat quotidie ſe moriturum.* Hoc proverbio, prout refert Manutius, S. Hieronymus in pluribus locis uſus eſt: idem Manutius ait: *Marcus Tullius gloriatur ſe in actione quadam judicibus tenebras offudiſſe.* Hoc idem quoque, juxta mentem doctiſſimi Aldrovandi, (*De monſtris f. 169.*) uſurpari in eum ſenſum poterit, cum quis rem non minimi momenti vili pretio comparaverit: unde dici ſolet: *Pulverem ei in oculos injeci.* (Res cara, vili pretio empta.)

Oculis ac manibus: tum in uſu eſt, cum quis ad perfectam cujusque rei notitiam pervenit: (Rei cujuſpiam.) unde etiam conſuetudo habet, ut his verbis utamur: *hiſmet oculis meis vidi, & manu propria palpavi.* Quod tum vere dici potuit cum glorioſiſſimus Apoſtolus Thomas manu ſua Redemptoris noſtri ſacratiſſimas plagas contrectavit, dum prius dixiſſet: *niſi videro & tetigero non credam.* Supra quod admirabiliter Petrus Chryſologus ait: *immiſit manus, injecit digitos, patefecit vulnera,*

& ut Chriſtum crederet, iterum pati compulit Chriſtum. M. Tullius ſcripto reliquit: *Cùm manifeſtè venenum deprehendiſſet, quod vir Matris Opianicus ei paraviſſet, res non conjectura, ſed oculis, ac manibus teneretur, neque in cauſa ulla dubitatio poſſet eſſe, accuſavit*: ſubjungit Manutius: *Quidam porro adeo ſunt increduli, ut niſi manibus contrectent, non credant.* *In utrumque oculum dormire*: Eorum paradigma proprium eſt, qui abdicatis omnibus ſæculi negotiis, ſoli tranquilitati, & paci internæ vacant: quod à noſtris hoc modo exprimitur: *Vivere è laſciar vivere.* De quo Plautus: *De iſthac re in oculum utrumvis conquieſcito.* Prodiit de ſcena proverbium hoc. *Captatus eſt à Comico ex novatione verborum*, inquit Manutius: tum videlicet adagium valebit, cum homo virtutis, qui annos vitæ ſuæ optimos jam in commodum & beneficium Reipublicæ expendit, annorum deinceps gravitate oppreſſus ſe in tutum ſolitudinis & quietis procul à tumultu receperit: non illic eſt, quod eum negligentiæ arguamus, & quod vitio illi hæc ſolitudo ejus verti poſſit; ſic Tyberius Imperator egit: ſic Marius, & Scipio cum Linternis: ſic Severus Septimius, qui poſtquam ſibimetipſi aliquantum temporis vixit, & ſe in libertatem ſuam recepiſſet, quamvis ſeptuagenarius occumbens, inſcribi nihilominus ſepulchro ſuo voluit: *Hic jacet Septimius annorum ſeptem.* De hac tranquilitate animi copioſa volumina poſteritati dederunt Seneca, & Plutarchus.

Pro Cluent. — Tranquilitas & pax. — *In Pſeudolo.*

Ego quoque in floreſcenre ætate mea libellum de hac ipſa publico dedi, inſcriptum: *Il ſolitario felice*: aut verò: *Stoico Chriſtiano.* Hæc ſolitudo in homine juſto veram conſolationem, & vitam plenam ſerena fiduciâ operatur: unde & Propheta regius inquit: *Jubilate DEO omnis terra, ſervite Domino in lætitia.* Hanc doctrinam Philoſophorum ſchola edocta fuit: Euripidis præſertim, qui ait: *quisquis multa agit, ubi ceſſare liceret, ſtultus eſt, cum jucundè poſſit tranquilius vivere.*

In Antiope.

Deſiderium quo noſſe rem jucundam nobis deſideramus.

Oculus dexter mihi ſalit. Solet his verbis figurari deſiderium ejus, qui videre, aut noſſe rem quandam cupidiſſimè quærit, quam ſibi gratam, & acceptam futuram ſperat. Proverbium hoc exinde natum eſt, quod vanæ & ſuperſtitioſæ mulierculæ, de diverſo tinnitu vel ſonitu partium corporis in futurum proſpicere, & argumentari ſoleant: unde inter ſapientes quoque in jocoſum proverbium tranſiit, ut cum primum bona aut mala de nobis dicta eſſe, relatum nobis fuerit, reſpondere ſoleamus: quin & aures mihi idcirco tinniebant. Ad confirmationem etiam ejus, quod de mulierculis jam retulimus, locum Plauti conſpicuum adfert Manutius: *Prurit mihi tergum, pruriunt dentes, pruriunt pugni: Et utrum dentes tibi pruriunt an malæ?* Theocritus in eundem ſenſum: *En oculus dexter ſalit mihi, illamne videbo?* Rurſum Plautus: *ſupercilium ſalit.*

Res jucundæ, ſed non utiles. — Argentum repoſitum in veſicis. — *L. C.*

Ad oculos magis, quàm ad veſicam pertinet. De ea re dicitur, quæ oculis viſa, plus valet ad eorundem delectationem, quàm ad lucrum & utilitatem hominis: ubi continens pro contento ſumitur: veſica enim pro lucro uſurpatur, eo quod antiquitus loco burſæ, (prout vir doctus quidam obſervavit) argentum in veſicis collocabatur, quod quò copioſius erat, eò majores utique veſicæ erant. Id ipſum ſequentibus verbis famoſiſſimus obſervator Aldrovandus expreſſit: *Hoc in loco veſica pro lucro uſurpatur, cum olim priſci veſicis porcinis, & bubulis pro loculis, & receptaculis pecuniarum utebentur.* Hinc colligitur, quàm in omni hominum ætate pecuniarum aviditas, & aurifames invaluerit: quamvis dixerim, id moderatius factum inter antiquos, præ modernis temporibus: quid enim vilius quam crumenæ loco, veſicis uti?

Severitas.

Oculi Atrei. Significatio hæc hominis ſeveri eſt, qui aſpectu ſuo terrorem injicit. Sicut olim in theatris, ubi res terrore & horrore plena repræſentanda erat, in Tragœdiarum lugubri ſpectaculo in ſcenam producebatur Atreus. Quod verò oculi cum ſuperciliis in arcum elevati ſeveritatis ſymbolum ſint, jam in præcedentibus declaratum eſt. Hinc & M. Tullius ajebat: *Acerba audire tolerabilius eſt, quàm videre.* Et S. Joannes deſcribendo in Apocalypſi viſionem Salvatoris Judicis, ait: *Oculi ejus, ut flamma ignis.* Et David: *Vultus Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*: quod tamen jam ſupra meminimus.

Ad Curionem — *Apocal. 1.*

Verbis facta conjugenda.

Oculatæ manus. Hoc de iis dicitur, qui effectum promiſſis ſuis adjungunt: ut non in ſolis verbis liberalitas ſit: ſicut hodierna ſunt tempora, ubi verba in promptu ſunt, factis non ſubſequentibus. Oculi ſymbolum hic verborum ſunt; manus operum: propter hoc propheta regius nonnullibi ait: *Omnes gentes plaudite manibus.* Et alibi: *Extollite manus veſtras in ſancta.* Utque ad genuinam horum verborum intelligentiam pertingamus Plautus præ manibus eſt, qui ait: *Oculatæ manus, quæ promiſſa velint exhiberi re, non oratione promitti.* Ita Lena quædam in Aſinaria adoleſcenti montes aureos pollicenti, cùm illa nihil commoveretur promiſſis, ſemper inquit: *oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt, quod vident.* In eadem erat ſententia Leno ille Terentianus Sanio: *nunquam inquit ego adeo aſtutus, quin quid poſſem mallem auferre in præſentia potius.* Huc alluſit Cheræa in Eunucho, *fac nunc promiſſa, ut appareant.* His probationibus reflectio debita defutura non eſſet, ſed cum copioſus numerus adagiorum in materie hac nobis præſto ſit, ne ulterius diſtinear, ad aliud rurſum progredior.

Pſ. 46. — *Pſ. 17.*

Denarii non ſoluti aut verò exactè dati.

Cæca dies, & oculata dies. Curioſum, ſi ullum aliud, proverbium hoc eſt: dum prima adeo fronte in ſe contradictorium involvat: nihilominus cum ſale, & facete admodum, & familiariter à Plauto exponitur. *Dies cæca* tum dicebatur, cum merces ſervis debebatur, aut cum terminus jam adeſſet, ut æs alienum ſolvendum mercatoribus, & fœneratoribus eſſet, & tamen nulla adhuc ſolutio ſequeretur: *Oculata dies* poſt hæc erat, cum aurum & argentum in monetis exhibitum univerſam domum ipſas adeo perſonas illuminabat: cum aurum ſplenderet in oculis, & ut ita dixerim, diei lucem adderet. Sic apud Plautum quidam hæc verba profert: *Eme cæca die: Hercle oleum id vendito. Oculata die jam Hercule vel ducentæ fieri poſſunt præſentes minæ. Hoc eſt, Eme non præſente pecunia, ſed in diem pacta revende, pecunia præſente.* Juris conſulti etiam ſcripturam cæcam appellant, quæ teſtimonia non admittit, aut verò eam, quæ datur, & pronunciatur in eum qui longinquius abeſt, & præſens non eſt.

In Pſeud.

Impoſſibilitas habendi aliquid.

Oculum excludito. Hæc figura eſt, apertæ negativæ, vel impoſſibilitatis obtinendi quippiam ab eo, à quo quid poſtulamus. *Hac figura*, inquit Manutius, *vulgus adimit omnem ſpem petenti, ut dicat, ſi hoc impetràris, oculum mihi excludito.* In confirmationem hujus Plautina vetula inquit: *Excludite mihi oculum ſi dedero.* Senſus qui ad noſtra usq; tempora tranſportatus eſſe videtur dum ſimplices mulierculæ, id non advertendo, ſibimetipſis hujusmodi imprecationes in augurant: familiare enim habent dicere: *mi cadino gli occhi*, hoc eſt, cadant mihi oculi, ſi dedero quod poſtulas.

In Pſeudi.

Alíam quoque ſignificationem adagium hoc apud Terentium habet, ubi Phormio ait: *Vel oculos excluditio: eſt ubi ulciſcar locus.* Quod noſtro loquendi modo hunc ſenſum habet; vindicabor etiam cum diſpendio oculorum meorum: hac duritie & ſeveritate vindictam ſpirant, etiam ſi periculum immineat, ſe omnium deteſtationem, & odium incurſuros.

Judex incorruptus.

Oculus, ſtit. Per hæc verba ſincerus & incorruptus Judex figuratur, qui non oculó luſco, nec mente deturpata, ſed veraci lumine, & puro, & integro cernat, uniuscujusque cauſam ponderet, & juxta normam æquitatis dijudicet, & componat. Suidas Proverbii hujus mentionem frequentem diverſis in locis habet. Cujus veram Ideam in deſcriptione ſua nobis ſubminiſtrat Chryſippus, quem citat Aulus Gellius, ubi oculos juſtitiæ rectos, acutos, & immotos repræſentat, talem volens judicem eſſe. Antiquitus etiam hoc dictum, ſæpe repetitum, ſcriptum, ſculptum, & depictum fuit: *Eſt oculus æquitatis omnia intuens.* Hæc prima in Principe virtutum eſt. Absque hac neceſſe eſt, ut de throno ſuo deturbetur: & qui hanc virtutis ſemitam negligunt de Regia Solis, & de Palatiis regalibus cum majori præcipitatione, quàm quondam ille Phaëton lapſuri ſunt. *Deſine ab homine faciente injuſtitias*: Clamat propheta regius. *Præclariſſima virtutum eſt juſtitia*: ſic habet Ariſtoteles vir tantarum ſcientiarum, & adjungit: *neque civitates habitari poſſunt ſine juſtitia*: Hujus gladius fulgurare debet, & in utraque lance, æquum pondus appendendum eſt.

Lib. 14. cap. 4. — *Ethicor. 3.* — *Polit. 5.*

Homo incurius.

Oculis clauſis agere. Ita clarum eſt, & evidens, ut ulteriori expoſitione egere non videatur: quod tantundem eſt dicere, quantum qui inter nos Italos dixerit *caminar con la teſta nel ſacco.* Punctum hoc ad vivum expreſſit Auguſtinus, dum ait: *Quæ tandem vis, niſi cæcitas, & vanitas animi, cogit hominem clauſis, ut dicitur, oculis tanquam in alterum jacere, quod cùm in eum jecerit continuò redeat.* Eos percellit qui ſine omni ſenſu judicii, ſine diſtinctione rerum, ſine fundamento ſtolide operantur, & ſicut dici ſolet: *oculis clauſis. Maximum omnium vitiorum, quæ inter homines ſunt, impudentia eſt*: ſic Euripides ſcriptum reliquit. Naufragio ſuo proxima eſt navis, quæ hujusmodi nauclerum habet: In præceps agetur equus, qui tali ſeſſore regitur.

Ex Mauritio. — *In Medea.*

Præſentia quantum adjuvet.

Oculus Domini ſaginat equum: Hic ego te benigniſſime Lector, rurſum ad Proverbium illud ablego, quod jam ſupra de fronte relatum eſt: *frons occipitio prior.* Præſentia hominis, quamcunque rem promovet, & animat, totumque negotium feliciter terminat: *ire oportet, & imperatoriam gerere majeſtatem*: ſic Julius Cæſar perorabat. *Urget præſentia Turni*: inquit Mantuanus noſter: & Sillius Italicus: *præſentia ſævi exſtimulat Ducis.* Scribit Joſephus Author Hebræus, Romanos acerrime dimicaſſe *Inſpectore Tito.* Ipſa adeo increata Sapienta Redemptoris noſtri dum à Patre & matre quæreretur, ajebat: *neſciebatis, quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Ipſa cæcitas, quamvis pœna, & morbus, & privatio oculorum ſit, nec proverbiis ſuis, nec ſale, nec ſatyris exempta eſt. Unde imprimis hoc adagium enatum: *Homo eſt oculatus.* Hoc tum in uſum venit, cum emendando ſenſum, aut verbum aliquod, in locum ejus ſubſtituitur alterum, quod tantundem valeat: de hoc ampliſſime tractat Theſaurus linguæ latinæ in Ciceroniano Marii Nizolii. Et in vulgaribus: Academia Cruſcæ, vocabularium Pergamini, & alii: Magnum oratori adjumentum, quem neceſſe eſt ſynonymis multis, & ſignificationibus, & tranſlationibus proviſum eſſe.

Lib. 5. — *Luc. 8.* — Verborum correctio. — Theſaurus linguæ latinæ, Nizolius, Cruſca, & Pergamus

Oculum excludere: uſurpatur illic, ubi res quædam inopino caſu acciderit, quam eventuram nunquam crediderimus: ſicut nemo futurum metuit, ut à capite excludatur oculus. Occaſionem proverbio dedit, id quod paulo ante de Plautino illo relatum eſt, ubi dictum fuit: *excludite oculum ſi dedero.* Res inopinatæ ſi acciderint, eo quod conſuetum naturæ curſum tranſcendant, admirationem excitant: ambigendum tamen non eſt, præordinatione divina, occultis quibusdam, nobisque incognitis cauſis, etiam ea, quæ inter homines, fortunæ, vel caſus, vel infortunii nomine cenſentur, contingere.

Fortuna.

Hominis cæci præſcriptio: Proverbium eſt rei abſurdæ, & præpoſteræ, & impropriæ: ſicut cæco fines & termini nequeunt præſcribi. Per hoc iter incedere, aliud non eſt, quàm manu palpando ambulare. Hinc conſultum eſt, oculato capite ambulare, prout nos Redemptor noſter inſtruit: *ambulate dum lucem habetis, ut tenebræ vos non comprehendant*: cui Sapientia in proverbiis concordat: *Oculi tui recta videant, & palpebræ præcedant greſſus tuos.* Hinc paulò infra: *ne declines ad dextram, neque ad ſiniſtram: averte pedem tuum à malo.* Qui taliter ambulant, offendiculum non incurrent, & feliciter ad præfixum ſibi terminum pertingent.

Ioan. 12. — *Prov. 4.*

Homo cæcus auribus, & mente: quod de homine omninò ſtolido dictum eſt, de quo non incongrue, illud Poëtæ repetendum: *Gente à cui ſi fa notte avanti ſera.* Hoc eſt: gens, quibus nox eſt, antequam adveſperaſcat. Et hi ſunt *ſal infatuatum*, de quo Redemptor noſter ait: *quod ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* De his inquit Stobeus: *Quid cæco cum ſpeculo?* quibus doctè Adrovandus, vir inclytus, adjungit: *quid opus eſt libris indocto?* Exiguum inter hos, & bruta animantia diſcrimen eſt, quippe qui cum vegetabilibus potius, & irrationabilibus participant, quàm cum rationis, & diſcurſus capacibus. *Turpe eſt neſcire, quæ neceſſaria ſunt*, ait Plato. Et Ariſtoteles: *Turpe eſt ignorare, quæ omnibus ſcire convenit.* Hoc vitium plus Meduſæ capite fugiendum eſt.

De legibus.

Oculus lippus non fert radios Solis: Hoc analogiam quandam cum ſuperiori habet: nihilominus non tantam vilitatem indicat: mentem exiguæ intelligentiæ referens, quæ videlicet ad penetranda ſublimiora myſteria inhabilis ſit: Quod vulgari lingua noſtra, ſic dicitur: *gl' iſcorci non fanno peri vaſari.* Etiam contra eos dictum eſſe poterit, qui nimia dicendi libertate, etiam futurorum prædictionibus ſe ingerunt, quorum tamen nec notionem, nec præſcientiam ullam habent. Horum uni, qui coram Diogene, numerare pro libitu ſe ſtellas fixas æque, ac errantes poſſe gloriabatur, reſpondit Diogenes: (prout ſupra jam relatum) *quàm nuper è cælo veniſti?* Itaque huic vaniloquo inflixit alapam tunc, cum maxime ſe ſublimem, & elevatum crederet. *Qui alta contemplantur, eos cadere*, jam vulgò notum proverbium eſt. Hæ allegoriæ de præcipitio & ruina Icarorum & Phaëtontium ſunt. Sapiens antiquitas, ſemper provida, & exacta quæ in omnem rem etiam minutiſſimam invigilavit, non præteriit, quin & oculorum ſupercilia in conſiderationem traheret: unde de his dixit: *ſupercilium attollere, & ſupercilium ponere.* Nam & hæc, (ait prudentiſſime Plinius) non usque adeo incallum ſunt, ut non & partem animorum noſtrorum internam prodant: *Et in his*, inquit, *pars animi: negamus per hæc, & annuimus.* Eadem ſupercilia elevare cum faſtu, demonſtratio jactantiæ, & vanæ gloriæ eſt: Vitium abominabile, ſi ullum aliud: ſicut eadem rurſum demittere, humilitas.

Aſtrologi ſugillati. — *Ex Manutio pag 348.* — Superbia & humilitas.

ſignum animi compoſiti eſt, & demiſſi, & placati, *ſuperbia alibi conceptaculum, ſed hic ſedem habet*, inquit citatus Author: *nihil altius, ſimulque abruptius invenit in corpore, ubi ſolitaria eſſet.* Lucianus derivationem rei, ad perſonas applicans, eorum quempiam in diſcurſu ſuo: *arrogantem & ſuperciliosſum appellabat. Elatio profectûs impedimentum eſt*, dicebat Laërtius. Et Quintilianus: *omnis ſui jactatio vitioſa eſt.*

Lib. 4.
Lib. 11.

Porro demittere ſupercilium, & ſerenam præbere frontem, ſignum benignitatis, comitatis, & benevolentiæ eſt: ſicut Homerus de illo ſuperiori in perſona Jovis ajebat: *ſic ait, atque ſuperciliis pater annuit atris.* Quod Virgilius æmulari voluit, his verbis: *ſic ait, & totum nutu tremefecit olympum:* De poſteriori Philippus Rex Macedoniæ ajebat: *malo dici benignus, quàm brevi tempore dominus apellari.* Et Plato: *Humanitas eſt morum habitus, ad hominum amicitiam valde propenſus, habitus in omnes beneficia conferens.*

Apud Plutarch. in Apopht. de finibus.

Cenſores.

Supercilium cenſorium. Hoc proverbium originem ſuam Senecæ debet: alludenti, ni dixerim illudenti, gravitati, & tetricæ ſeveritati cenſorum. Horum inter antiquos tribunale erat Romæ, quinquennio durans: tantaque eorum erat authoritas, ut pro arbitrio ſuo excludere à ſenatu ſenatores, diminuere nobilitatem, & omni infamiæ nota caſtigare plebem poſſent. Siquidem talis authoritas ad hæc noſtra tempora perduraret, absque ratione ſæpius, & ſine cauſa, domorum & familiarum ſequeretur ſubverſio, depopularentur fora publica: imò verò & palatia funditus diruerentur: quandoquidem nemo eſt, qui non cenſorem agat; & ii, quorum vita moresque potiſſimum cenſurandæ eſſent, primi ſunt, qui in vitam conſodalium ſuorum inquirunt. Super hunc abuſum deplorabilem modernorum quiſpiam faceto quidem, ſed arguto carmine lamentatur:

Mida ha d' aſin l' orecchie, e da qual pianta
Spuntò la nuova, da una canna, or come
Potra bocca tacer ſe canna canta?

Antonio Abati fraſcherie.

Et paulò infra:

Per publicar gli ſtupratori orgogli
Di terreo infame a muta philomela,
E pennu un ago, e ſon le tele i fogli.

Hæc ſcabies quædam eſt, quæ quamvis pruritu ſuo ad ſanguinis usque fuſionem provocaverit fricantem, ad eadem continuanda nihilominus ſollicitat, & malo ſuo delectatur; unde Cicero inquit: *Nihil tam eſt volucre, quàm maledictum, nil tam facilè emittitur, nil latius diſſipatur.* Itaque hoc vitium fugiatur, demittatur ſupercilium.

OBSERVATIONES, HISTORIÆ & RITUS.

Prov. 6.

Annuere oculis.

SApientia divina hominem protervum, ſceleratum, & vitioſum deſcribendo, ſic ait: *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* Cum locus hic ſcripturæ plures hominis partes concernat, neceſſarium eſt ut eodem pluribus in locis utar, quod benignus Lector mihi vitio proinde non vertat.

Spicileg. Sacram. c. 12. num. 10.

In his verbis: *annuere oculis:* doctiſſimus vir Pinto Ramirez obſervat, ea ex, *innuere*, græco derivata eſſe, quod vulgari idiomate noſtro ſic diceretur, *far l' occhietto*, vel *far d' occhi.* Leontinus ſaltatricem deſcribens, eam his verbis alloquitur: *Oculi tibi, & pedes inſtar venti.* Totum hoc Nanus poëta confirmat, qui chorum tripudiantium deſcribens, ſic concludit: *Exhibens manum ſermone, ingenioſam figuram ſapienti ſilentio, oculos convolvens.* Et de Marone ſaltatore: *Oculos vibravit vagos inſtar verborum.* Ut verum enim fateamur: *Oculi morum ſunt indices*, ſicut inquit Demoſthenes: & Quintilianus: *Vitiis noſtris in animum per oculos via eſt.* Vatablus in pluribus locis Iſaiæ, filiarum Jeruſalem, petulantiam quæ juventutem diſſolutam ad peccatum hujusmodi formis provocabant, obſervat: *Quandoquidem faſtuoſæ ſunt filiæ Sion, & porrecto collo incedunt, ac fallaci oculorum nutu incedendo molliter ac fractè eunt.* Convenit hoc cum eo, quod Euripides de Regia quadam filia refert, quæ per cubicula obambulando: *relicto throno ſurgens perambulat ædes molliter, incedens pede candido, donis exultans multum, & ſæpè erecto collo oculis circumſpiciens.* Inde Petronius Satyricus: *quò enim ſpectant flexæ pectine comæ? quò facies medicamine attrita? oculorum quoque mobilis petulantia?*

Nanus lib. 7.
Demoſth. in Orat. Amet.
Vatablus Declam. 1. Iſai.
Motus inhoneſtus in oculis.
Euripides in Medea.

In Perſia ad Principum menſas erectum tribunale fuit, quod: *Oenopotum*, vel *oculi* nominabatur. conſtabat cenſoribus tribus, qui vigilem oculum in commenſales habebant, ut ne fines modeſtiæ transgrederentur, nec ultra quam vires ferrent, ſe vino onerarent. De quo Athenæus: *Erant hujusmodi antiquorum deliciæ circa magnificentiam, ut non pincernas ſolùm, ſed œnopotas etiam haberent: ſunt autem apud Athenienſes magiſtratus quidam (œnopotæ) ut teſtatur his verbis Eupolis in Civitatibus: quos non vel œnopotas capere vos hactenus dignum putatis?* Subjungit Plinius Rhetor: *Erat frugalis hic Magiſtratus, in Crocanidarum judicio quoque tres erant Oenopotæ, qui lychnos funaliaque dabant cœnantibus, nec deſunt, qui oculos hos dixerint:* Uſus oculorum in his cenſoribus optimus fuit, dum videlicet vitium hoc reprimebant, quod hominem extra ſemetipſum rapiens, & ratione privans, brutis, & immundis animantibus pejorem reddit. *Ebrietas voluntarius eſt dæmon, excæcat ſenſus. Ebrioſo aſinus eſt melior:* inquit in diverſis locis S. Chryſoſtomus. Et Plato hominem ebrium bis puerum nominat. Anacarſis philoſophus, in vitibus tres uvas vel fructus conſiderat, quorum unus ſolummodo utilis ſit: *Vitis*, inquit, *tres uvas fert, primum voluptatis, ſecundum ebrietatis, tertium mœroris:* idque cum ratione, de hac enim præpoſtera lætitia nil remanet, quam ſynteresis animi.

Magiſtratus contra ebrietatem.
Athenæus. Cœn Sapientum l. 10. c. 7.
Plinius.
Ebrietas vitium deteſtabile.
Hom. 29. in Matth. hom. 59.
Plato de legibus Anacarſis cap. 4.

Supra omne id quod illic ad Zachariam prophetam Angelus dixit, quando raptus in extaſin ſeptem lucernas vidit, quam viſionem ei Angelus poſtea explicuit dicendo: *Septem iſti oculi ſunt domini, qui diſcurrunt in univerſam terram:* obſervat doctè Sanctius, quod in eo loco Angelus conſuetudinem aſſumpſerit loquendi, qua Perſarum Reges uti ſolebant, cum vel miniſtros ſuos præcipuos, vel ſenatores, vel belliduces, vel judices *Regis oculos* appellabant. De his longius tractat Briſſonius, & Joannes Tzeitz: *Antiqui quidem oculos vocabant Regum circumſpectos viros, primos ex ſenatu. Sic Æſchylus oculum dixit Xerxis eſſe Batanochi filium Alpiſtum. Et Pindarus: deſidero Amphiaraum, deſidero Oeoclidum oculum exercitus, cui ego præſum. Quaſi vates eſſent oculus, & miles ſtrenuus. Sic vocabant oculos, circumſpectos viros beneficosque omnes Regum Perſæ, vates ſcilicet, medicos, muſicos, ſed præcipuè illos per quos pericula vitarent.* Citatio hæc paulò prolixior eſt, ſed ad propoſitum noſtrum nil ſuperflui habet. Hinc patet, qua ratione Mardochæus Oculus Aſſueri appellatus ſit, quia nimirum à conjuratione ſceleratorum eum eripuit, ſicut in libro Eſther legitur. Sic & Æſchylus canit de rebus Perſiæ, alludendo fortaſſe ad

Zach. 4. c. 4.
Sanctius ad Illud Tob. 12.
Oculi Principum.
Chilia 10. hiſt. 350. Tzeitz.

ad ea quæ ſupra meminimus: *O tuùm Perſarum Oculum millia mille numerantem Batanochi filium.* Et Ariſtophanes de quodam Perſarum Principe: *& nunc nobiſcum adducimus Pſeudotarbam, qui oculus Regis eſt:* Et paulò infra idemipſe de præfato Pſeudotarba: *Regis oculum Senatus vocat in Curiam.* Recenſet Herodotus de Cyro adhuc Juvenculo, quod jocando diverſis nominibus conſodales ſuos appellabat: *alius ut oculus Regis; alius ut mandatorum renunciator; ſuum ſingulis honorem, munusque aſſignans.* Epithetum hoc tanquam ſurculus de Perſarum radice in ipſam adeò Chriſtianitatem plantatum eſt, cum Epiſcoporum & Prælatorum ſacri miniſtri *oculorum* nomenclaturam obtinuerunt. Argumentum hujus rei, prout mihi quidem videtur, ſat evidens præbet Petrus Damaſcenus, qui in Epiſtola quadam, quam ad Pontificem tum temporis viventem direxerat, de eminentiſſimis Cardinalibus ſic ſcripſit: *qui videlicet veſtri acutiſſimi, & perſpicaces ſunt oculi.* Æquiſſima, elevatiſſima, & maximè congrua ſimilitudine: Miniſter enim fidelis, in modum oculi, acumen ejusdem, & perſpicaciam luminoſam hæreditare debet, & non ſecus ac ſerenus oculus nullam vitioſitatis maculam admittere.

In Anacars.
Herodot. in Clio.
Oculi Pontificis, Cardinales ſunt.
lib. 1. Ep. 6. ex Pinto Ramir. Sp. Sacr. cap. 36.

In ſacris literis ornati, tincti, & ſtibio depicti oculi ingenioſis vituperiis cenſurantur: ſic de Jezabel inter alia pretioſiora capitis ornamenta ſic habetur: *depinxit oculos ſuos ſtibio.* Et apud Jeremiam fæmina illa peccatrix & vana condemnatur, quæ omnem curam ſuam ad oculos ſuos poliendos, & exornandos adhibebat: *cum pinxeris oculos tuos ſtibio, maculata es coram me.* Erat autem ſtibium fumus quidam, quocum oculos ſuos denigrabant, ſicut & ſupercilia, ut tanto magis reliqua faciei pars candida appareret, & præſertim candor dentium, in quibus ſingularem admodum elegantiam ambiebant. Quamvis hæc materia venenata eſſet: ſtibium enim idem eſt cum antimonio, terra venenoſa, & prohibita: quæ per halitum ſolum attracta, inficit, prout Chymici norunt; ſupra quam etiam ſe prono capite inclinare periculoſum eſt. Unde niſi tum vitaliter correcta fuiſſet, imò verò omnimodò præcipitata; ad deformitatem mortis potius, quam ad decorem vitæ perduxiſſet: quanto propius tamen oculus admovebatur, tanto vicinius periculum erat.

4 Reg. 9.
Ornamentum ſtibii.
Jerem. 4.

Supra conſuetudinem hanc erudite Pintus ratiocinatur: *Synecdochice explicant nonnulli, quaſi ideo picti dicantur oculi, quia in eorum gratiam ſupercilia fuligine nigrabantur, in lunas obumbraturas gratius arcuabantur.* Exiſtimabant enim & ſibi forte perſuaſerant, ſe intuitu pulchritudinis hujus, Solis titulum mereri poſſe, atque idcirco ſibi pingi oculos volebant, ut illic Lunæ ſimilitudo eſſet. Hanc veritatem Tiraquellus in Pericto̊nio Pythagorico confirmat, qui de certa quadam inquit: *denigrans ſupercilia, ſimul & oculos.* Artemidorus hunc fumum conciliatorem, & compoſitorem pulchritudinis nominat. Ariſtonettus ſic appellat: *fuliginatum ſupercilium.* Plinius inquit præparari medicamenta quædam, quibus *denigrantur ſupercilia.*

Pinto Ramir. Sp. Sacrum. c. 49. num. 5.
Lg. 3. Connub. gloſſ. p. 2.
Artemid. l. 2. cap. 27.
Ariſtonet. l. 1.
Plin. l. 3. c. 13.

Nec id ſolum in ſuperciliis fieri conſuetum erat, ſed in ciliis etiam. Unde & Cerda comentando, prout refert Tertullianus, de habitu vano ſuorum temporum, ſcripto reliquit: *ipſum nigrum pulverem, quo exordia oculorum producuntur.* Idipſum notat Athenæus: *cilia pingere.* De ſolis nihilominus ſuperciliis ſcripſerunt Martialis, Arnobius, & Petronius. Sic commentantur, & ſic explicandi ſunt Cyprianus, Ambroſius, Clemens Alexandrinus, Baſilius, Athenæus, Plinius, Pollux. Cerda ſupracitatus, juxta Tertullianum, hæc adjungit: *Oculos fuligine colliniunt.* Hic uſus hodiedum per univerſam Peloponneſum; per Africam, & per Hiſpanias invaluit, ut his fucis, & pigmentis intuitu candoris dentium ſupramemorati, utantur. Imò verò Pintus replicat, hoc in Portugalliæ provincia uſitatiſſimum eſſe: & Oliſipone in patria ſua Æthiopiſſas illic commorantes frequentiſſime hoc uti ſolitas. Hinc Aldemus ſcriptum reliquit: *ſtibio genas, & mandibula fucari ſatagit.* Per Italiam loco ſtibii, ſic dicto Zollimato, & Zinabaro utuntur, ut candorem illum, & colores, quo indigent, emendicare poſſint: contingit autem ut præcocem hiſce delinimentis ſibi ſenectam vel deformitatem attrahant, quippè quod materiæ illæ non minus præfatis, & nocuæ, & virulentæ ſint.

Cap. 2.
Ex Pinto ubi ſupra.
De cultu fam. cap. 5.
Mos Hiſpanorum & Africanorum.
Aldem. de Virgin.

Deteſtatur hunc uſum, vel abuſum S. Cyprianus dicendo: *Infandum eſt, & dolendum prorſus, oculos circumducto nigrore fucare.* Ait Herodianus Heliogabalum virum maximè enervem, fractum, & muliebrem, & ipſum adeò ſe adornaſſe *ſubtus pingentem oculos.* Hæc univerſa confirmat Pollux, verbis utens in hanc rem maximè convenientibus: *Oculos ſubtus inficit, ſupercilia denigrat.* Sed validiſſima Prophetæ Ezechielis authoritas eſt, laviſti inquit, *& circumliniſti ſtibio oculos tuos.* Hinc S. Hieronymus deſcribendo Magdalenam pœnitentem, cum prona ad Redemptoris pedes provoluta, in lacrymarum ſuarum fontibus delicta ſua & culpas ſubmergeret, ſic ait: *Non habuit criſpantes mytras, nec tridentes alucùlos, nec orbes ſtibio fuliginatos: quantò fœdior, tantò pulchrior.* Alluſit ad conſuetudinem hanc S. Cyprianus: *Quæ nigri pulveris ductu oculorum lineamenta depingis, vel nunc lacrymis oculos tuos ablue.*

S. Cyprianus.
Herodianus lib. Herodiani.
Pollux lib. 5. cap. 16.
Ezech. c. 23.
S. Hieron. Ep. 10. ad Sur.
S. Cyprian. lib. de lapſis.

Etiam populi Japonenſes jam huic ſe conſuetudini dederunt: unde & matronæ illorum pro ſingulari pompa, & paradigmate magnificentiæ reputant, ſiquidem in tali forma turpitudinis ſe ſpectandas præbeant, & turpitudine ipſa ſibi plauſum pulchritudinis procuraverint. Luculentum igitur eſt, quem focum voluptatis pectore ſuo conceperint, vel potius ad quas flammas infernales pertineant, ſi tantopere fumum portare amant in oculis ſuis. Non ſuffecit Herodiano dixiſſe de Heliogabalo, nam & in has invehitur: *Notant corpora pictura variata, & omnifariàm formis animalium: quæ ſcilicet nec induuntur quidem, videlicet picturam corporis ne adoperiant.*

Herodian. l. 3.

Viguit tempore longo & per Græciam univerſam, & Romæ mos, ut moribundis & mortuis oculi clauderentur, æſtimabatur enim officii pars eſſe, ut teſtimoniis manifeſtis, etiam in horrore mortis, exhibitio pietatis & affectionis, & conſanguinitatis ſplendeſceret. Sic enimvero conjuges conjugibus ſuis, filii patribus, & hi viciſſim illis, amici amicis vel jam ad finem vitæ ſuæ propinquis, vel jam vita ſua functis, oculos concluderent. Hinc axioma illud enatum eſt: *Condere, formare, operire, premere, comprimere oculos, vel lumina*, prout refert Kirchmannus. Homerus Agamemnonem introducit conquerentem de Clitemneſtra uxore ſua, quod hoc ſibi obſequium non præſtiterit: *neque mihi eunti ad Plutonis domos voluit manibus oculos comprimere, neque os componere.* Ovidius pari modo de uxore ſua in eundem ſenſum ait:

Mos claudendi oculos moribundis & mortuis.
De funeribus Rom. Lib. 1. Kirchm.
in Hecy.

Ovid. triſt. 4.

Supremoque die notum ſpectantia cælum
Traxiſſent digiti lumina noſtra tui.

Idem ipſe Adrianam introducit lamentantem, quod non habeat, qui eo tempore hoc ſibi pietatis officium exhibebat, nec ſe idem exhibere poſſe chariſſimæ matri ſuæ:

Ergò

In Epad. Theſe.

Ergò nec lacrymas Matris moritura videbo?
Nec mea qui digitis lumina condat erit?

Homer. in Iliad. Da hac cæremonia, qua pater erga filium utatur, Homerus Ulyſſem occidentem filium ſuum Sigeum ſic loquentem introducit: *Ah miſer non quidem tibi Pater, & honoranda Mater oculos claudent mortuo?*

Euripid. in Phœnic. Sic Polynices, juxta Euripidem, Matrem precatur:

Jam claude Mater oculos mihi manu tua
Simul oculis & ipſis imponit manum.

Luc. lib. 3. Lucanus cum non minori energia de Argo, vicino jam morti ſuæ, loquitur:

Ille caput lubens, & jam languentia colla
Viſo patre levat: vox fauces nulla ſolutas
Proſequitur, tacito tantum petit oſcula vultu,
Invitatque Patris claudendi ad lumina dextram.

Ovid. lib. 3. Amor. Eleg. 8. Totum confirmat jam citatus Ovidius.

Hic certè manibus fugientes preſſit ocellos
Mater, & in cineres ultima dona dedit.

Virg. 9. Æneid. Mater Euriali illic apud Virgilium morte illius intellecta, ſic conqueritur:

Heu terrâ ignotâ canibus data præda latinis
Alitibusque jaces, nec te tua funera mater
Produxi, preſſique oculos, nec vulnera lavi,

Clauſerunt itidem filii oculos Patribus ſuis, hinc *Ovid. in Epiſt. Penelopes ad Vlyſſem.* etiam illic apud Ovidium Ulyſſes filium ſuum Telemachum ſibi id officii præſtantem exoptat:

Di precor hoc jubeant, ut eventibus ordine fatis
Ille meos oculos comprimat, illa tuos.

Albinovanus. Hoc ipſum Livia, apud Albinovanum, à filio ſuo Nerone poſtulat & deſiderat:

Soſpite te ſolum moriar Nero, tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.
Atque utinam Druſi manus, altera, & altera fratris
Formarent oculos, comprimerentque meos.

Lib. 9. Controv. cap. 4. Senec. Hoc deſiderium illic apud Senecam Mento habebat: *Ita oculos meos*, inquit *filii manus operiant, ut ego inter liberos meos fortior ſteti.* Idipſum confirmat *Val. Max. lib. 2. c. 1.* Valerius Maximus de matrona quadam Aſiatica: *Cum jam viſceribus eum rigorem & cordi imminere eſſet locuta, filiarum manus ad ſupremum opprimendorum oculorum officium advocavit.* Tantundem Penelope quoque ad Ulyſſem, prout Ponti Incola *Ovid. Ep. 1.* recenſuit, declamando exaggeravit:

Reſpice Laërtem, ut jam ſua lumina condas,
Extremum fati ſuſtinet ille diem.

Euripid. in Hecub. De hoc ritu apud Euripidem Polyxena meminit, quæ matrem ſolatur, plus debito de ſalute filii ſui Polydori anxiam.

Lex quæ vetat filios occludere Parentibus oculos. Hic opportune nobis ad manum eſt lex Menia, quæ filios vetabat huic pietatis officio ſe immiſcere. Hæc lex apud Varronem divulgatur: *contra lex Menia eſt in pietate, ne filii Patribus luce clara ſigillent oculos.* Non eis hoc omnimodo vetitum erat, ſed imperatum, ut clauſis foribus & feneſtris id fieret, aut verò ut velato capite facerent, ne forte, (ſic enim verebantur) in præſentia eorum pars iſta nobiliſſima corporis deficeret. Interim fratri injunctum munus erat, mortuo fratri ſuo concludere oculos, prout in *Varro in Geminis.* Pedonis Epicedio legimus:

Lumina cærulea jamjam natantia morte:
Lumina fraternas jam ſubitura manus.

Diogen. Laërtius lib. 4. Ad hunc ritum reſpexit Bio apud Laërtium. *Quando facilem eſſe dicebam* (verba ſunt Authoris) *ad inferos viam, clauſis enim oculis illuc ire.* &c. Itaque ex his manifeſtè patet, mortuis tunc claudi oculos ſolitum fuiſſe. Hæc promiſſio quondam Patriarchæ Jacob *Cap. 46. Gen.* facta fuit in Geneſi: *Joſeph quoque ponet manus ſuper oculos tuos:* & de Tobia cum ſoceris ſuis manifeſtum *Tob. 14.* eſt: *Et ipſe clauſit oculos eorum.* Sic apud Proper- *Proper. l. 4.* tium legitur: *Condita ſunt veſtro lumina noſtra ſinu.*

Sic interpretes Statii: *& charâ preſſit ſua lumina dextrâ,* *Eleg. ulti. Lib. 6. Sil.* Atque ita hæc paganorum pietas in genere ſuo, cum ſupetſtitioſa religione effeciſſe credidit, ut anima jam deſertura corpus ſuum, dolorem non augeret, intuendo oculos ſuos, in quibus hactenus principalem ſedem tenuerat. Hinc Plinius: *Profectò in oculis animus inhabitat: ardent, intenduntur, humectant, connivent. Hinc illæ miſericordiæ lacrymæ. Hos cum oſculamur, animum ipſum videmur attingere.* *Plin. Ex Pinii Raminez. Spicileg. Sat. Cap. 44.* Porro & illud inter Veteres uſu receptum erat, ut poſthæc impoſiti rogo corporibus rurſum oculos patefacerent: æſtimantes ſic revocari animam, ut hos cineres denuo inhabitet, & introitum ſuum ſibi per patentes oculos faciat, utpote qui potiſſimum animæ receptaculum ſunt. Hoc officium ajebant Mercurio commiſſum eſſe: ſic in Commentariis ſuis ſupra Virgilium docet Scholiaſtes:

Lib. 3. Æneid. *Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.*

Oculi rurſum aperti in Rogo. Præfatis authoritatem præbet ſupramemoratus Plinius, dum ait: *Morientibus illos operire, rurſumque in Rogo illos patefacere, Quiritum magno in ritu ſacrum eſt, ita more condito, ut neque ab homine ſupremum eos ſpectari fas ſit, & cælo non oſtendi nefas.* *Plinius l. 11. cap. 17.* Volebant his indicare, vel quod mors ſomno quàm ſimillima ſit: aut vero his cæremoniis ſe à rebus terribilibus avertebant: aut forte benefieri per hæc mortuis in compoſitione tali corporum arbitrabantur. Sic enimverò Julius Cæſar, eo die quo defecit (prout refert Suetonius) *petito ſpeculo capillum ſibi comi, ac malas labentes corrigi præcepit.* *Suetonius in ejus vita.* Albinovanus rurſum hæc refert: *formare oculos.* Albinovanus. Hæc nihilominus cæremonia in funeribus Senatorum, & ſpectatæ dignitatis viris uſurpabatur. In hac igitur oculorum concluſione manifeſtum ſit, quantum etiam in tam impiis ſæculis floruerit paganorum devotio, miſericordia, & affectus: quantum etiam æſtimationis conſanguinitas, & cognatio haberent. Hoc in correptionem quorundam ingratorum dictum ſit, qui audita infirmitate conjunctorum ſuorum, quamvis Chriſtiani ſint, cum majori tamen barbarie quam antiquitus pagani, protinus diſcedunt, nec prius pedem referunt, quam vel ſæculo defunctus ſit, vel priſtinæ valetudini reſtitutus.

DEDICATIONES.

Religio ſemper in æſtimatione habita. Dubium non eſt, in omni retro ætate, & tempore cultum Dei, & Religionem à viris frugi, & ſapientibus obſervatam fuiſſe: Religio etenim veriſſimum Cornucopiæ eſt, quod de Amalthæa tam ſublimis patrocinii proveniens, eum ſupra quem ceciderit, omni genere abundantiæ adimplet. Hoc ore ſuo proprio protulit infallibilis Redemptoris noſtri ſapientia: *quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* *Matt. 16.* Et Titus Livius ſcriptò dedit: *omnia proſpera eveniunt colentibus Deum, adverſa ſpernentibus.* Titus Livius. Hinc antiqui quamvis veræ religionis cognitionem non haberent, ſategerunt nihilominus, ut ejusdem veſtigia quædam invenirent. Itaque Minervæ, Deæ virtutum, & ſcientiarum oculos dedicârunt. Ex Aldrovando de monſtris. Nonnulli eorum dixerunt Solem Anteſignanum, & Defenſorem oculi dextri, Lunam eſſe ſiniſtri. Voluerunt hi Junonem præſidere ſuperciliis, & palpebris: cum enim hæc Datrix ſit Luminis, prout Idololatræ rebantur, præſertim quod à mythologicis pro aëre ſumpta fuerit, pari modo & palpebræ cuſtodiunt, occludunt, & aperiunt lucem oculorum: & ob hanc rationem Junoni nomen Lucinæ impoſitum.

Oculos noſtros oportet ſemper ad bonum directos eſſe. Hæc allegoriæ optimæ ſunt, quæ etiam è medio gentilitatis ſinu ſapienter nos docent, non convertere oculos

oculos noſtros, niſi ad dictamen virtutum: Dea Minerva enim ſtudiorum Præſes habetur; ſic & oculi cordis noſtri, non niſi lucem afferant oportet, ſeque à tenebris earum rerum, quæ animæ noſtræ damnum & confuſionem inferunt, ſubducant. Et ſuperciliorum palpebrarumque officium eſt, ut eosdem oculos evagari non permittant, niſi ad pulcherrimam illam lucem præceptorum divinorum, eorundemque notitiam; hæc enim veraciſſima Lucina eſt, quæ ad partum laudabilium cogitationum aſſiſtit, quippe quæ æternum illud Bonum reſpiciunt. Horum nimiam evagationem improperat S. Bernardus: *S. Bernardus.* *Oculo pravo*, inquit, *vitiatoque mala ſunt etiam, quæ optima.* Et S. Gregorius ad præfatas propoſitiones nos extimulat, dum ait: *Gregor. in Ezechiel.* *Oculi corporis ad corporalia, oculi verò cordis ad ſpiritualia ſunt dirigendi.* Hanc veritatem Cicero intellexit, dum inquit: *Si ſapientiæ oculis videri poſſet, omnes in amorem ſui compelleret.* His teſtimonia & argumenta ſua non deeſſent: ſed illa inprimis, quæ à Commendatore Teſtio adferuntur, optimè quod volumus, prout opinor, exprimunt, illic ubi tam eleganter ſemitam virtutis ſequendam eſſe decantat: *Teſti Poeſia.*

A me di que bei lumi
L' influenze corteſi
Genio inſtillaro a caſte Muſe amico,
Si lungo i due gran fiumi
Aufido, e Imeno appreſi
Trattar con Toſca man plettro pudico.
Lungi da rei coſtumi
Volſi il pie vergognoſo, & doue ſcorſi
Regnar virtude inamarato i corſi.

Hæc minerva vera eſt, Lucina, Sol, & Luna.

DEFINITIO, ETYMOLOGIA,
ET ASPECTUS.

Oculus ab oculendo demonſtrationem ſuam mutuatus eſt, oculitur enim in cavitatibus ſuis, ſicut etiam palpebris ciliisque contegitur. Nomen hebraicum. In hebraico, ſecundùm Varronem, Haïn nominatur, quod Lucem, vel ſplendorem indicat, vel etiam fontem, de quo tanquam de ſcaturigine quadam, ſcintillæ lucis derivantur. *Varro ex theatr. vitæ human. oculus Heſiod. Theogonia.* A Poëtis oculi Theæ filii dicuntur: hæc vero, juxta Heſiodum, Nympha Oceani eſt, filia Thetis, quæ Dea Maris eſt, fortaſſe ad ſignificandum humorem aqueum, qui includitur oculo, & quorum interventu generatur viſio, & multiplicatur. Non defuerunt inter Phyſicos qui oculum naturæ igneæ dixerunt, quorum ex numero Empedocles & Timæus ſunt, qui viri nihilominus alibi tam exculto magiſterio nos inſtruunt. Oculi naturæ igneæ. *Empedocles & Timæus. Lib. de Senſu & ſenſibus Ariſt.* His contrarium ſentit Stagirita, qui oculos naturæ aqueæ attribuit, idque cum majori ratione, prout cum illo potior ſapientum numerus cenſet; dominatur enim in illis frigidum & humidum, componunturque muſculis, membranis, & hujuſcemodi qualitatis humoribus. Nobiliſſimus eſt, quia omnimodo lucidus, & ſplendidus eorum aſpectus. Recipit colores omnes, omneque objectum: Diſcernit quæ vicina, & quæ remota ſunt, non mutatus, nec minor factus, nec ipſe ſe elongans, nec perdens. Reliquæ ſenſuum operationes univerſæ tempore indigent: ſoli oculi ſine ſpatio temporis vices ſuas obeunt: contingunt objecta ſua in ictu momenti, quorum etiam diſtinctionem comprehendunt, quamvis longius remoti: & horum gratia æternus mundanæ fabricæ noſtræ Architectus, hæc quæ viſibilia ſunt creaſſe & produxiſſe videtur.

In his ultra non immorabor, quippe quæ jam ſupra prolixius tractata ſunt, cum de dignitate hominis mentio facta eſſet. Quàm verum autem ſit, quod *impudicus oculus impudici cordis ſit nuncius*, Sanctus Auguſtinus deprædicat: idcirco S. Baſilius *In Regula. Hexaemeron.* adjungit: *fuge ſpectare, ut ſalveris.* Rigoroſiſſime in ſcripturis ſacris hæc oculorum cautela, & averſio nobis intimatur. Cautela, & averſio oculorum. Adducam ſuper hæc exempla quædam, quæ præ manibus ſunt. David de re alia non oravit Dominum illic, ubi precatur, ne ab his decipula ſibi paretur: & ait: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* *Pſal. 118.* Jeremias inquit: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam.* *Ierem. Thren. 3.* Et Salomon his congruenter: *Oculi tui recta videant*, inquit, *& palpebræ præcedant greſſus tuos.* *Prov. 14.*

Quantum hæc cuſtodia oculorum neceſſaria ſit, exemplum inprimis ſit Eva: *Gen. 3.* quæ ſi curioſa nimium & vana concupiſcentia contemplata pomum vetitum non fuiſſet, nobis poſteris ſuis dentes inde non obſtupeſcerent. Pulchritudo filiarum hominum, *Gen. 6.* quam viderunt filii Dei, ſicut in ſacra Geneſi reperitur, in cauſa fuit, ut à Deo ſuo prævaricarentur. Poſtquam Cham curioſius nudatum patrem intueri *Gen. 9.* veritus non eſt, cum omni poſteritate ſua perpetuam infelicitatem incurrit. De propria vita ſua periclitari ſe credidit Abraham Patriarcha, cum Saræ Uxori ſuæ inquit, futurum ut Ægyptii decorem ejus intuerentur: *Gen. 12.* propter quod & transfiguratione opus fuit, & mutatione nominis. Per nimiam oculorum libertatem, Dina honoris ſui jacturam fecit. *Gen. 34.* Si Judas in bivio quodam Thamar contemplatus non eſſet, in *Gen. 38.* delictum incontinentiæ lapſus non eſſet, ſicut nec *Gen. 39.* Putipharis Uxor, cum caſtiſſimo Joſeph. Severiſſime Moyſi præcipit Dominus: *Exod. 19.* *Conteſtare populum, ne forte velint tranſcendere terminos ad videndum Dominum.* Ingreditur Judith in conſpectum Holofernis, *Iudith. c. 10.* & *ſtatim* ait oraculum divinum, *captus eſt in ſuis oculis*, & adhuc: *Iudith. c. 16.* *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus, pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus.* Vetuli illi Suſannam aſpiciendo inceſtuoſo ſtupro cor dederunt, *Dan. 13.* qui tamen populo ut Judices præſtituti erant: & quia frænum oculis relaxârunt, in reprobum ſenſum delapſi ſunt. Herodes impius *Matth. 14.* exardeſcens concupiſcentia in Herodiadem, in abomnibale illud parricidium ſeſe projecit, dando ſaltatrici caput Joannis Baptiſtæ. Tentavit Sathanas oblectamento oculorum ſapientiam Redemptoris, quæ tamen periculo nullo expoſita erat, tentavit, inquam, ut eum provocaret ad lapſum, tum cùm juxta Evangeliſtas *oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.* *Matth. 4.* Sed ille oculos humi fixos tenuit, & tentatorem confudit. Jacere oculorum pupillas, in res ad acquirendam virtutem non idoneas, etiam in earum rerum numerum recenſuit M. T. Cicero, *Cicero ad Torquat.* quæ dolorem excitant: *Oculi*, inquit, *augent dolorem, quia quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec avertere à miſeriis ſinunt.* In hoc caſu cæcitatem Democriti nolim ſugillare, cum ſibi oculos ſpontaneo auſu expunxit, ne forte in Philoſophiæ ſuæ ſtudio, per objecta externa turbaretur: *A conſuetudine enim oculorum animum abducere difficillimum,* *De natura Deorum.* idem ipſe ſcriptò reliquit.

STATUÆ.

Ut Judicem incorruptum indicarent, pingendo, & ſculpendo Antenati noſtri judicioſiſſimè ſtatuas expoſuerunt, luſcis oculis in transverſum reſpicientes, quandoque etiam omninò cæcas. Tales ſunt oculi eorum Senatorum, quos magnus ille Moraliſta Alciatus demonſtravit, adjungendo ſententiam:

Aldrovan. Alciat. Embl. c. 14.

Cæcus at eſt Princeps, quod Solis auribus absque
Affectu, conſtans, juſſa ſenatus agit.

Tali modo repræſentantur, ne videlicet plus uni, quam alteri faveant, ſed quæ juſta ſunt decernant, & exequantur. Oculus in Hieroglyphicis pro ſignificatione gratiæ aut favoris accipitur, quod in Principem cadere nefas eſt: Eruditè Commentator: *Non eſt,* inquit, *quod ſuſpicionibus aut conjecturis aliquid uſpiam tribuat Judex, nec litigantium verbis hæreat, ſed probationibus manifeſtis veritatem inveſtiget.* Et longius oratione ſua progrediens concludit: *quocirca non oculis utatur, ſed auribus.*

Theulius.

SIGNATURÆ.

MAgna univerſitatis Mater Natura, cum pro objecto principali hominem habeat, per divinam præordinationem, in iis rebus, quæ emolumentum illi adferunt, ſimilitudinem quandam in plantis & herbis præſignat. In Heliotropio oculum Solis ſequacem eſſe oportere indicat. Idque in tantum, ut quamvis Sol ſit nubibus ſuis occultatus, quamvis radios ſuos illuſtres accendat, quamvis lineas breviores vernali tempore decurrat, quamvis Eclypſes ſuas Lunares patiatur, hic flos nec viciſſitudine ulla, nec temporis, nec anni tempeſtatum ulla volubilitate divertitur, quin fervidiſſimo amore ignitum Amantem ſuum proſequatur: unde in figuram rotundam compoſitus, cum pupilla eum dixeris deaurata infatigabiliter ad Solem verti, eundemque contemplari: cui etiam, tanquam Ideæ hominis omnimodo in Deum ſuum converſi, hoc lemma inſcriptum fuit: *Non ſo volgermi altrove*: id eſt, *alio verti nequeo.*

Caltha itidem, Anthemus, Buphtalmus, Abrotonus fœmina, Aconitum Bardaliancum, Helenium, Aſtrum, Atticum, Argemon, Hieracium, quibus vultur, quamvis acutiſſimis oculis præditus ſit, oculos ſuos obtuſos diſcutit, & ſerenat: Hæc aliaque inſuper germina juxta mentem præclariſſimorum Botanicorum, & floribus ſuis, & foliis, figuram, & imaginem oculorum exprimunt: unde & decoctiones, & conſervæ, & linimenta ex his confecta omnibus oculorum affectionibus medentur. Eutagia, prout ipſe ſæpius adverti, in floſculo ſuo candido quaſi pupillam oculi repræſentat, quæ de calamo tenero & ſubtili egreditur, ſicut & de minuſculis foliis ejus, tanquam de delicato tuberculo quodam. Electuarium ex his compoſitum validiſſimum eſt.

Ludovicus Dulcis.

Plinius & Ludovicus Dulcis referunt, eandem qualitatem habere Chelidoniam? imò verò potentiorem, quam illa ſuperior: undè & hirundines, quæ quandoque pullos ſuos oculis clauſis pariunt, fricando eorum oculos præfato germine, eosdem aperiunt. Sempervivum majus, oculorum ſimilitudinem omnimodam præſefert, ab aliis Zoophtalmum appellatum, à Romanis noſtris: *Ochio di Giove*: hoc eſt: *Oculus Jovis.* In omni oculorum inflammatione remedium utiliſſimum eſt. Sic granum nigrum, herba Paridis, quæ ſignaturam pupillæ habet, prout doctiſſimi viri Aldrovandus, & Oſvvaldus Crollius ſentiunt, incredibilem in ſe virtutem habent. De pomis ejusdem ſapienter chymici efficaciſſimum oleum exprimunt, quod etiam idcirco anima oculorum appellatur. Eandem figuram refert flos potentillæ, unde & iisdem effectibus aſſignatur.

Aldrovand. de monſtris. Signatura partium. Crollius de Signaturis rerum.

Summopere igitur Benefactori ſuo Deo in beneficiis acceptum referre debet homo, quod ſibi & in plantis, & in herbis vulgaribus, & minutiſſimis depingit, ſuggerit, & quaſi typo exprimit anthidota morborum, ſine quibus in curſu annorum ſuorum deficeret, & poſt graviſſimos labores, morti nihilominus violentæ miſer tradendus eſſet. Impii qui ad hæc mentem non applicant, nec horum reminiſcuntur. Interim ſcopus meus non eſt, hic herbarum unamquamque diſcutere, cum in his obſervationes Mathioli ſupra Dioſcoridem, & alii ad manum ſint.

NOTÆ ANTIQUORUM
SUPRA LITERAM O.

QUi Ziſris delectantur, ita ut ſolis nutibus loqui velint, verba ſua partibus humani corporis componendo, dum literam O repræſentare volunt, oculum demonſtrant, prout eruditiſſimus vir Porta docet. Hæc quaſi præcipua inter vocales, quæ rotunditatem, & harmoniam verbis donat (pauca enim ſunt, in quibus illa locum non habeat) maximas habet obſervationes. Quod me concernit, nolim de diligentia mea, & exacta obſervatione gloriari, nihilominus principaliores hic apponam. O: verum ſymbolum & figura æternitatis eſt, quæ nec principium, nec finem habet: Perfectio accuratiſſimæ Matheſeos Euclidis: ſignum ſphærarum perfectiſſimarum, quæ in firmamento ſunt. Itaque illud ipſum O cum his characteribus invenitur O. A. C. O. N. T. I. ſignificat: *Ob Auguſti Cæſaris obitum nos timor invaſit.* O. AQ. *Omnes aliquos.* OB. *Obriacum, orbem, orbiter.* OB. CS. *Ob Cives Servatos.* OB. M. E. *Ob merita ejus.* O.D.M. *Opera Domus Munus.* O. E.R. *Ob eam rem.* O. F. B. *Oportebit Fide Bona.* OFF. *Officium.* O. H. S. *Oſſa hic ſita ſunt.* O.M. *Optimus Maximus.* OM. *Omnium.* OMA. *Omnia.* OMIS. *Omnis.* OM. V. F. *Omnibus Vivis Fecit.* ON. *Omninò.* ONA. *Omnia.* ONT. IMP. *Ornamentum Imperiale.* OO. *Oportuit. omninò. omnes.* OO. TS. *Ornamentis omnibus textus.* OP. *Optimo. Opiter. Oportere.* OP. ET, S. P. *Optimo & Sancto Patrono.* O, P. F. *Optimè Principali fecit.* OPP. *Oppidum.* OP, PRI. *Optimo Principi.* OPT, P. *Optimo Principi.* OR. *Ornatus, ordo.* ORB, PAR. *Orbati Parentes.* OR, M. *Ordo militum.* ORN. IMP. *Ornatus Imperialis.* OS. *Omnes.* OS, C. *Omnes conciliant.* OT, FN. *Oſtium feneſtra.* O.V.D. *Omni virtuti dedito.* O. V.F. *Optimo viventi fuit. Omnis vivis fecit.* Unde apparet, quàm omnis hominum ætas compendioſæ ſcriptioni addicta fuerit. Hi characteres nihilominus meo arbitratu tales ſunt, qui non facile absque explicatione enodari poſſint. Verum nihilominus eſt, quod hic loci non incongruè illud applicari poſſit, quod in lyricis ſuis Venuſinus Poëta noſter inquit: *Obſcurus fio, dum brevis eſſe laboro.* Unde & hanc explicationem, non minus reliquis ejuscemodi materiis neceſſariam arbitror.

Horatius in arte poëtica.

ARGUS FABULOSUS,
ET MYTHOLOGICUS.

Fabularum utilitas.

INconteſtatum eſt, Doctrinas morales, Philoſophiæ maxime reconditæ, & ſublimiſſimæ Ethices ſub cortice fabularum ab antiquis reconditas & involutas fuiſſe. Unde Illuſtriſſimus Dominus Auguſtinus Maſcardi non abs re, illic ubi ex profeſſo hanc materiem pertractat, illud Plutarchi uſurpat: *Che temprano queſte le ſeverita della philoſophia: onde al palato anche de piu delicati rincreſceuole non rieſca.* Hoc eſt: *Quod fabularum proprium ſit ſeveritatem Philoſophiæ moderari: ita ut nec palato quidem maximè delicatorum diſplicere poſſit.* Et Natalis Comitis opus, his propriis verbis exordium ſuum ſumit: *Tanta eſt ſanè utilitas, quam ex fabularum cognitione percipimus, quanta nullis verbis explicari poſſit.* Hinc

Illuſtriſſ. Dni. Maſcar. Tabula Cebetis Theb. diſcip. 3.

Natal. Comit. Init. Operis Mytholog.

Hinc cum de oculo mihi tractandũ ſit, non minimum errorem feciſſe viderer, ſiquidem fabuloſum illum, & proinde Mythologicum Argum Paſtorem Centoculum ſubterfugere calamum meum permitterem. Itaque neceſſe non eſt me latius in enarratione fabulæ hujus evagari, cum neminem nec idiotam lateat ejusdem eventus; ut tanto expeditius allegorico ſenſui immorer. Non ignota loquor: omnibus enim conſtat, qua ratione Jupiter, ut furtum ſuum amoroſum cum Iſide Junonis Rivali occultaret, eam in Juvencam converterit, quam Juno Argo Paſtori in cuſtodiam dedit, prout Ovidius refert:

Diva metum: timuitque Jovem: & fuit anxia furti,
Donec Ariſtoridi ſervandam tradidit Argo.

Unde poſthæc reſtitui ſibi eandem volens Altitonans, Mercurio imperat, ut eam à paſtore tollat. Hic oculatiſſimus, ſiquidem oculorum ſuorum una parte dormiret, reliquis vigilando, nunquam à cuſtodia depoſiti vel momento temporis avertebatur: unde cum Mercurius intricatum ſe difficultate concepti furti ſui videret, vafritie conſueta hanc fraudem adinvenit: dulciſſimo enim inſtrumento muſico arrepto, cum tanta ſuavitate harmoniæ inſufflavit, ut miſer ille ſenſim omnes oculos concluſerit, & in ſoporem delapſus ſit: ſed his non obſtantibus eum Nicraces adoleſcentulus expergefacit. Quod videns Mercurius, nec aliud rei remedium inveniens, ſaxo hominem occidit, & juvencam ſurripuit. Juno huic miſero condolens, eum protinus in pavonem transfiguravit, in plumis ejus oculos depingens, harumque volucrum ſervitio ad vehendum currum ſuum utitur. Quæ reliqua ſunt de fabula hac Iſidis prætermitto, tanquam huc non pertinentia: & ſolum ea paucis expediam, quæ ad mythologicum ſenſum meum expediunt.

Hæc Iſis interim nunc Lunæ, nunc Terræ typum portat: idque pro explicatione phyſica tum, cum dicitur à Jove intra nubem compreſſa, & cum per æthereum calorem ſol ad ſe inferos vapores attrahit, qui de terra exorti ſunt. In fabulam translatum eſt, eam in juvencam converſam eſſe, dum illud animal in colenda terra utilitatem ſuam, & ſervitium homini præbet. Datur centoculo Argo cuſtodienda: intelligitur per hæc firmamentum, aſtris ſuis tanquam oculis ſubjectos ſibi agros ſine intermiſſione contemplans: hoc autem ipſum infatigabili curſu ſuo, variando tempeſtates anni, fructificanti terræ collaborat, & ut ita dixerim ad fœcunditatem ejus irremiſſo ſtudio invigilat. Ex his ſtellis pars quædam indormiſcit, pars vigilat, Hemiſphærium enim nunquam non à Sole illuſtratur, cumque diurno, & exceſſivo ſplendore ſtellæ conteguntur, & diſpareant, dormire dicuntur. Exoticum nihilominus videtur, quod Jupiter Mercurio imperaſſe legitur, ut Argum occideret. Sed minus mirum videbitur, ſi quis perpenderit prudentiam ſolertis agricolæ in hoc ſitam, ut non tam influxionibus cæli, quam labori ſuo, & indefeſſo agri colendi ſtudio confidat. Hinc fabula refert, Iſidem ampliſſimas terræ partes perambulâſſe, vidiſſe regiones vaſtiſſimas: ut hinc patefieret, agricolæ ſeduli munus eſſe, ut cum exactitudine fertilitatem terrarum examinet, æque ac ſterilitatem. Pervenit tandem in Ægyptum: hæc enim ubertate ſua, & fertilitate, virtutem & bonitatem terræ ſuæ demonſtrat. Rurſum alia cauſa literalis, & hiſtorica, ſubjungitur, quæ eſt, quod Mercurius cum Argum occidiſſet potentiſſimum Argivorum Regem, thronum illius proditor uſurpavit.

Natalis Comes prudentiſſimus Mythologicus, à quo univerſam hanc expoſitionem mutuatus ſum, ſapienter hanc fabulam omnem ad curſum Lunæ applicat. Iſis filia Inachi & Neptuni æſtimatur eſſe. Sic Luna nocturno lumine ſuo, campos, & omne quod vivit, humectat (ſicut Ptolomæus in Almageſto ſuo ſentit) Dicitur Io à Jove in nube compreſſa, & violata, nonnunquam enim Jupiter pro Sole ſumitur, qui cum Luna conjunctus, efficit ut nubes, & pluviæ ſequantur. Per congreſſum Solis vel Jovis in juvencam transmutatur: Luna enim poſt triduum novilunii cornuta apparet, & Argo cuſtodienda traditur, inferior enim omnibus ſtellis eſt, à quibus videtur nullo in pretio habita derelinqui. Occiditur Argus, & juvenca Junoni redditur: ſubminiſtrans enim Sol lumen ſuum Lunæ, ipſa ſplendore ſuo omne firmamenti aſtrum exuperat: atque idcircò majorem virtutem ſubjacentibus campis, & mixtis, & viventibus communicat. Dicitur itidem ſulcaſſe maria, & vagata Iſis per campos & regiones Scythiæ, & Ægypti, per quod infatigabilis curſus, & motus Lunæ denotatur.

Natal. Com. Mythol. de Iſid.

Alii rurſum fabulam hanc ad exprimendam humanam vitam, mortaliumque mores transferunt. Per Io animas vitioſorum hominum intellexerunt, deditos ſceleribus & fraudi: qui per Jovem ultorem deprehenſi, tanquam in carcerem & tenebroſas nubes ignorantiæ projecti, in terramque proni brutis animantibus ſimiles fiunt, nullam habendo ſecuturæ immortalitatis rationem, & nullam cognitionis divinæ ſtudium præſeferendo. In hac metamorphoſi ſua propediem Junoni traduntur, ex eo, quod avaritia, & libidinum cumulus ejuscemodi homines totos occupat; plus enim in iis vitia graſſantur, & multiplici numero augentur, quam oculi in paſtore Argo. Cumque ætas jam increverit Mercurio imperatur, ut Argum interficiat: ratio enim libidini frænum injicit; & omnium deſideriorum, & voluptatum ſua eſt ſatietas. Iſis itaque œſtro furoris percellitur, à Junone immiſſo, quod conſcientiæ ſtimulum, vel ſintereſin indicat peccati, & mœſtam vitæ jam transactæ recordationem. Sic enim cælum eos exſtimulat admonendo, quod à vero tramite aberraverint, & colluvie peccatorum, de rationalibus hominibus in bruta animantia degeneraverint: ſuggerendo interim, ut poſthæc frugalius & prudentius vitæ methodum inſtituendo priſtinæ formæ ſuæ reddantur, per ſanctitatem vitæ, per innocentiam & correctionem morum digni habiti, qui ab altiſſimo Domino novis gratiis cumulentur. Atque ita verum fit, quod doctrinæ ſaluberrimæ, & præcepta utiliſſima philoſophiæ moralis, ſub velo fabularum tegantur, & in voluta ſint. Sed de his hactenus.

Sintereſis conſcientiæ, & præteritorum memoria.

EPITHETA.

CUm oculus hominis ſingulariſſima, & maximè ſpectabilis pars ſit humani corporis, etiam ditiſſimos inde naſcituros effectus facile concludendum. Non defuerunt nec Oratores maximè illuſtres, nec facundiſſimi Poëtæ qui adjunctis copioſiſſimis, imo cum tanta varietate, quanta eſt pratorum quæ omnigenis floribus luxuriant, hanc materiam proſecuti ſunt. Quod me attinet, non auſim brevi gyro calami mei, tanquam apis ingenioſa volando delibare, & quolibet Authore mel illud componere: ſuffecerit pauca guſtâſſe, quæ mihi maximè ſelecta, & ad rem noſtram accommoda videbuntur. Itaque à Mantuano nòſtro, oculi ob vivacitatem igniti nominati ſunt: *Ignivomisq; oculis*: Ab Ovidio fortunati: *Fortunati oculi, felicia tempora noſtros, quæ vidêre atavos*: Fideles ab Horatio: *Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.*

Par. 2. Faſtor. 2. In arte.

 Gra-

10 Æneid. ibid. Statius 7. ibidem. Prudent. Pontan. Lib. 4. ſ. Tuſcul. Quæſt. lib. 3. Elegiar. Boetius. Martial. Apulejus. In Ep. Helen. Lib. 3. Eleg. ibidem. Iuven. Catullus. Lib. 1. Valer. Flaccus. Manilius. Martialis. Sidonius. Pontanus.

Graves à Virgilio: *Illa graves oculos conata attollere, rurſus deficit.* Ab eodem maligni: *Oculiſque malignis ambiguæ ſpectare rates:* A Statio truces: *Ecce truces oculos.* Ab eodem cadentes: *aſpexi, tenuique oculos jam morte cadentes.* Severi à Prudentio: *Nec fronte ſeveros connivente oculos prædatum ad gaudia flectit:* Turgidi à Pontano: *Turgiduloſque oculos, turgidulaſque genas.* Humentes à Lucano: *Ante Ducis voces oculis humentibus omnes, aſpicerent:* Venuſti à Cicerone: *Canduli dentes, venuſti oculi, color ſuavis.* Teneri ab Ovidio: *Quid fles, & lacrymis teneros corrumpis ocellos?* Boëtius eis titulum vagabundorum dedit: *& hoc vagis oculis, & arente lingua, vultu incompoſito.* Roſei nominantur à Martiali: *Aurora exoriens roſeis ſpectabat ocellis.* Splendidi ab Apuleio: *Sic tuis iſtis micantibus oculis:* Proterui ab Ovidio: *Tu modo me ſpectas oculis laſcive protervis:* Arguti ab eodem: *Riſit, & argutis quiddam promiſit ocellis.* Rurſum ab eodem tumidi: *& veſtem tumidis prætendit ocellis.* Juvenalis nitidos vocat: *Turbavit nitidos extinctus paſſer ocellos.* Melitos Catullus: *Mellitos oculos tuos juvenci.* Compoſitos Propertius: *Compoſitos levibus radiis patefecit ocellos:* Valerius Flaccus ardentes: *Perſequitur, luſtranſque oculis ardentibus hæret:* Avari hoc eſt advidendum propenſi vocantur à Manilio: *Verticibus mediis oculos emittet avaros.* Decori à Martiale: *Oculos delectat decoros.* Protuberantes à Sidonio: *Lucida cutis, oculi protuberantes.* Placidi à Pontano: *Torpeſcunt placidos flectis cum lenis ocellos:* Petulci ab eodem: *nigra & lumina, petulcos oculos:* Item Laſcivi: *Laſcivos cohibe Focilla oculos.* Item Procaces: *Exercere oculos ſimul procaces.* Siderei à

Politianus in Epigram. Marullus. Lactantius. Baptiſta Pius. Augurellus, in Elegia. Petrus Crinitus. In Aul.

Politiano: *Aſpice ſidereis ut blandum arridet ocellis.* Acuti ab eodem: *Æſtuat atque aliena oculis bona limat acutis.* Marullus fulgidos nominat: *Morem ocellis inſidentem fulgidis.* Curioſos Lactantius: *In ſecreta cæleſtis illius providentiæ curioſos oculos voluerunt immittere.* Idalios prudentiſſimus compatriota meus Achilles Bocchius: *Illa Illa Idaliis potens ocellis,* quod idem eſt ac *venereis.* Lubricos Baptiſta Pius: *Non modo me Dominæ male lubricus angit ocellus:* Idem ipſe cæleſtes: *Quàm mihi cæleſtes illi videantur ocelli.* Ridentes Augurellus: *Quæ mihi me nutu ſolo ridentis ocelli.* Lucentes idem: *humentemque oculis deſine turbidam nubem tendere lucidis.* Per mortem graves ab eodem dicuntur: *Caligant oculi mihi morte graves.* Tremuli à Petro Crinito: *Quum tremuli ſeſe oculi exerunt.* Amœni à Mantuano: *Amœnis ſubridens oculis, & mente arcana volutans.* Emiſſitii à Plauto, eo quod lucem emittant: *Circumſpectrix, cum oculis emiſſitiis:* Flammiferi à Mantuano: *Flammiferis oculis ſylvas, & retia rumpens.* Euſque vaſta ſunt denique & copioſa oculorum Epitheta, quanta pene dixerim ſunt objecta, quæ oculorum obtutui patent. Paginæ eorum, qui de his volumina integra contexuerunt, ſatisfacient utique, mi Lector, deſiderio tuo, hæc ſola ego præ infinitis elegi, ut ſiquidem tibi non diſpliceant, cum omnium rerum in ſe ſignificationem contineant, utilitati tuæ ſervire ſine ulteriori incommodo poſſint.

PHYSIOGNOMIÆ, ET SOMNIA.

NOn minor tamen mihi labor hic occurreret, ſi omnem oculorum motum, qui quandam animi affectionem & expreſſionem habet, (quibus forte nec numero ſuperiores erunt, quas Euclides ſphæras minores deſcripſit) ſi inquam, eorum quemque tangere, & his foliis committere voluerim. Interim tamen mediante Authorum illuſtrium authoritate non deero, quin ea proferam, quæ potiſſima, & maxime neceſſaria videbuntur. Atque idcirco condemnanda non ſunt, quæ à Phiſiognomicis de hac parte corporis humani adferuntur, de quibus inprimis non immerito doctiſſimus Beierlinch ſic ait: *quemadmodum cauda leonibus, aures, & nares equis; ſic ex oculis hominum mentis imago apparet.* Hinc Levinus Lemnius hac in parte diffuſior: *Medicos inquit in morbis ſtudioſe oculorum conſtitutiones contemplari:* De vitiatis oculis hæc porro concludit: *Luſci vero, pæti, ſtrabones, & qui obliquo ſidere, limiſque obtuentur: præter contortos, atque in diverſum convulſos muſculos, hujus naturæ errorem conſecuti ſunt, quod vitium quoniam circa cerebrum, mentes, domicilium, vel potius regiam conſiſtit; ut foris nonnihil oculos deformat, ita animum quoque quibuſdam vitioſis affectibus imbuit.* Totum hoc confirmatur ex eo, quod Martialis de Zoilo refert, qui inter alios vultus ſui defectus, hunc gerebat:

Beierlinch. Theat. Vitæ human.

- - - - lumine luſcus:
Rem magnam præſtas Zoile ſi bonus es.

Lia nunquam mulier bona fuit, erat autem, lippientibus oculis. Oculi ardentes, & ſcintillantes animum parem ſignificant: unde Livius ait: *Oculi Romanorum viſi ſunt ardere in prælio Samnitibus.* Referunt Callimachus, & Nicolaus Olaus, quod Aquilejenſes cum Attila præliantes fuſi ſint, & diſſipati, dicendo ſe plus pavefactos fulgure vultus eorum, quam fulmine gladiorum: unde non ſine ratione inquit Tacitus: *Primi in omnibus præliis oculi vincuntur.* Ariſtoteles & Adamantius ſcriptum reliquerunt, & plures inſuper alii, oculos ſanguine repletos, cum ſanguinis abundantiam ſignificent, homines portendere effrontes, protervos, iracundos, & audaces: Qui humiditatem gerunt, eamque foris demonſtrant, homines ut plurimum vino deditos, & ebrioſos. Qui verò colore mortuo & ſubrufo apparent, intemperantiam oris, homines effæminatos, ſtolidos & luſores indicare. Si ſubflavi & rubicundi, caliditatis exuperantiam, & audaciam furori non abſimilem. Achilles apud Homerum Agamemnoni improperat, & de imprudentia eum inculpat, quod caninos oculos haberet, cum hi ſint maculis, & colore ſanguineo tincti.

Liv. lib. 2. Callimachus & Olaus. De Achille & Agamemnone ex Homero.

Dyſonophiſti apud Athenæum oculos omnium rerum opifices appellant; cum ex eorum indiciis de moribus, & qualitatibus perſonarum judicari poſſit: ex his deducunt, hominem, qui oculos in ſimilitudinem capræ formatos habeat, morigeræ naturæ eſſe. Oculos qui foras prominent, aut verò econtra introrſum retrocedunt, aut mediocriter collocati ſunt, hos quidem perſpicaciſſimos eſſe, ingenium autem tractabile, & manſuetum: econtra illos qui foras eminent hominem ſignificare criticum, levem, & inconſtantem. Unde non immeritò M. Tullius (neſcio non alibi jam citatus, hoc novi, quod hic maxime ad rem noſtram ſerviat) ſic ait: *Animi eſt omnis actio: & imago animi vultus eſt, indices oculi: nam hæc eſt una pars corporis, quæ quot animi motus ſunt, tot ſignificationes; & commutationes poſſit efficere.* Sic Hippocrates quoque famoſiſſimus inquit: *oculi ut valent, ita & totum corpus.* Id quod oculos colore ſanguineo repletos concernit, ſic de iis Cicero contra Verrem loquitur: *Ipſe inflammatus ſcelere, ac furore in forum venit: ardebant oculi, toto ex corpore crudelitas emicabat.* Oculi in rem unam defixi ſtupiditatem mentis demonſtrant: undè Virgilius: *Dum ſtupet, obtutuque hæret defixus in uno.* Et in ſeptimo Æneidos:

Cicero. Declam. 5. 1. Æneid. Æneid. 7.

Talibus Ilionæi dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora.

Quo-

Terent. in Adelph. in Heautont. Æneidos 6.

Quoniam vero hic nobis oculorum mentio eſt, non abs re videtur nonnulla etiam de lacrymis adduxiſſe. Hæ non ſemper prænunciæ, & præſagia doloris ſunt: quandoque enim & hilaritatem, & læta nuncia ſignificare ſolent: ſic Terentius quempiam Comicorum ſuorum loquentem adducit: *Oh lacrumo gaudio!* & alibi: *mulier telam deſerit continuo, & lacrymis opplet os totum ſibi, ut facile ſcires deſiderio id fieri tui.* Virgilius itidem de Anchiſe ſuo ſic loquitur:

Alacres palmas utraſque tetendit
Effuſæque genis lacrymæ.

Cæſar: Comment. de bello Gall. Euripides.

Communius tamen lacrymantes oculi mœſtitiam & dolorem denotant: hinc Julius Cæſar in commentariis ſuis ait: *Divitiacus multis cum lacrymis Cæſarem amplexus obſecrare cœpit, ne quid gravius in fratrem ſtatueret.* Menelaus apud Euripidem Helenam conſolatur, dum ait: *Viri eſſe generoſi lacrymas in adverſis rebus fundere.* Etiam lacrymæ per iracundiam funduntur: unde Horatius:

Quid cauſæ merito quin illo Jupiter ambas
Iratus buccas inflet?

Aldrovand. hiſt. monſtrorum.

Ut ad oculos revertamur, ſcribit doctiſſimus vir Aldrovandus hos, ſi concavi fuerint, hominem demonſtrare maleficum, & invidioſum: Quod ſi modicè ſubſederint, animum Herilem, & magnanimum: Qui in longum diſtenduntur, fucatum indicant & impoſtorem, hoc eſt in verbis duplicem, & ſubdole blandientem: minuti oculi, iidemque tremuli, proprii amantum ſunt: obliqui proclivem animum ad iracundiam: qui celeres in motu ſunt, idque multifariam, aliquoties tamen quieſcentes, ſignum temeritatis & audaciæ præſeferunt: qui velociter & cum acumine moventur fraudulentiam & infidelitatem portendunt. Cum oculi naribus uniti apparent, hominem præſignant, omni ſorde, & vitiorum turpitudine contaminatum. Non modice etiam (prout idem Author refert) ad præſagiendum confert colorum indicium, ſicut jam de ſanguinolento diximus: qui ad nigrum tendunt, timidum, & ſuſpicioſum arguunt: nigri itidem, de ſanguineis virgulis vel lineis ſecti, complexionem temperatam humorum, ſicut & morum bonitatem. Si oculus fulvus fuerit, ſicut ſunt jubæ Leonum, magnanimitatem indicat, & ſublimitatem ſpiritus: igneus, iracundiam & proterviam: ſi lucidum quid in oculis deprehenditur, quale in oculis gallorum eſt, mollitiem denotat, & animi diſſolutionem: hominem item luxuriæ deditum. Sed de his abunde dictum ſit.

Ut vero etiam tanto magis Artemidori, & aſſeclarum ejus ridenda vanitas deludatur: cum experientia ſat luculenter contrarium evenire doceat his, quæ à falſis impoſtoribus iſtis cum propoſitionibus vanis diſſeminata ſunt, (ne tractatui huic defuiſſe videar) recolligam id, quod ab aliis, me in parte hac doctioribus & magis eruditis ſcriptum fuit: idque paucis expediam, quod pace tua futurum ſpero, mi Lector. Dixerunt itaque, & propoſitionem iſtam ſtabilire voluerunt, quæ fundamento, ſi ſuperis placet, non carent, ſupra quod deinceps omnem machinam ſuam vanam fabricati ſunt: oculos, inquiunt, filiorum, fratrum, & propinquorum, tum verò etiam gemmarum augurium eſſe: idque non ambigunt convenientiſſimum rationi dicere, præfatæ enim res non minus ipſis adeo oculorum pupillis charæ ſunt, & acceptæ: atque ideo, ſi quis ſibi tres habere oculos per ſomnium viſus fuerit, id ſibi prolium fœcunditatem præſagire, dummodo hoc ei ſomnium in nuptiarum ſuarum primordiis evenerit: mira ſtoliditas! Ut quid enim illud in conjugii exordio, & non potius in ejuſdem annis ſequentibus, tum præſertim cum per maturitatem affectuum, deferveſcente paſſione, major ſolet eſſe ad propagationem fœcunditas? Dixerunt itidem, ſi quis oculis ſe privatum ambobus ſomniaverit, propediem futurum, ut vel filiorum orbitate, vel genitorum ſuorum, vel propinquorum angatur: totum hoc trahendo ab intima affectione, qua in tutelam oculorum noſtrorum propendemus: oculorum enim & ſanguine propinquorum ſalutem, æque chara eſſe utraque oportere.

Pariter ſi quis ſomniando prævidere ſibi viſus fuerit calamitates ſuas ſecuturas, felicitatem & eventum inde proſperum coarguunt: morem cancri imitando; dum retrorſum repunt, promovere iter ſuum ſtolide opinantur: quod univerſum nihilominus ita ſpargunt, ut commenta ſua idiotis prodigioſa apparere faciant. Docebant igitur, ſi cui per ſomnium eveniſſe cæcitas oculorum viſa fuerit, id ſibi perſuadeat, nil infauſti, nil ſiniſtri quod perturbare requiem, aut pacem poſſit, ſibi eventurum eſſe. Quamvis Artemidorus ſentiat, ſomnianti, qui oculos ſuos ſe in auribus habere viſus fuerit, imminere cæcitatem: uterque enim ſenſus ſibi invicem maxime colligatus eſt. Vanitatem hanc vanitate alia non minori copulant, dum ajunt: ſi quis in extremo digitorum ſuorum habere oculos ſomniaverit, idem cæcitatis ei eventurum infortunium: rationem etiam afferunt: Cæci, inquiunt, vice oculorum, manu palpant eundo: Palmaris inſania, quippe, quæ jam in ſummitate digitorum eſt. Sic enimverò inſipientes commenta ſua ſupra digitos collocant, prout iis placuerit, non advertendo ſe contradictionem ſtultos incurrere: dum enim oculos ſupra digitos ſtatuunt: non ſolum ex his nullam augurare oculorum diminutionem debebant, ſed potius juxta numerum digitorum, eorundem ſecuturam multiplicationem. Poſt oculorum ſcrutinium, etiam ad ſupercilia tranſeunt, ut videlicet ſe miro ſtupore elevent, ad tam arduum, & ſublime vanitatis hujus magiſterium.

Per cilia inprimis ſignificare Pædagogos, Cuſtodes, & Gubernatores juventutis volunt, ſicut illa pupillam oculi tuentur, ita & hos in tutelam pupillorum datos: ſolida, prô ſuperi! fundamenta, de quibus conſequentias poſthæc inaniſſimas, falſiſſimaſque producunt. Per ſupercilia volunt dignitates, ornamenta, porro & mulieres intelligi: hæc enim pro decore vultus ſunt, & perſonarum formoſitati contribuunt: hinc ſupercilium ſpiſſum, & optimè coloratum in ſomnio præſentatum, indicium volunt libertatis eſſe: è contra quod glabrum ſit, & pilis ſuis orbum, ſignum ajunt ſecuturi luctus, & doloris: quam propoſitionem ex eo utique hauſerunt, quod lugentium proprium ſit ſibi ſupercilia fricare, & vellicare pilos ejuſdem. Sed de horum vanitate hactenus dixiſſe ſuffecerit, qui eo minus vidiſſe dici debent, quanto plus cum oculis converſati fuerint. Ita ut non videatur illud dici poſſe incongruè de iiſdem, quod de pulchra quadam ſutrice, vel veteramentaria ſua, quam deperibat, Heroico-Comicâ muſa ſua Hieronymus Porti canere voluit:

Cieco dallo ſplendor del ſuo bel lampo
Vuol che almeno oculato il piede io porte,
Pur nel laccio d'amor, ſtrana mia ſorte,
Con gli occhi nelle ſcarpe ancora inciampo.

DESCRIPTIONES ET POESIÆ.

P. Emmanuel Orchi.

PAter Emanuel Orchus Capucinorum Prædicator (cujus dulciſſima eloquentia etymologyiæ nominis convenit) in diſcurſu quem de diſcipula

Do-

Evagatio oculorum.

S.Baſil.Seleuc.orat.36.

Domini Maria Magdalena format, nimiam evagationem & licentiam oculorum percellit, & quantorum malorum, quamque abominabilium cauſa eſſe conſueverint, admirabiliter paraphraſticando, duas ſententias S. Baſilii, ſimul & S. Petri Chryſologi, cum allegoria Solis, & ruina Phaëtontis in medium profert, atque ita deſcriptionem, & orationem ſuam orditur. Quod eſt Sol in hoc mundo, hoc oculus in corpore eſt, inquit S. Baſilius, quem obſecro intuemini: clara enim lampas terræ eſt, feneſtra aperta ad ſphæras, Illuminator aëris, Progenitor viventium, ornamentum, ſimul & gaudium univerſitatis: oculus denique, qui in fronte firmamenti circumagitur & gyratur: Intuemini nunc oculum humanum: qui clara lampas eſt corporis: feneſtra nobis aditum patefaciens ad mentem: illuſtrator ſenſuum, communis phantaſmatum interiorum progenitor, ornamentum & jucunditas totius hominis: ſol denique qui in cælo frontis convolvitur, & rotatur. Idcirco cum Sol ſub palpebris ſuis, ſplendorẽ ſuum abſcondit, ne ab oculo humano videri poſſit, metuens zeloſus, ne forte oculus hominis omnem adeo ſimilitudinem ſuam exhauriat, atque in ſolem verum in terris convertatur: oculus viceverſa etiam ſeſe ſub obſcuritatibus ſuis celat ſubtus palpebras ſuas, nec vult à ſole rectos in ſe radios dirigi, metuens, ne & ipſe plenam ſui ſimilitudinem attrahat, fiatque in cælo firmamenti oculus. Sed quantopere expertum & ſollicitum eſſe oportet aurigam, & conductorem ſolis in curſu diurno, miſerabilis ruina Phaëtontis, de qua fabula meminit, ſat manifeſtum reddit. Hic adoleſcens itaque, prout vetus commentum eſt, inexpertus adhuc ad primum diluculum oriebatur cum ſole ſuo, temerarius ductor globi favillantis: vix etiam per ſubjectam univerſitatem lucis ſuæ radios effuderat, cum omnis jamjam fons ſolari luce fulget, omne germen exhilaratur: de vita ſua rurſum gloriantur viventes, qui prius dormiendo mortuos fingebant: & quamvis vitra vel cryſtalla & marmora careant animâ, nihilominus umbram quandam vitæ imitantur, dum radios à ſeſe emittunt. Sed heu temerarius auriga noſter & inexpertus, ab uno furentium equorum ſuorum, ſe in transverſum rapi patitur, ab itinere communi deflectens, & propius terram curru ſuo deſcendente accedens. Et ecce globus terræ accenditur, ſiccantur fontes, in cineres rediguntur germina, viventium univerſitas veram vitam ſuffocata amittit ipſa adeo ſaxa & rupes, quæ inanimata ſunt, dum fumantibus flammis denigrantur, pullo veſtitu lugere fatum mortalium videntur, qui prius vixerant, nunc autem improviſa morte defuncti jacebant. Denique globus terræ usquequaque in incendio eſt, cælum fumoſa caligine ſqualet: dixiſſes univerſitatem rerum infernum eſſe, propter ſolem male gubernatum, ſolem inquam, qui ſi rite curſum ſuum perfecerit facile ſplendoribus ſuis in univerſitate Paradyſum pingere & efformare poterit. Fabulam vobis attuli, non diffiteor, ſed fabulam, quæ non raro in hoc animo noſtro myſtico, calamitoſo ſcilicet Phaëtonte verificabitur:

Chryſolog. ſerm. 139.

& forte alluſit ad hoc S. Petrus Ravennas dum dixit: *Vagus oculus, laſcivus intuitus, improbus aſpectus, ſuas non reſpicit ad ruinas, totus cupiditatis, incendio velocius per aliena percurrit, quàm currit ignis arida terrena per gramina.*

Exoritur, exoritur inquam de ſomno ſuo animus noſter, temerarius auriga favillantis globi, hoc eſt oculi noſtri: vix ille per naturam corpoream viſiva lumina ſua expandit, cum jam omnis fons internæ potentiæ cognoſcitivæ illuſtratur, omne germen interni intellectus intuitivi exhilaratur, & pompoſo faſtu ſpecies mentales impreſſæ motum ſuum ordiuntur: manus etiam, pedesque, qui cæci nati ſunt, dum conductorem refugiunt, videri poſſint & ipſi de viſione gloriari poſſe: ſed eheu, inexpertus auriga multoties per curioſitatem à recto tramite declinat: inter jumenta ſua, & indomitos equos paſſionis, eſt, qui carnali oculorum intuitu plus quàm oportet, deorſum vergit, & ecce ſine morâ parvus mundus, vel microcoſmus homo, concupiſcentiis ardentibus totus ſuccenditur, in cæcitate ſpiritus exſiccatur fontes cognoſcitivæ potentiæ: redigitur in cineres errorum germen omne intuitivi intellectus interni, ſpecies animæ, paſſionibus ſuis jam correptæ, motum illum, qui ad judicium rectum nos deducere conſueverat, amittit: manus etiam pedesque inordinato curſu in transverſum rapti, non ſolum ſe cæcos natos, ſed furentibus, & mente captis ſe ſimiles factos demonſtrant. Denique non niſi rogum accenſum carnem illam dixeris, animam illam non niſi caliginem, hominem illum in Dæmonium transformatum propter ſolius oculi gubernaculum & regimen amiſſum: qui ſi fines ſuos non egreditur, intuitu ſuo modeſto, atque ordinato Angelicæ formæ decorem adumbrare poterit. Heu me quanat ſtrages, quanta ruina, oculi incorrecti: *Vagus oculus, laſcivus intuitus.* Sic ille. Qui verò præter hæc ulterius Oratorum paginas transcurrere ſatageret, non ei ſimiles aliæ deſcriptiones defuturæ eſſent: ſed ego, qui moderata ſobrietate, Lectori meo conſulere decrevi, hanc ſolam, quam nervoſam admodum arbitratus ſum, hic in medium proferre volui. Idem facturus ero in poëſia, ubi, te mi Lector, unicâ odâ quæ immortalis excellentiæ laudem meretur, gratificare volo, quæ ejus eſt, cujus corpus jam defunctum jacet, Hieronymi, inquam, Porti: qui mihimetipſi per occaſionem odæ hujus retulit, de poëticis ſudoribus ſuis, ſe præmium aliud non tuliſſe (communi poëtarum fato) quam illud Sereniſſimi Mantuani. Ego eam hic propoſiturus ſum, condignam videlicet elevatiſſimo calamo illius, quo tam doctè, tamque ſapienter uti conſveverat: atque ut volatus ejus æternus eſſet, inventus eſt finiſſe vitam ſuam habendo calamum in manu:

OCCHI AZURRI
di bella Donna.

V' inchino occhi di Cielo
Voi che ognos mi moſtrate
In due azzurre pupille i di ſereni,
Occhi della beltate
Sono raggi di Ciel voſtri baleni,
Faccian pompa ſuperba altri de l'ombre,
Non fia che voi torbida Eccliſſi ingombre.
Sianſi pur gli occhi bruni
Luminoſo occidente
Habbia l'eſpero in lor fulgida ſede,
Che in voi l'alba ridente
Non ben ſorta dal mar ſplender ſi vede,
E giuſto e ben che di ſplendori adorno
Ceda la notte i privilegi al giorno.
Voi non Larue di morte
Siate lumi vitali,
Che dan ſpirto e vigore à un cuor che langue;
Voi con luſtri immortali
Ravivate ad un ſol ſguardo anima e ſangue,
Luminari maggior del Ciel ſereno,
A cui non copre obſcuro nembo il ſeno.
Occhi azzurri, e lucenti,
Conceda pure a voi

Nero

Nero lume i ſuoi vanti, e le ſue glorie,
Portan quelli fra noi
Di funeſte ſembianze alte memorie,
Voi colori celeſti ogni hor ſcoprite,
Moſtran eſſi fra lampi ormi di Dite.
Nelle voſtre palpebre
Ogni viola agara
Fuor de l'uſo nativo, e del coſtume,
Amantenerſi impara
Di due viri Epicicli incontro al lume
Dentro di cui ben può mirar chi vuole
Col ſuo Giacinto a ſtarſi unito il ſole.
Di Giove & di Nettuno
Gli alti pregi ſpandete,
Poiche un Cielo, e un Mar nel chiaro giro
Delle pupille havete,
Dove corre a bearſi omni ſoſpino,
Dove ſpunta l'aurora, e dove al fine
Di zaffiri ſibei s'ingemma il crine.
Si, ſi ch' onde voi ſete
Congelate in quei Cieli
Cadute allor, che ſorge il ſol dal mare,
Quando fra azzurri veli
Col giorno in fronte, un voi belli occhi appare,
Cerulei fior d'un Paradiſo in terra,
Cerchi ove pur gemma del Ciel ſi ſerra.
Giurerei occhi cari
Allor quando natura
Il voſtro azurro a fabricar ſi poſe,
Che con provida cura
Tolſe un pezzo di Cielo, e vi compoſe,
Quin di e, che in voi ſi ſcorge, o Luci belle!
In perpetuo ſeren brillar le ſtelle.
Cieli in piu Cieli uniti,
Si che il biondo Pianeta
A rifleſſi di voi ſi fa piu chiaro,
E mentre i lumi acqueta
Nel voſtro oltra marin divien piu avaro,
Occhi, d'eſtivi ardor ſolſtitii eterni
Stanno i tropici in voi lungi da i verni.
Ne voſtri azzurri giri
Coſtringete i Deſtini
Dare allæ Ruota di Fortuna i moti,
Par ch' ogni aſtro v' inchini,
E che ſparga i ſuoï lampa a voi per Voti,
A voi che gia ſquarciato ogn' altro velo
Moſtrate haver fra labirinti il Cielo.
Son raggi i voſtri influſi
Belli occhi, e tutta luce
Sono paſſi di ſole i corſi voſtri;
Voi Caſtore e Polluce
Tranquillate co rai gli affanni noſtri,
E ſete a ſguardi altrui meta, e orizonte
L'Eclitica ſolar portate in fronte.
Sereniſſimi Lumi
Luminoſe pupille
Sete a voi ſteſſi intelligenze, e sfere,
Voi con chiare faville
Somminiſtrate al di faci e lumiere,
Onde alle voſtre glorie, o azzurri Poli!
Giunger non pon della mia penna i voli.

Pari ratione, inter omnes odas, quæ hic apponi poſſent, hanc infra ſcriptam Domini Martini Longi piæ memoriæ, omni laude digniſſimam judico:

Vaghi abiſſi di Luce ardenti ſfere,
Oue l' ampie ſue gioie il ciel ripoſe,
E forſe in terra il Creator diſpoſe
L'opre uguagliar delle ſtellanti ſchiere.
Cieca e notte per voi luce guerriere,
Cieco e amore per voi luce amoroſe,
Di ſourana Belta norme famoſe,
Del gran lume di Dio ſembianze altere.
Se meſti Tebe gia, lieti in voi miri
Duo ſoli il mondo, ch' abellirſi intornio
A gli archi voſtri ambitioſa e l' Iri.
E ſe mancaſſe a Febo il raggio adorno
E la face d' Amor; da veſtri giri
L' uni trarebbe le fiamme, e l'altro il giorno.

Periculoſa ſemper in Appolline concertatio fuit Marſiæ, unde & vetuli Sileni conductor factus eſt. Magnum & inſolitum ſibi pepererunt infortunium Picæ, ubi cum Camœnis decertare auſæ ſunt: etenim ſi non lingua, ſaltem loquela privatæ, ſiquidem cum ingenti labore nunc proferre quippiam tentaverint, nec ſincerum eſt, nec ab illis intellectum. Idem ipſum de me quoque, benevole Lector, dicturus es, dum ſtrophis meis infra poſitis, non erubeſco me æquiparare velle ſupramemoraris, qui tantam eloquentiæ laudem nacti ſunt? Sed quid non audeat pruritus? Omnium volucrum eſt, ſolem ſalutare velle: umbræ adeo ipſæ picturarum colores tanto melius apparere faciunt. Non enim ut me ſummis viris ad latus collocem, ſed ut talenti mei quoque tam mediocris tibi experimentum, quoddam præbeam, tractatum hunc ſingularem (prout facio) hoc ſequenti quaterno & deno verſu terminare volui: tu illum lege & boni conſule; ſi recuſaveris infirmitati condole.

Gloria de l'occhio, con chiuſione Morale.

Pretioſo compoſto, a cui pur gli ori
Han per pompa d'onor cedere i vanti,
A cui le perle, e i lucidi adamanti
Vengono a tributar lumi, e ſplendori.
Per te del Cielo i mobili teſori
Muovon danze ad ognor d'orbi ſtellanti,
Per te natura in varii miſti, e tanti
Sparge dal ricco ſen tinte, e colori.
Eſce dal Carro di Lucente Aurora
L'occhio del Cielo, e con ſplendor piu puro
A pro del occhio l'univerſo indora.
Ma ſe Sol della mente eſſer miſuro
L'occhio pur anco; Io fra me dico allora,
Macchia ritrar non dee di ſguardo impuro.

AURIS.

AURIS.

Anatomia.

QUantum quidem humanus oculus ad fruendum univerſitate rerum omnium in hoc Mundo, quantum etiam ad vitæ noſtræ dulcedinem neceſſarius eſt, tantundem quoque ad cunctarum rerum cognitionem, ad artes, diſciplinas, & ſcientias comprehendendas neceſſarius eſt auditus noſter: ita ut non facile diſtinxeris cujus amiſſio ex horũ uno maxime deploranda ſit. Hæc enim pars jam ſingularis eſt in homine, ut in regeneratione noſtra, quam ex aquis baptiſmalibus adipiſcimur, experiamur per ſacerdotis miniſterium, divinam manum, quæ nobis ſenſum hunc adaperit. Ingemuit Redemptor animarum ſuper amiſſionem ſenſus hujus, tum, cum reſtituere ſurdo illo auditum ſuum accingeretur.

Auris ſenſus Diſciplinarum.

Philoſophus noſter humanam aurem ſenſum diſciplinæ appellavit, oculum inventionis. Hunc vero ad communicationem magis aptum eſſe experimur. Difficile omnino, & quaſi creditu impoſſibile eſt, quantopere animus noſter per auditum agitari, & commoveri ſoleat. Ob quod Herodotus dixit iracundiam in auribus fixiſſe ſedem ſuam. Organum viſus, tot particulis, muſculis, tunicis, humoribus, nervis, arteriis, & venis, ſupra quam natura comprehendere poſſit, compoſitum eſt: ſed non minus mirabiliter ſedem ſuam fixit auditus noſter in tot labyrinthis, cochleis, feneſtrellis, tympanis, aquæductibus, & oſſiculis in quibus cum artificio ſtupendo fabricatus eſt. Vocatur autem latinè *auris, eo quod voces hauriat*, prout Laurentius, & in ſuper alii ſentiunt.

Hæ aures itaque cum ad hoc deſtinatæ ſint, ut ſonum in ſe recipiant, qui ex ſui natura ſurſum fertur, in ſublimi collocatæ ſunt: idque à latere oculorum, cum quibus in eadem linea correſpondent. Nunquam non apertæ ſunt: quod ad noſtri defenſionem factum, ut videlicet, ſi neceſſitas poſtulaverit, à ſomno excitari valeamus: bipartitæ ſunt, propter ſenſus hujus neceſſitatem. Hæ aures apud famoſiſſimum Hippocratem dividuntur in aurem exteriorem, & internam: quarum illa proprie auricula nominatur, hoc eſt auris frigida, lucida, inverſa, & mortifera.

Subſtantia auris.

Subſtantia illius dici poterit media eſſe inter oſſa, & carnem; hoc eſt cartilaginea, pauco ſanguine irrigata. Quod ſi omnino oſſea eſſet, facili occaſione quaſſaretur, & dormientibus impedimento eſſet. Si viciſſim omninò mollis eſſet, & carnea, figuram conchæ, vel concavi non haberet, nec verò aëri recipiendo qui ſe illic intromittit, eſſet idonea: id enim quod carneum eſt, facile flacceſcit, decidit, & contunditur, fugando & repellendo ſonitum.

Aves & ſerpentes auricula carent.

Nec tamen omne animal ſimili extuberantia aurium præditum eſt. Homo ad ornamentum ſui & breviores habet, & minores cæteris quadrupedibus. Ea inſuper animalia quæ à natura pennis, vel corticibus, vel ſquammis proviſa ſunt, aure exteriori carent, habent enim pro his durum corticem: nec tamen meatu auditorio privata ſunt, quem penetrando, ſquammas illas commotus aër transgreditur. Figura earum ſemicircularis eſt, incavata in interna regione, ad ſimilitudinem quandam antri, ut videlicet recipere ſonantem aërem poſſit: ſiquidem etiam aër, prout ſolet, hunc meatum ſubterfugerit, ex quo oritur, ut diſcernere confuſum ſonitum nequeamus, reverberatur non raro aliunde in aurem, auditumque faciliorem & diſtinctiorem reddit: Hinc nonnulli ut hic aër recollectus tanto melius concavum illud ſubeat, manu cavam auri applicant. Et Imperator Adrianus, qui gravioris auditus erat, ſæpe obſervatus fuit, concavam manum applicaſſe auribus, ut tanto copioſius auram conciperet, & foris antrum formaret, correſpondens interiori. Refert Galenus eis, quibus aures detruncatæ ſunt, verba loquentium non ſecus ac aquarum præterlabentium ſuſurrum audiri, aut verò cicadarum ſtrepentium.

Variæ partes aurium ſunt: pars ſuperior alæ nomen ſortita eſt, aut pennæ: extremus auriculæ ambitus, ab interiore reſerratus, qui gibboſitatem quandam & graviditatem præſefert, cubiforme nominatur, concavum, inquam, illud interius, quod pari modo conchæ nomen habet. Cavitas vicina meatui auditûs, ubi partes excrementitiæ ſedem ſuam figunt, alvearium dicitur: nec ſine providentia divina, inquit M. Tullius hoc factum eſt, ut videlicet cum ſubtile quoddam animalculum volatu ſuo ſe illic intromittere tentaverit, viſcoſitati illi continuo inhæreat. *2. de natura Deorum.* Pars inferior, quæ carnoſa magis, & pinguis eſt, & quæ ab ala dependet, à Latinis *Lobus* appellatur, quod juxta mentem doctiſſimorum interpretum, non aliud quàm recordationem ſignificat, unde ab antiquis memoriæ conſecratus fuit.

Auris interior, aut vero organum auditus, poſitum & fundatum in oſſe petroſo, iis oſſibus appropinquat, quæ in ſimilitudinem mamellarum eriguntur: os autem hoc portionem oſſis jugalis format. Quatuor meatus ſunt qui auri huic internæ eſſentiam præbent: quos cum omni brevitate deſcribemus. Primus eorum palam deprehenditur expoſitus, qui neminem latere poteſt, ſemper apertus, & patens, tortuoſus, & quaſi obliquus, rotundus, anguſtus. Tortuoſus, ne aër cum violentia immiſſus, recto tramite meatum auditorium feriendo offendat: obliquus, ut ſonus vehemens, nimiusque his anfractibus dirumpatur, atque ita repercuſſus aër facilius in unum colligatur: Rotundus, ut commodius quantitatem aëris contineat: anguſtus ut ingreſſus animalculis vetetur, iisque corpuſculis quæ ſi liber ingreſſus eſſet, grave damnum ſenſui offerrent. Hic meatus per obliquas vias tendit, nec tamen deorſum verſus, ſed ſurſum, ut ſi quid foris inciderit, continuo delabatur. In extremitate cavitatis hujus ſepimentum quoddam eſt, quod primam à ſecunda cavitate diſcriminat, & diſtinguit: hoc ſepimentum, vel hoc tutamentum oſſeum non eſt, obſtaculum enim foret, ingredienti aëri: nec tamen carneum, nimis enim debile & rarum eſſet, ſed membranoſum eſt; hæcque membrana tympanum vocatur, cum ſimilitudinem inſtrumenti hujus tenſum & expanſum ſit. Tenue eſt, denſum, ſiccum, lucidum, & exquiſitiſſimi ſenſus. Tenue ut ſonum admittat, aëremque externum: denſum eſt, ut injuriis externis reſiſtat: ſiccum ideo, ut ſonitum reddat magis clarum & perfectum. Situm habet obliquum, ob cauſas ſupra memoratas.

Naſcitur non de pia matre, aut meninge, prout quidam opinati ſunt, nec verò etiam de nervo conjugationis quintæ, ſed de particula quadam duræ meningis, cujus naturam etiam conſervare deprehenditur. Hic verò obſervatu dignum eſt, quod membrana hæc,, ſi in prima conformatione craſſior evaſerit, & denſior, cauſa ſit ſurditatis inſanabilis: ſiquidem etiam ſymptomate quodam per humores illuc effuſos humectata fuerit, gravem parit & difficilem auditum.

Meatus alter, quem Limacem vel Catinum appellat Ariſtoteles.

Poſt membranam hanc, conſpicuus fit, & palam cernitur meatus alter, aut via, quæ Limacis, aut Catini nomine appellatur ab Ariſtotele: hic verò familiaris aër quidam continetur, qui cum ambiente copulatur, & immobilis nomen adeptus eſt. In hoc ſecundo meatu vel canali plura obſervatione non indigna occurrunt, quæ à priſcis Anatomicis omiſſa, à modernis autem inventa ſunt, præſertim ab Euſtachio, & Volchero eleganter & deſcripta & probata. Referunt hi in primo aëris ingreſſu, ambientem aërem à familiari rejici quamprimùm, ut inde fiat refractio, atque exinde repercuſſus aër imaginem ſonitus ad nervum referat, atque ita in puritate ſua conſervetur: hisque de cauſis familiarem illum creatum & productum eſſe.

Ad pulſationem hanc formandam, miniſterium ſuum præbent oſſa terna jam ſupra memorata, & una cum his cordæ quædam, & muſculi: defertur autem ſonitus per feneſtrellas binas: ad expurgandum etiam meatus illic eſt, qui in palato terminatur. Præfata tria oſſa à figura ſua potius, quam ab officio denominata ſunt:

Malleolus, Incus, & Triangulum.

quorum primum malleolus dicitur, ſecundum incus, tertium triangulum: ejusdem adeo magnitudinis tam in pueris, quàm in ſenibus ſunt: fortes adeo, & duri, ut ſonum repercutere receptum valeant. Reponuntur in membrana una, ſed ſic invicem articulata, ut malleolus membrana ſua mediante, in cavitate ejusdem uniatur incudi: Hæc verò, cum molarem dentem repræſentet, duobus, ut ita dixerim, ſtipitibus, aut ſtilis innititur. Hæc terna oſſa implicantur tympano per tenuiſſimam & ſubtiliſſimam chordam, quæ univerſæ membranæ copulatur, eadem penè figura, & methodo, qua tympaniſta uti ſolet in caſtris, dum tympanum ſuum percuſſerit: tantæ verò ſubtilitatis & tenuitatis eſt, ut difficile dictu ſit, nervus, an vena, an arteria ſit.

Officium horum oſſium eſt, ut ſonum uſui aurium accommodent, eundemque poſt hæc itinere ſuo ad auris intima ablegent: ut verò etiam præfatis ſonus penetrare poſſit, duo oſtia parva, aut feneſtrellæ patent: quarum quæ major, vel ſuperior eſt ovalis dicitur: inferior anonyma eſt. Inter has collis parvus eſt, vel tuberculum: illic ad purgandum aërem quem ſupra diximus familiarem, natura parvum fabricata eſt canalem, qui terminum ſuum in palato habet. Hic totus è cartilagine compoſitus eſt, & neſcio quam pelliculam habet, quæ ſinum formans, aperitur ſimul & clauditur, purgantis excrementis deſtinatam: ne forte, cum generata illic fuerint, recidant in aurem. Hæ particulæ ſecundæ cavitatis ſunt, quæ difficulter monſtrari poſſunt ad oculum niſi manus artifex & ſecura periti Anatomici acceſſerit.

Succedit tertia cavitas, labyrinthus dicta: quæ furtim circumacta, & in circulis ſuis & ſinubus gyrata, facile docet propter ſonum ſe ſic eſſe formatam, ut videlicet per has fauces anguſtas, & intortas recollectus, non diſſipetur, & evaneſcat. Ultima cavitas, referente Fallopio, cochlea nominatur, aut limax, huic etenim quàm ſimillima eſt: ſunt, qui foramen cæcum appellant. Denique nervus etiam auditorius apparet de quinta conjugatione natus, qui ad ſenſum communem, tanquam ad judicem, omnem ſonus imaginem portat, & conducit. Compendioſa hæc internæ auris deſcriptio eſt, ſimul & externæ. Subtus hanc, glandulæ ſunt, parotides dictæ, per quas gravatum excrementis ſuis cerebrum exoneratur, & alleviatur, unde etiam vulgo emunctoriæ illius nominantur: eſt autem Hippocrates, qui tumores eos parotides vocat.

Non minus curioſum, & neceſſarium ſuperioribus eſt noſſe, qua ratione auditus, vel auſcultatio formetur, cum in hoc diverſimodè Philoſophi ſentiant, & opinentur. Alemon ſic ſenſit, auditum inde provenire, quod aures noſtræ cavæ ſunt: omne cavum autem reſonare. Diogenes ait contineri aërem in cerebro, atque hunc feriri voce. Sunt qui dixerunt ipſum adeo cerebrum de concavitatibus ſuis ſonum repercutere: quod tamen eſſentiæ ejus repugnare videtur, cum cerebrum naturæ humidæ ſit, humida verò ſonum non edant. Plato dixit formari auditum ex eo, quod internus aër ſeſe invicem collidat. Moderni ajunt antiquos organum auditus ignoràſſe, inter quos & ipſum adeo Hippocratem & Galenum numerant; de eorum enim ſcriptis documenta vera, doctrinamque ſuper hoc exactam trahi non poſſe.

Ut itaque expeditior ſit rei hujus expoſitio, neceſſarium nobis erit ad libros divini Ariſtotelis recurſum habere, ubi in ſecundo de anima, tria dixit ad operationem ſenſus & ſenſibilis concurrere oportere: objectum, medium, & inſtrumentum.

Objectum auditus.

Objectum in auditu ſonus eſt, quemadmodum color eſt in viſione. Longum eſſet hic de natura ſonitûs prolixius ratiocinari velle: hoc ſolum ſuffecerit, qualitatem ſoni de refractione aëris originem ſuam ducere: quod fit cum corpora dura & ſolida in ſe invicem incurrunt: ea enim quæ mollia ſunt locum cedunt, nec impellentium violentiæ reſiſtunt. Medium auditûs, aër eſt exterior, id quod Ariſtotelem fecit ambigere an vox in aquis audiri poſſit: quamvis jam experientia dederit audire diſtinctiſſime piſces: prout mihi quoque identidem evenit, cum ſupra piſcinas in ſilentio evagari, & enatare piſces adverti, quos continuo per emiſſam altiorem vocem in profunda ſua, & receptacula timor pepulit. Inſtrumentum auditûs auris eſt interior potius, quàm exterior, quæ in quaternis cavitatibus, aliisque inſuper particulis, inter antiquos ignoratis conſiſtit.

Itaque auditus hoc modo formatur: Exterior aër per dura corpora & ſolida percuſſus (diſtinguendo nihilominus qualitatem ſonitûs) vicinum ſibi aërem afficit, hic rurſum ſibi proximiorem, idque eodem ordine, donec ad auriculam pervenerit. Non ſecus ac in puteo videre licet, quò injectus lapis circulum ſuper circulum excitat, usque dum ad terminum ſuum pertigerit: pari modo & illa aëris fit communicatio, donec aurem, hoſt eſt finem ſuum pertigerit. Avicenna hanc ipſam aëris continuatam percuſſionem undam vocalem appellat: ſed hic actus non uno fit momento, ſed ſuccedente temporis ſpatio, ſicut

ſicut dum longinquitas ſecuta fuerit percuſſio quædam, quæ ſonet, prius ipſa cernitur percuſſio, ſonus autem tardius auditur. Aër qualitate ſonitus illius jam imbutus per meatum auditorium, ſemper patulum, & apertum cum membrana illa ſicciſſima, & ſonora colliditur (quæ idcirco etiam nomen tympani ſortita eſt) meningis autem hæc perculſa, præfata oſſa tria commovet, & in momento temporis, characterem moti ſonitus hujus imprimit. Sonus hic deinceps, à familiari, & congenito aëre recipitur, & mediantibus feneſtrellis ſupra memoratis, in anfractus illos, & cavitates tortuoſas portatur, inde in labyrinthum & cochleam: hæc vero eum ad auditorium nervum transmittit, atque inde ad communem ſenſum tanquam judicem, & cenſorem fertur. An verò auditus organum aëreum ſit, an aqueum, an terrenum, non eſt propoſiti mei hic ultra diſcutere: pari modo & illam quæſtionem magnam intactam relinquo: an aër ille familiaris, an verò adventitius præcipua auditus cauſa ſit.

Sympathia auris cum palato, & lingua & aſpera arteria.

Progredior nunc, ad hoc, ut pauca etiam de ſympathia illa omnimoda & admirabili referam, quæ inter aurem & palatum; & linguam, & arteriam aſperam, & laringem intercedit. Virtutis hujus genialis optima explicatrix, & magiſtra experientia eſt; dum enim ad audiendum aliquid ferventius attenti ſumus, quo prius quidem detinere ſpiritum videbamur, ſiquidem auris tympanum auris calpio vellicatum fuerit, ſubito tuſſis ſicca excitatur. Surdaſtri plerumque ad loquendum ignavi ſunt, & inculti quandoque etiam vocem per nares emittunt. Qui de prima nativitate ſua ad ſurditatem proclives ſunt, pedetentim etiam obmuteſcunt. Hinc etiam fit, quod qui cytharam pulſaverit, aures ſibi obturando, audiet nihilominus ſat acute, ſiquidem dente lignum cytharæ momorderit, eodemque tempore fides pulſaverit.

Hæc præfatorum viva argumenta ſunt. Ratio autem amicitiæ hujus & congruentiæ non omnibus perinde conſtat. Quidam rati ſunt, nervum conjugationis quintæ, & ſeptimæ, qui linguam movet, eadem veſtiri tunica qua tympanum, atque exinde iſtam affectionem ſymbolicam, & communem oriri. Doctiſſimus Laurentius, à quo omne id quod refero mutuatus ſum, duplicem participationis hujus cauſam adfert, quarum unam auditorio nervo attribuit, alteram canali cuidam parvulo ab antiquis non obſervato. Nervus quintæ conjugationis, inquit, varios ſurculos extendit, aut canaliculos; quorum qui major eſt, in aure dilatatur, & in membrana, quæ exquiſitiſſimi ſenſus eſt, portando omnis ſonitus ſpeciem ad cerebrum: minor ſurculus ad linguam, & laryngem diſcurrit. Ex hac ratione Hippocrates & Galenus inquiunt, cum affectibus linguæ etiam affectus auris communicantur: unde etiam vellicata aure, tuſſis excitatur: quæ de faucibus provenit: inde compertum eſt, quod omnis pene ſurdus, ſimul mutus eſt.

Et inſuper alia ſympathiæ & communicationis hujus cauſa: quæ fit mediante cartilaginoſo canali illo, quaſi per aquæductum, qui per ſecundum meatum auris ad os defertur, & ad palatum: idcirco fabrefactus, & conductus, non ſolum ut vernaculum familiaremque aërem illum vellicet, ſed ut etiam recrementa aurium expurget: ad hoc etiam ſingulariter, ut aëre novo repletus, qui per os ingreditur, tàm ſemetipſum quàm etiam organum totum refocillare & recreare poſſit: denique ut externo aëri aditum pandat, qui noviter per foramen auris ingeritur, ſicut in bombardarum exploſione fieri ſolet. Itaque ab aure ad os transcurrit, & ab hoc ad illam, eundo & redeundo. Hinc infertur præceptum eſſe, ut ſi quis acutius & diſtinctius audire quippiam voluerit, ei halitus retinendus ſit, ſic videlicet effici, ut ſpirato aëre copioſiſſimo adimpleatur cochlea, tympanumque diſtendatur. Apparet hinc quod oſcitantes, ſonum non acute audiant, tantopere enim oſcitatione illa tympanum diſtenditur & inflatur, ut ſonus recipi nequeat; hinc item cum fricatur auris, ſaliva excitatur, cujus compreſſione humores craſſiuſculi, & ſordidi in conductum cartilaginoſum decidunt, & proinde in linguam. Atque ita expurgatio aurium fit. Usque huc prudentiſſimus vir ille; cujus ductu hæc abunde mihi videor, ſcripſiſſe, & deſcripſiſſe; non enim librum his implere, ſed quod maxime ſuccoſum, & ſubſtantiale eſſet, afferre ſtatui.

S Y M B O L A.

NOn minus præpoſterum videri poterit, oculum cernere in planta pedis inverſa, cum hæc infirmum ſit veſtimentum pedis, oculus verò nobiliſſimus: quàm cernere aurem ſubula perforatam ſutoria. Atque ideo hic aphoriſmus famoſiſſimi Apellis exceptionem ſuam habet: *ne ſutor ultra crepidam*: dum viliſſimo inſtrumento, tam ſingularis pars humani capitis transfigitur. Hoc ipſum nihilominus, quod indoctioribus tam præpoſterum videri poſſit, iis qui in literis verſati ſunt, admirationem non affert.

Auris ſubula perforata.

Anti-



Antiquitus enim receptum erat uſu, id quod etiam lege divina ſancitum legitur in Exodo, & in Deuteronomio quoque ſtabilitum, ut poſtquam ſervi ſervitutis ſuæ tempus abſolviſſent, liberum eis eſſet ad ſtatum independentiæ & libertatis transire, ita ut juris ſui, nulliusque dominatui mancipati eſſent: aut verò, ſi id nollent, ſervitutem priſtinam præeligerent: cumque hoc poſterius deſtinaſſent, Patronus, cujus ſubdabantur imperio, ſubula aurem eis perforabat: atque inde ſervitutis liberæ nomen enatum eſt. Per hoc ſymbolum, juxta doctiſſimum Paradinum, non incongrue beata, liberaque ſervitus Chriſtiani deſcribitur: qui cum libere ſe ſervitio Dei ſui devoverit, in eodem omne animi ſui deſiderium & tranquilitatem, & vincula ſua ſuavitate plena invenit: nodos amoris ſui diligit, quibus quanto fortius vincîtur, tanto magis vinciri deſiderat. Hoc ipſum S. Auguſtinus, magnus ille Doctor explicuit, dum ait: *Amor meus, pondus meum; illo feror, quocunque feror.* Hi ſunt funes Adam, quibus ligamur prout ſacer textus inquit: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*: & alibi: *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Denique auris nobis perforanda eſt: hoc eſt præcepta Dei nobis auſcultanda, & attendenda ſunt: Ad vivum etiam Propheta Regius hunc ſenſum expoſuit, cum in Redemptoris noſtri figura, omnimodo ad præcepta cæleſtis patris ſui intenti, ſic ait: *Corpus & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi*: in quo loco Paradinus ſupramemoratus ſic legit: *aures perforaſti mihi.* De foraminibus his ô quæ margaritæ, qui adamantes, quæ gemmæ obſervantiæ divinorum præceptorum dependent!

c. 21.
c. 15.
Servitus libera.
Servitus Chriſtianorum.
S. Auguſtinus.
Pſ. 39.

HIEROGLYPHICA.

GRæcia Mater propemodum & origo ſcientiarum, & documentorum maxime illuſtrium, & nervoſorum: in explicandis animorum noſtrorum ſenſibus, Ægyptiorum doctrinam æmulari voluit, quippe eorum, à quibus rudimenta ſua prima hauſiſſe non abnuit: hæc ergo volens nobis ob oculos noſtros ponere, quantum abhorrere Principem ab omni partialitate, perſonarumque acceptione oporteat, in Creta ſtatuam Jovis exhibuit, inſidentem throno, veſtitam imperiali chlamyde, ſceptrumque manu geſtantem, ſed carentem auribus. Nec immeritò inquit Valerianus: *Ut cæteris jura daturus, neminem nullum privatum audire debeat, ſed omnibus publicè conſulere.* Hic cardo felicitatis eſt, & ſecuritas Principum. Parum abfuit, quin Abſolon hoc munimento uſus, patrem ſuum proprium de throno ſuo dejeciſſet: ſaltem exulem domo ſuo profligavit. Inter prima præcepta hoc Pontanus Alphonſo ſuo dedit: *Inprimis ſtudere te oportet, ut qui te adeunt, facilem te intelligant, nihil enim tam alienum eſt à Principe, nec quod aliorum in ſe odium tantopere concitet, quàm aſperitas, & ea quæ moroſitas dicitur.* Ego hic non præpoſtere aperuerim id quod mente verſo: dixerim enim intueri ſubditos ſuos foribus patefactis, idem eſſe ac corda eorum introſpicere. Coronata capita illa, quæ nonnullibi, dum id daret occaſio, in aprico, & in mediis adeo campis tentoria ſua fixerunt, ut ſe populo ſpectanda darent, ejusmodi progreſſus olim feciſſe, ut quos hodiedum orbis admiretur: imo verò ut currentis fortunæ rotam clavo ſibi affixerint. Laudabat Plinius Trajanum ſuum: *apud quem nulla mora, nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo moroſitas: audiuntur ſubditi ſtatim, ſtatim dimittuntur.* Princeps, qui magnam cum Sole ſimilitudinem gerit, eundem æmulari debebit: Hoc eſt, ſicut ille in firmamento cæli, ita & hic in

Princeps omnibus idem.
Statua Jovis ſine auribus.
Petr. Hieroglyph. l. 23.
Pontanus de Princip.
Plinius in Panegy.

in terris ſe exponat, & omnibus æqualem ſui ſplendorem impertiat: atque inde pro cujusque regionis qualitate, & natura locorum, & maturet, & promoveat germinationem, & incrementa præbeat. Alexandri Magni exemplum ad perſuadendum ſuffecerit, qui in uſu poſitum habuit, præbere aurem unam accuſatori, alteram reo.

Præſentia Dei quantopere formidanda eſt Reis.

Imago Apollinis quatuor habens aures & manus Sapientia divina.

Lacedæmones figuram item Apollinis ſed omnimodo priori contrariam ſtatuerunt, quippe qui non ſolum genere & natione, ſed moribus quoque à Græcia reliqua diſcrepabant; eandem quoque in cultu religionis, & ſacris ſuis diſcrepantiam quærebant. Statua hæc quaternis auribus, totidemque inſtructa erat manibus. Per hoc autem divinam ſapientiam in hoc numine effigiatam eſſe voluerunt. In harum partium



multiplicitate vaſtitatem auditûs denotabant, & operationis divinæ, quæ de quatuor mundi ſuperioris regionibus, ſicut & inferioribus, de cælo & terra, hoc eſt, ubivis locorum aurem auſcultantem habet, & ubivis operatur. Si harum aurium & manuum ubicunque præſentium meminiſſe vellent ſcelerati, non ſic proclives eſſent & præcipites ad iniquitatem & ſcelus operandum: cogitarent enim aurem illam habere ſibi comitem manum, quæ caſtigare delinquentes poſſit. Hæc veritas etiam inter paganos innotuit: unde Tales ajebat: *Non latet Deos homo malè agens, nec cogitans quidem.* Et Seneca, Eccleſiaſtici viri more, ſic ait: *Propè eſt Deus, tecum eſt, intus eſt; ita dico Lucili: ſacer intra nos ſpiritus ſedet, bonorum malorumque noſtrorum obſervator, & cuſtos, hic prout à nobis tractatur, ita nos tractat.* Sed rem ipſam S. Auguſtinus diſtinctiſſimè: *Deum ſemper credamus eſſe præſentem, cujus divinitati ſecreta mentis patent: ita vivamus, ut propitium ſemper habeamus, nunquam vereamur iratum.* Verba digniſſima, quæ ſemper ante oculos noſtros verſentur, & inſcripta ſint cordibus eorum, quicunque ad ſalutem ſempiternam aſpirant.

Tales apud Diogen. Senec. in Epiſt.

Auguſt. de quinque hæreſibus.

Auris ſanguine aſperſa.

Porrò ſi de ritibus, ſi de conſuetudinibus prophanis monumenta, & Hieroglyphica ſtabilita ſunt, multo potius neceſſe fuit, magisque rationi conſentaneum, ut à ſacris quoque authoribus hæc ſcientia non ignorata, & in uſum deducta fuerit: Hinc præfatus Pierius conſiderando cæremoniam, imò verò præceptum Moyſi à Deo injunctum, ut videlicet ſacrificato agno legali, aſſumeretur de ſanguine ejusdem, atque inde auricula dextra Aaronis ungeretur, & tingeretur: quod pari modo omnibus fiebat, qui ſacerdotio initiandi erant, prout illud in libro Exodi continetur: quod etiam ſeptuaginta interpretum authoritate munitum eſt: Pierius ergò figurari per hoc vult, exactam illam ſubmiſſionem, qua præceptis divinis obſervandis inclinamur: de quibus nec auſu aliquo, nec ſuggeſtione recedendum nobis ſit: memoria repetendo pœnam illam qua Deus Adamum prævaricatorem caſtigavit. Ejusmodi obſervantiam Venuſinus Poëta reſpiciebat, dum ſic ait:

Cap. 29.

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modo culturæ patientem accommodet aurem.

Idem alibi:

Demitto auriculas, ut iniquæ mentis aſellus.

Obedientia quam Deo accepta ſit.

Obedientia, & reſignatio, ſacrificiis omnibus, & victimis quantumcunque abundantibus & pretioſis æquivalet, imò dixerim præponderat, veritatis hujus non ignarus erat is, qui quamvis prophanus, nil non noverat, de omnibus ſcribens: Ariſtoteles, inquam, Peripateticus: *Quanto quis diligentius*, inquit, *obſequi-*

Ariſtot. Oeconom.

obſequitur, tanto majorem gratiam obtinebit: E contra verò tantopere inobedientia Altiſſimo diſplicet, ut non ſolum parentes noſtros protoplaſtos è Paradiſo ejecerit, omnemque poſteritatem ad perennes calamitates condemnaverit: ſed hæc ipſa eſt, quæ de capite regum coronas regales deturbat: cujus vivaciſſimum exemplum in Saule Rege præbetur, dum divinum imperium negligendo Amalecitas internecione non delevit. Quantumcunque res difficilis eſſe videatur, ſic jubente divino mandato, *erunt prava in directa* (prout Deus ipſe nos docuit) *& aſpera in vias planas: propter quod non attendit* (inquit S. Bernardus) *verus obediens quale ſit quod præcipitur, hoc ſolum contentus quod præcipitur:* hinc non ſine ratione virtus hæc depingitur tanquam oculis deſtituta.

S. Bernardus.

Auris clauſa inobedientiam figurat.

Quemadmodum autem aperta auris virtutem hanc figurat: ſic obſerata & clauſa, obſtinationem, & duritiem in obediendo, & auſcultando. Vilipendit Deum, auremque ſibi homo peccator ſua ſponte obturat, nolens cognoſcere, aſpidi ſurdæ non abſimilis. Hoc ipſum etiam literaliter Regalis Propheta expreſſit, dum ait: *Sicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* Quod pariter de ore ſuo proprio Redemptor noſter ad phariſaicam turbam quondam protulit: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex DEO non eſtis:* & ideo alibi: *beati qui audiunt verbum Dei.* Quid plura? Hæc inobedientia Circæum poculum eſt, quod eum ſenſum nobis auffert, quo in rationalium hominum, & intellectu præditorum numero conſtituimur, juxta id quod Peripateticus noſter præfatus inquit: *Auditus in homine eſt via ad diſciplinam.*

Pſ. 57.

Ioan. 8.

Luc. 11.

Ariſtot. de ſenſu, & ſenſatione.

Siquidem ergò verum eſt, quod per aurem ratiocinatio intrat, & per eam ſapimus: ejusdem mutilatio quid aliud, quàm ſummam imperfectionem, & defectum ſignificat? Itaque inter Mythologicos antiquos hoc prudenter inventum fuit, ut per aurem à capite truncatam vitioſus homo denotaretur: quippe qui ſolis detractionibus, & calumniis paſcatur, qui ſolis inverecundis & ſalacibus dicteriis ſe inclinet. In hujuscemodi figura fortaſſe increata Dei ſapientia idcirco ſpectari voluit Malchum, quamvis eum poſthæc bonitate ſua ſanitati priſtinæ reſtituiſſet: homo perfidus, qui tanti beneficii immemor, Benefactori ſuo Jeſu deinceps alapam inflixit. Pari modo impiorum & ſceleratorum eſt, ad vitium & detractiones aurem patulam gerere: Qui ad impudica colloquia, digniora canibus, & ſerpentibus, quam homini, duriſſimis, immotisque auribus ſunt. Carpocrates ex horum numero ſceleratiſſimus hæreticorum, ut ſequaces ſuos ab aliis diſtingueret (diſſeminaverat autem perfidus hic, proſpera & adverſa nec præordinatione divinâ, nec verò etiam ex ſui natura profluere, ſed potius ex cujusque hominis opinione) extremitates auricularum iis combuſtione quadam ſignari voluit. Homo impiiſſimus, dignus omninò, qui plagis multo evidentioribus in cæteris doctrinis & opinionibus ſuis notaretur.

Homo vitioſus per mutilatam aurem ſignificatur.

Homo arrectis auribus ſignificat hominē ad faciendū aliquid jam accinctum.

Ægyptii olim ut ideam viri ad quantumvis actionem jam accincti, & parati exhiberent, hominem figurabant arrectis auribus auſcultantem: id volentes: neminem operi ſe qualicunque dare, niſi prius rem, quam facturus eſt, diligenter penetrando diſcuſſerit: Hinc Valerianus inquit: *Auſcultatio initium eſt, & imago quædam operis, quod aggreſſuri ſumus.* Prudens conſilium: ne videlicet præcipiti voluntate ad exequenda opera noſtra feramur, ſed potius arrecta aure intendamus, cauſas, finesque actionum ponderando. Sapienter Mythologici: qui Deos ſuos tradiderunt filo laneo ligatos pedes habere, non quod inde ineptiam eorum vel negligentiam arguerent, ſed quod tardi ſint ad pœnam, & præmia. *Menſuram ſerva, modus in re optimus eſt*, inquit Heſiodus. Celeritas Marcelli Reipub. Romanæ evidentiſſimum nocumentum intulit: dum è contra auctores de cunctatione Fabii referunt: *Hic eſt qui cunctando nobis reſtituit rem. Priusquam inceperis conſulito, & ubi conſulueris maturè facto opus eſt:* ſic Salluſtius ait. Denique: *Ipſa etiam audire ſcientibus prodeſt*, S. Chryſoſtomus inquit.

Actiones cum maturitate ponderandas eſſe.

Serm. 2. ſuper Epiſt. ad Hebræos.

Taurus acerrimi auditus eſt.

Promptitudo auditus, in Tauri auricula figurabatur olim, hic enim in hoc ſenſu acutiſſimus eſt: vigilantiſſime enim & acerrimè obſervat auram, unde à juvenca mugiente vocatur. Hoc animal unum eſt è quatuor ſignis, quæ Ezechieli Prophetæ in figura magni Dei apparuerunt: in quo nimirum Apoſtolorum typus exprimitur, qui cum tanta promptitudine divinæ legi obaudiendo, ſe jugo Domini ſubdiderunt. Per hunc Taurum jam cicuratum S. Gregorius Eccleſiæ paſtores intelligit, qui campum ſuum induſtrioſo labore excultum, & fructificantem demonſtrant, non ſecus ac boum proprium eſt cultura ſua fecundare agros, qui etiam in laborem ſuum ſine remiſſione intenti ſunt. Sic enimvero & noſtri officii eſt (cum, quid faciendum nobis ſit, jam noverimus) ad executionem operis ſine mora progrediamur. *Auris ad audiendum præparari debet:* Doctrina S. Bernardi eſt. Et S. Chryſoſtomus: *Auditor in deliciis oſcitans eſt.* Similì quoque auditus acrimonia & cervi, & capreæ præditæ ſunt: atque ideo in eadem ſignificatione Hieroglyphicum acuti ſenſus hujus fuerunt. De his itaque ut reor, id quod in Cantico, & Pſalmis paulo obſcurius propoſitum eſt, expoſitione evidentiori deduci, & enodari poterit. In Pſalmis ſic habet: *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum*, hoc illic; alibi rurſum: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum*, cum eo quod ſequitur. Et in Cantico: *Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum:* & ſimiliter illic: *Adjuro vos filiæ Jeruſalem per capreas cervosque camporum, ne ſuſcitetis.* Scriptura his docens, cum quanta promptitudine, ſiquidem vocem Domini audierimus, more Cervorum & Caprearum nobis accurrendum ſit: *Audire non ſolum debemus*, inquit S. Chryſoſtomus, *ſed imitari.*

Hieroglyph. Pierii de Tauro.

In Cantic. Serm. 22.

Cervi & capreæ.

Pſ. 17. & 44.

Cap. 2. & 3.

In Epiſt. ad Hebr. hom. 6.

MORALIA.

Aures cur ex parte capitis utraq; collocatæ.

GEminas nobis aures ex utraque capitis parte natura provida collocavit: medium inter eas caput ſtatuens: Arbitrum dixeris utriusque: ut quemadmodum audita re quadam judicium deinceps formari ſolet, ita quoque aptiſſima inde figura trahitur Judicis æqui & recti, quem oportet in propatulo eſſe non latere unquam, ſed ubique præſto eſſe, & illic ubi res exegerit, tanquam circinus, pedem unum collocare in circumferentia circuli, alterum figere in centro, ut defectus auſcultare poſſit, omniumque querimonias audire. Dicebat vas Electionis tam intuitu affectus, & charitatis, quàm ut rationis ductum ſequeretur, *ſe omnibus omnia factum eſſe:* atq; ideo ſubjunxit: *quis infirmatur, & ego non infirmor.* Ecce hic pietatis norma eſt: ſuccedit his juſtitia: *Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Conſtituitur in medio caput, nec ad unam, nec ad alteram partem ſe inclinans, defectus eorum Judicum proprius, qui partialitate quadam in transverſum trahunt. In

Judex æquus.

L 3 hunc

Rhetoricorum.

hunc ſenſum magnus Politicus, & Orator Ariſtoteles inquit: *Amor, & odium, & proprium commodum faciunt judicem non agnoſcere veritatem:* Porro ſi veritas de throno deciderit, inevitabilem Judicis ruinam maturat: atque ita Aſtrææ gladius obtunditur, & rubigine inficitur, ut nullius poſthæc utilitatis ſit. Incedendum eſt Judici, & comparendum inter ambas auriculas, clementiæ ſimul & ſeveritatis, & pro data opportunitate perſonarum meritis condeſcendendum, & conſentiendum. Quod præceptum de aureo ore toties jam citati, & deinceps citandi S. Chryſoſtomi eſt: *Juſtitia ſine miſericordia*, inquit, *non eſt juſtitia, ſed crudelitas: ſicut & miſericordia ſine juſtitia non eſt miſericordia, ſed fatuitas.* Hæc materia ampliſſime deſcripta eſt per capita multa, in *Davide meo muſico armato*, hinc, Lectorem curioſum, illuc ſatiandum transmitto. Nunc concludo ſententia huic propoſito noſtro, ut mihi quidem videtur, aptiſſima, Regalis inquam Prophetæ ubi ait:

Pſal. 48. *Auribus percipite, qui judicatis orbem*: ſat enimverò apparet hunc ipſum armatum cantorem, deſiderando divinam omnipotentiam, tanquam Arbitrum & Judicem ſibi aſſidere in cauſa propia, aures ejusdem

Pſal. 16. ſibi patulas optare: *Inclina*, inquit, *Domine aurem tuam ad precem meam, auribus percipe orationem*

Pſalm. 38. *meam.* Item: *Auribus percipe lacrymas meas.* Et: *quia inclinavit aurem ſuam mihi:* & his ſimilia: In deſcriptione item falſorum Numinum, tanquam otioſorum & inutilium ad ferendum judicium, ſic

Pſal. 134. ajebat: *Aures habent, & non audient.*

MYSTICA.

Auris interna & externa.

QUi vel dragmam unicam ſani ſenſus poſſident, negare nec debebunt, nec poterunt in auribus auditus ſenſum formari, easque proprium actionis hujus inſtrumentum eſſe. Hoc ad differentiam auriculæ exterioris dictum ſit, quæ foris prominens, & aurem circumſepiens, eam tanquam cuſtos fidelis & zeloſa defendit: quamvis tam in ſacris, quàm prophanis literis promiſcuè, unum uſurpetur pro altero.

Intellectus per aures figuratur.

Nonnunquam per nomen aurium intellectus ſignificatur, & exprimitur, ſicut quinto capite Judicum habetur, *Auribus percipite principes.* Intelligentiam

Cap. 13. quoque ſpiritualem denotat, juxta illud Matthæi: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Obedientiam quandoque innuit, prout in ſecundo Regum habe-

Cap. 22. tur: *auditu auris obedivit mihi.* Proinde ſimilitudo inſtrumenti hujus, & actionis illic à Davide refertur

Pſal. 113. ubi ait: *Aures habent, & non audient.*

In Pſal. 114. 83. quæſt. 52.

S. Baſilius & Auguſtinus in auribus potentiam divinam intelligi volunt, cujus vigore altiſſimus rem omnem comprehendat: unde nec latere eum quicquam poſſit. In hac meta ſententiæ Davidicæ, & bibliorum omnes terminantur, quæcunque ad implorandam clementiam divinam, precibus & clamoribus noſtris aurem divinam inclinari exorant; univerſæ ſacræ paginæ hujuscemodi ſuſpiriis refertæ

For. Spirit. 1. ſunt. Huic opinioni ſuffragantur Eucherius & Cy-

Contra Iuli. 5. rillus. Loqui in aurem Dei, juxta mentem S. Gre-

In 1. Reg. 8. gorii, & Origenis familiaritatem electorum, & beatorum cum Deo, denotat: ſic jam communis dicen-

In Cant. hom. 4. di uſus invaluit: Hic autem Principis habet, quod idem eſt ac familiarem & intimum ejus eſſe. Proinde orare Deum in ſecreto, eundemque laudare, & fidem ſuam profiteri: ſicut in primo Regum capite octavo, & in Cantici ſecundo capite habetur. Itidem per Dei

In Pſal 33. In Pſal. 129. aures (ſicut docent S. Baſilius, & Hilarius) intelliguntur Angeli, qui orationes noſtras ſuſcipiunt, &

Cæleſt. Hierarchiæ. 15. easdem Altiſſimo præſentant. Dionyſius per aures, Angelorum potentiam intelligit, qua rerum ſupernaturalium & divinarum participes fiunt, easdemque intelligunt: cui ſententiæ etiam S. Auguſtinus ſubſcribit. *In Pſal. 39.*

In dicto illo Davidico jam ſupramemorato: *Aures autem perfeciſti mihi*, ſeptuaginta interpretes loco *aurium Corpus* legunt: In quo diſpoſitio membrorum noſtrorum intelligitur, ſicut illa Chriſto in victimam perfectionis & oblationem Deo Patri devoventur. Aures cordis, quarum ipſe Redemptor noſter in S. Luca meminit: *Qui habet aures audiendi* *Cap. 8.* *audiat*: promptitudinem doctrinæ indicant, ſicut & obedientiam, & inclinationem ad præcepta divina adimplenda: De his copia locorum eſt in Pſalmis, in *29. 44. 48. 17.* Exodo, in Job, in Proverbiis, in Eccleſiaſtico, in Pro- *21. 6. 33. 15.* phetis, Baruch, Ezechiele, Michæa, in Apocalypſi. *20. 25. 28. 3. 1. 16, 22.* Hæ aures item juxta præmemoratos Authores explicare, & denotare fidem poterunt. Auris perforata, prout Liranus commentatur, mentem indicare poterit compunctione tactam: aut vero obedientiam promptam: ſicut de his loci inſignes ſunt in Exodo, *In Exod. 21.* & Deuteronomio. Quandoque item contrarium *Deut. 15.* omninò denotat, ſicut Hieronymus, & Heſychius *2. de Advent. Iudicis* referunt: inobedientiam nimirum, & contumaciam *In Levit. 22.* peccatoris, æternis ignibus caſtigandam.

Ubicunque in ſcripturis ſacris, & aurium, & auditus mentio fit, ſicut illic in Pſalmo 49. *Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ*: Expo- *In Iud. hom. 6.* nunt Hieronymus, & Origenes non ſolam auditus *In Iſa. 1. & Proph. Ioel.* vocem attendendam eſſe, ſed abditam maxime, & abſtruſam divinorum myſteriorum intelligentiam, quæ in ſacris paginis continentur. Plures horum locorum ſparſim inveniuntur in libris Judicum, Eccle- *5. 33. 1. 11. 28.* ſiaſtici, Iſaiæ, & in Actibus Apoſtolicis. Hinc Hie- *18.* ronymus jam citatus inquit: *Auribus percipere, eſt ad exteriorem auditum pertinere, audire autem ad interiorem auditum.* In hoc clariſſimi duo loci ſunt ſingulares, quorum unus de Iſaia eſt: *Audi Iſrael* *Cap. 45.* *verba vitæ, & auribus percipe terra:* alter de Apoca- *Cap. 1.* lypſi: *Qui habet aures audiendi, audiat quid ſpiri-* *1. Reg. 3.* *tus dicat Eccleſiis.* Dicunt S. Hieronymus & Grego- *In Iob. 29. In Cant. hom. 2.* rius, & præ his Origenes: cum ſæpe in Eccleſia Dei, aut in ſacris commentariis commemoratio fit aurium, id intelligi oportere de iis, qui cum interna compunctione, & inflammata charitate, verbum Dei percipiunt, eum quem decet fructum inde reportantes: de eo autem quod in Job propheta legitur, *Auris* *Cap. 29.* *audiens beatificabat me*, intelligi volunt gentilem populum ad fidem Redemptoris noſtri converſum.

Intentio noſtra, qua Paradiſum reſpicimus, & quam habere quemque noſtrum oportet, quicunque illuc aſpiramus, juxta opinionem Laureti, in aure dextra ſignificatur: ſicut in ſiniſtra operatio ad hanc intentionem directa, eidemque conveniens. Per tinnitum, vel ſuſurrum utriusque auris (præterquam quod ruinam Magnatûm denotant) etiam perturbatio intentionis electorum figuratur: ita quidem, ut ſi corde pavido ad contemplationem rerum æternarum eleventur, non niſi cum altiſſimo faſtidio terrenis rurſum negotiis applicantur. Richardus de S. Victore & Origenes, conſiderando particulariter Davidicum dictum illud, prolatum ad falſorum Numinum ſubſannationem: *Aures habent & non audient*, ex uno *De ſomno Nabuchod.* ore ſic ajunt: *Aures habet & non audit, qui novit* *In Eſai. hom. 6.* *quæ ſit virtus obedientiæ, & qualis debeat eſſe, nec tamen vult obedire.* Temeritas & arrogantia ſemper abominabilis hominum peccatorum.

Curioſiſſimæ lectu ſunt ſcripturæ in Eccleſiaſtico, & Iſaia, quorum ille ſic habet: *Sepi aures tuas ſpinis*: *Cap. 28.* Hic autem: *Qui obturat aures ſuas, ne audiat ſan-* *Cap. 33.* *guinem*: præpoſterum enim videtur, quod eum ad mandata

mandata divina aures deceat eſſe patentes, hic contrarium ejusdem imperetur, & clauſæ jubeantur eſſe.

In 1. Reg. 9. Sed non ita ſumendum eſt, prout S. Gregorius inquit, quin potius aditum obturandum eſſe peccato, ad quod faciendum magnam præbet auris occaſionem: ubi obturatio aliud non eſt, quàm ejusdem peccati fuga. Non minima divini interminii & vindictæ cauſa eſt peccatori, quod videlicet non intenderit ad vocem imperantis, ſed aggravaverit aures ſuas: unde

Iſai. cap. 6. & Propheta Iſaias inquit: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*: Hinc in eundem quoque ſen-

Zach. cap. 6. ſum coincidit Zacharias Propheta, ſic habens: *Et noluerunt attendere, & aures ſuas aggravaverunt ne audirent, & cor ſuum poſuerunt ut adamantem.* Et

Cap. 11. S. Paulus ad Romanos: *Propter incredulitatem fracti ſunt*: Ex his per præfatos Sanctos durities cordis, & obſtinata incredulitas repræſentantur. Auris itidem Samuelis, omnimodo inclinata, flexibilis, &

Cap. 9. 1. morigera, ut in primo Regum habetur, in Paralipomenon, & in Job, citati authores ajunt, humilem demonſtrari obedientiam & ſubmiſſionem Diſſeminatoris Evangelicæ Doctrinæ. Commentatur S. Hieronymus locum Prophetæ Amos, ſat obſcurum &

In hunc loc. Cap. 3. involutum primo intuitu: *Quomodo ſi eruat Paſtor*, inquit, *de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ*: Hic ſacramentum & myſterium divinum latere ait, quod nimirum infernalis leo in hoc potiſſimum nobis inſidietur, ut auditum, & attentionem à nobis auferat.

Per aurem dextram Aaronis, ſicut legitur in E-

Hom. 29. 8. hom 8, de Ver. Moyſis. In Lev. 8. xodo, & Levitico, Commentatores Origenes, Philo, & Heſychius exponunt, obedientiam ſignificari, qua divinis præceptis ſubdimur, quam ſemper obſequioſam & mollem, ſicut etiam unctam & delibutam eſſe oporteat: prout illud eſt, quod extremum auriculæ tinctum ſit ſanguine (de quo tamen jam abunde ſupra retulimus) in quo denotari loquelam Sacerdotis purgatam eſſe debere, ſicut etiam perfectam obedientiam Chriſti, & Diſcipulorum ejus.

Auris mala, & ſiniſtra in iis eſt, qui credere, vel obedire detrectant. Hæc auris in figura Malchi, à Judaiſmo detruncata eſt, tanquam à populo refractario, contumace, & à mandatis divinis averſo:

26. 14. 22. 18. 13. prout illud legimus in Matthæo, S. Marco, S. Luca, S. Joanne, & in Ezechiele ex ore proprio Redemptoris: Sic commentantur Origenes, S. Hilarius, &

In Matth. hom. 25. In Matt. Can. 32. Luc. 22. S. Ambroſius. Adjungit his S. Auguſtinus, & Heſychius dicendo: *Dextram auriculam perdidit Malchus, hoc eſt Judæus, ut totam literæ utilitatem audiat in ſiniſtra. Sed Dominus in iis, qui credere voluerunt, reddidit aurem dextram, & ſervorum genus fecit Regale, & Sacerdotale.* Magnus ille Belli

Banajas. 2. Reg. 23. Dux Banajas, qui cum tanta generoſitate animi, etiam cum diſpendio vitæ ſuæ, ſitienti Regi David Bethleemiticam aquam portaſſe legitur, & exinde Secretarius Principis intimus, vel auricularius declaratus fuit, juxta mentem plurimorum interpretum, ſignificare poterit perſonam Chriſti, qui & ipſe æterno Patri ſuo à ſecretis fuit: aut verò hominem juſtum, & prudentem, Prælato vel Principi ſuo conjunctum, vel ut ita dixerim annexum. Hæc ſunt quæ de myſteriis aurium delibare potui. Quod vero auditus potentiam concernit, ſacramenta ejus tam vaſta, tamque copioſa ſunt, ut ad eadem congreganda mihi vires non ſuppetant: unde poterit, ſiquidem ei ſic libuerit, benevolus Lector, hæc in SS. Patribus fuſiſſimè ubicunque ſparſa invenire.

PROVERBIA.

Uſus, & æſtimatio Proverbiorum.

PRoverbium ego non minori plauſu & æſtimatione dignum arbitror, quàm materiæ jam ſupra tractatæ, & quæ porro tractari poſſint: cum enatum ſit vel è rerum derivatione, vel de conſuetudine, vel de communi uſu, aut de ſapientum dictis: deinceps verò ad promiſcuæ plebis intelligentiam & uſum tranſiit, & acceptatum eſt. Atque idcirco illud tibi, amice Lector, tanquam id quod ſui copia, & moralitate prodeſſe poſſit, non ingratum futurum auguro. Cum præterea juxta Peripatetici noſtri mentem, *ſemper à nobilioribus incipiendum ſit*, optimum mihi videtur à Numinibus primordium ſumere. Itaque cum res quædam in abſcondito facta, poſthæc palam emanâſſet in vulgus, omnium oculis expoſita, proverbium illud olim univerſaliter uſurpatum fuit: *Ad Deorum aures pervenit.* Fortaſſis illud innuendo, quod cum Deus non ſolum iis quæ in abſcondito, ſed & iis quæ palam fiunt aſſideat, id quod illi notum eſt, etiam Mundo jam innotuiſſe. Aut verò potius usque adeo hanc rem jam propalatam eſſe, & fama ſua increviſſe, ut ad cæli usque regionem pertigerit. Cum denique eorum delicta & actiones pateſiunt, quorum officium eſt eadem caſtigare, aut præmiare, Mythologice tradiderunt Poëtæ, Mercurium Jovis Legatum eſſe, qui Majeſtati ejus, quidquid inter mortales agatur, deferat, quippe qui omnium rerum exactiſſimus ſit indagator, & qui levitate, & activitate ſua, quocunque vellet, penetraret. Adhuc Principum, & Pontificum uſus viget, ut in principio literarum ſuarum vel Diplomatum, ubi vel pœnæ, vel remunerationum mentio fit, ſic exordiantur: *Ad noſtras aures pervenit.* In eundem penè ſenſum Paſtor ille Virgilii ajebat: *Ex Aldimanut.*

Et quoties, & quæ nobis Galathæa locuta eſt:
Partem aliquam venti Divûm referatis ad aures.

Res ſecreta poſthæc evulgata.

Sic de egregiis factis, dignisque ut ad Jovis pervenirent notitiam, Horatius inquit: *Et Jovis auribus iſta, Servas.* Pari modo ſi quod opus excellens, & Heroicum patratum erat, dignum famâ publica, *auribus Deorum illud ſervandum* eſſe antiqui dicere conſueverant. Hæc adagia nos monere debent, ut in omni actione noſtra oculatiſſimi ſimus & cum omni circumſpectione converſemur, illud Evangelicum memoria identidem recolendo: *Nihil opertum, quod non reveletur, & occultum, quod non ſciatur.* Conſiderando, quod non ſolum omnia opera, ſed ipſa etiam cogitata aurem illam divinam latere nequeant, qui in ictu oculi cognoſcit univerſa, & penetrat.

Conſuetudo antiquorum erat, à ſapientibus viris introducta, & acceptata: ut ſi quis in forum publicum ad judicium conducendus eſſet, illic vadem acturus vel teſtem aut juridica functione alia impendendus, ei auris vellicaretur, vel fricaretur: ſic enimvero auditum commonebant, ut attentè, id quod rectum eſſet, & quod juſtum deponeret, affirmaret, aut negaret, ſecundum quod in eo ſpes reponebatur. Inde vetus reſultavit proverbium: *Tacta aure*: hoc eſt fidâ memoriâ earum rerum de quibus teſtificandum erat. Nec enim minus abominabilem dixerim fraudem auris, quàm cordis, dum videlicet diverſum aliquid ab eo, quod verè audiit, linguæ ſuggeſſerit. Huc, nî fallor, præceptum illud Plutarchi pertinet, non minus hoc, quàm cæterea mala vetans, dum ait:

Fraus aurium.

Auris à turpitudine cohibenda. Et ſi S. Auguſtinus ait: *De audiend. Poetis.* *Senſu tanquam navi utimur*: doceamur hinc quantæ *Lib. 1. Sibil. cap. 4.* deformitatis ſit, & quanti erroris hanc navem aurium in ſcopulum fraudulentiæ, & duplicitatis illidere. Illam autem bonam ait S. Bernardus: *Quæ libenter* *In quod Ep.* *audit utilia, prudenter diſcernit, obedienter operatur intellecta.*

Cultura animæ.

Siquidem ſolus oculus cerneret, auris vero malefacta

facta nulla audiret, non usqueadeo prompte ab animo noſtro reſcinderemus defectuum noſtrorum, errorumque tribulos, qui tam facile ſterilem eum, & incultum, tanquam deſertum aliquod, reddunt, ubi monſtra iniquitatum & vitiorum nidificant. Unde rurſum proverbium illud vetus enatum eſt: *Aurem culturæ accommodare.* Res propè nulla eſt, quæ tanti momenti, tantæque neceſſitatis ſit, ſicut hæc: prout ille ajebat: *Corrumpunt bonos mores, colloquia prava.* In hunc ſenſum inquit Horatius:

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modo culturæ patientem accommodet aurem.

Quantumvis maxime ferus ſit, agreſtis, & ruſticus animus, ita ut Leoni æquiparandus ſit, ſi per viri ſapientis colloquium, in tempore opportuno moderatus fuerit, plus quam ille Androdi Leo cicurabitur, & miteſcet.

In Mythologicis. Actio intrepiditatis, & conſtantiæ magnanimæ, cujus meminerunt poëtæ (ſive fabuloſum illud ſit ſive veraciter contigerit) dum Ulyſſes (Natale atteſtante) ut pernitioſos & lethales Syrenarum cantus effugeret, [Aures cera oblitæ.] *Auribus cera oblitis, ſe ad malum navis alligari juſſit*, obſervatoribus anſam præbuit ſenſum his omninò contrarium eruendi. Hominem enim qui ſuæ libertati datus ad procurandam incolumitatem & ſalutem ſuam conſilia ſapientum ſalutariter ſuggeſta vilipendit, & explodit, his verbis vellicabant: [Surditas voluntaria.] *Auribus ceram obdis*: quod idem eſt, ac ipſi ſibi in damnum aurem obſtruere & ſurdeſcere. Malum hoc eſſe: clamat S. Gregorius: [*28. Moral. l. 8.*] *Boni auditores verba non impugnant audita, ſed credunt*, inquit. Et Quintilianus, qui tantopere pro auribus laboravit, & declamavit, ſic ait: *Qui libenter audiunt magis attendunt, & facilius credunt.* Hoc eorum proprium non eſt, de quibus jam omninò deſperatum, & quorum Job illic meminit, ubi ajunt: [*Iob 21.*] *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* His etiam convenit verſus Davidicus jam memoratus: [*Pſ. 51.*] *ſecundum ſimilitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas.* Æquè clarus, & apertus eſt Zacharias: [*Cap. 7.*] *Cor ſuum poſuerunt ut adamantem, ne audirent legem Domini, facta eſt indignatio magna à Domino Deo exercituum.* Hac infirmitate inter alios aggravati Ægyptii, in mari rubro ſubmerſi, & præcipitati ſunt.

[Auſcultare in tranſitu.] Auſcultare rem aliquam, ſed ſic tanquam in tranſitu, & ut ajunt, perfunctoriè, aut verò etiam illibenter, adagium illud productum eſt: *Summis auribus inſidet:* tum videlicet, cum ratiocinationem illam non ponderamus, nec in interiora noſtra intromittimus. Sic Philo Judæus, de auſcultatione attenta inquit: *Quæ non primoribus auribus inſidet, ſed per aures in animum penetrat, & firmiter immoratur.* Et Seneca: *Summo animo inhærere*, inquit, quod idẽ eſt ac inhærere leviter, prout vult Manutius. Grandis imago cordis, & animi noſtri ſunt aures: quod in hoc facile diſcernitur: auris enim id quod vult amplectitur, quod non vult è contra deteſtatur, non audiendo: hæc ratiocinationis, & diſcurſus in homine eſſentia eſt.

[In aurem loqui.] Conſuetudo, qua de rebus momenti magni in aurem cujuſpiam loqui ſolemus, ſignificationi huic proverbiali cauſam dedit: *In aurem dicere.* In omni hominum ætate, & tempore hic uſus viguit, unde Homerus ait: *Admoto capite reliqui ne audire valerent.* Horatius: *In aurem dicerem neſcio quid puero.* Euripides itidem: [*In ſerm. Euripidis.*] *Accede, in aurem ut quod volo tibi eloquar.* Pariter Lucianus: *Ad aurem cum Siracuſanis quibusdam communicans.* Uſum hunc ego maxime dixerim in omni tempore laudabilem, qui ad errores corrigendos plurimum valet, multasque neceſſitates prævidet. Auris etenim noſtra fidelis Secretarius eſt, qui relata conſervat, & cuſtodit, atque inde ad communem ſenſum ablegat, quo fit, ut poſthæc manus, provida curatrix, ad opera utilitatis, & neceſſitatis impendatur.

Hyperbole quædam proverbialis hæc eſt: *Ne ad aures quidem ſcalpendas otium eſt.* Quod de iis dictum, [Homo negotiis nimiũ implicitus.] qui uſque adeo ſe negotiis & curis implicant, ut ne fricandis quidem digito auribus, ſibi temporis ſpatium ſatis amplum indulgeant, prout facere conſuevimus tum cum otium nobis eſt, & cùm commoda noſtra promoventur. Super hoc Lactantius ajebat: [*Apud Manut.*] *Ne tantiſper otioſus, ut aurem (ſic ajunt) ſcalpere vacet.* [In extremitate vitioſi.] Extremitas hæc curæ & ſollicitudinis nimiæ, omnimodo oppoſita eſt extremitati otioſorum, ita ut utriusque par vitium ſit, Patres, & miniſtræ errorum, & prævaricationum inſignium. Temperantia virtutum omnium gubernaculum eſt: unde ad portum felicitatis ſecurè navem traducit: dixit hoc Euripides: [Temperantia.] *Summo jure utere moderate. Navis enim tenſa vi ſumma rudentibus mergitur, erigitur autem ſi laxaveris rudentes.* [*Euripid. in Ores.*] Et Democritus: *Temperantia, quæ jucunda ſunt, auget, & voluptatem majorem facit.* [*Apud Stobeum.*] Idem Plato: *Temperantia cuſtos vitæ eſt hominum.* [*In Charil.*]

Rebus, prout oportet ſeſe applicare, & cum ſinceritate intendere, atque eaſdem ducente ratione modo debito perficere, [Auris purgata.] ad quod etiam materialis ſenſus adhibeatur, ſic tamen ut ab omni immunditie, & fece naturali purgatus ſit, locum præbuit ſequenti adagio, quod cum adjectivo illo conjungitur: *Purgatis auribus.* Hinc Plautus retulit: *Perpurgatis tibi ambo damus operam auribus.* [*In milit.*] Et Horatius: *Eſt mihi purgatam cerebro qui perſonet aurem.* [*In ſermon.*] Perſius itidem [*Satyr. 5.*] maximè ſuccoſus iis, qui eum rectè intelligunt: ſic ait: *Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.* Inter præcipua capita propter quod hic ſenſus creatus eſt, hoc referendum eſt; & ſicut liber Sapientiæ inquit: *Oculi tui recta videant:* ſic non immeritò illud optimè conſequitur: [*Prov. 2.*] *aures recta intelligant.* Siquidem oculus in tranſverſum contortus fuerit, diſtinguere objecta ſua nequit: idem etiam de aure dici poterit, ſi per obliquum audierit. Parallelum hoc, en tibi ex Bernardo Sancto: *Auris ad meritum, viſus ad præmium parari debent.* [*In Canti. Serm. 22.*] Demoſthenes item, ut omne impedimentum ab auribus noſtris, quo maculari poſſint, amoveret, ſic ait: *Audiendum ſine ira.* His itaque, prout decet, ſtabilitam arbitror aurem eſſe: quod totum à Plauto confirmatur, dum ait: *Purgatis ambo damus tibi operam auribus.*

Ad ambas usque aures: De famelicis dictum, de [*1. Olint.*] paraſitis, & epulonibus, quos nemo unquam ſatiatos videt, [Paraſiti, & ebrioſi.] niſi de aure una ad alteram usque infarciti fuerint: prout bibuli ſunt, & ebrioſi, qui non ſolum madido ore, ſed auribus quoque muſtum evomunt. Duo peſſima vitia, & maxime nefanda inter omnia, quæ cogitari poſſunt, quippe quæ hominem extra arbitrium ſuum, & ſanam mentem abripiunt, eumque in belluinam, irrationalem, & deformem creaturam transmutant. Panduntur illic univerſa cordis oſtia: & maxime tacenda, & celanda publicantur, & manifeſtantur, ad familiæ totius pœnitudinem, cum diſpendio famæ, & periculo animæ. Intellectus incompoſitos corporis titubantis motus inſequendo, vertigine circumrotatur, procidit, & impingit: non ibi ſenſus ullus in poteſtate eſt: ſed univerſi ſub regimine liberi patris, indomita libidine ad præcipitium vergunt. Dixit hoc magnus Stagyrita noſter apud Moralem Plutarchum: [*Problem. 11.*] *Vinum ubi hominem ſubierit quem conturbat, illicò prodit latentia*

in mentis receſſu, animumque univerſum concutit. Seneca item cum eorum deformitatem ob oculos ponit, [*Ep. 84.*] concludit: *Ebrietas nihil aliud eſt, quàm inſania voluntaria.* Memini me de iſthoc alibi tractâſſe, atque idcirco hic pedem figo.

Indoli omnino miti, placabili, ab omni moroſitate, [Indoles mitis, & placabilis.] & ruſticitate alienæ, hoc proverbium aſſignatur: *Auricula infima mollior:* hæc enim pars auris tota mollis eſt, absque omni duritie, ſed facile in quamcumque partem volueris, contorqueri, & plicari poteſt. Confirmat id, vel potius uſurpat M. Tullius, [*Lib. 2.*] dum ad fratrem ſuum ſcribendo ſic ait: *Tu, inquiens, quemadmodum me cenſes oportere eſſe in Repub. & in noſtris inimicitiis, ita eſſe, & fore auricula infima ſcito molliorem:* fortificat hanc aſſumptionem noſtram Amianus, [*Lib. 19.*] dum ait: *In aliis nimium ſeverus: in hoc titulo imâ, ut ajunt, auriculâ mollior.* In univerſo compoſito humano hac particulâ nil mollius, nil tenerius, nil tam flexibile, dum non admittit nec oſſium rigorem, nec cartilaginis duritiem, nec tenſionem nervorum. [Manſuetudo in quanto pretio apud Deum ſit.] Hanc virtutem manſuetudinis in tanto pretio habet Redemptor noſter, ut eam ſolam quaſi terminum & ſcopum imitationis ſuæ, diſcipulis ſuis præfigat: *Diſcite à me*, inquit, *quia mitis ſum, & humilis corde:* ſupra quod S. Bernardus commentatur: *non mundum fabricare, non viſibilia, & inviſibilia facere, non mortuos ſuſcitare, ſed quia mitis ſum, & humilis corde.*

[Sermo ineptus.] Faſtidium, quod ex ſermone inepto, & incompoſito pariter, aut ex eo, qui tempore & loco indebito profertur, aut verò etiam dum aurem aliò vertimus, hoc proverbio inſinuatur: *In aurem oleum inferre.* Similitudo hæc à natantibus mutuò ſumpta eſt, hi enim oleo ſibi aures inungunt, ut dum ſubtus aquas merguntur, nil in aurem influat. Et ſicut oleum ingredientem aquam cohibet, ſic auris quoque jam repleta, & ſatiata ſermone, ſine nauſea ulterius progredi non poterit. Alludit ad hoc Martialis, cum ejusmodi hominem alloquitur:

Narratur quidam bellè dixiſſe Marulle,
Qui te ferre oleum dixit in auriculâ.

[Adulatores.] Poterit hoc proverbium, in ſenſu nihilominus contrario, adaptari Adulatoribus, qui videlicet loquelæ ſuæ blandimentis tanquam oleo aurem patronorum, vel potentium, vel amicorum illiniunt. Cognovit duplicitatem, & unctionem hanc Propheta regius, unde & nonnullibi ſic ait: [*Pſal. 54.*] *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula:* [*Pſal. 14.*] Item alibi: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Sic de meretricibus inquit Spiritus Sanctus: [*Prov. 5.*] *nitidius oleo guttur ejus, noviſſima autem ejus, quaſi abſynthium.* Hoc vitium maxime abominandum, & deteſtabile Bias [*Bias ex Plut. de amic. Adulato.*] philoſophus tyrannidi æquiparat, dum ait: *Animal inter omnia maxime noxium eſt inter immitia tyrannus, inter mitia adulator.* Poſſem hic malorum longam ſeriem proferre, quæ ex hoc vitio progerminârunt, ſed potius Lectorem meum ad eorum fœcundiam remitto, qui in hoc genere fuſius ſcripſerunt.

[Severitas vel Auſteritas.] Porro cum antiqui, vel Stoicorum aſperitatem exoticam, vel ſeveritatem Catonis cujuſpiam, aut Socratici viri moroſitatem denotare vellent, in uſu poſitum habebant illud, *Auris Batava.* Deſumptum fuit axioma à Batavis, natione Germana, quæ inteſtinis & civilibus bellis à ſedibus ſuis ejecta, ad incolendas quasdam Franciæ Inſulas, [Primi Hollandiæ Incolæ.] indigenis vacuas, profecti ſunt, Hollandiam præſertim, prout vir doctiſſimus Aldrovandus refert. [*Monſtror. hiſt.*] Hi nunquam os formare ad cachinnum viſi ſunt, ſed minaci vultu, aut ferientibus ſimiles, more animalium ſylveſtrium vivebant, donec neceſſitate tandem, & conſuetudine temporum manſuefacti, in hanc præſentem civilitatem, & morum compoſitionem feliciter degenerârunt. Cæteroquin qualitas hæc usque adeo hominem abominabilem reddit, ut irrationalibus beſtiis eum comparet, quæ ſocietatem omnem, & communionem refugiunt. Moderata tamen ſeveritas frænum eſt, & camus, quo à vitiis retinemur. [Severitas moderata.] De hac ſcribit S. Gregorius: *Sit amor, ſed non emolliens, ſit rigor, ſed non exaſperans.* Imò vero Marcion in reliquis omnibus abominabilis, excepto hoc ſolo, ſic ait: *In gravioribus pœnis Judices ſeveritatem legum, cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequantur.* His polis cælum familiarum ſuſtinetur, aut faſtigium Regiminis cujuſpiam, laudabiliter ordinati. Pax nunquam à Juſtitia ſeparata ingreditur: & miſericordia veritati obviam procedit (ſic de aurato pſalterio ſuo nobis concinit *David muſicus & armatus*) Ephori & cenſores nonnunquam vilipenduntur, & in contemptum eunt, potius enim cum Theodata incedere homines quàm illorum tetricam ſibi aſſociare ruſticitatem malunt.

[Vigilantia Principis.] Auris Principum, ubique intenta, exprimebatur verbis ſequentibus: *Multæ Regum aures, & manus.* (de manu alibi dicetur) Totum nihilominus de vigilantia Principum intelligendum. Hæc vigilantia lumen eſt, quo omne quod in ſubditorum gubernaculo tenebroſum & obſcurum eſt, aut correctione indigens, pateſcit. Figuram falcis præſefert auris: hæc ergo detruncanda ſunt gramina, quæ incrementis ſuis fœcundam operum bonorum meſſem, & camporum felicem proventum ſuffocare poſſunt. Hæ aures in exploratoribus potiſſimum eriguntur, & extenduntur, qui providenter cuncta rimando fideliter eadem referunt, & advertunt. Hac loquendi methodo uti ſolet Lucianus, & Ariſtoteles: Adjungit [*In libello de meced. Serv. Politic. c. 3.*] his Aldimanutius oculos, pedesque, & qui (dum figuram tyrannorum deſcribit) opportuniſſimè in hunc locum, ut mihi quidem videtur, ratiocinatur: *Vide*, inquit, *cujusmodi portentum ſit tyrannus, quàm formidandum! tot oculis, iisque emiſſitiis, tot auribus, iisque aſininis, ac longis, tot manibus, tot pedibus, tot ventribus, ne reliqua parum honeſta commemorem, inſtructum.* Ipſi adeo anſeres venerationem ſuam apud Romanos habuerunt, quippe qui nocturnis excubiis ſuis clangore Gallos à Capitolii invaſione prohibuerunt. Ipſi adeo Senatores olim ſibi gloriæ ducebant reorum delationes ad forum portare: ſic Tacitus recenſet: [*Annal. 6.*] *Primores ſenatûs infimas etiam delationes exercebant, alii propalam, multi per occultum, neque diſcernentes alienos à conjunctis, ab infimis amicos.* [Senatores ipſi olim delationes reorum in forum portabant.] Sic enimvero gradus conſanguinitatis abolebantur, ubi ratio Juris & Juſtitiæ, vel oppugnanda, vel defendenda erat.

Ad actionem quandam accingi, unde fructus nullus ſperari poſſit, aut utilitas (quod non præpoſterè quiſpiam dixerit eſſe *lavare Æthyopem*) his ſequentibus verbis exprimebatur: *Homini ſurdo fabulam narrare.* Dilapidat tempus ſuum, & inutiliter ſemetipſum conſumit, qui rebus frivolis recenſendis occupatur, & poſthæc ſurdo fabulam refert, qui aurem non applicat, dum narrata non intelligit. Homo ſapiens, & prudens hujuſcemodi actionbus ſe non ingeret, ſed illud Venuſini ſequetur: [*In Arte.*] *Sumite materiam veſtris qui ſcribitis æquam Carminibus, &c. Et cogitate diu, quid valeant humeri.* Deridentur Aſtianactes, cum ſe Hectoribus æquiparant. Recuſavit vulpecula Æſopi conviva leonis eſſe, optime noſcens, ad tutelam ſui ſibi arma deeſſe, & ſe potius cibum vel prædam quàm comenſalem futuram. *Quis poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?*

Sic ſapientia infallibilis Phariſaicam temulentiam & præſumptionem inculpabat. Ovidius itidem inquit: *Quid juvat ad ſurdas ſi cantet Phœbus aures?*

Quandoquidem vero ſurditatis mentio jam facta eſt, cum alio item laconiſmo proſequar: *Homo ſurdior turdo.* Quod ad eos pertinet, qui ſine intermiſ-

Condemnatur loquacitas.

ſione garriendo, & fabulando (prout illud Itali in vulgata ſua exprimunt: *Da per tutto il becco*) aliorum verbis & ſermoni aurem non præbent: ſicut ſupra memoratum volatile, quod nimia loquacitate ſua (ſic Phyſiologi memorant) ſe ſurdum reddit. Hæc actio, inter alias ſiniſtre cœptas, & ipſa vituperabilis eſt: dum è tali homine verba prodeunt, tanquam è fæculenta palude, cujus agger interruptus ſit, tantoque plus fœtoris ejiciat, quantò abundantius effluxerit. Unde factum, ut homo dicax turdo aſſimulatus ſit. Socrates cum non minus eleganti paritate

Garruli ſimiles hirundinibus.

eos hirundinibus comparat, dicendo: *Si continuè, & multa celeriter loqui ſignum eſſet prudentiæ, hirundines dicerentur multò ſapientiores nobis.* Ornamentum nobiliſſimum hominis eſt, tacere poſſe: hoc idem ſupramemoratus author confirmat, nimiamque dicacitatem, cenſurat: *Deorum ſilentium*, inquit, *corona eſt viri, loquacitas autem, nec jucundum aliquid habet, & inutilis eſt civitati.* In hoc genere ſurditatis

Surdus naturaliter vel ſimulatè.

proſequitur Manutius, aliud nobis ſalutare præceptum ſuggerens: dum enim verè ſurdum, aut talem ſe ſimulantem indicare vult, eum *ſurdiorem Toronæo portu*, inquit, Torone civitas in confinibus olim Thraciæ ſita erat, portum habens, qui duobus fortiſſimis, in longumque diſtentis canalibus ſe in mare extendebat, unde fiebat, ut nunquam illuc fragor undarum illidentium pertingeret, nec ullum adeo æſtuantis maris murmur audiebatur, (non deſunt authores, qui urbem hanc in Macedonia ſitam velint.) Sunt qui titulum ſurditatis tempeſtuoſo mari adaptant, propter quod continuis in ſe motibus concuſſum, & perpetuo fluctuum ſævientium fragore turbulentum, aurem nullam habet, qua vota preceſque miſerorum naufragantium ſuſcipiat. Eſt ſurditas nihilominus voluntaria quædam, quam damnare nolim: tum videlicet cum aurem malis irruentibus obſtruimus: Quod judicium meum cum doctrina S.

Auris detractionibus occludenda eſt.

In Edod. Hip.

Hieronymi conſolido, qui ſic habet: *Cave ne ipſe detrahas aliis, aut alios audias detrahentes: non minus auribus, quàm lingua fugias detractionem, nam detractor dum te videt non libenter audire, non facile poteſt detrahere.*

Præſumptio.

Dum itidem antiqui hominem denotare vellent, multum de ſapientia ſua præſumentem, cujus inſcitia nihilominus in reipſa ſe propalam producat, ſic ajebant: *Fractis auribus.* Quod de Martiale forte mutuatum eſt. Qui enim auribus laborat, eas porrigit quidem ad audiendum, ſperans ſe auditurum, ſed nil audit. Totum hoc Galenus expreſſit, qui ſui temporis Medicos quosdam, quorum mentum prima adhuc conſitum lanugine erat, facete irridet, ex eo videlicet, quod inſipidos, nulliusque valoris libros edebant, atque interim ſe Magiſtrum ſuum æmulari

Contra Thraſibulum.

poſſe rebantur, cujus verba hæc ſunt: *Quorum ſunt admirandi iſti libri, qui circumferuntur, ab his fractas gerunt aures:* Adjungit Manutius: *intelligitur etiam de libris imperitorum medicorum, qui leguntur à pugilibus, qui ſolent habere laceras aures, more ſuum, oculos ſugillatos, totam faciem tuberibus notatam, ex arte quam exercent.* De hujusmodi præſumptione jam abunde ſupra memoravimus. Proverbium hoc in eos itidem valet, qui cum fortes prius eſſent, & animoſi, mercede aut vero caſu quodam inopino corrupti & enervati ſunt. Solebat Socrates referre, Periclem conjeciſſe milites ſuos in vilitatem, & mores effæminatos, tum cum eis ſtipendia aſſignaſſet. Hanc conſiderationem Manutius interim tanquam conjecturam ſuam in medium profert, donec melior alia adinventa fuerit.

Ex eodem Manutio.

Stupiditas.

Ut itidem inſenſata deſcriberetur ſtupiditas, & ingenii manifeſta tarditas, adagium illud inventatum eſt: *Cæcus auribus ac mente.* Quantumvis autem hoc nomen cæcitatis improprium videatur auribus eſſe, cum nihilominus, notabilioris ſenſus privatio in cæcitate ſit, dixerim adæquatiſſimum illud eſſe, in expreſſione metaphoræ hujus efformanda. Manutius verſum integrum è græco tranſumptum affert qui latine ſic ſonat: *Tu ſimul & aure, & mente, & oculis cæcus es.* Talis erat Cneus Metellus, qui nunquam nec retinendis duabus lineis ſat memoriæ habuit: ita ſtolidus, ut à Scipione apud Naumantiam cum titulo aſini percelleretur. Ejusdem farinæ Philonides Cretenſis erat, qui non ſecus ac mulus aliquis, aut jumentum hebes, in toto vitæ ſuæ decurſu tantundem animo ſuo imperare non potuit, ut vel characterem doceretur, quantumcunque juvenculus ad ludum literarium miſſus eſſet: ita quidem ut hic ipſe præmemorato Manutio occaſionem dederit formandi proverbium, quod ſequitur: *Indoctior Philonide.* Sed de hujusmodi aliis alibi non minus ad rem accommodate & oportunè locuturus ſum.

Cneus Metellus.

Probus Æmilius.

Negotium utrobique periculoſum, tam in executione, quam intermiſſione ſua.

Item ſi quis forte in negotium quoddam inciderit, unde ſe eximere ſine evidenti periculo non poſſit, cujus tamen executio non minus periculoſa ſit, utrobique anguſtiatus, hoc eleganti dicto exprimebatur: *Auribus lupum teneo.* Sicut enim aure lupum tenere (quam breviſſimam habet) res omnino ſcabioſa & difficilis eſt, ſed non minus anceps & periculo plena, animal tam ferox, tamque mordax dimittere: Adagium tale Terentius refert, & forte ex eodem ortum ſuum traxit. Conduxerat ſibi Antiphon uxorem adoleſcentulam, quam tamen pater nullo pacto domi ſuæ volebat. Dimittere eam aut ejicere, idque ſine cauſa non poterat; præterquam quod à Judice & Magiſtratu hoc ei vetabatur: cum autem aliquando à cognata quadam blandiente, ei congratulatum eſſet, quod videlicet jam ad ejus jucundam poſſeſſionem pertigiſſet, quam tantopere ante deſideraverat, domi ſuæ eam tenendo, reſpondit: *Auribus teneo lupum, nam neque quomodo amittam à me invenio, neque uti retineam ſcio.* Sic leno quiſpiam ſibi evenire quoddam conſimile querebatur in Phædria, dum ex una parte inſupportabilis erat, ex altera montes aureos ſpondebat. Suetonius de Tyberio recenſet: *Cunctandi cauſa erat metus undequaque imminentium diſcriminum, ut ſæpe lupum tenere ſe auribus diceret.* Plutarchus dictum hoc fortificat: *Ajunt lupum non poſſe teneri auribus, cum homines hac parte maxime ducantur perſuaſione.* Cælius apud Aulum Gellium proverbium hoc ad illam diffilcutatem traducit, qua amicum fictum dimittimus: præſertim ſi in re momenti magni cum eo jam impliciti fuerimus, ita ut diſcindere cum illo negotium ſit omnino nocuum, proſequi vero penè impoſſibile. Ejus verba hæc ſunt: *Nam hi ſunt amici peſſimi, fronte hilari, corde triſti, quos neque ut apprehendas, neque ut amittas, ſcias.* Ad ſimilem caſum Philoſophus Theognides alludebat: *Pectora*, inquit, *noſtra, quàm mere amor afficit, ut quem non odiſſe queam, ſed nec amare valeam.* Cui illud convenit: *Nec tecum poſſum vivere, nec ſine te.* Marcus Varro dum adagiorum meminit, hoc ipſum pro exemplo adfert; *Auribus lupum teneo.* Sic

In Phormion.

In ejus vita.

In præcept. civilibus.

Lib. 15. cap. 9.

Sic fabula glyrem in cavea, vicino fele, loquentem introducit: *Malum me premit, ſed pejora ſuperventura me terrent.* Pericula hæc, fateor, difficultate, & incertitudine plena ſunt, quæ evitari vix poſſint, niſi aut filio Ariadnæ, aut intellectu Oedipi.

Multa à multis audire oportet præſertem à ſanibus.

Natura univerſitatis provida mater, hominem auditûs ſenſu dotavit idcirco, ut hoc inſtrumento ad ſenſum communem omnia ablegando, eas res ſequi diſcat, quæ ſalutem, & utilitatem ſuam concernunt; tum vero etiam ea vitare noverit, quæ damnum inferunt, aut verò inutilia ſunt. Hac ratione illud uſurpandum eſt; multa audienda eſſe ab iis, qui jam in rebus verſati ſunt: In quo maxime conſulendi ſenes, qui beneficio ætatis, & experientiæ, multarum rerum notitiam adepti ſunt. Totum hoc antiquitas ſequenti adagio exponit: *Eum auſculta, cui quatuor ſunt aures.* Hoc originem ſuam ab eo ſumpſit, quod in Collectanea Proverbiorum Græcorum recenſetur, Authore Zenodoto: Entimus Cretenſis ad oraculum ſe contulerat, noſſe volens, vitæ & fortunarum ſuarum ſortem: pro reſponſo præfatum Laconiſmum obtinuit. Ille vero in cachinnum imprudens ſolvitur: ſed non longo ab hinc ſpatio temporum, eum inſcitiæ ſuæ pœnituit. Erat autem, de quo dixerat oraculum, quaternis auribus auritum eſſe, homo pirata famoſus jam, & viis publicis inſidians, de Phœnicia civitate oriundus: Hic enimvero quatuor ſibi aurium famam ex eo concivit, quod quatuor utens ſibi fidis ſociis, iisdemque audacibus, explorabat omnia, eorumque utebatur ſubſidio, quibus fretus nulli non fortunæ, & periculo ſe committebat. Nomen illi Antiphemus Rhodienſis: in hunc ille miſer incidit, una cum ſuis, cum quibus etiam apprehenſus & necatus fuit. Proverbio huic promovendo multum

Apollo cum quatuor auribus.

addidit, ſculpta in Corintho ſtatua Apollinis, quatuor auribus inſignita; cum totidem enim viſus fuit in Amicla dimicare, teſte Soſybia, habens numerum parem pedum, atque manuum. Quia vero tanquam veridica, certa, & ſecura, ſi res ulla alia, hæc oracula acceptata ſunt, & veneratione ſua non caruerunt, ſic concludit Manutius: *Ita monet proverbium audiendos eſſe illos, qui diuturno plurium rerum uſu præ cæteris ſapiunt, ita ut ferè faciunt ſenes.* Sic videlicet apud Homerum, ſupra cæteras oratio ſenioris Neſtoris laudata fuit: ab eodem etiam encomium ſuum habet Heros quidam Ægyptius, quippe quod ætate jam proceſſerat, ſapiens, & prudens: *qui jam incurvus erat ſenio, ſed plurima nôrat.* Huc ſpectavit Euripides, & Jocaſta mater, quæ Etheoclem filium ſuum inſtruebat: *O Gnate Etheoclés cuncta nequaquam mala adſunt ſenectæ, nam per experientiam uſumque rerum didicêre.* Aliud præterea adagium in eundem ſenſum referebat: *Proſpectandum vetulo cane latrante*, hi enim non ad quævis obvia latrant: pari modo vetuli non ſine experimento, & ratione nos admonent.

Odyſſ. 20.

In Phœniſ.

Subalterius fide dormire.

Proverbii illius ſignificatio, quo vulgariter ſub alterius oculis dormire dicitur is, qui alterius curæ & fidei ſe committit, eleganti tranſlatione ab oculo ad aures derivatur: unde adagium illud adinventum eſt: *In utramque aurem dormire: in aurem dextram dormire.* Quod tamen etiam adaptari poterit homini otioſo & nihili, qui nulli ſe deinceps rei applicare velit. De priori ſenſu Terentius ſic habet: *Ademptum tibi jam faxo omnem metum, in aurem utramvis otioſe ut dormias.* Sic Menander Poëta apud Gellium inquit: *In aurem utramque dotata eſt, cubet.* Sic Plinius de Trajano ſuo, principe optimo refert: *Nihil quod in dextram aurem fiduciâ mei dormias: non impunè oeſſatur.* Hîc Manutius commentatur: *Nihil eſt quod ſis ſecurus.* Perſuadent nobis Medicinæ periti, ad conſervandam ſanitatem noſtram, primum nobis in aure dextra capiendum eſſe ſomnum, poſthæc in ſiniſtra: ad quod ſuapte natura, qui ſani ſunt, inclinari ſolent. Sed ut de fide rurſum vel fiducia loquar, hæc præſtantiſſimum pignus eſt, quod in mentem noſtram cadere poſſit. Hæc illa petra Lydia eſt, quæ aurum à plumbo diſcernit, hoc eſt amicum verum, à ſimulato: hoc magnete in mari negotiorum etiam maxime difficilium & arduorum, navem noſtram feliciter ad optatum portum appellimus.

In Heauton.

In Pletro.

Nemo eſt, qui infauſta nuntia, triſteſque rerum audire eventus deſideret, à natura ſic comparati ſumus, ut quisque aveat lætos dies ſuos tranſigere, & jucunde vivere. Hinc proverbium illud productum eſt: *Procul auribus nuntius veniat.* Hunc ſenſum Suidas paulo dedit apertius: *Procul abſit nuntius aure: ſermo deprecantis nuntium male auſpicatum.* Et Homerus: *Iſta velim mihi ſint procul auribus.* Sic Commendator Teſtius in pluribus poëſiæ ſuæ locis, ab omni curarum perturbatione liberum, in tranquilla requie ſua ſe proteſtatur dies ſuos tranſacturum eſſe (quod tamen illi ſecus, quàm ſtatuerat, evenit) in Ode autem illa quam ſingularem Aſcanio Pio Sabaudienſi dedicavit, id potiſſimum hac ſtropha expreſſit:

Ex Callim.

Illyad. 7.

In ſi funeſta arſura
Aſcanio il noſtro riſchio, e l' altrui danno
Ben egro il mio penſier medita, e piange:
Ma curioſa cura
Non mi tormenta, o partiale affanno
L' indifferente cor punto non tange:
Quelle e miglior falange
Per me ch' e piu lontana, e chi men odo:
Segnalarſi in queſt' arme, aſſai piu lodo.

Felix, qui ad tanti boni poſſeſſionem pertigerit, ſed hæc beneficia cæli non niſi parca manu diſtribui ſolent.

Actio, quæ jam in publicum prodiit, non ſolum in viciniis, ſed ubique jam propalata, cum hoc Laconiſmo ſignificatur: *Nec aures habeo, nec tango.* Quod tantundem eſt, ac ſi diceretur: *Eousque mihi aures jam percuſſæ, laceratæ, & tormentatæ ſunt, ut deinceps nec invenire illas, nec tangere videar poſſe.* Sanctus Hieronymus in præfatione orationis cujuſpiam, ubi mater cum filia reconcilianda erat, ſic ait: *Poſteaquam arguendo crimina factus ſum criminoſus, & juxta tritum vulgi ſermonem, vel proverbium: jurgantibus, & negantibus cunctis, nec aures me credo habere, nec tango.* Adjungit huc majoris evidentiæ gratia Manutius: *Taceam neceſſe eſt. Quod audio, tangoque eſt.* Dictum hoc in ſcena Ariſtophanis Comici inventum eſt. Vox populi maxima Adraſtia eſt, quæ delinquentes ad ſupplicium & caſtigationem trahit: cum famâ publicâ jam notati ſumus, factum noſtrum jam divulgatum, & ſententia infamiæ appellationi ultra locum non præbet: propter quod, ſi nulla re alia, ſaltem hac à malo abſtinere ſceleratos oporteret.

Actio jam publicata.

Theſmophoria Leuſis.

Memini me jam ſupra in tractatu oculorum, cum diverſorum authorum atteſtatione, & pluries alibi humanum oculum dixiſſe indicem, & ſpeculum eſſe animæ, dum videlicet objectorum diverſitate vel alteratur, vel deprimitur, vel attriſtatur, vel animum exhilarare ſolet. Sed harum alterationum, affectuum, & paſſionum præcipua cauſa non minus eſt auris noſtra: dum cor noſtrum pari modo per eaſdem commovetur, ſiniſtris vel proſperis nuntiis nobis allatis. Hinc axioma illud productum eſt: *Animus habitat in auribus.* Docet hoc inter alios præcipue Herodotus, dum ſic inquit; *Nunc illud ſanè diſcito,*

In Polymnia.

quod in auribus hominum habitet animus, qui cum bona audierit, voluptate corpus implet: cùm his diverſa, moleſtia afficit. Adjungit Manutius: *Opinamur hunc eſſe ſenſum adagii, quod ex his quæ audimus, maxime placatur, aut irritatur animus.* Unde etiam dictante ſpiritu ſancto ſic ſcriptura ait: *Sermo mollis frangit iram.* Aurem itaque comparaverim auræ vel vento, qui ſi ſuaviter ſpiraviter, & ſecundè, per mare delitiarum navem cordis noſtri fluctuare facit; quod ſi impetuoſus & furens fuerit, eandem infeliciter in miſeriarum, deſperationiſque ſcopulos impellit. Itaque officium Ulyſſis providi erit, gubernante ratione eum ventum qui maximè opportunus fuerit, non negligere: *Alia ſunt quæ jacentes, alia quæ ſtantes audire debemus*, inquit S. Gregorius.

S. Gregor. In Ezech. hom. 9.

Per auditionem rerum promovetur earundem notitia, ex notitia naſcitur intelligentia; atque hæc proprium eſt intellectus noſtri nutrimentum.

Debetur ergo ſenſui huic par cæteris gloria: qui tantopere à Redemptore noſtro æſtimabatur, ut myſterium ſacro-ſanctæ paſſionis ſuæ adimplere non vellet, niſi prius auriculam Malcho redintegraſſet (quamvis nequam ille poſthæc ad credendum aurem non admoverit) non alia de cauſa inquit S. Chryſoſtomus, quàm ut aures haberet promptiores ad audiendum verbum divinum.

hom. 66.

Hoc ſenſu viam certam, & infallibilem ad ſalutem noſtram ſempiternam inſtruimur.

OBSERVATIONES, RITUS,
CONSUETUDINES, & HISTORIÆ.

Spicile. Sacr. Tract. 1. c. 11. num. 24.

Obſtinatio.

ERuditiſſimus Pintus Raminez ait: quod antiqui dum hominem obſtinatum, pervicacem, & animo contumacem & refractarium figurare vellent, qui nimirum applicare aurem ſuam refugit ad ea, quæ ſalutem animæ concernunt, Proſopopœam invenerint, & inventionem illam, qua mutas inſenſataſque creaturas, alloquimur, tanquam illæ, quantumvis irrationabiles, & ſine ſenſu, docilitate hominem exuperent. Hinc Chroniſtæ Sancti Moyſes, & Iſaias Propheta, prophetiam ſuam & canticum ſuum conſimili modo exordiúntur: *Audite cæli, & auribus percipe terra.*

Cap. 1.

Obſtinatio cordis.

Cap. 13.

Obſervatu digna eſt hiſtoria, & exactius ponderanda, quæ in tertio Regum libro ad hoc propoſitum recenſetur, ubi ad convincendam Regis Jeroboam duritem, ſic imperante Domino, Propheta Semei altare alloquitur: *Altare hæc dicit Dominus:* Et paulò infra: *Ecce altare ſcindetur, & effundetur cinis, qui in eo eſt. Et ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de altari, juxta ſignum, quod prædixerat ei vir Dei.* In hunc etiam ſenſum Philo hebræus inquit: *Lapis audivit, & homo ille non exaudivit.*

In hunc locum.

Hac loquendi forma Stratonicus quoque, inter græcos antiquiores, referente Athenæo, uſus eſt: *Cùm Mylaſam peragraſſet, multaque templa, & paucos homines reperiſſet, in medio foro conſiſtens dixit: Audite Templa.*

Athe. lib. 8. cap. 7.

Hujusmodi corda ſilice duriora, quanto magis contuſa fuerint, more incudum, magis ſolidantur, & illud inſonant: *Durabo.* Ex quo divina quoque Sapientia illic apud Ezechielem inquit: *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum:*

Cap. 36.

Eadem Sapientia de Judaiſmo obſtinato ſic vociferatur: *Simeon & Levi vaſa iniquitatis bellantia, maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum quia dura.* Veriſſimum itaque eſt, quod idem Spiritus Sanctus confirmat: *Cor durum habebit male in noviſſimo.* De hoc jam ſupra tractatum eſt, & deinceps tractabitur.

Eccl. 3.

Delatio rei gratæ, & acceptæ in tempore opportuno facta, imo vero conſuetudo aulicorum adulantium, antiquitus *Regis auricula* nominabatur:

Regis auricula.

Unde Xenophon ait: *Multæ Regum aures, multiquè oculi putabantur ineſſe.*

Cyropedia, cap. 8.

De nuntio autem fortunato, quod latum fuerit, Eccleſiaſtes inquit: *In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne detrahas diviti: quia & aures cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annuntiabit ſententiam.*

Cap. 10.

Pintus jam ſupra memoratus commentatur: *ubique aures multas habet Rex. Adulatores, qui adulationi ſervientes, mira velocitate quævis audierint Regi nuntiant.*

Loco citato.

Adulatio.

De his præpoſteris modis, eoſdem vituperando Lorinus diffuſius ratiocinatur: & de his adagium illud prodiit: *pennâ fricare aures*: ad cujus explicationem citatus author ſic habet: *Quaſi reges ſic avide delationes audiant, ut delator his, tanquam pennis aures ejus titillet.* Hinc ſeptuaginta interpretes de hebraico textu ſic traducunt: *habens pennas annuntiabit verbum tuum.* S. Clemens Alexandrinus uſum hunc in publico ſibi calamo fricandi aures condemnat: *Porro autem aurium quoque fricationes & ſternutamentorum irritationes, ſunt ſuilli pruritus, & confricationes, quæ intemperantem meditantur fornicationem.*

S. Clem. Alex. libro Pædag. cap. 7.

Pruritus ad peccandum eſt, fricare ſibi aures, & ſternutare.

Ab hac titillatione & pruritu Lucianus ingenioſe guſtum illum & jucunditatem deducit, quam habent, qui idcirco libentiſſime relata audiunt, ut ea perinde Principum auribus intromittant: *Novi quoſdam*; inquit, *auditis calumniis, adeo jucundè auriculas titillare, tanquam illi qui pennis confricantur:* Et paulo infra: *Idem ſentiens atque illi, quibus aures penna confricantur.*

Lucianus de Saltationibus.

Nec ſine myſterio S. Clemens Alexandrinus hunc abuſum fricandarum in publico aurium reprehendit, tanquam prævium ſit ad ſecuturam intemperantiam ſenſualem; etenim juxta mentem Juvenalis aurium titillatio, cum Venerea illa ſympaticam habet analogiam, unde ſic ait: *vexataſque comas, & mentum auremque calentem.* Et Suetonius in vita Auguſti recenſet, qualiter *Marcus Antonius feſtinatas Liviæ nuptias objecit, & fœminam conſularem, è triclinio viri coram in cubiculum abductam, & rurſum in convivium rubentibus auriculis incomptiori capillo reductam.*

Iuvenal. Satyr. 11.

Sueton. c. 19.

Hinc illæ quæ ad oſculum matrimoniale admittebantur, per aures olim cum humanitate quadam trahebantur. Unde Plautus: *Prehende auriculas, compara cum labellis labella.* Et paulo modeſtius Tibullus:

Plautus in Aſinaria.

Tibul. lib. 2. Eleg. 5.

Et fœtus Matrona dabit, gnatuſque Parenti
Oſcula comprenſis auribus eripiet.

His vitiis, & erroribus Spiritus Sanctus vallum oppoſuit, cum ait: *Sepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire:*

Eccl. 28.

Qui ſcripturæ locus admodum obſcurus eſſet & involutus, niſi docti eum dilucidaſſent. Significatio autem à Metaphora mutuata eſt, ex eo quod ſepere hortos ſoleamus, ne in eos, animalia tam grandiora, quam minora furtim irrepant, atque illic, fructus, floreſque deprædentur, & univerſa conſumant. Sic nobis quoque aurem cuſtodiendam eſſe, ne ferum animal, lingua maledica, fructus noſtros avellat, & flores virtutum noſtrarum excutiat, quod tantundem eſt, ac detractationem non ſecus ac ſerpentem fugiendam eſſe. Sic Plutarchus inquit: *Xenocrates pueris potius, quàm Athletis addi jubebat amphotidas, quod horum aures ictibus, ſermonibus illorum mores pervertantur.*

De audiendis poetis.

Amphotides certa quædam munimenta ſunt, quæ pugillatorum auribus circumſepiebantur, tum cum ceſto ſuo luderent, ne forte percuſſione pugnorum læderentur. Nec tamen etiam ſine obſervatione antiquæ conſuetudinis, & iis temporibus ſat uſitatæ Spiritus Sanctus hanc Metaphoram ſepiendi aures ſpinis applicuit, in more enim olim habebatur, feneſtras ſuas, in ſolemnitatibus publicis coronare floribus, ſicut & portas. Unde

Unde Claudianus: *Hi noſtra nitidos poſtes obducere myrto contendant.* Ubi portam cordis in aure ſubintelligi voluit. Nam & uſu jam receptum eſt, ut juventus paulo liberior, & diſſoluta ſibi aures floribus adornet, unde de hoc uſu quoque inter antiquos Athenæus refert: Cratinus in Chironibus, priſcorum delitias deſcribens ſubdit: *Molle ſiſymbrium, aut roſa, aut lilium auri inſidebat:*

l. 12. c. 30.

Commentatur autem ſuper hæc Pintus jam ſupra citatus: *Nec inſulſa dicitur explicatio, quaſi dicat ſapiens: ſi aures inſtar portarum comptæ floribus colloquentes videantur invitare, quaſi pateant cujuſvis verbis benevole excipiendis, tu è contra ſpinis quodammodo aurium tuarum fores ſepi, quibus nequam linguæ verba ab ingreſſu prohibeantur.* Optimum hoc judicium, optimum conſilium eſt.

Tract. 1. cap. 12. num. 2.

Itaque metaphora portæ & aurium multum quidem accommode, & ad rem aptiſſime ab ipſo Spiritu Sancto introducitur, dum ait: *Et ori tuo facito oſtia & ſeras auribus tuis:* Hinc etiam Job: *Aperi aures*, inquit: & Iſaias: *Aperta eſt auris:* Sic Jonathas ad dilectum Davidem ſuum: *revelabo*, inquit, *aurem tuam.*

Eccle. 28.

Iob c. 33.

Iſai. 48.

4. Reg. 20.

Et in aliis locis, ubi portæ ſimilitudo adducitur. Nec de ſacris ſolum Authoribus hæc teſtimonia proferuntur, ſed de prophanis quoque: Lucianus enim de non temerè, nec leviter credendo ſic habet: *Quid faciet vir prudens in re ambigua? Sanè opinor, quod Homerus in Sirenum fabula docet: pernitioſas talium ſermonum delitias navigio prætereat, obturet aures ſuas, nec aperiat affectui alicui obnoxiis: ſed janitore ſedulo, ac fido adhibito, ratione videlicet, ac judicio animi, recta dicentis recluſis foribus excipiat; inutiles nugas obdito paſſulo arceat; ridiculum namque eſt domi janitores conſtituere, aures vero & mentem patentes exhibere.*

Lucianus de non temerè credendo.

His ſubſcribit Joannes Teretzes: *Benè foratas*, inquit, *adhibens aures tuas, audi ſermones meos.*

Ioan. Teretzes Chil. Chriſt. 21.

Claudantur ergo, & aperiantur in tempore ſuo hæ portæ, & ſicut illæ domeſticæ cum cura magna & ſolicitudine, ſic & illæ corporis eadem diligentia cuſtodiantur.

Plures olim ex idolorum cultoribus, dum vota ſua idolis facturi accederent, ad eorum aures propinquabant: E quorum numero, qui acceptiores tum religione, tum dignitate æſtimabantur meliores, his eximio honori dabatur, ut ſupra baſim aſcenderent, & in poſtes, ubi hæc ſimulachra poſita erant, levarentur, atq; illic in eorum aures ſuſurrarent: arbitrabantur enim ſic velocius, ab aure Numinis petitionem ſuam ad auditum quoque penetrare mentalem, ejus inquam numinis quod in cælis habitare credebant, ac illic exaudire poſtulantium neceſſitates. Sic Seneca ad Lucilium ſuum inquit: *facis rem optimam, & tibi ſalutarem, ſi, ut ſcribis, perſeveres ire ad bonam mentem. Quàm ſtultum eſt optare, cùm poſſis à te impetrare? Non ſunt ad cælum elevandæ manus, nec exorandus ædituus, ut nos ad aures ſimulacri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat.*

Ep. 41.

Hinc in Luciano legitur: populos Syriæ prophano & ſacrilego ritu ſacerdotem fœminam nutriiſſe, quæ per gradus vel ſchalam ad hoc fabrefactam ad altare Bacchi conſcendebat, atque illic vota gentis deitati huic falſæ exponebat: rationem etiam adducit cur hâc ceremoniâ uſi fuerint, dicendo: *Aſcenſionis iſtius cauſa talis refertur: complures quidem putant, quod in ſublimi cum diis ſermones conferat, & toti Syriæ bona ab illis poſtulet: nam illos ex propinquo preces facilius exaudire.*

Exhinc etiam cauſa eruitur, cur hebræa gens, & plures aliæ, tantopere templa, fanaque ſua ambiebant in ſublimibus montium faſtigiis, & in omni colle altaria ſua erigere (quamvis & ipſum Templum Domini, & Urbs ſancta in ſublimitate montis Sion exſtructa fuerint, unde Iſaias: *Mons domus domini in vertice montium*)

Iſai. 2.

Præſumebant per hoc Dei auribus ſe viciniores futuros eſſe. Deridebat hanc inſaniam Elias propheta, dum ſacrificulis Baal ab idolo ſuo deluſis improperabat: *Clamate voce majore: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere aut certe dormit, ut excitetur. Clamabant ergo voce magna.*

3. Reg. 18.

Talem ſomnolentiam in Diis ſuis eſſe Athenienſes credebant: unde cum exotica, apertiſſimaque adulatione, prout recenſet Athenæus, ad Demetrium regem ſuum ajebant: *Salve, o fili Veneris, potentiſſimique Neptuni. Reliqui Dii vel longè ſunt, vel aures non habent, vel non ſunt omninò, vel nullo pacto rebus noſtris mentem adhibent: te autem præſentem non ligneum, & lapideum ſed verum intuemur.*

lib. 6. c. 6.

Alluſit ad hoc ipſum Horatius, dum ait: *Cælo tonantem credimus Jovem regnare, præſens divus habetur Auguſtus, adjectis Britannis Imperio, gravibuſque Perſis.*

lib. 2. Oda. 1.

Sic Statius cum non inferiore hyperbolica laude Domitiani ait: *Notat iſta Deus, qui flectit habenas orbis, & humanos propior Jove dirigit actus:*

lib. 5. Syl. 1.

Quaſi verò tale Numen aptiſſimum ſit, ex eo quod præſens videre cuncta, & audire poſſit. In hunc errorem etiam Valerius Maximus delabitur dum de Tyberio ſic ait: *Te igitur huic cœpto, penes quem hominum, deorumque conſenſus maris ac terræ regimen eſſe voluit certiſſima ſalus patriæ Cæſar invoco: & eò juſtius ad favorem tuum decurro, quod cætera divinitas opinione colligitur, tua, præſente fide avita, paternoque ſideri par videtur.* Sed in quo fabuloſi idololatriæ ſomniis ſuis hallucinati ſunt, hoc verè ſapientes de aure & attentione, & vigilantia, tanquam de divina aure intellexerunt. Unde etiam de promptitudine illa, quâ aures Dei ad neceſſitates noſtras audiendas inclinantur Chroniſta Moyſes inquit: *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.*

Deuternom. 4.

Et magnus ille coronatus propheta, etiam materialiter, ſpiritali intelligentia, hanc divinam attentionem implorat, dum in pluribus locis ita ſe exprimit: *Inclina ad me aurem tuam, & exaudi verba mea: Auribus percipe orationem meam: Aures ejus in preces eorum: auribus percipe lacrymas meas: Quia inclinavit aurem ſuam mihi: Fiant aures tuæ intendentes:* & his ſimilia.

Pſal. 5. 16. 33. 38. 114. 129.

Sancta etiam Eccleſia diverſimode ſic intonat: *Aurem tuam precibus noſtris accommoda:* à literali, ad ſpiritalem attentionem reſpiciens.

Alexander Guagnus in hiſtorica Tartaricarum rerum relatione refert Circaſſianos montium incolas in morte amicorum ſuorum conſuetudinem habere, ut alterutram ſibi aurem abſcindant: cujus rei rationem cum nullam Author adjungat, crediderim ego idcirco fieri, quod cum corde deficiant in defunctorum memoria recolenda, ita aurem & auditum adimant ne plorantium gemitus & clamores percipiant. Niſi forte id ſignificare voluerint, ſe videlicet tam amico familiaris ſui contubernio, & colloquiis privatos ultra habere aurem nolle, ad quemvis alium audiendum. Idem ipſe recenſet, apud quaſdam nationes in more poſitum eſſe, ut ſi fur in certa quadam ſumma furti deprehenſus & convictus fuerit, ambis auribus mutiletur. Viderentur autem mihi, id cum potiori ratione de manibus (tanquam reis, & in hoc delicti genere actricibus & inſtrumentis) facturi fuiſſe.

Auricula quadam, vel auſcultatorium in carcere Syracuſano.

In hodiernum usque diem adhuc Syracuſis monumenta reſtant ſubterranei loci illius, ubi quondam Dionyſius tyrannus, poſtquam illuc ad ſupplicium mortis condemnatos collocaſſet, gaudebat per ſic dictam auriculam quandam, fabrefactam artificio ſingulari, voces lamentantium miſerorum in connexitate fornicis lævigati colligere. Sed quam barbaram, quàm belluinam illam aurem eſſe oportuit, quæ nec ad lacrymas horum gemiſcentium emolliri, nec ad voces tam lugubres tot innocentium atque infelicium flecti ad teneritudinem ullam potuerunt? Sed hic quanto plures defalcantur ariſtæ, tanto magis meſſor reficitur. Atque hoc eſt inter Principem, & Tyrannum diſcrimen, quod alter quidem de clementia compoſitus, alter autem à dæmonio crudelitatis poſſeſſus eſt; gaudet ille benigno ſubditorum ſuorum, ſe amantium, oculo proſpectari: alter verò ſupra montes ultionum, ſtragum, & pœnarum ambulat: qui nunquam non in promptu tenet, & ſecures, & patibula, & compedes: alter ſceptrum gerit, ſicut illud erat Apollinis, ubi Gratiæ reſident.

lib. 10. c. 15.

Unde Flacci dicti ſint, & quare.

Recenſet Plinius, eos quibus à natura, velut hæreditario jure quodam, aures pendulæ fuerint & majuſculæ flaccos appellatos fuiſſe: Hinc Horatius Venuſinus de familia hujuſcemodi traxit originem: unde nec videri mirum debet ſi primam laurêam lyra ejus conſecuta eſt inter Latinos, cum tantum ei tamque eximium auris inſtrumentum diſpartiverit natura, per quod, tanquam per capacius organum, major etiam numerus metrorum reciperetur. Sic ubi eadem natura ſe in uno ſenſuum locupletem reddit, in reliquo quoque proportionem huic debitam ſuggerit, & ſubminiſtrat.

Romani olim in more poſitum habebant, juxta quod Solinus memorat, ut plebem infimam à reliquis quantumcumque etiam popularibus diſtinguerent, quippe quos nihilominus nonnulla merita à fæce populi ſepararent: itaque eos, quibus aures mobiliores, & magis ſinuoſæ eſſent permiſſum erat veſtiri calceis, cùm præfatis de ſorte ultima non niſi nudis pedibus incedere daretur, idque in ſignum conditionis eorum viliſſimæ. Videtur uſus hic ad noſtra quoque tempora propagatus eſſe, cum nonnulli de hac ſorte hominum (præterquam quod non raro aliter fieri vetat penuria) à natura ad id facti videantur, ut egeni ſint, nudipedesque incedant. *Viro egeno verecundia non conducit, ait Plato.* Et Philemon: *Inopia*, inquit, *prompta eſt in perpetrandis malis.*

De fortitudine.

Non ſolum ſexus fæminini inventum eſt, ad ſui ornamentum, cùm martyrio quodam perforare aures, ut inde poſtmodum pretioſæ gemmæ, aurum, atque adamantes dependeant: præcipui enim inter nobiles Regni Peru, quod in Indiis occidentis habetur, cùm ad ſummum Regis ſui favorem & gratiam pertigerint, dignitatibus, authoritate, dominio, & divitiis prævalidi, in ſignum eminentiæ ſuæ, aures ſuas gemmis atque auro decoratas monſtrant, iis rebus, quas natura vel de mari, vel de terris pretioſiſſimas parturit, aut in ſenſum cadere poſſunt. Hi nobiles nomen ſuum ab auribus habent, & à jugo. Epitheta & nomina, quæ maximè mihi ad rem propria, & accommodata videntur, cum dici poſſit homines ejusmodi & Magnates jugum regni portare: aut verò ornamento illo aurium indicare velle, ſe ſuorum Principum aures ad arbitrium ſuum præparatos habere, in quo gratiarum ſummum eſſe reputatur faſtigium. Sic in Regum libro altero legitur, Benaiam Ducem magnum, eo quod cum vitæ ſuæ diſpendio vel periculo de Bethlehemitico fonte aquam hauſerit, & Davidi ſuo attulerit, *inter triginta honorabiliorem fuiſſe; fecitque eum David auricularium à ſecretis.* Sic Hieronymus Romanus refert (qui eorum etiam, quæ ſupra diximus, author eſt) Hiſpanorum quoque Magnates præcipuos id conſveſſe, utroſque autem, tam hos, quam illos, poſt hæc vulnera aurium, etiam nomina ſua commutare.

De auribus & ſic dicto jugo nobilium in Indiis.

2. Reg. 23.

In Reip. mun. Ex theatro. V. Equites.

Quantopere autem apud nationes has, aurium puncturæ & ornamenta honorifica ſunt habita, tantopere apud Romanos, & alibi effæminati, mollisque animi, enervati, & remiſſi ſignum erat. Unde refert Plurarchus: Marcum Tullium in oratione, quam pleno ſpiritu contra Octavium Auguſtum habuit (credo tum, cum nondum Imperator eſſet) dixiſſe, ſe nec gratiam ei facturum eſſe, nec auditurum eſſe, eo quod ſe natum eſſe atque oriundum diceret ex Africa: eumque ſugillavit & enervem eſſe, nihilique hominem, dum ait: *atqui aurem habes perforatam:* tanquam diceret: vade ad Poppeam potius & Octaviam laſcivire, cum jam auris tibi perforata ſit non minus, quam femellis iſtis.

Quæſt. Conviv. lib. 2. 1.

DEDICATIONES.

Auris dextra Saturno, ſiniſtra Jovi ſacra.

NEſcio quo fundamento nixi aurem olim dextram conſecrare ſoliti ſint Saturno, ſiniſtram Jovi, cùm vice verſa id faciundum fuiſſe cenſuerim; Saturnus enim inter Planetas maleficos eſt, qui non niſi ſiniſtra influit, propter quod & partem ei dari oportebat ſiniſtram, cum è contra Jupiter ad opitulandum ſemper diſpoſitus ſit. Hæc aſſertio doctiſſimi Aldrovandi eſt, ejusdemque ille authorem Julium Firmicum adducit, hac ratione antiquos indicare forſitan voluiſſe, cum planeta Saturni tardiſſimus ſit, ſi quid audierimus, neceſſarium eſſe cum maturitate, & tarditate quadam reſponſum ſuum ponderare. Docet hoc Jacobus Apoſtolus: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram.* Sic Diogenes quoque diſcipulos ſuos inſtruebat: *Audiendi magis, quàm loquendi ſtudioſos eſſe oportet:* Et Demoſthenes ad Olinthienſes: *Audiamus duplò, quàm loquamur.*

Aldrov. de monſtris pag. 140. Iulius Firmicus.

In Epiſt. c. 1.

Cleo apud Diog.

Præter has Deitates aures etiam memoriæ dedicatæ fuerunt. Vir magnus Mendoza de hoc meminit, ejusdemque teſtimonium de Alexandro in Genialibus adducit, ubi ait: *In ima verò aure memoriæ ſedes locabatur; ideo ſi quem facti alicujus admonebant, aut atteſtari in judicio volebant, imam aurem veteres tangebant.* Et paulo infra: *Si quem memorem ſignificabant, leporem aut vulpem, quod ſummi eſſent auditûs, & memoriæ, affigebant.* Prout etiam Commentator Tiraquel memoriæ tradidit, hæc eadem animalia, cum eadem ſignificatione Hieroglyphicum Apollinis fuiſſe. Alluſit ad hunc ritum, & conſuetudinem Virgilius in Paſtoralibus, dum ait:

Apud Stob. Virid. Sacr. lib. 8. lib. 2. cap. 19.

loc. c.

Cum canerem reges, & prælia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit: Paſtorem Tytire pingues
Paſcere oportet oves, deductum dicere carmen.

Hæc dedicatio aptiſſimè mihi inſtituta eſſe videtur, dum in omni adeo re, quam auſcultamus, fida cuſtodia, memoriâ nimirum, indigemus: optimè tritum illud ſuffragatur adagium: *In tantum ſcimus, in quantum memoriæ mandamus.* Tertullianus item doctiſſime: *Omnis diſciplina memoriâ conſtat, fruſtraque docemur, ſi quod audimus præterfluat.* Refert Pierius ſe in gemma quadam auriculam vidiſſe ſculptam, quæ leviter per indicem, pollicemque digitorum prehendebatur, junctis characteribus quibusdam, qui myſterium Hieroglyphici hujus declarabant. De quo Ovidius etiam:

Ex Pier. Valer. lib. 33.

Si

Si quid erit de me tacita quod voce loquaris,
Pendeat extrema mollis ab aure manus.

Indicare volebant, dum extremitatem tangerent auriculæ, exercere ſe memoriam, & eorum recordari, quæ teſtanda, aut dicenda eſſent.

SIGNATURÆ.

NIhil eſt in rerum natura, quantumvis ſylveſtre, remotum, & vile, quod ſuprema Creatoris manus, non ſingulari quadam virtute, dono, vel prærogativa ſignârit. Principia rerum univerſalia, juxta quod Philoſophi naturales, & Chymici nos docent, in minutiis infimis conſiſtunt, & abjectis: Utque ab univerſitate ad partem tranſeant, Botanici omnes aſſerunt, Azarum, nardum ſylvaticum, cujus folium omnimodam habet cum hedera ſimilitudinem: niſi quod paulo brevius eſt, & ramoſius, præſeferens auriculæ figuram. Naſcitur inter rupes & petroſa, in deſertis & remotis locis: hoc genus germinis cum flore ſuo ad unguentum, aut ſuccum, aut conſimilem formam aliam reductum, potentiſſimum remedium eſt, ad medendum quibuscunque aurium affectibus. Oswaldus Crollius vir ille intelligentiſſimus, qui mundum novâ praxi ſua Jaterica illuminavit ſimilitudinem omnimodam, & proportionem germinis hujus cum auribus conſiderans (dum videlicet etiam hæ, in interiori ſuo cochleæ nominantur) medicamentum præparat de cochleis, præfatis ſymptomatibus aurium maxime conducens. Unde ut tibi, amiciſſime Lector, ſiquidem te oppreſſum hujuscemodi malis eſſe contigerit, ad ferendam opem ſervire poſſit, ecce authoris verba adjungo: *Notandum hic cochleas auriculis prælongis ſignatas coqui in aqua, & ſale, & deſpumari: poſt exiccationem macerantur in oleo ſuccini, & deinde deſtillatio inſtituitur: promanans inde oleum mirificum eſt ad recuperandum auditum. Reptile eſt acutiſſimi ſenſûs.*

Azarus validum ad curandas aures remedium.

ANTIQUORUM NOTÆ SUPRA LITERAM A.

CUm hæc omnium literarum caput ſit, ex occaſione, quod antiqui ad eandem tacitè exprimendam, ſibi aurem tangebant (nomen enim hoc in fronte ſua hanc literam gerit) tantopere apud omnes gentes in æſtimatione, tamque illuſtris fuit, ut variæ ejusdem fuerint, niſi dixerim infinitæ notæ. Ego vero ut à brevitate, quam propoſui non recedam, nec librum re unica & ſola infarciam, nonnihil de eadem afferam: Lectorem meum, qui diffuſiora quærit ad libros alios his refertos ablegans.

Littera A. ſimpliciter poſita, *Auguſtum* ſignificabat, & *Avium, & Argum, Annum, Abſolutionem, & abſolvere.* AA. *Auguſtum,* vel *Auguſtam, vel auguſtale.* Duo AA, juncta campo cuidam, *aurum & argentum* notant. A. A. C. *Ante auditam cauſam.* AAA. *Auguſti.* A. A. A. F. F. *ære, argento, auro flato, vel flando, ferendo.* A. A. A. F. F. QU. TY. *Auri, argenti, æris, flator fabricæ Quirinalis, Tyberini.* A. A. S. L. M. *Apud agrum ſibi locum monumenti.* A. AT. *Ante audita.* A. B. *Alio bona.* ABN. *Abnepos.* ABS. *Abſolutus.* A. B. V. *A bono viro.* AB. V. C. *Ab urbe condita.* A. C. *Alius civis.* AC. *Actio.* ACC, *Acceperat, accepta.* ACIN. *Actionem.* ACON. *Actionum.* A. C. V. *A claro viro.* A. CUB. AUGG. *A cubiculis Auguſtorum.* A. CLS. *A Conſulibus.* A. C. S. LE. E. C. *A conſiliis ſuæ legationis, & civitatis.* AC. MR. *Ancus Martius.* AC. D. N. *Actione Domini noſtri.* A. COSS. CI. *A Conſulibus, vel Conſiliariis civitatis.* AC. L. AQ. *Actione legis Aquilæ.* A. C. P. VI. *Ad caput pedes ſex.* AD. *Auditor.* AD. E. *Ad Exactorem, Effectorem.* AD. F. *Ad finem.* AD. L. *Ad locum.* ADJ. *Adjutor.* ADJ. P. *Adjutor provinciæ, patriæ.* ADP. *Adoptivus,* A. QSR. *Ad Quæſtorem.* A. D. P. *Ad diem pridie.* AD. *Adeſt.* AD. F. *Ad frontem.* ADLR. *Adulteravit.* AD. P. XII. *Ad pedes duodecim.* ÆDIL. *Ædilis.* ÆDIL. C. *Ædilis curulis.* AER. P. *Aere publico.* Æ. D. *Ædem dicavit.* ÆD. S. *Ædem ſacravit.* A. F. *Alio facto.* A. F. P. R. *Ante factum, poſt relatum:* vel: *Auctum fide publica Rutilii.* vel: *Æmilius fecit, plectitur Rutilius.* AG. *Agit, agil, agrippa, agro, agitur.* AGO. *Agor.* A. G. *Aulus Gellius.* A. J. *A Judice.* ACT. MT. *Actionem mandati.* A. H. *Alius homo.* A. L. *Alia Lege.* A. L. Æ. *Arbitrium litis æſtimandæ.* AM. *Amicus.* AM. N. *Amicus noſter.* AM. P. *Amabilis perſona.* AMS. *Amicus.* AUR. *Aurum, aureum.* AMN. *Amantiſſimus.* AM. NT. AMAN. *Amicus noſter amantiſſimus.* AN. *Anius.* AN. N. *Ante noctem.* AN. M. *Actionem mandati.* ANN. *Annis.* ANT. *Antea.* ANG. P. *Angelus percuſſit.* ANM. *Anima.* ANN. SEN. *Annæus Seneca.* A. O. *Alii omnes.* A O. P. *Auro puriſſimo, poſito.* AP. *Apud.* AP. JUD. *Apud Judicem.* AP. *Appius, appellat.* A. P. Q. *Aulus Publius Quintius.* A. P. R. C. *Anno poſt Romam conditam.* AP. N. *Apud nos.* APPN. *Appellantur.* APPS. CLU. *Appius Claudius.* A. P. CLN. *Ad pedes columnæ.* ARM. P. *Arma publica.* ARM. E. *Arma ejus.* ARC. *Arca.* ARG. *Argentum.* ARR. *Arrius.* A. S. TT. *A ſupra tectis.* A. S. *A ſuis.* A. S. L. F. *A ſua lege fecit.* AT. *Autem.* A. TE. *A tergo.* A. T. M. D. O. *Ajo te mihi dare oportere.* ATQ. *Atqui.* ATR. *Authoritas, Author.* ATP. *Annuo Tempore.* A. TT. *Ante titulum.* A. TR. TP. *Ad turrem Tarpeiam.* AUG. *Auguſtus.* AUG. N. *Auguſtus noſter.* AUR. *Aurelius* AUT. vel AUTS. vel AUC. *Auctoritas, auctoratus, author.* AUT. P. R. *Auctor Provinciæ Romanorum.* AUGG. *Auguſti.* A. U. C. *Ab urbe Condita.* A. X. *Annis decem.*

EPITHETA.

EPithetum vel adjunctum non immeritò dixerit quispiam animam eſſe periodi: cum oratio ſine hoc videatur ſpiritu ſuo deſtituta eſſe: cum illud adjunxeris, reviviſcit, & illuſtratur: ut itaque intentioni ejus, qui ſupra aures orationem texere voluerit, nil derogetur, conveniens & opportunum mihi videtur ponere, & traducere huc, quod ab aliis tam perite in hanc rem allatum eſt: idque potiſſimum ne plenitudini operis hujus pars ulla deſideretur. Horatius itaque inter cæteros, aures *obſeratas* appellat. *Quid obſeratis auribus fundis preces?* Columella flaccidas appellavit: *Auresque flaccidæ, & cervix cum capite aggravato.* Idem ipſe remoſas vocat: *Et quæ remoſa bene deponunt in aure.* Apertas itidem: *nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures.* Cavas aſſerit Ovidius: *penetratque cavas vox omnis ad aures.* Idem ipſe avidas: *Nos ea vix avidam vulgi captata per aurem, vidimus.* Sidonius curvatas: *Senſibus, auribusque curvatis ambiebamus.* Acutas Politianus: *Demirans aures tacitus tendebat acutas.* Vigiles Statius: *Aſpicit intentum, vigilique hac aure trahentem.* Politianus eas pronas nuncupat: *Doctores pleraque pronis auribus acceperunt.* Manto doctas: *Sacrorum, & templi doctas Antiſtitis aures.* Ab eadem innocentes vocantur. *Innocuas infuſa per aures, ſancta fides auget.* A Juvenali faciles: *facilem ſi præbeat aurem.* Obſtinatæ ab Horatio: *Obſtinatas* appli-

In Epod. lib. 2. Serm.

Lib. 1. Ep. lib. 12. Lib. 3. Faſt.

Satyra 1. Carm. 3.

Georg. 3. Æneid. 5. 1. Theb. Ibid. Lib. 2. Serm.

applicet aures. Hirtæ à Virgilio: *Et Camuris hirtæ ſub cornicibus aures.* Fideles ab eodem: *Et fidam ſic fatur ad aurem.* Tacitæ à Statio: *Tacitaque immurmurat aure.* Ab eodem attonitæ: *Hic verò attonitas, ut nuncius aures, matris adit.* A Sereno incautæ: *Si verò incautas animal penetraverit aures.* Infima pars auris, quæ auricula nominatur, etiam ab Horatio mollis dicitur: *gaudent prænomine molles auriculæ.* Strozzius teneras vocat: *& lana teneris mollior auriculis.* Bibulæ à Perſio nominantur: *Nec quicquam populo bibulas donaveris aures.* Qui plura his deſiderat, Authores legat ſuper hæc diffuſius tractantes: nec enim in campis talibus abundantia ariſtarum deerit.

PHYSIOGNOMIÆ, & SOMNIA.

FAteor me vereri, ne forte doctiorum aures offenſurus ſim, ſiquidem cum Phyſiognomiæ, & ſomniorum interpretibus, & ejusmodi vaniloquentiæ ſectatoribus capita libri hujus adimplere conſtringor. Dixi conſtringor: nec enim vel ignorans hac in parte videri volo, vel non evolviſſe authores tot & tantos, qui de his abunde tractant, non tanquam de certiſſimis rebus, ſed per modum narrationis ſimplicis: demonſtrant enim qualitates hominum, & eorum vitia conſpicua, quæ ſub ſignis phiſiognomiæ indicantur. His adjungo ſomnia, ut rerum exitum, & diverſis à præſagiis eventus intuens Lector, ampliorem campum obtineat ad has nugas & phantaſmata tanto magis explodenda.

De Animal. 1.

In niſo monſtrerum Phyſiognom.

In primo itaque loco authoritatem Peripatetici noſtri collocemus, qui ait: *Aures magnæ, & erectæ ultra modum ſunt indices ſtultitiæ ac loquacitatis.* Id quod in Capitulo Midæ manifeſtius patebit. Magni hujus viri ductum ſequens (ni fallor) doctiſſimus Aldrovandus, auriculas inquit parvas (ſicut ſunt ſimiarum) denotare ſcurrilitatem, & levitatem ſenſus; dum in rei veritate deprehendimus animal hoc nil habere in ſe utile, niſi quod ad riſum provocet. Aures longiuſculæ, de quibus ſupra dictum eſt ſtoliditatem jam præfatam indicant. Inferre ajunt indocilitatem atque ignorantiam voluntariam aures rotundas, quaſi quæ ſemper volutentur in circulo, & effugiant, nec ſolidari unquam ad diſcendum, aut percipiendum poſſint. Qui easdem longas, ſed anguſtas portant, ſe invidiæ focum in penetralibus cordis ſui accenſum gerere denotant. Et (ſi verum valet) animus liber, & apertus, eandem libertatem in ſtructura ſua corporali quoque, & membrorum ſuorum diſpoſitione figurat. Aures capiti propius annexæ & conſtrictæ malevolentiam arguunt, & duplicitatem: quales ſunt vulpium & luporum: ſicut autem vafrities velociſſima eſt in motu & plicatura ſua, ſic hæ quoque aures capiti tam propinquæ promptitudinem auditus inferunt. Quæ vero pilis cooperiuntur bonam complexionem indicant, & argutiam auditus; ſed his melius, quæ moderamen habent, quippe quæ ad optimum ſenſum vergunt. Obſervatum fuit inde à temporibus priſcis, & ab ipſo S. Auguſtino, fuiſſe nonnullos, qui aures ad arbitrium ſuum commovere poſſent: quod quandoque in earum una, quandoque in ambabus faciebant, ſignumque erat extremæ fortitudinis. Sic Veſalius, & Cardanus ſe Patavii hominem vidiſſe ajunt, Juris-peritum, nomine Claudium de Simeoni, qui doctrinam ſuam mirabiliter ſale & facetiis condibat; Petrum itidem Ravacherium Genuenſem, utroſque viros fortiſſimos, & invictos, qui ipſi quoque pro libitu ſuo aures movebant. Nec ergo mirum, quod Phyſici volunt, omne animal, auritum adeo, ſingulari robore dotatum eſſe.

lib. 14. de Civit. Dei c. 23.

Fortitudo in auribus figuratur, De rerum varietate lib. 8. c. 401

Sed ut his veritatibus, quæ utcunque præſagiri poſſunt, ſomniorum vanitas opponatur, conjectatorum talium non minus condemnandas quam ridendas propoſitiones adferam. Volunt hi de ſymbolo alioquin ignorantiæ craſſiſſimæ, & palmaris, præſagium maximè maturæ, & elaboratæ trahi poſſe prudentiæ: ajunt enim homines doctos, cum ſe aures ſomniarint aſininas habere, ſignum eſſe proſperitatis, & majoris intelligentiæ, propter tarditatem motus, quo hoc animal commovere aures ſuas ſolitum eſt: non minus tardum, inquiunt hominis ſapientis oportet eſſe conſilium. Poterant hi, ſi ſuperis placet, ſimilitudine magis propria, & aptiori ſymbolo, magisque conveniente elevatam prænotare ſapientiam, quàm hoc aſinino, quod extremæ ſtupiditatis argumentum eſt. In aliis porrò, qui de doctorum numero non ſunt, ſi eadem ſomnia contigerint, dolores, & labores, & longam ſervitutem prognoſticant, eo quod hoc miſerabile jumentum his ſubjectum eſt. Ecce quomodo in ipſis adeo ſubjectis ſuis diverſimode ſomniant. Idem ipſum alibi multipliciter intelligunt: excipiunt enim Patremfamilias, volunt hunc colligere exinde & deducere debere augmentum, & amplitudinem familiæ ſuæ propriæ: tum proinde in filiis, & ſervis eadem variant. Concludant potius, his nugis, tam ſervos, quam filios ſine diſtinctione poſſe devenire aſinos.

Porro operariis, ſiquidem ſe plures aures gerere ſomniaverint, ſpem non vacuam ſpondent, fore ut à plurimis vocibus ad labores, & lucrandos nummos vocentur, atque inde eis abundantiam & divitias proventuras. Sed quæ cauſa eſt, quod ex his concludi nequeat, eos & dicteria multa, & lamentationes, gemitus, & ſuſpiria audituros eſſe, unde domus, & familia eorum peſſumidentur, & depereant? reprehenduntur hi à doctiſſimo Valeriano his verbis: *Verum hæc, & hujuſmodi, ut ingenue fatear, quid ego ſentiam, ingenii humani argutias potius oſtendunt, quàm ſolidiorem ullam ſapientiam.* Hieroglyph. lib. 33.

APOPHTEGMATA.

ARiſtippus Philoſophus magnus, nobilis, divesque Athenienſis erat, qui non tantum in urbe patria, ſed magnum quoque nomen ſibi per univerſam Græciam comparaverat, ubique locorum propter hujuſcemodi prærogativas in honore ſummo habitus. De hoc Laërtius refert, quod cum intellexiſſet amicorum ſuorum quempiam infelici caſu in rapaciſſimos ungues gryphi inexorabilis, Dionyſii, inquam tyranni Syracuſani incidiſſe, qui nunquam niſi laceram à ſe, & diſcerptam prædam dimittebat: confeſtim ſe ad belluam illam inflexibilem contulerit, & flumina eloquentiæ ſuæ, quanta maximè potuit, effuderit: omnem præter hæc ſubſtantiam ſuam, pro ſalute amici ſui obtulerit, omnesque cordis ſui intimos receſſus ad exprimendum affectum commoverit, ſperans ſaxum illud ad preces motum iri. Orat, implorat, conjurat, ſed ab immiti, & inſenſibili viro nil impetrat, qui non ſecus ac undoſum mare quoddam clamantium voces non audiebat. Ultimas denique vires adhibet: nec ignorans ferociſſimum leonem proſtratis ante ſe vindictam, ſævitiemque remittere, & ipſe procumbit humi, ſupplexque ad pedes quoque oſculandos delabitur: atque illic amarè plangens, tam largo lacrymarum profluvio avehere in libertatem ſuam, quem diligebat, non deſperavit: lib. 2. c. 18.

ita demum, quod poſtulavit, obtinuit. Quantopere nihilominus de hac fide ſua apud ſapientes ſibi laudem peperit, tantopere modus, quo hanc gratiam aucupaverat, ſugillatus eſt: ajebant enim hominem tam illuſtri genere natum, in literis tam conſpicuum, tamque inclytum, tantique nominis virum non debuiſſe pronum pectore ad pedes Regis impii, cum tanta vilitate animi procumbere. Intelligens hæc vir ſpectatus, modeſtiſſime cavillantibus reſponſum ſe digniſſimum dedit: *Non ego*, inquit, *in culpa ſum, ſed is, qui aures habet in pedibus.* Tyrannus non niſi ſurdum ſe exhibuit hactenus, auriculas ſuas gerens in calceis: ſi audiri volebam, ſic mihi loquendum erat. Percelluit verbis his tyrannum, ejusque ſimiles, qui data opera ſurditatem effingunt, & à rebus, quas audire dedignantur, ferocem aurem avertunt. Quod vitium tanto magis damnatione dignum eſt, ex eo quod cum ingratitudine quadam proterva, ipſa adeo benefactoris ſui dona, & gratiam repellit. Contra hos enim inquit S. Bernardus: *Auditu, non viſu pervenitur ad notitiam veritatis*: adverſum hoc Marcus Tullius quoque, de Principe bono loquens, ſic ait: *Nihil eſt tam regium, tam liberale, tamque munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare à periculis homines.* Qualitates, quæ nec in Dionyſio, nec in ullo tyrannorum uſpiam locum habent.

In Cant. Ser. 23. 2. de Orat.

Improperatio. Facilitas audiendi ſubditos.

Procedebat quondam cum faſtuoſo comitatu, inflatus pectore Macedoniæ Rex Philippus, neminem ad ſe niſi de Magnatibus ſuis, & quos intimos habebat, admittens: nec tamen usque adeo in tumore ſuo, & pompoſa magnificentia elevare ſe potuit, ut non ad latus ejus pannoſa & annoſa vetula prodiret, voce ſupplici ſe audiri poſtulans: tranſit eam cum vituperio Rex, indignum ratus ab hoc ſilicernio majeſtatem ſuam diſtineri; ſed non ſic effugit improperium femellæ, quod ad cordis Regalis usque penetrale tranſiens, ait: *Qui audire non vis, nec regnare velis.* Dictum usque adeo ſagax, & mordax, ut mirum ſit ex ore fœminæ tam inſulſæ, tam abjectæ id prodiiſſe. Quo audito, prout ait Plutarchus, Rex non ſecus ac oraculo quodam ſuſcitatus, demiſſa omni petulantia, ambitione & faſtu, ſe deinceps omnibus affabilem, facilem, & humanum exhibuit. Hoc idem factum Demetrio Poliorceti contigiſſe quidam aſſerunt, ſicut & Adriano Imperatori. Quod facilitatem acceſſus, & audientiæ attinet, cum jam alibi de hoc ipſo ratiocinatum ſit, & adhuc ſi ſe occaſio dederit mentionem fieri oportebat deinceps, id ſolum hoc loco dixerim, fideli memoriâ præceptum illud magnum principi retinendum eſſe, quod Gubernatoribus ſuis dabat Conſtantinus Magnus, cum volebat eos, *aut faciles eſſe aut liberos: ut ad ſe omni turpi lucro ſublato, omnibus vera petentibus aditus pateant.*

In Apophteg. Reg. Sabellicus l. 7.

Conſtant. in lege ejusdem.

MIDAS FABULOSUS, ET MORALIS.

Mida ha d'aſin l'orecchio, e da qual pianta
Spuntò la nuova? da una canna hor come
Potrà bocca cantar, ſe canna canta?

Antonii Abbatis Fraſcheriæ.

Sic modernorum Satyricus quispiam ajebat, qui de Aſiaticorum conſuetudinibus multa ad uſum proprium mutuatus eſt. Commentum hoc hiſtoricum duobus verſibus comprehendit Ovidius:

Cætera ſunt hominis, partem damnatur in unam,
Inducitur que auris tarde gradientis aſelli.

Midas enim dum experimentum ſapientiæ ſuæ, & ſi unquam alias tum potiſſimum eruditionis documentum dare vellet, judicium de arte muſices inſulsè interpoſuit: propter quod ab Apolline, hujus artis Anteſignano, aures ei in aſininas transmutatæ ſunt, quod jumentum in menſe Majo tam eleganter decantare amores ſuos ſolet. Volunt nonnulli hoc ei contigiſſe, quod Bacchum liberum Patrem fefellerit, qui ſemper una cum jumentis iſtis, imo tanquam ſeſſor eorundem depingitur. Diverſi alii id rurſum aliter referunt, eum ſcilicet hæc jumenta habuiſſe in odio, atque ideo percuſſionibus eos quotidianis, & injuriis vexaſſe, cum autem horum animantium Apollo præſes ſit, non eum numinis hujus potuiſſe evitare caſtigationem in auribus. Occultabat interim Midas (ſic Poëtæ inquiunt) quantum poterat defectum ſuum, tegens illum capillorum ſpiſſitudine: nec ulli alii niſi forte tonſori ſuo id innotuit: hic verò incredibili pruritu quodam hæc in nota fieri volens, ne tamen per ſe proderentur in publico, ſcrobem fodit in terra, vocemque immiſit: *Midas auriculas habet Aſini.* Poſthæc terram prius effoſſam rurſum loco ſuo reddidit: de quo nihilominus cannæ quædam ſuccreverunt, quæ proinde vento inſufflante ſtridula voce (ſic Apologus docet) verba eadem ſibilarunt, ex quo vulgus occaſionem primam nactus, huic ſatyræ incrementum dedit, & uſum. Fingunt itidem Midam Regem fuiſſe (prout jam promiſcue cuivis notum eſt) qui omne quod manu contigerit, in aurum transmutarit: atque ita optimè de felici calamo Commendatoris Teſtii hi verſus prodierunt:

Toccò ruvido ſaſſo, oro divenne:
Toccò roſa vermiglia
Porpo reggio ſu la nativa ſpina.

Poëſiæ Teſti.

Sed de fabula, ad moralitatem Mythologicis conducentibus, pro Lectoris mei utilitate transeo. Dives erat Midas, & potens; ſed cùm ſimul etiam in omni vitæ ſuæ genere incultus & agreſtis eſſet, locum fictioni dedit, ut talis figura ejus in principali quadam corporis ſui parte, miniſtrâ intelligentiæ, exprimeretur, qualis eſt in tardo illo ſtolido, & pigro jumento. Dicunt alii idcirco fabulam inventam, quod exploratores multos alebat Rex ille, qui ei, quæ vel clam, vel procul etiam fierent, cuncta referrent, atque ideo animalis hujus auriculas, quæ acutiſſimi ſenſus ſint, eidem affictas eſſe. Rex erat Phrygiæ, cumque imprudentiſſimus, & crudeliſſimus eſſet, nec cujusquam precibus aurem daret; hoc ei inſigne (ſic rurſum alii volunt) attributum eſt. Quod præterea tactus ejus converteret univerſa in aurum, idcirco fabula confinxit, ut deceret Regem hunc cupidiſſimum lucri, controverſias omnes & lites terminaſſe accepto auro; in hoc finem ſuum ultimum collocaret, in hoc omnium actionum ſuarum, & intentionum cardo verſabatur. Caliſthenes in navigatione ſua, & Hecatæus ajunt, colles quosdam eſſe in Phrygia, qui agnomine ſuo aures aſininæ vocentur, ſupra quos fundata & erecta erant caſtella, & turres opulentiſſimæ, & refertæ theſauris: quas proinde Midas Rex ſibi ſubjugaverit, & evicerit. Percellit itaque (prout cenſet Mythologicus Natalis Conti) commentum illud aurium aſininarum arrogantes & præſumptuoſos homines, qui nil non noſſe volunt, nil non ſapere, cùm ſtupidiſſimi ſint: unde non immerito in beſtiarum tranſiſſe naturam & compoſitionem exhibentur, tum potiſſimũ, cum maxime de ſapientia ſua ſibi palam applaudunt. Docemur item hac fabula, quemq; virium ſuarũ menſurare oportere extenſionẽ,

Natal. Comin. lib. 9.

unquam committendum, ut plus debito ſibi quis arroget, ſed in eo quieſcendum, quod à majeſtate divina ei diſpartitum eſt. Denique quod ipſæ adeo arundines harum aurium turpitudinem prodiderunt, indicatur nullum ſcelus, nec defectum longo tempore occultari poſſe; ſicut nec tonſori profuit ſcrobem à ſe factam rurſum terra coopertam fuiſſe. Sed de his hactenus.

AURICULARUM OFFENSA, LÆSIO, vel MUTILATIO aut SURDITAS.

Egeſipp. l. 1.

PRæter id quod de Malcho jam cuivis Chriſtiano notum eſt, qualiter ei Petrus aurem abſciderit, Chriſtus reſanârit: Egeſippus in excidio Judæorum recenſet, idipſum contigiſſe Hircano Regi, & Pontifici Hebræorum: in hac præterea figura eum ab inimicis ſuis circumductum fuiſſe: digniſſimus caſtigatione tali vir ſceleſtus, quippe qui crudeles aures ſuas quærimoniis intimorum occluſerat, quos manicis, pedicisque vinciendos dederat, gladioque trucidandos: prout Joſephus in hiſtoria ſua, ſicut & eruditus vir Cauſinus referunt. Poſt excidium Trojæ, hiſtoriæ meminerunt Menelaum comprehenſo Deiphobo, qui ſe Helenæ maritum jactaverat, ferocitate & inclementia tyrannica, & barbara, recidiſſe nates, à ſcapulis truncaſſe brachia, & mutilaſſe inhumaniter auriculas; atque ita hominem deformem, ludibrium populo expoſuiſſe, cum infelicibus reliquiis vitæ miſerabilis, quam propediem expiravit.

De bello Iuda. In aula ſancta.

Dyctus. l. 5.

Herodot. l. 3.

Herodotus Author eſt, Cyrum Regem Perſiæ, ut Smerdum Magum impium caſtigaret, ambas ei reſciſſe aures, & hac infamiæ nota inſignire hominem voluiſſe, quem quisque noſſet fugiendum. Ille vero emendicato nomine ſe Regis fratrem ſimulans, inque Regnum intrudens à meretrice Phædina agnitus fuit, unde etiam ut proditor deprehenſus, & occiſus, dignam factis ſuis mercedem tulit. Idem Herodotus de Apria Rege Ægyptiorum narrat, ablegaſſe eum Patarbemen, ut Amaſim comprehenderet (qui ab eo defecerat) eumque ſibi captivum adduceret; cumque eum ille pro voluntate Regis capere nequiſſet, ei nares ab irato Rege abſciſſas eſſe, ſicut & auriculas, ex quo factum ut univerſa caſtra concirentur in Regem, Amaſumque ſibi Ducem, Regemque conclamarent, & contra voluntatem Amaſæ ad ſtrangulandum Apriam concurrerent. Ita verò cuique actioni indebitæ abominatio non injuſta apud omnes deo nationes pro fine ſemper fuit.

lib. 2.

Cuſpinus.

Cuſpinus item de Illo quodam Imperatoris Zenonis officii Magiſtro refert, quod cum ad dictum Imperatorem ſiniſtram relationem de crimine quodam, eodemque falſo contra Ariadnam Imperatricem tuliſſet, eamque ex hac cauſa tollere de vita Imperator ſtatuiſſet: illa hunc ictum evitando (jam reconciliata demum viro ſuo, Epiſcopi Acacii interventu) memor accuſatoris ſui, decrevit perdere ſi poſſet; occiſor jam in promptu erat, ſed alter percuſſionem declinans, ſic effugit, ut ei tamen auris ab acinace feriente diſſecata ſit. Sic enimvero Patroni ſui aures infecerat, non injuſtum tulit, earundem mutilatarum ſupplicium. Cromerus item ſcripto dedit, Anno ſalutis noſtræ milleſimo, ducenteſimo, & quadrageſimo, tam atrocem fuiſſe, tamque cruentam Polonorum ſtragem ab hoſte Tartaro, ut novem adeo ſaccos ſolis occiſorum auriculis adimplerint, adimplendo inſuper adagium tritum: *Nulla ſalus pietasque viris, qui caſtra ſequuntur.*

Cromer. lib. 8.

Succedit his auditus ſurditatè læſus, unde acutiſſimum Epigramma Nicarchi habetur, quod Thomas Morus latine dedit:

Lis agitur, ſurdusque reus, ſurdus fuit Actor:
Ipſe tamen judex ſurdus utroque magis.
Pro ædibus is petit æs, quinto jam menſe peracto,
Ille infert tota hac nocte mihi acta mola eſt.
Aſpicit hoc Judex: & quid contenditis inquit?
An non utrique eſt mater? utrique alite.

Marco Craſſo, & Hadriano, qui in Conſulari dignitate tam provide Reipublicæ utilitatibus invigilarunt, Marcus Tullius, & Cælius ſurditatem tanquam comitem inſeparabilem dederunt: unde etiam eorum hic poſterior cavam manum admovere auri ſolitus eſt, ut faciliùs qui ſurdaſter erat, quæ dicerentur exciperet: quod exemplum Galenus quoque attulit. Adjuvit ſurditas hæc Fabium Sabinum Juriſconſultum imperante Heliogabalo ad mortem condemnatum: Centurio enim, cui cauſa commiſſa fuit, quippe qui gravioris auditus erat, decretum regale male intelligendo, in exilium ejecit hominem. De hoc morbo ſanatus fuit ille, qui adjunctum inſuper habuit impedimentum linguæ, & cujus auribus Salvator noſter benedictus in ſæcula, ſalivam intromiſit dicendo: Ephata, quod eſt, adaperire, de quo Evangeliſta Matthæus, & Marcus. Sic Ferentarius Franciæ Regis Syus aggravatas ſurditate gerens aures, dum cum S. Gregorio Turonenſi (prout refert Vincentius Bellovacenſis) ſermocinaretur, recuperavit auditum. Singulari hoc ſanctitati viri aſſignandum, quæ ubicunque terrarum fuerit, intermittere nequit, quin manifeſta virtutis ſuæ indicia palam proferat. Sic de S. Bernardo memoria eſt, quod cum forte domum reverſurus, in adoleſcentulum ſurdum mutumque incidiſſet, aures eum, & linguam laborantis contigiſſe digito ſacrato, & confeſtim priori eum ſanitati reſtitutum.

Quæſtion. Tuſcul. lib. 1. cap. 29.

De uſu partium.

Hæc & plura inſuper prodigia alia per manum altiſſimi, & per ſervorum ejus miniſteria contigerunt, ex quibus ilud Echo applaudentis populi, & hoc Panegyricum plebis inſonuit: *Et ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* In his vero mirabilibus, & in hac eloquentia ſubminiſtrata à Redemptore noſtro, juſtum eſt, deſiſtere calamos, tacere linguas hominum, inter quas & meam maxime infirmam profiteor. Claudo itaque ratiocinationem hanc ſequenti poëſia mea, conſtante decem & quaternis verſibus, benevolum & diſcretum lectorem ſupplicans, ut bonam voluntatem meam, pro exhibitione operis, quod debebam, æqui bonique conſulat.

Applauſus factus Auribus:

Parti nimirum corporis humani nobiliſsimæ, præſagium item pro ſalute earundem.

De l'armonia del Ciel tu ſola aſcendi
A miſurar i più ſonori accenti,
Di melodia terrena infra i concenti
Fai ch' ogni ſenſo a dilettarſi apprendi.
Per te l' huom ſol fia ch' ogni coſa intendi,
E le occulte virtù ſueli a le menti,
Quanti vantan gli oggetti alti portenti
L'intelleto mortal fia che comprendi.
Secretaria fedel de l' Alme apporti
Di ciò che aſcolti il veritiero aviſo
Onde oue imperi, à tuo piacer ſi an ſcorti.
Oh udir potiam, poi ch' aura morte anciſo
Queſto frale compoſto, indi reſorti,
Il più dolce tenor del paradiſo.

NASUS.

Anatomia.

NOn minus cæteris humani corporis partibus jam ſupra memoratis, principalem locum naſus quoque obtinuit: quippe qui medius vultui, per modum Principis inſidere throno ſuo videtur: ſic non præpoſtere Hieroglyphicum Principatus olim figuraſſe legitur, prout infra docebimus. Deorum membrum eſt, & herile: univerſam faciei compoſitionem ad perfectionem ſuam perducens: ſicut è contrario, quibus nares mutilatæ ſunt, deformitate ſua hoc palam faciunt. Collocatur autem in alto, ut odores tanto expeditius, quippe qui ſurſum vergunt, recipiat: De ſublimi enim loco & audiuntur, & videntur commodius objecta: pariter odores quoque in ſublime latos narium ſenſus tanto promptius excipit. Has autem nares faciei noſtræ complementum eſſe, tantundem, quantum cæteras partes, elegantem Andreæ Laurentii authoritatem ſubjicere nequeo, qui ait: *Ineſt naſo venuſtas, & quid regium, quaſi peculiaris quædam in eo dexteritas niteat.* Feſtus Author, cujus memoria inter eruditos admodum celebris eſt, ſagaces omnes naſutorum titulo appellavit, quod deinceps ſuo loco manifeſtius patebit.

Naſus in medio faciei, & quare. Signum Dominii.

Andr. Laurent. lib. 11.

Feſtus.

Uſus membri hujus non unus eſt, ſed multiplex. Inſtrumentum primitus eſt, per quod odores omnes, ſicut & fœtores cum ſpeciebus ſuis ad cerebrum usque pertingunt. Sic Hippocrates inquit: *Olfacit cerebrum, humidum exiſtens, aridorum odorem, una cum aëre per corpuſcula cartilaginoſa ipſum trahens.* Per has nares ad pulmones deducitur aër, ſic ut ad cerebrum, unde generatio ſpirituum animalium formari poſſit: per has deinceps mucoſa cerebri eluvies deſcendit, & expurgatur. Diſtinguendæ itidem voci non modicum contribuunt: hoc in iis animadvertitur, quibus hæ partes defectuoſæ, aut diſtortæ ſunt, ſicut & cilia, & oculi, & aures: atque ita natura tanquam provida mater proportionum, hanc quoque partem bipartiri voluit, proximam, & pene his ſuperioribus annexam. Nec vero cum hoc nomine naſi externa ſolum & viſibilis illa comprehenditur particula, ſed interior quoque. Conſtat variis partibus, oſſibus, cartilaginibus, muſculis, venis, arteriis, nervis, membranis, & cute. Tria ſunt oſſa ab ethmoide enaſcentia; tertium nihilominus, tanquam murus bina reliqua diſterminat, & ſecernit: extenduntur ad medium usque naſus forinſecus, quod reliquum, cartilaginoſum eſt: nec enim oſſeum totum eſſe oportuit, ne forte vel percuſſione, vel incurſu quodam conquaſſaretur, ſic fabrefactus eſt ut ſine effractione facile ſuſtinere contuſionem, vel offenſionem poſsit. Baſis oculi ad formandam cavitatem narium inſervit: extremitas ejus cartilaginoſa eſt, ut commodius emungi poſsit: alæ itidem ob facilem motum ſine difficultate aërem intromittunt, facileque in reſpiratione dilatantur, & rurſum occluduntur, ut odores fœtidos abarceant.

Naſus ſedes odorum.

Per hunc aër ad pulmones fertur.

Quinus cartilaginum numerus eſt, duæ ſuperiores, ab aſperioribus oſſibus derivatæ, tres inferiores, quarum binæ quæ ad latera ſunt, per modum tuberculi, propter reſpirationem mobiles fabricatæ ſunt, pennarum, vel alarum nomine nuncupatæ. Tertia interfinis, vel media vocatur, propter quod præfatas binas interſecat. Fores item, quæ illic patent, cavernæ nominantur, excernendo mucori, & reſpirationi deſtinatæ, moventur autem pro libitu, per muſculos quosdam, quorum duo ſe dilatant. Hæ partes principium ſuum acutum & carnoſum à fronte habent: reliquæ duæ ad viciniam ſe labrorum reſtringunt: ex quo perinde fit, ut cum per nares quid attrahimus, ſimul etiam ſuperius labrum reſtringatur. Venæ narium pleræque à ſingulari derivantur: arterias ſuas recipit ab iis, quæ carotides nominantur; nervos autem à tertia conjugatione. Omnis illa pars, quæ cartilaginibus conſtat, duabus membranis cingitur, una externa, altera interna: quarum illa absque pinguedine eſt, ne in molem immenſam increſcat: interna pinguis eſt, ut nares ſemper pateant: & ne caro ſuccreſcens easdem anguſtiet & concludat. Summitas naſi ob rotunditatem ſuam globus, vel orbiculus appellatur.

Hucusque exteriora naſi deſcripſimus, interna ejus, odoratus organum, duabus partibus conſtant: hoc eſt: oſſe ethmoyde, & protuberantiis quibusdam, quæ per modum mamillarum prominent. Os ethmoides tanquam in baſe ſua ſituatum, in medio frontis, ad ſummas usque naſi radices porrigitur, quod omnem pene cavitatem narium adimplet. Partes plurimas heterogeneas habet, quæ pro qualitate & conditione ſua diverſa nomina ſortiuntur. Earum prima, ſimili vallo, cum interius perforata ſit, à peritioribus cribrum appellatur: altera vero de calvaria foras tranſit, humida & ſpongioſa, ob quam cauſam ſpongiæ nomen habet. Supereſt tertia, quæ tenuis, & ſolida eſt, & hæc à Fallopio plana vocatur. Pars cribroſa multis foraminibus patet, iisdemque exiguis, & obliquis: Exiguis, ne forte corpus grande, aut inconveniens inde transferatur ad cerebrum: obliquis, ne impurior aër recto tramite ad offendendos cerebri ventriculos feratur. Uſus hujus ſecundarius eſt, purgatio cerebri: quod per has partes, non ſecus ac per manicam Hyppocratis percolatur, dum per glandem bibulam pituita transmittitur: quamvis craſſa illa, & mucoſa eluvies per tubercula mammiformia deſcendat. Pars altera, os inquam ethmoides, rarum eſt, laxum, fungoſum ut ſpongiæ, unde ei par nomen inditum: implet autem utramque narium cavitatem. Hic veriſimile eſt, inſpiratum aërem cum odoribus alterari, ſicut aër quoque, qui in Labyrinthum ingreditur, & in aurium cochlea auditum præparat. Itaque aër in his reconditis anfractibus alteratus, cum odorum ſpeciebus in ſinus mamillares conducitur: Hi verò tenerrimi nervi ſunt,

qui de membranis cerebri egrediuntur, dura ſcilicet, & tenui. Hi ſinus cum naturam particularem habeant, ſimilem quoque compoſitionem & figuram ſortiuntur. Sic oſſa quoque, & cartilagines, & membranæ ſimillimæ ſunt undequaque, unde etiam odoratus organa præcipua æſtimantur. Hinc manifeſtum ſit, hanc potiſſimum partem plus quam reliquas ab odoribus alterari: hæc tubercula nihilominus, eo quod ſint ſpiritu plena, & vaporoſa, promptiùs odores recipiunt, cumque ſui naturâ nervoſa ſint, qualitates præfatas diſtingvunt. Itaque quod naſus oſſibus conſtet, & cartilaginibus, & muſculis, & nervulis membranis, & ſinibus mamillaribus, magna inter Anatomiſtas controverſia vertitur, ſicut & inter Phyſicos, cuinam partium harum præcipuè actio odoratus aſſignanda ſit. Ego interim hoc ſcrutinium Anatomicis indagatoribus relinquo, præſertim in his partibus: nec enim ſcopi mei eſt ulterius hæc penetrare, & illa præterire, quæ eruditionem ſimul, & moralitatem neceſſariam ſecum ferunt.

HIEROGLYPHICA.

Naſuti hoc eſt ſagaces.

ID quod ſupra in Anatomia ſua Laurentius recenſet, cum atteſtatione Feſtii, naſum ſagacitatis indicium eſſe, concordat cum Valeriani Hieroglyphicis, qui ait: hanc obſervationem antiquam Anteceſſorum noſtrorum eſſe, unde etiam naſutorum adagium prodiiſſe (ſicut infra patebit) quod tantundem eſt, ac hominem ſagacem dicere. Quemadmodum illud jam obtinuit uſus, ut hominem bonorum morum, cordatum appellemus: hominem magnarum aurium, éum qui acutè audiat: qui res bene diſcernat, bonum oculum habere. Inde etiam Lex

Diſtortus naſus ab altari removetur.

Levitica ab altari removebat, eos, quibus naſus vel contritus, vel diſtortus erat, aut quovis alio modo compoſitus & deformis: per quod divina ſapientia denotare ſimiles in animabus noſtris defectus voluit, aut vero illos, qui ſiniſtre vel diſtorte actiones vitæ ſuæ inſtituunt. Noſtro quoque loquendi modo odoratus in Deo intelligendus eſt, ſicut illud palam dabitur in myſticis. Propter quod de Noë ſacrificio inquit ſacer textus: *Odoratus eſt Dominus odorem ſuavitatis*: Et propheta Regius in oratione thuribulum adhibet, unde ſacrum thymiama ad nares divinas conſcendat: *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Sic in Apocalypſi dilectus orationes ſanctorum in tot phialis, repletis odore videt: *habentes ſinguli phialas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.*

Apoc. 3.

PROVERBIA.

Subſannatio cum ſimulatione.

l. 2. c. 37.

NAſo ſuſpendere: Cum his verbis olim notabatur, ſubſannatio ſubdola. Hinc Plinius refert ab idololatris ſui temporis naſum ſimulacro irriſionis fictitiæ dedicatum fuiſſe: verba ejus ſic habent: *Et altior homini tantum (quem novi mores ſubdolæ irriſioni dicavere) naſus.* Hinc etiam Horatius: *Naſo ſuſpendis adunco.* Et alibi: *balato ſuſpendens omnia naſo.* Perſius item ſatyrizando contra hunc ipſum Horatium, quod nunc hunc, nunc rurſum alium taliter ſubſannaret, inquit:

In Sermonibus.

Ex Manut. p. 337. mihi.

lib. 4.

Callidus extorſo populum ſuſpendere naſo.

Et alibi:

Diſce, ſed ira cadat naſo, rugoſaque ſanna,
Unde Naſuti vocantur, qui docte alios irridere norunt.

Huc referenda ſunt verba acutiſſimi, & dicaciſſimi Martialis in loco quodam.

lib. 2

Naſutus ſit uſque licet: ſis denique naſus.

Alibi:

Et pueri naſum rhinocerotis habent.

Supra quod Commentator ait: *Hoc eſt, producunt mentum, & roſtrum in tantam longitudinem, ac ſi eſſent cornei rhinocerotes.* Et noviter Perſius:

Rides, ait, & nimis uncis naribus indiges.

Caſſius.

lib. 15. Epiſt. famil.

Alluſit ad hoc factum Caſſius apud Marcum Tullium, cum ajebat: *Quos ubi dicterio ſcomatico læſeris, velint ruſtice gladio*: Id eſt: *viciſſim naſo ſuſpendere.* Hic agendi modus communi Italorum proverbio rejicitur: *Non mottegiar che doglia, e non ſcherzar ſul vero.* Id eſt: *Noli ludere & ſimul lædere, nec jocari in iis quæ vera ſunt.* Hæc enim detractio tanto magis pervicax, & maligna eſt, quanto magis pallio facetiarum, & Epicheïæ involvitur, & veſtitur: tales inter cygnos numerandi ſunt, qui ſub candore pennarum nigredinem & ariditatem pellis ſuæ tegunt. Sub religionis ſpecie introeunt, ſicut Trojanus equus aliquis, ut omnia deprædentur, & ſtragibus adimpleant. Hæc inter Syrenes maxime perfida eſt, unde digniſſimum eſt, ut cum dicacitate ſua ſpernatur, & explodatur.

Fames dilationem non vult.

Fames, & mora bilem in naſum conciunt. Hæc ſententia de ille non diſcrepat, quam uſus jam obtinuit: *Jejunus venter non audit verba libenter.* Quod tantundem eſt, ac dicere: Ventriculus evacuatus bilem commovet, & non ſecus ac caminus aliquis fuliginem ad nares uſque evaporat. Totum hoc Plautus exponit: *Latrante ſtomacho, omnis morabilem movet.* Theocritus item hanc mentem noſtram ad unguem uſque expreſſit: *Eſt enim acerbus, atque illi ſemper ſedet in nare aſpera bilis.* Traducta hæc Metaphora eſt, ab iis animalibus, quæ per naſum bilem ſuam rejiciunt: ſicut ſunt canes, & inſuper alia, unde natum eſt illud: *corrugare nares*, quod de iis rebus dicitur quæ offendunt. Ex quo ſibi occaſionem ſumpſit Horatius, dicendo: *Ne ſordida mappa corruget nares.* Idem Perſius: *Sed ira cadat naſo rugoſaque ſanna.* Prædictum nihilominus proverbium multò evidentius traduci poterit, ad hoc videlicet, quod cum rem nonnullam vehementi deſiderio præſtolamur, aut poſſidere ſperamus, omne nobis momentum longiſſimum videtur, ad quod illud Lyrici poëtæ tendit:

Plautus in Amphytrion.

Theocritus in Theriſte.

Ex Manut.

In Satyr. 5.

Spes boni obtinendi.

Ut nox longa quibus mentitur, noxque dieſque
Longa videtur opus debentibus: ut piger annus
Pupillis quos dura parit cuſtodia matrum.

Hoc ipſum Sapientia divina expreſſit, dum ait: *Spes quæ differtur affligit animam.* Hic affectus ergo taliter conſtitutus eſt, ut moderamine indigeat, ne navi par ſit ſine gubernaculo, ſine gubernatore fluctuanti, quæ naufragio evidenti appropinquat: Plutarchi hæc ſententia eſt: *Nec navis unâ anchorâ, nec vita una ſpe firmanda eſt.* Hinc illud apud Stobeum: *Neque nimis confidere, neque nimis deſperare debemus: illud enim animum diſſolvit, hoc verò evertit.*

Stuzzicare il veſpaio, vel crabrones irritare. Relinquendos eos eſſe, qui fortiores & potentiores nobis ſunt, & qui nocere poſſint.

Fumantem naſum urſi ne tentaveris. Hoc proverbium manifeſte quemcunque noſtrum exhortatur, ne, ſicut in proverbio dicitur: *Irritare crabrones*, audeamus *canem dormientem vellicare.* Imo evitandum eſſe, & occaſionem non dandam iis, qui cum potentiores nobis ſint, facile nos in damnum aliquod conjicere poſſint. Hic maxime ad rem accommodè nobis præfatus Manutius ex Martiali illud adfert:

- - - Rabido nec perditus ore
Fumantem naſum vivi tentaveris urſi,
Sit placidus licet, & lambat, digitoſq; manuſq;:
Si dolor & bilis; ſi juſta coegerit ira.
Urſus erit, vacua dentes in pelle fatigans.

Simili

Sines. in Encom. Calvitii.

Simili modo Sineſius ait: *Canem naribus prendere: id eſt provocare mordacem, & nociturum.* Docent Phyſici: quod canes æquè ac urſi, ſiquidem hac in parte læſi fuerint, ad iracundiam maxime accendantur; unde & proverbium traxiſſe originem ſuam opinandum eſt. Memini me jam illud ſupra retuliſſe, hic autem denuo referendum eſt, quippe in loco ſuo & occaſione congrua, quod vulpecula Æſopi amicitiam Leonis recuſavit, ajebat enim ungues ejus nimium prolixos eſſe. Principes, & quicunque alii, quibus authoritas in manu eſt, venerationem exigunt, & timorem. Hoc ſapientia quoque in diverſis locis nobis ingerit, in hoc præſertim: *Longe abeſto ab homine poteſtatem habente*: & alibi: *Indignatio Regis nuntii mortis . . . in hilaritate vultus regis vita.* In introitu palatiorum regalium catenæ ſunt, quæ primum nobis occurrent ſicut, & canes.

Eccl. 8. v. 18.

Prov. 16.

MYSTICA.

POſtquam magnus ille propheta Regius victorias ſuas connumeraſſet, proſtratus ante altare Domini, cum ſummo animi & cordis affectu gratias illi, quantum maximæ & fideli corde procedere unquam poſſunt, rependiſſe in ſecundo Regum libro legitur: ubi hæc habentur verba: *Aſcendit fumus in naribus ejus.* In his, ſecundum S. Auguſtinum divinæ inſpirationes intelligendæ, quibus excitate mentes noſtras altiſſimus ſolet. Eucherius inquit, hic inſuper ſubintelligi poſſe compunctionem lacrymoſam, & pœnitentiam, quæ per præfatam inſpirationem ſuſcitatur. Sic de Iſaia propheta illud eſt: *Quieſcite ab homine, cujus ſpiritus eſt in naribus ejus.* Aſſerit Gregorius Magnus poſſe hic divinam præſcientiam intelligi, ſicut per odoratum plura adhuc procul ſita noſci poſſunt, antequam ſub oculum cadant, quippe quæ qualitatibus ſuis etiam longius remota ſe produnt: ſic odoratus divinæ præſcientiæ ea quæ futura ſunt, tanquam ſibi jam præſentia intuetur, cum hæc, juxta mentem Theologorum maxime prudentium *objectivè in mente Dei ſint.* S. Hieronymus ſupra illud prophetæ Job: *Gloria narium ejus terror*: adjungit: timorem illum intelligendum eſſe, quo peccator in judicii ſupremo die concutietur: aut verò etiam cum prædicationis comminatoriæ metu commovetur. Per hoc item ſpes futuræ gloriæ, quam in vita hac odoramur, non impropriè figuratur, ſicut idem Author exponit.

Cap. 22.

De eſſentia Divina.

Fortitudo Spiritual. 1. c. 2.

31. Moralium 21.28.

Iob. c. 39.

2. De Sp. S. 59. & in Pſal. 118. ſer. 5.

Per nares etiam, referente S. Ambroſio, viviſſimi ſenſus animæ concipiuntur, quibus res divinas eruimus: & quæ per ſpiracula fidei non minus cognitionem & intelligentiam miniſtrant. Naſus elevatus ſicut turris in Libano (de quo Canticum meminit) judicium promptum & vivax coarguit. Naſus mulieris fornicariæ reſciſſus) de quo Ezechiel propheta) juxta mentem Hieronymi, & Gregorii, ſignificationem ſequentem habere poterit: fæminam hanc ſuavitatem odoris, ex cultu bonorum operum procedentem, commutaſſe in fœtorem libidinis, eluviem vitiorum, & ſcelerum abominationem. Hanc faciei partem, æquiparatam Turri in Libano (prout ſupra relatum eſt) S. Gregorius & Eucherius, diſcretionem figurare volunt, & providentiam, qua videlicet, non ſecus ac de ſpecula, quæ à nobis remota ſunt, providere & proſpicere oporteat.

In Ezechiel. 23.

31. Moral. 30.

1. Paſtor. 1.

in Cant. 7.

Eucherius ſer. ſpirit.

Nares exiguæ menſuram indicant, qua diſcretio hæc obſervanda eſt: ſicut quæ tortæ ſunt, & obliquæ, immoderatam diſcretionis ſubtilitatem: ita Richardus de S. Victore. S. Hieronymus ea quæ ſequuntur, digniſſima tanto viro, adjungit: *Nares habet, & non odorat, qui ſcientiæ diſcernendi nullum ſtudium impendit.* Sic Propheta Regius, de ſimulachris paganorum inquit: *Nares habent, & non odorabunt, non clamabunt in gutture ſuo.* Nares item, juxta S. Gregorium, perſpicatiam Sathanæ nonnullibi figurant, ſicut & inſidias, quæ de iiſdem ad perniciem humani generis evaporant; quibus naribus veterator etiam profunda pectoris, & abditos cordium noſtrorum penetrare receſſus ſatagit, ut inſtinctu ſuo peſtifero bonorum operum noſtrorum plenitudinem aufferat, & à curſu ſuo diſturbet. Hinc propheta Job, de naſo Behemot fumum egredi docet, quo divinitatem Jeſu indagare, vel ſubſannare tentabat. Idem S. Gregorius ſupra illud proverbiorum: *Circulus aureus in naſibus proa mulier pulchra, & fatua*, fatuitatem omnium maximè ſtolidam intelligit: verba autem jamdum citata, elegans eſſe Hieroglyphicum humanæ vitæ aſſerit, hanc enim etiam, dum in vivis degimus, reſpirando ducimus. S. Hieronymus adagium illud, quod jam ſupra memoratum eſt, confirmat: Naſum, inquam, irriſionis & ſubſannationis ſignum eſſe, ad hoc prophetæ Ezechielis verba referens: *Ecce applicant ramum ad nares ſuas*: Qui locus & à Simaco ſic exponitur: *Quaſi emittentes ſonitum in ſimilitudinem cantici per nares ſuas, quod dici poteſt de hæreticis, irridentibus cultum Dei, qui eſt in Eccleſia.*

De ſomn. Nabuchod. 38.

In Iob. 40.

Pſal. 113.

31. Moral. 21.

33. Moral. 10. 12.

39. & 40.

Cap. 11.

Quia vero objectum naſi odoratus eſt, cum quo relatio ei eſt indiviſibilis, requirit hic occaſio ut, quid in ſacris literis & in myſtico ſenſu per hunc SS. Patres intellexerint paucis demonſtrem. Ubi igitur ſponſa in ſacro cantico inquit: *In odorem unguentorum tuorum currimus*, excellentiam humanitatis Chriſti declarari docet Origenes, tum vero etiam dona illius, per quæ univerſa domus Eccleſiæ adimpletur: per idem etiam, ſecundum S. Ambroſium, juſtitiæ, & miſericordiæ divinæ fama denotatur. S. Bernardus in eodem textu ſimul & in illo: *Nardus mea dedit odorem ſuavitatis*, doctrinam Chriſti, & divinitatis illius manifeſtationem intelligit, porro & famam ſapientiæ, & juſtitiæ, & ſanctificationis, & redemptionis illius. Perfragrantiam odoris campeſtris, qui ſuper veſtimenta Jacob ſparſus erat, & propter quam moriens Iſaac ajebat: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*: (prout verba ſunt Geneſeos,) præfati auctores manifeſtationem divinitatis in Chriſto Jeſu, & virtutem reſurrectionis illius propalari volunt.

In Cantic. hom. 12.

Cantic. 1.

De Virgin. 3.

In Cantic. Serm. 22.

Gen. 27.

In pluribus ſcripturæ locis, ſicut in Geneſi, Exodo, Levitico, Iſaia, & ad Corinthios, illic præſertim ubi Paulus inquit: *Chriſti bonus odor ſumus*: commentantur S. Hieronymus, Gregorius, & Beda, ſub hac odorum ſuavitate bonorum operum fragrantiam intelligi, quippe quæ Deo accepta ſunt, tantoque magis, quanto purior eſt offerentis animus, ſub quibus item vera mentis denotatur devotio. Commentatur Origenes: *Odor*, inquit, *unguenti implet domum, cum ſanctæ vitæ opera, fides, & charitas abundant in Eccleſia*: Idem ipſe de odore nardi jam ſupra memorato exponit, humilitatem ſponſæ in hoc figuari, quippe quæ non ſecus ac humi naſcentes violæ, naribus Dei jucundiſſima ſit. Ex eo item, quod toties incenſi mentio fiat, Chryſoſtomus in hoc orationis fortitudinem coram throno Altiſſimi expreſſam eſſe docet. In eodem Cantico vinearum odor habetur: *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum*: denotat autem, ſecundum mentem Ambroſii, & Gregorii ſuavitatem bonorum operum, doctrinam, & inſtitutionem Angelorum, ſanctitatem religionis, & exempla ſanctorum, quæ famam à ſe ſuaveolentem non ſecus ac odorem evaporent.

8. 25. 29. 30. 1. 3. 3. 5.

Ad Demetr. quæſt. 3. in Ezechiel.

Hom 6. in Geneſ. 27. in Exod. hom. 3. & in Cant. hom. 4.

Cant. 4.

In Geneſ. hom. 23. 2. in Lucam.

In Cantic.

Poma illa punica, quæ tantopere ſe foliis, & fructibus

Cant. 7.

In Cant. Serm. 42. fructibus & fragrantiâ odoris diſtendunt, non incongruè, juxta mentem S. Bernardi, cum purpureis granis ſuis, vel rubinis, in torculari expreſſis, martyrum ſanguinem, pro Chriſto effuſum, ſparſumque, præfigurant, quippe qui gratiorem de ſe odorem ſpirat, quàm omnis Pæſti, & Sabbææ fragrantia. His item pomis juxta eundem authorem figuræ prophetarum, & omne quod in iis abditum eſt, denotatur. *Exod. 30. v. 35.* Huc referatur odor thymiamatis in Exodo memoratus. Per aromata, quæ Chaldæorum legatis demon- *39. 6.* ſtravit Ezechias Rex (ſicut in Iſaia legimus) juſtorum opera intelligantur; ſic commentatur Georgius *In Cant. 2. Tom. 3. c. 15.* Venetus. Hæ ſuavitates in naribus Pharaonis fœtent, opera ſiquidem bona dæmonibus inamœna ſunt: de *Cap. 5.* quo in Exodo figuratum myſterium eſt.

Aries de ſe ſvavem præbens odorem (cujus mentio in præfato Exodo eſt) juxta memoratos authores, quàm ſit Altiſſimo Deo martyrium gratum & acceptum præfigurat: plus adeo quam pretioſa compoſita thuriferæ Panchaiæ, & unguentatæ faces ex Arabiæ felicis lignis ſuaviter fumigantibus compactæ. Talem enim de ſe ſvaveolentia, ſpirat fama nominis bona, & bona vulgi opinio. Atque hic odor Libani *In Oſee. 14.* eſt, de quo in Oſee propheta S. Hieronymus memi- *In Exod. 29.* nit, ſicut & gloſſa ordinaria. Hoc odore, prout do- *In Levit. 2.* cet Heſychius paſcuntur juſti: & deficiunt impii. *35. Moral. In Cantic. Serm. 4.* Hic fuit odor primitivæ Eccleſiæ; ſic Gregorius & Bernardus inquiunt, tum cùm ad dexteram Patris Rex ſedit, & univerſa multitudo fidelium, in oratione ſua perſeverabat. Hinc etiam poſt Spiritus Sancti miſſionem hic odor prædicatione dilatatus eſt, & doctrina ſacra per mundum divulgata.

Cap. 22. Huc reſpiciunt myſteria Spiritus Sancti in proverbiis: *Unguento & variis odoribus delectatur cor.* Per incenſum, quod Deus filiis Aaron præbendum *Levit. 2.* ordinat, & id quod Apoſtolus ait: *odorem notitiæ ſuæ* *2. Corint. 2.* *manifeſtat per nos in omni loco*: Sanctus Ambroſius *Loc. cit. 2.* cognitionem intelligit, & ſcientiam quam de Deo mediante revelatione, vel Evangelio, vel aſſiduitate ſtudiorum acquirimus. Hæc cognitio, & ſcientia Dei dicitur: quamvis enim per ſemetipſum videri Deus corporali oculo nequeat, per ea nihilominus noſcitur, quæ viſibiliter operatur, unde etiam doctrinæ ſuæ veritas manifeſtatur. Sic in univerſum doctrina bona per odorem bonum, huic contraria per odorem malum intelligenda eſt.

In Ezech. hom. 6. Eleganti proportione has odorum varietates S. Gregorius diſtinguit, cum ait: *Odor vitæ eſt in Prædicatoribus, odor olivæ in operibus miſericordiæ. Odor roſæ in martyrio, odor lilii in virginitate, odor violæ in humilitate, odor ſpicæ maturæ in operum perfectione.* S. Dionyſius in cæleſti Hierarchia ſua, myſticè hunc odorem collocat in Angelis, capacitatem intelligentiæ illorum adſtruens, virtutemque illorum in quacumque re dijudicanda, per quæ nimirum fragrantiam vivam, & ſuavem admittunt: unde etiam inter odores & odores norunt diſtinguere, rejiciendo quod putridum eſt, & quod procul fugiendo ab iis rebus, quæ penetratione, aut indagatione digna non *Iob. 14. 9.* ſunt, In odore aquæ, de quo legitur in Job: *Arbor ad odorem aquæ faciet comam, quaſi cum primum plantata eſt*, S. Gregorius Papa exponit, ſubintelligi doctrinæ bonæ vel malæ auditum: aut vero ſicut aqua inundare ſolet, ſic flatum quoque Spiritus San- *In Iſaac. 300.* cti in corda electorum derivari. Rurſum in veſti- *20. de Iacob.* mentis Jacob S. Ambroſius myſteria legis exponit: *Ad milites Templi 7.* In uberibus ſponſæ de ſacro Cantico manifeſtatur *De Gloſſa Trinitatis. 8.* doctrina Chriſti per orbem univerſum dilatata, ſic S. Bernardus, & Rupertus Abbas commentantur.

In Iob. 39. S. Gregorius & Hieronymus docent, expreſſiſſe optimè intrepiditatem & valorem Prædicatoris bo- *31. Moralium.* ni, aut Evangelicum miſſionarium verba illa patientis Job, tum videlicet cum jam procul perſecutiones ſuas & martyria, & paſſionem ſuam prævident: *Odoratur equus bellum*: Hi enim tales cum animoſitate Chriſtiana ad prælium accinguntur, & ad infidelium tormenta. Incenſa & thymiamata, prout *In Ezech. hom. 7.* S. Hieronymus, & Origenes ajunt, quæ olim litabantur Idolis (de quo meminit Ezechiel) & tamen *In Ezech. hom. 9. 6. 16.* ſoli cultui divino dedicata & inſtituta erant, eas res denotant, quæ cum ſui naturâ bonæ ſint, vitio noſtro in malum vertuntur: ſicut inter alia ſcripturæ ſacræ ſunt, ſiquidem in ſiniſtram partem contortæ, & interpretatæ fuerint. Denotant item vitioſos animi ſenſus. Cunctæ præterea res, quæcunque ad cultum veri Dei, ad virtutes, ad bonos animi motus pertinent, odores appellari poſſunt, ſic S. Hieronymus *In Iſai. 3.* inquit. Atque hic Capitulum iſtud terminetur.

HISTORIÆ, OBSERVATIONES, RITUS, & CONSUETUDINES.

REverentur, & amant Perſæ, quibus naſus aduncus eſt, quos etiam Gryphos nominant, ſimilitudine ſumpta ab animali hoc; arbitrantur enim inſigne pulchritudinis eſſe, quod cætera longè antecellet. Cyrus Rex eorum potentiſſimus (prout Author eſt Plutarchus, & Rodiginus) tam cæteris, quàm hac potiſſimum de cauſa genti ſuæ acceptiſſimus erat. Phyſiognomici duo genera Gryphorum eſſe docent, id eſt hominum eorum, quibus naſus aduncus eſt: primis ubi frons terminatur, in prima naſi radice gibbus eſt, vel aduncitas, quod ſignum extremæ ſtupiditatis eſſe docet Ariſtoteles, ſimilitudinem verò pſittacorum habent, & corvorum. Alterum genus hominum aduncitatem hanc ſeparatam gerit à fronte, & in medio naſi collocatam, repræſentans formam uncini: opinatur autem prædictus author, in his, quia ſimilitudinem roſtri aquilini exprimunt, ſignum eſſe magnanimitatis, & excelſi animi. Adhærent huic ſententiæ, Plutarchus & Cælius. Refert Jovius Ma- *In Politia. lib. 8. c. 2.* hometum ſecundum Regem Turcarum usque adeo *Antiq. Lect.* in hac parte aduncum fuiſſe, & prominentem, ut in *In ejus vita.* medio, non ſecus ac proboſcidem quandam protenderet, quæ in fine ſuo ipſa propemodum labia contingeret. De Carolo Quinto idem ipſe refert, quod naſum mediocriter aquilinum habuert. Cuſpinus de *Dictum quoddam facetum Morionis cujusdam ad Imperatorem ejusque reſponſum.* Rudolpho Imperatore meminit, quod natura eum naribus tam elevatis dotaverit, ut aliquando cum Morioni cuidam præcepiſſet, per anguſtum iter tranſire ad milites, facete & dicaciter ille reſponderit, impediri ſe naſo Imperatoris: Ille vero manu naſum prehendens, ait: tranſi, impedimentum ſublatum eſt. Hæc earum hiſtoriarum una eſt, quæ palam faciunt morionibus, quæcunque velint garrire permiſſum eſſe.

Non abſimile mihi illud videtur, quod Plutarchus, *In Sympo. lib. 5. cap. 3.* & Laërtius de Theophraſto Ereſſio commemorant, qui amicum Regis Caſſandri intuens, naribus contortis & ſimis, ſic eum alloquebatur: mirum quod oculi tui non canunt, eo quod fiſtulam, vel cytharam ſibi tam propinquam habent. Hac conformatione inſignis erat Horatius Cocles, generoſus ille; quippe cui nullum erat inter ſupercilia interſtitium, ſed illa naſo ſibi contiguo inſidebant; ſic Valerius, Livius, & *Lib. 3. c. 2.* Florus recenſent. Narrat Alexander fuiſſe Regem Æthiopiæ, qui delicta punierit, non ſupplicio mortis, ſed mutilatione narium; videbantur enim illi ſat *Delicta per mutilationem narium caſtigata.* caſtigati hac faciei deformitate, ut cæteri deinceps tanto cautius ſibi ab ejusmodi criminibus, hoc exemplo

Lib. 3. c. 2. exemplo abſterriti, præcaverent. Sic Perſarum Rex quidam (juxta eundem) ſeditione civili graviter irritatus, & ad iram incitatus, ſedato, vel compoſito tumultu, quoscunque reos deprehendit, vel contumaces, naribus mutilavit. Inter Ægyptios lege ſancitum erat, ut omnes adulteri hanc eandem pœnam incurrerent: hæc ſi temporibus noſtris vigeret, quot & quanti ſine naſo futuri eſſent!

SIGNATURÆ PARTIUM.

QUam difficile ſit odoratum ſemel amiſſum recuperare, ex eo patet, quod natura tantopere in ſuggerendis ſimplicibus parca fuerit & avara, ad vitium narium, & odoratus pravitatem corrigendam. *Mentha aquatica odoratum revivificat.* Apud Botanicos aliud ſimplex hactenus non invenio, niſi Mentham aquaticam: hæc videlicet, acutiſſimo & maxime penetrativo odore dotata, virtutem habet, ut extinctum odoratus ſenſum exſuſcitare, & renovare valeat. A natura ſua ad hoc deſtinata videtur, dum in foliis ſuis figuram exprimit naſi, quæ folia ei & arcta, & hirſuta ſunt: flos puniceus eſt, vergens aliquantum ad candorem. Extractum hujus genimi- nis, ſicut ajunt Oſvvaldus Crollius, & doctiſſimus Aldrovandus, ad medendum præmemorato defectui potentiſſimum, & admirabile medicamentum eſt.

DEDICATIONES.

CUm per iram vehementem inflammentur oculi pariter ac naſus, atque iidem rubeſcant, idque vi ſanguinis, qui à bile, & corde illuc mandatur, cum præterea iracundum eſſe, martialis animi proprium ſit, antiqui naſum (ſicut docent obſervatorum do- *Aldrovand. de monſtris. Cyrus Spuntonus.* ctiſſimi) dedicavere Marti: Cumque hic ſocius ſit Veneris, Metopoſcopi dixerunt, hominem cui plurimæ frontis ſummitati lineæ inſideant, diſſolutum in libidinoſis actionibus, & ſalacem eſſe; quod tamen (cum nulla ratio nec fundamentum ſuffragari videatur) nullam omninò fidem meretur. Ambo hi affectus, ira videlicet & libido, tanta ſollicitudine refrænandi ſunt, quàm eſt noxium impendiſſe quadrigas, quæ ſoluto fræno ad præcipitium feruntur. Dixit hoc *De Repub. Lib. 4. Hexa.* Plato: *Currus efferatis equis, & præcipiti curſu nimis ad præcipitium properans.* De iracundia Baſilius inquit: *Ira hominem prorſus efferat; ac ne hominem quidem eſſe ſinit.* De concupiſcibili inter tantos Ovidius decantato illo, ſed ſenſatiſſimo diſticho inquit:

Qui facies facies Veneris cum veneris ante,
Ne ſedeas, ſed eas, ne pereas per eas,

Difficultas, quam qui noverit exuperare, ad hoc facile pertinget, ut gloriam honoris, ut præmia, & ſecuritatem aſſequatur. Hæc porro difficultas per concivem meum tam canorum arguitur, dum ait:

Malagevole impreſa e auer l' impero
De gl' indomiti affetti, e ribellanti,
E non errar, oue dal buon ſentiero
Gli allettamenti al traviar ſon tanti.

Unde & hortamentum illud ſapientis cujusdam maxime uſu veniet:

Extra undam, & fumum longe compelle carinam.

ANTIQUORUM NOTÆ SUPRA LITERAM N.

VIdebit Benevolus Lector, in his partibus, quas deſcribendas aſſumpſi, indigitari in ſtructura hominis Alphabeti literas omnes, quæ tamen jam ante me à Phyſiognomicis productæ ſunt, præcipue autem ab doctiſſimo, & ſtudioſiſſimo viro Porta: unde & inter tot ſingulares qualitates externas partium humanarum, hæc quoque in Alphabeto animato numeranda eſt, nec enim ſolum os ad formandam loquelam impenditur, nam & reliquæ omnes has quoque vices obeunt, ut præfatos characteres exprimant, & muta quadam eloquentia ratiocinentur: hic conceptus quamvis hyperbolicus, nihilominus veriſſimus eſt. Dum ergo olim ſignificanda eſſet hæc litera N. naſus tangebatur, ab hac enim nomen illud initium ſuum capit. Simplex vero N. hæc ſequentia figurabat: *Non, Nomen, Nonius, Noſter, Numiſma, Numerator.* Hæ literæ NAV. *Naves, navicula.* NBL. *Nobilis.* NC. *Nunc.* N.C. *Non certe. Nero Cæſar, Nerò Claudius.* N.C. SN. CO. S.D.E. *Notis Civibus Senatus Conſulti ſuffragium datum eſt.* N.C. N.P. *Non clam, neque precario.* N.C.C. *Non calumniæ cauſa.* N.E.D. *Notus & dives.* NEG. *Negotiator.* NEPT. *Neptunalia.* NEP. RED. *Neptuno Reduci.* NEP. S. *Neptuno Sacellum.* N.F.C. *Noſtræ fidei commiſſum.* N.F.N. *Nobili Familia Natus.* N.H. *Natus homo.* N.C.C. *Non Calumniæ Cauſa.* N.L. *Non liquet, Nominis Latini, Non licet, Non longe.* N.M. *Nonius Macrinus, Non malum, Non minus.* NN. *Noſtri.* N.NQ.N. *Numerat, neque numerum.* NO. *Nobis.* NO. *Noſtrum.* NOB. *Nobilibus.* NOB. G. *Nobis generatus, Nobili genere.* NOB. G.N. *Nobili genere natus.* NOB. F.N. *Nobili familia natus.* NON, N.P. *Nonnihil poteſt.* NQ. *Nusquam, Nunquam.* N.Q. AN. *Numerat: qui annumerat.* NQ. N. *Nunquid non.* NR. *Noſtrorum, Noſtrum.* N.R. *Non reſtiterunt.* NR. *Nero.* N.R. *Nobis Ravennas.* N.S.E. *Non ſic eſt.* NT. *Nominatis.* N.T. *Noſtri Temporis.* N.V. *Non vis, non vocat, non valet.* N.V. N.D. N.P.O. *Neque vendetur, neque donabitur, neque pignori obligabitur.* NUP. *Nuptias.* NUS. E.P. *Natus eſt puer.* N. VV. *Non vult.* Fortaſſe his copioſiora in Authoribus inventurus es, quæ me præterire potuerunt: Hæc idcirco porrexi, ut inde delibes: nec enim tanta mihi plenitudo in promptu eſt, ut te plenis buccis exſatiem.

EPITHETA.

EPitheta cæteris materiis non inferioris momenti ſunt, ſiquidem rei cujuscunque qualitates vivaciter exprimunt, conditionemque ſignificationis exponunt, non ſecus ac pictor ſagax ab originali copiam ſuam mutuatur. Ita Horatius nonnullibi naſum pravum nominavit. *Pravo vivere naſo.* Alibi aduncum: *Naſo ſuſpendis adunco, ignotum.* Catul- *In arte Sc.* lus turpem appellat: *iſta turpiculo puella naſo.* Rorantem Martialis: *Exprimeret quoties rorantem frigore naſum.* Humidum Juvenalis: *Et jam lene caput, madidique infantia naſi.* Idem ipſe ſiccum: *Satyr. 6.* *Sicco venit altera naſo.* Iſiem Vigilantem: *Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo.* De naribus quoque, inprimis ſic dixit Santo: *Stillat ab immundis naribus Hippomanes.* Aduncas nominat Lucanus: *Lucan. l. 2.* *Spiramina naris aduncæ.* Adamantinas Ovidius: *5. Metamor.* *Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant.* Balbas *Satyr. 1.* Perſius: *Rancidulum quiddam balba de nare locutus.* Apertas Virgilius: *Suſcipiens patulis captavit naribus auras.* *Lucret. l. 6.* Acres Lucretius: *Ubi acres nidore offendit aures.* Cavas Ovidius: *Perque cavas nares, oculos, auresque cerebrum molle fluit.* Teneras Sidonius: *Obtrudit teneras circumdata faſcia nares.* Idem Sagaces: *Quis nare ſagaci monſtrat odor pinguem clauſis ab ovilibus auram.* Mucidas Conradus: *Nec nares ſibi mucidas detergit.* Idem Imbriferas: *Barba madet pluit imbriferis de naribus humor.* Piloſas Ju- *Satyr. 14.* venalis: *Naresque piloſas annotat.* His mi Lector alia inſuper pro voluntate pro ſolido judicio, pro ſtudio, & inſtinctu tuo adjungito.

PHYSIO-

PHYSIOGNOMIÆ, & SOMNIA.

PHYſiognomi arbitrantur, nares plenas, & craſſas, abundantiam ſangvinis, maſſamque humorum copioſam arguere, atque ideo hujuscemodi homines concupiſcentiis maxime deditos eſſe; Quæ obſervatio omnimodo vana eſt, nec enim defuerunt homines continentiſſimi, & ſanctitate vitæ illuſtres, quibus hæc pars vultus prominens fuit, & elevata. Non ſine veri quadam ſimilitudine aſſerunt, ſiquidem alæ narium craſſæ fuerint, & convolutæ, ſegnitiem indicare, & torporem, morumque, & motuum tarditatem, ac propterea ignorantiam craſſam, juxta partis hujus qualitatem. Annuntiat item, juxta mentem præfatorum, ſiquidem dicta pars prominentior fuerit, & acuta, iram ſubitam, motumque velocem: propter quod indicium bilis ſit, quæ ſubtilitate ſua ſuperiora ſemper petat: quod item patentes, vel hiantes nares indicant. Rotunditatem narium, quarum nihilominus extremitas gracilitatem habeat, aſſerunt inconſtantiam, & levitatem portendere, quippe quod hæc pars inæqualis ſit, & incompoſita. Naſus ad ſummitatem frontis recurvus idem quod ſupra, prout illi cenſent, præſagit: tum præterea & inverecundiam apertam: ſicut rurſum, quibus naſus vel ſimus vel planus eſt, ad omnem adeo concupiſcentiam pronos eſſe: porrò oblongum (ſicut jam alibi meminimus) probitatem, magnanimitatem, & audaciam ſignificare.

Prolabuntur de his Onirocriti, & ſomniorum conjectatores vani, & argumentum ſuum inde ſumunt, ut ſi quis ſomniaverit ſe ingenti naſo dotatum, futurum eſſe, ut in hominem ſagacem, docilisque ingenii evadat: quaſi verò hæc moles, & non potius bonarum artium ſtudium prudentiæ & ſapientiæ poſſeſſionem acquirat: nec enim credo fatuitatem hac majorem vel in ſenſum noſtrum cadere, quàm opinari, dormiendo nos ſapientes fieri. Dicunt item, eum, qui oppreſſus morbo, ſe ſine naſo eſſe ſomniaverit, vicinam inde ſibi mortem eſſe ominari poſſe. Manifeſta ſtoliditas! quaſi vero ſine naſo vivere non liceat. Atque ita quanto plus dormiunt, tanto ſe majora ſapere opinantur: tantoque magis apertos oculos ſe habere gloriantur, quantò maxime concluſi ſunt: centrum ſuum in ſemetipſis quærunt, & foras feruntur: tanto magis ſine naſo, quánto magis naſuti.

Faſciculum Tractatus hujus exigui, eleganti ligula ſequentium verſuum conſtringam, quos Vincentius Maria Mareſchalchus ex Senatoribus vir nobiliſſimus, compatriota, & collega meus, concepit: cujus viri erudita Muſa, mundum univerſum applauſibus ſuis, & harmonia eloquentiæ ad mplet. Legat hæc Lector, & ex ungue leonem, ex hoc ſigno ſublimitatem & valorem pennæ illius dijudicet, quæ ad gloriæ cælum magnis viribus evolat:

Naſo di bella Dama.

Oh, prodotta a gl' incenſi unica parte,
Arta, oue il bello e quaſi Nume aſſiſo,
Trono, onde mai la maëſta non parte
Per regolar la monarchia d' un viſo.
Per te manrienſi in amoroſo Marte
Fra la Gota rival l' vſtro diviſo,
E con giuſto cador s' alza, e comparte,
Trinciera al pianto, e Padiglione al riſo.
Tu l' obiliſco ſei, oue ſoſpeſe
Il triomfante bmor l' Arco, e le faci
Del curvo ciglio, e dello luci acceſe.
Tu piramide ſei ſacra alle paci,
A pie di cui per ſepelir l' offeſe
S' apre in vivo coral l' urna de baci.

MAXILLÆ, GENÆ, ET FACIES.

Anatomia.

AMice Lector, noli obſecro mirari, ſi in hoc capitulo tibi ordo perturbatus eſſe videbitur, de toto ſimul, & de parte tractatum vides, materia ſiquidem mandibularum & maxillarum ſterilis eſt, ſicut genæ quoq; complementum faciei ſunt. Quamvis igitur hæc in ſecundo libro hominis univerſalis collocare poteram, cum tamen pars integrans ſint, bonum eſſe arbitratus ſum horum ſenſum & expoſitionem hic connectere, ut hic tractatus tibi non minus ſuperioribus copioſus offeratur, & repletus. Si in capitulis numeroſus non ero, & diffuſus, in his tamen paucis quæ allaturus ſum, ſat fuſus ero. Talem autem eſſe me oportuit; cum in Authoribus diſtinctiones adæquatas non invenerim. Abſolves itaque & hanc lectionem, cæteris non minus utilem, & fructuoſam, ut ſpero.

Originem ergo, prout jam conſuevimus, fundemus ex Anatomicis. Binas eſſe maxillas, ſuperiorem & inferiorem cuique notum eſt: quarum illa, ſi pſittacum, & crocodilum exceperis, in homine, & reliquis animalibus immobilis eſt. Hæc immobilitas ornamentum vultui præbet. Nimium ſiquidem indecorum eſſet, ſi facies tota vel moveretur, vel rugis ductis deformaretur. Inferior autem motum ſuum habet, eumque liberum; non ſecus ac in mola lapidum molarium unus quietus, alter mobilis eſt: ſic & hæ maxillæ non immerito molares lapides vultus nominari poſſunt, quippe quæ eandem formam præſeferunt. Ecce quam ſtudioſe ars naturæ vices imitatur. Prima earum rotunda eſt, nec vero ſicut brutorum animantium proſtat, & extenditur, ſed pro decore & compoſitione meliori applanatur: Hæc verò aliquanto longior ſecernitur. Prior illa è pluribus oſſibus harmonicè articulatis componitur, ſecunda item juncturis duabus, quæ ſychondroſis, ab Anatomicis appellatur, proviſa eſt. Tres interim commiſſuræ maxillam ſuperiorem ab oſſibus capitis diſterminant, & disjungunt: duæ inquam communes, notæ Medicis, & altera quæ in oſſe jugali obſervatur.

Ejus figura varia admodum eſt; dum apertam eam in ſuperiori parte cernimus, inferior recollecta, & conſtrictior eſt: de hac procedit conformatio naſi, ubi maxime protuberat, & elevatur: quod tamen ſoli homini particulare eſt. In maxilla ſuperiore canales dentium, tanquam ſedes ad hoc deſtinatæ (quæ ſe abdunt, & concentrantur, tanquam antra, ſinusque ampliſſimi, in ſimilitudinem imaginum è cera compoſitarum vel fuſarum, ne forte pondere ſuo aggravare poſſint) nec ibi deſunt foramina, arteriis, venisque pervia.

Andreas Laurentius, quem directorem hic ſequor, oſſa ſuperioris maxillæ undecim eſſe ſtatuit (relinquendo, prout inquit, opinionum tanquam fluctuum varietatem lubricam) quinque cujusque partis propria, unum ſine pari. Ego vero Anatomicis curioſioribus, & interna penetrantibus diſcutiendum relinquo, quibus quodque uſibus deſerviat. Hoc ſolum dixero, qualiter prima duo minorem angulum conſtituant, portionem orbitæ oculorum partem item Rigomatis, vel oſſium auricularium. Connectitur oſſi frontis, commiſſura illa, quæ de cavis temporum ſinibus decurrens, per medium orbitæ ad medium naſi defertur. Altera bina oſſa, quantumvis reliquis minora majorem tamen angulum formant, ubi foramen eſt ad nares usque protenſum, quibus quædam ſupereminet caruncula ad ſimilitudinem glandulæ, quæ pituitam exprimit, de cerebro ad nares deſtillantem. Hæc admodum tenuia ſunt in ſimilitudinem ſquammarum, quæ ſe largius committunt.

Cætera duo, quæ in ordine tertio ſunt, reliquis grandiora ſunt, dum dentes quoque inciſorios continent. Hæc ſinus habent ampliſſimos, tria inſuper foramina, per quæ venulas, & arterias transmittunt. Rurſum altera bina, in ordine quarto, in extremitatè palati collocantur, foramina enim narium ad hunc pertingunt: ſeparantur autem ab oſſe maximo, mediante commiſſura, quæ ſphœnoidi ex adverſo cum linea quadam tranſit, & quæ per dentes extremos ad partes illas fertur ab anatomicis miro nominum involucro appellatas. Ultima duo, quæ in quinto ſunt ordine, oſſa naſi tenuis, ſolidi, duri, & quadrangularis efformant. Reſtat undecimum os, quod ſupra medium, & ad intima palati deſtinatum eſt, cujus forma figuram aratri imitatur, partemque inferiorem ſeparat & dividit à naribus. Hoc dixiſſe de ſuperiori maxillarum parte ſuffecerit.

Inferior ab intrò item cava eſt, & medulloſa, ad nutrimentum, & incrementum; imo verò & productionem dentium. Foris ſolida eſt, & duriſſima, ut in maſticatione valeat; quæ in homine tamen elegantiorem habet, quam in quovis animalium compoſitionem: Per motionem hujus prima fit ciborum concoctio, juxta Aphoriſmum illum medicum: *Prima digeſtio fit in ore.* Hîc cibus mollitur, & manditur: imo ut cum omni circumſpectione loquamur, hîc dilatatur, & egreditur. Hæc maxilla, ex communi Protomedicorum Hippocratis & Galeni ſententia duobis oſſibus conſtat, quæ invicem in menti medio uniuntur, intercedente vel interſerta cartilagine quàdam: quæ apud infantes usque ad ſeptimum ætatis annum mollis perſeverat, ſed apud adultos in naturam oſſeam degenerat, quæ nec coctura, nec putredine dividitur, aut ſeparatur; usqueadeo inviſcerata ut ab oſſe non differat.

Cuncta hæc pars inæqualis eſt, & multis propemodum monticellis exaſperatur, ut inſertio muſculorum fiat, qui ibidem naſcuntur. Tam in ſuperiori quam inferiori parte in duos ſinus, vel proceſſus terminatur, quorum primus in acumen deſinit, cui tendo inſeritur, qui de muſculo temporum procedit: hic ſi forte relaxatus fuerit, aut labi videatur, ſignum lethale eſt, ait Hippocrates, idque ob diſtentionem, vel relaxationem muſculi nobiliſſimi, & omnium maximè præcipui. Cum altero proceſſu fit articulatio cum oſſibus temporum maxillæ inferioris. Adjuvat articulationem hanc cartilago quædam mollis, quæ officium ligamenti præbet, motum facilem reddit, efficitque ne oſſa continuis agitationibus & colliſionibus quaſſata confringantur, & conterantur. Admittit hæc quoque pars ſinus quosdam, qui medullam continent, ſicut & cavitates, quæ radices dentium recipiunt, & quæ latinè præſepiola, locelli, aluearia, foſſulæ, mortariola nominantur. Duos poros in eorum uno habet, qui nervo conjugationis tertiæ uniuntur, atque hic ramos quosdam minutos ad radices dentium ſpargit, aditumque venis & arteriis ſubminiſtrat. Hæc autem oſſa exigua, ſiquidem diſruperis, non niſi unum eſſe videbuntur.

Interim facies homini ſolum propria eſt; tanquam pars externa maxime viſibilis, & obſervationi expoſita, ſenſus continens præcipuos, quibus videt, audit, fabulatur, odorem, & intellectum exercet. Hæc ſola, etiam ſi ratio abſit & intellectus, hominem ab animalibus cæteris diſtinguit, & huc ſpectant Ovidii verſus jam alibi memorati:

Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus. Metamorph.

Hac parte hominis terrefiunt, & expaveſcunt bruta animantia inferiora homini, unde etiam timore quodam inſito ab eodem fugiunt. Hoc inſuper admirabile in illius ſtructura eſt, quod cum in eadem nonniſi decem membra collocata ſint, in tot millenis nihilominus difficulter duæ inveniantur facies ſibi invicem ſimiles: cumque ſit ſenſubus abundans, & lineamentis ſuis animi motus exprimat, imago animæ, à potiori Doctorum numero appellatur: Idque non ſine ratione, in ſuperciliis enim ambitio, in genis, de quibus nunc ratiocinamur, verecundia, in mento majeſtas, in fronte ſapientia, in omnibus ſui partibus, honeſtas, authoritas, pulchritudo hominis deſcribitur. Hæc unica eſt, quæ omnium in ſe oculos provocat, & totius perſonæ ſuæ ideam præbet: Hæc nos ſupplices, lætos, melancholicos, erectos, & demiſſos: Hæc ſola ſexum, ætatem, ſtirpemque denotat, index verax boni aut ſiniſtri corporis temperamenti: In hac apertiſſima vitæ & mortis indicia ſunt, unde doctiſſimus Protophyſicus Hippocrates tantoperè Medicis imperat, ut ante omnem actionem ægrotantis vultum ſedulo contemplentur.

Pars ejusdem ſuperior, locum frontis obtinet priorem ad ſupercilia usque, inferior à ſuperciliis ad mentum. Cutis ejus hoc ſingulare habet, quod quantumvis perforata ſit, damnum inde non habet, ſed utile, pompam, & decorem: ſicut eleganter doctiſſimus vir Laurentius vates imitando inquit: *In ſacra ſeptem ſint Palladis arce feneſtræ.* Membrana, quamvis in univerſo corpore nervoſa ſit, hic veraciter carnoſa eſt, & muſculoſa, tamque tenaciter carni adhæret, ut vix fortiter tracta ſeparari poſſit, unde provenit, ut ſola hæc faciei cutis pro libitu noſtro moveri poſſit. Partes propriæ muſculi ſunt, qui faciem, & oſſa commovent. Quidam opinati ſunt, vultum totum panniculo ſolo carnoſo commoveri, unde eam muſculum largum, apertum, & cuticularem nominarunt: ſed fibrarum diverſitas, &

motuum varietas docent, particularem cuique parti muſculum aſſignandum eſſe. Unde illic reperias muſculos fronti, palpebris, naribus, & labris deſtinatos, quos in univerſum doctiſſimus Laurentius, ſicut & alii deſcripſerunt. Partes primæ, & nobiliſſimæ quæ in facie continentur ſenſuum externorum ſunt, organa viſus, auditus, odoratus, & guſtus; oculi nimirum, & aures, nares, & lingua, de quibus affatim ſupra jam meminimus, & deinceps mentio futura erit.

MYSTICA IN MAXILLIS.

15. GRandem illam in libro Judicum memoratam aſini mandibulam, qua fortiſſimus virorum *De Sp. S. Prol. in Matth. hom. 14.* Samſon magnam hoſtium tam ferocium ſtragem peregit, S. Ambroſius, & Origenes patientiam ſignificare poſſe inquiunt, qua inimicos Infernales debellamus, & vincimus: ſimilitudine mutuata, ni fallor, à ſubmiſſione miniſterii, qua hoc animal cuicunque oneri portando dorſum ſuum præbet. Ad prædictam patientiam alluſit increata Redemptoris noſtri *Matt. 5. Luc. 6.* ſapientia, tum cum in S. Matthæo, & S. Luca ajebat: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Per fontem qui exinde ſcaturivit, expreſſus fuit (ſicut ſentiunt S. Hieronymus, *In Iud. 19.* & Rupertus Abbas) fons vitæ Chriſtus, pro ſalute mundi expoſitus: flumen item fecundum eloquii divini, ejusque virtus, qua infinitas hoſtium turmas proſtravit. Porro quod Samſon populi Judex erat, ſignificatur Chriſtus univerſitatis Judex: Hanc ma*In Mich. l. 5.*xillam percuſſerunt Judæi, prout in Michææ prophetia habetur, ſupra quem doctiſſime S. Hieronymus commentatur.

De eo, quod in lamentationibus Jeremiæ legitur, *1. Moral. 7. 8.* planctum referens Eccleſiæ, *& lacrymæ ejus in maxillis ejus.* S. Gregorius ait Sacerdotes maxillas eſſe Eccleſiæ, aut vero prædicatores, qui peccatores ad pœnitentiam provocant, eorumque interitum deplorant. Per has maxillas Eccleſia conterit, & confringit iniquos: tum verò etiam in miniſtris ſuis devotis, cibum maſticat, & præmandit infantibus, & lactentibus ſuis: Concludit Sanctus: *Patriarchæ etiam fuerunt maxillæ Eccleſiæ.* Maxillæ, & tempora Siſaræ Ducis transfixa clavo denotant eos, qui res prophanus, & indebitas hactenus protulerunt, quibus poſthæc crucis paſſio annuntianda ſit: Sic Ori*Ind. hom. 5.*genes docet. Adjungit ad dictum illud Job: *Nun*-*cap. 40.* *quid ſpina perforabis maxillam ejus*, & ad illud Ezechielis: *Ponam hamum in maxillis tuis*: S. Grego*13. Moral. 14. 17.*rius Papa, & ait, fortitudinem ſignificari diaboli, in tentationibus, quibus nos triturare, & cribrare ſatagit: De hoc enim meminit ſcriptura cum Leviathan ſerpentem nominat.

MYSTICA GENARUM.

PArallelum aliud hoc elegantius dari non potuit Sponſi ad Dilectam ſuam in Cantico, quam cum *Cap. 5.* de ea inquit: *Genæ tuæ ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis*: In quo, ſicut S. Gregorius & Rupertus Abbas commentantur, Sancti Martyres intelligendi ſunt, qui non verentur pro fide Jeſu ſanguinem profundere: Quemadmodum etiam genæ ſua purpura tinguntur, & oſtro luminoſiſſimo, per has pulchritudo fidei publicatur: unde in his quoque 50. Redemptor noſter cædi voluit. De hoc tanto myſterio Iſaias typice loquitur: *Genas meas dedi vellentibus.* Hic item indicari poterit, prout refert Origenes, habitus ejus externus, quo veſtiti, & *In Cantic. hom. 2.* ſub quo abſconditi Electi ſalvantur. Juxta eundem Patrem, in hoc loco virgines quoque non impropriè ſubintelligi poterunt, quæ toto corde ſe pudicitiæ devoverunt, ſicut in genis potiſſimum pudoris ſedes eſt. Arbitratur S. Ambroſius per genas indi*De Ob. Valen.*cari poſſe Sacerdotes & prædicatores, qui populo præpoſiti ſunt, quorum prædicatione ſi profectum fecerit plebs, non ſecus ac prominentes in Eccleſiæ facie maxillæ erunt: quibus S. Gregorius addit, quod per hoc ipſum Sancti Patres, miraculorum, & prodigiorum patratores, poſſint intelligi. Ejusdem mentis S. Gregorius eſt, S. Bernardus, & Origenes, quod *In Cant. hom. 1. ſuper idem. In Cant. Serm. 40.* videlicet genæ ſponſæ internum animæ aſpectum figurare poſſint: & ſi vultus index eſt cordis, genæ itidem indicium erunt ejus, quod intus tegimus: cum præterea in Sacro Cantico comparentur turturi, juxta mentem præfatorum, pudorem caſtitatis cum planctu deſignant.

MYSTICA FACIEI.

COmmentator Laurentius hic inprimis ait, per faciem ſignificari furorem, unde illud eſt Geneſeos: *A facie Sarai Dominæ meæ ego fugio*: Judici*Cap. 16.*um item tremendum, juxta illud Iſaiæ: *Quomodo* *Cap. 30.* *ſuſtinebis faciem Judicis?* ſignificat præter hæc ſuperficiem rerum: *In quo erat mel ſuper faciem agri*: *1. Reg. 14.* Item vindictam, ſicut in Levitico: *ponam faciem me*- *Cap. 20.* *am ſuper hominem illum.* Convenit facies Deo, tanquam attributum aliquod per Metaphoram. De hoc ait S. Hieronymus: *Dicitur facies Dei verbum, quod* *In Pſal. 79.* *eſt figura ſubſtantiæ ejus.* Vult S. Auguſtinus per Angelum præcurſorem Altiſſimi vaticinatum à Malachia propheta, & à pſalmiſta intelligi S. Joannem Baptiſtam. In poſtulatione illa Moſeos: *Domine* *Exod. 33.* *oſtende mihi faciem tuam*: & in repulſa Dei: *poſteriora mea videbis*: S. Cyrillus præconizari Judæos ait, *In Pſ. 138.* quippe qui priora Jeſu Chriſti non viderunt, hoc eſt divinitatem ejus, ſed in ſola poſteriora videlicet in humanitatem ejus intenderunt. Patriarcha Jacob item, qui vidit Deum facie ad faciem, prout liber Geneſis *32. Lib 3. c. 11.* recenſet, eum vidit in humana ſimilitudine, luctando cum eodem. Galatinus item author eſt, illic ubi *Num. 14.* liber Numeroram à populo viſum eſſe Deum facie ad faciem deſcribit, miracula, quæ patrabantur, tum verò etiam legum Moſaicarum traditionem poſſe intelligi. S. Auguſtinus in facie Dei ſupra memorata *De Trinit. 17. & 83. q. 1.* divinitatem ejus ſine velamine conſideratam intelligit. De his figuræ copioſæ ſunt in Exodo, & Pſalmis. *Exod. 33. Pſ. 43. 50. 67. 79. 138.*

Illic porro ubi Moyſes ad contemplandam, & è vicino intuendam faciem Altiſſimi elevatur, intelligi *Fortitud. Spirit. in 1. Reg. 10. Moral. 23.* poterit, inquit Eucherius, & Sanctus Gregorius, lux & revelatio divina, quæ tanquam ſpeculum fulgurans ſcintillat. Hæc illa facies ſerena eſt gratiarum, & miſericordiæ divinæ, de qua impii exulant, & eji*9. 30. 1. 13. 29. 30. 50.*ciuntur: prout illud habetur in libris Judicum, Paralipomenon, Job, & in Pſalmis aliisque inſuper locis, *In Iſa. 8.* (ſic ſentiunt Sancti Hieronymus, Baſilius, & Hila*In Pſal. 29.*rius) his adjungit S. Auguſtinus, per hanc faciem, *In Pſal. 66. 67. 104.* manifeſtationem, intelligentiam, & præſentiam *In Levit. 16.* Salvatoris noſtri figurari, mediante Dei Eccleſiæ, prout invenire licet in pſalmis. Quæcunque igitur contra Dei Eccleſiam perpretrantur, vultui Redemptoris præſentia ſunt, ſic commentatur Heſychius.

Toties jam citatus, pluriesque adhuc citandus S. Auguſtinus, dum dictum illud Davidicum conſiderat: *21. De Civit. Dei.* *Ne projicias me à facie tua*, ſic ait: *fugiunt inimici à facie Dei, qui timent præſentiam ejus, & Eccleſiæ.*

Quodcunque præterea ante conſtitutionem mundi *Oſee. 7.* factum eſt S. Hieronymus, & Origenes, inquiunt *In Iſai. hom. 14.* appellari poſſe faciem Dei: Hæc juxta Iſaiam Pro*Iſai. 6.*phetam à Seraphim contegitur, per quod demonſtra*In Ep. & factum eſt.*tur, quantopere à nobis abdita ſit. Meditatur S. Hieronymus per hanc divinam faciem Spiritum Sanctum poſſe intelligi, per quem Altiſſimus ſemet*Pſal. 138.*ipſum manifeſtat; ſic pſalmiſta inquit: *Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* In præfato *13. Theſaur.* ſcripturæ loco S. Cyrillus Alexandrinus iram Dei repræſentat, qua peccatores caſtigat, ſicut & juſtitiam divinam. In pluribus ſcripturæ ſacræ locis, præ*17. 23. 20. 67. 8. 4. 13. 1. 1.*ſertim in Levitico, in Pſalmis, in Eccleſiaſtico, in Threnio, in Jeremia, Ezechiele, Joele, Aggæo, *In Pſal. 138. Moral. 4. In Pſal. 37.* Sancti Hilarius, Gregorius, & Origenes, ubi facies divina repræſentatur in ſignificatione manûs, percuſſionem illam juſtiſſimam intelligunt, qua de Paradiſo parentes noſtros protoplaſtas, propter inobedientiæ, & prævaricationis delictum ejecit, & in exilium pepulit. Huc ſpectare poterit illud pſalmiſtæ *59.* dictum: *ut fugiant à facie arcus*: Adjungunt his præ*In Ezech. 13.*fati Sancti, ſupra illud Jeremiæ: *facies ollæ ſuc*-*In Ezech. hom. 2.* *cenſæ à facie aquilonis*: indicari hic manifeſtè vindi*In Matth. hom. 3.*ctam Dei, quæ quaſi olla ſuccenſa in peccatores ebulliat.

Item. Cap. 1. In facie Chriſti tota ſplendida, prout illa in monte *In hom. 2.* Thabor viſa fuit, atteſtantibus Evangeliſtis, Sancti *Reg. 16. de eſſentia divin.* Gregorius, Auguſtinus, & Hilarius manifeſtatio*Pſal. 131.*nem ſecretorum divinorum figurari inquiunt, ſicut & ſanctitatem Salvatoris noſtri: unde & ſancti in ſuperna paradiſi gloria hac facie fruuntur per cognitionem intuitivam quam poſſident. Hæc illa Davi*1. Reg. 16.*dis facies decora, de qua in libro primo Regum habetur, hic ille beatiſſimus vultus, de quo pſalmiſta: *Pſal. 44.* *ſpecioſus formâ præ filiis hominum.* Refert Rupertus *In Pſal. 94.* Abbas, poſſe per hoc item adventum Domini ſecundum figurari, cum quisque alterum in vultu cogniturus erit.

Per faciem Dei velatam, & obſcuram, de qua in *In Pſal. 79.* pſalmo ſeptuageſimo nono: *oſtende nobis faciem tuam, & ſalvi erimus*: Arnoldus Carnotenſis humanitatem Chriſti, & carnis infirmitatem demonſtrat: hæc facies confuſione adimpleta fuit, prout ait pſal*Pſal. 59.*miſta: *operuit confuſio faciem meam*: Hoc in doloroſa paſſione ejus, cum Judæorum ſubſannatione factum eſt. Ad quam tamen ille faciem ſuam non contorſit, ſed impavidus reſtitit, tanquam petra du*Iſa. 50.*riſſima, ut verificarentur quæ dicta ſunt per Iſaiam *Ezech. 3.* prophetam, & per Ezechielem: *dedi faciem tuam* *In Iob. 24.* *ut ſilicem, ut petram duriſſimam.* S. Hieronymus *Item. 21.* ſupra dictum illud Jeremiæ: *poſui faciem meam ſuper civitatem hanc*: in his inſinuari prophetas poſſe inquit, qui futurorum præſagi & prænuncii fuerunt: ipſa adeo prophetia ſæpè facies appellatur.

In juſſione illa, qua Deus Pater Eliphaz Themaniti, & Baldad, & ſociis ejus imperat, ut ad Job patientem ſe conferant, qui divinam pro iis iram placa*Iob. 42.*re poſſit, cum hac videlicet concluſione: *faciem ejus ſuſcipiam, ut non vobis imputetur ſtultitia*, ſic S. Hie*In Iob. 16.*ronymus commentatur: *facies Job deſignat faciem Chriſti, quam ſuſcepit Dominus, cùm orationem audivit.*

Hom. 4. in Ezech. 3. Diverſimode Sancti Gregorius, Hieronymus, & *In Matth.* Rupertus Abbas facies illas quatuor animalium di*Prolog. in Matth. in Ezech. 1.* ſtinguunt, quas Ezechiel propheta vidit. In nativitate Chriſti faciem hominis intelligunt: in ejusdem *In Ezech. hom. 3.* morte, faciem vituli: in reſurrectione faciem leonis; in myſterio Aſcenſionis faciem aquilæ: exprimunt itidem: divinitatem, humanitatem, Regale imperium, & Sacerdotium. Per has item Evangeliſtarum numerus quaternus indicatur, ſicut eſt communior interpretatio: porro & principia Evangeliorum facies nominari poſſunt. Georgius Venetus *Cant. 1. Tom. 7. Cap. 22. 29.* conſiderationem ſuam ad quatuor elementa levat, unde vitam noſtram trahimus, per quæ has quaternas facies, eorum quodque explicari poſſe tradit: aquila notat aërem: in vitulo naſcente aquam, qui de humore aqueo componitur, in leone focum, in homine terram: Et ſicut hæc univerſa ſimul juncta formam unam aſſumunt, ſic omnis adeo virtus in unitatem tranſit.

De ſenſu anagogico, ad tropologicum hominis deſcendunt Sancti Ambroſius, Hieronymus, & Gre*De Virg. 20. de Abraham. in Ezech. 41. in Ezech. hom. 4.*gorius. & ajunt quaternam hanc faciem diverſitatem denotare virtutum in homine, & in anima rationali. In figura hominis intelligi volunt quod in nobis rationale eſt, conſiſtens in cerebro: In leone fortitudinem intelligunt, non illam quæ rationis regimen evertit, quam ratio vitioſam eſſe condemnat, ſed quæ mentem roborat, & conſolidat, ne forte per infirmitatem, & mollitiem ſuam, hac illacque diffluat; ut animum militarem Chriſtiani hominis ad belligerandum exerceat. Conſiſtit robur hoc in bile. Facies vituli, motum concupiſcibilem deſignat, qui in hepate ſedem habet. Per aquilam Nemeſin illam, & Sintereſin intelligunt, quæ vindex errorum eſt, & correctrix prævaricationum. S. Clemens Alexandrinus rurſum aliter interpreta*5. Stromat. 3. In Apoc.*tur, ſicut & Rupertus Abbas: Qui in facie hominis, hominem juſtum figurari volunt. Dum ſe mortificando in Deo reſignat, vitulum exprimere. Hunc Leonem eſſe ſecuritate ſua, & fortitudine, qua reſiſtere impugnationibus, & aſſultibus poſſit. Aquila eſt per contemplationem, qua ſe, ſicut ille alatus Rex & propheta, in cælum levare poſſit.

Sentiunt Philo & Origines faciem hominis tan*1. Alleg. Cant. hom. 4.*quam partem nobiliſſimam, maximeque ſpectabilem indicare poſſe mentem pretioſam, & ſapientem, quæ magnæ æſtimationis & virtutis eſt: aut vero conſcientiam rectam, & in rebus eligendis diſcretionem boni. Inſpiravit Deus, inquiunt hi, in faciem illam Spiritum ſuum Sanctum, quò videlicet contra mundi corruptelas, & inſanias falſas muniretur. Hic vultus decorus eſt ſponſæ in Cantico, de quo Dilectus: *Vox tua dulcis, & facies tua decora*: *Cant. 2.* mens enim benè ordinata, omni virtutum genere ornata eſt. Haurit exinde S. Ambroſius elegantiſſimam proportionem & ſimilitudinem, dum ait: *Et ut cor lætum, reddit lætam faciem, ita charitas mentem. Hæc facies non erubeſcit, neque confunditur cum audacter prædicat Chriſtum.* Cum ex facie cognoſcatur homo: ſic nullus hominum, ajunt Sancti Baſilius & Hilarius, in conſpectu Domini, *In Pſ. 33. In Matth. Cant. 5.* apparere juſtus poterit, niſi faciem hanc internam cum perfecto lumine & ſplendore charitatis illuſtraverit, & decoram fecerit: Atque hæc illa Davidica facies eſt, decora, & amabilis, de qua ſupra meminimus.

Sancti Chryſoſtomus & Gregorius ſupra decre*12. Moral. 6. Reg. 14.*tum illud divinum datum Adamo: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*: has conſiderationes efformant: *Vultus, & intellectus, & voluntas dici poſſunt, quam in ſudore vultus ſui, hoc eſt labore intellectus & voluntatis veſcitur homo pane ſuo, hoc eſt acquirit ſcientias, & virtutes.* Dictum illud Davidi*Pſal. 103.*cum: *Ut exhilarem faciem ejus in oleo*: S. Cyrillus *7. In Ioan. 23.* ſic exponit: intelligi videlicet in hoc imaginem Dei. S. Bernardus item dum mœſtitiam mentis obtenebratæ, & obnubilatæ dolo malo, ob oculos noſtros ponit,

[Ioan. 11.] eam Lazaro ſimilem inquit, *cujus facies ſudario erat ligata*: facies autem Cherubim introrſum verſus propitiatorium ſpectantes, prout legitur in Exodo, [25. 1.] & Malachia propheta; idem Author ſignificare inquit mentem rectam: cujus intentionem rectà ad Redemptorem Deum ſuum dirigi oportet.

Actione illa humilitatis, qua ſe Moyſes dejecit, dum à Domino ad ſe videndum vocaretur, ſicut libro Exodi habetur, exprimitur, juxta Tertullianum [3. Adverſus Marc.] humiliatio mentis: pariter & illa facies Moyſis velata, quam adpertam videre Judices non poterant, velamen ignorantiæ denotabat: unde lumen legis intueri non poterant, nec divinitatem Chriſti, ſic Origenes docet: [In Exod. hom. 12.] Idem indicare poterit facies Ezechielis velata, ſicut & illa defuncti Patriarchæ Jacob, & [Gen. 50. Gen 38.] facies Thomæ cooperta.

[Gloſſa ordin.] Per faciem Joſeph, quam poſt fletum lavit & rurſum coram fratribus ſuis comparuit, gloſſa ordinaria demonſtrari poſſe inquit prædicationem Pauli Apoſtoli, qua Salvatorem annunciavit, quæ à Chriſto lota eſt, cum vas illud electionis baptizatum fuit. [In Gen. 42. hom. cum jejunatis.] Hinc Origenes ait: *facies aliquando ſignificat Eccleſiam, quam lavat aliquis, cum à membris ejus ſordes peccatorum abluere conatur*. S. Gregorius Papa ſupra [1 Reg. 1. Pſal. 44.] illud pſalmiſtæ: *Vultum tuum dtprecabuntur omnes divites plebis*: nos inſtruit, intelligi poſſe faciem, & pulchritudinem internam æque, ac externam, quam principes plebis, & maxime ſpectabiles in populo deſideraturi, & ſuſpiriis ſuis præſtolaturi ſint. [In Pſ. 44.] Declarat S. Baſilius faciem Eccleſiæ Rectores eſſe, & Præſides illius, de quorum aſpectu honor porrigitur fideli populo. [Serm. 1. in Capit. Iejun. Cap. 16.] S. Bernardus ſupra dictum illud Matthæi: *faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans*, exponit illud, de converſatione proximi: quam faciem lavant, qui in omni locutione ſua vigilantiſſimi ſunt, ne vel minimo nævo ſcandali quenquam offendant. Vultus item Eliab primogeniti Iſai in familia Davidica, qui ad menſam reliquis fratribus ſpecioſior & venuſtior apparuit, [Cap. 16.] prout liber primus Regum docet, ſignificare poterit converſationem externam, qua in plebe innotuit: [1. Reg. 16.] ſic commentantur Gregorius Papa, & Beda. Huc reſpiciunt verba illa Spiritus Sancti in Proverbiis: *In* [In Prov. 27.] *facie prudentis lucet ſapientia*; ſupra quod Iſidorus Clarus ſic habet: *Homo prudens ſemper in facie ſua habet, unde diſcas ſapientiam*.

Per faciem ſponſæ jam ſupra memoratam, com[In Cant. 2.]mentatur Gregorius Papa, intelligi poſſe pulchritudinem illam, quam habet anima quæ à Deo per fidei & virtutis ſibi invicem copulatæ, decorem, adamatur. In vultu Davidis coram Abimelech immutato, de quo eſt argumentum pſalmi tertii & trigeſimi, re[Super Pſ. 33.]cognoſcit Arnoldus tranſitum ad virtutem de vitiis, qui homini bono faciendus eſt. Conveniunt expoſitores ſacri & meliores, quod ſicut facies pars eſt corporis maxime ſpectabilis, ſic eam ſymbolum & figuram eſſe poſſe dignitatis, & potentiæ: unde & prophetæ hujuſcemodi potentium minas non vereri ſe teſtificantur: *ne formides vultus eorum*. Legitur [Cap. 2. Cap. 1.] hoc in Ezechiele: *Nec timere te faciam vultum eorum*: Item in Jeremia.

Facies illæ Ezechielis, quas ſupra jam meminimus, in quadriga quatuor rotarum conductæ, juxta S. [In Ezech. hom. 6.] Gregorium, prædicationem denotant Evangelii, in quatuor orbis partes diſſeminandi: aut vero quatuor partes Bibliorum: hoc eſt: in Veteri Teſtamento legem & prophetas: In novo Evangelia, & Actus apoſtolicos, quibus junctæ ſint Epiſtolæ apoſtolicæ. De [Gen. 1.] dicto illo Sacræ Geneſeos: *tenebræ autem erant ſuper faciem abyſſi*, venerabilis Beda: multitudinem hominum denotari poſſe inquit. In facie Lazari, de qua S. Joannes, *quod ſudario ligata fuerit* S. Am[Cap. 11. 2. De pœnitent.]broſius impedimentum cognoſcendi veritatem intelligit, ſicut & pudorem peccati: porro & cognitionis virtutem, qua ſecundum Paulum Apoſtolum conſideramus, nunc *per ſpeculum in ænigmate*, facies Laban, & facies Eſau, juxta Arnoldum, & [Gen. 31. 33. 2. De pœnitent.] S. Auguſtinum favorem mundanum denotant: uterque enim horum aliud demonſtrabant in vultu, aliud concludebant in corde. Sic facies Pharaonis, & facies Saulis, quam fugiebat David, concupiſcen[Exod. 10. 1. Reg. 7.]tiam mundi figurant (ita S. Gregorius) & aſpectum illum, quo ad ſequendum quæ injuſta ſunt, allectamur, ſicut ſupra memorati faciebant. Atque hæ facies ſunt de quibus Iſaias & Nahum: hic quidem: *facies eorum ſicut nigredo ollæ*: ille: *facies combuſtæ* [Nah. 2. Iſa. 13.] *vultus eorum*.

De facie campi, quæ tota melle reſperſa erat, ſicut in Regum libro habetur, S. Gregorius ſupradictus [Cap. 14. in eundem loc.] ſuavitatem & dulcedinem doctrinæ Evangelicæ intelligit, ſicut & Oratorum maxime diſertorum: In facie terræ item, aut campi, viam apertam, & ſpacioſam quæ ducit ad interitum: in qua perditum eunt oves illæ, ait S. Hieronymus, quæ ad terrena ſola reſpiciunt. In his debacchati ſunt Chaldæorum exercitus: in hac via Lucifer in præcipitium cadit, deturbatus [16. 29. 34.] è cælo, prout habet Ezechiel. Porrò Judæi Chriſto rebelles, qui pro eo quod cognoſcere redemptorem, ſuum ex mirabilibus ejus debebant, ſe ſe Sathanæ [Super hunc locum.] tradiderunt, juxta S. Gregorium, in olla illa figurantur, quæ ad faciem aquilonis ſpectabat, ſicut in Jeremia habetur.

Habebant Philiſthæi Idolum ſuum Dagon, quod vero aſpectu carebat, quippe qui fictitius & ſimulatus erat: in hoc intelligunt Sancti Gregorius & Ba[Cap. 1. in Ezech. hom. 2. in 1. Reg. 5. de Iejun.]ſilius, ſicut & Origenes, diſſimulationem mentis, dum foris ingenii & judicii magni pompa protenditur, atque interim eventus contrarium docet. Hunc [In Matth. hom. 22.] ſenſum evidentius manifeſtat id quod de hypocritis Chriſtus Redemptor noſter inquit apud Matthæum: *Exterminant facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes*.

In multis Scripturæ ſacræ locis invenitur: *procidiſſe in faciem*: ſicut in Geneſi, Levitico, Numeris, in S. Matthæo & Luca. In hunc modum procidit [17. 9. 16. 26. 15.] amantiſſimus Redemptor noſter, ad apparitionem calicis, ſupra quod Hieronymus & Gregorius refe[In Iſai. 49. In 1. Reg. 2.]runt: ſignum hoc eſſe genuinæ humiliationis, & reverentiæ, quam iis exhibemus, quos majores nobis recognoſcimus: Hinc S. Hieronymus: *Et vultu demiſſo adorabunt Reges Sion, qui venerabuntur in Eccleſia ipſum Chriſtum*: id quod clare admodum Iſaias habet, & Ezechiel, & Pſalmiſta: *Et adorabunt eum* [49. 2. 71.] *omnes Reges terræ, & omnes gentes ſervient ei*. Repræſentatur hujus prophetiæ veritas in myſterio Epiphaniæ Domini. Hoc portentum itidem in miniſterio juvenculi Samuelis prophetatum fuit, tam, cum vetulo Heli fideliter famulatum ſuum præſtitit: ſicut [Cap. 2.] libro primo Regum legitur. Iſaias hoc ipſum evi[Cap. 11.]denter expoſuit, *Erit radix Jeſſe, qui ſtat inſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur*. Hoc miniſterium quoque palam dabatur, cum Apoſtoli doctrinam prædicationis ſuæ authoritate antiquorum Patrum ſtabiliebant. Ad hoc ſervitium quoque deſtinantur, juxta præmemoratos authores, quicunque ad ſpirituales dignitates, & functiones Eccleſiaſticas elevantur, non proprio cujusque arbitratu, ſed juxta ordinantis intentionem.

In actu illo verecundiæ, & modeſtiæ, quo bini fratres Sem & Japhet, vultu ſuo alioſum verſo nuditatem

[Geneſ. 9.] tatem patris videre reverebantur (ſicut liber Geneſis [10. Moral. 17.] recenſet) juxta mentem S. Gregorii honor ille exprimitur, quem quisque fidelium ignominiæ & paſſioni amantiſſimi Patris ſui Jeſu Chriſti exhibet.

Perpendit S. Hieronymus principium correctio[In Ierem. 5.]nis, quam impio Cain poſt fratricidium commiſſum [Gen. 4.] Deus inflixit: *Cur concidit facies tua*: & ait: *Confuſio faciei eſt pudor, & erubeſcentia peccatorum*: [Ezech. 2.] Eundem in modum faciem illam Ezechielis duriorem petra, duritiem inquit eſſe, & pervicaciam & impudentiam in peccando. Talis eſt meretricia illa fa[Ierem. 2.]cies, à Jeremia deſcripta. Porro ſupra illud, quod [Cap. 9.] in libro Eſther invenitur idem author inquit: *Elevat faciem ſuam abſque macula in oratione, qui prius ſe præparans abjicit à ſe, quidquid oratione poteſt reprobari*. Confirmat roboratque hanc ſenten[Cap. 11.]tiam liber Job, ubi ait: *Et facies bonorum non confunduntur*.

[Pſ. 37. Pſ. 50.] Reflectit Origenes ſupra pſalmiſtæ verba: *Et facies peccatorum ſumitis*; & alibi: *peccatum meum contra me eſt ſemper*: idque de doloroſa peccato[In Pſalm. eundem.]rum noſtrorum reminiſcentia vult intelligi. Recognovit S. Hieronymus in faciebus combuſtis, jam ſupra memoratis, peccatores culparum ſuarum incendio, tanquam jam in cineres redactos, quod incendium nihilominus ipſi ſibimetipſis excitarunt.

Vafrities ſerpentis Leviathan, qui ſibi faciem An[Iob. 41.]geli affinxit, (prout liber Job meminit) pravis Sa[33. Moral.]thanæ ſuggeſtionibus convenientiſſima eſt: ſic habet S. Gregorius Papa: veterator enim ille ſe in Angelum lucis ſæpe transformat. Hic vultus Sathanæ [Ioel, 2.] ſemper contra mare ſpectat, potiſſima enim malignitas ejus contra baptizatos eſt, ſicut in Joële legimus. In hunc ſenſum illud ab Hieronymo & Ruperto Abbate accipitur. Ad præfatum illud Davidicum: *facies peccatorum ſumitis*: S. Hieronymus hunc aſpectum aſſumere eos inquit, qui rebelles peccatores de[In Iob. 41.]fendunt, & tuentur: aut verò eos, qui in pravis actionibus ſuis ſibi peſſimum quemque imitandum [In Pſal. 81. 13. 3.] proponunt. Supra dictum Jeremiæ: *Statuam contra faciem tuam*, & illud prophetæ Nahum: *Revelabo pudenda tua in facie tua*: Gloſſa ordinaria ſic habet: *Contra faciem ponit Deus poſteriora, cum vitia, que negligebantur proponit nobis ad confeſſionem*. Gloſſa interlinealis illic in Levitico, ubi ſat obſcure illud legitur: *facies priſtinæ veſtis*, ſtatum pœnitentiæ intermortuæ intelligit, quæ tanquam veſtimentum ſemel dejectum ſed *omnibus obvium* re[Hab. 1.]aſſumi poteſt. Grandis eſt ſententia illa prophetæ Habacuc: *facies equitum ut ventus urens*: quæ tamen obſcura & tenebroſa eſſet, niſi illam Nicolaus de Lyra expoſuiſſet: intelligi in hoc volens ſuperbiam & arrogantiam impiorum, qui tanquam incendium aliquod devorans, abſorbere, & in cineres redigere ſimplicium animos quærunt.

[16. 12.] Facies cæli in Evangeliis Matthæi, & Lucæ ſæpius memorata, aſpectum cæli denotat vel clarum, vel nubilum, vel rubicundum. Rupertus Abbas, ſicut [9. In ipſum locum.] & gloſſa ordinaria de ſententia illa Apocalyptica: *facies locuſtarum, tanquam facies hominum*: ſic ajunt: figurari per hanc Antichriſti diſcipulos, qui ſpeciem devotionis ſibi aſſument, re autem vera locuſtis vaſtatricibus ſimiles erunt, quippe qui juſtorum meſſem fertiliſſimam conſument. Hæc itaque de ſenſibus myſticis ſuffecerint: supereſſent nobis ampliſſima ſupra nomen illud *vultus*: ſed ego Lectorem meum, ſiquidem curioſus fuerit, ad aliorum lucubrationes lectu digniores transmitto: præſertim quod inſtituti mei hic non ſit quaquaverſum abundare & diffundi. Id ſolum propoſiti mei eſt, de quaque conventi materie tantundem colligere, quantum ad paſturam neceſſarium, maximeque ſuccoſum eſt.

PROVERBIA DE FACIE.

[De externo argumentum ſumitur ad interna.] DUm aſpectus nobis bene ordinatus & compoſitus occurrit, conſuevimus argumentum inde ſumere ad dijudicandos hominis mores: ubi enim natura provida mater noſtra in his partibus proportionem, & decorem obſervavit, interna quoque ſic obſervata fuiſſe concludimus. Hæc ſententia per adagium vetus confirmatur: *Ex facie bonum vicum præſefert*. Totum hoc vivaciter à Cleanthe expreſſum fuit, cui plus ſudoris ad acquirendam ſapientiam de fronte promanavit, quàm non in humeris bajulaſſe ſitulas ad vitæ ſuæ ſuſtentaculum legitur: ajebat hic apud Diogenem: *Ex ſpecie compre*[In 2. Reg.]*henduntur mores*. Et S. Gregorius: *facies notat converſationem*. De aſpectu truci quid aliud, quàm livor, fellis amaritudo, & fera barbaries expectanda ſunt? ſic viciſſim à ſerena facie, quid aliud, quàm levamen, conſolatio, & tranquilitas? faciem igitur dixeris optimum eſſe animi horizontem, qui vel nubilus vel ſerenus, quale cælum ſit demonſtrare poſſit.

De iis, qui majora viribus ſuis tentare audent, vel de ſemetipſis multum præſumunt, id occipientes, quod facilem exitum habere aut ſine periculo non poſſit, hoc proverbium expreſſum eſt: *Facies tua* [Actio perverſa eſt: de ſemetipſo majora viribus præſumere.] *computat annos*: originem ſuam Juvenali debet, qui vetulam quandam cavillavit, quæ quamvis numero annorum gravata, capillatura tamen florida, & calamiſtris circinata, amores ſibi conciliando, laſcivis oculis ſeſe ſpectaculum exhibebat, dulciloquio, & blandimentis fallacibus incautam juventutem allectans. Huc Apologus Æſopi ſpectat: ubi crocodilus de claritate natalium, & illuſtri proſopia ſua multũ ſe elevans, improperium habuit argutum vulpeculæ, quæ ait: Tace: nam pellis tua te manifeſtam reddit: credo ego te Martialem eſſe & Heroëm inclytum, hoc enim cortice tuo ſcutato tectus, contra hoſtium tuorum inſultus armatus es. Reprehendit Martialis in eundem ſenſum hominem quendam jam ad annos virilitatis provectum, qui impuberem ſe videri voluit: atque eum ſic alloquitur: deſine fari, nam barba tua te condemnat.

In te, inquit, clamat ſed tua barba, vir es.

Eos qui æſtimationem honoris, & reputationis parvi faciunt, proverbium illud tangit: *faciem perfri*[Honor vilipenſus.]*care: vel frontis perfrictæ*. De hoc ratiocinati ſumus in tractatu de fronte: adjungam nihilominus id à ruſticis mutuatum eſſe, qui cum ad peragendum aliquid vel loquendum accinguntur, prius faciem fricare manu conſueverunt. Confirmat hoc Quintilianus, dum ait: *vitioſa ſunt illa, intueri lacunaria, perfricare faciem*. De hoc actu item, in quo honor perditus intelligitur, ſic Manutius loquitur: *faciem perfricuiſſe dicuntur, qui pudorem omnem dedidicerunt, velut abſterſo manu à vultu pudore*. Quod vitium omnium vitiorum maxime deteſtabile, & horrendum eſt, omnique cautela fugiendum ab iis, quibus unicum dragma honoris ſupereſt; honor enim excepta anima pretioſiſſimus inter omnia theſaurus eſt, quem etiam idcirco omni cura, & vigilantia obſervare oportet. *Honorem omnes appetunt* (ſic in Pan[In Ethic. 6.]theone ſuo nos Stagirita docet) *quia præmium virtutis eſt*. Idipſum inculcabat Philoſophus Pyſtanes: *Inprimis*, inquit, *reverere teipſum*. Speculum enim hoc terſiſſimum eſt, quod omni minimo flatu obfuſcatur: unde incredibili diligentia & ſolicitudine cuſtodiendum.

HISTORIÆ, RITUS, OBSERVATIONES, CONSUETUDINES, DESCRIPTIONES.

Ex theatro vitæ humanæ litera F. 5.

VIr quidam doctiſſimus conſiderando, & exponendo etymologiam, & denominationem *faciei*, ſic ait: *facies à faciendo dicta, quod qui aliquid facit, rei faciendæ faciem, & imaginem deducit.* Singularia ſigna ſunt & notæ, per quæ cognoſci homo, & diſtingui ab reliquis animantibus ratione deſtitutis poteſt: in his enim nec genæ, nec frons, nec mentum, nec ſymmetria, nec proportio decoris apparet: imò nec in oculis quidem. In homine vero varietas colorum, nigri & candidi, viridis, & cærulei, cryſtallini & rubri, proportione elegantiſſima ſibi invicem copulantur: Hic enim duplicati ſenſus ſibi correſpondent, tamque accommode in uniformitatem coëunt, ut magnitudine convenienti, oculi cum ore, atque utraque fronti ſymmetra ſint: ab hac cum longitudine apta deſcendit naſus ad labra, & ad mentum; quod opus adeo exquiſitum & perfectum eſt, ut ei ſimile invenire non ſit: cujus variegatio tantopere utilis eſt, ut ſine ea diſtinctio facierum nulla fieri poſſet, ex quo mira perſonarum, nominum, & actionum confuſio ſequeretur: regnarent autem pleno imperio duplicitas, & omnia fraudum genera: & à radicibus ſuis genus humanum exſtirparetur: irreperet pro conſanguineo extraneus, inimicus pro confœderato & omnimoda ſequeretur rerum omnium confuſio, & perturbatio.

Admirabile naturæ artificium, quæ in faciem neſcio quod arcanum majeſtatis myſterium incluſit, ita ut nunquam inventa ſit, quæ nullum ſui amatorem habuerit. Honorabilis eſt, & ſpecioſa in rotunditate & forma ſua ſublimi, erecta, nuda, aperta, ſicut in Epithetis ejus patebit. Hæc cordium anceps eſt, hæc affectus allectat, attrahit voluntates, thronus amorum, ſedes oſculorum, & riſus. Hæc ſcena eſt, ubi tanta eſt varietas mutationum externarum, quanta eſt internarum animi paſſionum. Hic vices ſuas obeunt: jucunditas, triſtitia, odium, & livor, malitia, amor, verecundia, ira, zelotypia, & his conſimilia. Hæc temporum, tanquam in horologio quodam index eſt, denotans annos ætatis, eorumque intervalla: cujus rotæ, non ſecus ac horologii introrſum moventur. Aërem dixeris, in quo mira eſt colorum metamorphoſis: denique exemplar eſt, in quo tota hominis deſcriptio eſt.

Indianorum ſpecies.

Apud Indos tinctæ genæ collore pallido, & ſuccenſo, ſicut muſtelarum: labia prominentia, & craſſa: naſus multum erectus, ſed ſuaviter per modum ripæ: dentes nigri, vel rubicundi: aures patulæ, & oblongæ: in ſexu muliebri frons brevis & piloſa; mamillæ grandes & monſtruoſæ, quas extendere ultra humeros poſſint, ad lactandos infantes: hæc univerſa inter eas gentes inter ſigna extremæ pulchritudinis cenſentur. Hiſpani decorum arbitrantur & glorioſum faciem gerere macilentam: Italis carnoſæ maxillæ placent: rurſum alii teneritudinem faciei excolunt: alii econtra rigidam, ſetoſam, & quaſi pilis haſtatam amant. Refert Petrus Varro Socratem confeſſum eſſe, ſe multa corporis vitia cum deformitate faciei detexiſſe, quæ nihilominus conſilio philoſophiæ emendare ſatageret. Quod humana facies vivum ſit internarum virtutum teſtimonium, vivum inter alios teſtimonium reddit S. Gregorius Nazianzenus: qui ſine mora temporis, cum primum Juliani Apoſtatæ illius perfidiſſimi vultum vidiſſet, continuo de quàm peſtifera maſſa eſſet, dijudicavit. Ejus verba ſic ſe habent: *Fecit me vatem geſtuum ipſius deformitas, & ingens admiratio. Siquidem optimus eſt vates, qui ex geſtibus ipſis ratiocinatur. Nequaquam vero mihi hæc boni hominis ſigna eſſe videbantur: colli crebræ converſiones, humeri alternis ſubſultantes, oculi torvi, vagabundi, & furioſum quoddam contuentes; pedes inſtabiles, crebræ geniculationes. Naſus contumeliam & contemptum ſpirans: figura vultus deriſionem ſignificans; quomodo variabatur. Riſus crebri altum crepantes. Nutus, renutus ſine ſermone. Sermo interruptus, non complens ſententiam. Interrogationes crebræ & ſtultæ. Reſponſiones inconcinnæ, & coacervatæ, inter ſe diſſidentes, ſine ordine. Quis ſingula deſcribat? Talem vidi ante facta, qualem poſtea ipſa facta oſtenderunt. Utinam adeſſent, qui tunc mecum fuerant, & eadem viderunt! Teſtes ſunt hujus meæ narrationis; qui meminerint etiam me edidiſſe hanc vocem: Quantam peſtem Romana monarchia nunc alit!* Hunc locum narrationis integrum huc collocavi, ut videre tibi liceat, mi lector, etiam Sanctos ipſos phiſiognomiæ rationem habuiſſe.

Petrus Varro de hominis opificio c. 14. 2. Part. Sect. 5.

Orat 2. contra Gentiles.

De generoſo Ulyſſe Mythologiæ omnes recenſent, eum fortuna vel infortunio potius per mare jactatum ad litora Phæaciæ appuliſſe, nudum, inermem, ignotum, tanquam rejectamentum inutile undarum tam crudelium, ab incolis provinciæ nihilominus Principem declâratum fuiſſe, & pro tali agnitum, non alia de cauſa, quàm quod majeſtate vultus ſui venerationem, & reverentiam ſpirare videbatur. De venerabili, & gravi Imperatoris Trajani vultu refert Dion, quod in obſidione urbis Agarenorum, ut in perſona propria præliari poſſet, nec tamen dignoſci, promiſcuo peditis habitu plebejis intermixtus militibus fuerit: ſed ſtare illic longo tempore in obſcuro non potuit, inquit author: *Canities enim, & oris majeſtas Principem prodidit. In eum igitur hoſtes, quem regem ſuſpicati erant, ſagittas frequenter conjecêre, quarum tanta vis fuit, ut qui ponè Cæſarem ſequebatur transfixus fuerit.* De Veſpaſiano Imperatore ſcribit Suetonius: *In puero ſtatum corporis animiq; dotes explenduerunt magis, ac magis deinceps per ætatis gradus, forma egregia, cui non minus authoritatis eſſet, quàm gratiæ.* Dixit idem Hiſtoricus: *Priami ſpecies digna Imperio.* Imperator Conſtantinus eandem intuens ſingularitatem vultuum, & venuſtatem, & præſtantiam, de pretioſiſſimo throno ſuo hanc pulcherrimam legem ſanxit: *Si quis in metallum fuerit pro criminum deprehenſorum qualitate damnatus, minime in ejus faciem ſcribatur, cum in manibus & in ſuris poſſit pœna damnationis una inſcriptione comprehendi: quà facies, quæ ad ſimilitudinem imaginis cæleſtis figurata, minime maculetur.* Petrus verè Chriſtianum, quod pro objecto ſuo imaginem Paradiſi habebat repræſentatam in vultu humano: quam legem tamen poſthæc Conſtantinus alius pervertit: Paulus enim Diaconus memoriæ dedit, cum exercitus Romanus ad Herennium Imperatorem tumultuaſſet, Patrem ipſius exhæredem eum à throno feciſſe, atque alterum filium Alexium Conſtantinum Imperatorem proclamâſſe, qui poſtea ſeditione jam quietata, ex rebellibus præcipuos, mille numero, certis quibuſdam notis in facie inſigniri juſſerit, poſtquam plurimos eorum ante occidiſſet. Refert idem Paulus Diaconus Habdallam Ducem Sarracenorum impreſſiſſe vultui, Judæorum, ſimul & Chriſtianorum qui tum temporis Hieroſolymam incolebant notas, & characteres quoſdam Mahometanos. Impiiſſimi homines, qui animam ſuam carbone peccatorum denigratam portantes, faciem deturpare juſto-

In ejus vita.

l. Si quis in in Metallum. 17. de pœnis. L. 9. C. Tit. 47.

Leg. 21. rerum Rom.

rum ſtudebant, fortaſſis decore & amœnitate ejus confuſi.

Ornamentum faciei.

Transeamus nunc à deturpata facie, ad eam poliendam, & ornandam: ubi ſe caſtiſſimæ fæminæ, Judith, atque Eſther nobis inter primas offerunt, quæ nulla vanitate, nec fuco, ſed altiſſimis miſteriis inductæ, aſpectu ornatiſsimo, & fucata facie, omnique mundo muliebri, veſtimentorumque pompa comparere voluerunt. Idipſum de Thamar, & de Jezabel hiſtoriæ referunt: ſed omnino diſpari animo, hæ quidem perverſo, & culpabili: illæ autem animo ſancto, & devoto. De Democrito Polyorcete Arconte Rege Athenienſium recenſet Ælianus, quod poſt obtentas plures ab hoſtibus victorias, reliquum vitæ ſuæ tempus, colendis & nutriendis comis impenderit, ſicut & pingendis, fucandisque genis. Oſorius de Braſilienſibus commemorat, viros illic medietatem capitis raſam gerere: quibus verò ſtudium eſt præ aliis decoros apparere, hos ſibi faciem, aures, naresque perforare, in hisque foraminibus conchiliarum fragmenta appendere, quæ ſummum apud eam gentem pretium habent. Contra hæc facierum fucata pigmenta, non ſolum Sancti Patres, ſed ipſi adeo pagani declamarunt. Ego pro more meo pauca huc referam, ampliora his relinquens, qui in hanc materie tantopere jam antiquitus cenſuratam, ex profeſſo tractare aut eam condemnare ſtudent: in quo genere maxime abundavit plurimum Reverendus Pater Franciſcus Maria Capellus, Prædicator Capucinus, vir tanti meriti, quanti ſe mundo jam exhibuit. Forte etiam ego, ſiquidem vita mihi ſuperſtes fuerit, de hoc ipſo latius alibi occaſione data ratiocinabor. Tertulianus in damnum illud intuens, quod exinde publico provenit, ſic admirabiliter loquitur: *Expingamus nos, ut alteri pereant: ubi eſt ergò: Diliges proximum tuum ſicut teipſum: & : nolite curare veſtra, ſed alterius.* Item paulo inferius non minus eleganter: *In Deum delinquunt, qui cutem medicaminibus ungunt, genas rubore commaculant, oculos fuligine collinunt. Plaſticam Dei ipſius redarguunt, reprehendunt artificem omnium: reprehendunt enim cum emendant, cum adjiciunt. Utique ab adverſario artifice ſumentes additamenta Diabolo. Nam quis corpus monſtraret mutare, niſi qui & hominis ſpiritum malitia transfiguravit? Ille indubitate hujuſmodi ingenia concitavit, ut in nobis quodammodo manus Deo inferrent.* Has fucatas larvas doctiſsime deteſtati ſunt Sancti: Clemens Alexandrinus, Gregorius Toloſanus, Cyprianus, Ambroſius & Auguſtinus: inter quos illud memorabile videtur, quod S. Hieronymus ait: *Erubeſcat mulier chriſtiana, ſi naturam cogit indecoram, & carnis curam facit in concupiſcentiis.* Decantat, imò deplorat abuſum hunc nefandum eruditiſsime Scaliger: qui ſic habet:

Venale donis pectus improba mœcha
Mœchos vel ultro prodigis, emens donis
Quæcunque fuco, lacteove lemento
Mutat colorem, ſe & ipſa mentitur.
Annos curvos ſæculum dirugat,
Inertiam auget, exprobratque naturæ.

Non cooperiunt ſe, ſed inhoneſte denudant, non ornant, ſed deturpant pudorem, & continentiam. Dixit hoc inter alias obſervationes ſuas Ovidius:

Caſta quidem, ſed non eſt credita, rumor iniquus
Læſerat, & falſi crimini acta rea eſt.
Cultus, & ornatos verè fudiſſe capillos
Obfuit, ad rigidos linguaque prompta ſonos.

Condemnat Deus fatuitatem hanc, dum illic apud Iſaiam minitatur: *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & erit pro ſuavi odore fœtor, pro faſcia pectorali cilicium.* Deridet per antitheſes argutè has larvatas apparentias Plautus Comicus:

Gen. 38.

4. Reg. 19.

Lib. 2. rerum Em.

Tertullian. de cultu feminarum C. 2. c. b.

Lib. 3 Padag. de Rep. lib. 4. de Gab. Virg. In opere Hexam. Deſor. Dom. in mon. II. Ep. 98.

In moſtellaria.

Mulier rectè olet, ubi nihil olet:
Nam iſthæc veteres, quæ ſe unguentis unctitant, interpoles,
Vetulæ edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,
Ubi ſeſe ſudor cum unguentis conſociavit, illico
Itidem olent, quaſi cum unà multa jura confundit cocus.

Nicoſtrates Philoſophus hoc præceptum ſapiens dedit: *Sana mulier non illinatur fuco, nec utatur ceruſſa, neque oculorum pictura, vel alio pigmento.* Generoſa in hoc ipſo Phryne erat, quæ ſponte ſua ad exemplum exornata, & fucata coram judicibus ſeſe in aquæ catino lavans, pigmentatas & fucatas omnes condemnavit, diſcooperiens pulchritudines iſtas vanas, & mendaces. Chio Lacedæmonius, hominem politicum, & prudentem ſeſe jactans, totum adeo diem in ornanda & fucanda facie ſua, ſicut & in crinibus tingendis conſumebat: contigit autem ut aliquando in ſenatum homo propter crimen morte dignum compareret, cujus defenſionem Archidamus Rex Reipub. illius ſuſcipiens, inter alia, reum ſuum defendendo hæc accuſatori Chio objectat: *Quid hic ſani diceret, cujus non ſolum animus, verum etiam caput fucis contaminatum eſt?* Argutum in hoc genere Epigramma Martialis eſt, contra delicatulum quendam calamiſtratum & depictum:

Ælian. l. 8. Var. hiſt.

Epigr. l. 2. 43.

Mentiris juvenem tinctis Lentine capillis:
Tam ſubito corvus, qui modo Cygnus eras.
Non omnes fallis, ſcit te Proſerpina canum:
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

Contra conſuetudinem hanc deteſtabilem, eloquentia ſua vehementi & florida invehitur S. Chryſoſtomus, dicendo: *Purpuriſſo vultum intingere, ſtibio oculos pingere: laſcivus obtutus, ſuperflua pallii, ac tunicæ jactatio, cingulum exquiſita arte ſtudioque confectum, & cætera incitamenta laſciviæ à verecundia remotiſſima ſunt, & plena dedecoris, turpitudinisque cenſentur.* In multis quoque locis rithmorum ſuorum, cum elegantiſſimo metro, hanc facierum pigmentationem condemnavit Joſephus Baptiſta, Cygnus eximius, inter eos, qui hoc ſeculo maxime nominati ſunt. Ego inter alia hoc præſens argumentum, hic collocare volui, id tibi Lector benevole, acceptum futurum eſſe ratus.

Homil. 8. in Epiſt. ad Timotheum.

Per donna a cui ſudando ſi ſtemprano i liſci della facia.

Poeſia part. 4.

Sudava Nice, e nel ſudor cadente
I colori non ſuoi cadean dal volto,
Difuſa in pochi ſolchi onda corrente
Tutto il bello ch' havea portò diſciolto.
Toſto il giorno che in faccia hauea naſcente
Videſi in tetra notte eſſer ſepolto:
In due guancie mirai verno piangente,
Se rideva in due guancie Aprile accolto.
Sembrar bug gie diſteſe in poca pelle
Della pictura ſua le vaghe forme
Da gli ardori del Sol ſciolti in procelle.
Sciocche da ſuoi penſieri hebbe le norme,
Che ſe fati can l' altre ad eſſer belle,
Ella ſudo per devenir deforme.

Quantò magis hæ mulierculæ placere mundo ſtuduerint, tanto magis Deo ſuo diſplicent: & hi fuci, hæc linimenta & pigmenta, in totidem carbones inferni convertuntur, quibus facies talium animarum denigratur, *ut nigredo ollæ*, ſic propheta inquit.

Vera

Vera pulchritudo in decoratione animarum conſiſtit, prout jam dictum eſt, & deinceps data occaſione dicendum erit.

Conſuetudo lavandi faciem, & quam ob cauſam.

Antiqui in ſuperſtitioſo more poſitum habuerunt lavandi faciem in quibuscunque anguſtiis, ſperando per hoc ſeſe liberari poſſe & eximi à perſecutione iſta, vel oppreſſione: dixit hoc Perſius:

Satyra. 2.

Frontem atque uda labella,
Infami digito, & luſtralibus ante ſalivis
Expiat.

Cœna Sapientum lib. 1.

Confirmat hoc Athenæus cum verſu Cirenæi
Ter vero abſterſis melius bona numina donant.

Virgines ſine velo incedunt, maritatæ econtra, & cur hoc.

Apud Spartanos conſuetudo fuit, à noſtratium omninò diverſa: illic enim conjugatas per plateas incedere velatas oportebat, virgines autem diſcoopertas. Indicabant per hoc cauſam, ut mihi quidem videtur, non præpoſteram; his videlicet, utpote, matrimonio in futurum deſtinatis, rapiendos eſſe intuentium oculos, & mutuam affectionem impetrandam, unde prolium generatio futura erat. Conjugatas autem non decuit aliis, niſi maritis ſuis demonſtrari, & diſcooperiri, quibus alia cura nõ incumberet, quippe quæ finem ſuum jam conſecutæ eſſent. Ratio quæ cum ſit in lege naturali ſolidata infirmari mihi non videtur poſſe: quamvis poſthæc vetitum honeſtatis multo his temporibus noſtris præclarius & æquius judicaverit: ita ut hic mos noſtrorum & hic ritus pluris, quam antiquorum faciendus ſit, & æſtimandus.

Cælius lib. 33. antiq. Lectionum. Cap. 6.

Salutare quempiam denudata maxilla.

Docet nos Plutarchus Chalcedonenſium eximiam conſuetudinem, qui cum obviam perſonæ cuidam ſpectabili, & in dignitate conſtitutæ fierent, diſcooperiebant, vel exhibebant maxillarum alteram, atque hic ſalutationis modus erat. Cauſa hujus ceremoniæ erat, quod belligerando contra Bithynios, eorum Bellidux Ziberus infeſto exercitu per eorum turmas diſcurrerit, rumpendo ordines, magnaque ſtrage patrata, in gratiam Bizanthinorum reliquis pepercerit, ita ut ad internecionem delere noluerit: ſed cum regio illa depopulata eſſet, & incolis ſuis deſtituta, mulieres loci ſeſe alienigenis, & libertinis conjugio dederunt. Quæcunque autem hæc connubia dedignarentur, in forum publicum procedentes, illic judicibus unam ex genis ſuis diſcooperiebant, idque in ſignum & teſtificationem propoſiti ſui. Elegans Hieroglyphicum honeſtatis: in genis enim potiſſimum tanquam in magnifico throno ſuo majeſtas eſt pudoris, pulchritudinis, & veræ animi perfectionis: unde Plato non immerito ait: *quod inter prudentes verſatur.* Et melliſluus Bernardus: *Verecundia eſt ſoror continentiæ.* Et S. Auguſtinus: *mitigat judicem pudor reorum, excitat autem pertinacia negantium.*

De ſcientia. In Cant. ſer. 6. Ap. Eborens.

Sicut facies aperta indicium eſt optimæ mentis, & ſinceri animi, ſic quæ velata eſt, & contecta, non niſi turbulentiam, & obſcuritatem ejusdem indicat. Qui notitiam hominum fugiunt, palam dant ſe auſuros aliquid, quod in ſcelus incurrat, aut actionem quandam indebitam. Hac methodo uſi ſunt, juxta Plutarchum, Damoclidas, Palopias, Theopompus, & alii: Hi enim de Thebanis in exilium ejecti, clanculum aliquando circa crepuſculum in civitatem irrependo, cum occaſio daret, ut vultus ſuos tegerent, ſine periculo progredientes, & per ſibi notas plateas ad palatium usque promoventes; tyrannum Archiam occiderunt: qui caſus idcirco minus lamentabilis fuit, eo quod peſtiferum ſerpentem ſuſtulit è mundo.

De Socratis Damon.

Occiſiones factæ velata facie.

Poppea Sabina nunquam viſa in facie.

De Sabbina Poppea Neronis uxore recenſet Tacitus, eam usque adeò faſtuoſam & arrogantem fuiſſe, ut, ne quisquam decore ſuo frueretur, nunquam aperto vultu in publicum proceſſerit.

SIMULACRA.

DIvina bonitas non contenta, quod myſteria ſua, ſanctiſſimamque legem per tot figuras, & præcognitiones, per prophetas ſuos manifeſtaverit: in ritibus quoque paganorum, & conſuetudinibus, vanis & ſacrilegis, eadem ipſa imprimere nobis & ſignificare voluit. In veneratione maxime Deum Fidium habuit Sabinorum gens. Hoc Sanctum Numen ſuum, Deum ſemipatrem appellabant: usque huc autem veneratio & cultus ejus proceſſerat, ut quicunque in ejus nomine juràſſet, id inter maxime ſacras, & inviolabiles actiones reputaret. Itaque ſimulacrum ejus in pluribus civitatis locis depictum erat & facie triplici exſculptum. In quo myſterium SStæ. Triados expreſſum videtur: ſic recenſet doctiſſimus vir Aldrovandus, quod ille de imaginibus falſorum Deorum à Cartaro mutuatus eſt.

Deus Fidius.

Recenſet item apud Romanos hoc Dei Fidii ſimulacrum imberbe inventum eſſe, ſed in matura nihilominus ætate, cum hac Epigraphe: *HONOR.* Hæc imago manum porrigebat alteri ſtatuæ, quæ Veritatis erat, in quorum medio Amor apparebat: quæ denuo vivaciſſimum ſimulacrum præmemorati ſacroſancti myſterii fuiſſe dixerimus: honor enim cæli & terræ, totiusque mundi Deus Pater eſt: ſumma Veritas filius eſt, Amor Spiritus Sanctus. Hieroglyphicum itidem fidei eſſe poterit, quæ tutrix eſt Veritatis, & Amoris.

NUMISMATA.

JAm in tractatu de Capite ratiocinati ſumus de ſecuribus, & manicis Tenedi, ubi cum tanta ſeveritate ubivis locorum adulteri capite plectebantur. Hæc ipſa igitur natio, ut in rebus agendis ſolertiam & ſagacitatem ſuam demonſtraret, in uno monetæ latere binas præſentabat facies, quæ de una ſola cervice prodibant. Concordat hoc cum figura Jani, de qua ſupra jam meminimus, eam ſymbolum & ideam perſonæ prudentis eſſe, qui rerum præteritarum experientia, de futuris proſpicere novit. Ad hanc providentiam futurorum (quippe quam oporteat pretioſiorem omni theſauro æſtimare) nos Spiritus Sanctus in ſingulari quodam ſcripturarum capitulo exhortatur, ad eam inquam virtutem, quæ parem ſibi non admittit: *Omnia tempus habent.* Et Seneca inquit: *Omnia aliena ſunt, tempus tantùm noſtrum eſt:* Et Epicurus, præceptor morum, quo familiariter utor, ſic habet: *Nullum tempus eſt intempeſtivum ad animæ ſanitatem.* Hi ſunt venti non fabuloſi Ulyſſis, qui in tempore debito ſpirantes, navem noſtram, ſine tempeſtate, ſine naufragio ad optatum, tranquillumque portum deducunt.

Ep. 1. Apud Laërtium lib. 1.

EPITHETA GENARUM.

MElius utique maxillarum & faciei decor immortali tinctura Epithetorum depingitur, quam ſupramemoratis fucis & pigmentis: Poëtarum enim, & Oratorum inventionibus hîc materies ſuggeritur; ut ad vivum ſenſus ſuos per adjuncta exprimant: Imo vero hæc Epitheta vera balſama ſunt, quæ à verme oblivionis, & temporum corruptione conſervant. Itaque Lucanus genas humidas appellat: *Humentes mirata genas:* Pulchras Horatius: *Pulchris excubat in genis.* Purpureas Ovidius: *Purpureas tenero pollice tange genas.* Molles Baptiſta Pius: *Cur lacrymis molles immaduere genæ?* Teneras Pontanus: *Occupat & teneras purpura grata genas.*

Lucan. Lib. 5. lib. 4. lib. 2.

Conſpicuas Claudianus: *Conſpicuas flore genas.* Nitidas vocat Pontanus jam ſupra citatus: *Si nitidis nocturna genis, ſi fronte ſerena.* Idem eburnas: *It decoremque genis ros fuſus eburnis.* Niveas præfatus Baptiſta Pius: *Et tantus niveis ſtat decor in genis.* Idem irriguas: *Irriguis parce puella genis.* Candidas idem: *Irrigat albentes humida gutta genas.* Decoras Pamphilius: *Claris luminibus: genis decoris.* Blandidulas Glareanus: *Virgineis manibus, blandidulisque genis.* Matronales Ovidius: *Et matronales erubuere genæ.* Idem eas madidas nominat: *Et ſecui madidas ungue rigente genas.* Siccas idem: *Spectaret ſiccis vulnera noſtra genis.* Impubes item: *Impubesque genæ.* Putres Statius: *Lacera ora putresque ſangvineo videt imbre genas.* Idem pallidas: *Pallentes erecta genas.* Idem exangues: *Exangves Jocaſta genas.* Ingenuas rurſum Baptiſta Pius: *Quæ regis ingenuas Chlori decora genas.* Idem Sidereas: *Sidereos oculos, ſidereasque genas.* Nemeſianus eas læves appellat: *Ambo genas læves, intonſis crinibus ambo.* Dulces Claudianus: *Ante genas dulces quam flos juvenilis in umbret.* Eraſas Propertius: *Vincet ubi eraſas barba pudenda genas.* Nivoſas Muſæus: *Rubra nivoſarum referens extrema genarum.*

2. Faſtor. In Epiſt. Lenon. 10. Metamorph. 1. Theb. 2. Theb. 7.

EPITHETA FACIEI.

HÆC tantopere faciei proprietates, attributa, qualitates, & eſſentiam exprimunt, & colorant, ut neceſſarium arbitrer & hanc materiem jam adductam, & adhuc ulterius adducendam in medium proferre: Exordium ſumens à maxime facundo, quem Permeſſus unquam admiſit: ab Ovidio, inquam, qui faciem inſidioſam nominat: *O facies oculis inſidioſa meis!* Tremandam Manto: *Hi nec dum faciem videre tremendam Regis Olympiaci.* Idem digniſſimam: *O facies digniſſima cælo!* Idem Amicleam: *faciem ſub ruſtico amictu videt Amicleam.* Olidam Juvenalis: *Et facies olidas ad præſepia pingit.* Torvam Virgilius: *Alecto torvam faciem, & furialia membra exuit.* Terribilem Statius: *Terribilem dictu faciem lacera ora, putresq; imbre genas.* Multicolorem Manto: *Multicolor facies, agri ſylvæque comantes.* Specioſam Strozzius: *Quid ſpecioſa Dei facies prodeſſet Ephebis?* Pulchram Seneca: *Animisque pulchram turbidis faciem induis.* Idem nitidam: *Hæc ne illa facies igne ſidereo nitens?* Decoram Politianus: *Nimirum ingenio faciem facit eſſe decoram.* Candidam appellat præfatus Strozzius: *Candida ſic etiam facies abeuntibus annis.* Egregiam idem: *Si dedit egregiam faciem natura puellis.* Idem honeſtam: *Cujus Hamadriades faciem mirentur honeſtam.* Idem ipſe adhuc ſerenam: *Qua benè compoſitos artus, faciemque ſerenam.* Conſpicuam Mirandolanus: *Conſpicua facies deterſa renident.* Coruſcam Conradus: *Quæ Divum facies levas coruſcas?* Amœnam Manto: *Faciemque decorat amœnam.* Venuſtam Baptiſta Pius: *Traxit & attonitos forma venuſta viros.* Bellam idem: *Quodque ſimul bellam faciem ſale conficis atro.* Inſignem idem ipſe: *An juvat inſigni facie crudeliter uti?* Idem propter pilos ſylvoſam: *facies tum dumeſcit, quando barba tegitur.* Protervam Politianus: *Criſpiculus vertex illi eſt faciesque proterva.* Seroſam Manto: *Cur ſeroſa genis facies ſqualentibus horret?* Vellem mihi ad manum eſſent elegantiores verſus, ut tractatum tam nobilem coronare poſſem, ſed tu, ô benevole Lector, qui boni conſulis etiam quæ imperfecta ſunt, clementi oculo hanc ſubjectam recipe

In Ep. Saph. Parth. 1. Satyr. 8. 1. Theb.

Laudem faciei.

Oh di mano ſublime opra vitale
In cui ſpirando il ſuo Fattore Iddio,
Diffuſe il moto, e a quelle membra unio,
Berche l'opre intraprenda alma immortale.
De gli alti pregi tuoi la gloria uguale.
Fra viventi non anco ul Mondo uſcio;
Di ſirare virtudi ah, la mia Clio
Toccar plettro ſonante unqua non vale.
Orizonte tu ſei che al vivo ſueli,
Se tranquilla e la mente, o ſe minaccia:
E gli arcani piu cupi a noi riveli.
Perche il tutto Tu fai, ſei detta faccia,
E tai vantano aſpetti, e ſſere, e cieli,
Onde ogni merto il tuo compoſte abbraccia.

DENTES.

Anatomia.

STant in ordine, in cancellis, & canalibus ſuis dentes, non ſecus ac fortiſſimi clavi. A Latinis *dentes quaſi edentes* nuncupati ſunt, maſticant enim, extenuant, & emolliunt cibos. Definiuntur autem ſic: oſſa nimirum eſſe duriſſima, intrinſecus aliquantum cava. Dotati ſunt nervulis, venulisque, & parvis arteriis, colligatis connexisque affectu quodam tenaciſſimo, qui ab Anatomicis nomine Gomphoſeos appellatur.

Curioſum admodum eſt noſſe, quomodo ſicciſſima illorum temperies, eos degenerare faciat in oſſa: & cum qualitatis frigidiſſimæ ſint, idcirco duri ſunt, ſolidi, læves, & candidi. Quæ conditiones iis cum reliquis oſſibus communes ſunt, ſimiles, & adæquatæ. Duriſſimi ſunt, reſiſtuntque foco ex parte: dum enim totum corpus comburitur hi reſervantur: & in ſepulchro ubi reliqua membra putredine ſolvuntur, dentium durities perdurat, atque à corruptione vendicatur. Duriſſimi item, nam ferro reſiſtunt; cumque frangibiles ſint, inciſionem excludunt, nec inſculpi poſſunt; hujuscemodi eos eſſe congruum fuit, ne forte rerum exteriorum quæ in maſticationem incidunt vi aut duritie, ſolvi aut confringi poſſent. Cavi ſunt non ubique, ſed ad ſolas radices: nec par cavitas eſt, apud adultos, & infantes: his enim amplior eſt, ad ſeptimum annum usque, ſquamma quadam tenui circumſepta, ſimili apicularum favo: quæ etiam humore quodam mucoſo, & candido circumdatur: hoc humore præfata cavitas adimpleta eſt: ibique exiguus ſinus remanet, qui vix partem illam contingit, quæ ultra gingivas porrigitur, & quæ maſticandis, & contundendis cibis deſtinata eſt, quæ tamen indies ſoliditatem majorem adipiſcitur.

In hanc cavitatem nervuli tertiæ conjugationis derivant: ſicut illic quoque cum artificio admirabili

certæ quædam venulæ, & arteriæ parvæ divaricantur, in interna dentium parte invicem complicatæ: unde etiam contingit, ut perforato dente ſanguis emanet, & dolor pulſativus ſentiatur. Hinc evenit, ut non ſine ratione dicatur: ſentire dentes, & ſpiritu eos animali illuſtratos eſſe, idque melius quàm cætera oſſa: admittunt enim in cavitates ſuas nervos molles, & membranam tenuiſſimam. Sic ab intro acutior iis ſenſus eſt, ob nervorum vel membranæ vicinitatem, minor foris, jam ob ſenſorii nervi diſtantiam, quàm quod circumfuſo aëre alternantur. Sentiunt itaque magis qualitates primarias, quàm ſecundas: affliguntur enim frigore, ſed non moleſtantur gravibus, aut duris, aut aſperis. Secantur quandoque, & ſcinduntur, & raduntur absque ſenſu: qualitas enim dura & mollis membrorum exteriorum non tam facile participatur, & in interiora penetrat; cum econtra frigus, quod penetrativum eſt, ſeſe ingerat. Sunt dentibus ſua vaſa & venæ, & arteriæ ſat conſpicuæ: unde contingit ut hi ſoli ad ultimam usque ſenectam promoveantur, & creſcant; quandoque etiam dum excavati ſunt, rurſum novi ſuccreſcunt: eo quod alimentum illis pingue & copioſum ſuperabundet (prout mirabiliter ſcripto dedit Hippocrates)

Refert Mutianus ſibi Samothracem notum fuiſſe, cui dentes ætatis anno centeſimo & quarto enati ſint: ſic Ariſtoteles quoque ſe vidiſſe teſtatur in vetulis octogenariis, quibus adeo molares quidam prodierunt. Incrementum illis neceſſarium eſt, continua enim colliſione alioquin brevi ſpatio temporis conſumerentur. Solvuntur & excidunt cum gingiva, vel compage relaxatur, quod totum à pennuria alimentorum principium ſuum nanciſcitur. Nervus in cavitatem inſertus firmitatem dentium procurat: hinc etiam filamenta membranarum, quæ fortiſſime radicibus eorum cohærent, gingivis eos copulant, harum etiam caro eos circumdat, & tanquam vallo vel ſeptimento confirmat. Cùm hæc caro conſumpta, aut quoque modo corrupta fuerit, vacillant, & excidunt.

Admirabilis & ſingularis admodum eſt ſymmetria dentium, qui de gingivis ſuis non ſecus ac de Cythara clavi exeunt: ſuperiores item cum inferioribus, & magnitudines, & numero, & ordine ſic ſibi invicem correſpondent, & coaptantur, ſic ſe invicem connectunt, ut per viciniam ſe contingant, opus maſticationis perficiant, cibosque in fruſta nondum conſciſos, conterant, corrodant, & conſumant.

Generatio dentium non peræque omnibus nota eſt: vulgus enim tum eos naſci arbitratur, cum foras prodeunt: ſed qui melius nôrunt, eos ſicut reliqua oſſa delineari à primordio ajunt, eosque ſub gingivis abſcondi, nec prodire ſimul omnes: eorum enim quidam de locis ſuis quamprimum eminent, gingivasque perfodiunt: ſicut ſunt anteriores, utpote magis acuti, tum vero etiam quod ea pars oris ſit tenerior, ſicut item quod formandæ voci inſerviunt.

Viſi ſunt cum dentibus nati, ſicut Marcus Curius, qui ob hoc dentatus appellatus eſt: & Cneus Papirius Carbo, uterque homo inclytus, magnique nominis. Idem ajunt de Rege Franciæ Ludovico XIV. nunc regnante. Triplex autem eſt, juxta Hippocratem, generatio dentium: prima in utero de nutrimento communi: altera fit de lacte: tertia de alimentis ſolidioribus: hinc ſecundum alimentorũ qualitatem materia eorum conformatur. Infantibus tenera eſt, rebus enim mollibus nutriuntur: hinc iis dentium facilis mutatio eſt, facile incrementũ. Qui cibis ſolidioribus paſcuntur, iis indureſcunt, idque ætatis anno ſeptimo, ad decimum quandoque, & quartum usque.

Si quis vero Anatomicorum curioſius hanc doctrinam proſequi voluerit, diſcooperiat inquit doctiſſimus Laurentius, utramque noviter nati, mortuique infantis maxillam: deprehendet illic incluſos à generatione ſua prima dentes molares, inciſorios, & caninos: latent enim in cavernis ſuis, pars mucoſa, pars oſſea, ibi potiſſimum, ybi proximus illis erat de gingivis exitus: nec tamen, ut Neoterici quidam hallucinati ſunt, à gingivis disjuncti ſunt, nec linea illic oſſea & ſeparata eſt, ſed pars cum parte jungitur & colligatur ad centrum maxillæ usque.

Varius dentium uſus eſt: primus ut maſticatione cibos præparent ventriculo. Nec enim errare debet, aut poterit Aphoriſmus medicus: *Prima digeſtio fit in ore.* Deinde ad complementum, & diſtinctionem vocis: hi enim, dixerim, rectores locutionis & vocis ſunt. Recipiunt percuſſionem linguæ, & certum quendam concentum efformant, ſicut ſolet eſſe ſonitus ſub fornice, vel teſtudine. Porrò & ornamentum faciei conferunt: Turpiſſimi enim ſunt edentuli, ſicut legitur fuiſſe Pherecrates poëta. Homerus inquit eos ad reprimendam garrulitatem aſſignatos eſſe: tanquam muri enim linguæ oppoſiti ſunt. Videntur item indicium pugnæ: prout patet in canibus, qui cum ringuntur, dentes commonſtrant: complures etiam inter homines ſunt, qui per iracundiam, ſtridere dentibus conſueverunt.

Numerus dentium non in omnibus uniformis eſt, major præfertur minori: obſervat enim Hippocrates vir doctiſſimus, homines diuturnæ vitæ numero dentium prævalere: cum econtra qui raros habent brevioris vitæ ſint: raritas enim illa, & dentium diminutio, ſignum ſimul, & cauſa compendioſæ vitæ ſunt. Signum idcirco, quod inopiam ſpermaticæ materiæ arguit, debilitatemque facultatis formatricis: cauſa, eo quod quibus eſt minutus dentium numerus, non peræque ut oportet maſticant, nec prout neceſſarium eſt, ventriculo cibos præparant, unde chylificatio vitioſa provenit, & nutrimentum omninò imperfectum. 6. Sect. lib. 2.

Dentium numerus ad trigeſimum plerumque pertingit, aut trigeſimum ſecundum: aliis tamen nonnunquam numerus major, aliis minor contingit. Legitur de Euripheo, de Cyrene, de Euriptolemo Cyprio, de Pyrrho Rege Epirotarum, quod non niſi unicum dentem in ſuperiori maxillæ parte habuerint. De Pruſia filia Regis Bithyniorum apud Feſtum legitur, non niſi duos eum dentes habuiſſe, unum deſuper, inferiorem alterum, qui utramque gingivam adimplebant. Idem de Direptina filia Mitridatis, ſicut & de Timarcho filio Nicoclis legimus. Aſſignant itidem hiſtorici, eximium fortitudinis ſignum, triplicem dentium ordinem Herculi. Sic Columbus perfectiſſimus Anatomicus de filio ſuo Phœbo idem retulit.

De iis qui unicum ſolùm dentem habuiſſe leguntur.

Sedecim igitur dentes cuique maxillarum ſunt, qui invicem copulantur, ſicut ſunt pectinum dentes; in hac ſimilitudine producuntur, non ſicut ſunt ſerpentium, & piſcium. Non eos in longitudinem porrigunt, ut canes, Hypopotami, Crocodili, & Elephantes: ſed utrobique æquales ſunt. Quorum quidam triplicato ordine vocantur inciſores, alii canini, alii molares. Inciſores primi ſunt, non ordine naturæ, ſed ſitu, cum anteriores ſint, collocati in facie. Vocantur à Celſo primores, & quod facultate habeant ſecandi & incidendi morſu ſuo: eorum quatuor in quavis maxilla ſunt; ſuperficies illorum externa cava eſt ab intro, foris aliquantum curva; introrſum in acumen deſinunt. Canini, hoc nomen ſortiti ſunt,

quod

quod more canum acuminantur: craſſiores tamen & obtuſiores quam illi canum, tàm figura, quàm duritie ab his differunt: bini numero, infra ſupraque: ſic nimirum decuit: homo enim manſuetior & magis compoſitus eſt, quàm canes. Horum uſus eſt, ut ſi quando per inciſores id quod ingeſtum eſt, frangi non poſſit, hi ſubveniant. Oculares item vulgò nominantur, eo quod ſubtus oculos ſunt: his etiam pars nervi conjungitur, qui oculos movet: hinc illorum evulſio periculoſa eſt. Ultimi decem ſunt, molares appellati, quod per modum lapidum molarium, aut ipſius molæ, contundunt & molunt alimenta: ideoque ſuperficies illorum aſpera & inæqualis eſt: largique & patentes ſunt. Ultimi duo, ſapientiæ dentes nominantur: Anno enim trigeſimo plerumque exeunt, tum videlicet cum verè ſapere homo incipit. Avicenna dentes, ſenſum vocat, & intellectum, prout alibi in tractatu hoc diffuſius dicetur.

Dedit natura molarium plures, quàm inciſorum homini: feris autem horum plures, quàm molarium: maſticat enim homo plus feris, hæ autem ſæpius bella gerunt. Quisque dentium radicem ſuam habet, inciſorii & canini unam ſolam, reliqui duas, tresve admittunt. Hæ radices & breviores, & minutiores ſunt in maxilla inferiore, quàm in ſuperiore, quamvis melius ſuperioribus radicatæ ſint: eo quod maxilla ſuperior tenerioris ſubſtantiæ ſit, & rarioris. Adjungatur ad hæc, quod qui infra ſunt ipſa gravitate ſua fortius radici ſuæ ſe uniunt: ſuperiores econtra penduli ſunt.

Non eſt interim propoſiti mei dilatari fuſius, & cum Anatomicis in certamen deſcendere, diſcutiendo ſi ſit dentibus ſenſus; ſi in horum dolore, univerſum corpus doleat: cur plus intemperie, quam ſolutione continui dolere ſoleant dentes, & horum ſimilia. Quin potius evagabor latius aliquantum, examinando & indagando materiem, per quam ſine intermiſſione creſcant: conveniunt ſiquidem omnes, primùm quidem, omne os de pinguiori, craſſiorique parte virtutis ſeminalis, formari: de parte quoque ſpermatica & oſſea compoſitos eſſe dentes nemo non novit: unde neceſſarium erit dicere, prima eorm ſtammina, & rudimenta de his delineata, & compacta eſſe. Quamvis Hippocrates contrarium ſuſtinere videatur; opinatur enim dentes ab alimento maxillarum generari. Ejus verba hæc ſunt: *Dentes ideo poſterius generantur, quia ex oſſibus maxillarum incrementum fit glutinoſum: & quod ex pingui ineſt à calido exuritur: & fiunt dentes reliquis oſſibus duriores:* Hæc, & horum ſimilia plura illic inventurus es. Sed opinio iſta à compluribus reprobatur; dicunt enim: Ut quid gingivis, & maxillis ſolis hæc ſingularis virtus aſſignatur, quæ reliquis oſſibus denegetur? Doctiſſimus vir Laurentius generationem eorum hac forma fieri docet. Generatur, inquit, pars primaria dentium in utero de portione craſſioris & pinguioris materiæ, quæ propediem calore exiccatur, hæcque particula mucoſa fit, ſeque per gingivas & maxillas dilatans, illicque latens, earum alimentis incaleſcit, incrementa ſua ſumit, & nutritur. Hoc alimentum in genis copioſius eſt, quam in reliquis oſſibus ſunt enim illic vaſa magis conſpicua, & ſinus medulloſiores: hinc contingit ut maxillæ aptiores ſint ad novam dentium generationem, quàm univerſa oſſium reliquorum compages: major enim in illis virtus oſſifica eſt, & promptius per easdem, fortiusque alimenta diſcurrunt. Itaque principium dentium ſemini debetur, & alimento fœtus: in utero nutriuntur, & creſcunt: hinc nutritio, & augmentatio ſæpius à Medicis ſolo nomine nutritionis vocatur. Secunda generatio fit mediante lacte: quod item ſecundum alimentum eſt. Tertia, prout dictum eſt, de ſolidioribus cibis efficitur.

In libro de Carnibus.

Obſervatione dignum eſt, quod omnia oſſa de prima radice ſua cartilaginoſa ſunt, exceptis dentibus; hi enim confeſtim excitato humore mucoſo in oſſa transmutantur. Porro quæque oſſium pars reliquorum ad certum quoddam limitatum tempus increſcunt, dentes econtrario ad extremam usque ſenectutem. Huc duplicata cauſa adſcribitur, materialis, inquam, & finalis: incrementum continuum illis neceſſarium eſt, ne, prout ſupra jam memoravimus, perpetua colliſione conſumantur, & deficiant. Quocirca materies illis abundanter, & quanta generationi novæ, novisque indies augmentis ſufficit, de maxilla medulloſa, venisque pluribus dotata ſuggeritur, & in promptu eſt. Rurſum ſcitu dignum eſt, cur dentes corroſi curam non admittant, qui fracti fuerint, uniri nequeant: qui rupti ſunt callum nullum obducant, ſicut cætera ſolent oſſa, quæ rurſum creſcunt, renaſcuntur & redintegrantur: evenit hoc fortaſſe, quod nudi dentes ſunt, aëri expoſiti; per ambiens etenim frigus generatio calli cohibetur: & cum ex iis ne gutta quidem humoris exprimi poſſit: callus etiam non tam de oſſe, quam de parte viciniori mediante ejusdem incremento generatur: dentibus autem, utpote nudis, durisque nil vicinia partium contribuit. Prætermitto hic, ne plus debito diffuſus ſim, quorundam Sophiſtarum rationes, qui neſcio qua ſubtilitate, contra omnem adeo experientiam viſibilem probare contendunt, dentes oſſa non eſſe. Suffecerit nobis ad hujus rei experimentum ad ſepulchrum flectere oculos, ubi ad quadrageſimum circiter diem cadaver humanum computreſcendo diſſolvitur exceptis dentibus. Hæc de anatomicis qualitatibus, & doctrinis hucusque dicta ſint.

HIEROGLYPHICA.

PAuca, ſed ingenioſa, & conſiderationis elevatæ apud antiquos ſupra dentes Hieroglyphica reperio: forte quod pars corporis minuta ſint, & ex parte abſcondita. Intelligit itaque antiquitas myſterioſa per dentium compagem, juxta Ariſtandrum, & Telmeſium, habitatores civitatis, quam civitatem os humanum figurat. Et ſicut Incolæ Urbium in peregrinos dividuntur & loci indigenas; in parte ſuperiori, quæ nunquam commovetur, loci habitatores, civesque, illic natos, & domorum poſſeſſores intelligunt: in maxilla inferiori, quæ ſemper mobilis eſt, alienigenæ repræſentantur, qui huc illucque commeant. Hoc modo adventitias res explicuère: civitatem in ore intellexerunt; ut diximus, ſed hoc alibi ſuo loco latius diſcutiendum relinquo. Interim ordo inter cives, maximum decorem habet, magnam ſecuritatem ubi invicem perfecta pace ſtabiliti, quisque quod ſuum eſt ſine conteſtatione poſſidet, quisque ſorte ſua contentus, nulli inæqualitati inſidioſus eſt, nec limites ſibi præſcriptos transgreditur: allogenos benigno oculo intuens, nullam illis infert calumniam, non violando ſacras hoſpitalitatis leges: imò vero reciproca benevolentia commoda ſua ei partitur, & non niſi viciſſitudinem retributionis æqualem deſiderat. Dicebat ſuper hæc divinus Ariſtoteles: *Civitas non eſt una propter eoſdem muros, ſed propter eandem politiam:* Et in altero item Politicorum libro id manifeſtius dedit:

Habitatores Civitatis.

Ex Pierio.

Incolæ locorum & peregrini.

Politic. 3.

Bona,

Bona, inquit, *fortuna eſt cives mediocrem ſubſtantiam habere, tanquam ſufficientem eis, quia per tales bene regitur Civitas.*

Quemadmodum vero dentes, non ultra debitum ſuum, ſibi nutrimentum ſuum aſſumunt, ſic & cives oportet, non ultra ſpem ſuam protendere, quam illorum ſtatui conveniens eſt. De peregrinis, & advenis legem admodum exactam ſtatuit Menander: *Peregrinus*, inquit, *accommodet ſe civitati.* Inde illud, [Apud Stobeum.] ut reor, adagium exortum eſt: *Cum fueris Romæ, Romano vivito more.* Væ Chriſtianis inter Turcas viventibus, ſi cæremonias illorum explodere, aut ſubſannare auſi fuerint! memini quod à ſenioribus audierim, eximium Prædicatorem quendam, eo quod Palermi dixerit, ſe meliores Chriſtianos Meſſinæ inveniſſe, à Palermitanis male habitum. Viciſſim, inquit S. Auguſtinus: *Peregrini hoſpitio ſunt recipiendi.* Atque hic odor vaſi eſt, qui diffunditur: bonum, inquam, nomen, quod pretioſius unguento eſt, dum non ſolum in vicinia, ſed procul adeo ſuavitatem ſuam emanare facit, pertingens ad nares Dei. *Qui vos* enim *recipit in nomine meo, me recipit:* ille ipſe ore ſuo Apoſtolis, tanquam peregrinis [Luc. 9.] teſtificatur. Hinc verum eſt, quod præfatus Menander concludit: *Peregrini Deo curæ ſunt.*

Porrò quod dentes incidunt, frangunt, conterunt, & maſticant, plures inter ſcientificos inventi ſunt, qui dum detrimentum, aut damnum aliquod de re qualicunque emergens deſcripturi eſſent, dentium quoſdam figurarunt; quia item his & vox & lingua conjungitur, ad ea potiſſimum damna alluſerunt, quæ de ſiniſtris ſermonibus proveniunt. [Detractio lacerat famam.] Unde adhuc hodiedum in more poſitum habemus dicere: lacerari famam calumniis detractorum: ſicut item Oratorum, Poëtarumque conſuetudo eſt his verbis uti: *mordere, carpere, rodere:* & ſimilibus aliis, quæ per metaphoram ad rem accommodatiſſime efferuntur. Satiricis autem ad expreſſionem omnimodam maxime uſu veniunt, eò quod dentibus caninis illic locus ſuus eſt. Quis autem neſciat feritatem, & mordacitatem horum animalium? Jam alibi vitium hoc ſummopere deteſtandum, coloribus ſuis depingemus, ubi ſe occaſio propria datura erit, itaque hic diffuſius tractare ſuperſedebimus. [*De Amicit. cap. 13.*] Interim hoc noverimus cum S. Auguſtino, nullum eſſe venenum perinde noxium, & exitiale amicitiæ, ut eſt illud: *Detractio venenum eſt amicitiæ.* Habet autem pro augmento malitiæ, quod quanto eſt perſona dignior, majoriſque æſtimationis quæ detrahit, tanto pejor eſt detractio, quippe quæ vires ſibi ab authoritate mutuatur: dixit hoc idem [*In pſal. 49.*] author: *Pejor eſt detractio in magni nominis viris, quàm in plebeis.* Homines palmares, inquit idem, cum Deo ipſo ſe menſurare audent, dum ſecreta cordium penetrare volunt: *murmurantes dicuntur intrare in judicium cum Deo.* Conſidera nunc quale eos poſthæc judicium manſurum ſit.

MORALIA.

DE proprietate, qualitate, & conditione Dentium moralitatibus ſuis doctiſſimi virorum materiem traxerunt. [*Ex Aldrovando Hiſt. monſt.*] Conſiderarunt itaque dentes, qua ratione adornent, & condecorent faciem hominis: quod candidi ſint, quod duri, & aucti, quod in ordinem ſuum diſpoſiti, quod ſepti & circumdati labris; qui ad vocem efformandam, & ad nutrimentum corporis neceſſarii ſunt. [Prædicatores dentibus Chriſti] Per hos itaque Prædicatores verbi intelliguntur, quippe qui tanquam Chriſti dentes peccatores comandunt, & ad ſe trahunt. Unde apud Joannem ipſe Chriſtus inquit: *Ego habeo cibum manducare, quem vos neſcitis.* [comparantur.] Hi dentes candidi ſunt propter caſtimoniam, acuti propter ſeveritatem, duri propter firmitatem mentis, in ordinem directi, propter unanimitatem & concordiam, circumſepti labiis propter humilitatem, & ſuiipſius demiſſionem. Neceſſarii denique ſunt ad corpus myſticum œcumenicæ Eccleſiæ varietate doctrinarum enutriendum. Dentes item comparantur iis, quos paulo ſupra diximus famam proximi lacerare. Docent Phyſici, ſiquidem dentes recti fuerint & ſpiſſi longiturnitatem vitæ, ſi breves, & in minuto numero, compendioſam vitam portendere.

Hoc dictum ſit, ut inde comparatio transeat ad familiares Principum, & ad judices, hi enim ſi ſibi invicem bonis moribus conjuncti fuerint, recti per juſtitiam, haud dubie ſtatus ille ſibi durationem longam promittet: ſi verò fuerint econtra rari & diſparati diſſidiis, nulla ſalus ſperanda, nec duratio temporum. Adjunguntur dentibus duris, gingivæ molles, quibus dentes, radicibus ſuis profundis inhærent: hæ autem cum teneræ ſint & flexibiles, virtutem benignitatis repræſentant, & clementiæ, quam ex ore decet prodire (ſicut loco ſuo fuſius exponetur) in hac dentes, hoc eſt placida manſuetaque verba collocata ſunt & radicata, juxta illud ſapientis: *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* [Eccle. 6.]

MYSTICA.

DEntes Judæ Leonis, de quibus Sacra Geneſis [*Cap. 49.*] memorat, repræſentant, juxta S. Joannem [*In Gen, hom. 67.*] Chryſoſtomum, Judicium Chriſti in fine ſæculorum, quod candidius lacte futurum erit: de his enim dicitur: *Rubicundiores ſunt oculi ejus vino, candidiores dentes ejus lacte.* Myſtici dentes Angelorum (ſic docet Dionyſius Areopagita) [*De Celeſti Hierarchia.*] ſignificare poterunt perfectionem eorum, qui cuſtodiæ hominum præordinati ſunt, ut eos ſpiritualiter nutriant, eisque nutrimenta præmaſticent.

Volunt Sancti, Ambroſius, Gregorius, & Origenes, [*De bono Patriarch.*] juxta id quod ſupra in moralibus memoratum eſt, [*4. moral. 24.*] in dentibus Prædicatores figurari, ſicut & Apoſtolos, [*In Geneſ. hom. 37.*] qui cibum porrigant præmanſum, & præmaſticatum: quem auribus auditorum ſuorum ingerant: dumque minoribus, ac imperitis ſacras literas exponunt, quaſi panem divinorum verborum frangunt. De his figuræ uberrimæ ſunt in Geneſi, Job, & Cantico. [49. 19. 4.] Hoc alimento ex debilitate roborantur, [*Cap. 10.*] & ad præliandum inſtituuntur, nec idcirco Jeremiæ prophetæ improperio tangentur: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* S. Auguſtinus ſupra dictum illud [De Doctrin. Chriſtian. 6.] Proverbiorum: *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis moleſtus eſt,* doctiſſimè commentatur: *His dentibus moleſtum eſt acetum, hoc eſt hæreticis.*

Conſiderat S. Bernardus, [*Par. 36.*] dentes candidos eſſe, & fortes, carere eos carne, nec facile in offenſam incurrere, ſiquidem ſibi invicem juncti fuerint: dolorem dentium ſimilem ſibi non habere: recluſos eſſe labris, hinc viſum etiam fugere. Hæ conditiones Monachorum contubernium in Eccleſia figurare poterunt, qui in Cœnobiis ſuis ab omni mundanarum rerum commercio liberi, fortes in doctrinis evadunt, fortes in opere: ſic in Sacro Cantico exprimitur; [*Cap. 4.*] *Dentes tui ſicut greges caprarum, fortes,* inquit in hunc locum Iſidorus Clarus, [*In hunc locum.*] *ſunt milites tui, omnes integri, & malus non eſt inter eos.* Plures dentium expreſſivæ ſunt figuræ

tam in Exodo, [*21.*] quam Levitico, [*24. 19. 13.*] Deuteronomio, Job, Pſalmis, Cantico, Threnis, & in S. Matthæo. [*3. 4. 35.*] Hi ſi animæ attribuantur, ſicut illi materiales robur habent ad digerendum, fortitudinem non minus ad meditandum in lege Domini, vigorem in cognoſcendo, in diſcernendo bonum à malo; ſic exponunt Origenes, [*In Exodum hom. 10.*] & S. Ambroſius: [*In Pſal. 118.*] hæc fortitudo meliori nomine ſenſus appellatur interior. Supra dictum illud Levitici: [*Cap. 24.*] *qui irrogaverit maculam civium ſuorum,* cum hoc quod ſequitur: *Oculum pro oculo, dentem pro dente reddet,* commentatur S. Gregorius: [*31. Moral.*] *Dentem pro dente reddit, qui alium in verbis decipiens, ejus ſermones infructuoſos habebit coram judice.*

Dentes candidi elephantorum, [*3. Reg. 10.*] quos tertius Regum liber Regi Salomoni apportatos refert, juxta mentem Heſychii, [*In Levit. 24.*] diſcurſus mortuos, vanos, & infructiferos denotant. Sentiunt Hilarius, [*In Pſal. 56.*] & Gregorius, [*1. Reg. 6. 14.*] dentes impiorum, de quibus ſingulariter meminerunt & Pſalmi [*3. 34. 56.*] in locis pluribus, & Proverbia, & Threni, & Matthæus, & Zacharias, [*III. 30. 2. 3. 9.*] arma indicare, & ſagittas, quæ conſumunt crudelitate, eum qui male operatur: & cum jaculis detractionum lethaliter vulnerant. In ingentibus ſaxis illis, quæ ſcopuli dentati appellantur, & per quorum medium vir bonus ille Jonathas ad penetrandum in Philiſtæorum caſtra ſibi viam indagabat, notat S. Auguſtinus, [*In Pſal. 3. 56.*] intelligi poſſe peccatores, qui cùm exhortationibus locum nullum nec aurem præbeant, inſuper & exhortantium vitam livido detractionis dente corrodunt.

Dentes beſtiarum, de quibus mentio fit in libro Deuteronomii: [*Cap. 32.*] ſicut & in Job, [*Iob. 4.*] ſignificant, juxta S. Gregorium [*5. Moral. 15. & 13. Moral. 6. & 19. Moral. 24.*] perſecutiones aut dæmoniorum contra bonos, aut vero hominum perverſorum contra eoſdem. Dividit autem hos ſenſus S. Pontifex, & ait, Dentes qui videntur, indicare perſecutionem manifeſtam, & apertam: Molares vero eandem inſidioſam, & latentem. Sicut illud de libro Job [*Cap. 29.*] in iis intelligendum, quorum culpæ, & quorum crimina detecta ſunt: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus ejus auferebam prædam.*

In dentibus Serpentis Leviathan, [*Iob. 41.*] item memoratis, & deſcriptis à propheta Job, docet P. Richardus de S. Victore [*De vitio mutabili.*] Dæmonem ſignari, aut Prædicatores perverſos. Per dentes beſtiæ quartæ, cujus mentio in Daniele eſt, [*Cap. 7.*] recognoſcit S. Hieronymus [*In Ioel.*] gravem poteſtatem, & imprudentiam hominum crudeliſſimorum. Per dentes Locuſtarum quarum meminit Apocalypſis, qui leonum ſtragem perpetrabant, declarat Rupertus Abbas, [*In 5. Apocal.*] intelligi debere ferocitatem hoſtium. Singulare eſt quod S. Auguſtinus [*In Pſal. 3.*] de eo, quod pſalmiſta forte clanculum expreſſit, ſic eruit: *Dentes,* inquit, *peccatorum, de quo in pſalmo tertio, ſunt principes peccatorum, quorum authoritate quisque de recte viventium ſocietate præſcinditur, & quaſi incorporatur malè vievntibus.* Poſſunt item in his, juxta eundem Auguſtinum, ſignificari affectus animi, qui tamen virtute Altiſſimi franguntur, ſecundum prophetiam Davidicam: [*Pſal. 57.*] *Molas Leonum, & catulorum leonum confringet Dominus.* Vult S. Gregorius, poſſe huc referri verba deceptoria, & clamores Judæorum in morte Salvatoris. [*1. Reg. 1.*] Cumque dentium proprium ſit conterere, contundere, & in fruſta diſcindere, quidquid immiſſum fuerit, hos S. Hieronymus, [*In Pſ. 123.*] tanquam inſtrumenta rapacitatis, & numerum vitiorum intelligit. De hoc copioſi loci ſunt Numerorum, Pſalterii, Danielis, & Zachariæ. [*Pſal 123. Dan. 7. Zach. 9.*]

Miſerabiles illi, de quibus Evangeliſtæ Matthæus, Marcus, & Lucas [*8. 13. 22. 23. 24. 25. 9. 13.*] in pluribus locis meminerant, videlicet qui in calamitatum barathrum præcipitantur, ubi juxta Salvatorem *erit fletus & ſtridor dentium,* rigorem divinæ caſtigationis acerbitatemque ſupplicii ſempiterni demonſtrant. Adæquata denique, multumque mihi propria videtur reflexio, quam Commentator Lauretus, ſupra illud format, quod habetur in Proverbiis: *Dens putridus, & pes laſſus, qui ſperat ſuper infideli in die anguſtiæ,* ubi ſic exponit: *Denti putrido comparatur, qui ſperat in homine fragili.* Atque hic ego quoque cum fragili calamo meo finem facio, in tam vaſto mari, ubi ſiquis theſaurizare deſideraverit, expandat retia ſua per immenſum pelagus Sanctorum Patrum.

PROVERBIA.

INter ea quæ lectu digna ſunt, lectionem proverbiorum elegantiſſimam reputaverim, tum propter varietatem materiarum, tum propter præceptorum ſagacem doctrinam, unde tanta illis eſt, tamque plauſibilis acceptatio; tum quod tam ſæpe ſunt inſoliti, inexſpectatique eorum exitus. Invenio itaque inprimis (cum de dentibus nobis ſermo ſit, quorum proprium eſt mordere, & lacerare) *Dente Theonino rodi,* [Lacerari in fama ſua.] quod tantumdem eſt ac famam lacerari, quam materiam jam ſupra tetigimus. Deſumptum fuit hoc adagium, ait Manutius, à Poëta Theone, *rabioſæ loquacitatis, & petulantiſſimæ maledicentiæ.* Auſonius [Auſonius.] hinc in Endecaſyllabo quodam de hujus mordacitate ſic inquit: *Nec poſthæc metues ubique dictum, hic eſt ille Poëta ſalſus, bonorum mala carminum lacerna.* Et Horatius, *Dente Theonino qui circumroditur:* [*In Ep.*] Nec diſſimili figura utitur dum ad Julium Florum ſcribit: *Hic delectatur Jambis, ille Bioneis ſermonibus.* Bion hic in obſcuritate ſua deliteſceret, niſi Acron Commentator eum de obſcuritate ſua vindicaſſet: Dicit igitur hunc Poëtam fuiſſe maledicum, qui reliquorum poëtarum ſcripta lacerabat; opinatur autem Porphyrius hunc fuiſſe Patrem Ariſtophanis Comici, unde non immerito genuinum eum filium conſimilis ſibi patris appellaveris, qui à patre ſuo non degeneraverit, niſi forte quod ſcripta ejus patre deteriorem fuiſſe teſtantur. Ad hunc jungit Horatius mordacitatem Zoili, quem alius quoque Satyricus, nempe Martialis tantopere deteſtatur. Sic ſe invicem limæ corrodunt, & invicem ſe collidendo dentes conſumunt. Appellavit Horatius, & ipſe Satyrarum Author, hunc improperandi modum, *ſuccum lolliginis, & ſal nigrum,* qui morſu, & acrimonia ſua maculas infligunt, læſionemque nominis, & bonæ famæ inducunt.

Qui vero bonitatis & innocentiæ ſcuto teguntur, [Innocentia detractionum contemptrix eſt.] has ſtridulas detractionum cicadas vilipendunt: Qui Palladis ægide muniuntur, non timent hos fulgurantium radios, ſicut ſereniſſimus Olympus, qui ſine ſui offenſione tonitruorum in ſe furorem recipit. Expreſſum fuit hoc ſequenti Proverbio: *Dentem dente rodi.* Significationis hujus Author eſt Martialis, [*lib. 13.*] juxta mentem Manutii, cum dixit: *Quid dentem dente juvabit rodere? Carne opus eſt, ſi ſatur eſſe velis.* Dentes quantum etiam ſeſe invicem corrodant, conſumere nihilominus nequeunt, quod huic alteri proverbio convenit: *Noli verberare lapidem.* Quia vero poëſia per modum ſalis eſt, qui intermixtus dulcedini condire ſolet: non abs re videtur mihi, ſi hoc dictum cum eo quod eloquentiſſimus, doctiſſimusque Teſtius produxit, confirmavero.

[*Poeſia.*]
Come muro talhor, qual hora il tenta
Deſtra armata ferire, il ferro ſteſſo
Violento ritorce, e in ſuo rifleſſo
Contro l' Author del colpo, il colpo auenta.

Memini me quoque in eodem argumento olim ſic in oda quadam ceciniſſe:

Che l' innocenza illeſa
Rilancierà nel offenſor l' offeſa.

Porro cùm invidiæ crimen tam ſit frequens, tamque uſitatum in orbe: ita ut difficile ſit viciniam invenire aut familiam domumque, in quam feralis furia hæc ſerpentium ſuorum aliquem non injiciat: unde & Ovidius ajebat:

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Non portemus invidiam erga res quas habere nequeamus.

Cum eruditiſſimis lucubrationibus ſuis vir ſolitarius S. Hieronymus hoc vitium extirpare de Mundo allaboravit, æternæ poſterorum memoriæ hoc quod ſequitur proverbium relinquens: *Edentulus veſcentium dentibus invidet.* Quibus verbis id intelligi voluit, invidiam nullam erga eas res portandam, quas nulla noſtra induſtria conſequi poſſimus. Fortificat hunc ſenſum cum fecundiſſima Epiſtola, ad oratorem quendam virum eximium exaratam, eamque præfatis verbis terminat: *Cui, quæſo ut ſuadeas, ne veſcentium dentibus edentulus invideat, & oculos caprearum talpa convincat.* Ad quod totum admirabiliter adjungit Aldus: *Sic enim eſt ferme hominum quorundam ingenium, ut quisque laudet, quantum ſe ſperet aſſequi poſſe: ſi quid ultra vires ſuas eſſe ſenſerint, id negant diſci oportere. Breviter: paucos invenias, qui quod in ſe deſperent in aliis probent, idque non in alia re magis, quàm in literarum ſtudiis.* Hæc litigia, & hæ literatorum altercationes impulerunt Alciatum ad hæc verba: *Doctos doctis obloqui nefas*, & S. Hieronymum ad hanc concluſionem: *Ne pauper ipſe iis invide, quæ poſſident.*

Embl. 19.

Sunt res quædam, inquit Manutius, quæ ſæpius volitant per ora hominum, quæ tamen à proverbiis excludi non debent, prout illud eſt: non examinandum eſſe, nec accuratius inſpiciendum omne quod dono nobis datur: jam communiter dictum illud vetus receptum eſt: *Equi donati dentes aſpicere nolito:* quod etiam vulgò ſic Italice dicitur: *à Caval donato non ſi guarda in bocca.* Signum maximè evidens equi boni eſt, dentes habere recentiſſimos, qui juventam arguunt, propter quod labori aptum judicant, & ad quod vigilanter ſolet oculum adhibere emptor: ſi vero dono venerit, nil ejusmodi inſpiciendum. Hoc proverbio uſus eſt Hieronymus, dum ait: *Parum eloquens ſum, quid ad te? diſertiorem lege. Non dignè græca in latinum transfero: aut græcos lege, ſi ejus linguæ habes ſcientiam, aut ſi tantum latinus es, noli de gratuito munere judicare, ut vulgare proverbium eſt: Equi dentes inſpicere donati.* Ad examen revocare donum, injuria eſt donatoris, atque ita per conſequens ingrati animi res eſt: rejectare item gratiam, corque offerentis, in injuſtitiæ cenſuram incurrit, inquit Stobeus: *Quantò quisque majoribus beneficiis acceptis non reddit gratias, eò injuſtior eſt.*

In præfat. Comment. Ep. D. Paul. ad Epheſ.

Vanæ ſine viribus iræ.

Irridere & ſubſannare hominem, qui multa minitans, non habet unde noceat, duobus verbis expreſſum fuit, quæ idcirco majorem ſui obſervationem merentur, quod laconiſmo brevitatis ſuæ ſe commendant; dicit autem adagium: *Edentulæ maxillæ:* quæ tamen ſimilitudinem hominis dentati referunt: maſticare eas dixeris, cum id non poſſint: ſic in vanum muro gladium ſuum infligit, qui ferire inimicum ſuum nequit, quod aliter quoque noſtro loquendi modo profertur: *Il Cane latra alla Luna, e il corvo gracchia: Canis allatrans lunam, & corvus crocitans.* Hoc adagium integrum Gregorius Theſſalonicenſis recollegit, dum ait: *Sunt ſcipio ſeni, maxillæ edentulæ.* Actio hæc, cum in effectu ſuo deficiat, extremæ imprudentiæ eſt, graviſſimum damnum inferens authori ſuo, parum differens à cane rabido, qui petram mordet, quam confringere nequit: ubi aliud non proficitur, quam quod animi talis malignitas, & ſiniſtræ paſſiones palam fiunt: ſiquidem luſor ad chartam expoſitam reſpondere charta conſimili nequit, fatuitatis eſt, eam quam manibus tenet indignando projicere: In ejusmodi occaſionibus diſſimulatio unicum velum erit, quo etiam in media tempeſtate ad portum deſideratum intentionum ſuarum appellere quis navem ſuam poſſit. Sic docuit Seneca: *Non tantum patienter, ſed etiam cum hilari vultu patiendæ ſunt injuriæ.* Hac arte ſagaciſſime uſus eſt Tiberius, vulpes illa, antequam ad imperium eveheretur. Comparatio illa navis ſupra memoratæ, magni viri Ciceronis eſt: *Ut in navigando tempeſtati obſequi artis opus eſt, ſic in adminiſtranda Repub. prudentibus viris propoſitum debet eſſe otium cum dignitate.* Ut quid ſeniculus cum adoleſcentulis in certamen maſticationis ſe dabit? *Edentulæ maxillæ.*

Gregor. Theſſ.

Actus ſummæ imprudentiæ.

Lib. 2. de Ira.

Apud Alciat. T. 120.

HISTORIÆ, RITUS, OBSERVATIONES, CONSUETUDINES.

PAlladius, Columella, Auguſtinus Gallus, aliique inſuper peritiſſimi viri, qui in agriculturæ ſtudio, quod vitam homini ſubminiſtrat ſe delectârunt: quæ profeſſio tamen non minus ac quævis alia, elevata eſt, quamvis hodie propemodum omnis tranſierit ad ruſticos, exculta nihilominus, & inſtituta in primoribus ſæculi temporibus, per primogenitores noſtros Adamum, derivata per Abraham, Jacob, reliquosque primævos heroës: præfati itaque Authores, qui cuique ruralium inſtrumentorum nomen ſuum indiderunt, conſiderando lignum principale aratri, quod vomerem recipit, factum ad ſimilitudinem dentis, dentale appellarunt: ſic ars à partibus humani corporis ad operationem ſuam lumen mutuata eſt.

Agricultura nobiliſſima.

De agricultura ad hiſtorias tranſeo, & ajo, ultra eos, qui jam ſupra deſcripti ſunt, in lucem prodiiſſe armatum dentibus (ſic referente Antigono) Arſamenem Perſianum, qui cum dentibus natus eſt. Sic memoriæ tradit Plinius. Valeria Romana grandis heroina, quæ valore ſuo non diſſimilis fuit nec Camillis ſuis, nec Cleliis, quippe quæ turmis ſuis fortiſſimis Sinueſſam Pomeriam aſſaliit, & depopulavit: civitas quæ tum temporis, nec flore civium, nec robore virorum militarium, Urbi Romæ conceſſit: Hanc quoque Valerius Maximus multiplicatis copioſisque dentibus natam eſſe refert: ubi autem hæc ſeminalis virtus tam præcox in natalitiis primis ſui dat experimentum, nil mirum eſt ſi animus pariter, & cor præmature virilem, & Martialem vigorem imbibunt. Sic præfatus Author de Drepetina Laodicææ Regina recenſet, eam ordinem dentium duplicatum habuiſſe.

De mirabil.

Valer. Max. Lib. 7. c. 16.

Lib. 1. c. 8.

Hinc Albertus Magnus author eſt, vidiſſe ſe hominem octogenarium, cui dentes adhuc in ætate illa increverint, novique prodierint. Refert Saxo Grammaticus VVeſſetum Regem Scaniæ, ab Haraldo Rege Danorum oppreſſum, ex cauſa vulneris duos amiſiſſe dentes, quos pauco dein tempore rurſum acquiſierit, novis, iisque molaribus binis, ex utraque maxillæ parte prodeuntibus: unde & nomen Hildetæ ſibi aſſumpſit, quod in idiomate nationis hujus idem ac dentatum ſignificat. Plinius Timarchi Nicoclis meminit (filii, inquam, Paphii) hunc ordines quoque duos maxillarum ſortitum fuiſſe. Herodotus ait poſt Platæenſem pugnam inter cadavera Perſarum, quorum innumerabilis multitudo fuit, maxillam militis inventam fuiſſe, quæ quamvis dentium quemque diſtingueret, in unum tamen os omnes coaluiſſe: quod

Lib. 8. c. 41.

Lib. 7.

Lib. 12. c. 7.

Lib. 9.

ipſum de Pruſio filio Regis ejusdem nominis Valerius Maximus memoriæ tradidit. Quod colorem dentium attinet refert Petrarcha, atteſtante & ſuffragante eidem Trebellio, Zenobiam Palmirenorum Reginam dentibus eousque candidis dotatam fuiſſe, ut unionibus pares eſſent. Divinus Ariſtoteles rationem indagat cur Æthiopes, cum tanta carnis nigredine dentes habeant tantopere candidos: ſupra quod concludit: pari ratione qua cera, calori Solis radiisque ſolaribus expoſita candeſcit; ſic per vehementem calorem & vigorem digeſtivum maxillarum inalbeſcere dentes, dum ab omni muco & ab omni humore excrementitio defæcantur. De Thaide & Lecania, quarum una ſuppoſititios, altera genuinos dentes gerebat, pro more ſuo erudite, & pungenter, in diſticho quodam ait Martialis.

De hiſtor. animal. c. 9. Et in Problem. Sect. 10. q. 65. & 66.

Ratio cur.

Thais habet nigros, niveos Lecania dentes:
Quæ ratio eſt? emptos hæc habet, illa ſuos.

De nova dentium productione, & acquiſitione juſtum eſt, ut ad eorum quoque amiſſionem transeamus, aut æqualis fiat ſimilium, ut contrariorum diviſio. Recenſet itaque Herodotus de Hippia tyranno, quod exotica quadam ſternutatione ſibi tuſſim vehementiſſimam excitârit, qua gingivæ omnes commotæ fuerint, atque ita una cum ſputo dentem unum ejecerit: idque ei, inquit, author, præſagium prælii fuit infelicis. Argutum Epigramma Martialis eſt, de Picente quodam, qui dentem ſibi ad ſepulchrum ſuum elapſum elevavit, quod huc referre non improprium videbitur:

Lib. 6.

Epigram. l. 8.

Tres habuit dentes pariter quos expuit omnes
Ad tumulum Picens dum ſedet ipſe ſuum,
Collegitque ſinu fragmenta noviſſima fracti
Oris, & aggeſta contumulavit humo;
Oſſa licet quondam defuncti non legat hæres,
Hoc ſibi jam Picens præſtitit officium.

Per tuſſim unam alteramque conſimilem illi, quam de tyranno retulimus, Ælia vetula, quaternos ſimul dentes, quos ſolos habuit, ejecit ſuper quod itidem Martialis jocando ſatyrizat:

Lib. 1.

Si memini fuerant tibi quatuor Ælia dentes
Expuit una duos tuſſis, & una duos.
Jam ſecura potes totis tuſſire diebus,
Nil iſtic quod agat tertia tuſſis habet.

Hoc in loco facundiori calamo, quam ille meus ſit, encomia debita intrepidiſſimæ conſtantiæ S. Apolloniæ virginis deſcribenda relinquo, quæ virtute fidei armata cruenti carnificis forcipibus maxillas ſuas imperterrita dedit, omnibus adeo dentibus ſuis orbata: nil metuens dare ſe doloribus inferni, dummodo Paradiſi conſolationibus bearetur. Refert Æneas Sylvius Pragæ incolas ab Imperatore Sigismundo obſeſſos, cum ille ſtragem magnam baliſtis ſuis exequeretur, tantum inde excreviſſe fœtorem, ut omnium penè dentes aut loco ſuo moverentur, aut vacillarent: ſed cum fortiter id per hyemem totam ſuſtinuiſſent, adhibito medicamento à Doctore quodam ſuggeſto, priori ſanitati reſtitutos eſſe. Olaus Magnus item author eſt, non procul ab Urbe Regia Holm, aut Stocholm in Suecia locum eſſe nominatum: *quatuor dentes:* ſitu ſuo montoſum, & elevatum, ubi Chriſtiernus Daniæ Rex infelici prælio commiſſo, ictu bombardæ totidem dentes amiſit. Scribit Cranzius de Henrico Bremenſi Proto Cancellar. Chriſtiani Archi-Epiſcopi Moguntini, homine bellicoſiſſimo, quod proprio pugno ſuo, decem atque novem viris nobilibus, inimicis ſuis, quos in ditione ſua habebat, ſaxo dentes excuſſerit. Diſcutiendum relinquo eruditis Medicorum Scholis, ſi cum veritate ſtare poſſit id, quod Ambroſius Pareus recenſet. Homo, inquit, fide dignus ad me retulit, vidiſſe ſe matronam nobilem, quæ cum dentem ſibi excavari feciſſet, eam in locum vacuum, ſine mora temperis dentem alium à pediſſequarum ſuarum una evulſum reſtituiſſe, qui poſthæc actis radicibus tantopere firmè ſeſe ſolidaverit, ut non minus illo, ac cæteris genuinis maſticando uteretur, isque ſe in reliquorum dentium ordinem ſine differentia innexuerit. Sed hæc hactenus.

Cap. 44. hiſt. Bohemic.

Lib. 7. c. 15.

Lib. 6. Metrop. Cap. ult.

Lib. 16. c. 26.

SIGNATURÆ.

QUemadmodum natura rerum huic parti, tam neceſſariæ in humano corpore, præcipuam elargita eſt, maximeque uberem primævi ſpermatis ſui materiem, prout patuit in Anatomica indagine, ſic nec parca fuit eadem ipſa in ſubminiſtrandis cum liberalitate correctivis, & lixivis remediis, ut inde malis dentium, quæ modum omnem excedunt, ſuccurratur. Ego vero, cui inſtitutum non eſt, volumen integrum de una ſola profeſſione compingere, de his non niſi pauca contingam. Erunt tibi, non ambigo in promptu, quos utique etiam, benigne Lector, intellecturus es opuſcula, quæ abunde in hoc genere ſe diffundunt, ſingulariter autem Cardani opus, qui qualis cura dentibus adhibenda ſit jam cum offenſi fuerint, aut debiles, aut ſignum offenſionis apparuerit, pluribus docet: ſi videlicet in maſticando vigorem debitum retineant; ſi ſcabri ſint, aut cavi, ſi pleni ærugine: ſi calorem aut frigus non tolerant; ſi aliquantum doleant: ſi corroſi appareant: ſi ſitu, aut loco mutantur: ſi à colore candido defecerint, aut, quod pejus eſt, nigreſcant: ſi putredinem aut corruptionem demonſtrant, atque horum ſimilia: præfatus author pro his Alexipharmaca componit præſtantiſſima contra dentium debilitatem, ſtuporem, dolorem, deformitatem, nigredinem: ad quem authorem prudentiſſimum, medicinæ ſtudioſum transmitto, ejus enim libri lectio ex diametro ad eum directa eſt.

Docent viri maxime ſingulares, idque cum lucubratione, & eruditione inſigni Aldrovandus, & Crollius, qualiter pomi granati acini figura ſua dentium ſimilitudinem referant: ob quod etiam ad vitia dentium corrigenda, dococtum eorum antidotum validiſſimum, &c. ſic omnem violam dentariam, aliasque inſuper ſpecies ejusdem ſummopere prodeſſe. Dens caballinus, aut Hyoſcyamus, ubi ſemen continet, ſimilitudinem oſſis maxillaris habet: Ego ipſe experimento proprio didici, potentiſſimum pro dolore dentium hanc herbam remedium eſſe: quibus adjungunt præmemorati, oleum radicis illius, aut decoctionem ejusdem, aut ſeminis ejus in aceto cum herba perſicaria præparati, in affectu dentium inſignis virtutis eſſe. Nucleus pini dentes inciſorios, ſicut radix pſeudohermodactili dentes caninos æmulantur, unde prioris illius folia bullientia in aceto, multum utilitatis in odontalgia ferunt, ſicut hujus poſterioris radices ſtuporem dentibus inferunt. Idem operantur radices ſcrophulariæ, vulvariæ, & cervicariæ, quæ effigiem gulæ præferunt, nec minus emolumenti ad medendum ſtrumis conferunt, prout poſtea docebitur. Efficaciſſima inter omnes herba dentaria eſt; hæc ſi in decoctum reducta, aut aliter pro libitu operantis aut patientis præparata fuerit, virtutem habet in his dentium affectibus, eximiam.

SIGNIFICATIO LITERÆ D.

HÆc litera tam inter antiquos excellentem ſui habuit exiſtimationem, ut majorem obſervationem quam ipſum A, quod tamen Alphabeti caput eſt, obtinuerit: idque non immeritò, quandoquidem hac littera

littera nomen magni Dei noſtri exorditur. Dum igitur dentes tangimus litera hæc exprimitur.

Itaque. D. ſimpliciter poſitum, ea quæ ſequuntur indicabat: *Decius, Divus, Devotus, Dicavit, Diebus.* D. A. *Divus Auguſtus.* DA. *Dona.* D. AE. *De ærario.* D.C.D.C.D.E. *Diebus Cæſaris dictatoris cauſa dicta eſt.* D.B.D. V.D. *De bonis dixerunt, vel dederunt.* D. B. S. F. *De bonis ſuis fecit.* D. B. N. *De bonis noſtris, de bonis notatis.* D. B. MB. *De benè merentibus.* D. B. C. *De benè conſulentibus. Vel de bono communi.* D. B. J. *Diis benè juvantibus: De bono judicio.* D.B. IN. *De bonis incertis.* D.B. *Decius Brutus.* D. C. N. N. B. D. *Dè cæſare nemo non benè dicat.* D. C. CÆS. *Divus Cajus Cæſar.* D. C. A. *Divus Cæſar Auguſtus.* D. C. S. *De Conſulum ſententia, vel de conſulis, vel de conſilii ſententia.* DCT. *Detractum.* D. S. D. *De ſuo deferebatur.* D. M. *Dedimus mercedem.* D. D. *Dandas dedicaverunt.* D. D. D. A. A. A. *Dedicaverunt, dederunt dono, aureo, argenteo, æreo.* DD. M. V. *Dies mali venerunt.* D. D. *Deo dicavit.* D. D. N. M. P. *Dare de nuti mihi parat.* D. B. V. *De bonis Virginis.* D. D. *Dotis datio. Dono dedit. Dedicavit. Damnum dedit. Dies dedit.* DD. E. H. L. JO. LIB. PRI. DN. MAR. PU. ET LI. P. *Dedicatus eſt hic locus Jovi Liberatori: deinde Marti pugnatori, & Libero Patri.* D. DQ. O. H. L. S. E. V. *Diis, deabusque omnibus hunc locum Sacrum eſſe voluerunt.* D. *Decus.* D. D. *Donum dedit. Dotis dotatio. Deus dedit.* D. D. D. *Datus decreto decurionum. Dono dedit dicavit. Dono dederunt.* D. D. D. D. D. *Dignum Deo donum dicavit.* D. D. L. M. *Deus dedit libero munere.* DD. NN. *Domini noſtri.* D. DQ. *Dedit, donavitque.* D. DQ. S. *Diis deabusque ſacrum.* D. M. S. *Diis Manibus ſacrum. Dormiunt mortui ſecuri.* D. F. *Dotem fecit.* D. F. *Decii filius.* D. G. *Dedit gratias.* DICT. *Dictator.* DIG. M. *Dignus memoria.* DIEB. *Diebus.* DIL. *Dilectus.* D. I. L. I. A. *De iſto lapide invenies aurum.* D. IN. M. S. *De infernis malè ſacrum.* DD. IMM. S. *Diis immortalibus ſacrum.* D. IPS. *De ipſis.* D. V. BB. *Dilectum vinum bibebant.* D. L. D. P. *Diis locum dedit publicè.* D. L. *Donavit locum. Dono legavit, dedit legem.* D. L. *Do Lego.* D. L. *De loco.* D. C. D. P. *Dies cum dedit publice.* D. L. S. *Diis Laribus ſacrum.* D. M. *Diis Manibus. Domus mortis. Divus Maximus. Diis maximis. Dolum malum. Donavit monumentum.* D. M. Æ. *Deo magno æterno.* D. M. B. M. F. *Diis Manibus bene merentibus fecit.* D. M. F. V. C. *Dolo malo, fraudisve cauſa.* D. M. L. *De male loquentibus.* D. M. M. *Diis Manibus Mœniorum.* D. N. G. *Diutius non gaudebis.* D. M. S. C. S. RPP. T. DEI. C. C. *Dies malus ſequitur, cras ſi rupens tonitrua, dein cineres, carbones.* D. N. MQ. *Devotus numini majeſtatique.* D. M. S. C P. *Dies malus ſequitur, cras pejus.* D. N. *Dominus noſter. Dominus.* DN. P. F. S. *Denumerata pecunia facies ſacrum.* DNN. *Domini.* D. O. *Deo optimo. Diis omnibus.* DOMS. COS. XIII. LUD. SEC. F. C. *Dominus Conſul tredecim ludos ſæculares faciendos curavit.* DOT. *Dotem.* DOT. R. *Dotem recuperavit.* D. P. *Diis Penatibus. Dotis promiſſio. Dotem petit. Devota perſona.* D. PEC. R. *De pecuniis repetundis.* D. P. F. *Denunciandi poteſtatem fecit.* D. PP. *Deo perpetuo.* DPO. *Depoſitio.* D. PF. *De præfecto.* D. P. ORT. *De parte Orientis.* D. PS. *De Principibus.* D. P. OCC. *De parte occidentali.* DPS. *Diſcipulus.* D. Q. *Diis Quirinalibus. Diiſque.* D. Q. R. *De qua re.* D. Q. S. *De quo ſupra. Die quo ſupra.* DR. *Druſus.* DR. P. *Dare promittit.* D. RS. *De Regibus.* D. RN. *De Romanis.* D. RP. *De Republica.* D. T. S. P. *Diem tertium ſive perendie.* DS. *Deus, Diis.* D. S. P. O. *De ſua pecunia obiit.* D. S. SP. P. *De ſua ſapientia perfecit.* D. SUP. P. *De ſupina pila.* D. S. *Dato ſolo.* D. SP. *De ſapientibus.* DT. *Duntaxat. Durat.* D. TB. *De Tribubus.* D. TRIB. TL. S. *De tribunali tulit ſententiam.* D. T. G. Q. S. *De tuo genio quid ſentis?* D. T. S. P. *Diem tertium ſive perendinum.* D. V. *Devotus vir. Diis volentibus. Devotus veſte. Dies quintus.* DUC. DUC. *Ducum Ductor. Ductorum, Ductor.* DUL. vel DOL vel DULCISS. *Dulciſſimus.* D. IX. *Diebus novem.* DU. I. S. *Devotus iſtorum ſervator.* DU. vel DUS. *Devotus.* DUL. *Dulcis.* DULMS. *Dulciſſimus.* D. U. M. T. *Dolo vel malo tuo.* D. VS. *Deæ Virginis. De virtutibus. De verbis.* His obſervationes alias, adjunges, ſiquidem placitum tibi fuerit antiquorum monumenta evolvere.

EPITHETA.

Ut tanto promptius, tanto facundius ſupra dentes formare diſcurſus ſuos quis poſſit, non defuerunt eloquentiſſimi tam Poëtarum, quàm Oratorum, qui ob oculos Epithetis ſuis collocarunt, & qualitates & conditiones dentium, cum tanta emphaſi, & energia, ut illic ubi poſita ſunt & lumen, & claritatem, & vitam, & penè eſſentiam periodis contribuant. Igitur Horatius invidos eos appellavit. *Et jam dente minus mordeor invido.* [Carm. 4.] Idem ibidem luridos: *Luridi dentes te quia ruge turpant.* Idem adhuc, nigros: [In Epod.] *Si quis atro dente me petierit.* In ſequentibus ſuperbos nominat. [Serm. 2.] *Vincere tangentem mala ſingula dente ſuperbo.* [Ep. 2.] Rurſum alibi Theoninos: *Dente Theonino cum circumroditur.* [Lib. 2.] Item jejunos: *Jejunis dentibus acer dejecit.* [In Epigr.] Politianus rubiginoſos appellavit: *Rodit ſtatim rubiginoſis dentibus.* Ovidius Indios: *Et dentibus Indis.* [2. Metam.] Idem niveos: *Rumpere dum niveo vincula dente volet.* [In Ep. Leand.] Idem avidos: *Sive dapes avido convellere dente parabat.* Rabioſos Lucanus: *Et frangit rabidos præmorſo carcere dentes.* [Lib. 11.] Duros Lucretius: *Mollia tecta fremunt duros nudantia dentes.* [Lib. 10.] Idem validos: *Et validis ſocios cædebant dentibus apri.* [Lib. 5.] Candidos Strozzius: *Quos jam exarmârant dentibus albis.* [Ibid.] Spinoſos Martianus Capellus: *Spinoſorum dentium acumine venenato.* Pontanus vulnificos: *Vulnificos ſpinæ referunt in cortice dentes.* Spinoſos Thomas Radinus: *Et ſpumoſis dentibus corrodente haſtas.* Minaces Strozzius jam memoratus: *Immenſumque caput, & dentes utrimque minaces.* Indicos Martialis: *Et aurum vetus indicoſque dentes.* [Lib. 11.] Calceatos Plautus; *Cum calceatis dentibus veniam tamen.* Candidos Pontanus: *Denteſque flavent candidi.* Præduros Martialis: *Ne violes teneras præduro dente columbas.* [Lib. 13.] Præcandidos Politianus: *Quid margaritas dentium præcandidorum proloquar.* Candidulos Marcus Tullius: *Canduli dentes: venuſti oculi, color ſuavis.* Copioſa Poëtarum, Oratorumque lectio, indicem tibi interim, mi Lector, copioſiorem, quem hic ſterilis meus ſit, ſuppeditabit.

FABULOSA & MYTHOLOGICA.

Æterna memoria digniſſima ſemper erit ſententia Maximi Tyrii, citata à viro eximio Maſcardio, in ſua tabula Cebetis: *Eorum,* inquit, *quæ ob imbecilitatem ſuam humana intueri perſpicuè nequit natura, ſpecioſior interpres eſt fabula.* Quaſi diceret: Sphyngem eſſe naturam, cujus Oedipus ſit fabula. Illa puteus profundiſſimus eſt, hæc ſitula, & funis unde ad aquam usque pertingamus. Illa oraculum eſt, hæc ejus interpres. Mirum non eſt ſi maxime abdita Philoſophiæ myſteria per fabulas panduntur, & revelantur: hæc enim utilitas eſt, quam à fabula capimus, & quæ exinde ſcaturire poteſt. Itaque dum de dentibus nobis tractatus eſt, non abs re futurum erit, ſiquidem de Cadmæis dentbius ſeminatis, huc fabulam attulero, tum proinde etiam id, quod Mythologici inde deduxerunt. [Draco filius Martis & Veneris.] Priores ergò nos docent, Cadmum filium Agenoris ſibi ſocios adjunxiſſe Thaſum, & Europam. Dum autem prima jacerentur Thebarum Urbis Bœotiæ fundamenta, eum ad fontem quendam miſiſſe ſocios ſuos, ut inde aquam haurirent, occurriſſe autem illis Draconem horrendum, qui non procul à fonte in caverna quadam latitabat, quem quidam filium fuiſſe Martis Veneriſque commentantur (inter quos Appollodorus Cyrenenſis, & Liſymachus ſunt) [Lib. 4. Rer. Theb.] præſtolabatur Cadmus ad reditum ſociorum, ſed in vanum: ambos enim Draco devoraverat. Denique moræ hujus impatiens, qua cum amaritudine diſtinebatur, ipſe quoque in locum ſe confert, atque ibi belluam invenit, adhuc ſanguinolentis oſſibus & membris palpitantibus incubantem, & devorantem. Ille vero, tanquam pugil imperterritus, arrepto manu gladio, & occiſo Dracone glorioſam dedit amicis ſuis vindictam. Subſidium illi ad victoriam ſuggeſſerunt, Mars, & Pallas, hoc tamen paciſcentes, ut Cadmus partem dentium, quos de faucibus occiſi animalis extraxerat, ſeminaret: quod cum factum eſſet, fingunt Poëtæ, armatos inde homines increviſſe: qui mutuis confeſtim in ſe cædibus ſævirent, ſeque invicem mutuis vulneribus conficerent: idque opera & artificio Cadmi (ſicut Pherecydes [Lib. 5. Hiſtor.] meminit) quorum turba illa conflictavit, & quam ille omnem extinxit. Arduum enimvero opus, niſi Pallas, utpote Dea Sapientiæ, viam indicaſſet & ordinem; qua ratione videlicet arrepta petra, eorum unum clanculo feriret: qui injuriam non ferens, credens id ſibi à ſodalibus ſuis contigiſſe, percutere vicinos cœpit, ſicque alter in alterum irritati, mutua nece ſe interimerunt, ita ut de tanto præliantium numero non niſi quinque ſuperſtites manerunt, quibuscum Cadmus reconciliatus, eorum poſthæc opera multipliciter uſus eſt. Mythologia eruditè ſuper hæc declarationem ſuam adjungit: Exponit enim Cadmum potentiſſimum Phœnicum Regem fuiſſe, qui ferociſſimum prædonem, terras longe & late infeſtantem, & ſub nomine Draconis ſignificatum, occidit. Seminaſſe dentes illius fabula refert, ſocii enim ejus diſſeminati, & diſſipati ſunt abſciſſo capite. Univerſum hoc Minervæ conſilio factum, & Martis, cùm rerum militarium executio, æquè ac aliarum à prudentia dependeat. Allegoria autem, quod petram inter armatos reliquerit, qua factum ſit, ut diſſidiis inter ſeſe commoti, promiſcue cæde interirent, eo ſpectat, quod Thebe regionis Metropoli ædificata, prælia multa, conflictationeſque inteſtinæ exortæ ſunt, dum quisque inter Heroës, & Belliduces ſibi urbis imperium vendicaret.

Rurſum alii ſunt, qui in dentium ſemine non homines, ſed Alphabetica elementa intelligunt. Stupenda, & prodigioſa enimverò meſſis, quâ fecundior, quâ feracior alia inveniri non poterit. Originem ſuam fabula exinde ſumpſit, quod hic Rex, magnus naturalium rerum indagator, de Phœnicia in Græciam transportatus, his plures literas monſtravit, hactenus incognitas. Primus item fuit, qui ſoluta oratione hiſtoricam ſcribendi methodum edocuit: ante hunc enim & Linus, & Thales, & Muſæus metro hæc dabant. Petram inter milites jeciſſiſſe dicitur, qui ſe mutuis cædibus obtruncârint: A Cadmo enim terra Cadmia inventa fuit, cujus operâ perfectiſſimè concoqueretur æs, & omnis ſcoria ad purum usque defæcaretur, ita ut opificum manus cum omni facilitate ad tractandum illud accederet. Hic ſenſus allegoricus dentium eſt, quomodo poſthæc cum Europa ſorore ſua inveſtigarit: civitatem Theben conſtruxerit: pro conjuge Harmoniam filiam Veneris habuerit, aliaque inſuper, cum non ſit fori noſtri, benevolum Lectorem ad ſenſatam Mythologiam Natalis Comitis ablego, quod autem fabulam ipſam concernit, ad doctiſſimi, & limpidiſſimi poëtæ Ovidii Metamorphoſin.

Pro more meo hunc tractatum, imperfectiſſima compoſitione mea termino: ſuppliciter te, amice lector, ſupplicando, ut voluntatem bonam æqui ducas, hac enim totus in ſervitium tuum ardeo.

Laus dentium.

Alludendo ad id, quod horum beneficio ſermo humanus perfectionem ſuam conſequatur; ſine dentibus enim id fieri non poſſet.

Bella ſiepe voi ſete, il cui Ricinto
Cuſtodiſce un teſor non menzogniero,
Cuſtodiſce la lingva, al cui Impero
Cede i raggi ben anche il Dio di Cinto.
Ha ciascun tra di voi luogo diſtinto,
Si le perle in ſua conca han pregio altero
A benche poi con alto magiſtero
In reciproco nodo ogni un ſia accinto:
O ſe là in Pimple mai trarmi la ſete
Poteſſi, e al pletro agevolar il nerbo,
Qual di voi cantarei memorie liete.
Pur tra voſtri ſtupori a dir mi ſerbo
Che tra pompe maggiori in terra havete
Voi pur virtu, ch' eſca perfetto un Verbo.

OS, ET LABRA.

Anatomia.

QUis noſtrum eſt, cui acceptum non ſit, auſcultare, legere, videre, ratiocinari, de ore, per quod reſpiramus, vivimus, fabulamur, & tot inſuper alia tam ad uſum vitæ neceſſaria, & opportuna peragimus? Os ſpiraculum pulmonum, & cordis eſt, ex quo fit, ut poſſit appellari porta vitæ, explicatrix, & nuncia affectuum, & paſſionum animi. Duplex hujus uſus eſt (prout Anatomici docent) unus primarius, ſecundarius alter. Primus rurſum duplex eſt: unus, ut alimenta per hoc ad ventriculum deferantur, in quo chylificatio fiat, & digeſtio perfecta: alter, ut in regiones pulmonum demittatur aër, qui per hoc reſpirationem perfectam habeant, non minus vocem quoque producant, & foras emittant. Denique idcirco datum eſt, ut nutrimentum habeat homo, ut temperamentum, ut expurgationem ſpirituum vitalium.

Uſus ſecundarius oris eſt, ur per vomitum, perque ſputa purgari poſſimus, thoracisque excrementa rejiciantur. In ore patulo manifeſtantur ginginæ, dentes, palatum, uvula, & fauces. Gingivæ carnes immobiles ſunt, ab opifice natura formatæ, ut dentes ſtabiliantur in cancellis ſuis, de quo in ſuperiori tractatu abunde dictum eſt. Palatum cælum oris nominatur, ab aliis teſtudo, & ſolum illius. Latini palatum appellarunt, quaſi palis dentium circumdatum. In fine hujus foramina duo ſpectantur, quorum intervento magna fit narium & oris communicatio.

Uvula fungoſa caruncula eſt, quæ de palato ad meatus narium usque diſcurrens, in ore denique terminatur. Hæc dum ſana eſt, gurgulio dicitur, item alio nomine, plectrum, per hanc enim, ab arteria aſpera & faucibus vox, emiſſa dirumpitur: ſita eſt in parte inferiore per modum uvæ dependens, unde & uvulæ nomen conſecuta eſt. Hujus uſus, ſecundum mentem Anatomicorum omnium, hic eſt, ut aëris frigidi frangat impetum, ne confeſtim in pulmones incidat: Hinc evenit, ut quandocunque hæc vel offenſa, vel deperdita fuerit, vox unà deficiat, aut diminuatur.

Alexander Afrodoſius.

Alexander Afrodoſius rationem indagat, cur qui hac Epiglottide privantur, continuo in phtyſin incidant, quamvis poſthæc ſanitatem uvulæ recuperent. Reſpondet ille ab aëre frigido id provenire, qui celerius debito prolabitur ad pulmones, cujus frigiditate incraſſatur, ſpiſſaturque ſanguis, & ad motum tardiores redduntur pulmones: ita ut de hinc per commotionis validæ vehementiam relaxentur imo & dirumpantur vaſa.

Fauces præterea cavitatem omnem denotant, quæ per os apertum conſpicitur; binæ item glandulæ, quæ ad Iſthmum collocantur, tonſillarum nomen habent, quarum officium eſt, continua irrigatione humectare linguam, unde ſaliva eſt, ſine qua nullus linguæ guſtus eſſet, ſicut nulla in ventriculo concoctio, ſi nulla humoris eſſet lixatio. Labra poſthæc oris ſunt extremitas, unde & pro libitu clauditur, & aperitur. Cum verò neceſſe fuerit conſtringi labia, aut eadem relaxari, contrahi, diſtendi, torqueri, & mutari denique ad omne id quod uſus manducantium, aut bibentium, aut loquentium, aut aliud quid operantium requirit: provida ſagaxque natura ſubſtantiam eorum muſculis ſimul & cute ita affabrè conſtruxit, taliterque invicem commiſcuit, ut ſtructura ejus admirabilis tam cutis muſculoſa, quàm muſculi cutanei appellari poſſit. Quidam antiquorum, non minus modernorum ſuſtinuerunt moveri labia per muſculum largum, cujus fibræ cum diverſimodè implicatæ ſint, varios quoque motus operentur: ſed peritiores Anatomici obſervant, plures ibi muſculos eſſe, qui diverſorum motuum cauſa ſint.

Doctiſſimus vir Laurentius docet, labium ſuperius à duobus muſculis moveri, qui cum principio carneo ab maxilla ſuperiore naſcantur, qui proinde per obliquum deſcendendo, lateribus labri ſuperioris inſerantur. Eadem ratio inferioris labri eſt, duorum pariter muſculorum interventu, qui à mento derivantur. In his ergo octo muſculis duo genera fibrarum obſervanda ſunt, externæ alteræ, alteræ internæ: hæ poſteriores ab intro labia contrahunt: priores illæ foras didicunt. Inter hæc denique rurſum muſculus quidam apparet in ſimilitudinem ſphyncteris, qui fibras omnes, & muſculos virtute conſtrictiva comprimit, & reſtringit, Buccinator appellatus. Naſcitur hic à ſummitate gingivarum, cumque his terminatur: qui per modum circuli interſecti fabricatus, & è fibris pluribus contextus eſt. Hic muſculus tunica quadam leviter tangitur, quæ univerſam circumferentiam oris ambit, usque adeo illi ex illa parte connexâ, ut nulla unquam laceratione divelli, aut diſſociari poſſit. Hujus miniſterium eſt, ut nunc in unam nun in alteram partem cibos trajiciat, qui hoc modo dentium ope maſticentur, & conterantur: Item ut inflandæ buccinæ diſtenſione ſua inſervia. Hæc ſunt quæ præſenti capitulo meminiſſe ſufficiant.

HIEROGLYPHICA.

PArciora nobis hic, quàm alibi occurrunt, ſive id factum ſit, quod hanc corporis partem progenitores noſtri tam providi ad uſum particularem trahere noluerunt, cum per os reliqua cuncta exprimantur: aut vero quia os per ſemet ſolum figuratum aut depictum, formam admodum obſcuram parumque cognoſcibilem habeat; evenit itaque, ut inſignem obſervationem in hac parte nullam ſtatuere allaborarint.

Inverecundia.

Dum nihilominus inverecundum hominem, & effrontem ſignificare vellent, faciem repræſentabant cum partibus ſuis integram, ſed privatam ore: quippe quod verecundia ſedem figat in ore. Unde & apud Latinos, de impudentibus, & protervis dicitur: *Os non habet*: Quod vulgo inter Italos *Sboccato* dicitur.

Hinc



Ex Pier. de Ore.

Hinc Cato major, dum Lentulo improperaret, quod in faciem ſibi ſpuiſſet: *Affirmabo omnibus inquit Lentule, falli eos qui te negant os habere.* Sic argute vulgatam hominis impudentiam percelluit, quamvis videretur id ad ſputi copiam direxiſſe. De inverecundia, & impudentia memini jam me alibi ratiocinatum fuiſſe, nec ignoro rurſum alibi occaſionem inde ratiocinandi occurſuram.

De viri verecund.

Interim cum Euripide hoc breviter dixero: *Maximum omnium vitiorum, quæ inter homines ſunt, eſt impudentia.* Alludit ad hoc proverbium vetus: *Chi non ha vergogna, tutto il mondo ha in pugno:* Hoc eſt: *quisquis pudore vacat* (inquit Plutarchus) *omnium digito monſtratur.* Verecundia luminoſiſſima purpura eſt, & maxime decora quæ tingi in Vaticano poſſit, aut murice colorari; ſed minimus impudentiæ nævus tantopere maculare eam poteſt, & deturpare, ut omnem adeo ſplendorem, omnemque genuinum decorem amittat; expreſſit hoc Antonius Abbas in Satyris ſuis:

Baſcherie.

Come ſtilla caduta in veſte roſſa
D' ebalio ſangue, e piu difforme aſſai
Che ſu rozzo gaban macchia piu groſſa.

In Bacchid. In Supp.

Hoc ipſum punctum Plautus tetigit dum ait: *Illum ego periiſſe dico, cui quidem perit pudor.* Et Euripides: *Vir turpis verecundia moveri non poteſt.*

1. De officiis.

S. Ambroſius item pro defenſione virginis pudicæ, ſic ajebat: *Eſt verecundia pudicitiæ comes, cujus ſocietate caſtitas ipſa tutior.*

Porro cum de ore mihi ſermo ſit, ex quo ſaliva foras ejicitur, peropportunum videtur de hoc nonnulla meminiſſe. Invenio itaque ſignificatum in his antiquitus eſſe, ſi quæ res aut improperio, aut omnino abjectione digna videretur, quod latini *amolitionem* nominare conſueverunt.

Rejicere rem quandam.

Veteres enim prudentiſſimi viri cum hunc geſtum expreſſuri eſſent, hominem pingebant, qui in actu erat ut ſpueret: Sic affirmat Theocritus: *Quæ maximè abhorrebant, quæque opprobrio habebant, eâ ignominiâ deſignabant.*

Theocr.

Adjungatur his primorum Chriſtianorum quemque devotum, in more habuiſſe, ut audiendo turpiloquium aliquod, continuò expueret: Quod ſi hodie fieret, plura vaſa ſputis & ſalivis adimplenda eſſent: eousque hæc immundities increvit, mixta blaſphemiis. Credebant illi expurgationem quandam & mundationem hoc genere agendi ſe aſſecutos. Hinc Tertulianus ajebat: *Cùm aliquid immundum flatu expuis.*

Lib. ad Vxor.

Qui ſæpius attonito ſimilis videbatur, eo quod altiſſimus per divinam juſtitiam ſuam hujusmodi ſacrilegos, qui fora publica, qui mercatorum fornices, qui domos his obſcœnitatibus adimplent, non ſeverè caſtiget, & in cineres redigat; quæ turpitudines nihilominus non ſolum ad perterrendos bonos, ſed ad perfectos quoque ſcandalizandos valentiſſimæ ſunt.

Theoph. apud. Diogen.

Theophylus accommodate in rem hanc ait: *Citius credendum eſt equo infræni, quàm verbo incompoſito.* Et Euripides: *Incontinens lingua turpiſſimus morbus eſt.*

Euripid. in Ores.

Quamvis dentium principale munus ſit maſticare cibos pro nutritione & alimento humano: magnam nihilominus partem in hoc opere os noſtrum ſibi vendicat, quod receptos à dentibus, tanquam à manibus quibusdam maſticandos tradit: occluſo enim ore, fruſtra dentium ſtructura eſt: cibatio igitur ad utrumque pertinet. Dicebat iſthinc cum ænigmate doctiſſimo Heliacus apud Horum Appollinem: ab homine horas devorari: per quod ad hominis os locabat faſciculum, colligatum de roſis, ſpicis, & pomis.

Pier. Hieroglyph. l. 23.

Ingenioſe admodum doctiſſimus vir Valerianus ænigma hoc à prima fronte ſua obſcuriſſimum exponit, dicendo: Non ſic intelligendum eſſe,

ut

Quid per hoc intelligendum: quod homo horas devoret.

ut credatur homo materialiter devorare horas, cum hoc factu impoſſibile ſit, nec enim corpus, nec figuram habent: ſed ſi temperanter & ordinate vivendo, horis debitis cibetur homo. Utque demonſtretur de tempore anni in tempus rationem & mutationem victûs inſtituendam, ad labia collocatur faſciculus, de quo ſupra memoratum eſt, ubi vernum tempus per roſas expreſſum eſt, æſtivum per ſpicas, autumnale in pomis. Sic videlicet quatuor anni tempora, prout Horus Apollo ſcriptum reliquit, horæ nuncupabantur: Ita Perſæ, & Aſſyrii nomine Horarum annales ſuos intitulant: A græcis item ſcriptores annalium Horographi appellantur. Hinc quoque Apollo, qui cum ſole idem eſt, cum horarum conductor ſit, earum Pater, & Horus appellatus eſt.

Dii ovo Horomazeni incluſi.

De quatuor & viginti horis diei, hanc fabulam Homerus recenſet: Horomazenum, hoc eſt, ſolem, cum jam univerſitatis molem fabricaſſet, & in ordinem ſuum digeſſiſſet, viginti quatuor Deos ovo incluſiſſe: quod cum poſthæc filii ſui jocando perforaſſent, bonos inde malosque genios prodiiſſe ſine diſcrimine: unde factum ut bona malis intermixta, orbem univerſum confuſione, & omnium rerum perturbatione adimpleverint. Hic Pierius moralitatem ſingularem conſtituit, dum ait: *Ita quantacunque fruamur jocunditate, quocunque ſimus gaudio exhilarati, ſerus quid veſper vehat neſcimus.* Hoc ipſum Euripidem perſvaſit, ut Mundum Lyræ comparaverit, ubi ſonus ſit acutus, ſimul & gravis: ubi congeminentur viciſſitudine perpetua Democritus ſemper ridens, & Heraclitus ſemper plorans. Ab eodem Horizonte proveniunt nubes, & ſerenitas: Atque ita dicitur homo manducare horas, dum easdem novit pro commodo, & utilitatibus ſuis impendere: quod jam ſupra tractatum eſt.

L. C.

Cor ori immiſſum.

Hierogly. 7. Lib. 1.

Rurſum apud Horum Apollinem (ſic Cauſinus refert) figura ſequens exprimitur: homo, inquam, qui manu dextra cor humanum in os ſuum immittit. Per hoc indicari, citatus Author inquit, hominem integritate, & ſinceritate comendabilem, qui verbo, facta conjungat: non niſi ea loquens, quæ in corde gerit: nec Phariſæis illis ſe ſimilem reddens, de quibus increata Dei ſapientia Redemptor noſter Diſcipulos ſuos præcavere docuit, dum ait: *Omnia quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite, ſecundum opera vero eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Prudentius ad hoc alluſiſſe videtur, dum ajebat: *Cor, ſeptum animæ.* Marcus Varro in octo partes humanam animam, Metaphyſicâ diſtinctione diviſit: ex his verò partem ſuam ſenſibus dedit, quorum numerus quinarius ſit: ſextam cogitationi: ſeptimam parti generativæ, octavam dedit potentiæ loquendi. Hinc etiam anima noſtra tanquam vitis frugifera propagines ſuas diſcriminatim huc illucque diſtendit, & ſubjecto corpori diſpartitur. Sic quamvis multis ſeſe verbis diverſimode exprimat, internus animæ ſenſus unus nihilominus & idem eſt. S. Dionyſius inquit: *Sentio mentem reſpondere capiti, opinionem cervici, pectori animum, cupiditatem ventri.* De materia hac, in tractatu de Corde abundantius & diffuſius loquemur.

Matt. 23.

Ex Cauſino ut ſupra.

Lib. de Divin. Nom. cap. 19.

MYSTICA ORIS.

PEr Metaphoricam translationem os Deo attribuitur, prout in ſequentibus patebit: ut enim humanus intellectus hæc myſteria comprehendat, nec improprium, nec vero abſimile videri debet, ſiquidem ſua membra altiſſimo Deo adſcribantur, quibus membris verbum ipſum in cælis veſtitum vivit. Sentiunt itaque Origenes, S. Baſilius, & Simon Caſſienſis, quandoque per os divinum, intelligi virtutem poſſe generativam, & ſpirativam Dei. Per os autem ſponſæ, virtus Dei, inquiunt, intelligatur, quæ omnem mentem illuminat: ſicut & collocutiones Dei, quæ in penetralia animæ noſtræ infundi ſolent: aut vero etiam, quia ſe prophetis olim quaſi per humanum os explicuit: ſicut illud de iisdem dictum eſt: *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis*, & ea quæ ſequuntur. Similes ſenſus occurrunt in Pſalmis, Cantico Canticorum, in Eccleſiaſtico, & Threnis. Sic ſecundum ſupramemoratos, ex eodem ore divino egredi dicuntur, quæ certiſſima ſunt; prout legitur in Deuteronomio: *In omni verbo, quod egreditur de ore Domini*: id quod Iſaias confirmat.

Cant. hom. 1. Pſalm. 32. Lib. 8. c. 4.

Hebræor. 1.

31. 137. 124. 45. 1. 3.

Ubicunque in ſacris literis mentio fit oris Domini (de quo loci copioſiſſimi ſunt in Deuteronomio, in Pſalmis, in Proverbiis, in Iſaia, prout illud Davidis eſt: *Os meum loquetur ſapientiam: inclinabo in parabolis, &c.* & ſimilia) per concomitantiam os Chriſti intelligendum eſt, lex quoque Dei, & lex Chriſti: ſic commentantur Sanctus Ambroſius, Auguſtinus, & Gregorius. Per os Patriarchæ Joſeph quo fratres ſuos oſculatus eſt, tum cum ſe cognoſcendum dedit, ſicut in libro Geneſis habetur, figuratur, juxta mentem Eucherii os Redemptoris, quo præcepta nobis ſuggerit, electosque ſuos oſculatur. Sic per verba Job, quibus ſe ad benedicendum Domino elevavit, & in binis libri ejus locis ſic habetur: *Aperiens Job os ſuum*; tum præterea cum vir hic patientiſſimus ſervum ſuum precatur, intelligitur, inquit Beda, Chriſtus factus homo, qui Judæos deprecando inſtruebat. Per os ſponſi, in Cantico, cujus deſiderata oſcula anima ſancta diligit, dum ait: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, inſpiratio divina figuratur; juxta mentem S. Hieronymi. Et juxta Sanctum Auguſtinum, & Gregorium, eloquia Domini, ejusdemque præcepta, potiſſimum charitatis, de quibus locus eſt eximius in lib. 1. Reg. cap. duodecimo, & in Iſaia per capita complura. Eucherius ſupra id quod poëta coronatus inquit: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Sicut in Proverbia quoque, inſinuari Prophetas inquit, quorum miniſterio Altiſſimus veritatem nobis aperit ſempiternam. In eo quod ad prophetam Moyſen dixit Dominus (ut videlicet eum ad opus illud magnum, ad quod accinctus jam erat, animaret) *Perge, & ego ero in ore tuo, doceboque te, quid loquaris*: exponit S. Ambroſius: *In ore Moyſi dicitur eſſe Deus, quando legis myſteria aperit.* Hoc os, juxta teſtimonium ejusdem, in prophetis aperitur, (ſicut in ſuperiori pſalmo) cum prophetiæ eorum adimplentur: ſicut in Ezechielem idem ipſe commentatur. Per os Dei: de quo Matthæus Evangeliſta meminit, ubi ait: *Aſcendit in montem, & cum ſediſſet, aperiens os ſuum, docebat* (ſic inquit Rupertus Abbas) Doctrina ejus ſancta intelligenda eſt.

48. 55. 1. 188. 2. 3. 62.

In Pſal. 108.

De eſſent. Divin. 4. Mor. Gen. c. 45.

Fortitud. Spirit.

Iob. 3.

Iob. c. 19.

Beda in Prim. cap. 1.

In Iſai. 54.

De eſſent. div.

12. 30. 40. 51.

Pſal. 118. Euch. fort. ſpirit. 1.

Exod. 4.

In Pſal. 118.

De Abrah. 10.

Matth. c. 5.

In Matthæum.

Supra id, quod altiſſimus Dominus Moyſi ſervo ſuo magnoque prophetæ promiſſionem illam ingentem dedit, ſe ore ad os cum eo locuturum eſſe, ſicut illic in libro Numerorum: *Ore ad os loquar ei palam*, Iſidorus Clarus commentatur: *Ubi Moyſes accepit Æthiopiſſam (Chriſtus Eccleſiam) locutus eſt ei ore ad os; hoc eſt revelavit arcana, & non in ænigmate, ſeu velamine literæ.* Huic ſenſui Tertullianus item ſe ſubſcribit, & adjungit, intelligi inſuper incarnationem verbi, ejusdemque in mundo manifeſtationem. Ejusdem omninò ſententiæ ſunt Sancti Baſilius, & Auguſtinus, quod ubi in ſacris literis fit oris mentio, illic mentem, vel cogitationes poſſe intelligi, ubi laus divina celebratur, quam in labiis noſtris verſari ſemper oportet. Idcirco myſterioſa ſemper, ſemper provida Eccleſia in officii divini exordio ſic intonat: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Dictum Davidicum eſt: eadem autem ſignificatio in libro Job diverſimode reperitur. Et hoc eſt os cordis de quo Redemptor ipſe per S. Matthæum inquit: *Quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Hinc propheta Regius inquit: *Pone Domine cuſtodiam ori meo.* In mandato illo, quod fit ad Ezechielem prophetam: *Aperi os tuum, & comede quæcunque ego do tibi*: ſic Sanctus Gregorius commentatur: aperiendum eſſe os cordis, ut verbum divinum, divinaque recipi poſſint mandata.

Cap. 12.

In hunc locum adverſus Marcionem.

In Pſal. 108.

De mendacio. 1.

Pſal. 50.

Pſ. 80. pſ. 118. & 137. Iob. 3. Matth. c. 15.

Cap. 2.

1. Reg. & 2. Moral.

Per os Annæ Prophetiſſæ, quæ Deum ſic alloquebatur: *Dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos, quia lætata ſum in ſalutari tuo*, citatus S. Gregorius inſinuari rationem mentis, intelligit, cujus virtute lingva ſolvitur in verba, & ratiocinatur: pari actione, ubi David ait: *Os meum repleatur laude*; Sanctus Baſilius ſic habet: *Os repletur gaudio, cum ex mentis affectu laudat Deum.* S. Ambroſius cum ingenioſa conſideratione nomen oris ad roſtra avium traducit, quæ idem miniſterium adimplent, & ait: in homine religioſo ramum olivæ eſſe in ore, cum in eo laus divinæ miſericordiæ verſatur, & cum ſplendor divinæ ſapientiæ annuntiatur. Venerabilis Beda, ſupra promiſſionem illam præfatam, qua Deus Moyſi ſpopondit, ſe aperturum os ejus, & labia ejus redditurum fecunda in conſpectu Regum, prout liber Exodi continet, hanc reflectionem format: aperiri hoc os, cum & diviniſſima Dei gratia infunditur.

1. Reg. 2.

Pſ. 125. De abditis rerum.

5. Exod. 4.

Duo loci ejusdem ſententiæ in literis ſacris inveniuntur, quorum alter de Ezechiele eſt, alter de Apocalypſi Joannis, ubi Deus ad prophetas hos volumen manducandum porrigit, quorum uterque ſic ait, ille quidem: *Et aperui os meum, & cibavit me volumine illo*, alter verò: *Et factum eſt in ore meo tanquam mel dulce*: ſuper hæc S. Hieronymus refert: *aperto ore largitus eſt mihi cibos, ut initia voluntatis in nobis ſint, & perfectionem beatitudinis à Domino conſequamur.* S. Auguſtinus aliter ſuper hæc ipſa ſententiam ſuam declarat, dum ait, in his intelligendam eſſe animam ſpiritualem, cui miræ dulcedinis ſit liber divinorum præceptorum. Vult S. Baſilius, quod ubi regius cantor ait: *Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam*, rectam illic fidei confeſſionem intelligendam eſſe.

Ezech. 3. Apocalyp. 10.

In hunc locum.

In hunc locum. Pſalm. 48.

Per id quod Petrus jubente Redemptore noſtro ad mare ſe contulit, illicque piſcem deprehendit, habentem in ore ſuo monetam quæ ſtatera nominabatur, ſicut in Matthæo invenitur: S. Ambroſius docet, comprehendi hoc loco integritatem fidei, quam decet in ore fidelium ſemper verſari: hanc non habent, ait Richardus de S. Victore, qui quamvis virtutem confeſſionis agnoſcant, nihilominus admonitionem omnem reſpuunt: unde illud eis pſalmiſtæ convenit: *Os habent, & non loquentur*: cum eo quod deinceps de humanis ſenſibus reliquis ſubjungitur. Os ſacci, quod olim Benjamin fratri ſuo minimo, repleri theſauro regio Joſeph præceperat, ut eum poſthæc furti inſimulare poſſet, ſicut legitur in Geneſi, figura erat prædicatoris boni, ſicut Pauli Apoſtoli; ſententia eſt Ambroſii, Gregorii, & Origenis. Idem protendit os Annæ, quod per totum Eccleſiæ corpus dilatatur, dum Eccleſia augetur: ubi Evangelica doctrina per orbem univerſum dilatata intelligitur. Confirmantur hæc per verba Eccleſiaſtæ: *Omnis labor hominis in ore ejus.* Ubi glorioſi illi labores intelligendi ſunt, quos verbi prædicatores in functione ſua exantlare ſolent. Quod ipſum in Cantico exprimitur, ubi ait: *Guttur tuum, ſicut vinum optimum.*

Matth. 17. In Lucam. 7.

Pſal. 113. 134.

De ſomn. Nabuch. 42. 44. De Ioſeph. 11. 1. Reg. 12. 1. Reg. hom. 6.

Eccle. 6.

Cap. 7.

Locus Geneſis eſt ubi Patriarchæ Jacob de clauſo putei ore aperiendo præcipitur: per quod S. Ambroſius obſcuritatem literalis intelligentiæ figurari inquit. Dictum illud prophetæ Regii: *Cujus maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo: ſub lingua ejus labor, & dolor*: qui ſenſus pariter in pſalmo primo & vigeſimo occurrit: Arnoldus Carnotenſis, Origenes, & S. Hilarius docent, de maledicentia Judæorum in paſſione Chriſti intelligendum eſſe. Os item peccatoris doloſum (de quo idem David) de ſcelerato & infideli Juda ſumendum eſt. Monſtruoſa bellua illa, de qua in Daniele memoratur, *quæ habebat os loquens grandia*: juxta mentem ſuperiorum, Anti-Chriſti denotat adventum, qui ore dæmonis locuturus ſit. Per mel item, quod pauper ille Jonathas ſe faſſus eſt in ſummitate virgæ ſuæ guſtaſſe, S Gregorius inquit, complacentiam & ſatisfactionem laudis poſſe intelligi. Leproſus, qui in ſignum infectionis præcipitur veſtimento ſuo os operire, juxta mentem S. Gregorii, Hieronymi, & Origenis, os hæreticorum denotat, hominumque ſceleratorum, quibus prædicatio interdicenda ne auditores ſuos corrumpant. De quibus optime propheta regius: *Quorum os locutum eſt vanitatem, dextera eorum repleta eſt muneribus.*

Gen. 29.

2. Corinth.

Pſal. 9.

In Pſal. 21. 5. Rom. 3. Part. 5. 144. Pſal. 108.

Dan. 7.

In 1. Reg. 14.

Levit. 13. In Reg. 14. in Zachar. In Lev. hom. 8.

Pſ. 143.

Ad id quod prædictus propheta inquit: *Salva me ex ore leonis*, adjungit S. Gregorius, hîc poteſtatem hominum perfidorum, intelligi: os autem ſerpentis Leviathan (de quo liber Job) juxta S. Hieronymum, ſuggeſtiones, tentationes, & blaſphemias Dæmonis indicat; idem Author per os Dæmonis prædicatores, & Anti-Chriſtum intelligit. De loco Iſaiæ, ubi ait: *Dilatavit infernum os ſuum*, dedûcunt Sancti Hilarius, Hieronymus, & Gregorius: deſiderium illud figurari, quo Diabolus deglutire Chriſtianos exoptat. Id quod in Job legitur: *Condemnabit te os tuum, & non ego; & labia tua reſpondebunt tibi*, de hæreſi S. Baſilius, Beda, & Origenes intelligunt. De eo quod coronatus propheta inquit: *Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant* primus ex illis ait: *Ore benedicere, & vitia virtutum nomine palliare, aut prætextu boni, ad malum inducere.* Usque adeo copioſæ ſunt expoſitiones ſupra hanc corporis partem, ſanctorumque Patrum ſententiæ, prout tibi ſuperiora ſatis demonſtrant: quare ne volumen integrum de materie hac ſola inferciam, ſpero tibi ſuffeciſſe quæ dicta ſunt, ut nonnihil etiam afferam

Pſalm. 21.

In Iob. 41.

In Pſal. 68. In Iſai. 5. 20. Moral. Iob. Cap. 15.

In Pſal. 61. In Ierem. 8. In Prov. 30. Pſalm. 16.

DE MYSTICIS LABIORUM.

MAgna illa fiducia, quam demonſtravit in Deo ſe collocaſſe, venerandus mihi ſemper & adorabilis vir David, cujus glorioſa geſta & à me jam alibi deſcripta ſunt: hæc inquam fiducia, qua ſic ait: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras*, Sanctis Auguſtino, & Gregorio anſam dederunt hæc ſequentia commentandi: his verbis exprimi ajunt tam novum, quàm antiquum teſtamentum, quæ ſibi invicem conſonant, & mentem nobis divinam exponunt. Atque hoc eſt, quod Sapientia in Proverbiis ait: *Voluntas Regum labia juſta: qui recta loquitur, diligetur.* In imprecatione illa, quam Sophar Naamathites ſupra Job format: *Utinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia*

Pſalm. 16.

De eſſent. Divin. Moral. 10.

Prov. 16.

Iob. c. 11.

ſua

[*fortitud. Spirit.*] *ſua tibi*: Eucherius judicium divinum intelligit, quod tum aperietur, cum voluntatem ſuam per judicia manifeſta, ſemoto omni velamine hominibus declarabit. Hæc labia tum plena indignationis erunt, & furoris, cum Chriſtus Judex contra impios ſententiam fulminaturus eſt: clariſſima in hunc locum ſententia eſt [*Cap. 30.*] Iſaiæ: *Labia ejus repleta ſunt indignatione, & lingua ejus, quaſi ignis devorans.* Gratia illa, de qua *Muſicus meus armatus* loquitur, quæ in labiis Sunamitidis [*Pſ 44.*] diſpergitur: *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*, & illa in [*Jud. c. 9.*] Judith viduæ labiis, cujus meminit hiſtoria ejus ſa- [*In Pſ. 44.*] cra juxta S. Hieronymum & Bedam prædicatio Chriſti tam ſpecioſa, ſicut ipſe eſt, & ardentiſſima ejusdem charitas intelligitur, qua immolari vitam ſuam pro humano genere voluit. Id quod ſapientia inquit: [*Prov. 8.*] *Labia mea deteſtabuntur impium*, utrumque teſtamentum in his labiis Beda intelligit: in atteſtatione veritatis, & deteſtatione malorum. In altarium, & menſarum, labiis quæ non niſi palmi unius erant, & [*Cap. 40. In Ezech. hom. 2.*] quæ holocauſta ſuſtinebant, de quibus in Ezechiele fuſius legitur; S. Gregorius Prædicatores deſignatos ait, qui populum docent ut res & magnas & exiguas in unitate fidei unius operentur: hoc idem in labiis Annæ Prophetiſſæ figuratur, ſicut jam ſupra relatum eſt.

In vita illa decora & coccinea, cui ſacrum canti- [*Cant. c. 4.*] cum ſponſæ labia comparat: *ſicut vitta coccinea labia tua*: S. Ambroſius eundem ſenſum deducit, ad- [*In pſ. 18.*] jungendo quod hæc ſanctiſſima functio coccineo Jeſu Chriſti ſanguine, & ſanctorum martyrum, poſt paſſionem purpurata fuerit: idem ſuſtinent Sancti [*In pſ. 44.*] Baſilius, & Hieronymus. Labium electum de quo [*In Sophon. 31. Sophon. 3.*] Deus apud Sophoniam ait: *Reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini.* Beda, [*Prov. 12.*] & Rupertus Abbas, ad ſinceram confeſſionem applicant: & hoc eſt labium veritatis firmum, ac perpetuum, de quo in proverbiis fit mentio. Eandem [*In Exod. 7. Exod. 30. hom. 7. Levit. 8.*] ſignificationem habet labrum æneum, (ſic Gregorius & Heſychius autumant) de quo Exodus memorat, & in quo Sacerdotes lavabantur: his addunt, ſignificari itidem lavacrum baptiſmi, & compunctionem peccatorum, junctam lacrymis, & deſideriis. Labrum hoc inter altare, & tabernaculum, collocatum erat, mediante enim paſſione Chriſti (inquiunt præmemorati) in qua ſolum hæc ſuperiora virtutem ſuam nanciſcuntur, ad paradiſi tabernaculum contendimus. Compoſitio labri hujus ænei deſcripta [*30. 35. 38. 40. 8.*] eſt in Exodo, & Levitico. Rupertus Abbas per mare illud conflatum & fabricatum per modum lilii, [*In 2. Levitic.*] quod in Templo collocatum erat, figurari cenſet paſſionem Chriſti, cujus merito baptizamur, & ſalvamur: quia verò totum è ſpeculis contextum erat, exempla nobis Scripturæ Sacræ, ſanctorumque Patrum manifeſtantur. De beato illo ſæculo, quo inter filios Noë, & generationes illius, ſacer textus, & [*Gen. 10.*] hiſtoria inquit: *Erat terra, labii unius, & ſermonum eorundem*, has conſiderationes præclaras Iſi- [*In hunc locum.*] dorus Clarus deducit: *Videtur linguam illam hebraam fuiſſe, cui omnes orientales linguæ magna ex parte conſentiunt; conſervata autem fuit in Abraham, & Dei cultoribus.* Hic modus ſingularis quo [*In Pſ. 62. In Pſ. 7. 8. Moral.*] labio uno plures loquuntur, ab Hilario, Auguſtino, & Gregorio ad unitatem charitatis refertur, & ad ſenſus concordantes rationi: iidem ſentiunt, quod labia cordis in Iſaia expoſita, figurare poſſint fortitudinem producendi cogitata, quæ non niſi perfecta eſſe, & munda oportet: alioquin hæc eadem labia maculata, & polluta eſſent, ſicut idem propheta meminit: *Vir pollutus labiis ego ſum.*

Hoc quod David inquit: *Exultabunt labia mea cum cantavero tibi*: Origenes ſic exponit: intelli- [*In Iſai. hom. 5. In Ep. Et ſanatum eſt.*] gendum eſſe de mente, cum grata & accepta eſt Altiſſimo. Sic ait Hieronymus: *Et labia cordis implebuntur jubilo, & felicitate, quando plus videbunt, quàm explicare poſſint.* Labia polluta, juxta præmemoratos itidem in hoc ſenſu accipi poterunt, ut mentem denotent junctam ignorantiæ, ſic illud ſupra de Iſaia relatum eſt.

Per labia habitatorum Sennaar, de quibus dicitur; *Erat vox ſermonum, & labii unius*, qui communi conſilio ſtellis ipſis bellum indixerant: *faciamus turrim cujus culmen pertingat ad cælum*: potentia magnatorum intelligenda eſt, qui in malo ſibi uniuntur, ſic Philo hebræus commentatur. Inter maximos dolores ſuos poſitus Job, ajebat: *Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos.* Supra hoc ejusdem mentis ſunt Gregorius & Hieronymus: poſſe hic fi- [*De confuſion. linguarum c. 19.*] gurari ſermones, & colloquia, quos cum dilecto Magiſtro ſuo redivivo poſt mortem ejus Apoſtolica turba tenuit, quibus videlicet tum virtus omnis bonorum operum omnisque ſtimulus correctionis, emarcuiſſe videbatur. In verſiculo illo pſalmi undecimi: [*Cap. 12.*] *Labia noſtra à nobis ſunt*: Sanctus Cyrillus Græcorum facundiam intelligit, qua inflati, & præfidentes incedebant, hæc corde & ore jactando, ſe inventores & principes eloquentiæ.

Id quod liber Job ait: *Commutans labium veracium, & doctrinam ſenum auferens*: Iſidorus Cla- [*In hunc locum.*] rus de his intelligi vult, qui magna authoritate præditi, & quibus magna concredita ſunt: S. Grego- [*11. Moral. 14.*] rius item affirmat, hæc intelligi de Judæis ante Redemptoris adventum iis prædicatum. Maximè mihi propria videtur expoſitio, quam dant Origenes, & [*De Am. 11. In Matth. Cant. 15. De Virgin. 3. Pſ. 13. Pſ. 54.*] Ambroſius, ad illud nimirum Pſalmiſtæ mei coronati dictum: *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Item alibi: *Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula*: dicunt enim in his intelligenda eſſe labia Scribarum, Sacerdotum & Phariſæorum contra Chriſtum, ſub quibus fel gerebant, & venenum aſpidum. [*Matth. c. 16.*] Hoc ipſum illis Redemptor in Matthæo improperabat: *Populus iſte labiis me honorat, conantem eorum longe eſt à me.* Hæ duplicitates, & fraudulentiæ in [*29. 15. 7. 58. 139.*] Iſaia, Sancto Matthæo, & in pſalmis condemnantur.

Dictum illud Davidis, viri nunquam ſat laudandi [*Pſalm. 119.*] nec ſat laudati: *Domine libera animam meam à labiis iniquis; & à lingua doloſa*, Sanctum Ambroſium [*In Pſ. eundem. In Ezechiel. hom. 8.*] & Origenem inducit, ut his credant intelligi oportere ſuggeſtionem dæmoniorum, hominumque perverſorum, qui aperte ad malum inſtigant, & ad perſeverandum in peccato. Idem ipſum ſignificatum volunt illic ubi Spiritus Sanctus de Meretrice illa impu- [*Prov. 5.*] denti loquitur: *Favus diſtillans labia meretricis: nitidus oleo guttur ejus, noviſſima autem illius quaſi abſynthium*, cum iis quæ ſequuntur: quibus adjungunt, non minus in his hæreticorum prædicationes figurari tum & voluptatis lenocinia.

Locus ille Ezechielis obſcurior eſſet, ubi ait: *Aſcen-* [*Ezech. 36. In hunc locum.*] *diſtis ſuper labium linguæ, & opprobrium populi*, niſi eum Iſidorus Clarus his verbis explicuiſſet, hoc eſt: *Eſtis fabula omnibus*: Quamvis S. Hieronymus ſic dicat: *Labium linguæ dicuntur aſcendiſſe montes Iſraël; quando tempore perſecutionum Eccleſiæ, infideles Proceribus Eccleſiæ, &c.* De labiis Moyſis, quæ poſt collocutionem Dei incircumciſa fatetur, gloſſa commentatur, hic literam legis Moſaicæ in- [*In Exod.*] telligendam: cujus obſervantia poſt adventum Chriſti inutilis, & muta facta eſt, ſiquidem ei frater Aaron non jungatur, hoc eſt, ſenſus ſpiritualis. Et hic ego quoque, dum linguæ mutæ mentionem agimus, obmuteſco, & finem facio, ad ſequentia feſtinando: ſenſus autem magis elucubrati, & fuſius dilatati, in Sanctorum Patrum voluminibus & doctrinis inveniri poterunt.

HISTORIÆ, RITUS, OBSERVATIONES, & CONSUETUDINES de OSCULO.

Usque adeo ſibi invicem correlativa ſunt os, & oſculum, ut fieri de alterutro horum mentio non videatur poſſe, niſi invicem & correlativi ſui mentio fiat. Sed hoc ipſum oſculum ſiquidem limites honeſtatis & pudicitiæ exceſſerit, turpiſſimam honori maculam infligit, & pro omni adeo conditione & ſtatu famæ derogat: in hoc ego Capitulo coram [*Martial. lib. 5.*] omnibus conteſtatum volo Satyricum illud: *Matronæ, pueri, virgineſque vobis, pagina noſtra dicatur*, [*lib. 8.*] & alibi: *Nuda recede Venus, non eſt tuus, iſte libellus:* De tribus illis nominibus in quæ oſculum dividitur, [*Ex theatr. Vit. hum. Lit. O. P. 136.*] in *baſium* videlicet, *oſculum, & ſuavium*, Theologi ſic loquuntur, tripliciter illud imprimi poſſe, primo in ſignum urbanitatis, amicitiæ, vol cognationis, [*Differentia oſculorum.*] & hoc *oſculum* appellatur: ſecundum fit cauſa matrimonii, & *baſium* nominatur: ultimum quod nomen *ſuavii* obtinet ex libidinoſa, & carnali concupiſcentia provenit. Rurſum aliud eſt oſculum ſanctum, de quo anima ſancta; *Oſculetur me oſculo oris* [*Pint. Ramis. Spicil. Sacr. Cap. 25. n. 9.*] *ſui*: & Apoſtolus Paulus: *Os noſtrum patet ad vos ô Corinthii.*

Invenitur conſvetudo erudita apud Antiquos, ubi paterfamilias, aut qui ad convivium invitaverat, portari ſibi poculum plenum jubebat, cumque illud delibâſſet, & oſculatus eſſet, ferri in gyrum præcipiebat, ut omnes ſimul convocati, aut filii familias in ſignum reciproci affectus, & benevolentiæ guſtarent [*Infans in gyrum portatus ad oſcula.*] & oſculentur, quod tantundem erat, ac ſi ſe invicem oſculati eſſent. Abydeni itidem, prout Petrus Crinitus refert, confecto prandio ſuper diſco quodam infantem nudum portabant, cujus pectus & genas aſſidentium quisque pro more patriæ oſculabatur. Utque ad poculum revertar, eruditi locum quendam [*In Epiſt.*] Philoſtrati notant ubi ſic habet: *Labris attingens, imple pocalum oculis, & præbe rogantibus*: Quod hunc ſenſum continet: cum oſculatus fueris, & deguſtaveris, aliis quoque ad eadem facienda præbeto. Eundem in cælis uſum eſſe Lucianus Fabuloſus aſſe- [*In Dialog.*] rit, dum de Junone & Jove ſic loquitur: *Quando bibens poculum pincernæ tradebam, petebat ille ſtatim ibidem bibere, acceptumque poculum oſculabatur, & oculis admovebat.* Alluſit ad hoc Juvenalis, dicendo:

[*Satyr. 5.*]
Quando propinat
Virgo tibi, ſumitq; tuis contacta labellis,
Pocula.

Sed de fabulis ad Evangelium progrediamur. Actum amoris exercuit Redemptor noſter cùm in ſacra cœna pretioſiſſimum poculum diviniſſimi ſangvinis ſui ore ad os diſcipulis ſuis tradidit, dicendo: *bibite ex hoc omnes.*

Rurſum conſvetudo fuit antiquitus non ſolum pedem ipſum, ſed & veſtigia illius, in conteſtationem venerationis, oſculari: ſic Mardochæus ut omnem à ſe odii, aut rancoris adverſus Aman, ſuſpicionem [*Eſther. 13.*] amoveret, ajebat: *Libenter pro ſalue Iſraël etiam veſtigia pedum ejus deoſculari paratus ſum* Hunc morem item, ait Sanchez, apud Perſas uſitatum fuiſſe [*Oſculari pedes.*] olim, ut Regibus ſuis plantas pedum oſcularentur; prout hodie quoque cum ſanctiori veneratione, & obſequioſa reverentia erga ſummum Pontificem fieri [*lib. 10.*] conſvetum eſt. Ad hoc alluſit Martialis, dum ait:

Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes, humileſque ſupplicesque
Pictorum ſolia baſiate Regum.

Unde patet quod non ſolum pedes, ſed terram illam, ubi pes veſtigium ſuum fixerat, oſcularentur. Scaliger cum expoſitione ſua locum quendam ſat obſcurum Marci Varronis illuſtrat, dum ait: *Quæ ſolo teri poſſint ſola terræ.* Huc referenda Iſaiæ verba; cum ad eum Deus ſic fatur: *Humiliaberis, de terra* [*Cap. 29.*] *loqueris, & de humo audietur eloquium tuum*: & alibi: *Vultu in terra demiſſo adorabunt te, & pulve-* [*Cap. 49.*] *rem pedum tuorum tingent.*

Hunc morem plures Romanorum Imperatorum æmulati ſunt, cum in tyrannidem degenerarunt: un- [*Lamprid. in Alexandr. Sever.*] de Lampridius de Severo Imperatore refert: *Ipſe adorari ſe vetuit, cùm jam cœpiſſet Heliogabalus adorari Regum more Perſarum.* Hæc monſtruoſa conſvetudo primordium ſuum ab Caligula Imperatore impio ſumpſit, cujus nomen à caligis derivatur, quod pro calceis nonnunquam uſurpatur. In his diffuſior eſt Seneca: quem hic in compendio referam, quan- [*lib. 2. de Beneficiis. c. 7.*] tum ſcilicet materia hujus loci exigerit. Ait itaque hic Magiſter morum: *Cæſar dat vitam Pompejo, Penno deinde abſoluto, & agenti gratias, porrexit oſculandum ſiniſtrum pedem.* Et paulò infra: *Quid hoc contumelioſius, ſi vir conſularis aurum, & margaritas in calceis oſculatus eſt: & alioqui nullam partem in corpore ejus electurus, quam purius oſcularetur. Homo natus in hoc, ut mores liberæ civitatis Perſica ſervitute mutaret: Parum judicavit ſi ſenator ſenex, ſummis uſus honoribus, in conſpectu Principum ſupplex ſibi eo more jacuiſſet, quo victi hoſtes victoribus jacuere. Invenit aliquid infra genua, quò libertatem detruderet: non eſt hoc rempublicam calcare? Et quidem, dicet aliquis (nam poteſt ad rem pertinere) ſiniſtro pede.* Hunc morem antiquum fuiſſe, autho- ritate ſua corroborat Xenophon de Cyro Monarcha, [*Xenophon.*] dicendo: *Deoſculabantur Cyro manus, pedesque.* Idem apud alias gentes confirmat Nonius *Electræ* [*Nonius lib. 4.*] *oſculatur manum, oculos pedesque ſummos.* Et Silius Italicus patrem inducit, qui impietatem filii deteſtatur, ut ſequitur:

[*Dionyſ. 5. l. 11.*]
Cum ſenior tanti pondus conaminis ægra
Jam dudum vix aure ferens, tremebundus ibidem
Sternitur, & pedibus nati prava oſcula figens.

Capitolinus de faſtuoſa Maximini ambitione ſic loquitur: *In ſalutationibus ſuperbiſſimus erat, &* [*Iulius Capitol.*] *manum porrigebat, & genua oſculari ſibi patiebatur, nonnunquam etiam pedes, quod nunquam paſſus eſt ſenior Maximus, qui dicebat: Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat.* Solebant autem tyranni tum pedem porrigere cum lutulentus eſſet, ut tanto deformiorem & duriorem hunc actum proſtratis facerent; unde Valerius Maximus de Piſone inquit: *Per id tempus quo triſtes de eo ſen-* [*lib. 8. c. 1.*] *tentiæ ferebantur, repentina vis nimbi incidit, cùmque proſtratus humi pedes Judicum oſcularetur, os ſuum cœno replevit; quo conſpectu totam quæſtionem à ſeveritate ad clementiam & manſvetudinem tranſtulit.* S. [*Homil. ad popul. Antioch. Serm. 22. de verb. Apoſt. in Ep. ad Pammachium.*] Chryſoſtomus, Auguſtinus, & Hieronymus ſcribunt in primitiva Eccleſia morem viguiſſe, ut boni Chriſtiani Sanctorum, præcipuè martyrum pedes deoſcularentur.

Nec ſolum taliter plantis pedum dabantur oſcula, [*Oſculari pedes ſanctorum.*] ſed inſuper, illic ubi pedum erant veſtigia, prono pectore ſe humi ſternebant, usque adeo ſe vilipendentes, ut ſaxa etiam & arenas, ubi fixa fuerant, oſcu- [*Uſus oſculandi eorum veſtigia.*] lati non dedignarentur: Hac occaſione Pater Sanchez locum illum Iſaiæ, ſupra jam citatum exponit: *Et* [*Cap. 49.*] *erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutritiæ tuæ: vultu in*

in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Hoc ipſum in eodem adhuc capite reiteratur. Quod Perſarum conſuetudini congruit.

Pſ. 131.

Adhoc Armatus Cantor meus alludit: *Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus.* Huic conforme eſt il-

lib 42. Dionyſ.

lud Nonii, cùm ait: *Et oſculatus eſt innumeris oſculis, occultè repens, locum, ubi pedem poneret, & quem calcavit pulverem.* Inter latinos Silius Italicus

lib. ult. ad ſuam Thebaid.

inquit:

Vive precor nec tu divinam Æneida tenta,
Sed longè ſequere, & veſtigia ſemper adora.

Plinius item ad Trajanum ſuum, cum prius ei multa millia felicitatis præſagia devoviſſet, ſic denique ait:

In Panegyr.

Veniet tempus, quo templum magnus hoſpes impleveris, ut tunc ipſi tibi ingentium ducum ſacra veſtigia eiſdem in locis monſtrabuntur. Eidem omnino ſimile exprimit Claudianus, ubi de volucribus tractans, quæ Phœnicem ſequuntur, ita concludit:

Nec quis tantis è millibus obvius audet
Ire Duci, ſed Regis iter flagrantis adorat.

In quo loco *adorare iter*, idem eſt ac oſculari, & adorare veſtigia. Hic mos originem ſuam ab Hebræis traxit, qui terram oſculabantur, ubi Deum habitaſſe opinati eſſent. Quæ conſuetudo quam diu his limitibus coërcetur, me judice, laudabilis eſt, & ſancta: cujus exemplar nobis hodiedum è Cœnobitis quidam eximiæ religionis & obſervantiæ, adverſum ſuperiores ſuos exhibent: ſed exceptis his, excepto item Pontifice maximo, quod his amplius eſt, affectatum, vanum, & irriſione dignum eſt. Hinc, ut ad Hebræos denuo revertamur, S. Iſidorus ſupra id

Ioſue. c. 5.
S. Iſidorus in hunc locum.
lib. 5.

quod dicebatur ad Joſue: *Solve calceamenta de pedibus tuis, locus in quo ſtas, ſanctus eſt,* ſic ait: *Quomodo Jericho terra ſancta eſt, quæ ab hoſtibus detinetur? ſed forte quocunque venerit Princeps, virtus Domini ſanctificat locum.* Unde Plinius ipſe quoque veſtigia primorum Ducum ſacra nominat, & Silius Italicus:

Has umbras nemorum, & convexa cacumina cæli,
Calcatosque Jovi lucos, prece Boſtar adora.

De pedibus, qui ſi ordo obſervetur, ultimum ſibi locum vendicant, ſed propter eruditionis copiam, & narrationis contextum hic in primo ſunt, ad os rurſum transimus: de oſculo itaque officioſo & civili apud

Herodotus l. 1.

Herodotum invenio, Perſas, cum obviam ſibi invicem veniſſent, loco ſalutationis, reciproce ſibi faciem oſculari ſolitos: quique inter eos dignitate videbatur inferior, oſculum quoque paulo inferius figebat: qui autem multis gradibus major erat adorabatur.

Dialog. 6.
Hiſt. Poetic.

Recenſet Plutarchus, & Geraldus, quod adoleſcentes ſemet oſculando, ſibi invicem ambas prehendebant auriculas. Cujus rationem hic poſterior adducit: *Eo quod puerorum* inquit *aures bonis moribus ſint imbuendæ.* Alexander ſcriptum reliquit, milites Romanos dexteram victricem Imperatorum triumphantium ſolitos oſculari: hinc Sophocles Oedipum ſuum ſic loquentem inducit:

Et mihi dextram Rex præbe, ut
Tangam, & oſculabor, ſi fas, tuum caput.

lib. 4. Dionyſ.

Nonius item: *Electræ oſculare & manum, & caput, & pectus frontemque Hemationis.* Sic inter nos Italos mos durat, ut magnatibus manus oſculemur:

Polydor. Virgil.
Plin. l. 1.
L. Aſini ſui. 2.
In Problem.
de Claris mulieribus.

hinc Polydorus Virgilius ait: *Religionem aliquam eſſe in dextera, quæ in fide porrigitur, quæ oſculis averſa appetitur.* Idem confirmat Apulejus. Refert Plutarchus, morem Romanorum fuiſſe, ut fæminarum, quibus cognatione vel conſangvinitate conjuncti fuiſſent, faciem oſcularentur: rationem

Oſculari in facie.

inſuper adjungit: id factum, ut occaſio eſſet, olfaciendi ſi vinum redolerent, quorum uſus eis interdictus erat, ne lubricitate peccarent: qui ritus in vituperium non caderet, ſi non itidem per hunc ipſum infelices paleæ, ſuccedente libidine in cineres redigerentur: itaque ſalutare eſt monitum Sulmonenſis:

Nec vini, nec tu Veneris capiaris amore:
Uno namq; modo vina Venusq; nocent.

Lib. 4. c. 15. de Invent.

Matronæ Anglicæ, liberiores Romanis, prout Polydorus jam citatus docet, in more habent, quemque obvium, non ſolum cognatos ſuos, ſed quoscunque ſalutare volunt, oſculari in facie: qui mos proinde Galliam univerſam pervagatus eſt, ad Allobroges vel in Sabaudiam usque penetrans: ſed oſculum ſine mora temporis eſt, & extremis tantum labiis, cum omni decentia, & honeſtate. Fæminæ Principes nihilominus, & claro ſangvine natæ, in locum faciei manum oſculandam præbent: ſicut invicem viri faciunt, præbendo dextram.

Oſculari Reges.

Recenſet Plutarchus, quod Principibus quoque oſculum dabatur: Hinc Chares Mitylenius benignitatem Alexandri M. deprædicat, qui cum potionem vini in vaſe quodam delibaſſet, vicino ſuo guſtandum dabat & hic rurſum viciniori ſibi, dum in circulum transiſſet: poſthæc quisque eorum ſe levans Regem ſuum oſculabatur, & excepto Clitone, qui Regem fortaſſe jam offenderat, quam offenſam etiam cum diſpendio vitæ ſuæ eluit. Cælius item ſcribit Imperatores Romanos cum iter facturi eſſent, convocato ſenatu quemque ſenatorum in facie oſculatos fuiſſe: illi viciſſim Imperatoris dextram oſculabantur: quæ conſvetudo idcirco laudabilis erat, quod amorem, reverentiam, & concordiam demonſtrabat: idem confirmat Alexander.

Alex. l. 2. c. 9.

Oſculum dabatur olim Legatis.

Legati inſuper à Principibus urbium, ad quos legabantur, cum oſculo ſalutabantur. Hinc Sabellicus de Severo commemorat, (qui poſthæc Imperator fuit) quod cum quidam de vili famulitio ſuo, poſt longum temporis ſpacium, quo Dominum ſuum non viderat, eidem occurrens oſculo ſalutare auſus fuiſſet,

Sabellicus l. 5. En. 7.

is malè ferens temeritatem, eum fuſte exceperit, juxta legem antiquam: *Legatum populi Romani plebejus homo non amplexaberis.*

Oſculum datur filiis.

Olim item filiis à patre oſculum dabatur. Unde Iſaac, antequam Jacob filio ſuo benedictionem impertiretur, oſculo & amplexu eum ſuſcepit: *Accede huc fili mi, ut deoſculer te:* ſic in ſacra Geneſi legitur.

Cap. 27.

Quod David item cum Abſalone fecit, cum ab exilio reveniſſet: prout Regum liber ſecundus habet.

Cap. 14.

Eodem modo prodigum ſuum excepit amantiſſimus pater, ſicut Evangelium docet.

Mulieres in publico.

Nullo ſibi pudori reputabant olim, nec verò indecorum rebantur antiqui, ſiquidem in foro publico etiam vir uxorem ſuam oſcularetur. Unde Alexander tradit,

l. 2. c. 5.

Marcum Catonem Cenſorium à ſenatu remotum fuiſſe per Manlium, quod quandoque non ſat honeſte, ſpectante filia uxorem oſcularetur, dicentem ſe non niſi cælo tonante id facere. De Amalezunte Regina Longobardorum hiſtoria continet, quod cum ſponſalitia ſua cum Theodato viro ſummæ virtutis contraxiſſet, eumque ſibi obvium habuiſſet, ille vero deſiliens equo, & inclinatus manum ejus deoſculatus eſſet, illa ſubridendo reſpondit:

Beierlin. Theat. vit. human. lit. O. part. 136.

Non manum tantum, ſed faciem oſculari oportet, ut ita non ſubditũ amplius, ſed Maritum ſe agnoſcere declararet. Conſvetudo oſculandi inter Matronas Romanas ab Trojanis initiũ ſumpſit. (ſic Plutarchus ait)

De virtute mulieris.

Dum enim hæ tempeſtate in has partes conjectæ eſſent, ut ſibi populũ conciliarent, obviũ quemq; oſculo ſalutabant: qui mos, usque adeo inter latinos acceptus fuit, ut inde matrimonia contracta, gentisque aſſociatæ fuerint: qui mos poſtea tempore multo invaluit. Hæc conſuetudo item inter fratres viguit: unde illud eſt Geneſeos, quod cum Jacob ſibi Eſau fratrem obviam haberet, mutuis ſeſe oſculis exceperint, ambo lacrymantes.

Idem inter hoſpites obſervabatur & peregrinos, qui primus alterum agnoviſſet primus oſculum offerebat. Id quod familiare Hebræis fuit, genti tum quidem temporis electæ: cum etiam à ſe invicem diſcederent, idem fiebat. Hunc item morem inter Græcos fuiſſe legimus: Unde Eumeus, dum Telemachum recipit, obviam ei progreditur, & amplexando oſculatur.

Parentes à filiis ſuis oſculum accipiunt.
In Epidio.

Filii proinde Patres Matresque ſalutare olim oſculo tenebantur, tum videlicet, cum ſpacioſo tempore abſentes, domum rediiſſent: (ſic Plutarchus recenſet,) qui in hunc modum dialogizat: *Quid eſt Pater, quod me exciviſti ante ædes?* Cui Pater reſpondet: *Tuam ut matrem videas, adeas, ut advenienti des ſalutem, atque oſculum.* Idem fieri ſolebat inter eos, qui ejusdem profeſſionis erant, conſvetudinis, aut Religionis. Non poſſum quin primorum Chriſtianorum uſum è S. Cyrillo huc collocem, qui ſic habebat:

Catechiſ. myſt.
Primi Chriſtiani ſe oſculantur.

In Eccleſia primitiva Chriſtiani dum conveniebant mutuis oſculis charitatem, & animorum in eadem religione conſenſum teſtabantur, quod oſculum vocabant ſanctum. Ita Paulus monet Corinthios, ut invicem ſalutarent in oſculo ſancto. Mos quippe erat, idque valde ſolemne primis Chriſtianis, ut tum aliàs, tum maxime cùm conveniebant in Eccleſia, ſive ad ſacram Synaxim, ſive oſculo, ſive amico complexu ſalutarent dicentes: Pax tecum. Latius hic ſanctus diffunditur dum devotionem, unionem, & perſeverantiam in bono primitivæ hujus Eccleſiæ deprædicat: quorum ſimilitudinem, faxint ſuperi, ut hodierni noſtri imitentur! Adjungit his, quod item oſtia templorum oſculari conſveviſſent.

In Cap. 23.
Ep. 2. ad Cor.

Refert Cornelius à Lapide, in quibusdam locis introductam fuiſſe conſvetudinem, ut in teſtimonium confœderationis & pacis, ſe ante ſacram ſynaxim oſcularentur fideles: ſed cum fæminæ viris eſſent intermixtæ, uſus alius ſubſtitutus eſt, tabula nimirum pacis à ſacerdote præſentata: In hoc ſenſu ſumendum eſt, quod in Miſſarum ſolemniis ſeſe invicem ſacerdos & miniſtri amplexantur.

lib. 2. Antiquit. Conviv. ual.

Stucchius item de eodem uſu mentionem habet, eumque ex eo, quo ſe invicem ſacerdotes & miniſtri oſculabantur, in illum alterum commutatum ait, quo vel crucem ſanctam, vel altare, vel reliquias ſacras offerebant: quod oſculum tamen pacificale nominabatur. De oſculo, incitamento

Hom. 30. ad Corinth.

charitatis, Sanctus Chryſoſtomus ſic habet: *Ob id nobis datum eſt oſculum, ut charitatis igniculus ac fomes ſit: ut affectum inflammet, ut hac ratione nos ipſos mutuo amemus, velut fratres invicem ſe amant, patresque viciſſim filios, imò etiam multò vehementius:* copioſiſſimus in hoc eſt. Ego vero ne in uno ſolo genere longius debito diſtendar, quæ ſequuntur prætermitto.

Amicorum oſcula.
Cyropedia.
Clio.

Salutabant ſé olim oſculo dato amici: quam materiam Xenophon tractat, & Herodotus. Quod genus ſalutationis, etiam ad oſculandos ſenes tendebat:

Senes ſalutantur oſculo.
Cæl. lib. 15. c. 9.
Lib. 1. Lectionum. c. 17.

Unde Lacedæmonii, prout Cælius refert, ludos inſtituerant, & præmia inſuper proponebant iis, qui cum majori obſervantia, & veneratione doctiſſimos noſſent oſculari, ſicut & ſenes. Citatus Author inquit, hanc conſvetudinem à Megarentibus derivaſſe, in honorem Dityli. Obſervant

Oſculum ollæ oſculo filiorum comparatũ.
lib. 10.

Canterius, & doctiſſimus vir Novarinius, modum & intentionem, qua olim pueris prendebantur in oſculando auriculæ, oſculum ollæ appellatum fuiſſe, ollæ ſiquidem non niſi auribus tenentur. Confirmat hoc Julius Pollux, qui de Græco in Latinum traductus, ſic ait: *Ollam prehenſis oſculator auribus.*

5. Stromat.

Clemens Alexandrinus conſvetudinis hujus meminit: ſicut & Plautus inquit: *Sive te exorem, ſive te prendam auriculis, ſive dem ſvavium.*

In Penulo.

Sic Tibullus: *Et fœtus matrona dabit; natus parenti oſcula compreſſis auribus eripiet.*

Oſculum datum in ſignum congratulationis.

Multis de cauſis oſculum dabatur. Inprimis ſignum erat congratulationis, unde in Curtio & Plutarcho legimus, poſtquàm Alexander Magnus domaſſet Bucephalum, eumque conſcendiſſet Pater eum deſcendentem oſculatus eſt, dicens: *Vade fili, alia tibi quære Regna, quia te Macedonia non capit.* Poſt inſignem illam victoriam, quam Marcus Livius Salinator, & Claudius Nero de Hasdrubale ad Metaurum flumen obtinuerat, utroque Romam per Decretum Patrum appellato, recenſet Sabellicus,

Lib. 5. En. 5.

quod circumfuſa multitudo non ſolum ſalutavit, ſed dexteras victrices, quæ Romano populo ſalutem peperiſſent, certatim ſint oſculati cives. Poſtquàm Marcus Cato minor Legationem ſuam in Macedonia ad flumen Rubrium terminaſſet, rurſumque reverſurus eſſet, & valedicturus, milites eum cum amplexu, & oſculis dimiſerunt, (ſic Plutarchus meminit) quorum quidam veſtimenta ſua ſubtraverunt, ubicunque ei incedendum eſſet.

In ejus vita.

Imperator Conſtantinus in ſacra Synodo Nicæna, ſi quem Epiſcoporum offenſum, aut quaſſatum inveniebat, eum manibus propriis tractabat, curabat, ligaminibus fulciebat, & vulnera ſancta oſculabatur: ſic Euſebius memoriæ tradidit. Oſculum præterea ſignum diſceſſus vel peregrinationis eſſe, inter alia jam adducta exemplum nobis præbet Laban, qui poſtquam cum genero ſuo conventiones & pacta promiſcua propter Rachel filiam ſuam ſtabiliſſet, hiſtoria ſacra inquit: *Nepotes & filias ſuas deoſculatus manè abiit.*

Geneſ. 31.

Diſceſſus Pauli Apoſtoli ab Epheſiis amariſſimus fuit populo illi: itaque procidentes in collum Pauli, ſatiari oſculis nequierunt, prout acta Apoſtolica teſtificantur. Eliſæus ab optimo patre ſuo Elia ſibi ad oſculandum patrem & matrem dari veniam poſtulat, quod & conſequitur.

Cap. 20.
l. b. 1. Ruth.
lib. 2. Reg. cap. 10.
Tob. 10.

Cum Orpha diſceſſura eſſet (ſicut nobis Ruth hiſtoria exponit) ſocerum ſuum cum teneritudine oſculata, ac ſic iter ſuum proſecuta eſt. Rex David vetulum illum Galaaditem non prius à ſe dimiſit, quàm cùm mille eum oſculis in maxilla datis amplexus eſſet: idem fecit Raguel in filia ſua Sara. Porro Romani, cùm à ſe invicem diſcederent, mutua oſculatione manuum id faciebant.

Signum Religionis.
lib. 1. Cap. 1.
Haymo in hunc locum.

Oſculum item ſignum Religionis erat: ſic Sabellius & Haimo docent. Primitivi etenim Chriſtiani, qui cæremoniis ſacris aſſiſtebant, & ad ſacerdotum miniſterium ſe promptos exhibebant, in eorum ſacrificiis, cum oſculo pacis perpetuam, & indiſſolubilem charitatem ſuam conſolidabant. Erat itidem oſculum in demonſtrationem reconciliationis mutuæ: totum hoc exemplo Caligulæ ſupra memorato confirmatur.

Signum traditorum.

Deniq; ſignum erat olim, & pignus traditionis, & perduellionis: ſed in eum modum ſcorpiones amplexando vulnerant, & infectant: hæ veſpæ inſidiatrices una ſe cum apiculis aſſociant, ſed inter fava mellis liquorem, & amaritudinem mortis inſtillant. Primum hujus exemplum nobis manifeſtè collocat ob oculos Traditor Judas Iſcariotes, qui cum oſculo mortis, vitã ipſam infecit. Propoſuerat forte ſibi ad imitationẽ ſuam impiiſſimam artem & inventionẽ parricidæ Abſalonis, qui patrem ſuum tradere volens, quemcunq; ſibi

ſibi obviũ oſculabatur, & blandimentis inſolitis palpabat eos, qui aulam Regiam frequentabant, ut exinde ſibi animos captivaret, & contra patrem ſuum ad rebellionẽ ſollicitaret. Idem egit Joab cum Duce Amaſa, qui cum his verbis, *ſalve mi frater*, oſculoque in genas dato, latenti ſica ei altera manu ventrem transfodit, ex quo vulnere repente mortuus concidit. [*2. Reg. c. 25.*] [*Ibid. c. 20.*]

[Oſculari genua.] [*S. Ephrem Ediſſenus.*] Invenio præter hæc in more poſitum fuiſſe non ſolum oſculandi faciem manusque, ſed & genua: in quo præ manibus S. Ephrem Ediſſenus eſt, qui in vita Patriarchæ Joſeph de minori fratre ejusdem Benjamin, ita loquitur: *Sic videam Patris Jacob ſanctam, venerandamque canitiem, ut cum gaudio ſancta illius oſculer genua, ut ſcyphum iſtum furatus non ſum.* Et paulò poſt: *Accedens autem Benjamin, deoſculatus eſt illius genua, & mentum.*

De oſculis amatoriis, aut Venereis, non eſt quod has chartas eorundem eruditione maculemus, ſiquidem nec ſacra, nec moralis eſt. His nihilominus infarcta ſunt diſſolutorum hominum poëmata, authorumq; prophanorum monumenta, ad quos, ſi ſic videtur, ſe Lector conferat.

[Oſcula data moribundis.] Transeamus de his, ad uſum antiquorum quo moribundos, vel jam mortuos oſculari ſolebant. Arbitrabantur enim, & id quidem, ut mihi videtur, non abs re, animam noſtram quaſi aërem eſſe, vel ventum: unde apud Latinos proverbium illud ſemper viguit: *efflare Animam*: quod idem eſt ac expirare. Idque non improprie à Sacra Geneſi tractum eſt, ubi dicitur, quod Creator Deus: *Inſpiravit in hominem ſpiraculum vitæ.* Supra hunc ſenſum copioſius ratiocinantur Macrobius, & Cerda, qui commentando Virgilium, ubi de Manticis loquitur, ſic habet: *Quantum ignes, animæque valent.* Virgilius item, dum de quatuor elementis ſermonem habet, ſic de Anima fatur: [Anima ſpiritus eſt.] [*lib. 1. Somnii cap. 14.*] [*In lib. 8. Virg.*] [*In Ecclog. 6.*]

Namque canebat uti magnum per inane coacta
Semina terrarumq;, animæq;, marisq; fuiſſent
Et liquidi ſimul ignis.

Sic Statius quoque:

Ille tamen fragiles parvis urgentibus annis
Te vultu moriente videt, linguaque cadente
Murmurat, in te omnes vacui jam pectoris efflat
Reliquias.

[*Dialog. 1.*] Hoc factum Lucianus in Promethei, & Minervæ fabula expreſſit ubi cum ille Epimethum de ſaxo ſculptum expoliiſſet, Minerva in vultum inſpirans, animam dedit: *Et ſpirans Minerva in tutum, opus illud reddidit animatum.* Hunc ſenſum vivaciſſime exprimit Spiritus Sanctus, qui in libro Sapientiæ ſic ait: *Sapientia filiis ſuis vitam inſpirat.* Hinc in reprehendendis vitiis ajebat Horatius: [*Sapient. 15.*] [*lib. 2. Satyr. 2.*]

- - - - Corpus onuſtum
Heſternis vitiis, animum quoque prægravat unà
Atque affigit humo, divinæ particulam auræ.

Hanc igitur animam, à Deo inſpiratam, nemo eſt, qui non divinitatis particulam eſſe ſentiat. Itaque parentes & amici moribundorum, arbitrabantur, quamvis deluſi, ſe attrahere auram iſtam poſſe, atque ideo hac inſuper anima informari. Unde ajebat Virgilius: [*4. Æneid.*]

Et extremus ſi quis ſuper halitus errat
Ore legam.

[*De brevitate vitæ.*] Conſuetudinis hujus mentionem habet Seneca dum ait: *Cæſar patruus meus Druſum intima Germaniæ recludentem, & gentes ferociſſimas Romano Imperio ſubjicientem in complexu & oſculis ſuis amiſit.* Poëta Auſonius item: [*Carm. Parental.*]

Ille manus inter Genitricis, & oſcula Patris
Occidet, Hiſpana tum regione procul.

[*In ejus vita.*] Sic de Auguſto Cæſare, quod inter oſcula Liviæ expiraverit, recenſet Suetonius. Sic Cicero de matribus damnatorum inquit: *Matres miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris, ab extremo complexu liberûm excluſæ: quæ nihil aliud orabant, niſi ut filiorum extremum halitum excipere ſibi liceret.* Ita Albinovanus: [*In Epicedio, ad Lyuiam.*]

Soſpite te ſaltem moriar Nero, tu mea condas
Lumina, & excipias hanc animam ore pio.

Rebantur antiqui exire animam per labra: unde Seneca: *Non dubitare autem ſe, quin ſimilis anima in primis labiis eſſet, nec magna vi abſtraheretur à corpore.* Sic Antigona ad Herculem ajebat, prout Seneca vult: [*Ep. 30.*] [13. 10.]

Hanc animam levem
Feſſamque ſenio, nec minus quaſſam malis
In ore primo teneo.

Super hoc ipſum S. Cyprianus ſententiam protulit, magna moralitate plenam, digniſſimam quæ omnium cordibus imprimatur: quæ quamvis paulò ſit prolixior, neceſſarium tamen hunc ſibi locum vendicat: *Sed in eodem*, inquit, *articulo temporis cum jam anima feſtinet ad exitum egrediens, ad labia expirantis emerſerit, pœnitentiam clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur: nec ſerum eſt, quod verum: nec irremiſſibile quod voluntarium: & quæcunque neceſſitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia: ſed in amplitudine ſinus ſui mater charitas, prodigos ſuſcipit revertentes: & velit, nolit Novatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentem.* Nec ſolum oſcula moribundis imprimebantur, ſed mortui quoque, qui jam rogo imponendi erant, unde Propertius ait: [Mortuis oſcula dantur.] [*Lib. 2. Eleg.*]

Oſcula quæ gelidis pones ſuprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus Onyx.

Tibullus itidem:

Flebis, & arſuro poſitum me Delia lecto
Triſtibus & lacrymis oſcula mixta dabis.

Hic uſus in Genuenſi territorio hodie adhuc viget, ut conſangvinei defunctorum Eccleſiaſticis functionibus jam terminatis, ad feretrum accedant, ibique genas eorum oſculentur.

In hoc ampliſſimo oſculorum campo non defuturi eſſent ad colligendum flores, præſertim in expoſitione ſacrarum literarum, ſed cum hic ultra diſtendi, propoſitum mihi non ſit, ad præfata te volumina ablego prudentiſſime Lector, interim ego hinc convertor ad exponenda.

PROVERBIA.

CUM res quæpiam ibi exorditur, ubi eam terminari oportebat, ita ut retrogado ordine incedat, ſequenti adagio exprimebatur: *A cauda ad os transferre.* Os enim principium eſt, cauda finis: inter alios proverbium hoc Plutarchus uſurpat. Quod ſimul in eos dicitur, quibus nonniſi ultimus debetur locus, ſed qui faſtu, & arrogantia in transverſum rapti, ſuperiora ambiunt. Itaque præfatus Philoſophus ordinem in menſis obſervandum præſcribit, dicendo: *Poſtremas nominamus menſas: à cauda ad os translatæ: quando primi poſtremum locum obtinent.* De his ipſe Redemptor noſter proprio ore ſuo nos inſtruit: *Cum invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne forte honoratior te ſit invitatus ab illo, & veniens is, qui te, & illum vocavit, dicat tibi: da huic locum: & tunc incipias cum rubore noviſſimum locum tenere.* Sic verum eſt, quod S. Bernardus inquit: *humilitas caſum neſcit, ſcit aſcenſum.* Et Auguſtinus: *Qui in terra eſt, non habet unde cadat.* Si rota horologii, quæ inferior eſt, obtinere ſuperiorem partem vellet, univerſa machina diſturbaretur. [*In ſimpoſio.*] [Sua ſorte contentum eſſe.] [*Luca. 14.*] [*Serm. de Annunciat.*]

Fons perennis per duodecim canalia quaſi totidem

[Facundia.] dem ora, indeficienter aquam emittens, occaſionem dedit, ad eloquentiam vel facundiam oratoris exprimendam, hoc Lemmate ſuperinſcripto: *Os duodecim ſalientium.* Hæc facundia optimum animæ,



[*Emblem. 181.*] quo decorari poſſit ornamentum eſt unde doctiſſimus quoque Ethicus Alciatus inquit: *Facundia inſuperabilis.* Atque hæ ſunt catenæ aureæ, quæ ex ore Herculis gallici prodeunt, & poſt ſe populum trahunt, ſic idem author inquit.

Hunc ſenſum præcipue expreſſit Joannes Zezeus, illic ubi de ore tractat, de quo ſcaturire lacteum eloquentiæ fontem ait: quod tamen à Græcis mutuatus eſt. Hoc totum de Livio magno illo viro Sanctus Hieronymus deprædicavit: *Neq; verò eſt nobis duodecim ſalientium os, uti Cratinus inquit.* Quo Adagio Philoſtratus uti voluit, illic ubi de Dionyſio Mileſio ſic ait: *Ipſum nonnulli laudantes duodecim ſcatebrarum os nominabant.* Cratinus Comicus qui magnam huic dicto authoritatem dedit, ajebat: *Apollo: fontes verborum puri licet ſalientibus bis ſex os occupent, & illius impleant fauces, quid eloquar?* Fons Athenienſis appelabatur Callirhoë. Dignum ſcitu eſt, qualiter in hoc fonte noviter conjugati lavari conſveverint: opinati fortaſſe, quod ſicut idem ipſe credebatur intellectui ſuppeditare facundiam, ſic futurum, ut etiam ventri daret fœcunditatem: ſic Julius Pollux meminit, ductus auctoritate Philoſtephani, & Harpocrationis. De memorato fonte copioſe quoque memorat Vitruvius, dicendo: *Athenis fons eſt, ex quo ad portum pyræum ducti ſunt ſalientes, è quibus bibit nemo, ſed lavationibus, & reliquis rebus utuntur; unde Iliſſus in faucibus, proverbii vicem obtinet, de quo locuples rerum ac verborum ſcatebra effluit.* Ad ripas vel labia fontis hujus poëtarum commentatum eſt à Borea pulchram illam Orythyiam raptam eſſe. Hic fons itidem prima origo eſt Iliſſi fluminis tam inter veteres inclyti: cumque à Muſis habitetur, ſacer nominatus eſt: ſic Pauſanias & Stephanus meminerunt. [*lib. 3.*] [*lib. 8. cap. 3. Vitruvius.*] [Pauſanias & Stephanus.]

Scarlatini Hominis Symbolici Tom. I.

[Sermo phanaticus.] Cum quis olim exotico loquendi modo in Enthuſiaſmum degenerare videretur, aut fervore phanatico rapi, ita ut conſvetudinem humanam excederet, ſicut eſt illud, quod Ovidius poëta famoſiſſimus de vatibus intellexit:

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

Hæc divinatio, & hic ſermo emphaticus *Os Curetum*, nominabatur. De hoc inquit Manutius: *Curetum os dici ſolitum, ſi quando quis numine afflatus loqui videretur, propterea quod Curetes Cybeles comites furore quodam ſacro perciti divinare viderentur.* De hac conſvetudine mentionẽ habent Heſychius, & Zenodotus. Copioſius de more Curetarum, quod idem eſt ac Corybantum, recenſent authores apud Cartarum Rhegianum. Hi itaque ut ſibi in vanitatibus ſuis Enthuſiaſticis fidem conciliarent, cultellis, & lancis ſe perforabant, ſeſe percutiebant, & ſexcentis inſuper generibus tormentorum ſe affligebant; idque in honorem ſaxi unius. Quod ſi Chriſtiani vel in minima parte tantundem pro Deo ſuo operari vellent, Paradiſum utique lucrarentur; interim illi cum omni hac pœnarum & cruciatuum preſſura in infernum demerſi ſunt: nec immerito dixi demerſos, quos videlicet præmemoratum ſaxum aggravavit. *Præmanſum in os inſerere:* hoc hoc de præceptoribus dictum, qui cum tanta ſedulitate, claritate, & facilitate diſcipulis ſuis doctrinam ingerunt, ut nil non elucidatum relinquant. Metaphora proverbii à nutricibus & infantibus mutuo venit, quibus illæ non ſolum pultem ingerunt, ſed quaſi præmandunt, & prægustant, ita ut infantibus adhuc edentalis aliud neceſſe non ſit agere, quam deglutire. Hoc adagium item pondus authoritatis ſuæ augmentavit per Ciceronem, qui ait: [Heſychius, Zenodotus.] [*Cartarus in Imag. falſ. Deorum.*] [*Inſtruere cum diligentia.*] [*lib. 2. de oratore.*]

 Ego

Ego autem ſi quem nunc plane rudem inſtitui ad dicendum velim, his potius tradam aſſiduis uno opere eandem incudem die noctuque tundentibus, qui omnes tenuiſſimas particulas, atque omnia minima manſa ut ajunt tanquam nutrices infantibus pueris in os inſerant. Concordat cum M. Tullio Aulus Gellius, dum aſſerit: *Pervulgata omnis definitio ex genere, & differentia conſiſtit: ſed ſi item præmandi, quod ajunt, poſtulas, faciam ſanè, id quoque honoris tui gratia.*

lib. 4. cap. 1.

Recenſere minutim.

Prædictum proverbium applicari quoque poterit ad id, cum quis ſodali ſuo non fidens, ne quid eum fugiat, minutim omnia recenſet: unde etiam hic loquendi modus invaluit: *An non ſat tibi data occaſio eſt? Num poſtulas ut tibi præmandatur etiam?* Quod cum noſtro loquendi modo vulgari congruit, cum dicimus: *Coſtui e tanto goffo, e duro, che non baſta farle la pappa, ma maſti cargliela ancor biſogna.*

Res perdita & jam deſperata rurſum inventa.

Cum res quædam amiſſa, inopinato caſu reinventa fuiſſet, de qua recuperanda ſpes omnis jam interciderat, hoc dictum uſurpabatur: *Ex ore Lupi.* Principium vel fundamentum ſuum hoc adagium ſumpſit ab Apologo quodam Æſopi prudentiſſimo. Grus (inquit ille) mercedem à Lupo poſtulavit, eo quod roſtri ſui longitudine, os faucibus lupi ex transverſo hærens extraxiſſet: reſpondit ei lupus: *abunde magnum eſt præmium perſolutum, quod ex ore lupi caput incolume retuleris.* Sic ajebat Horatius: *vel hædus ereptus à Lupo.* Hoc adagium à Dionyſiano veteri authore evulgatum eſt. Hujus generis argentum eſſet, ſi quod à ſicariis, & prædonibus ereptum extorqueri poſſet: ſic repetundæ tyrannorum eſſent, ſiquidem ab iis impetrarentur: quæ tanto chariora eſſent, quanto minor ſpes effulgebat recuperationis. Non exigui præmii loco erat, quod grus è faucibus lupi ſanum & illæſum caput extraxiſſet. Quid facto opus, ſiquidem ovicula in poteſtatem lupi pervenerit? Si tyrannus abſorbuerit, & barbarico agendi modo alienarum poſſeſſionum raptor fuerit? Nec damno damnum accumuletur, & vita in diſcrimen vocetur, pro lucro reputandum eſt, ſi quis procul ab eorum conſortio degat. Inter cibos qui maxime nutriunt, & qui facile ſe palato noſtro accommodant, ſpes eſt. Unde in una quamvis imperfectiſſima Odarum mearum ſic dixi:

In Odyſſ.

Dionyſianus.

Latte d'amore infante
Che l'alme nutro, e fa il deſio gigante.

Spes venturorum.

Hac ſpe illecti, magnarum rerum ſponſores ſumus: hac paſcitur colonus, qui futuræ meſſis augurio, magnarum rerum expectatione facile repletur. Totum hoc proverbio ſequenti exprimitur: *Magnum os anni*: magnum os habent prata fœno conſita, campi ſpicis luxuriantes, arbores fructibus gravidæ, & vineæ uvis ſuis abundantes. Sic concludit Manutius: *Solent ruſtici magnificentius loqui, largiusque polliceri ſpe proventus uberioris.* Adagium hoc à Svida proveniſſe quidam autumant; convenit autem cum illo tertio: *Argenti fontes loquuntur.* Alluſit ad hoc dictum (quod videlicet ſpes maximum conferat animæ nutrimentum S. Auguſtinus itidem, dum ait: *Spei certitudine futura tanquam jam facta cognoſcimus*: His concordat Tibullus, qui mihi quidem in hoc ſingularis admodum & elevatus videtur:

lib. 11 contra Fauſtin.

Spes etiam valida ſolatur compede vinctum:
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

Non tam vetus illud eſt, ut non modernum dici poſſit: *Quidquid in buccam venit.* Alluditur ad eos, qui caſu quodam loquuntur mala bonis immiſcendo, ſine diſcrimine, ſine ſenſu, prudentia, conſilio, aut circumſpectione, ſicut ſunt familiares & diurnæ converſationes, quæ clanculum, & ex intimo cordis cum amicis fiunt. M. Tullius hoc proverbio uti voluit, dum ad Atticum ajebat: *aut ſi nihil erit, quod in buccam venerit, ſcribes*: & alibi: *Quid cum coram ſumus, & garrimus quidquid in buccam venit?* Qui actus imprudentis & maleſani hominis eſt, ſicut Manutius ajebat: *Perinde quaſi ſermo illis non in pectore naſcatur, ſed in faucibus.* Dicebat ſuper propoſitionem hanc Bias: *Noli citò loqui, eſt enim inſaniæ indicium.* Et Socrates: *Peculiare ingenii eſt elicere ex rebus ſermones accommodatos.*

lib. 14.
lib. 12.
Caſu loqui.
Apud Diogenem. ibidem.

Proverbium illud quod apud Italos noſtros uſu communi tritum eſt. *Buone parole, e cattivi fatti, ingannano i ſavii, e i metti.* Hoc eſt: Bona verba, mala facta, ſapientes ſimul & inſipientes decipiunt: hæc inquam ſententia antiquitus ſic exprimebatur: *Os ſublimare.* Unde Manutius ait: *pro eo, quod eſt dare verba, & arte quadam illudere.* Tractum proverbium eſt de illa conſvetudine, qua ad riſum excitandum dormienti labia à ſodalibus ſuis depingebantur colore quodam prout Nonius vult. Plautus hoc factm ſic profert:

Verba bona mala facta.

Dormienti labia depingere.

Nonius.

Plautus in Aulul.

Fidei cenſebam maxumam multo fidem
Eſſe. Ea ſublevit os mihi pœniſſuma.

Et item alibi: *Os mihi probè ſublitum eſt.* Sic Marcus quoque Varro inquit: *Æs fraudaſſe cauponem, bucam luto obliviſſe, cum portitores æra induxère.* Et Sophocles: *Vident hi, oculos ſibi ſubliniunt.* Virgilius inſuper in Bucolicis paſtores inducit, qui vetuſo Sileno & faciem & os depingunt & inunguint. Unde Ælius Donatus Commentator inquit: *Sileni faciem mori ſucco oblinentes.* Verſus autem Mantuani, ſequentes ſunt:

In Epid.
In Miſcenii.
Ap. Nonium.

- - - - Jamque videnti
Sangvineis frontem moris, & tempora pingit.
Ille dolum redens: quo vincula nectitis inquit?

Itaque os diverſimoda loquela coloratum gerere, cum verba cordi diſſentiunt, pro fraudulentia ſemper, & duplicitate habitum eſt: de hoc plura jam dicta ſunt, & plura dicenda. Sed hic ego cum S. Bernardo concludo, qui ait: *Da voci tuæ vocem virtutis, conſonet vita cum verbis, & ſtatim erit in ore tuo vivus & efficax ſermo Dei, penetrabilior omni gladio ancipiti.* Et S. Hieronymus: *Non confundant opera ſermonem tuum, ut cum in Eccleſia loquaris, tacitus quiſq; reſpondeat: cur hæc quæ dicis, ipſe non facis? Sacerdotis vox cum mente concordet.*

De Paſtore in Synod. Congregat.

In Reg. Monach. Tom. 9.

Os expuens: de iis dictum, qui vel dictum, vel factum quoddam rejiciunt, nec conſentiunt, ſicut ſupra jam relatum eſt: quod ab eo uſu derivatur, quo expuimus, in id à quo animus abhorret. Pariter & illud in more habebatur: *Inter os, & offam*: quod de cibis intelligendũ, qui guſtui noſtro arrident, & accepti ſunt: originem autem ſuam à Romanis ſumpſit, qui pane veſci conſveverunt facto per modum (ut ita dixerim) placentæ. Hoc proverbium Valerius Maximus, & Aulus Gellius authenticant: quorum hic ita loquitur: *Nunc ita ajunt in ſegetibus, & in herbis bona frumenta eſſe: noli ibi bonam ſpem habere: ſæpe audivi inter os & offam multa intervenire poſſe.* Feſtus inquit, adagium hoc conformari cum illo: *Inter manum, & mentum.* Ex his facile eſt videre, quantæ frugalitatis primævi habitatores mundi fuerint: propter quod mirandum non eſt, ſi vitam in longum extraxerint: nec enim res eſt, quæ ſanitati tantum officiat, quàm ciborum tanta varietas. Hinc Sophocles accommode ad rem inquit: *Quicunq; necdum imperare ventri novit, hic plura mala malis coacervat.*

Res quas abhorremus.

Cibi qui placent.

De orat. Caton.

De ædilib. vit. Creat.

Apud Stobeum.

PRO-

PROVERBIA
de LABIIS.

IN hoc Mundo felicitas nulla eſt usque adeo tranquilla, & ſerena, ut non improviſo, ſiniſtroque caſu, tanquam tempeſtate quadam obnubiletur. Hoc ipſum ſequenti adagio declaratur:

Multa cadunt inter calicem, ſupremaque labra.

Sic videlicet inter ſe vicina ſunt, bona ſimul & mala, ſicut calix à labiis eſt. Quod proverbium Aulo Gellio tribuitur, ſicut Apollinaris Grammaticus docet: qui memoratum verſum adducit:

Noctium Atticar. l. 13. cap. 17.

Multa cadunt inter calicem, ſupremaque labra.

Enimvero curioſum eſt, quamvis tragicum, originem adagii hujus noſſe, ita ut tibi non injucundum eſſe debeat, mi Lector; hæc legiſſe: proſunt enim ad inſtituendam vitam, & formandos mores, etiam ea quæ fabuloſa ſunt, dummodo moralia. Inventus eſt neſcio quis, nomine Ancæus Neptuni filius & Aſtypaleæ Phemeræ. Hic ſe totum ad culturam vineæ ſuæ dederat: cumque operariis vehementius ad maturandum opus inſtaret, reſpondit unus: Dii norunt ſi de vino vineæ hujus bibiturus eſt Patronus noſter: is vero inurbanum hominis ruſtici dictum æquo animo tulit. Cumque matura uva, jamque expreſſa, in ſcypho eſſet, præſentem augurem ſuum ridens Patronus bibiturus erat, admoto calice: Ruſticus verò nil motus opinione ſua, *multa* dixit *inter calicem ac ſumma labia intervenire poſſe*: nec eventus fefellit: eodem enim momento necdum vino guſtato adeſt, qui nunciet, immanem aprum devaſtare vineam: continuo anxius Dominus ſepoſito poculo invaſurus belluam accurrit: ſed miſer dente apri laceratus interiit. De hoc Lycophron in Jambicis ſuis inquit, introducens Ancæum ita loquentem: *Miſer, aſt ego meo dicta cognoſcens malo, ut plurima inter poculum, ac labrum ſolet vertiſſe fatum, res agens mortalium.* Interpres Ariſtotelem fabulæ hujus Autorem allegat. Imo verò ex commodo noſtro eſt, ut ad hujuſcemodi inopinos caſus inſtituamur. Factum hoc non immerito & ad Julium Cæſarem applicari poterit: qui funeſtum Auguris irridens indicium, ſero experimento miſere impegit: ſic omninò verum eſt: *extrema gaudii luctus occupat*, quod ſpiritu ſancto dictante didicimus. Quæ materia vaſtiſſima eſt ad moralitatem, ſed ne te ultra diſtineam, aliorſum vertor.

Non ſeriò rem agere.

Cum quis negotium quoddam non omni conatu, ſed tantum in ſuperficie aggreditur: *primoribus labiis deguſtare* dicitur: proverbium per metaphoram ab eo deductum eſt, qui cibum ore tantum deguſtat, ſed in ventriculum non demittit. Hoc dictum M. Tullius authoritate ſua ſancivit dum ait: *Equidem multos vidi in hac civitate, & audivi non modo qui primoribus labiis deguſtaſſent genus hoc vitæ.* Quod idem alibi rurſum inquit: *Is eum dixit fore ſempiternum. Hunc cenſes primis, ut ajunt labiis deguſtaſſe Phyſiologiam in naturæ ratione.* Quintilianus in eundem ſenſum concurrit, ubi ait: *ſed hoc tranſeo, de quo neminem qui literas vel primis, ut ajunt, labiis, deguſtârit, dubitaturum puto.* Procopius Sophiſta idem uſurpat, quamvis non iiſdem terminis: *Rurſum ſtomachabar in hanc, ſi cum tantam rem ſummo, ut ajunt, digito deguſtandam præbuiſſet, deinde voluptate ſpoliaret.*

Pro Cælio.

De natura Deorum lib. 2.

Lib. 11.

Lucianus.

Velle videri quod quis non eſt.

Summis labiis: De iis exprimebatur, qui apparere id præſumunt, quod non ſunt, aut ſe habere quod non habent, gloriantur. Lucianus in Apologia quadam ajebat: *A ſummis labiis Philoſophum agens*: & idem Author alibi: *Summis in labiis jusjurandum habentibus.* Loquitur de Amantibus qui cor & animam oppignorant, & tamen poſt hæc juramenta ſua non adimplent. Optime in hunc locum Seneca: *Non à ſummis labiis iſta venerunt, habent hæ voces fundamentum.* Denique S. Hieronymus id confirmat dum ait: *Ut non levi citatoque ſermone, & ut ita loquar ſummis labiis hoſpites invitemus*: Negotium enim hoc hypocritarum, ſimulatorum, & hominum duplicium eſt, de quibus Diogenes aliquis non incongrue dixerit, eos libris æquiparandos, *quorum aurei quidem umbilici, verum intus aut Thyeſtes occidens liberos, aut Oedipus Matris Maritus.* De his inquit S. Gregorius: *Quorum facies rationalis, ſed corpus beſtiarum.* Et alibi: *Mens hypocritæ ſemper præparat dolos.* Atque hi ſunt inquit Sapientia increata: *qui veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* A fructibus nihilominus arbor cognoſcitur.

In Dialog. Amat.

Lib. 1. c. 16.

Ad Ruſticum Monach.

Ex Laertio.

33. Moral.
12. Moral.

Cum quid diplicuerit, & in malam partem acceptum ſit, ita ut vindicta ſpiretur, *mordere labrum*, dicebatur is, qui læſus fuerat. Lege Manutium: *Comedere labra.* Huic ſenſui atteſtationem ſubminiſtrat Ariſtophanes Comicus, dum ait: *Comedens labia præ iracundia*: res quæ & foris & ab intro peſſimi exempli eſt: ſignum etenim præſefert animi iracundi, proni ad vindictam, & obſtinati, quod vitium ſingulariter mulierum eſt. (Hoc idem vitium (ipſis paganis teſtibus) quo urbes & regna everſa ſunt. *Crudelitas gentes, & civitates perdidit ſemper*, inquit Euripides. Hunc affectum Chilo procul eſſe ait ab homine ſapiente: *Nemini intendendæ minæ, muliebre enim eſt.* Et S. Chryſoſtomus: *Vindicta in corde poſita nocentior eſt viperâ.* De vaſtiſſima materia vitii hujus, quod tantopere animarum noſtrarum magiſter de mundo extirpare allaboravit, fuſiores tractatus apud authores dogmaticos, & ſacros benevolus Lector inventurus eſt.

Mordere labra.

In Oreſt.

Apud Diog.

In Act. Apoſt. hom. 41.

RISUS.

RIſus ori tam univocus eſt, tam homini proprius, ut cum ſit inſeparabilis proprietas, dici poterit conſtitutivum ejus eſſe: cumque riſus indicium cordis ſit, & affectuum ejus, arbitratus ſum non immerito, ſiquidem nulla hujus mentio facta eſſet, tractatum hunc ex parte illa mutilum futurum, in qua parte nihilominus ſerenum cæli, id eſt mentis noſtræ horizontem Altiſſimus collocavit. Non eſt tamen, quod hic ſcopum meum fixerim, ut quidquid in hunc locum Authores diverſimode ratiocinati ſunt, ſecundum omnem adeo dimenſionem & diviſionem huc adferam: ſuffecerit mihi ſi lectori pauca admodum deguſtanda obtulero. Hic autem primitus riſum illum omnem deteſtor, qui non ſolum de obſcœnitatibus enaſcitur, ſed omnem inſuper, qui vel indecentior, vel incompoſitus, & inhoneſtus eſt. Ut autem methodo procedens, definiendo exordiar: Riſus eſt (prout latini docent) *concitatior quidam animi ex re jocunda motus ad conceptum intus gaudium explicandum, quo thoracis & oris muſculi impetu quodam moventur.* Objecta riſus, ſecundum Fracaſtorii mentem, res novæ, & exoticæ, & repentinæ, leves, ludicræ, argutæ, & facetæ ſunt: quas potiſſimum Mimi, & Comœdi exercere & exhibere conſveverunt: multum etiam ad hoc conferunt accidentia improviſa, & in qualitatibus ſuis inexpectata, cum conditionibus jam adductis: ſicut ſi quis caſu in cœnum quoddam lapſus fuerit, præſertim is, qui, ut dici ſolet, ſummis pedum digitis inambulat, ſuper qud commune eſt mulierum, puerorum, & promiſcuæ plebis, cachinari: Non ſic viri morigerati, pruden-

In Lib. de Sympath. cap. 20.

Qui facile rideant.

R 3

prudentes, & ſenio ſpectabiles: Ridebit item ſangvineæ complexionis nonnullus, non item melancholici, & biliosi.

Problem. 1. Teſt. 136.

Alexander Aphrodiſæus refert, quosdam opinari, provenire riſum à liene: idque ex eo augurant, quod qui hoc viſcus tumore quodam obſtructum & aggravatum, aut vero ſcyrro infeſtum habent, ab riſu remoti ſint, & mœſtitiæ dediti. Lien non per ſemetipſum, ſed ex accidenti riſum excitare dicendus eſt: Cum enim homo in hac parte ſanus eſt, ſplen ab hepate quod fæculentum & impurum eſt, excolat, itaque fit ut natura ſpiritus jam puriores ad cerebrum ſurſum transferat, atque hi ad objecta riſibilia promptius movent: pari modo ac palatum ad vini guſtum confortatur, & delectamentum ſuum nanciſcitur. Scripſit Diſſertationem, vel diſputationem ſaturnalem de Riſu Ericcius Putaneus, Profeſſor Hiſtoriarum, & Rhetorices, Lovanienſis Academiæ, in cujus operis prologo, eas res recenſens, quæ vel metaphorice, vel naturaliter ridere ſolitæ ſunt, ſic habet: *In meliori vultu niſi riſus eſt, venuſtas velut nube obſidetur: cum ſvaviſſima ætas eſt, ridet: cùm pulcherrimus annus, ridet: cum ſine fæce cælum, ridet: ubique humanum hunc affectum natura uſurpat, ut decorem augeat: Aut certè facit homo, quod natura tanquam rideat, cum ſerenus eſt, & à curis rerum atque tempeſtatibus animum ſeparavit.*

In Agide & Cleomene.

Homerus ad ipſos adeo Deos ſuos riſum tranſtulit, dicendo: *Difficilique deis extingui riſus inerrat.* Plutarchus de Lycurgo recenſet, quantumvis verum eſſet ſeveritatis prototypon, & tetricum maximæ auſteritatis exemplar, voluerit nihilominus cachinno templum erigi.

Soſibius.

Soſibius item memorat, quod imaginem vel Idolum riſus formari vel ſculpi fecerit, in medioque Spartæ collocârit, tanquam victus condimentum tempeſtivum, & alleviamentum maxime jucundum poſt curarum longa faſtidia. *Atque ita Lacedæmonii* (docte Plutarchus infert) *digni tali Legislatore & ſimulacro, fuêre tam amœnè ſerii, ut auſteritatem effugerent. Tam ſerie amœni, ne qua ineptiorum laſcivia ſolverentur. Riſu conſecuti ſunt, ut & bello fortes, pace boni eſſent, utrobique Spartani.* In Gymnaſiis itaque & Lycæis, in Stoa & Peripato, inter viros rigidos & auſteros animus nihilominus riſu relaxari conſveverat, ſic Plutarchus proſequitur.

Apulejus.

Apulejus docet Theſſaliæ populos ſingularem admodum habuiſſe erga Riſum venerationem: unde & in more poſitum habebant, ut fraudem quandam machinàrentur, quâ ſi factum erat, ut ſpectatores, vel interrógati ridendo diſcederent, arbitrabantur, neminem horum in vita ſua triſtitia, aut caſu quodam mœſto oppreſſum iri. Vanitas enimvero, præſertim cum de riſu nobis ſermo ſit, maximè riſu digna.

Lib. 14. Cap. 11.

Non minus illo ridendum, quod de Parmentiſco Metapontino Athenæus commemorat. De hoc fabula refert, qualiter in Trophonii antro riſum amiſiſſet, atque inde ſe ad oraculum Apollinis ad eundem recuperandum transtulerit: reſpondit oraculum, ſe riſum à matre ſua rurſum obtenturum, atque ideo in honore eam habendam eſſe & reverentia: Domum ſubindè rediens, quo poterat obſequio devincire matrem, qua ſubmiſſione poſſibili non negligébat, ſed impetrare id, quod ei eousque cordi erat, nequiebat: unde illuſum ſibi ab oraculo rebatur. Elapſo deinceps tempore, caſu quodam rurſus in Delum ſe contulit, ubi non jam item Apollini, ſed Latonæ Matri redintegrare vota ſua & redúplicare preces, conſtituerat: Id quod adimplevit propediem: itaque in templum introgreſſus, videnſque ſimulacrum Deæ incompoſitum, deforme, & mille locis reſtauratum, corroſum à vermibus, ita ut Anchiſæ potius antiquati ſimulacrò ſimile eſſet, in immoderatum riſum continuò prorupit. Unde contigit, ut nihilominus verum eſſet, intuitu matris cujusdam, recuperaſſe id quod amiſerat, & eſſe quod fuerat, id quod tantis ei ſudoribus ante ſteterat. Igitur ex hoc patet, quantum ipſa adeo idola magnifecerint, ſiquidem honor eſſet & reverentia parentibus debita.

Sicut autem nimium diſſoluta in cachinnis libertas, ſic non minus immoderata & nimium tetrica agendi ſeveritas cenſuram merentur: quorum illud quidem diſſolutionis, alterum rigoris vituperium incurrit: Proinde non abs re nec verò inutile erit, unum hic alterumve exemplum ad documentum eruditionemque noſtram adducere. Anteſignanus, Ductorque eorum, qui in riſum nunquam ſoluti ſunt, Heraclitus eſt, qui plorare non deſtitit. Admirabile eſt, qua ratione huic viro nunquam lacrymarum humor defuerit, niſi forte eum ab intercutanea aqua deduxiſſe dicendus eſt, unde etiam hydropicus interiiſſe legitur, morbo tali, qui abunde aquam ſemper lacrymanti ſuggeſſerit. Refert Theophraſtus ſapientem hunc ultra modum bile atra prægravatum fuiſſe, unde odio erga humanum genus concepto, ſylveſtris omnino factus, procul ab eorum commercio in præruptis montibus habitare conſtituit; parum ſapienter id faciens, eo quod dulcedine omni & ſvavitate abdicata, ambitioſa opinione ſapientiæ ſtimulatus, idem genus vitæ doctrina ſua imitabile fecit: ſed talem eum eſſe oportuit, qui non niſi flendo vitam tranſegit, nec unquam ridere viſus eſt.

Ælianus l. 8. var. hiſt. c. 13.

Hujus temperaturæ Anaxagoras inter Clazomenios fuit, prout Ælianus recenſet, non ſolum enim riſiſſe nunquam, ſed nec os quidem unquam ad ridendum conformaſſe dicitur.

Lib. 3. c. 18.

Idem ipſum ille de Ariſtoxeno tefert: Qui author etiam inter alia hæc memorat, Dionyſium tyrannum Syracuſanum nil tam habuiſſe in deliciis ſuis, quam audire, & exhibere tragicos ludos, amaſſe eum coturnum, ſed procul fuiſſe à comœdiarum ſoccis. Idem referunt de Marco Livio Craſſo Avo ejus, qui in conflictu Parthico occubuit.

Lib. 7. c. 19.

Rurſum Plinius de Proavo ſuo Craſſo idem ipſum commemorat: itaque hæc aſperitas morum & non ridendi conſvetudo hæreditario jure inter eos propagata eſt. Philippus junior Phulippi Imperatoris, & Severæ Imperatricis filius, ita procul erat, tamque à riſu alienus, ut quæcunque ei Pater objecta riſui maxime obnoxia exhiberi faceret, quantumcunque etiam ipſe in jocis ſæcularibus aperte rideret, recenſet nihilominus Cuſpinus, nunquam adduci potuiſſe filium, ut vel os ad riſum componeret. Plura olim loca deſtinata erant, ubi riſu interdictum erat, ſicut Athenienſis Academia:

Ælianus de var. hiſt. l. 3.

Patribus enim cordi fuit, ut hic locus purus eſſet, & inacceſſus ab invidia, & hominibus criticis: itaque vetitus tantopere riſus erat, ut qui ſecus faceret, omninò excluderetur. Severiori adhuc lege inhibitum erat, in præſentia virorum gravium ridere;

Lib. 3. de Republ. Athen.

unde Sigonius refert, Æſchinem philoſophum reprehendiſſe plebem, quod ante Areopagum in apertam cachinnationem diſſoluta fuerit: ſimile ajunt de Timarcho.

De ridentibus.

His contrarii ex diametro ſunt, qui ſine moderamine, vel cum diſſolutione incompoſita cachinnantur, inter quos Dux & Primipilarius eſt Democritus, qui res mortalium irridebat, arbitratus caſibus fortuitis univerſa ſubjecta eſſe: itaque vetuit mundum mœſtitiæ anxietatibus de futuro torqueri, vanum inquiens præoccupare tempora, vitam ſuam prodigere, aut miſerum ante diem eſſe. Curam futurorum Numini ſupremo relinquendam, quod oculo indefeſſo

ſupra mundi fabricam vigilet, vitæque in longinquum proſpiciat.

Lampridius.

Hunc conſequitur Heliogabalus, qui tantopere cum clangore & crepita in riſum prorumpebat, ut Lampridius memoret, eum ſolum in theatro, in tanto populi confluxu auditum fuiſſe.

Val. Max. lib. 9.

Philemon Syracuſanus communem ridendi modum exceſſit (prout Valerius Maximus author eſt) hic enim cum aliquando in atrio ſuo otioſus conſiſteret, vidit aſellum venientem, qui cum inſolita dexteritate quadam ficum unam poſt alteram, de arbore humiliori deglutiret, & conſumeret: intuitus ille fixiſſimo oculo lepiditatem animalis tam diſcreti, mirum in modum riſu commotus: tandem puerum familias, ut abigeret inclamat, ne forte damnum majus eveniret: ille verò jam comeſtis omnibus intervenit, Philemon itaque, vade, inquit, & merum generoſius de cella huic ficuum comeſtori propina: hanc dicti urbanitatem crebro anhelitu cachinnorum proſecutus, animam ſenilem expiravit.

De officina Aſtolf.

Non diſſimile quod pictori Zeuxi eveniſſe dicitur, ſic memorante Pomponio Mela: Hic enim vetulam ad vivum ſic coloribus expreſſerat, ejusdem lineamenta turpitudinis tam perite exponens, ut idem ipſe ſuimet operis ſtultus admirator, riſu nimio ſibi vitam abſtulerit. Recenſet Gellius Philippidem Comicum cum in comœdiali certamine victor evaſiſſet, nimia hilaritate & gaudio correptum, immodico item riſu, diem obiiſſe. Ex his videre licet, mortem quoque, ut dicitur, per riſum poſſe obtingere.

Lib. 21. de Civit. Dei. c. 14.

Riſit in nativitate ſua Zoroaſter Rex Perſarum, ſed riſus hic, ut inquit S. Auguſtinus, fatalem habuit ſequentis vitæ eventum: Rex enim ille profligatæ & maxime abominabilis magiæ author fuit, qui in prælio tandem ſuperatus à Nino Bactrianorum Rege miſerrimè obiit. Ridebant moriendo Sardonici, de quo fuſius paulo infra memorabimus.

Lib. 21.

Plinius ait: ſervum quendam barbarum, qui Hasdrubalem occiderat, datum inter hoſtium manus, ſic nihilominus hac victoria inter pœnas & tormenta lætum fuiſſe, ut non niſi ridens animam efflaverit.

De conſtantia, & intrepido corde Martyrum, quibus ſe ad quodvis genus ſupplicii imperterriti dabant, hic dicendi locus non eſt; cum pro fidei noſtræ gloria ſcriptorum chartæ his repletæ ſint, ego quoque librum hinc compegerim integrum. Ipſi adeo Idololatræ ne in ſacrificiis ſuis rideant, religioſum habent, & ſanctum:

In Od.

unde narrat Euſtahtius, qui de Athenæo id mutuatus eſt, Tyrintium populum vicinis ſuis ſibi inſultantibus & infeſtis, tranſtuliſſe ſe ad Delphicum oraculum, reſponſo obtento, ut Neptuno Taurum offerrent, & in mare jacerent. Itaque ut hoc ſacrificium ſine turba, ſine riſu, aut vilipendio tranſigeretur, infantes quotquot erant, tum & juniores pueros excluſerunt. Sed cum illuc puer caſu quodam introiſſet, modeſtiam circumſtantium admiratus, compoſuit & ipſe os ſuum & vultum ad inſvetam gravitatem, hanc proſopopœam, & exoticam figuram intuendo adſtantes, poſſibile non fuit abſtinere riſum aperto ore. Hinc deduci poterit, quàm dæmonio cultus Religionis, ejusdemque obſervantia invidioſa ſint, cum in ipſis adeo prophanis ſacrificiis mentis evagationem, perturbationemque procurârit.

Juſtinus ex Trogo.

Curioſiſſima, lectuque eſt omnino digniſſima hiſtoria, quam nobis, ut ab hoſtium præcavere doceamur inſidiis, Juſtinus apud Trogum recenſet; Darium videlicet contra Sacos belligeraſſe, hos vero gentem bellicoſam, & martialem fortiter egiſſe: cum econtra illi non niſi armis & pompoſo ornatu ſpectabiles eſſent. Fuiſſe autem Riſacem quendam, qui, ut Perſis internecionis cauſa eſſet, naribus ſimul & auribus truncatis, ſeſe obvium hoſtibus dedit, fingens ſe à commilitonibus ſuis ita male habitum: igitur ſiquidem eis victoria curæ eſſet, ſe ductorem ſequerentur. Perſæ facilem homini perfugo aurem præbent, eum Ducem eligunt itineris, per loca inculta, & ſolitudines abſtruſas ſequendo, unde difficillimus iis exitus eſſet; In his anguſtiis poſitus Ranosbates errabundi hujus populi Dux, perfugam infidelem rogat, cur ad invia hæc, unde exitus nobis nullus, conducere nos voluiſti? Hic in riſum ingentem effuſus, inquit: cum gentem meam vos exterminare intendatis, ut eam de veſtris manibus liberem, exercitum veſtrum fame ſitique perire volui. Sed non ſine vindicta deceptoris fallacia fuit, præfatus enim dux furibundo mucrone ridentis caput abſtulit, & fletum riſui immiſcuit. Grave exemplum: quod nos doceat à traditoribus cavere, qui nihili ducunt, cum vitæ ſuæ diſpendio mercari ſcelus ſuum. Riſum item movit Mimus Thorſires, qui cum eſſet enormiter turpis, objurgare Ulyſſem auſus eſt, à quo miſere vapulans, non injuſtam fatuitatis ſuæ arrham pependit.

Riſus per modum torrentis ſuper labia inundat. Svetonius.

Riſus ſimilitudinem habet torrentis, qui niſi inundatio tempeſtatis ceſſàverit, à curſu ſuo non deſiſtet. Recenſet Svetonius: In numeroſo quodam auditorio olim Julium Cæſarem, hiſtoriam Commentarii ſui recitaſſe: interim caſu contigiſſe, ut plura ſedilia vel ſcamna ſimul rumperentur, ubi ingens erat ſedentium multitudo: exortam illico tantam fuiſſe cachinnationem, & riſum tam inſolitum, ut multoties ei à legendo ceſſandum fuerit.

APOPHTEGMATA
de RISU.

Plutar. in Apophteg.

PÆdaretus Spartanus, videns ſe à viris civitatis fortioribus, quorum numero tercentum erant, excluſum: qui gradus nimirum maxime honorificus & decorus erat, cæpit buccis crepitantibus ridere: revocatus itaque ab Ephoris in judicium, & quamobrem ſic ridere auſus ſit, interrogatus: *Congratulanter* (inquit) *rideo civitati meæ, quæ cives me habet trecentos meliores.*

Ex Laertio lib. 5. c. 15.

Diogenem olim admonebant nonnulli, quod opprobrio habitus eſſet, his dicacibus verbis: *Hi te riſu proſequuntur:* ſed ille extemplo reſponſum eis rependit: *& ego minime ridiculus ſum.*

Bruſon. l. 5. cap. 27.

Recenſet Bruſonius, de neſcio quo Miſone, quod inſolitos Heracliti mores æmulatus, & ipſe quoque per avia montium erraverit plangendo: inventus autem fuit à Lacedæmone quodam, qui econtra non niſi riſu efferebatur: interrogatus à ſolitario cur id faceret: reſpondit: *propter teipſum rideo:* Exploſit enim hominis exotici præpoſteram vivendi normam.

Plutarch.

Phyliſtarchus philoſophus ad cauſidicum quendam, qui non niſi faceta in judicio proponebat ait: *Non ceſſabis à ridiculis continuè dicendis, ne ridiculus fias? ut qui aſſidue luctantur, luctatores.* Cato Uticenſis verus mœſtitiæ & rigoris typus, ſemel nihilominus in riſum ſolutus dicitur, ſed riſus artificioſus & ſatyricus erat: Defendebat Marcus Tullius, tum cum Conſul eſſet, reum quendam, qui Stoicos philoſophos, cujus ſectæ caput erat Cato, conſcidiſſe conviciis, eorumque laceraſſe famam convincebatur; ſed defenſionem ejus Cicero tot argumentis ridiculis, inſtituit, ut judicibus riſum moverit, unde Cato Conſul, & primarius inter Judices, & ipſe ſubridens, indefinita cauſa ſic Collegam ſuum alloquitur: *Dii boni quàm ridiculum habemus Conſulem!* mordax dictum, ſiquidem recte penetratum fuerit.

Livius.

Hannibal item intellecto Hasdrubalis fratris interitu

Livius.

teritu, totiusque exercitus ſtrage, & fuga, vultu omnino pacifico, & compoſito ridere viſus eſt, idque propter humanarum rerum inconſtantem viciſſitudinem: idipſum fecit ad propoſitas ſibi à Romanis conditiones duriſſimas pacis, tum cum Carthaginenſes non niſi ingemiſcerent, & plorarent.

PROVERBIA DE RISU.

Senſuales.

PErſonæ quibus honeſtas, & integritas morum cordi eſt, ut ſibi præcavendum à diſſoluta libertate impudicitiæ noverint, his verbis admonentur: *à Riſu Jonio* abſtinendum eſſe. Indicantur enim per hunc riſum molles & voluptuoſi: quod totum de Sybaritis ſumptum: Jonii enim inter Græcos, Sybarites inter barbaros ſalaciſſimi erant. Athenæus in cœna ſapientum, de luxu Jonum ſic ait: *Extat parœmia aurea, quæ mores illius gentis teſtificatur.* Idem author alibi de choreis illorum petulantibus & laſcivis memorat. Valerius Maximus inquit: *Jonici primò ungventi, coronarumque dandarum in convivio, & ſecundæ menſæ conſvetudine, haud parva luxuriæ irritamenta reperierunt.* Maximus Tyrius accuratiſſimus Author, & morum conſvetudinumque indagator acerrimus ſic ait: *Crotoniates Olympicum oleaſtrum adamat: Spartiates armaturam & venationes: Cretenſes luxum: Sybarites Jonchotos.* Hinc Horatius quoque: *Motus doceri gaudet Jonicos, matura virgo.* Intelligens illud de tripudiis vel choreis inhoneſtis, actibusque indecoris, qui à virginibus Chriſtianis non ſecus ac peſtis aliqua improbandi, & abolendi ſunt: non enim macula eſt, quæ tantopere infamet, & deturpet honeſtatem, quantum laſcivia. Hinc Stagirita inquit: *Ira, & concupiſcentia Venereorum transmutant corpus, & quibusdam inſanias faciunt.*

lib. 12. *lib. 14.* *lib. rerum memorab.* *In lib. quis ſit Philoſophiæ finis.* *lib. 2. Ethic.*

Ridere, & Satyricum agere non in tempore ſuo.

Cum quis non in tempore & loco debito verbis alium mordacibus, aut facetis percelleret, aut irrideret, hoc dicto exprimebatur: *Riſus Megaricus.* Reprehendit hanc ridendi, & ſugillandi formam Quintilianus dum ait: *Malunt amicum aliquoties, quàm dictum perdere.* Quod vetulos illos non minus tangit inquit Manutius qui extra tempus, motus juvenum, & jocos, conſvetudinesque eorum præpoſtero agendi modo imitantur: ſicut Aſtyanactibus indecens eſt, Agamemnones agere. Sic ſenes quoque oportet, cum eos morum gravitas & prudentia deceat, à ſcurrilitatibus, & nugis juvenum abſtinere: *Potentia in juvenibus, prudentia in ſenibus requiritur,* ait Ariſtoteles & Plutarchus: *Ubi impudens eſt ſenectus, ibi inverecundos eſſe juvenes neceſſe eſt.* Cum riſu Jonico concordat riſus Chius, ejusdem enim nationis ſunt, iisdemque moribus imbuti.

Apud Manut *Politic. 7.* *De lib. Educan.*

RISUS SARDONICUS.

In collectaneis in opere de Paramiis.

ZEnodotus memoriæ tradidit, citans dicti ſui authorem Æſchilum, fuiſſe inter Carthaginenſes coloniam, Sardos nominatam, quæ in regionibus illis ſedem fixerat. Hi in more poſitum habebant, ut vetulos omnes, quotquot ſeptuageſimum annum excederent, & infirmi facti, de morbo ſuo non morerentur Saturno immolarent. Fiebat hoc cum riſu, & mutuo amplexu, rebantur enim homines vani, ſe liberatos iri ab afflictionibus ſuis, quas ætas illa inferre ſolet: turpe item arbitrabantur, & abominabile omnino, demonſtrare dolorem, aut excitare planctum in qualicunque demum ſacrificio, nec enim Diis apportandam eſſe, inquiebant, mœſtitiam. Hinc proverbiu de ſimulato riſu exortum eſt: Riſus Sardonius. Tantopere autem in operis hujus executione feroces erant, & obſtinati, ut, referente Timio, incubuerit filiis foſſam parare patribus ſuis, nodoſoque fuſte eosdem propellere: his non obſtantibus ſeniculi illi dum tolli è miſeriis ſe morte ſua ſperabant, ridebant ad occiſionem ſuam.

Senes ridentes ſacrificantur.

Ap. eundem Zenodot.

Homerus in quinta Iliadis Ajaci hunc riſum attribuit, dum cum Telamone certamen iniit, de quo Eraſmus inquit:

Sic ingens Ajax ſurgebat murus Achivum,
Terribilis ridens vultu.

Unde apparet hunc riſum fictitium fuiſſe: vitium ex omni parte deteſtandum, prout jam dictum eſt, & demceps dicendum erit. Copioſos de hoc tractatus, mi Lector, apud authores claſſicos inventurus eris: interim mihi hæc tantum delibaſſe ſufficiet, unde rurſum ad univerſalem oris materiem progredior.

EPITHETA.

DEcorum videtur eſſe os, quod ridet: ſecum enim lampadem, & radium Jovialem portat, indicem internæ lætitiæ, & jubili cordis; ſed non minus per Epitheta id contingit, quæ ubiq; non ſecus ac Apelles aliquis, vel Zeuxis internos, externosque affectus depingunt. Scio partium mearum eſſe, hic, in capitulorum fine, etiam de riſu & oſculis Epitheta adferre, ſed quia hæ ſignificationes etiam in deſcriptione oris producuntur, in hoc quoque loco conſvetam brevitatem meam imitabor.

Inprimis itaque Virgilium adduco, qui os roſeum appellavit: *Continuit roſeoque hæc inſuper addidit ore.* Lucanus clamoſum: *Venator tonet ora levis clamoſa moloſſi.* Ovidius niveum: *Quique ſubeſt niveo lenis in ore rubor.* Ab Auſonio loquax nominatur. *Atque in verba refert modulata lege loquax os.* Pulchrum à Seneca: *Et ora durus pulchra populatur lapis.* Ambroſium à Pontano: *Conceſſum ambroſio ſemel ore loqui.* Cultum ab eodem: *permanet & decor, atque oris præſtantia culti.* Argutum ab eodem: *Arguto ſimul ore ſvavientur.* Itidem ab eodem canorum: *Plaudit Heroum: & genus canoro conſonat ore.* Sidereum à Politiano: *Sidereo quamvis ſpargit ab ore jubar.* Melleum ab eodem: *Quæ ore pulchro mella fundis.* Purpureum à Marullo: *Oris purpurei, & pectora eburnea.* Formoſum à Pamphilo: *Ore formoſo puerum decorem.* Dulciloquum ab eodem: *Quàm pia dulciloquo facundia promitur ore.* Facundum ab eodem: *Componis, dictas, facundo diſſeris ore.* Diſertum à Conrado: *Oris diſerti ô quanta potentia eſt.* Jucundum à Ludovico Bigattio: *Impleat, & nobis jucundo rideat ore.* Dulciſonum à Politiano: *atque dulciſono falleret ore diem.* Lepidum à Crinito: *Quid Bembus lepido diſertus ore?* Svaviloquium à Mantone: *Et ore ſvaviloquo viſus cunctos præcellere Patres.* Rubicundum à Plauto: *Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo admodum.* Flexanime à Baptiſta Pio: *flexanimoque ſedet multus in ore lepor.* Serenum ab eodem: *Pulchra ſerenato facies dum præferat ore.* Ab eodem dicitur querulum, rutilum, cygneum, dulce, & harmonicum: *Nec querulo deſit murmur in ore loquax: hoc color, hoc rutilo ſplendet in ore nitor: Qualia cygneo fundit pia Chloris ab ore verba. Laudat, & harmonico concinit ore diem.* A Georgio Veneto Idalium nominatur: *Gratia, & Idalio fulgor in ore probat.* Egregium vocat Manto: *Fulgeat egregio decor inſuperabilis ore.* Avidum Strozzius. *Porrectas avido nunc capit ore dapes.* Superbum Claudianus: *Ille ſuperbi flammeus oris honos.* Molle Tibullus: *Carior eſt auro Juvenis cui mollia fulgent ora.* Decorum Manto: *Avis ore decoro ut paucis*

lib. 2. Æneid. *lib 4.* *In Epiſt.* *Acont. Auſon.* *In Pſeud.*

reſponſa dedit. Melliſluum Boëtius: *Melliflui canit oris Homerus.* Venuſtum Muſæus: *Orisque micant ſplendore venuſti.* Fulmineum Ovidius: *Fulmineo rabidos dum rotat ore canes.* Imperturbatum idem: *Imperturbato quod bibit ore reus.* Muliebre Manto: *Muliebria pingit ora color.* Senile eadem: *Depoſuit canos, atque ora ſenilia Mundus.* Peregrinum eadem: *Peregrina tuentur ora.* Trilingve Horatius: *Trilingvi ore pedes.* Altiſonum Badius: *Audiat altiſono quæ canit ore Maro:* Idem aliud ſanctum vocat: *Osque viri ſanctum.* Adhuc idem præſagum nominat. *Paucaque præſago memorans ſic incipit ore.* Item liberum: *Chriſtumque extollere ore libero & audaci.* Lucretius illud veridicum ait: *Omnia veridico quæ quondam ex ore profudit.* Anhelum Statius: *Anhelo ore bibat fontes.* Horrendum idem: *Fuſoque ſupinant horrenda ora mero.* Bilingve Manilius: *Crimina per populum, populi fert ore bilingvi.* Elingve Nannius: *Os elingve tacet.* Baptiſta Pius illud Apollineum vocat: *Cedit Apollinei vates Colophonius oris.* Manto illud mordax dixit: *Os minime mordax Gengiva edentula prædam.* Ab eadem Auroreum exangve dicitur: *Cælituum pulchro quibus ora aurorea vultu: Ore cibum exangui medicatura ſubibat.*

Lib. 1. *2. De Arte.* *In Ibin.* *2. Carm. Ode 19.* *In Aſcens.* *In Pſal. 113.*

Copioſiora in lectione librorum illuſtrium, mi Lector, reperturus es, ſiquidem ſtudioſo labore, tanquam canis venaticus eorum odorem per poëticos campos inſecutus fueris: ſicut ego de eodem campo poëtico hanc oden quatuor denis verſibus compactam, collegi.

Oh cli gratia vitale Albergo, e ſede,
Se ti diſſeri eſercitata al bene:
Ma theatro d' angoſcie, orror di pene,
Quando d' aſpri rancor ſei fatta herede.
Per te in trono di riſo Amor ſen ride
E paſſeggia a piacer labra ſerene,
Apre per te un' oreſto infaciſſe ſcene
Quando dal duol traffitto il cor ti fiede.
Di falſo e ver tuſci ricouro, e nido,
Onde Proteo novelle ogni un t' additta
Perche muti a piacer ſembianza, e grido.
Tu aperta o chiuſa, o timoroſa, o ardita
Condanni, e aſſolui, onde qui dir mi affodo,
Ch' arbitra ancor ti fai di morte, e vita.

LINGVA.

Anatomia.

UNiverſæ corporis partes prognoſtica ſunt, ſed non niſi conjecturis de longinquo prænuncia: Lingva vero propinquius, & palam pro libitu ſuo cordis ſenſus explanat: quamvis ſimul arbitra ſit eosdem occultandi. Hæc omnium actionum, negotiorum, & commodorum temporalium (prout in ejusdem deſcriptione patebit) norma eſt, & regula, & ſecura Moderatrix: Organum guſtus, & loquelæ. Varro lingvam idcirco appellatam inquit, quod liget: vel potius quod circa ſe numeroſo dentium ordine quaſi circumvallata & ligata ſit. Hoc parvum corpuſculum, ligat ſimul, & exprimit conceptus animi. Tot ſepimentis concluditur, ligatur tot nervulis, & muſculis, ut menti vacet antequam lingva diſſolvatur ad loquendum, præmeditari quæ loquenda ſint.

Nobiliſſimus interim, & pene dixerim divinus ejusdem uſus eſt, idcirco etiam Organum Dialecticum, & nuncia voluntatis nominatur. Juſtiſſimam autem figuram conſecuta eſt, ita ut ſine incommodo intra labra contineatur, nec cibis item impedimento ſit, cum à dentibus maſticantur. Ut vero ad ſermocinandum prompta eſſe poſſit, in acumen per modum gladii terminatur: cujus baſis largior eſt, finis autem in acutum deſinens. Pars ſuperior palato vicina aſpera eſt, cavitatibus parvis ſulcata. Situs ejus cuivis viſibilis eſt, ſubſtantia tota carnea. Hinc omnis ſtructura ejus variis partibus coagmentatur. Conſtat autem carnea ſubſtantia ſibi propria & ſingulari, cum membranis ſuis, tribus nervis: venis & arteriis multis. Denique decem muſculi ligamentum ejus validiſſimum ſunt. Caro mollis, rera, laxa eſt per modum ſpongiæ; atque idcirco diſtinguendis ſaporibus aptiſſima. Nec fibræ eam deficiunt, quarum tot ſunt, ut muſculoſa dici nequeat.

Cooperitur caro hæc membrana tenuiſſima, quam communem habet cum ore & palato: & ſupra quam nervi tertiæ conjugationis diſtenduntur: atque hi omnium qualitatum, ſaporum, & comeſtibilium judices ſunt. Cum vero humore quodam impediuntur, ut in ictericis, & febricitantibus contingit, cauſa ſunt ſenſus depravati & corrupti. Tres ſecum nervos portat, quorum duo priores per tunicam diſperguntur, poſterior eorum divaricat muſculos, ad loquelam & guſtum deſerviens.


Corpus lingvæ continuum eſt, nec ſepimento aliquo ſeparatur, prout quidam opinati ſunt, quantumcunque pro arbitrio ſuo dextrorſum, & ſiniſtrorſum flectatur per lineam quandam, quam Hippocrates mediam nominat. Sub illa duæ venæ conſpicuæ ſunt, quæ de vena externa jugulari naſcuntur, quas vulgus raninas nominat: hæ venæ totidem arteriis conjunguntur, quæ de iis ordiuntur, quas carotides vocamus. Firmatur autem, & in ſitu ſuo conſolidatur lingva ligamento quodam validiſſimo, quod à medio verſus interiora collocatum, quam-

vis molle ſit, & flaccidum, non procidit nihilominus, aut defectum patitur, ſed promptiſſimum eſt ad vibrationem, & facillime ſe producit. Ad ultimam lingvæ radicem funiculus quidam naſcitur, qui frænum lingvæ appellatur. Denique decem illic muſculi ſe offerunt, quorum opera, ſurſum & deorſum, & ad latera commovetur. Primi duo, qui ab Anſtiloide ortum trahunt, quaſi ad lingvæ medium uſque protenduntur, quam ſurſum tollunt: ſicut eam trahunt deorſum alteri duo, nati à maxilla inferiori, ubi dentes molares ſunt: rurſum à duobus aliis ad latera, introrſum & extrorſum conducitur, qui ab oſſe Hyoide originem ſumunt, cujus oſſis muſculi, non modicum huic adjumentum adferunt.

Non omnium tamen viventium eadem eſt lingvæ figura & modus. Serpentes eam tenuiſſimam habent, triſulcam, & vibrantem: Lacerta longam, & vibrantem: vituli marini bipartitam & piloſam habent: duplicatam piſces, & omnimodo adhærentem: Leones & Pardi aſperam, & ravidam per modum limæ: Homo inter animalia hanc partem liberam gerit, & mollem, ut commode deguſtare, & delibare ſapores poſſit, literas diſtincte enunciet, vocemque articulare poſſit: quæ videlicet ita conſtructa eſt, ut ſe contrahere, & producere, & dilatare valeat. Manifeſtum hoc eſt in balbis, & blæſis, qui lingvam impeditam gerunt. Hucusque de hac parte dixiſſe ſufficiat: cum immergi me oporteat in vaſtiſſimum pelagus tractatus hujus; lingva enim mundanarum rerum omnium univerſitatem in ſe concludit.

HIEROGLYPHICA.

NEc magis proprie, nec cum meliori judicio, ut reor, ſermocinationis rectitudo, & exactæ eloquentiæ fortitudo, deſignari poterat, quàm uniendo tres partes illas corporis maxime conſpicuas, ſicut & præripuas ſtructuræ humanæ: lingvæ nimirum, & manus, & oculi. Prout illud ſequenti Hieroglyphico demonſtratur: Sic Urbanus lingvam figurat, *Lingva, manus, oculi.*



cui oculus ſubjiciatur, & per hæc utraque ſic præſentata dilucidam diſcursûs perfectionem intelligit. Sicut enim oculus videt objecta, vetat noxia, inſequitur bona, ſic mens quoque oculo internæ conſiderationis prævidere debet quodcunque occurrit, & ſenſum ſuum adæquatum inde depromere: Cum itidem verba per ſemetipſa exigui valoris futura ſint, adjungitur manus, operationem denotans, quam pediſſequam verborum eſſe oportet; quæ proinde robur & vigorem illis tribuit; unde hinc eloquentiæ virtutem figurare ſtatuerunt; ac ſic manus lingvam premit, & conſtringit.

Hebræi lingvam *Laſon* vocant: Græci in vicem L. à principio litera D. utuntur, & *Dingvam* appellant. Hinc Grammatici veteres aſſerunt, Pompeum Magnum hoc loquendi & ſcribendi genere uſum fuiſſe. Lingva autem ope manus indiget, per quam opera intelliguntur, unde Pierius inquit: *Quidquid in judicando vel demonſtrando vel in deliberando contingit, nequaquam ſolo cogitationis termino continetur, ſed actione ipſa perficitur.* (*Hieroglyph. lib. 33.*) De lingva eloquente Virgilius ajebat, quod facta ſit, ut

Regat dictis animos, & temperet iras.

In quibusdam obeliſcis hujuscemodi figuræ videntur, ſicut Romæ Foſcus Hiſpani Vivis frater. Medicus Pontificius, ſe in muſæo ſuo vidiſſe aſſeverat.

Hæc eadem eloquentiæ virtus per lingvam perforatam exprimebatur, de qua catenæ quædam aureæ dependebant, quæ ſe auribus deinceps auditorũ ſuorum alligabant: Sic Hercules depingebatur apud Gallos, (*Lingva de qua catenæ dependet.*)

Armatus



Armatus clava, veſtitus pelle Leonis Nemei, cum catenulis, quæ ex ore ei prodibant: qua figura Alciatus uſus eſt ad formandum nobiliſſimum Emblema, cum ſubſcriptione ſequenti: *Eloquentia fortitudine præſtantior,* (ſicut in præſenti imagine patet,) vultus illius ſerenus erat, nec arcu deſtitutus: catenæ autem populos deducebant, & poſt ſe trahebant. Fabula autem à Luciano deſcribitur, cum fundamento adæquato: indicat enim Herculem tam arti oratoriæ, quàm militari intentum fuiſſe: id quod Cornelius Tacitus confirmat. Enimvero quid non efficit, quid non operatur eloquentia perfecti Oratoris, in animo morigerato, & flexibili? Sic memoratus Alciatus Emblema ſuum eruditiſſimum concludit: (*Emblem. 81.*)

Cedunt arma togæ, & quamvis duriſſima corda
Eloquio pellens ad ſua vota trahit.

De hac Marcus Tullius ajebat: *Quantum in campo ferrum pollet, tantum in Rep. oratio: illic enim res agitur viribus, hic perſuaſione.* (*Ad Quint. Fratr.*) Et Poëta Verrinus:

Nil tam difficile eſt, quod non perſvadeat, & non
Efficiat docti lingua diſerta ſenis.

Introducit Ovidius eloquentiam Ulyſſis poſitam in parallelo & comparatione fortitudinis, quæ erat in Ajace, & ſic concludit: (*Metam. 13.*)

Mota manus Procerum, & quid facundia poſſit
Tunc patuit, fortisque viri tulit arma diſertus.

De hoc ampliora videantur in poëtis, Horatio & Virgilio, & in philoſopho Xenophonte. (*In arte Carm. Lib. 1. In Append.*)

Ægyptiaca non minus, quàm Græca Sapientia, cum denotare ſomnum ſtatueret, linguam in altari exponebat quæ igne comburebatur, idque ante Mercurii ſtatuam, cui ſemper dedicata fuit, prout deinceps patebit: unde Homerus è Græco in latinum tranſlatus de Mercurio ſic ait: *Lingvas imponit in ignem.* (*Lib. 2. de factis & dictis Socrat.* Somnus.)

Fabularum Scriptores rem ab altiori trahunt principio. Recenſet, (inquiunt) Direchidas in Actis Megaræ, quod Alcantus filius Pelopis, ab civitate illa proſcriptus, poſtquam Chryſippum occidiſſet, dum exul peregrinaretur, obvium ſibi ferociſſimum leonem habuerit, qui Urbis incolas unà cum circumjacentibus campis vaſtabat. Rex vero ad hanc belluam interimendam copioſam militum multitudinem mandat: ſed Alcantus hos præveniens, in occurſum feræ progreditur, & primo eam impetu evulſa lingva occidit. His actis præfati milites adſunt, & ſibi gloriam jugulati animalis attribuunt: Alcantus jactantiam eorum contundit, convincens ſe authorem facti, & in veritatis teſtimonium jubet intueri fauces cæſæ belluæ elingves, protinus vero de pera ſua extractam lingvam ſupra Mercurii Altare ſacrificando exurit, & in præmium fortitudinis ſuæ ſeſe ab exilio vindicavit. Quandoquidem vero inhabitatores loci quietem, una cum ſomno priſtino (qui metu & vigiliis jam effugerat) recuperaſſe ſe cernebant, factum eſt, ut cum beneficii hujus poſthæc recordari vellent, comburere lingvas cœperint.

Somnus verum mortis ſimulacrum eſt, & nihilominus principium quietis tantopere neceſſarium ad humanæ vitæ conſervationem. Unde Stagirita ajebat: *Neceſſe eſt quod vigilat, dormire, eſt enim requies data animalibus propter ſalutem eorum.* (*De ſomno & vigilia.*) Et Quintilianus: *Somnus ipſe eſt pars vitæ.* (*Declam. 2.*) Statius Muſas repræſentat aſſociatas ſomno, cum hac Epigraphe: *Major poſt otia virtus.* Somnus moderatus in vituperium non cadit, quin potius conducens, utilis, imò neceſſarius eſt. Lingvæ item reciſæ indicium ſilentii ſunt; quod Hieroglyphic. ab Homero deſumptum eſt, ubi ait: *Veſtras incidite lingvas.* Supra quod expoſitores comentantur. (Silentium. *Ex Pierio ut ſupra.*)

Id eſt: Silentium capeſſite. Optimum ſemper, niſi opportunitas, aut neceſſitas aliter exegerit, idque in rebus ſummi momenti, ſilentium eſt: Unde Ariſtoteles: *Semper locutum fuiſſe me pœnitet, tacuiſſe nunquam.* [*Polit. 1.*] Supra Stoicorum & Pythagoricorum Scholas magnis characteribus expreſſum legebatur: *Silentium.* Hoc ipſum fida anchora eſt, quæ navim negotiorum noſtrorum, inter turbidas fortunæ ſiniſtræ tempeſtates ſecuram reddit. Senſit hoc Plutarchus, vir ille expertiſſimus rerum mundanarum: *Magnæ eſt ſapientiæ tempeſtivum ſilentium, & omni certe eſt ſermone præſtantius.* [*De educandis liberis.*] Ad curanda animæ mala antidotum nullum eſt, quod huic æquiparari poſſit. Sic idem Author ait: *Multis hominibus,* inquit, *pharmacum malorum eſt taciturnitas.* [*Apud Auſon.*] Qui tacere nequit, nec loqui poterit ubi decet, ſubjungit Pittacus, idcirco laudabiliter Magnus Alexander, qui cum ſecretum quoddam Epheſtioni credidiſſet, extracto annulo, ori ejus impreſſit, idipſum ſe ſigillare dicens.

[Ignominia aperta.] Quantum porro boni de ſilentio provenire veteres dixerunt, tum cum lingvam evulſam ex ore figurabant, tantundem mali expreſſum eſſe volebant, cum ad deſcribendam ignominiam turpiſſimam, impuritatemque apertam, hominem exponebant ejusmodi ſigno notatum: ſic enimvero per reciſam lingvam ſceleſtum hominem ſignificabant à conſortio bonorum ſeparatum, & diſunitum. Alluſit ad hoc Propheta Regius, cum ex parte DEI ſic ajebat: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum.* Hoc vitium tale eſt, quod omnia reliqua in ſe complectitur, unde & condemnationem omnem promeretur, univerſalem reprehenſionem admittit, omne delictum conſtringit & epilogat.

Porro ſicut olim prophani literati in expoſitione rerum ſenſualium, præfata methodo utebantur, ſic in eorum imitationem Expoſitores Eccleſiaſtici Hieroglyphicis ſacris & moralibus delectati ſunt: quocirca memoratus Pierius inquit: eos de lingvis ignitis (quod huic loco ubi de uſtione lingvarum mentio [*Loco citato.*] facta, non incongruum eſt) de his itaque lingvis quæ ſupra caput Apoſtolorum in die ſacratiſſimæ Pentecoſtes deſcenderunt, Hieroglyphicum fortitudinis, [Fortitudo orationis.] ſicut & orationis formaſſe: veraciter enim Apoſtoli depoſito frigore timoris, quem poſt Aſcenſionem Diviniſſimi Magiſtri ſui contraxerant, hoc cæleſti foco ſuccenſi ſeſe levaverunt, & ſicut veri Alcides cum his lingvis, vel potius cum his facibus ad incendendam hæreſiam omnem & in cineres redigendam progreſſi ſunt. Hinc citatus Author ait: *Hujusmodi* [*Sermon. de Magdal.*] *enim lingvæ ſplendore tanto conſpicuæ omnino ſignificarunt eam orationis vehementiam, ut quæ à divino magiſtro præcepta acceperant, per univerſum mox terrarum orbem perſvaſibili (penetrat enim ignis) ſermone diſſeminarent.* Hoc argumentum ulteriori probatione non indiget: experientia enim quotidiana per gratias cæleſtes, quas à divino Benefactore noſtro ſine intermiſſione recipimus, id palam docemur: cum autem jam in lucem volumina integra prodierint, quæ hujus rei veritatem manifeſtant, hic ego cum S. Bernardo finem impono, qui ſic habet: *Humilis oratio, tua eſt potentia, tuum eſt cælum. Tu ſola tribunal judicis aſcendere non vereris: tu vincis invincibilem, tu ligas omnipotentem.*

Ad demonſtrandam firmitatem & inflexibilitatem veritatis, Pindarus magnus illæ Lyræ Græcæ Princeps, ſupra incudem lingvam ferream repræſentat, cum qua lingva ajebat Apollinem Pythium ſemper inconcuſſum, ſemper inflexibilem, & ſtabilem [Lingva ferrea ſub incude.] loqui. Sicut in ſubjecta tabula patet.



Viviſſi-

Viviſſimum animæ hæc ornamentum eſt. Virtus enim veritatis eousque obſervata fuit ſemper, ut non minus, quam de auro vel argento, hæc de ea dici ſoleant: *Queſta verita non ita à martello*, hoc eſt: *hæc veritas malleum non ſuſtinet.* Cum res quædam in narrationem adductæ non bene invicem convenirent, ſicut id quoque quod latini inquiunt: *revocare ad malleum:* Poëta his verbis *ſub incudem,* expreſſit.

Veritas è metallo duro componitur, ex diametro oppoſita mendacio, quod molle eſt, & lubricum, & fugitivum: quarum hanc conſumit ætas, veritas autem longitudine temporum ſolidatur. Hæc dici poterit ſol, mendacium econtra vapor. Splendor ſolis perennis eſt, & indeficiens, vapor autem radiis ejus diſſolvitur & diſſipatur. Qui impius non eſt, ſolem amat, tenebras & caliginem fugit. Sentit Ariſtoteles [*Apud Stobeum.*] propter amorem veritatis opiniones deteſtandas eſſe: nil etiam refugere ſapientem quin ſibimetipſi contradicat: *Propter veritatem debent philoſophi ſibi contradicere.* Veritas eſt, quæ rerum maximè abditarum, & abſtruſarum principia detegit, & revelat: de qua Pindarus ſupramemoratus inquit: *Veritas Principem magnæ virtutis promovet.* [*Ibidem.*] Mendacium ſordidum eſt: cum econtra veritas bellicoſa Amazon ſit, palmam victoriæ belligerando reportans. Hoc Apollonius intendit, dum ſic habet: *Mendacium illiberale eſt veritas generoſa.*

[Guſtus.] Proinde cum guſtus lingvæ affinis ſit, eidemque proprius, non immerito Hieroglyphicorum Authores, hunc ſenſum per oſtenſionem lingvæ, tanquam ejus, quæ cauſa inſtrumentalis ſit, & efficiens, exprimere voluerunt: Itaque ut ejusdem guſtus principium, hominemque figurarent delibantem ſolummodo, nec tamen ſe profundius in hunc ſenſum immergentem, lingvam demonſtrabant, quæ aliquantum foras, & extra priores dentes protendebatur.

Cum verò plenitudinem, majoremque in hoc ſenſu ſatisfactionem demonſtrare vellent, primas faucium partes exponebant, quibus gula connexa eſt, dicendo (ſicut & potiſſima modernorum medicorum pars) in his locis, nempe in radice lingvæ exquiſitiſſimum eſſe ſenſum guſtus: quamvis etiam palato hanc prærogativam multi attribuant. Aſſerit Diogenes ſaporem lingvæ provenire ex hinc, quòd ſubſtantia ejusdem mollis, ſit, & fungoſa, & quod illuc venæ corporis quamplures terminentur. Hæc vicem ſpongiæ obtinet, quæ ad ſe ſapores attrahit, eosdemque ebibit, tum cum ab iis impingvatur & & aſpergitur. Alcmeon tradit ſapores ab humore, & tepore, & mollitie lingvæ dijudicari: his adjungunt palatum Ægyptii, qui pro Hieroglyphico guſtûs, piſcem repræſentant, exigui ventris, & palati magni.

Plures aſſerunt negandum non eſſe ſentire lingvam, & judicare eandem de ſaporibus, ſed ſvavitatem eorum, aut amaritudinem diſtinctius percipi à palato. Hinc Phyloxenus, fortaſſis & ipſe plus ventri, quàm philoſophiæ deditus, Gruem ſe optavit, ut palatum ei, in modum roſtri illius, longum eſſet, ex quo ſvavitas guſtus, diuturniori ſenſu perciperetur. Formavit ſuper hoc non inelegans Apophtegma Cato, tale reſponſum dans ei, qui in numerum familiarium ſuorum adoptari quærebat: *Non poſſe ſè eum eo vivere, qui plus palato, quàm corde ſaperet.*

Ariſtoteles in hoc alterius mentis eſt, qui in ſummitate lingvæ ſubtiliſſimum guſtus ſenſum eſſe determinat! In teſtimonium ſententiæ ſuæ experientiam appellans, qua potiſſimum hæc pars lingvæ acrimoniam medicamenti ſentit, à qua multum offenditur: ſed cum hauſtum jam interius palautm penetraverit, pene ſine ſenſu translabitur. Cum tamen prout dictum eſt, vix tolerabile fuerit lingvæ prælibanti in apice. Quod vero etiam quandoque lingvæ radix majorem videatur guſtum percipere, fieri idipſum affluentia, & majori ciborum copia aſſerit, qui illuc mandantur: ſicut item, quod longiori illic tempore commorantur, ita ut ſenſum illum imitari videantur, quem dixerat exquiſitiſſimum eſſe in lingvæ ſummitate. Hæc de guſtu dixiſſe ſufficiat, quem non minus cæteris ſenſibus moderari neceſſarium, & generoſi animi eſt, unde inquit Chryſoſtomus: *Saturitas morborum fons, caſtitati inimica.* [*Homil. 33. Ad pop. Antioch. Serm. 17. de tempore.*]

MYSTICA
ET MORALIA.

ECce rurſum in acie *Armatus Cantor meus*, tantundem calamo facundus, & pſalterio ſuo muſicus, quantum gladio Martialis: qui cum verbis illis pſalmi ſui: *Lingva mea calamus ſcribæ*, campum [*Pſal. 44.*] ſanctis Patribus pandit, ad reflexiones doctiſſimas inde eruendas. Sentit S. Auguſtinus in his virtutem [*In Pſalm. eundem & de eſſentia divina.*] generativam æterni Patris poſſe intelligi, qui verbum ſuum producit, atque hac ratione penna dicitur ſcriptoris, aut Secretarii, cum de throno illo ſacratiſſimæ Triadis verbum illud divinum, & ſemper permanens producatur. Id quod alterationem nullam admittit, nec diverſitatem ſtatus. S. Ambroſius inquit, [*In Apolog. David.*] de hoc deduci poſſe Spiritum Sanctum, per quem Altiſſimus Deus hominibus arcana ſua manifeſtat. S. Hieronymus & Eucherius ajunt, his verbis [*Ad princip. fortit. ſpirit. 1.*] cognitionem ſacratiſſimi corporis Chriſti ſignificari poſſe, per quod videlicet venena ſerpentis infernalis diſſipantur: aut verò penna ſcribæ eſt lingva, cum per eam laus altiſſimi exprimitur, quâ maxime delectatur.

Supra hunc paſſum Iſaiæ: *Lingva Dei, quaſi ignis devorans*, [*Iſai. 30.*] gloſſa interlinealis commentatur, quod exinde tanquam in luce, admodum evidenter intueri liceat, quantopere in extremitate ſupremi judicii in peccatores Altiſſimus Deus iracundia ſua exarſurus ſit, cum ſententia illa ardoribus plena proferetur: *Ite maledicti in ignem æternum.* S. Bernardus & Hieronymus referunt, [*In Cantic. Serm. 45. In Pſal. 21.*] lingvam ſponſi, quæ ſæpius in Cantico nominata eſt, ſignificare effluentiam divinæ beneficentiæ. Vult itidem S. Auguſtinus per hanc Prophetas quoque & Prædicatores figuratos: atque hæc lingva faucibus adhæſit (ſicut pſalmus inquit: *Adhæreat lingva mea faucibus meis, ſi non meminero tui*) [*Pſal. 21. Ep. 110.*] inquit S. Hilarius, cum Apoſtoli in paſſione Domini obmutuerunt: Iidem ſancti inquiunt lingvam eruditam cujus Propheta Iſaias meminit, lingvam Chriſti, [*In Pſal 138. Cap. 50.*] & prædicatorum ejus denotare, ad confortandos nimirum & animandos qui laſſi ſunt. Atque hæc eſt, inquiunt S. Gregorius & Auguſtinus de qua Regius [*8. Moral. In Ep. 59.*] Propheta teſtificatur, *qui non egit dolum in lingva ſua.* [*Pſal. 14.*] Meminit rurſum S. Auguſtinus vir nunquam ſat laudatus, nec citatus: ſupra textum illum pſalmiſtæ: [*Pſal. 67.*] *lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo*, intelligendum hoc de judicibus, qui & ipſi Redemptoris ſui prædicatores facti ſunt. Hinc erudite Origenes inquit: per milites illos, qui incurvati, ſicut in libro [*In eundem locum hom. 9. Iudic. 7.*] Judicum legitur, aquam lingva ſua lambebant, perfectam intelligi, & ſtabilitam verbi Dei prædicationem.

Ad dictum illud Cantici: *Mel & lac ſub lingua tua ſponſa:* [*Cant. 4. Serm. 45. in Cant.*] adjungit S. Bernardus, hanc linguam Eccleſiæ eſſe, aſperam in primordio dum circa correctionem peccatorum occupata eſt, ſed quæ internam quoque dulcedinem ſibi adjunctam habeat, unde triſtes refocillari poſſint, & exhilarari benignitate, &

miſeri-

miſericordia altiſſimi: aut verò per hoc prædicator Evangelicus deſignatur, qui res ſublimes tractans, moralia nihilominus exercet: ſic Gregorius refert.

15. Moral. In Cant. 4. Exod. 4. Arnold. in Pſ. 67.

Quod Moyſes magnus ille vir, reſpondit Deo, qui eum inſtituere prophetam decreverat, *tardioris & impeditioris ſum linguæ*, ſubjungit Arnoldus Carnotenſis, obſcuritatem legis inde colligi poſſe. Supra locum illum pſalmiſtæ memoratum: *lingva canum*: *In pſ. 54. Iſai. 31.* S. Hilarius & Hieronymus commentantur id intelligi poſſe de barbarica Judæorum voce, tum cum plenis buccis contra Redemptorem, & Magiſtrum ſuum vociferati ſunt: *crucifige, crucifige.* De his Pſalmiſta *56. 63. 67.* in quam plurimis locis mentionem habet: *lingva eorum gladius acutus* &c. Hæ lingvæ diſperſæ *Hom. 30.* & diſipatæ ſunt, inquit S. Gregorius, & ſcripturæ per hoc è pſalmis & Iſaia adimpletæ ſunt.

Actor. c. 2. Forma lingvæ ſuper capita Apoſtolorum, in quorum ſummitate columba illa divina candidiſſimas pennas ſuas explicuit (juxta mentem præfati authoris) *Loc. cit.* donum illud lingvarum, & idiomatum manifeſtat, quo collegium Apoſtolicum dotandum erat: quod eis adimpletum eſt juxta verbum Domini jam olim per prophetam Iſaiam in promiſſione *Cap. 32.* futurorum prolatum: *Lingva balborum velociter loquetur & plane*, *Cap. 35.* & alibi: *Aperta erit lingva mutorum.* *1. Corinth. 14.* Idem ſenſus in Jeremia reperitur. Supra *In Iſai. 35.* id quod Corinthii ad Evangelium Chriſti corda ſua aperiebant: commentatur S. Hieronymus: *Erat lingva gentilium, qui converſi ſunt ad fidei confeſſionem, & laudis Dei.* Sæpe etiam, pro laude Dei uſurpatur lingva, ſicut idem author ſupra pſalmum quinquageſimum primum inquit, ubi mirabiliter *Armatus muſicus* meus ait: *Exultavit lingva mea cum cantavero tibi.*

Quandoque lingva pro locutione ipſa ſumitur, & pro idiomate gentilitio: ſic gloſſa ordinaria com- *In Gen. 11.* mentatur illic, ubi inter incolas Sennaar in conſtructione monſtruoſæ turris, lingvarum tanta diſcordia, enata eſt, ut alter alterum non caperet: adjungit his & animorum opinionumque diverſitatem & conflictationem S. Hieronymus, nempe quod inter illos rationis imperium ſenſus rebellantes ſequi noluerint.

Fervor charitatis, qua vas electionis in hæc verba *1. Cor. 13.* prorupit: *ſi lingvis hominum loquar & Angelorum*, occaſionem ſuggeſſit S. Hieronymo ut diceret: in his verbis exactam divinorum myſteriorum manifeſtationem & cognitionem palam dari. Hæ verò *Cap. 66. Super quib. S. Hieron.* lingvæ tam hominum, quàm Angelorum in ſupremo illo judicio, ſat manifeſtè ſe prodent, ſicut inquit Iſaias. Anima autem, quæ deſideriis ardet ad myſteria divina comprehendenda, per illam lingvam poterit intelligi (ſicut gloſſa ordinaria commentatur) quæ ſecundum Iſaiam prophetam ardere ſiti indu- *Cap. 41.* citur. Per lingvam itidem Chananæam, mediam inter Ægyptiacam, & hebræam, deſignari poterunt, *In Iſa. 91.* juxta mentem Hieronymi, præſentis vitæ opera bona, quæ media ſunt inter opera mala, & ea quæ in *Cap. 19.* cælis fiunt: ſic Iſaias inquit: *In illa die erunt quinq; civitates in terra Ægypti, loquentes lingva Chanaan.*

Ioſue 7. Per linguam illam, vel potius regulam auream quam de anathemate Jericho contra vetitum impius Achan furto abſtulerat, ſicut liber Joſue meminit, *In hunc locum.* Origenes declarat, falſa ſapientiæ dogmata indicari, quæ pompoſo eloquentiæ apparatu fulciuntur. Obſcuros & involutos vortices verborum Iſaiæ, & prophetæ Job explanant ſancti Hieronymus & Grego- *In Iſa. 11. 33. Moral. Iſai c. 11. v. 15. Iob. 15.* rius, Iſaiæ quidem, ubi ſic habet: *Et deſolabit Dominus lingvam maris Ægypti*: alterius: *Imitaris lingvam verſutorum*: in his enim verbis intelligi volunt blaſphemias, & idolomanias Ægyptiorum, ſicut item ſcientiam obfuſcatam, & erroneam ſæcularis doctrinæ: & hæc lingva ſerpentis Leviathan eſt, quam Altiſſimus fune alligavit, ſicut Job commemorat. *Cap. 40.* Per lac & mel ſub lingva ſponſæ (de quo ſupra) Ru- *In Cant. 3. 15. Moral. 5.* pertus Abbas, & S. Gregorius, Chriſtum Redemptorem exprimi volunt, totum in glorioſiſſimæ Virginis corde habitantem. Præfati authores dictum *Iob. cap. 20. v. 16.* illud Job: *Occidet eum lingva viperæ*, ſicut illud quoque pſalmiſtæ: *Sub lingva ejus labor & dolor*: *Pſ. 2.* in hunc ſenſum exponunt, quod hi ſub lingva ſua malum tegant, quicunque illud confiteri refugiunt, his verbis: *Hypocrita abſcondit malum ſub lingva, quando aſperitatem malitiæ, quæ latet in mente, ſub tegmine blandæ locutionis operit*: deducendo ex hoc: malum *ſupra* lingvam futurum, non *ſubtus* illam, ſi hypocrita malitiam iniquitatis ſuæ palam fecerit. Id quod regius pſaltes ait: *Vir lingvoſus non dirigetur* *Pſ. 139.* *in terra*: S. Hilarius de Juda intelligit, tanquam vi- *In eundem locum.* rorum omnium peſſimo. *Lingvam magniloquam*, de qua idem pſalmiſta loquitur, Origenes ad magni- *Pſalm. 11.* loquentiam ambitionis refert. Sic lingva deceptrix *In 1. Reg. hom. 1.* & doloſa (de qua idem Sanctus) juxta mentem Arnoldi, & S. Hilarii, ſuggeſtiones & perſvaſiones *Pſalm. 9.* Sathanæ, & Hæreticorum figurat, qui perſeverantiam *In eundem locum.* in peccato inſpirant, & qui in interioribus omni bono contradicunt. Supra memoratum locum S. Ba- *In pſ. 14. Iob. 20.* ſilius in eos refert, qui dulciloquio ſuo dolos machinantur, quique res prophanas, rebus ſacris immiſcent. Per lingvam viperæ jam ante memoratam, ſecundum S. Gregorium, violentia diabolicæ tenta- *15. Moral.* tionis inſinuatur.

Porrò quod patientiſſimus Job acerba ſuorum improperia primum ſuſtinuit, poſtea ſuperavit, ubi illud inprimis dictum eſt: *Lingua eorum gutturi ſuo ad-* *Iob. c. 29. v. 10.* *hærebat*: S. Hieronymus ad Hæreticos illud appli- *In Zachar. 14.* candum eſſe docet, quippe qui clanculum perverſitates ſuas tegunt, quamvis palam illa loqui non audeant, quibus fidei integritatem comaculare contendunt. De his inquit Zacharias: *Lingva perſecutorum Jeruſalem contabeſcet in ore eorum.* Cum turri Babylonica hic finem facio, ubi ſe univerſitas lingva- *De Confuſ. lingvar.* rum omnium counivit, ad fabricandam illam machinam temeritatis: intelligit per hæc Philo Hebræus potentias ſæculares cum ad malum operandum conſpirant. Sed de his hactenus.

PROVERBIA.

USqueadeo vivaciter affectus, mores, & actiones hominum proverbiis exprimuntur, ut non ſolum curioſa ſit eorundem lectio, ſed ſi quæ alia, hæc tanquã dogmatica digniſſima lectu videantur. Si tam prompta manus, tam velox pes eſt ad accumulandas divitias, & bonorũ temporalium poſſeſſionem acquirendam, ut quid non pari animoſitate ad acquiſitionem virtutis ſuccendimur, quippe quæ verus theſaurus eſt, & vera interni habitûs poſſeſſio? Itaque prudentiſſima ſimul, & probatiſſima eſt proverbiorum cognitio, quæ nobis ad honeſtæ & beatæ vitæ conſecutionem, familiari quadam methodo utiliſſima præcepta ſuggerit.

Quod porrò in particulari lingvam concernit, primum nobis illud occurrit: *Linguâ Amicus.* His *Amici in faciem.* verbis Idea amicorum exprimitur, qui ficto blandiloquio, non niſi ſolo cortice commendabiles ſunt: qui magna pollicentur, & cum pomis Pentapoleos, fucato colore, & decore foris luxuriant, ſiquidem interiora excluſeris, in cineres ſolvuntur. Hunc ſenſum Manutius adfert, cum ait: *Qui non amat ex animo, ſed benevolentiam ex ore præſefert.* Quod etiam vulgo

vulgo inter Italos jam inolevit: *Buone parole, e cattivi fatti ingannano i ſagi e i matti.* Simili modo conqueruntur, & Candidus apud Martialem, & Homerus in Odyſſea: quorum ille ſic habet: *Qui recte dicunt, à tergo prava volutant*: Homerus autem *Homerus.* ita: *Sic facito ut lingva cunctis videaris amicus: at factis cuiquam cave te miſcueris.* Condemnat *Theognides.* hoc genus hominum Theognides dum ait: *Nec me diligito verbis, cùm mens alibi ſit.* Et rurſum: *Nec lingva mihi quis ſit amicus, ſed magis facto. Res perdifficilis quidem Amicus: ſunt quia multi, atque adeo cuncti ſalute tenus.* Hæc materia illud, quod tam ſæpè memoratum eſt, potiſſimum concernit, ut dicta factis correſpondeant: ſi enim verba indicia ejus ſunt, quod corde conditur, ut quid in hiſce duobus diverſificatio locum invenit, & confu- *Hieronymus Preti.* ſio inducitur? Doceamur hoc (inquit Poëta compatriota meus) in horologii indice, cui illud à memorato viro ingenioſo ſubſcriptum eſt: *Cio che cela nel ſen, ſcopre nel volto*, hoc eſt: *Quod ſinu celat, aperit in vultu.*

Lingva bellare. Proverbium de iis eſt, qui Thraſonica jactatione, ſe ſupra cæteros extollunt, dum *Thraſones.* ad pericula, & fortunæ experimenta perventum fuerit, in pedibus ſalutem quærunt: cumque ſe in tutum receperint, omne improperium in hoſtes ſuos evomunt. Hic modus agendi in ſcena convenit Thraſonibus, qui ad ſolum oculi nutum, aut cum viderint nauci hominem vel evaginaſſe gladium, cum trepidatione pedem referunt. Sic Menelaus mollitiem Græcorum incuſat, dum ait: *Huc Graiæ, jam Graii, tantumque minaces.* Alluſit ad hoc Virgilius his verbis:

In Æneid.

- - - An tibi Mauros,
Ventoſa in lingva, pedibusque fugacibus iſtis,
Semper erit? - - -

Sic Turnus Drancem garrulum explodebat, virum qui cæteroquin in rebus gerendis omnino inutilis & ineptus & ſine conſilio erat. Sic contra Rutilos maledicos, melius lingva, quàm gladio concertantes, ait:

O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.
Et tunicæ manicas, & habent redimicula miræ.

Sic apud Homerum Hector ajebat:

Sane ego vel Divis poſſem contendere lingva:
Verùm haſta durum multum quia viribus illi,
Præcellunt.

Comicus Ariſtophanes hunc locum tangit, dum ait:

Poſcens, conſultans, & lingva prælia miſcens.

Eleganter hoc Livius deſcripſit, ſequentibus ver- *lib. 7.* bis: *In caſtris feroces, in acie pavidi.* Apulejus ſuper his verbum novum invenit: dum hos blaterones, & magniloquos Thraſones, quos Itali *Coſpettoni*, & *Mangiacatenacci* appellare ſolent) *verbigeros* nuncupat, & ex hinc verbum *verbigerare idem eſt quod* *Al Hermodium.* *verbis digladiari.* Heraclitus item: *In lingvis habentes arma, poſtquam abſtuliſtis pecunias.* His armis tractandis aſſveverunt cauſidici in foro, ſicut & Rhetores occaſione data, & tempore opportuno. Actio deteſtabilis & quæ valori ex diametro contraria eſt, qui enim genuinum ſe Martis filium profitetur, robuſtum ſtare, & invictum oportet, non lingva & voce ſola, ſed corde & manu validum. Vera fortitudo, & generoſitas, nullam novit jactan- *Diogenes ex Laertio.* ctiam. Hinc Diogenes: *Fortem manſvetum eſſe oportet, ut proximi non tam metuant, quàm revereantur.*

Ex eo quod quorundam mos eſt in conviviis plus occupari confabulatione quàm comeſtione, prover- *In conviviis quidam edunt quidam fabulantur.* bium illud enatum eſt: *Aliis lingva, aliis dentes.* Innuitur hoc: maſticare quoſdam, quoſdam ratiocinari: quorum illud primum præferendum: hic loci enim potius dente, quàm lingva laborandum. Nonnunquam enim in detrimentum ſanitatis fit, ſi inter nidores mactearum, & poculorum ſermocinatio ſeria, & omnibus numeris ſuis abſoluta teneatur. Inde illud quoque adagium emanavit: *Plures occidit gula, quàm gladius.* Alexander Magnus fulgorem gloriæ ſuæ turpiter obſcuravit, cum Clitum manu ſua interemit: ſurgens enim de menſa, vino plenus, ſangvinem fudit: ad hunc furorem iracundiæ non erupiſſet, niſi Bacchus eum ignibus ſuis ſtimulaſſet. Hoc adagium Manutius in alium ſenſum transfert: *Venuſtius*, inquit, *erit ſi longiuſcule detorqueatur, veluti ſi quis minetur ſe facto nociturum ei, qui verbis duntaxat læſerit.* Utque hujus rei argumentum præbeat, ſic ait: *Poëtis eſt lingvaqua, invehantur, ac Principibus ſunt molares quibus eos conficiant.* Quoadusque malum non niſi in lingva eſt, tolerabile eſt: ſed dentium eſt frangere, commolere; unde non immeritò quis dixerit, Principes non ſolum manus, ſed & dentes longos habere. Da- *Non ſtare promiſſis.* mnabilis ille error quorundam, qui peſſundata jam ſalute animæ ſuæ, inſuper & diſpendium famæ ſuæ patiuntur, de quo commune illud proverbium inolevit: *Lingva juravit.* Id eſt: promiſſis ſuis non ſtetit: nec juramentum ad cor usque penetravit: interim ſimplices hac decipula capti ſunt, hoc perjurio fides profligata. Omnes adeo ætates vitium hoc jam pervagatum eſt: unde Euripides in Hyppo- *Euripides.* lito ſuo coronato ajebat: *Jurata lingva eſt, animus injuratus eſt.* Comœdorum proprium eſt hoc dicto ſemetipſos incuſare, quoties id eis uſu venerit. Hinc *Ariſtophanes.* Ariſtophanes his verbis utitur: *Aut mentem quæ nolit per ſacra jurare: lingvam autem juratam ſeorſum ab animo.* Hinc Æſchylus ſic ſcriptò dedit: *Jurata lingva eſt: Æſchylum autem præferam.* Pindarus hominem laudans ſinceri cordis, & integri, ſic ait: *Lingva verò non extra mentem.*

Major ignominiæ macula infligi nequit, quàm cum homini improperatur, eum ſine fide eſſe, prop- *Pro Roſcia.* ter quod M. Tullius ajebat: *Perditiſſimi hominis eſt, amicitiam diſſolvere, & fallere illum, qui læſus non eſſet, niſi crediſſet.* *lib. 4. Decad.* Hinc Vegetius confirmabat: *Fides maximum vinculum bonis amicis: & habita fides, fidem obligat.* Ponderetur igitur quale eos ruina maneat qui fidem frangunt juratam, quique aliter in ore, aliter ſunt in corde.

Communiter dici ſolet: pueri, & fatui verum dicunt, & præſagiunt: hoc dictum veteri illo prover- *Veritas domi nata.* bio obſervatum, & conſolidatum fuit. *Lingva prolapſa verum dicere.* Sic verum eſt, ex turbulentia rerum, ſæpe tranquilitatem ortam eſſe: ſæpe ex lubricitate lingvæ, ex incauto & quaſi fortuito ſermone veritas prodiit: quæ fortè multorum annorum indagine eguiſſet. Adjungatur his tertium, vinum videlicet: quod cum immoderate ſumptum fuerit, ſublato rationis uſu, promiſcue bona & mala emanant, inde proverbium reſultavit: *In vino veritas.* *In Odyſſ.* Sic Horatius ajebat: *Tu lene tormentum ingenio admoves plerumque duro: tu ſapientium curas, & arcanum jocoſo conſilium retegis Lyæo.* Et ut totum ſimul comprehendam: interrogatus aliquando M. Tullius, quænam res ſint quæ fidem faciant, re- *In Topicis.* ſpondit: *Imprudentia, temulentia: pueritia & inſania fidem adſtruunt.*

Sic miſera veritas talibus perſonis indiget, ut in publicum prodere audeat: quæ cæteroquin toties in puteo Democriti ſepelitur, propter filiorum ſuorum opprobrium, quos parturire ſolet: verum nihilo- *Ap. Stobeum.* minus eſt quod Pindarus ait: *Veritas principia magnæ virtu-*

apud eundem. *virtutis promovet.* Et Pytagoras: *Tunc rem ſimilem Deo faciunt homines, cum veritatem exercent.*

Timor in loquendo.

Ex qualitate & conſtitutione Bovis, qui os largum habet, & lingvam grandem, ſed accentum nullum profert, hæc ſententia nata eſt: *Bos in lingva:* quibus verbis ii potiſſimum, juxta mentem virorum maxime eruditorum, indicantur, qui palam loqui de rebus iis, quas corde tegunt, verentur: ſicut bos, aperto ore mugit, ruminat, ſed nec ei potentia, nec articulata lingva ad loquendum eſt. Id quod non raró utilitatem ſuam habet, quandoque etiam damno eſt: alluſit, ni fallor, ad hoc Spiritus Sanctus, ubi ait: *Tempus loquendi, & tempus tacendi:* adjungit S. Gregorius: *Rectè ſcit dicere, qui ſcit ordinatè tacere.* Manutius tamen proverbium hoc, ſolidis rationibus & argumentis nixus, alio refert, ait enim: hoc *Bos in lingva* iis applicandum, qui auro corrupti obmuteſcunt: ſic ſigillo hac Cauſidicorum, & Judicum ora venalia clauduntur. Adagium autem illud à conſvetudine Athenienſium translatum eſt, qui bovem in monetis ſuis ſculpebant. Plinius meminit Servium Regem Romanorum in numiſmatibus ſuis hoc genus quadrupedum impreſſiſſe: qui deinde mos ad Græcos tranſierit. Refert Plutarchus primorum hominum divitias fuiſſe in pecoribus, & armentis, unde nomen peculii: ſicut pecunia de pecoribus nomen ſuum conſecutum eſt. Sic à temporibus Abraham, adusque tempora Job opulentiæ magnæ nomen, non niſi abundantia gregum metiebatur. Ita vero vel metu mulctæ, vel pecuniæ largitione corrupti, os ſuum comprimebant, de quibus dicebatur, quod bove, vel moneta illâ, occluſa eis labra ſint. Hanc veritatem Julius Pollux elucidat, dum ait: ipſam adeo monetam bovem vocatam fuiſſe: Hinc ſi quis ſtipendium, vel remunerationem, propter operam exhibitam, aut propter venditionem meruiſſet, lex ſcripta erat: *Tot boves illi dabuntur.* Valebat autem moneta hæc dragmas Athenienſes duas. Adjungit præmemoraus Pollux inter Leges Draconis Legislatoris inveniri memoriam hanc: *De pendendis decem bobus. Id eſt nummis decem.* Atque hæc ratio eſt, quod bos tantopere ab antiquis æſtimatus, & in pretio habitus eſt, ita ut ſimulacra ei erecta fuerint, & Apollini bos dedicatus. In una monetæ parte bos ſculptus erat, in altera facies Regis.

3. Moral.

De iis, qui muneribus corrupti tacent.

Bos monetis impreſſus.

lib. 18. cap. 3.

In Problem.

Moneta bos vocata.

In Diliac. Spectac.

Theognides ait: *In lingva mihi bos.* Phyloſtratus in vita Apollonii de Pythagora inventore ſilentii loquens ſic inquit: *Lingvam primus hominum coërcuit: bovem in illa, ſilentii inveniens decretum.* Ita Scopelianus Sophiſta: *Neque mirandum eſt ſi quidam lingvam habentes vinctam, bove ſilentii jam occupante.* Totum hoc confirmat Æſchylus: *Taceo cætera: lingvam occupavit bos quidem ingens.* Hoc genus boum macello infernali deſtinatum eſt.

Scopelianus.

Obſtinatio aperta.

Obſtinatio aperta, quæ quamvis ſana ratione & argumentis convicta fuerit, cedere nihilominus recuſat, & per modum incudis percuſſione malleorum magis induratur, quæ non ſecus ac maritimus ſcopulus quidam omnem illidentem undam ſalutaris & paternæ admonitionis repercutit, his tribus verbis exprimitur: *Lingva non redarguta.* Ad hoc dictum nobis lumen ſubminiſtrat, & fundamentum Plato dum ait: *Ut ſi videtur poſſe, reſponderis: Euripideum nobis quoddam accidet, lingva quidem nobis erit irredarguta, mens autem non erit irredarguta.* Quanto magis hi obſtinati redarguuntur, tanto magis obſtrepunt, & importuna dicacitate offendunt. Hunc ſerpentem S. Ambroſius de pectoribus omnium profugare ſatagit, dum ſic ait: *Abſit pertinax contentio in ſermone familiari.* Et S. Bernardus: *Obſtinati in ſuo ſenſu, ſunt peſſimi.* Et Auguſtinus: *Pertinacia non ſinit homines corrigi.* Vitium inter homines inſupportabile, Creatori abominabile, quod hominem ad interitum ducit, & ruinam, quia: *Cor durum male habebit in noviſſimo,* Spiritus Sanctus inquit.

In Theat.

De Reſurrect. Domini ſer. 3.

Epiſt. 20.

Eccl. 3.

Nemo eſt, etiam inter homines ſortis infimæ, cui non injuriæ diſpliceant: cum honor cuique mortalium innatus ſit, & una cum ſpiritu vitæ ſimul inſertus. Dixit hoc Stagirita: *Unusquisque graviter fert, honore privari.*

Injuriam facere.

Si cui mens autem adhoc deſtinata ſit, nunquam hominem, qualiscunque ille demum fuerit injuriis laceſſere, hac proverbiali ſententia indicabatur: *Non impetam lingva.* Hujus Proverbii author æſtimatur apud Manutium, Dionyſianus, & Ariſtophanes: *At lingva Athenas nunquam inceſſam mea.* Hoc adagium nihilominus cum majori proprietate ad eos ſpectat, qui male ominántur. Manutius ſic habet: *Rapiuntur dicta in omen, velut in augurium venturi mali, vel boni.* Pindarus in hinnitibus ſuis, inter alia præcipuis laudibus lingvam effert, quæ à ſiniſtris imprecationibus abſtinere novit: *privans malam lingvam voce dilucida.* Huc referendus Heſiodi verſus: *Haud ſolitum ſociis certare boniſve, maliſve.* In hunc abuſum, augurandi maledictiones, potiſſimum fœminæ dilabuntur, & de fæce populi homines: qui cum negotia non pro beneplacito ſuo ſucceſſerint, plerumque libertate lingvæ in diſſolutionem ſolvuntur, & videnter ipſi Deo conteſtationem indicere: unde etiam ſiquidem in omne genus infortunii inciderint, ſemetipſos malorum ſuorum fabros fuiſſe intelligant, cum quotidie hæc ſibi mala provocaverint.

Pindar. hin.

Imprecatio.

Heſiod.

Sermocinari prout caſus tulerit.

Quidquid in lingvam venerit proverbium eſt affine illi quod pari modo dicitur: *quiquid in buccam venerit.* Hoc de iis ſumendum, qui ſine retinaculo, caſu quodam quidvis proloquuntur, nulla habita ratione circumſtantiarum, nec quod inde non raro ingens ruina conſequatur, non ſolum in quos dictum illud vibratum fuerit, ſed etiam iis, qui ſic incaute garriunt. Lucianus hunc loquendi morem ſugillat dum ait: *Commiſcentes, affingenteſque, quidquid verbi temere, ut ajunt, in lingvam venerit.* Iſocrates grandis orator inter antiquos, ſe cum conſimili dicto excuſat, dum ait: *Similis videbor iis, qui temere & arroganter, ac futiliter, quidquid in mentem venerit, loquuntur.* Condemnat Gellius hos inordinatos affectus, dum ſic habet: *Malim indiſcretam prudentiam, quàm ſtultam loquacitatem.* Et Hugo Cardinalis Clauſtrales admonens, ut ne lingva diffluant, ſic ait: *Eſt tempus quando nihil, eſt tempus quando aliquid, nullum autem tempus eſt, in quo dicenda ſint omnia.* Hæc lingva in ſimilitudinem aquarum eſt, quæ niſi vallo & aggeribus prudentiæ coercitæ fuerint, facile campum ſanæ rationis inundant, & ſubmergunt. Itaque *Armatus Cantor meus* adhoc ſibi Dei implorabat tutelam, dicendo: *Pone Domine cuſtodiam ori meo.*

De ratione conſcribendi hiſtoriam.

lib. 1.

De Diſciplina monaſtica.

Lingva ſeorſum inciditur, & lingva præconi. Geminatum proverbium hoc, quod in eundem ſenſum coincidit, de mercede vel retributione intelligendum eſt, quod iis dari conſvetum eſt, qui nuncium lætum apportant. Sicut lingva victimæ dabatur olim auguri, vel nuncio præſagii fauſti, & proſperi: hinc ei hæc particula ſeorſim ſeponebatur, unde dictum: *Lingva ſeorſum inciditur.* Hoc adagium ab Homero in odyſſea uſurpatur, ubi ait: *Eja age, jam lingvas incidite.* Citatur Author ſententiæ hujus Caliſtratus: hic memoriam conſvetudinis hujus, de inſcidenda lingva victimæ, & danola nuncio, poſteritati reliquit. Docemur itidem his, non ſine remuneratione relinquendos eos, quorum opera in negociis noſtri uſi ſumus. Quod totum ad doctrinam gratitudinis ſpectat. Hæc virtus inter præcipuas eſt, quæ animum condecorare poſſit, ſicut è contrario vitium ingratitudinis maxime abominabile. Dicebat in hunc ſenſum Menander Poëta: *Acceptum beneficium remunerare, & iterum accipies: gratiarum actio, eſt gratia remuneratio.*

Merces data nuncio læto.

Remunerandi ſunt, quorum operæ uſi ſumus.

Mala & bona lingvæ.

Cum præterea innumeræ ſint utilitates & commoda, quæ per lingvam progerminantur: infinita penè dixerim damna itidem ſunt, quæ per lingvam proveniunt. Inſinuatur hoc interrogatione quadam, quam Suidas ad lingvam, quaſi cum admiratione format: *Lingva quò vadis?* quaſi diceret, inquit interpres, quod lingva potens ſit ad urbes fabricandas, & rurſum evertendas, & diſſipandas: Sic de Biante (quidam illud Pittaco Athenienſi attributum volunt) recenſet Plutarchus, quod cum à Rege Amaſi victimam dono accepiſſet, hoc inſuper mandato addito, partem illi & meliorem, & pejorem remitteret, ille evaginato cultro, & lingva exciſa, eam Latori dedit, his verbis: *Hanc affer Regi, ipſa enim de ſe loquitur.* Hæc enim nuncia bonorum & malorum dici poterat: in hujus poteſtate poſitum eſt exaltare quod vult, & rurſum deprimere: hæc verus Protheus eſt, quæ in omnes formas transfiguratur: Verus Chamæleon, quæ omnigenum colorum genus recipit: hæc in campum profert falſa ſimul & vera, prout ei libuerit: hæc revelat, hæc celat pro libitu ſuo affectus: Et ſi verum fatemur S. Jacobus inquit: *Mors & vita in manu lingvæ ipſa modicum quidem membrum eſt, & inflammat rotam nativitatis noſtræ: lingvam hominum nullus frænare potuit.*

De audiendo & de loquacitate.

Lingva ſenum mutari nequit.

Si quis forte ad operandum & exequendum aliquid accingatut, unde ei difficilis ſit, vel omnino impoſſibilis exitus cum utilitate, & fructu, his verbis inſinuari ſolebat: *Senis mutare lingvam.* Faciant ſenes quod voluerint, ut lingvam à conſveta forma locutionis ſuæ, quam à teneris contraxerint, deſveſcant, operam perdent, idque ob habitum longævum, & muſculos, nervuloſque induratos, uſumque jam inveteratum. Sic vanum eſt ſpem ſibi facere, fore ut à negotio feliciter nos expediamus, ad quod nulla nobis habitudo eſt: intempeſtivum ſemper, & fruſtraneum erit cœpiſſe. S. Hieronymus hanc ſententiam tuetur, dum ait: *Pius labor, ſed periculoſa præſumptio, judicare de cæteris, ipſum ab omnibus judicandum: ſenis mutare lingvam & caneſcentem mundum ad initia retrahere parvulorum.* Hoc proverbium in lingva noſtra ſic ſonaret: *E impoſſibile à navigar contr' aqua. Impoſſibile eſt contra torrentem niti.* Spiritus Sanctus ſic habet: *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Arbor in eam partem, inclinari nequit, in quam à prima plantatione & incremento ſuo inclinata non eſt: ſic Ovidius inquit:

Vanum eſt à conſvetudine inveterata deſveſcere velle.

In præfat. in Evang.

Quæ præbet lætas arbor ſpatiantibus umbras,
Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus ſumma tellure revelli,
Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.

Hinc apparet, cum quanta cura & ſollicitudine tenera juventus inſtituenda & in moribus informanda ſit. Ampliſſimus in hoc genere quæſtionis mihi campus pateret, ſed ne in uno ſolum documento diſtinear, præfatum proverbium, proverbio altero confirmabo. *Senex pſittacus negligit ferulam.* Inſtruere pſittacum jam ætate maturum, eſt laborem ſuum perdere. Hic ſenſus ab Apulejo authoritatem ſumit, qui de hoc volatili ſic habet: *Quæ ruſticum ſermonem noſtrum cogitur æmulari, ferrea clavicula caput tunditur, imperium Magiſtri ut perſentiſcat; hæc ferula diſcenti eſt. Diſcit autem pullus usque ad duos ætatis annos, dum facile os, uti conformetur, dum tenera lingva, uti convibretur: ſenex autem captus indocilis eſt, & obliviosus.* Confrontatur dictum hoc, cum illo altero: *Serum eſſe canes vetulos loris aſſvefacere.* Et illud Juvenalis:

In lib. Florid.

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Idcirco Ariſtoteles ſcriptum reliquit: *Non ſolum pueri erudiendi ſunt in arte utili, & neceſſaria: ſed etiam in artibus liberalibus, & honeſtis.* Et Ageſilaus Rex ille magnus ſcribebat: *Et pueri diſcant, quibus ſunt ſenes uſuri.* In navigatione vitæ hujus, non eſt alia dos, non aliud ſtipendium quod educationi bonæ prævaleat.

Politic. 8.

Sed ſicut qui probè loquitur laudem ſuam conſequitur, ſic non minus qui tacere novit: quod univerſum hoc adagio demonſtratur: *Clavis in lingva.* Clavis ad claudendum, & tempore ſuo aperiendum facta eſt. Hoc proverbium ab Æſchylo deſumptum eſt, ubi ſic habet: *Et noſtra profert lingva cuſtodem clavem, quoties fidam ſilentii ſpem pollicemur.* Hic locus à Clemente Alexandrino in doctiſſimo libro Stromatum citatur: quem etiam Sophocles authenticat: *Quorum aurea clavis inquit lingvam coërcet initiatorum: quod dixit, quod lingva veluti clave obſerata ſit, ne revelet myſteria.* Huc referendum Luciani carmen:

Taciturnitas laudabilis.

lib. 50. in Oedipo.

Arcanum ut celet, claudenda eſt lingva ſigillo.

Præceptum illud Pythagoras ſuggeſſit: *Lingvam ante omnia contine Dei exemplo.* Quandoquidem vero de his ſupra jam abunde ratiocinati ſumus, in hoc dicto punctum facio, ſicut & præſenti capitulo, procendo ad

HISTORIAS, RITUS, OBSERVATIONES, & CONSUETUDINES.

OBſervat doctiſſime Marcus Varro (qui de perfectione veri latiniſmi ſcripſit) quod lingva dicitur à lingendo: hæc enim figuræ rotundæ, id quod ori ingeſtum eſt, deprimit, atque ita componit, ut à faucibus ad ſtomachum feratur. Non poſſum autem quin paulo ſim prolixior hic in ſententia quadam Hugonis de S. Victore: qui effectus lingvæ mirabiliter deſcribens, ſic habet: *Lingva dicitur quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo, ligat, & ligari non poteſt: labilis, & teneri non valet, ſed labitur, & fallitur: labitur ut angvilla, penetrat, ut ſagitta: tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, ſeminat diſcordias: uno ictu multos percutit, & interficit: Blanda eſt, & ſubdola: lata, & parata ad exhaurienda bona, & miſcenda mala: qui cuſtodit lingvam, cuſtodit animam.*

lib. 2. de Anima.

Hæc inſtrumentum eſt ad loquelam: unde refert Diodorus: in certa quadam Oceani Inſula, verſus meridiem, inveniri genus hominum, qui lingvam ſic diviſam habeant, & ſeparatam, ut non unam ſed duas eſſe dixeris, quæ ab una tamen radice prodeant, Hi reſpondere, clamare, affirmare & negare ſimul unico flatu poſſunt: variarum etiam avium diverſos cantus æmulantur.

lib. 2. Cult.

Lingva bipartita.

S. Gregorius Nazianzenus longiſſimam Elegiam de lingva format: quam cum æſtimem huic loco nimium prolixam, ſuffecerit finem ejus huc collocare:

Carm. 54. de Silent. jejunii tempore.

Lectori meo liberum relinquens, ſi ſic viſum fuerit, ex ipſo fonte reſtingvere ſitim ſuam. Itaque concluſio ſic ſonat:

Illa malum inſontem reddit, juſtumque nocentem:
Rurſus adinvertit. Quis rogo tanta poteſt?
Lingva quidem parva eſt: at viribus omnia vincit.
O utinam illa malis protinus occideret!
Porrò cùm ſtultis fraudem ferat omnibus illa,
Eſt mage ſacrificis exitioſa tamen.

Lingvæ olim diis ſacræ comburebantur.

Hæc lingva ab antiquis tantam habuit & venerationem, & pretium, ut Diis eam dedicârint, prout in Capitulo Dedicationum luculentus patebit: quibus ſacrum inſtitutum erat, lingvas comburere, ne forte (ſic ajebant) tam nobilis pars, putredini & corruptioni daretur: quod in Hieroglyphicis jam vidimus. De quo item Euſthatius copioſe tractat. *In 3. Odyſſea.*

Primus lingvæ inventor.

Primus Adam locutionis inventor fuit, tum cum omnibus creatis nomen ſuum impoſuit, quod poſtea copioſa ſynonimorum ferocitate dilatatum eſt. Disturrebant olim diſtinctè homines illic, ubi Turrim Nemrod fabricaſſe leguntur, ſed hæ lingvæ invicem confuſæ, ab unione ædificantes ſepararunt, ex quo factum, ut poſthæc in lingva genti ſuæ vernacula quisque ſe, mentemque ſuam exponeret, unde Gentium nata eſt diverſitas. Genebraidus antiquus obſervator (prout vult Cornelius à Lapide) in expoſitione ſeptuaginta duorum interpretum, Hebraicam lingvam matricem reliquarum omnium eſſe inquit, & ex hac Syriacam generatam eſſe: quidquid contra ſentiant, Plutarchus, M. Tullius, Laërtius, & alii, qui Chaldaicam primam fuiſſe cenſent, & Chaldæos primos verba ſubminiſtraſſe Hebræis. *Ex Diogene Laertio.* A Syriaca deinceps propagata eſt Arabica: Latini Italis Authores lingvæ ſunt: Valachicæ lingvæ, Hiſpani, ſimul & Galli originem ſuam debent. De Græca Doricam natam ajunt, ſicut & Jonicam, Æolicam, Atticam, Sclavonicam, Polonicam, Bohemicam, Moſcovicam, & alias. Authumant item à Germanica ortam eſſe Helveticam, Anglicam, Flandricam, Tartaricam, ejusdemque proles Thracicam, & Sarmaticam. De lingva Abyſſinorum inquiunt ortam Æthiopicam, & Sabæam. Admirabile enimvero, ſic inquit præfatus Author, quod in tam exiguæ terræ ſpacio tanta nihilominus ſit lingvarum multitudo: ita ut non ſolum paucorum dierum itinere, ſed ſæpe etiam Leucarum vel milliarum paucorum intercapedine jam accentuum ſe diverſitas prodat, ſicut & expreſſio non uniformis, nec pronunciatio.

Exhinc nihilominus elevari mens humana poterit ad omnipotentiam ſummi Creatoris conſiderandam, qui tantam in orbe idiomatum varietatem plantavit, unde non minus etiam ſua homini utilitas enaſcitur, & commodum. Sic enim ait S. Proſper: *Diverſitas lingvarum utilis fuit humano generi, ut habitando orbi terrarum darentur Incolæ, maliqne diſpergerentur.* *lib. 2. de vocat. Gentium.*

Usqueadeo peregrinantibus utile eſt, magnique momenti diverſitatem lingvarum noſſe, ut ex hoc Dietarum ſtabiliri poſſint conventus, & promoveri commercia: hæc ſcientia polyglottorum neceſſaria eſt ad ulteriores ſcientias acquirendas: doctos reddit, & in diverſarum nationum ritibus, & conſvetudine verſatos. Gerion Rex à Mythologicis terni corporis figura fingitur: erat enim diſputator eximius, & ſophiſta, tres inſuper callebat lingvas: victus autem dicitur ab Hercule non lingvarum copia, ſed cognitione rerum, & fundamento ſapientiæ. Sic de Erichtonio fabula exprimit, quod Vulcani filius biformis fuerit: à pectore deorſum, quod reliquum corporis erat Draconis fuiſſe, partem ſuperiorem hominis: idque ob utriusque lingvæ Græcæ & Ægyptiacæ peritiam. *Natal. Com.* Referunt Aulus Gellius, & Valerius Maximus de Mithridate Rege Ponti, & Bithyniæ, quod viginti & duarum lingvarum notitiam habuerit, unde nunquam indiguerit interprete: magnum enimvero in Principibus emolumentum, nunquam in relationibus deceptioni ſubjectos eſſe. *lib. 9. c. 27. lib. 17. c. 17. lib. 8. c. 7. lib. 17. c. 17.* Citatus Gellius de Quinto Ennio poëta meminit, quod ſe tria poſſidere corda dixerit, ob trium videlicet lingvarum cognitionem, Latinæ, Oſcæ, & Græcæ.

Cleopatra magna illa Ægypti Regina (quæ magnum nominis ſplendorem meruiſſet, niſi famam ſuam incendio impudico flammarum, & amoribus M. Antonii obſcurâſſet) usque adeo lingvarum ſtudioſa fuit, ut poſthæc varia Legatorum dubia, Æthiopum, Troglotitarum, Hebræorum, Arabum, Syrorum, Medorum, Parthorum, aliarumque alienigenarum nationum, cuique in lingva ſua ſolveret: ſic Plutarchus de ea teſtificatur. *Plutarchus in Antonio.* S. Hieronymus de S. Epiphanio Salaminæ Epiſcopo commemorat, eum quinque lingvis condemnationem ſcripſiſſe Origenis. *In Apol. adver. Rufinum.* Ita ut non immerito dici poſſit, hanc viri ſacram eloquentiam tantundem ad nationes emanaſſe, quantum ſacer ille calamus fluviditate ſua celeber erat, gloria fidei noſtræ, & ſacroſancti Codicis dilucidus explanator.

Sabellicus, & Platina Reginam Amalezunthem filiam Theodorici Regis Oſtrogothorum, ſummis laudibus & encomiis ad cælum usque extollunt, quæ videlicet lingvarum illarum, quæcunque à partibus iſtis, ad ultimos usque tam vaſtos ſacri Imperii fines extenduntur, nullam ignoraverit: quod privilegium alioquin ſoli Mithridati & Cleopatræ hactenus attributum fuerat. *lib. 2.* Hoc lingvarum dono, juxta Creſpinum, Carolus Magnus ornatus erat, unde & Aquisgrani Michaëlis Rancabis Imperatoris Græci Legatos in vernacula lingva ſua loquentes audivit. Ejusdem doni participatione inclytus erat Fridericus ejus nominis ſecundus Imperator, prout Leander compatriota meus ſentit. Non ſine ratione magnus ille Taſſius de Godefrido pio inquit: *Molto egli opero col ſenno, & con la mano.* Hoc eſt: *Multum ille ingenio, manibusque operatus:* quemadmodum enim Æmilius refert, lingvarum illarum peritia, eum ex diverſis partibus diſperſos coadunaſſe Principes Chriſtianos, ad acquirendum ſacrum illud depoſitum & ad laudtbile illud & ſacrum facinus recuperandi ſepulchri Dominici exequendum. *In Italia lib. 4.* Ejusdem peritiæ erat Carolus Imperator ejus nominis Quartus, ſicut Cuſpinus author eſt. Sic Matthias Corvinus Rex Hungariæ (referente Bonfinio) omnes Europæ lingvas noverat, præter Turciam, & Græcam. Idem Author de Maximiliano ejus nominis primo commemorat, eum ab infantia ad annum usque ætatis ſuæ nonum quaſi elingvem, mutumque fuiſſe: incremento autem vitæ, usqueadeo feliciter illi lingvam ſolutam, ut expeditiſſime, & cum ſtupore audientium Græcum ſimul, & Latinum, & Italicum proloqueretur. De ejusmodi portentis, quæ propemodum indies audiuntur, hæc tibi pauca retuliſſe, benevole Lector, ſuffecerit.

Varietas lingvarum rejecta.

Inventæ ſunt econtra nationes aliæ, quæ ſicut illi ſuperiores omnigenam lingvarum notitiam, & literaturam tam eximiam in deliciis poſuerunt; ita hæ omnem adeo lingvam, exceptâ patriâ, à finibus ſuis arcebant, & explodebant. De Carthaginenſibus Cælius & Alexander referunt, quod in bello contra *lib. 22. c. 17.*

Dionyſium Regem Siculum geſto, videntes ſe ab Græcis traditos, ſtabiliverint unanimi ſenatus conſenſu, ne posthæc cuiquam liberum eſſet Græcorum ſtudiis vacare, aut eorum lingvam addiſcere. *lib. 2. c. 30.* De Cajo Mario ſtrenuo milite, qui ſepties conſularem lauream capite ſuo geſtavit, recenſet Plutarchus, eum nunquam Græcam lingvam, etiam dum res ſeriæ agerentur, vel deguſtare voluiſſe: Et poſt alterum triumphum ſuum, cum caſu quodam in domum perveniſſet, ubi pro nationis Græcæ conſvetudine ſpectacula exhibebantur, & ejusdem gentis idiomate ſermo fieret ipſe vixdum conſederat, cum repente ſe levat, & diſcedit. *In Mario.*

M. Tullius de ſemetipſo recenſet, ſe in ſenatu graviter accuſatum, qud Syracuſæ Magnates idiomate græco allocutus fuerit. *In Verr.* Tyberius Imperator lege ſancivit, ne cauſa ulla nec forenſis nec civilis græco ſermone ageretur: cumque Centurio quidam teſtimonium in ſenatu hac lingva dare contenderet, eum à ſenatu & gradu ſuo removit. M. Cato Cenſorius (prout Plinius & Plutarchus meminerunt) ſicut erat Romanæ diſciplinæ obſervator ridigiſſimus, ſic eloquentiæ ventoſæ græcorum, & fucatæ dicacitatis infenſiſſimus hoſtis erat: hanc enim lenocinium eſſe ajebat, quod captivatos animos, à ſtudio bonorum averteret. *Lib. 29. cap. 1. In Cat.*

Carneades Academicus, & Diogenes Stoicus comparuerant aliquando, tanquam Græciæ Legati in Romanorum Senatu: ad quos audiendos confertim advolabat juventus, allectata venuſtate, & dulcedine eloquentiæ, quam in Carneade noverat. Cato ſuper hæc ſtomachatus dixit: frangi hac mollitie dictionis adoleſcentum pectora, ut deinceps loricam & caſſidem odiſſent: cumque Oratores hi prolixius fabulati remunerationem ſtudiorum ſuorum requirerent: conſilium ſuggeſſit Cato, idemque perſvaſit, ut ſub ſpecie honeſtatis apparentis hi viri dimitterentur à ſe, ne forte ſiquidem illic eos commorari longius contingeret, flos juventutis corrumperetur. Hinc Iſocratem ille & loquacem, & ſeditioſum nuncupavit, qui ſub frontiſpicio quidem ſe inſtitutorum antiquorum obſervatorem videri vellet, cæterum tyrannidem ſpectaret. Sic diſcipulos Iſocratis irridebat, dicendo: inveteraſcere illos in hac lingva velle, ut deinceps cauſam agerent in Erebo. Revocavit autem filium ſuum ſine mora ab hujus lingvæ ſtudio: non immerito vaticinans fore, ut Romanum Imperium, Græcorum tyrannide occupatum, corrueret: quamvis poſtea lapſu temporum, contrarium huic vaticinio evenerit. Ita vero vir hic Græcum ſtudium omne repudiavit, quod tamen elegantiſſimum omnique laude dignum eſt. Sic denique verum eſt, quod cum quisque genium ſuum amet, opinionem ſuam propriam tuetur, amat pariter, & amplectitur lingvam & idioma patrium.

APOPHTEGMATA
ET SENTENTIÆ.

Usque huc in formali locutionis potius, quàm in materiali lingvæ conſideratione verſati ſumus: quæ materia nihilominus ad lingvam referenda eſt, quippe quæ inſtrumentum, & organum locutionis eſt. Proſequar nunc in lectione tam utili, tanquam dogmatica, in Apophthegmatis inquam, & Philoſophorum ſententiis nervoſis: quas tamen hic non omnes allaturum me jacto, cum tanta ſit earum copia, quanta eſt univerſa lingvæ materia, quæ infinita eſt, non minus ac ſapientium eorum numerus, qui de hac ſcripſiſſe noſcuntur.

Ut vero his paginis meis nil deſit, ea pro viribus allaturus ſum, quæ nervum habeant, & emphaſim. Primum in medium prodit Pythagoras, homo tam eximiæ olim authoritatis, qui ajebat, tolerabiliorem eſſe plagam gladii, quàm lingvæ; hæc enim vulnus infligit animabus, quæ ſine comparatione nobiliores ſunt corpore. *Val. Max. ſer. de Locuſt.* Dicebat Chilo nunquam permittendum eſſe, ut lingva præcurrat mentem, hoc elegans dictum poſteritati relinquens: *Neſcit vox miſſa reverti.* Sæpius inculcabat hanc potiſſimum inter convivandum refrenandam eſſe, ubi absque hoc jam intemperantiæ incitamenta & fomenta ſunt, eſculentorum & poculentorum abundantiâ, his verbis exhortans: *Ubi plus periculi, major eſt adhibenda cautio.* *Laert. lib. 1. c. 14.* Interrogatus item quid ſit in homine retentu maxime arduum & difficile, illud inquit per quod cordis abdita revelantur. De Biante legitur, quod cum adoleſcentem perperam garrientem, & prout caſus ferret, ſine modo, ſine fine fabulantem audiſſet, ſic eum allocutus fuerit: an poſſibile eſt, te tam in loquacitate bene inſtructum, non ſimul etiam taciturnitatem didiciſſe? *Stobeus.* Idem de Zenone refertur, qui cum juvenem audiſſet inter poculorum profluvia largius fabulantem, cum ſeveritate eum reprehendit, his verbis: *Aures in lingvam defluxêre:* alludendo ad hoc, quod cum binas nobis aures provida natura dederit, lingvam unam, hic blatero lingvam geminaverit: docuit itaque, plus audiendum, quàm fabulandum eſſe. *Laert. l. 7. c. 1. Max. Serm. 60.*

Pericles grandis ille Orator, & miles cum dicendum ei eſſet ad populum, hoc impenſe deſiderare ſe ajebat, ut ne verbum de ore ſuo prolaberetur, quod populi ſugillare aures, præſertim verò morigeratas poſſit. Theocritus cum Byzantium veniſſet, eosque cerneret gula ſemper patente, torrentes verborum profundere, non immerito hæc dixiſſe fertur: non ambigendum eſt, hos omnem ſuppellectilem ſuam in ore gerere, omnemque domum ſuam palam exponere. *Ælian. lib. 4. de var. hiſt.* Hic rurſum Anaximenem hominem quendam obvidens, qui tum quidem temporis coram populo perorabat, ſic ait: *Incipit verborum flumen mentis gutta:* habere eum loquacitatis multum, ſapientiæ parum redarguens. *Stob. Serm. 3.* Crates Thebanus videns hominem famæ ſat ſiniſtræ, ambulare ſolitarium, interrogat, quid hic agat: mecum ipſo loquor, reſpondit ille: cui Crates, vide ne cum homine malo. Solon de modico intellectu cenſuratus, eo quod nil penè loqueretur, reſpondit cum eleganti improperio: ſtultorum eſt, tacere non poſſe. *Senec. Ep. 10. Bruſon. l. 3. Plutar. in Locanic.* Carilaus interrogatus aliquando curioſius, qua de cauſa Lycurgus Spartiatis tam paucas leges præſcripſerit, reſpondit vir prudens, paucæ leges conveniunt iis, qui pauca ratiocinantur: alludens ad Laconiſmum; uſum nempe eorum, quo non niſi paucis ſeſe explicare verbis tenebantur.

Oratores Samii coram Cleomene olim comparuerant, oratione ſat prolixa precantes, ut junctis viribus, unà bellum contra tyrannum Polycratem iniret: quibus Philoſophus ille & Princeps argutum hoc reſponſum dedit: *Quæ primo loco dixiſtis non memini, ob id media non intelligo: quæ omnium dixiſtis poſtrema non probo.* *Plut. in Lacon.* Arguens per hæc, multiplicitatem ratiocinationis non ſolum moleſtam eſſe auditori, ſed omnino etiam ad perſvadendum inutilem, præſertim ſi coram Principe ſermo eſt, quibus multiloquio tanto intereſſe non vacat, hinc promptiſſime expediri volunt. Præfatus ſapiens riſiſſe nunquam viſus eſt ex corde (ſic Plutarchus refert) riſit autem, cum ſermone quidam multum copioſo, fortitudinis ſuæ propriæ, & magnanimitatis encomia prædicaret: interro-

gatus quid ei riſum excitaverit: reſpondit: rideo amice, quia ſi hirundini datum eſſet ſic loqui poſſe, riderem non minus, ſed ſi aliter faceret, cum ſilentio auſcultarem: ineptiam hominis vani explodens, qui tam audacter de fortitudine garriat, nullum fortitudinis experimentum habens.

Reſponſum cum maturitate omni ponderatum, digniſſimum lectu eſt, & omnibus commendandum, quod Ageſilaus dedit ei, qui Rhetorem quendam encomiabat, quod res modicas amplificare & extollere poterat: Et ego, inquit Rex, ſartorem illum vituperio potius dignum judico, qui veſtimentum homini, pro quo laboret, largius facit quàm conveniat corpori induentis. Unde loquacitatem nimiam in vitio habendum eſſe docuit. Scribit Plinius, lingvam binas adeptam eſſe venas, quarum una tendat ad cor, altera ad cerebrum: inſinuari per hoc, ſermonem noſtrum cordi noſtro conſonum eſſe oportere, tum verò etiam cum judicii maturitate pronunciandum. *Plutar. de Phocion.* Alexander M. cum literas Matris contra Antipatrum ſcriptas amico ſuo legiſſet, ubi cauſæ accuſationis, & calumniarum recluſæ erant, extracto annullo ſigillatorio (prout ſupra dictum) eum ori ejus impreſſit, indicans per hoc, cum quanta ſcilicet cautela ſint arcana Principum cuſtodienda.

Cato dicere ſolitus eſt, impoſſibile eſſe mederi illi, qui addictus multiloquio ſit: ubi enim tanta eſt, tamque effrænata lingvæ licentia, ita ut intra limites *Bruſon. lib. 3. cap. 25.* ſuos contineri non poſſit, inſania non ſanitas ſperanda eſt. De Rodiotto homine quodam ſic Plutarchus meminit, eum aliquando Miniſtrum Imperatoris confudiſſe, qui in gradu & dignitate hæc ſibi multum applaudens, neminem ſe ſuperiorem agnoſcere arroganter jactabat: reſpondit Rodiottus: Ego vero hanc garrulitatem tuam facile contemno; ſed noſſe velim quomodo Imperator tuus te ſufferat; loquacitas enim effectum nullum conſequitur: ſilentium certiora habet conſilia.

Quintilianus ſcripto reliquit, Pompeium Ciceronis eloquentiam eouſque habuiſſe in odio (ut verum fateamur periodis ſuis, & clauſulis, membris *Lib. 3. De rebus Geſtis Alphonſi.* admodum prolixam) ut ſæpe illud de eo dixerit; utinam ad hoſtes tranſiret: ſubindicans illic eum ſupplicem futurum, qui Romæ tam contumax erat. Alphonſus Imperator cum audiret hominem præter rationem, & plus æquo loquentem, dicere ſolebat: hujuſmodi loquaces adimpleri vento inanitatis, non ſecus ac utres & veſicas aqua turgidas, & inflatas. *Panorm. l. 4.* Hinc facetum eſt, quod Æneas Sylvius de Ennio Seneſe refert: erat hic Petri Licinii celebris Aſtronomi ſed podagrici amicus, qui pedibus tanquam clavis affixus, tanto liberiorem linguæ ſuæ curſum permittebat: Ennius tot verborum profluvio ſatur, videt caſu quodam tranſire famulum, quem ad ſe venire jubet, & heus tu, inquit, obſecro ut me onere iſto ſubleves: Hic podagricus enim, tam oneroſo aures meas multiloquio adimplevit, ut non eſſet ultra, quo reponerem. Hic idem author ſolitus erat dicere: ſapientis eſſe, plus operari, parcius loqui. Virum prudentem non niſi neceſſitate ſic exigente loqui: proferre vana, ſed benè ponderata, & ſenſata. Sed quibus mediocre eſt indicium, his quodvis tempus, quivis locus, quæque res opportuna videtur ad garrulitatem: qui ſic loquuntur, non niſi aërem & inane verberant ſine fructu. Hæc igitur de dictione & verbis, quippe quæ homogenea lingvæ ſunt, attuliſſe ſufficiet.

DEDICATIONES.

NON ſic antiquitus in paganorum nationibus, Hercules fortiſſimum eloquentiæ Numen creditus eſt, qui videlicet (prout ſupra relatum eſt) catenis ſuis de labiis ſuis prodeuntibus, turbam poſt ſe hominum trahebat, ut non etiam, imò potius majoris facultatis eſſe crederetur Mercurius, Jovis caduceator & Legatus: qui alatum caput atque pedes geſtabat, denotans promptitudinem, qua Miniſtros Principum dotatos eſſe oportet. Sed ut lingvæ quoque fortitudinem in perſvadendo demonſtrarent, eum præſidem hujus membri, atque Anteſignanum ſtatuerunt, unde munera quoque, & ſacrificia eidem litabantur. Si Mathematicis credimus, qui ſub hujus ſideris conſtellatione nati ſunt, in verbis ſuis eloquentes & facundi erunt. Nec abſque fundamento tamen materiali hæc dedicatio ei facta eſt: traditur enim Hermes Triſmegiſtus cum in vivis eſſet, ordinem dictionis docuiſſe, obſcura multa ſolviſſe, dediſſe nomina rebus quamplurimis, denique ſcientiarum, & profeſſionum multarum Inventor fuiſſe. Invenit hic (ut volunt) Deorum cultum; actio quæ ſine magna eloquentiæ virtute perſvaderi non potuit. Quandoque ore tenens tubam depingitur, ut magna dictionis ejus energia exprimeretur: plures etiam veroſimilius ajunt, cum Mercurii mentio fiat, de humana ratiocinatione id intelligendum, per quam homo ab irrationabilibus animantibus diſtingvitur. His rationibus adducti Ægyptii, mirum non eſt, ſi huic Numini non ſolùm lingvam dedicarunt: ſed omnia omnino ſcripta, meditationem omnem, omne argumentum, ab hoc derivare opinati ſunt; hinc ſub auſpicio hujus, tam literæ, quam ſectiones, leges, ſtatuta & decreta ſubſcribebantur. Nec vero caſu quodam hanc ſibi famam conciliavit, Zeleucus enim, atteſtante Valeriano refert (ſtet tamen fides penes Authorem) eum in collectione principiorum univerſalium explicando, doctrinam ſuam in viginti duobus millibus voluminibus compilaſſe. De his accuratam memoriam habet Jamblicus Author inter Græcos ſummæ æſtimationis.

Interim credamus nos Chriſtiani ſacrum Mercurium, verumque caduceatorem & Legatum inter Deum, hominemque orationem eſſe. Non hic extendar tamen, prout alibi jam memoratum eſt, ad hoc probandum: nec enim deſunt in orbe terrarum volumina ſacra numero copioſiſſima, quæ hanc veritatem confirmant, ita ut hic exiguitate capacitatis meæ nemo indigeat. Dixerim id ſolum, Orationem Mercuriũ illum eſſe, qui fideliter & ſine mora temporis legationem noſtram ad thronum usq; Dei portare poſſit, tum proinde ſtipatus veritate (ex adverſo alterius Legati, qui non niſi refertus mendaciis nos accedit) deſideratum nobis reſponſum refert. Dixit hoc inter alios S. Baſilius in pſalmum vigeſimum nonum: *Domine Deus clamavi ad te, & ſanaſti me: nihil medium, nullumque intervallum fuit inter meam vocem, & tuam gratiam, ſed ſimul atque clamavi, ſanitas prodiit.* Condecorat Orator hic, & exornat quamcunque domum, ubi ſedem ſuam fixerit, quam utiq; in Paradiſum convertit. In hunc ſenſum S. Ambroſius inquit: *Multi minimi dum congregantur unanimes ſunt magni: & multorum preces impoſſibile eſt contemni.* *lib. de Pænit.* Ferri acumen non eſt, aut fulmen ullum, quamvis in Vulcani officina temparatum, quod hoc ſcutum penetrare poſſit: ſentit hoc præfatus Ambroſius: *Bonum ſcutum oratio, quo omnia adverſarii ignita ſpicula repelluntur*: *In obitu Valentin. Junior.* Exhinc colligatur quantum noſtra interſit, ut hoc ſcuto ad tutelam noſtri rite utamur: ut hunc hoſpitem benevole recipiamus, ut huic Mercurio, & ſacro Numini lingvas noſtras conſecremus.

NOTÆ ANTIQUORUM SUPER LITERAM L.

OBſervationem nullam literarum in tractatu de ore adduxi, nec enim Phyſiognomum, aut præterea literatum quempiam inveni, qui huic literæ multum intenderit: ſed quandoquidem hic tangendo lingvam inter veteres L. litera ſignificabatur, partium mearum duxi ejusdam notas hic in medium proferre, ut appareat eam non minus reliquis in veneratione & pretio fuiſſe. Itaque L. ſimplex denotabat: *Lucius: Lælius: Libertus: Lector: Lollius.* L. A. *Lex alia.* LA. C. *Latini coloni.* L. A. D. *Locus alter datus.* L. Æ. *Lucius Ælius.* L. AG. *Lex agraria.* L. AN. *Quinquaginta annis: Lucius Annius.* L. AP. *Ludis Apollinaribus.* L. ADQ. *Locus Adquiſitus.* LB. *Liberi.* L. BIB. *Lucius Bibulus.* L.BO. *Lex boaria.* L. B. P. *Locus bene poſſeſſus.* LC. *Locus.* L. C. *Latini Coloni. Lucius Cornelius. Libertatis cauſa. Latini Cives, ſive Conſules.* L. S. *Luctum ſacrum. Locus ſacer.* L. CENS. *Lucius Cenſorinus.* L. CIN. *Lucius Cinna. Lex Cincia.* LD. *Laudandum.* L. D. *Locum deditum. Lucrum dedititium. Legem dat.* L. DD. *Locus Deditus.* L. D.D. *Locus dono datus.* L.D.D.D. *Locus datus decreto Decurionum. Libens dono dedit, dicavit. Libens dato decreto Decurionum.* L. D.D. *Locum Diis dicavit.* L.DIV. *Locus divinus.* LEG. E. D. *Lege ejus damnatus.* LEG. *Legio.* LEG. X. *Legionis decimæ.* L. EMP. *Locus emptus.* L. F. *Lucius filius. Lucius Flavius. Lucius Flaminius.* L. FIL. *Lucius Filius.* L. FU. *Lucius Furius.* LG. *Legatus. Leges. Legatum.* LG. D. *Legem dedit.* LG. EG. *Lege egiſſe.* LG. F.S. *Legem fecit ſuam.* LG. PM. *Legem promiſit.* LG. S.F. *Legem ſuam fecit.* LG. S. J. *Legem ſervare juſſit.* LG. S. P. *Legem ſuam præcedit, vel promiſit.* L. *Lucium hunc. Locus hæredum. Locus hæreditatis.*

LIB. *Libertas. Libertus.* L. J. D. A.C. *Lex Julia de Adulteris coërcendis.* L. J. D. A. AG. *Lex Julia D. Auguſti.* L. IJ. *Locus injuriæ.* L. IJ. Q. *Lex Injuriæ Quiritum.* L. IMPL. *Locus Imperialis.* L.I.F. *Locus inter fines.* LITR. *Literæ.* LL. *Lælius.* L. L. *Lucius Libertus. Livii Libertus. Laudabilis Loci.* L. L. L. *Lucii liberti locus.* L. L.L. M.M. *Lacerat lacertum Largii Mordax Memmius.* L. L. Q.E. *Libertis Libertabusque eorum.* L. LUC. Q.F. *Lucius Lucii Quinti filius.* L. M. D. *Locus mortuis dicatus. Locus Manibus dicatus.* L.M. *Lucius Muræna. Locus Monumenti. Locus Mortuorum.* L.MAN. *Lucius Manlius.* L. MU. *Lucius Muræna.* L. H. *Latini hominis.* L. NN. F. *Lucius Nonnius Fauſtinus.* LONG. P. VII. L. P. III. *Longum pedes ſeptem, latum pedes tres.* L. P. *Locus proprius. Lege publica. Latini Priſci. Locus publicus, aut privatus.* L. P. C. R. *Latini Priſci Cives Romani.* L. P. D. *Locus publicè datus.* L. PL. *Lex Plebeja. Locus publicus.* L. Q. S. *Locus qui ſupra.* L. Q.S.E. *Locus qui ſupra eſt.* E.L.R. *Locus Religioſus. Lex Romana.* L. RU. *Lex ruſticana.* L. R. J. *Lex Regis juſta.* L. S. *Laribus ſacrum. Locus ſacer. Lucius Samius.* L. SC. *Locus Sacer.* L. S. DEN. *Lucius Sicinius Dentatus.* L.S.PAL. *Loca ſacra Palatii.* L. T. *Lucius Tatius. Legem tulit.* LT. PP. *Latini Patres.* LV. *Quinquaginta quinque.* L. V. *Lex Vetus.* L. VAL. *Lucius Valerius.* LUCRE. *Lucretius.* LUD. APOL. *Ludi Apollinares.* L. VOC. *Lex Voconia.* LUD. SÆC. *Ludi ſæculares.* LX. *Sexaginta.*

Atque hic finem ſtatuamus, ne forte nimia harum noſtrarum copia in vanum hæc folia adimpleat. Hæc vero dicta ſint, ut per corporis partes, Amice Lector, tanquam per characteres loqui noveris: tum deinde ut tibi via ſternatur ad intelligendam qualemcunque inſcriptionem antiquam, vel modernam, quæ forte, ut caſus tulerit, his literis contexta, vel compoſita fuerit. Interim tu, quæ offeruntur excuſata velim habeas, ſicut & quæ imperfecta repereris, æquo animo acceptare ne dedigneris.

EPITHETA

EX omni adeo parte perfecta erit ſemper, & numeris ſuis clauſa, ſemper erudita deſcriptio, quæ adjunctis vel Epithetis ſuis rite adornata fuerit, tam quod iis qualitates & internæ, & externæ optime exprimuntur, quam quod eorum authoritas, tot Claſſicorum, tot Oratorum, tot Poëtarum atteſtatione ſolidatur, ex quo provenit, ut, ſi dici par eſt, pene inemendabilis oriatur compoſitio. Adducam igitur huc nonnulla, quæ pro modulo capacitatis meæ, mihi maximè nervoſa videntur, & ad materiam præſentem accommoda: ſed qui velit omnia, & ſingula proferre, idem fecerit, quod qui adaugere aquas maris tentaverit. Poëta Sulmonenſis primus in Scenam prodit: in Phædro lingvam conantem vocat: *Ter conata loqui tecum, ter inutilis hæſit Lingva.* In libro decimo tertio ſtolidam appellat: *In Ep.* *Neve in me ſtolida convicia fundere lingva.* Subdolam in arte amandi: *Fac titubet blæſo ſubdola lingva ſono.* Amaram ibidem: *Eſte procul lites, & amara prælia lingvæ.* Blæſam in libro tertio: *In Ibin.* *Blæſaque ſit juſſo lingva coacta ſono.* Item protervam: *Lib. 11.* *Sic fit in exitium lingva proterva tuum.* Politianus eam longam vocat: *Longa tibi lingva eſt hac cito curtus eris.* Ventoſam dixit Virgilius: *Lib. 4.* *An tibi Mavors ventoſa in lingva.* Dædalam Lucretius: *Mobilis articulat verborum Dædala lingva.* Prodigam Gellius: *Quorum lingva tum prodiga infreniſque ſit.* Infrenem Sidonius: *Loquacis fœdè petulantia lingvæ Polluitur infrenis.* Intemperantem Apulejus: *Lib. 8.* *Ne quam tibi lingva intemperante noxam contrahas.* Procacem Silius: *Et immodicè vibrabat more canoro lingva procax.* Vagam Marcellus: *Medio non vaga lingva joco.* Mellitam Pontanus: *Mellitam rapias jocoſa lingvam.* Idem humidam: *Pugnent humidulæ per ora lingvæ.* Clamoſam Politianus: *Cum vaga clamoſæ reprimit convicia lingvæ.* Interpretem Lactantius: *Ut lingva interpres animi, à ſenſu, & cogitatione diſcordet.* Improba dicitur à Strozzio: *Criminibus fictis improba lingva valet.* Ab eodem blandula nominatur: *Phylirem quoties blandula lingva refert.* Ab eodem facunda dicitur: *Non tibi facundæ ſuaviſſima gratia lingvæ.* Pamphilus diſertam inquit: *Romanum docuit lingva diſerta ſophon.* Verboſam Michaël Angelus: *Palladjæ arti verboſas cedere lingvas.* Loquacem Manto: *Lingva loquax prius, & nullis obnoxia vinclis.* Audacem eadem: *Divitiis inhians audacem vendere lingvam Doctus.* Eadem lividam: *Ne livida lædat lingva virum.* Baptiſta Pius docilem: *Hic volucres produnt docilis modulamina lingvæ.* Dulcem idem: *Poſt modo Calliopæ dulcis modulamina lingva.* Ab eodem amœna vocatur: *Lingvaque cynameum fundit amœña melos.* Tenella à Politiano: *Lingvas tenellas polluant ſtribiligine.* Dicacem recognovit Muſonius: *Gaudet namque dicax perfuſo lingva veneno.* Interceptam Statius: *2. Theb. 3. 4.* *Intercepta natat prærupto in ſangvine lingva.* Ab eodem arcana nominatur: *Conſonat arcanâ volucris bona murmura lingva.* Ab eodem adhuc cateneta: *Ora catenetas procul exarantia lingvas.* Ab eodem Arida: *Curſuque anima labat arida lingva.* Manto eam triſtem appellat: *Non triſtem mulcent obſonia lingvam.* Velox ab eadem dicitur:

In Apopht.

Milleque veloces ſurgunt in Carmine lingvæ. Ab eadem artificioſa: *Dum ſtudet artifici francos effingere lingva.* Catholicâ à Prudentio: *Dogmata Catholicam maculent male prodita lingvam.* Non eſt, mi lector, quod plura tibi afferam: proſtant enim lucubrationes diffuſæ & doctiſſimæ aliorum, qui felicius & abundantius me, in hoc genere laborarunt.

Myſtica ſuper Spiritum Sanctum, qui in lingvæ forma Apoſtolico Collegio apparuit.

Homil. 30. In Evang.

S. Gregorius idipſum non ſine profundiſſimis divinæ Providentiæ Sacramentis & myſteriis author eſt: cum enim lingva tam ſit affinis verbo & dictioni, tamque indiſſolubili unionis vinculo iisdem alligata: præter hæc Apoſtolorum miniſterio fides Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, per univerſum orbem diſſeminanda eſſet, his ardentibus lingvis communiri, & animari eos oportuit. Porro quod in Actibus Apoſtolicis *diſpertitæ lingvæ* dicuntur, hoc eſt ſeparatæ, atque invicem diſtinctæ, communicatio, vel abundantia cæleſtium donorum intelligenda eſt, quorum diviſio pro voluntate altiſſimi diſpenſata fuit. In ſimilitudine ignis comparuerunt, ad exprimendum fervorem, quem in nobis gratia Spiritus excitat, cum ſe cordium noſtrorum poſſeſſorem facit. Sed non minus inde virtus, vel conſtantia roboris intelligenda, quâ videlicet Gerion ille triplicis vitæ, & perſecutiones illius, tanto magis lethales, quanto magis inviſibiles, Mundi, nimirum, & Carnis, & Sathanæ ſuperari poſſint. Hos enim viros, tam ſublimi Apoſtolatus munere fungentes, qui tamquam Miſſionarii, ad ſacram Evangelii expoſitionem mittebantur, his neceſſe erat fulcimentis muniri. Iſidorus Clarus in hunc locum inquit, plurium lingvarum apparitionem fuiſſe, quippe quod earum multitudo in unam fidelem & Chriſtianam lingvam recolligenda eſſet: juxta ſponſionem divinam: *fiet unum ovile, & unus paſtor.* Hoc ſacrum domicilium tum quidem temporis Microcoſmum aliquem repræſentabat, ubi omnes adeo totius majoris orbis lingvæ coacervatæ dici poterant. Idem author ſupra particulam illam: *Dabat eloqui illis,* ſic habet: *quaſi Apophtegmata quædam eſſent, quæ variis illis lingvis proferebant.* Joannes Hiſpanus ait: quod in forma lingvæ comparere Sanctus Spiritus voluerit, ut verum ſe Eccleſiæ cor monſtraret eſſe; ſiquidem lingva cordis quandam refert imaginem; rubra eſt, & ſangvinea, ſicut cor humanum rubrum eſt & ſangvineum: utrumque eorum tam cor, quam lingva aëre indiget, ad operandum æque, ac reſpirandum. Triangulare cor noſtrum eſt, non diſſimilem habet lingva conformationem. His ſacris lingvis, idem author inquit, condemnabantur lingvæ maledicorum, & detractorum: & ſicut ſolent infirmis, medicorum conſilio inuri cauteria, ut illic vitioſorum humorum curſus pervius ſit: ſic Spiritus Sanctus his urentibus lingvis depravatos mundi laborantis, & peccatorum culparumque humores correxit, & reformavit: His lingvis mundum de ſceleribus ſuis arguit, & gratuita dona ſua diſperſioni gentium elargitus eſt: Cum enim verba ſint Apoſtoli Jacobi: *Lingva eſt univerſitas iniquitatis:* neceſſarium utique erat, ut hæ ſacratæ lingvæ tot damna, totque errores inde pullulanter eradicarent. Si præterea verum eſt, quod Proverbia Salomonis ajunt: *Domini eſt gubernare lingvam:* ſuper hæc adæquatiſſima exempla à memorato Hiſpano nobis ſuggeſta ſunt. Ego interim, qui non mihi vendico, ad amuſſim omnes adeo expoſitiones, huc collocare, his paucis conſiderationibus, te Lectorem meum paviſſe, contentus ſum.

Cartagena in hunc locum.

Prov. 30.

PROGNOSTICA, ET SOMNIA.

Signa ſanitatis.

QUemadmodum lingva, nec ſicca nimium, nec humida, nec ultra debitum denſa, aut rara, nec aſpera nimium aut lævis, rubida colore, pura, nec ſuperfluitate humorum corrupta, ad omnem guſtum recipiendum, omne condimentum, & ſaporem recte dijudicandum, manifeſtum eſt ſanitatis illibatæ indicium: ſic ſi eadem ab hoc ſtatu integro defecerit, vivum indicium eſt humoris depravati, ſuperabundantis & corrupti. Duæ ſunt potiſſimum cauſæ, prout magnus ille vir Daniel Senertus docet, quæ naturalem lingvæ conſtitutionem vitiant: humores inquam, qui per venas & arterias transſudant; & lingvæ tunicas infectant: altera fuligines ſunt, & humores, qui de ſtomacho, & thorace ad hanc particulam feruntur: quibus etiam diſtillationes de capite delapſæ nonnunquam ſeſe conjungunt. Hæc prænuncia febrium eſt, ſecum evidentia ejusdem ſigna præſeferens: ſic enim famoſiſſimus Hippocrates ſcripto dedit: *Lingva humorum ſerum quale ſit, indicat: pallidæ quidem, ſeu luteæ lingvæ ex bilis redundantia fiunt, bilioſum autem à pingui. Nigræ ab atra bile. Valde reſecatæ ex ſuccenſa fuligine, & utero. Et albæ ex pituita.* Et iterum: *Lingva humorum dominium colore refert: ideoque per hanc ad humorum dignotionem pervenimus.* Hinc evenit, ut quotiescunque lingvæ fit in homine mutatio, aut coloris, aut guſtus: eadem fiat in corpore variatio: unde & Hippocrates idipſum confirmat: *carnes guſtanti ſalſæ, ſupervacaneam quandam humiditatem indicant.* De hoc univerſo colligitur (ſicut idem commentatur) ex colore, & conſtitutione lingvæ, naturam poſſe, imo & horam febris intelligi. *Principio lingva alba eſt, vel flava, progreſſu temporis nigreſcit: Et ſi in principio morbi nigreſcat, citius morbus finitur: ſin poſterius, tardius.* Hinc concludendum, non ſemper nigredinem lingvæ pertimiſcendam, nonnunquam enim indicium ſalutis eſt: ex quo præfatus Commentator proſequitur: *Et ſi quis quotidie lingvam ægri diligenter inſpiciat, morbi decrementum non minus certo, quàm ex urina inde cognoſcere poterit.* Nec de colore ſolum, ſed de ſapore quoque conſtitutio humorum arguitur. De bile enim guſtus amareſcit, dulceſcit à pituita: ſalſus fit ab humorum ſalſedine, ab acrimonia acer. Signum item eſt, ſiquidem lingva, teſtante eodem Hippocrate, in febricitante ad virorem declinaverit, ſiquidem ſiccior fuerit, vel aridior, & quaſi combuſta. Unde ait: *Denſæ lingvæ, atque aridæ, phreneticæ.* Et alibi: *Lingva, quæ in principio horrida, in eodem vero calore permanet, progreſſu autem temporis exaſperatur, & liveſcit, & rumpitur, mortem annunciat. Quod ſi admodum nigreſcat, decimoquarto judicationem fieri promittit; periculoſiſſima autem nigra ex virore palleſcens.* Magnam hic elucidationem magnasque obſervationes ſtatuit, non immerito Medicorum Princeps, Coryphæus, & Scholæ Medicæ Anteſignanus dictus.

Inſtit. Med. lib. 3. p. 2. c. 4.

6. Epidem. Section. 7.

Aphor. 13.

Aphor. 15.

Aphor. 16.

3. De Morbis.

Loco citato.

Proth. Aph. 3. In C. Aph. 229.

Sic non deeſſe hic alias inſuper obſervationes, præcepta, & Aphoriſmos Galeni, Avicennæ, Averrois, Cardani, Fernelii, aliorumque: ſed ſufficit interim mihi in ſtatuta univerſalitate commorari, & in jam præmemoratis pedem figere, ut vel ſaltem his paucis benevolus Lector noverit prognoſtica futurorum, & præcepta ſalutifera haurire.

Antiqui olim dum ſomni imaginem ob oculos ſtatuerent, lingvam ſuper altare collocabant. Unde Apollonius ſic de græco in latinum transportatus ait:

- - Interea exuſtis libamina lingvis
Spargebant nigra captantes nocte ſoporem.

Originem ſuam conſvetudo hæc ab illa altera deduxit, qua comburere victimarum lingvas conſveverant. Cumque Principes (quibus proſpera apprecari ſomnia moris erat) lecto ſuo ſe dormituri darent, hæ lingvæ dedicabantur, prout jam relatum eſt, Mercurio, cui etiam ſcyphum vini, manu geſtum, propinabant. Idque idcircò, quod cum ab hoc Numine motionem lingvæ provenire authumabant, ſic nocturnam quoque requiem ei aſſignandam rebantur. Quid deinceps lingva, per ſomnium viſa figuret, nihil admodum, (quod non doleo) invenire potui: unde hic tractatum meum claudo, pro more hanc vilem oden de penu mea prodens, quo capitulum noſtrum finiamus.

PER LA LINGVA.

De gli arcani del cuor nuntia verace,
Orizonte, che ſvelam il ſole a pieno:
Della mente, qual ſia meſto, ò ſereno
E a gli affari predice o guerra, o pace:
Reſo per te di timoroſo, audace
Scioglie ogni ſenſo alla licenza il freno:
Vale a compor gli affanni, a morte in ſeno,
Come di gloria a funeſtar la face.
Nel compoſto mortal di noi tu ſei
Minima parte, & tenti opere maggiori,
Ond' oſi favellar d' huomini, e Dei.
Di gaudii, di timor, d' odii & d' Amori
Miniſtra de gli affetti, jo ti direi
Bella Diva a gli honor, moſtro a gli errori.

MENTUM ET BARBA.

Anatomia.

BRevis admodum tractatus hic futurus erit, partes enim hæ integrantes potius quàm componentes dicendæ ſunt: cumque faciei ultimi ſint termini, prolixitatem ulteriorem non admittunt. Totum tamen ſic in ordinem redacturus ſum, ut quidquid ſeſe obtulerit, id leviter contingam, à propoſita materia non diſcedendo, nec profundius in eandem deſcendendo. Eſt itaque mentum, juxta opinionem Anatomicorum, quos jam ſupra in tractatu oris citaſſe meminimus, illa vultus extremitas in ejusdem parte inferiori, ubi genæ ſe utræque conjungunt, & cui maxillæ inferiores connectuntur, idque cum glutino quodam usque adeo tenaci, ut diſſolvi à ſe invicem nequeant, & ſolidiſſimum os videri poſſint. Hæc præcipua barbæ ſedes eſt, quæ cum primum cœperit prodire, lanugo, vel pubes nominatur. Plinius ſoli homini mentum aſſignat, hanc enim partem eſſe inquit, quæ à brutis animalibus hominem diſcernat. Plautus vero, juxta quod doctiſſimus Aldrovandus meminit, etiam id nonnullis animalium attribuit.

Hiſt. de monſtris.

HIEROGLYPHICA.

TUm cum capillorum mentio in ſuperioribus facta eſt, plura etiam de barba meminimus, ſub eodem enim capillorum genere eſt: nihilominus omittenda illic quamplura ſponte ſtatui, quippe quæ illic minus convenirent, hic autem referenda ſunt. Itaque dum antiqui virilem fortitudinem indicare vellent, vultum figurabant undique ſpiſſitudine pilorum circumſeptum: hac item longitudine barbæ virilem prudentiam notabant, quam ab imbelli & enervato muliebri ſexu diſtinctam, & diverſificatam eſſe volebant: quamvis & non raro in hoc ſexu inventæ ſint, quæ non ſolum robur virorum adæquarunt, ſed omninò exuperaſſe viſæ ſunt. Ejusmodi Amazonum valor, virilis virtus nominatur. Hinc Horatius de Cleopatra inquit, quod non minus præliando audax, quàm amando ſedula & ſagax fuerit: *nec muliebriter expavit enſem:* tam prompta ad exponendum pectus ſuum micantibus gladiis, quàm expoſita ad recipiendos radios Amoris.

Barba virile robur indicat.

Laërtius meminit: interrogatum aliquando Diogenem, cur tam ſæpè mentum ſuum contingeret, barbamque tam prolixam nutriret, eum, qui ſemper ad argutias promptus, & cujus omnis actio myſteriis plena erat, reſpondiſſe, id facio, ut nunquam me virum eſſe obliviſcar. Hinc Artemidorus, non ſemper ſomniis evaneſcens, dixit tandem aliquando: *filios tantum ornamenti Patribus afferre, quantum ori barba decoris adfert.* Et Cynicus ille jam memoratus ajebat: tantundem mento indecorum eſſe, ſine barba comparere, quantum leoni ſine juba. De Theſeo, viro tam martiali, tantæque experientiæ memorant, nunquam adduci eum potuiſſe, ut vel minimum ſibi de mento pilum radi permitteret.

Barba antiquitus apud Hebræum populum ſub lege Dei militantem, Hieroglyphicum fortitudinis erat. Id quod de libro Levitici deſumi poteſt, ubi Ducibus, & militaribus viris filiis Aaron ſignificatur: Non radent caput, neque barbam: ſupra quod (prout infra in myſticis patebit evidentius Heſychius inquit: *ſapientiæ eſt, & perfectonis noſtræ ſignum.* Ego vero, quod pace talium virorum dixerim, in hoc nec ſapientiam, nec fortitudinem ſtatuo: Cum enim non niſi excrementum ſit, nec robur, nec prudentiam homini amplificat. Non deſunt enim & Sabbæ, & Corynnæ, & Pantaſileæ, & Orynthiæ, & Camillæ, totque inſuper aliæ de fæmineo ſexu quæ tam militari manu, quam literis tam lancea, quàm calamo, ruborem plurimis virorum fortium, & heroum vultibus incuterent. Jam à teneris mihi inculcatum fuit, cuculum non facere Monachum, nec barbam virum. Hoc ſatyrice in tam decantato illo verſu Marinus expoſuit:

Hieroglyphicum fortitudinis.

Cap. 21.

Vanum fortitudinis ſignum barba.

Se la barba, che hirſuta al petto pende,
Filoſopho altrui rende,
Chi dira che un Caſtrone,
Non poſſa eſſer Platone!

Quam-

Quamvis hic ad Sancti Spiritus verba recurſus nobis non ſit: *Cani ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata:* quæ verba juxta expoſitores ſacros de iis intelligenda, qui ætatis & experientiæ diuturnæ privilegio, & ſtudiorum indefeſſo labore, ſibi ſenſum & prudentiam acquiſierunt: quotidiano nihilominus experimento hoc docemur: Intueamur ruri natos, homines ſine ſale, ſine arte, non niſi agris colendis à juventute ſua applicitos, & inter feras nutritos, & ab his ingenioſa quædam inventio, & Drame aliquod expectetur: cum omni canitie barbæ ſuæ nil tale inventuri ſunt: Maneat ergo inconteſtatum prudentiam non à barba, ſed literarum ſtudiis provenire.

Apollo Pater cur imberbis Æſculapius filius ejus barbatus.

Vanum non minus, quam viſione dignum Paradoxum videretur, Pater juvenculus, cui vixdum lanugo prima de mento pullulet, filius econtra, argentea ſpiſſa & promiſſa barba decorus: & nihilominus in Delpho hac figura ſculpti exponebantur Apollo Pater, & Æſculapius ejusdem filius. Non dubito, quin hoc monſtrum quemq; admiratione ſuſpenſum tenuerit, niſi eruditorum expoſitio, id quod latet in myſterio, planum reddidiſſet. Philoſophi itaque exponunt, prout Valerianus ſcriptor accuratiſſimus meminit, omnium rerum generatarum proprium eſſe, ad ſenectutem tendere, & proinde ad corruptionem: ſed ſol, in figura Apollinis repræſentatus, cum incorruptibilis ſit, & in genere ſuo perfectiſſimus, non immerito ſemper juvenis, ſemper floridus dicendus eſt. Apud Sicgones populum nihilominus Æſculapii imago inventa eſt, de auro & ebore fabricata, quæ mentum omnino glabrum habebat. Sic verum eſt dictum Salomonis: *Generatio advenit, generatio præterit, terra autem in æternum ſtat.* Veritas optimè à Lyrico expreſſa dum ſic ait.

Eccle. 4.

Carm. 3.

Singula de nobis anni prædantur euntes:
Eripuêre jocos, venerem, convivia, ludos.

Adjungatur huic latino ſubſequens verſus in vulgari Idiomate:

Hieronymus Porti in poeſiis.

L' huome e fatto di terra, joſi ti parlo
Rimembranza funeſta, e te ne ridi?
Lo rode un verme, e lo devora un tarlo
E del tempo, & di morte orſi ti fidi?

Ep. 44.

Verum enim eſt quod Seneca inquit: *Hunc ipſum diem, quem agimus, cum morte dividimus.*

MORALIA & MYSTICA.

1. Reg. 21.

PRopheta Regius tum potiſſimum prudentiæ ſuæ ſpecimen dedit, cum illic apud Regem Achis Gethæum omni omninò intellectu orbatus videri potuiſſet: Auguſtinus proinde & Eucherius, in admirabili illa morum deformitate, de qua dicitur: *defluebant ſalivæ ejus in barbam:* robur divinitatis in Chriſto Jeſu figurari inquiunt, & generatim virtutem ejusdem, quam ſub indumento vel ſpoliis humanæ carnis abdebat. Hilarius & Rupertus Abbas ſentiunt hanc barbam inprimis Redemptorem glorioſiſſimum, tum proinde Apoſtolos, denique etiam omnes adeo perfectos ſignificare, ſicut in Levitico, & in Pſalmo quodam habetur: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum; ſicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.* Addantur his quotquot in Eccleſia robuſti & fortes ſunt, juxta eorundem authorum ſententiam. Georgius Venetus ſupra hanc partem eruditas reflectiones format, & ait: Barba robur ſignificat, ſed diverſimode: quandoque enim in bonum ſumitur, quod conſervandum eſt: quandoque in malum, quod reſecandum eſt. Hæc, inquit Origenes, Græcorum erat fortitudo in illa ſapientia, quam humana intelligentia & induſtria acquiſierant. Hæc fortitudo Aſſyriorum, & Chaldæorum in cognitione ſtellarum, & earundem influxionibus: Hæc fortitudo Perſianis quoque & Ægyptiis negata non fuit, ad philoſophiæ ſtudium promovendum, ad cognoſcendas rerum cauſas, nonnunquam etiam ſubſidio malorum ſpirituum, quorum opera pactis illicitis utebantur: Hoc robur item Poteſtatum & Principum ſæcularium fuit, quos audaces fecit abundantia bonorum, tum & militum copia. His addatur robur corporis, virtusque generativa. Nazaræi itidem (quibus novacula ſuper caput non aſcendit, quibus etiam nec mentum, nec coma capitis radebatur) hac cæremonia plures ſenſus abditos tegebant.

In pſalm. 33.
In 1. Reg. 21.
In pſ. 132.
In Levit. 4.
Serm. 2.
Levit c. 13.
In Cant. 2.

Per eos, quos radendos Altiſſimus illic apud Iſaiam inquit, *In illa die radet Dominus novacula acuta, conducta in his, qui ſunt trans flumen: in Rege Aſſyriorum, caput, pilos pedum, & barbam univerſam:* præfati authores intelligi volunt eos, qui jam in ſinu Abrahæ ſtabiliti ſunt: ſicut & illi qui jam trans flumen divinæ gratiæ in inferno ſepulti decumbunt: his enim mentum abraſum eſt, & barba: dum carent omnia activitate, omni potentia ad operandum bonum. Niſi forte hoc in ſenſu huic penitus contrario ſumendum eſt (qui æquè proprius, & conveniens videtur) virtutem videlicet carnis & ſangvinis truncandam & mortificandam, & in ſacrificium offerendam eſſe, ut ſic debilitata, ſic oblata, Spiritui majus robur ſubminiſtret, majoremque libertatem. *Cap. 7.*

Hæc barba, prout inquit S. Auguſtinus, Heſychius, *In Pſal. 132.* & Arnoldus omnium generatim virtutum ſignifica- *Levit. 21.* tionem complectitur: potiſſimum autem fortitudi- *In Pſal. 132.* nis, diſcretionis, & ſapientiæ: hæc enim tum prius pullulat, cum juventus jam adlutior, augmentum roboris aſſumit. De hac in pluribus Scripturæ locis fit mentio: ſicut in Levitico, libris Regum, Parali- 14. 19. 21. 21. pomenon, Esdra, Iſaia, Jeremia, Baruch, & Eze- 10. 19. 19. 9. chiele. 7. 15. 41. 48. 6. 5.

S. Hieronymus inquit barbam Iſraëlitici regni ty- *In Iſa. 7.* pum fuiſſe: famoſiſſimi inſuper heroum inter gentes *2. Moral. 29.* ab Judæis radendi, hoc eſt robore ſuo privandi erant. *In Iſa. 15.* Sancti Gregorius & Hieronymus ſentiunt, mentum *Iſai. cap. 15.* militium Moabitarum abraſum, ſicut in Iſaia habetur ſignificare poſſe, non illic veritatem ullam eſſe in virilitate, in falſa hæreticorum, & ſophiſtarum doctrina, quam ſancti, homines que juſti vanam reddunt, & eventilant, dum eorum fallacias, & ignorantias detegunt.

In capillis barbæ, & capitis, ſicut & ſuperciliorum, quos omnipotens nominatim radi præcipit, *Ep. 13.* S. Ambroſius peccata intelligit, quæ ab anima noſtra reſcindenda ſunt. Hujus rei literalis deſcriptio *Levit. 14.* in Levitico, & Numeris, in Pſalmis, & Jeremia inve- *Num. 7.* *Pſal. 39.* nitur. Huic piiſſimæ ſententiæ ſubſcribit S. Hiero- *Jerem. 7.* nymus, dicendo: *Hos capillos nudat DEUS, cum* *In Iſai. 3.* *in publico judicio condemnat peccata.*

Quod vero pilus de carne viva, res mortua tollitur, & exſangvis, ſine anim, imo verò inutilis, & ſine vigore, Heſychius & Origenes argumentantur, ſignificari ſenſum peccato jam mortuum, nec ultra membris noſtris imperare, aut iisdem convivere. Hi in leproſis raduntur, non in ſanctis, ſupra quarum caput ferrum non aſcendit. Hæc itaque hactenus dixiſſe ſufficiat, Lectorem autem ad ea, quæ jam ſupra de capillis in eorundem tractatu allata ſunt, remiſſum velim.

PROVERBIA.

INter ea, quæ maximum Oratori ornamentum, concinnitatem, & leporem addunt (à Quintiliano Veneres vocantur, *omnes inquit dicendi veneres ſecutus eſt*, ſic de Iſocrate loquens) idem Author proverbium collocandum eſſe cenſet. Hoc cum Apophtegmate participationem quandam habet, in gravitate ſua: Laconiſmum quoque imitatur, qui tantopere à Stagyrita in arte dicendi, laudatur: tantoque magis plauſibile eſt, quod à promiſcua quoque plebe acceptatur. Atque ad hoc genus pertinent, urbanitates, facetiæ, dicacitates, figuræ, joci, & ſententiæ, quæ æſtimationem, & opinionem qualemcunque obtinuerunt. Hoc item & inductionem, & Enthymemata, & ſymbola includit, idque in ſenſu brevi & ſuccincto.

Barbam per deſpectum vellere.

Utque ab hac generalitate ad particularia deſcendamus, illud ſe mihi inprimis offert: *Barbam vellere:* quod per ignominiam & vilipendium fieri ſolet: Unde Horatius ait: *Barbam tibi vellunt laſcivi pueri.* Et Perſius:

Serm. 1.

Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam Jupiter.

Et alibi:

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellit.

Sic de Dionyſio tyranno refertur, quod auream barbam Æſculapio evulſerit, dicens, præpoſterum eſſe, ſi barbam prolixiorem patre ſuo gerat filius: alludendo ad Apollinem ſemper juvenem. Sicut autem annulus ſibi annulum concatenatum habet, ſic proverbium è proverbio ſæpe gignitur. Hoc à famoſiſſimo Alciato adducitur, qui in quodam Emblematum ſuorum leporem repræſentat, qui leoni proſtrato & exanimato inſultans, ei pilos vellicat & evellit de mento: cum hac evidenti inſcriptione:

- - Sic caſſi luce Leonis
Convellunt barbam vel timidi lepores.

Lib. 10.
Epig. 90.

Fortaſſis ad hæc dictanda animatus fuit, & ab his quos ſupra meminimus, & apertius à Martiali, qui de fœmina quadam, Ligella nominata, per jocum ſic ait: *Quare ſi pudor eſt Ligella, noli barbam vellere mortuo leoni.* Proverbium autem hoc, vel Emblema nos docet, eorum qui nos morte præceſſerunt, famam lacerandam non eſſe. Unde ſic præmemoratus Alciatus habet: *Cum larvis non luctandum.* Hoc ab Ariſtophane Comico idem dicitur eſſe, quod revocare in vitam, & rurſum occidere: nec id immeritò, ſi enim corpore jam mortui ſunt, hi eos rurſum fama mori cogunt. Refert Plutarchus de Ageſilao, quod cum reformare exercitum vel caſtra ſua ſtatuiſſet, multisque inſuper renovandis rebus ſtuderet, quæ ſub regimine Lyſandri depravata fuerant, intelligens poſt hæc eum jam vita functum, idque pauco ante tempore, diſtulit in longum, quod mente conceperat, ne forte nova forma videretur inter milites defuncti memoriæ velle labem infligere. Sic Munatius Plancus, quantumvis ab Aſinio Pollione dicteriis laceſſitus eſſet, intellecta morte, dum quidam ei ſtimulos adderent, ut ſuper hoc ſe lætum demonſtraret, ſcripſit: *Mortuos laceſſere, eſt cum larvis luctari.*

Annal. 30.

Zonara refert: Cum Heraclii Imperatoris defunctum corpus, portaretur in feretro ad ſepulturam, eo quod Epiphania ejusdem filia in faciem ei ſpuerit, lege rigoroſa, vivam eam in rogum projectam, & combuſtam eſſe. Inter alia illud in Lycurgo laude & encomio dignum celebratur, quod vetuit, ne cadavera mortuorum ſpoliarentur, hoc innuens, non eſſe hæc ullatenus opprobrio exponenda. Sic Homerus inquiebat: *Non ſanctum eſt viris interfectis inſultare.*

Plato adverſum hanc barbariem, acerbiſſime invehitur, cujus verba huc collocare conſultum ratus ſum: *Nonne videtur* (inquit) *illiberale, animi plane ſordidi, muliebris, ac puſilli, cadaver ſpoliare, & mortui corpus hoſtem putare? Cùm hoſtis ipſe abierit, eo relicto, quocum pugnat? Quid putas eos qui ita ſe gerunt differre à canibus, qui in jactos lapides ſæviunt, eo, qui jecerit prætermiſſo? Itaque ab ejusmodi prædationibus abſtinendum eſt: obſunt enim victoriæ.* Hæc actio quò vilior, eò deteſtabilior. *De Repub.*

Mimi & moriones, qui rebus novis & inexpectatis ſtudent, ſicut & deceptionibus, & ſatyris, quibus dilacerare, & exſibilare honorem, hic, atque alibi ſugillare famam parati ſunt, promptius omnibus aliis illaqueantur: pro his enim proverbium ſonat: *Simia barbata, ſeu caudata.* Hoc in ludibrium eorum hominum dictum eſt: Simia enim ſymbolum, vel typus ſycophantarum eſt, ad nihil enim niſi ad hujusmodi ludos animal hoc comparatum eſt.

Athenæus memorat: quod Anacharſis Philoſo- *Lib. 4.* phus Stoicus ex ſeveris illis, in convivio quodam, Simia typus quotquot illic facetiæ proferrentur, induci non po- morionum, tuerit ad ridendum. Introducta demum ſimia effu- ad hoc creaſus illum cæteris commenſalibus riſiſſe: interroga- ta ut riſum tus quid cauſæ? reſpondit: Hoc animal idcirco fa- moveat. ctum, ut rideamus. Hoc proverbium originem ſuam Regulo cuidam debet (prout Plinius docet) qui *In Epiſt.* Ruſticum Philoſophum ſimiam Stoicorum appellabat, alludens ad hoc, quod & barba, & mento cercophythecum imitabatur, ſed in moribus ſuis incompoſitus erat. Atque hic de illo hominum genere erat, de quibus Juvenalis: *Satyr. 3.*

Natio comœda eſt: rides? majore cachinno
Concutitur: flet ſi lacrymas aſpexit Amici.

Veræ ſimiæ, imitatrices geſtuum, & affectuum. De *1. Epiſtolarum.* his item Horatius:

Scurra vagus, non qui certum præſepe teneret:
Impranſus, non qui civem dignoſceret hoſte:
Quælibet in quemvis opprobria fingere ſvetus:
Pernicies & tempeſtas, barathrumque macelli.

Hujusmodi paraſitorum profeſſio, nefanda eſt, in- Longa genuo viro indigna, & quæ merito ab omnibus tan- barba. quam peſtis fugienda ſit.

Homini qui prolixam nutrire barbam delectatur, hoc adagium infligi poterit: *Pronomi barba:* erat hic Pronomus tubicen, qui cum omni alia in re delicatiſſimus eſſet, exculta munditie, & compoſito veſtitu præclarus, & ungventis delibutus, mentum nihilominus horridum pilis nutriebat. Proverbium hoc de Ariſtophanis Comici ſcena prodiit, ubi ait: *Hucusque latuit ergo Pro-* *In Concion.* *nomum, & Argyrium geſtare barbam?* Dictus fuit Argyrius, cum enim totus effæminatus eſſet, & mollis, Duci cuidam exercitus, qui ejusdem mollitiei erat, comparabatur. Epicrates Orator in eodem genere cenſuratur, quod pari modo nimiam barbæ longæ culturam dilexerit: unde interpres quidem Ariſtophanis, citatus à Platone Comico Plato coſic ait: *Rex barbæ, Epicrates ſcutifer:* hic enim micus. barba ſcutum, ob formæ ſimilitudinem nominatur. Ariſtophanes item in theatro ſuo de eodem ſic habet: *Mihi barba multo pulchrior, atque Epicratis.* Deridet Lucianus in diverſis locis, hanc barbarum luxuriem in quibusdam philoſophis ſat minutæ ſcientiæ. Horatius item ait: *Juſſit ſapientem paſcere barbam.* Nec vero hanc partem ſilentio tranſit in quam plurimis locis Martialis homo dicax.

Juventus nimium fucata, & nimis luxurioſe ornata.

Juventus, quæ corruptis moribus, & fæminina mollitie, nimioque luxu, more Sybaritico, aut Heliogabili cujusdam, nimia veſtimentorum fragrantia, & odoratis pigmentis delibuta evaneſcit, & depravatur, veteri illo proverbio indicata fuit: *binis tondere forſicibus.* Quaſi diceretur, ejusmodi vanellum una comptitudine non ſatiari, nec ei ſat eſſe, ſmigmate vario, & ſtibio ornari, ſemper enim forficem manu geſtat, ut continuo quidquid capillorum foras prodierit, detruncet, & vix nato vitam auferat: qui ſemper unctus, & ſvaveolontis chyrothecis fumigans, involutus cypri pulveribus, etiam ſecum odoriferatas pyxides circumfert. Hoc proverbium in lucem protulit Julius Pollux, cui etiam Hyſichius ſubſcribit.

Hæc effœminata mollities eum dedecet, qui vel dragmam veræ & genuinæ prudentiæ poſſidet. Ejusmodi enim mores Herculem nobis delirum monſtrant, dum inter fœmellas deliteſcens fila colo trahere non erubeſcit, de quo memini hos verſus audiiſſe:

E con veſti, e manili, e cuffio, e gonna
Lo ſpauento d' Eſperia e fatto donna.

De verbis Relig. *De remediis.* Hanc vivendi intemperantiam S. Auguſtinus exploſit, dum ait: *Nil magis à contemplatione veritatis impedit, quàm luxus vitæ.* Et S. Bernardus: *Superfluitas exterior, interioris vanitatis indicium eſt.* Dicebat item doctiſſimus Petrarcha: *pauca & modica, & ad victum neceſſaria: quidquid acceſſerit, grave eſt, nec jam ornamenta, ſed & compedes, ſed & vincula, & impedimenta animi.*

Vilipendere rem quandam, vel pili facere.

Res abjectiſſima, nec ullius adeo valoris capillus eſt. Hoc obſervato Latini olim materiam ſibi deſumpſerunt, ut ſi quando ſe rei cujuspiam nullam curam agere, aut vilipendere ſe eandem, demonſtrare vellent, ſic dicere conſveverint: *Pili non facio.* Hinc Catullus perſæpe: *Non faciunt pili cohortem.* Et Cicero: *Ego enim ne pili quidem minus te amabo.* Et alibi: *De Cappadocia ne pilum quidem.* Refert Manutius, quod ad ſua usque tempora in more poſitum fuerit ſic loqui: *Pili vilitas.* Præterea: *Ne pilo quidem doctior, nec pilo jucundior, ſive honoratior, vel venuſtior.* Ariſtophanes adjungit: *Pilo dignus.* Hoc eſt modici valoris: authenticat idipſum ſequentibus verbis: *Si quando veni, huc emori ſane volo, aut ſi quid tuorum ſuſtuli dignum pilo.* Hujus proverbii mentionem quoque habet Dionyſianus. Cuique autem evitandum eſt, ne in tam ſiniſtram opinionem delabatur, ut ei congruat, quod dicitur: *Ancora non vale un pelo. Nec pilo quidem dignus eſt.*

Catullus. *Cicero ad Quintum fratrem.* *Ariſtoph. in Ranis.*

Porro ut antiquitus demonſtrarent, quantæ vanitatis ſit ordiri rem quampiam, cujus exitus omninò deſperatus ſit, ſic ajebant: *Barbam à genis puerorum vellere.* Premi poſſunt puerorum genæ, ſed operam perdit, qui pilos vellere ſatagit. Spectat hoc ad homines temerarios, qui contra flumen nituntur, & contra id quod factu impoſſibile proterve contendunt. Tale erat gigantum genus, qui de Phlegra oriundi Regiæ Jovis bellum indixerant: Tales item habitatores Sennaar, cum turri illa monſtruoſa, quæ cælum tangeret: de quo ſacer textus inquit: *Cæperunt facere, nec deſiſtent, donec opere impleant.* Talis erat Phaëtontis temeritas, volatus Icari: ſed hæc animoſa jactantia ſat experitur ultricis manus vindictam, dum lapſu graviore ruit, quanto magis in altum tollitur.

Hiſt. Monſtr. Quotiescunque caſus tulerit, ut minores ætate ſeniores inſtruant, prout illud doctiſſimus Aldrovandus meminit, ſic ajebant: *Ante barbam docent ſenes.* Hinc apparet barbam non ſemper ſymbolum eſſe maturitatis & judicii, non raro enim juventa imberbis, diſſolutam & effrenem maturitatem virorum erudit: quamvis illic natura præpoſtero gradu ambulare dicenda ſit: deforme alioquin eſt, ſiquidem hæc inexperta ætas, ſenectuti leges ſuggerat.

Barba tenus ſapientes: De iis dicebatur qui præter barbam aliud Philoſophiæ indicium non habebant: Hinc Bagoa in Eunucho ajebat: *Si philoſophum ex barba metiri oporteat, hirci procul dubio primas tenebunt.* Sed de his jam ſupra relatum eſt.

HISTORIÆ, RITUS, OBSERVATIONES, & CONSUETUDINES.

Nutriebant barbam, comasque Ægyptii (referente id Diodoro) tum cum de peregrinatione quadam reverterentur, & jam intra domeſticos parietes ſe occludere meditarentur. Quam conſvetudinem à Rege ſuo Oſyride traxerant, qui cum mundum univerſum, prout credunt, perambulaſſet, Deosque pro pace & ſalute omnium precaretur, reverſus ad Æthiopes, ut illic ſedem ſuam figeret, colendæ comæ & mento ſuo ſe dedit. *Lib. 1. c. 2.*

Hanc barbam, prout retulimus, nutriebant Philoſophi; ſic Lucianus Satyricus de Socrate ajebat:

- - Barbatum hoc crede magiſtrum,
Dicere: Sorbitio quem ſuſtulit atra cicutæ.

Portabant barbas longas Romani. Hoc ipſum Gallis aliquando riſum movit, dum in foro Romano ſedentes viderunt Senatores barbatos, immobiles per modum ſtatuæ: unde quidam inter Gallos dum accedendo barbam eorum uni tractaret, baculo percuſſus eſt, quod deinceps tam deplorandam Urbis ruinam poſt ſe traxit, anno à fundatione ejus quadringenteſimo quadrageſimo quarto, juxta Plinium, & Ciceronem. *Cic. de finib.* Publius Ticynius Mena primus fuit, *Lib. 4.* qui è Sicilia tonſores Romam advexit. Plures Longobardorum, utpote Germanis contermini, hujusmodi mentum ſetis luxurians ſingulariter in deliciis habebant; ſic Sabellicus cum Ennio teſtantur. *Lib. 5. Ennius.*

Otto Imperator, juxta morem veterum Germanorum, in pari barba, ſicut Cuſpinus recenſet, ad pectus usque demiſſa ſibi complacebat: pluries etiam in re ſeria, per hanc juramenta ſua ſtabilire conſveverat. *Lib. 8. Cuſpinus.* Idem author memorat Jodocum Marchionem Brandenburgicum, dictum Barbatum (propter quod ſe ſpiſſitudine barbæ ſpectabilem reddebat) nunquam ſolitum domo prodire, niſi prius pectine hirſutum illud mentum ſuum compoſuiſſet: illud ſæpius repetens: hac à fæminis & filiabus diſtingvi virum: ſed non usque adeo prudenter, eo quod, differentiam ſolam conſtitutivam hominis in hoc ſitam voluit.

Inveniuntur nihilominus, juxta Herodotum, nonnunquam & mulieres barbatæ: populi enim quidam, incolentes Mediterraneam inſulam ſupra Halicarnaſſum, pro ſacerdote Palladis eam ſolam admittit, quæ pilos admodum longos de labiis & mento producit.

Caligula Imperator econtrario rariſſimæ barbæ erat, atque idcirco æmulari capram verebatur: periculum ergo mortis incurrebat, quisquis præſente illo vel nominare capram præſumeret.

Imperator Adrianus ad cultum barbæ ſuæ ſe totum dicavit, idque ideo ut cicatricum turpitudinem, quas illic gerebat, cooperiret: Idem legitur de Julio Cæſare. *Sveton. in ejus vita. Dion.*

Martialis Poëta alludendo ad hoc dictum: Barba non operit defectus & mores hominis, de quodam Lentino ſic habet: *In Epigr.*

Mentiris juvenem tinitis Lentine capillis:
Tam ſubitò corvus, qui modo cygnus eras.
Non omnes fallis ſcit te Proſerpina canum:
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

Sic idem de quodam Charino hæc refert:

Quod lana caput alligas Charine,
Non aures tibi, ſed dolent capilli.

Tom. 2. Dom. 2. Quadrag. Serm. 17. Prodigium ſtupendum eſt, quod Bernardinus Senenſis refert: Inventus eſt adoleſcens (inquit hic Sanctus) ſexadecim circiter annorum, qui multitudine ſcelerum, in quibus jam inveteratus erat, poteſtati judicum traditus, publico ſuſpendio caſtigatus fuit: mirum dictu, ſine mora, capilli ejus antehac nigri incaneſcunt, nec minus etiam conſimilis coloris barba ſat prolixa extemplo apparuit: monſtrando per hæc divina juſtitia, quam injurius is in propriam vitam ſuam fuerit, quem oportebat annos ſuos ad ſeram usque ſeptuagenarii ſenectutem protrahere, quam ætatem capillitium illud prænotabat. Refert author quidam nomine Dibrau: *Lib. 4.* Natum fuiſſe aliquando, ut ita dicam, verum Ephemerem: Ludovicum ſcilicet Regem Hungariæ, & Bohemiæ: In quo tria fuerint præcocia: quod nimirum ante tempus ſapuerit, barbam produxerit, & vixdum annum decimum & octavum egreſſus, jam præcanus apparuerit. *Lib. 3.* Scribit Herodotus de Ægyptiis, nutriiſſe eos comam, mentum tamen ſemper totondiſſe. Sicut de Arabibus inquit Plinius *Lib. 58.* quod mitrati inceſſerint, hoc eſt longiſſima capillatura conſpicui, abraſa tamen barba. Prædonum verò eſt, & ſicariorum, & latronum ſub longitudine & ſpiſſitate crinium, latrocinia ſua, & furta, & reliqua crimina obtegere.

Lex quædam apud Rhodios erat, teſtante Athenæo, *Lib. 13. cap. 6.* ut nemo ſe raderet: ſed cum odioſa eſſet, obſervata non fuit, unde omnes pene & compoſiti, & raſi apparuerunt. *Lib. 13. cap. 6.* Alexius, apud Athenæum jam præfatum, legis cujusdam Græcorum meminit, qua milites, cum in prælium deſcenſuri eſſent, barbam ſibi radebant, metuendo ne forte hac prehenſi in captivitatem traherentur: *Si quem,* inquit, *reciſa fore barba videris, tonſave, facturum quid horum, dicito? mihi videtur militare velle.* Cives Romani olim in ætate virili ſibi mentum radebant: unde Aulus Gellius *Lib. 3. cap. 4. Noct. Attic.* ſic habet: Scipionem Africanum, à Claudio Aſellio Tribuno Plebis ob hoc ipſum vocatum in judicium, non deſtitiſſe tamen, quo minus ſibi comam, barbamque tonderet. De Nerone Imperatore Svetonius narrat, quod cum in Gymnaſticis victoriam obtinuiſſet, primam barbam, quam raſerit, incluſam pyxidi aureæ, in Capitolio Jovi Feretrio dedicarit.

Ivius in vita illius. Dicere conſveverat Zelimus Imperator Ottomanicus, nolle ſe Bajazeto Patri ſuo in excolenda barba ſimilem eſſe, ne forte ab hoſte barba comprehenſus duceretur, prout patri ſuo contigerat. Hic uſus poſtmodum in alias quoque nationes tranſiit, ad Macedones præſertim. *Plutarchus in Theſeo.* Unde in Plutarcho habetur, quod cum Aldxander in caſtra tranſiturus eſſet, militibus ſuis mandaverit abradere barbas, id quod exemplo ſuo primus ipſe demonſtrabat. Maſſagetæ, Hunni, & Perſæ, prout refert Procopius, totum ſibi caput radebant, ſed promiſſam barbam tam in labiis, quam mento alebant, ſingulare augurium mali arbitrantes, ſiquidem ferro partem eam læderent. Semel etiam contigit, ut Turcæ potentiam Chriſti agnoſcerent, liberati per fidelium obſecrationem à diuturna, & fatali peſte; quippe qui eorundem perſvaſione, per portam Caſpiam exeundo, capillos capitis in formam crucis, raſos geſtabant, ab hoc ſigno ſalutifero, graſſantis mali ſe remedium impetraſſe confeſſi ſunt. Sic in Chronicis ſuis recenſet Sigibertus.

Sacerdotes Ægypti in more poſitum habent, *Lib. 2.* authore Herodoto, ut ſe exacto triduo ſemper radant, dum metuunt, ne forte à barba immundum aliquid in ſacrificium delabatur, & idipſum contaminet. More huic contrario vetitum erat Teutonibus priſcis, & Cattis, tondere caput, aut mentum radere, niſi forte inſignem victoriam quandam obtinuiſſent ab hoſte ſuo, idque manu conſerta, & aperta fronte inimicum ſuum debellando, & proſternendo. Chryſippus ſcriptum reliquit, *Alexander Lib. 5. 118. de Voluptate.* uſum quondam viguiſſe, ut ſola voluptatis gratia, ad luxum & laſciviam mentum raderetur, idque tempore Alexandri Magni.

Præter id quod diximus, doloris luctusque cauſa, ſicut in Græcia, morem tonſionis invaluiſſe: etiam id tum uſurpatum fuit, cum vel maris inundatio ſedanda, aut forte intempeſtum cælum placandum eſſet; ſcindebant enim comas ſuas & barbas, ſciſſuramque Diis & Deabus immolabant, ſicut jam relatum eſt; quod & fluminibus nonnunquam factum; ſi Polluci & Stobeo credimus.

Argivi quondam per Thebanos Tyræa regione ſpoliati, exactiſſima lege ſancierunt, ut omninò mentum ſibi non raderent, utramque comam ſylveſcere permittendo, donec terram, quam amiſerant, rurſum recuperaſſent: ſic Ennius, & Sabellicus memoriæ prodiderunt. *Lib. 3.* *Lib. 2.* Idem Populi Mileſii feciſſe leguntur: *Herodot. lib. 2.* cum nimirum à Crotoniatis Sybaritarum urbs capta eſſet: digniſſimâ vindictâ propter nimiam indigenarum mollitiem, & effœminatam luxuriem. Non abſimilem huic conſvetudinem Scythæ habebant, *Achæus l. 12. cap. 7.* qui multum temporis & calamitatum multitudine, & ira vindicantis cæli infeſtati, exemplum præbuerunt Græcis, qualiter ſe in hujusmodi oppreſſionibus operando gerere oporteat.

Barba item velut ſignum dignitatis acceptata fuit. Hinc Vitoldus Dux Lithuaniæ edicto publico *Com. in Reb. geſtis Alphonſi cap. 25. Europ.* cavit, ut quisque mento, & capite raſo eſſet: ſibi ſoli privilegium reſervans, ad tuendam authoritatem ſuam, promiſſa barba comparendi. Sed cum poſthæc aliquanto hoc durum eſſe cerneret, ipſe quoque ſe radi & tonderi fecit: decretum mortis in eos imponens, quicunque pilos alere deinceps auſi eſſent. Similis lex à Theophylo Imperatore lata fuiſſe legitur. *Cedren.* Quæ conſvetudo alibi quoque, ſed ad irriſionem, & ignominiam uſurpata fuit. Unde de Caligula Imperatore ait Svetonius: *Pulchros comatos, quoties ei occurrebant, occipitio raſo ſolitus erat deturpare.*

In libro ſecundo Regum habetur: quod Hanon Moabitarum Rex ad vituperium Davidis, legatis ejus dimidium barbarum radi fecerit, ad cingulum pene usque veſtimentis eorum detruncatis. *2. Reg. c. 10.* Ex qua injuria illata, gravis deinde belli cauſa adverſum Principem illi exorta eſt. Nec vero hujuscemodi actio ignominiam tantum, ſed etiam pœnam ſolebat infligere. Unde Stobeus de Indis memorat, iis ad ſupplicium & pœnam ſolere imperari, ut caput & genas abradant.

Poggius in facetis ſuis meminit, quod Genuenſes habitando tum temporis in Pera Civitate, ex

altera parte Conſtantinopoleos ſita (quo eos libera commerciorum tractatio ire compulerat) in diſſenſionem cum loci incolis inciderint: poſt non exiguam ſanguinis effuſionem Imperator Genuenſium abradi barbam viris Græcis commendavit: ſed in deterius id evenit: quidam enim Genuenſium cum in manus habitatorum Conſtantinopolis incidiſſent, decorticatis natibus dimiſſi ſunt: ajebant enim non mereri aliter, eos, quibus ſignum virilitatis non in barba, ſed in iis partibus eſſet. Vindicta plane ſcurrilis, quæ idcircò nullam poſteritatis memoriam promeretur.

Inventi ſunt item nonnulli, qui tonſorum manum metuentes, eos à ſe repellendo, ſibi pilos potius cum dolore manu propria decorticarunt. Sic recenſet Alexander, feciſſe Commodum Imperatorem, ſic Alexandrum Severum.

Lib. 5. c. 18.

Dionyſius Syracuſanorum tyrannus, nec propriis quidem filiabus ſuis ſe credens, cortice glandium accenſarum ſibi mentum amburebat. Sic de Cæſare Auguſto memoria eſt, quod pilos tibiarum ſuarum accenſis nucibus comburendo abſtulerit: idque ut molliores increſcerent. Ita enimverò etiam inter famoſiſſimos Heroës effœminata mollities in pilis locum ſuum habuit.

Svetonius.

Curioſum ſcitu eſt, formam olim fuiſſe deprecationis, & interceſſionis, ut cui ſupplicatio talis fiebat, ſiquidem vir eſſet, cum debita reverentia barba mulceretur, ſi fæmina genæ: Nec verò ſolum is ſupplicantium mos erat, verum etiam blandientium, vel palpantium: prout inter viros hodie adhuc adverſum pueros uſurpari ſolet. Sic de Belli Duce Joab legitur, quod per modum blandimenti Ducem Amaſam interfecerit, ait enim Scriptura: *Tenuit dextra mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum.*

2. Reg. 20.

Atque hæc ratio fuit quod barbam amputaverint Am̄onitæ Legatis Regis David, tollendo eis ornamentum capitis tam eximium. Sic ſentit Pater Ró, cui Sanchez item ſubſcribit. Super factum illud Ducis Joab Nonnius inquit: *Siniſtra ſiquidem manu genua tetigit orans, dextra tetigit bene crinitam barbam.*

6.

Euripides antiquus ſcriptor dictum hoc confirmat, qui ad Achillem de Regina quadam inquit: *Per barbam, per dexteram tuam, perque matrem, oro.*

In Aulide.

Et alibi: *Per barbam, ò Chare, ò præſtantiſſime in Græcia, precor procidens ad tua genua.*

In Supplicibus.

Idem in Medea ſua: *Sed rogo te per hanc barbam, genuaque tua.*

In Andromed.

Et rurſum in eodem loco: *Agamemnon oro per tua genua, per tuam barbam.*

In Electra.

Item Euripides: *Sed obſecro te ò ſenex ad tua genua procidens, manu enim non datur mihi attingere tuam clariſſimam barbam.* In hoc ſenſu accipiendus eſt Sophocles, ubi ait: *Nec per barbam, ne eripias mihi pignora chariſſime.* Hæc interim de his dixiſſe ſufficiat.

APOPHTEGMATA.

LAconiſmus ille, qui tantopere in pretio eſt, utpote quod brevitaté verborum, abundantiam ſenſus includit, ſicut tinctura validiſſima in corpore orationis magnum affert ornamentum, & quaſi eminentiori loco, ſic in Apophtegmatis ſuis levatur, cum hæc virorum gravium ſententiæ ſint, quæ latentibus myſteriis intellectum aperiunt: Sicut ſolet pictura abbreviatum hominem repræſentans, in compendioſis & ex transverſo collocatis membris corpus optimè formatum oculo ſubjicere. Idcirco cum ſe locus & materia obtulerit, Apophtegmatum meminiſſe oportet; horum enim defectus, dogmatico libro plenitudinem, & nervum ſuum tolleret.

Id quod de Dionyſio Quæſtore narratur, nos admonet, quanta cura, & circumſpectione providere deceat, ne in propriam laudem extollamur. Laërtius de hoc viro memorat, quod Philoſophum Ariſtippum ſecum domum ſuam duxerit: Erat hæc & ſupellectili eleganti, & aulæis ſuis adornata, ſecus lectum ſerico veſtita, quibus utenſilia ſplendida accedebant: ſed potiſſimus decor in pavimento erat ſtrato, diverſicoloribus petris, arte, ut vocant Moſaica, variis coloribus depicto. Interim dum luxurians ille tam pompoſæ domus inflatus incola, ſe ſpectabilem virum, glorioſè produceret, & jam luxu ſuo plenus eſſet, Ariſtippus ſputum vehemens in mentum illi ejecit: Gloriabundus ille injuriam ægre ferens excanduit: alter vero ſic ſe explicuit prudenti reſponſo: In domo tam nitida, tam ornata prout eam videri vis, nil immundius barba tua inveni, quam idcirco tali non indignam excremento ratus ſum: atque ita viro arroganti, digna merces jactantiæ perſoluta fuit.

Sputum in facie.

Multo tamen prudentiori, & civiliori reſponſo, quàm hoc præfato tam inurbano, tamque indigno, reſpondiſſe ex Plutarcho fertur Lacedæmon quidam, qui interrogatus, cur barbam tam prolixam, tam incultam aleret, his verbis ſatisfecit: *Ut intuens canos capillos, nihil committam illis indignum.* Inſtructiones obſervatu digniſſimæ. Quicunque etiam eò pervenerit, ut nil eum fugiat, nec ab eo deviet, quod huic tam grandævæ ætati congruum eſt (modeſtia nimirum, morum compoſitio, prudentia conſumata, & omnium virtutum poſſeſſio, in gradu ſuo collocata) hic ſe perfectionis ſcopum contigiſſe non dubitet.

Plutarch. in L. Conviv.

Lycurgus item interrogatus aliquando, cur præceperit ſuis, ut pilos mento ſuo alerent, reſpondit: *Coma formoſis addit decorem, deformes vero reddit hoſtibus terribiliores.* Itaque omnis pecten, omne ornamentum vetitum illic erat. Pari modo Nicander de hoc uſu Lacedæmonum requiſitus, hoc fieri, inquit, quia ornamentum hominis ſit, ei congenitum, quod nullis ſumptibus indigeat, nec incommodum procuret.

Loc. Cit.

Cum jam turmæ in ordine ſuo collocatæ eſſent, jam exercitus ad præliandum accinctus, & omnium rerum proviſio facta, ipſique Duces interrogarent, nunquid præterea eſſet, quod Rex præciperet, reſpondit Alexander M. *Nihil, niſi ut militum barbæ radantur:* Cumque Parmenio admirari videretur, quo hæc dicta ſpectarent, rependit ei prudens Imperator: *An neſcis in prælio nullam anſam meliòrem eſſe, quàm barbæ:* ſignificans illic, ubi vir viro, pes pedi conſertus eſſet in dimicando, illic barbam impedimento eſſe, & periculo maximo non vacare.

Plutarch.

Sagax admodum reſponſum fuit, quo Dux Franciſcus Burbonenſis, Marchionem de Guaſtano pupugit, prius tamen ab eodem læſus. Ambo hi pro Rege Franciæ contra Carolum Quintum dimicabant; is quem primum nominavimus, totius exercitus Dux, vel Generaliſſimus erat: alter verò ætate jam provectus, hunc ſibi gradum deberi exiſtimans priori adoleſcentulo improperabat, quod nullus ei circa mentum pilus eſſet, ad hanc tam gravem præfecturam debite adminiſtrandam: in promptu habuit quod rependeret Franciſcus: ait enim: *Non barbis, ſed enſibus pugnatur.* Pari modo quidam vir prudens (cujus nomen neſcio cur Corozetus ſubticere voluerit) dum in ſeria re quadam, magnique momenti negotio, mentem ſuam exponeret, unus ex circumſtantibus, cavillator eximius, ſic eum reprehendit:

Corozetus.

abſtineret ab hoc facto judicando, donec ei barba recreviſſet; cui ille: *Non barba judicium fert, ſed mentis ſagacitas: neque barbis cauſa defenditur, ſed lingva, & rationibus.*

Ab Henrico quodam Rege Galliæ, Legati quondam Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ, rejecti ſunt, eo quod nimium adhuc immaturi viderentur, nimiaque lanugo circa mentum ſeminata eſſet: his eos verbis Rex dimiſit, diſcederent nunc, & cum majori maturitate reverterentur: ex quibus unus ſtomachatus, ſententiam illam jam ſupra memoratam regeſſit, quam hic translatam damus:

Si promiſſa facit ſapientem barba, quid obſtat
Barbatus poſſit, quin caper eſſe Plato?

DEDICATIONES.

JAM ante meminimus barbam olim Apollini Deo dedicatam fuiſſe, aut Jovi Feretrio. Sic in Nerone apparuit: fluminibus item conſecrabantur: in eorum enim lectis, & alga multa, & dumeta, & omne genus viminum de truncis arborum dependentium, non ſecus ac barbæ quædam vel crines ſpectantur. Macrobius item refert: alicubi Venerem barbatam depingi: paradoxum utique, ſi prima fronte conſideres, ſed non ſic videbitur, ſi fundum ſenſus penetraveris.

Saturnal. l. 8.

Venus barbata.

Indicat enim fæminam ſagacitate & prudentia eminentem, cujus prudentiæ ſymbolum barba eſt. Mulier quæ virtutibus hiſce condecorata fuerit, eousque ſupra communem conſvetudinem & ſupra ſexum ſuum ſe levat, ut ſicut illa barbata conſveto uſu degeneravit portento conſimilis, ſic & hæc prudentia ſua prodigium & miraculum naturæ eſt. Hæ ex numero earum ſunt, de quibus Spiritus S. inquit: *Procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* Æterna erit memoria prudentiſſimæ fœminæ Abigaëlis, quæ juſtam Davidis iram ſedavit: non minus & viduæ Judith, quæ Aſſyriorum caſtra diſjecit: Regina Eſther, quæ populum ſuum ab exterminio liberavit: Deboræ, quæ ſub palma legem populo diſpenſavi: aliarumque inſuper heroinarum, quarum in ſcripturis divinis mentio eſt: inter eas item quæ colum ſuum in gladium, quæ acum in acumen lanceæ mutaverunt, Orynthia eſt, Marpeſia, Aſpaſia, Chlorinda, Renopia, Camilla, & hujusmodi aliæ: hæ non immerito dixiſſet ſibi barbam in mento eſſe, propter virile robur, quo eminebant.

Poterit ſuper hoc ipſum adduci ratio alia, non minus ipſa quoque admodum utilis: Barbatam ſcilicet Venerem eſſe, quod qui hujuſcemodi voluptati indulget præmature ſeneſcit: nec enim alia res eſt, quæ tam animæ quàm corpori tam lethifera ſit. Dixit hoc Ariſtoteles, qui in omni genere rerum ſcriptione ſua excelluit: *Animalia,* inquit, *multùm coëuntia, citò ſeneſcunt:* Et alibi: *Iræ, & concupiſcentiæ venereorum transmutant corpus, & quibusdam inſanias faciunt.*

De longitudine vita.

Et. Mart.

His conſentit Cato, qui ait: *Libidinoſa & intemperans adoleſcentia effætum corpus tradit ſenectuti.* Elegantiſſimum ſuper hæc Emblema eſt viri doctiſſimi Camerarii, ubi admirabile certamen eſt inter duos Amores, quorum unus in capite vulneratur, alter in locis genitalibus, cum Epigraphe: *Veneris & Palladis duellum.* Adjungitur ſequens Epigramma:

Siccine jam volucres in mutua vulnera fratres?
Siccine fraterno vulnere frater obit?
Hic prolis limen ferit, alter pectoris arcem
Dirimit: hic veneris, Palladis ille domum.
Heu mihi quàm verè certat cum Pallade Cypris!
Prolificum vulnus, vulnerat ingenium.

Itaque quisque quantum ſibi virium eſt hoc lethale virus, ſibi effugiendum eſſe noverit.

Præter Numina jam recenſita, juxta Herodoti atteſtationem, barba quoque Minervæ Deæ ſapientiæ dedicari ſolebat: per hoc indicando veteres: quod ſapientiam nemo conſequatur niſi maturitate annorum, & diuturnis lucubrationibus, & meditationibus:

Herod. Halicarnaſſeus lib. 1.

idipſum Plato inquit: *Dignoſcit, qui invenit, invenit qui quærit, quærit qui putat ſe ignorare.*

De nat. hominum.

Plutarchus itidem: *Cum reliqua omnia in tempore diminuantur, ſcientia ſolâ ſenectute augeſcit.*

De educandis pueris.

Pythius dicere ſolitus erat: *Totius honeſti Dux, ac fundamentum continentiæ & ſapientiæ, labor inprimis eſt.* Sub incude perſeverantiæ percutitur malleo laboris, & fabricatur corona virtuti, & meritis.

Pythius, apud Volaterranum.

SIGNATURÆ
PARTIUM.

QUodcunque de herbis dictum eſt, quæ capillorum incrementum promovent, idem quoque ad barbam referendum, quæ non minus pilis conſtat. Supereſt dicere, non niſi per diſcretionem operantis, inter plus & minus hic diſcrimen eſſe. Adjungunt huc periti Botanici pro linimento barbæ, oleum Abrotani, & ſuccum anethi: hæc enim calore ſuo, & penetrandi virtute illic pilos producunt, ubi prius glabretum erat, dummodo exeundi potentia illic ſit & habitus. Dicunt itidem lacertam ſuffocatam in oleo, deinceps ſole ſiccatam, aut verò coctam, ejusdem virtutis productivi eſſe. Quod tamem judicio judicio peritiorum relinquo.

NOTÆ LITERÆ B.

ARgutiarum una, quas Ariſtoteles docuit, nutus ſunt: ait hic: *Omnes nutus animorum indices ſunt, ut enim ex corporibus actionum, ita ex motibus animorum argumentum, judiciumque conſicimus.*

4. Ethic. cap. 8.

Dici hic poterit, nutus quodammodo verborum vicem adimplere, idque ſine ſtrepitu. Hanc artem quandoque Pantomimi in theatris norunt, quibus etiam maxime auſteros auditores in riſum ſolverunt. Ut ergo & hinc propoſito meo obſequar, ſciendum, quod antiqui volentes B. literam exprimere, ſibi barbam contingebant: ut proinde etiam quæ cifris, quaſi in ænigmate ſignata ſunt, intelligantur hic pauca exponenda ſunt:

Simplex B. ſine omni additamento has ſignificationes habebat; *Bonus. Brutus. Bene. Balbus.* B. A. *Bonam actionem. Bonis auguriis. Bonus amabilis.* BB. *Bona.* B. ARA. *Bona aurea.* B. C. *Bonorum conceſſum.* B. D. *Bonum datum.* B. E. E. *Bona ex edicto.* B. F. *Bona fortuna. Bona fide. Bona fœmina. Bona filia.* B. F. *Beneficium. Bonum factum. Benè fecit.* B. F. C. B. F. I. C. *Bona fide contractum, bonæ fidei contracti.* B. FL. *Bonorum filius.* B. F. P. *Bonæ fidei poſſeſſor.* B. FR. *Bona fortuna.* B. GR. *Bona gratia.* B. H. *Bonus homo. Bona hæreditaria.* B. H. S. I. *Bona hic ſita invenies.* B. J. *Bonum Judicium.* B. J. J. *Boni Judicis Judicium.* B. L. *Bona Lex.* B. LB. *Bonorum Liberi.* B. M. *Bonæ memoriæ. Bonæ materiæ. Benè merentis.* B. M. P. *Benè merenti poſuit.* B. MR. C. *Benè meruit cibum.* B. MR. SE. H. *Bene merentibus ſerva hoc.* B. M. F. *Benè merenti fœminæ.* B. H. *Bonorum hæreditas.* B. M. H. E. *Bona memoria hic eſt.* B. M. *Bona materia.* B. N. *Bona noſtra.* BN. H. I. *Bona hic invenies.* BN. M. FEC. *Bene merenti fecit.* B. P. *Bona paterna.* B. O. *Bene, optime.* BN. EMP. *Bonorum Emptores.*

B. P. *Bonorum poſſeſſor. Bona poſſeſſio. Bona paterna.* B. PC. *Bona pecunia.* B. P. *Bona publica. Bonorum poſſeſſio. Bonorum poteſtas.* B. Q. *Bona quæſtio. Bona quæſita.* BR. *Bonorum.* BR. SI. *Bonorum ſervi.* B. R. *Bonorum Rector.* BRITAN. *Britannicus.* B. R. H. N. *Bono Reipub. hic natus.* B. S. *Bona ſua. Benè ſatisfecit.* B. T. *Bonorum tutor.* B. V. *Bene vixit.* B. V. A. *Boni viri arbitratu.* B. V. V. *Balnea, vina, venus.* Hæc univerſa ſunt quæ invenire potui: hi cifri ſunt, quorum tibi copiam, benevole Lector, ſuggeſſi, ut tibi facile ſit, data occaſione, hac expoſitione uti.

EPITHETA

ORatores ſimul & Poëtas non immerito quis dixerit pictorum artem æmulari, dum Epithetis ſuis non minus ac hi coloribus ad vivum qualitates rerum, earumque conditiones adumbrant. Sicut capricioſus ille Ludio, dum imaginem quarundem de grege puellarum deſcriberet, *Limaces eas* appellavit, *lividas, diabolares, ſceniculas, miracula,* porro & *mucoſas, ſubtiles, defiguratas, nodoſas, contortas*, & horum ſimilia. Ita enimvero vix pictor eas elegantius depingat, & penicillo ſuo deſcribat. Sic in famoſiſſima Felſina ſua Pictrice Co. Carolus Cæſar Malvaſius usqueadeo eleganter celebriorum pictorum Bononienſium labores ob oculos ponit, ut eum diceres ſcribendo pingere, pingendo ſcribere: idque cum tanta verborum facundia, & plenitudine rerum, ut huic Viro patria mea multum debeat, quod eorum Artifices tam artifici manu expreſſerit, & à temporum, oblivionisque injuria vindicarit. Atque hic tandem ad ſpecialia barbæ transeamus. Quam ab Horatio ſapientem nominatam legimus. *Juſſit ſapientem paſcere barbam.* A Virgilio prolixam. *Hirſutumque ſupercilium, prolixaque barba.* Ab eodem Impexa dicitur: *Stiriaque impexis obduruit horrida barbis.* A Lucano mœſta: *Paſſus erat, mœſtamque genis inſcribere barbam.* Mollis à Lucretio: *Et pariter mollem malis dimittere barbam.* Hirſuta ab Ovidio: *Jam libet hirſutam tibi falce recidere barbam.* Hiſpidia à Sylvio: *Stant aures, ſummoq́ cadit barba hiſpida mento.* Aſpera à Calphurnio: *Quibus aſpera mento barba jacet.* Hirta à Sidonio: *Barba concavis hirta temporibus.* Spurca à Seneca: *Quàm fœda jacet barba præſtetur fides.* Horrida à Strozzio: *Pectoris indicium licet horrida barba ſeveri Præbeat.* Stolida à Badio: *Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam.* Manto eam comatam appellat: *Corpora & ardentes oculos, barbámque comatam.* Gravem Juvenalis: *Gravis juveni mihi barba ſonabat.* Candidam idem: *Cui candida mento barba fluit.* Idem acutam: *Barbæque comam producit acutæ.* Adhuc idem triſtem nominat: *Et à mento triſtem concreſcere barbam.* Sordidam Martialis: *Et in pectus ſordida barba cadit.* Incultam Statius: *Incultam ferali pulvere barbam:* Juratam idem: *Jurataque multum barba tibi.* Lapſam Manto: *Lapſâque in pectora barba.* Horatius rigidam: *Dentibus ora putes, rigidaque horreſcere barba.*

Serm. 2. In Bucoli. l. 2. Georgic. lib. 2. lib. 5. lib. 13. Lib. 1. Faſt. lib. 13. Satyr. 10. Satyr. 8. 1. Epigr. 13. 6.

Mentum ſimiliter tremulum à Manilio appellatur: *Incipient hœdi tremulum producere mentum.* Tornatile à Baptiſta Pio: *Purpureæque genæ, & mentum tornatile.* Setoſum à Pontano: *Hic ubi tum femur hirſutum, ſetoſaque menta.* Poteris interim mi Lector, vel plura his aliunde proferre, vel eorum nova invenire, quæ pungentia vel acuta ſint, prout tibi lumen ſuggeret, occurrens materies, vel occaſio, vel metaphoricus ſenſus aliquis: novum etenim adjunctum, quod ſuo loco attributum fuerit, ab iis, qui me doctiores ſunt, audiſſe memini, pretioſiſſimam gemmam eſſe, tam in iis, quæ poëtico ſtylo, quam quæ oratorio efferuntur, in Elegiis, in Odis, Epigrammatibus, aliisque compoſitionibus.

Hi quos ſubjungimus, poëtici verſus, gravitati barbæ, & ſapientiæ, cujus illa indicium eſt, correſpondere debebant, ut fateor, ſed ſi vota effectum ſuum non conſequuntur, recordare obſecro, mi Lector, quod nec Apollo, nec Muſæ barbam unquam geſtaverint: itaque te rogatum volo, ut quidquid eſt, boni conſulas, nec vero illud pilo dignum æſtimes, de quo nobis ſermo, nec ſuperfluitatem credas, quamvis inter ſuperflua barba numeranda ſit. Nec vero mihi ſubjeceris inter ſuperflua ſemper eſſe quod redundet. Id velim ſuſcipias, tanquam fidum teſtimonium, ab eo, qui ſe etiam in capillo minimo, ſiquidem poſſibile foret, tibi beneficium & ſervitium præſtare allaborat. Sic itaque Clio mea contra eos, qui hoc vultus ornamentum repudiant, in ejusdem laudem ſe explicat. Cum quo tractatum hunc concludimus.

Lode della barba.

Provida a l'util ſuo ſempre natura,
Sin nel boſco le fiere arma di velli:
Volano per lo Ciel penuti augelli,
Che s'oppongon de l'aure a la puntura.
Vibra Dardo mortal da ſcorza dura
L'iſtrice grave oltor de ſuoi rubelli,
Chiuſa di folta ſiepe infra i cancelli
La bionda meſſe il mi etitor matura.
E vello, e penna, e ha di ſiepe, e ſtrali
Sembianza il pel, ch' ha l' homo in viſo accolto,
Onde paleſa in noi forze vitali.
Sdegnar dunque portar fra peli involto
Irſuto il mento, e vanita, o mortali,
Se il ſol di raggi d' or barbe ha ſul volto.

COLLUM

COLLUM ET CERVIX.

Anatomia.

PEnes faciem proximam habet ſituationem ſuam in anteriori collum: de quo, cum pars ſit corporis humani quidem, ſed non de iis quæ præcipuæ dicuntur, in præſenti capitulo, non diffuſus ero, ſicut hactenus in aliis: non deero tamen, quin ea huc collocem, quæcunque diligens inveſtigare potuit inquiſitio mea. Dicunt itaque perfectiores Anatomici, collum propter thoracem & pulmones factum eſſe: hinc conſequitur, quod piſces, & alia inſuper animalia, quæ pulmonibus carent, nec vocem edunt, collo privata ſint. Cujus conſtitutio potiſſimum ad thoracem pertinet, ejusque pars potius dicenda, quam capitis. Vocatur collum à colendo, collaribus enim & monilibus exornatur.

Colli partes, partim internæ partim externæ ſunt: quarũ hæ poſtremæ anteriores, vel poſteriores, vel laterales ſunt. Anteriores vocantur, guttur, gula, jugulus. Protuberantia illa, quæ in colli medio foras prominet, morſus nominatur, vel pomum Adami: pars poſterior colli cervix dicitur: hæc proprie ſuperiorem habet, & inferiorem partem: quarum prior occipitio proxima eſt, cui *Tendinis* vocabulum eſt, eo quod ad motum capitis ſe *tendat*. Hic concavum quoddam reperitur, inter primam alteramque vertebram, ubi ſi cervix rupta fuerit, mors neceſſe eſt ut ſubſequatur: hæ *fovea* nomen obtinuit. Pars inferior dorſo jungitur. Partes item, quas laterales diximus, ſecus aures enaſcuntur, quarum quæ intra parotides ſunt, ad latera arteriæ aſperæ tendunt, & *cornua* appellantur: carnoſæ autem ſunt & gibboſæ. Atque hæc nomina colli exterioris. Internarum partium, quæ pelle ſimul & pingvedine teguntur, quædam *anticæ*, quædam *poſticæ* vocantur: harum primæ diverſæ ſunt, aſpera nimirum arteria, Larynx, cum muſculis, venæ jugulares, carotides, arteriæ, nervi ſextæ conjugationis, cum ea quæ recurrens dicitur, Oeſophagus, muſculi capitis, & colli. Poſticæ ſunt hæ: muſculi qui caput tendunt & collum, ſicut ii qui ad ſcapulas pertinent, trapezius nimirum, & levatores: tum proinde illic ſeptem vertebræ ſunt, medulla ſpinalis, aliaque inſuper vaſa, de quibus ſingulariter nonnulla contingemus. Itaque arteria aſpera præcipua colli pars eſt, cujus gratia conſtructum videri poterit. Ab Hippocrate inter corpora cartilaginoſa collocatur: per quam etiam cerebrum odores attrahit: quæ item à cibo ſimul & potu humore quodam irrigatur. Lactantius fiſtulam ſpiritalem appellat. Hæc aërem in pulmones transfert, & ab his rurſum vapores excipit fumantes: unde fit, ut organum ſpirabile & vocale nominetur.

Omnis ejus ſtructura cartilaginea eſt, & figuram annuli repræſentat: nec tamen circuli ſunt integri. Hæc arteria duabus tunicis inveſtitur: quarum una Oeſophago communis eſt, & lingvæ, & palato, & ori, hæc vero interior eſt: altera exterior, ſed mollior, quam illa, magisque attenuata: altera craſſior eſt, ne humorum acrimonia lædatur, qui à cerebro delabuntur. Siccitatem quandam moderatam conſequitur, ut vox proinde tanto magis ſonora proferatur: dum plus debito humida eſt vox rauca redditur: idem fit cum nimium ſicca eſt, ſicut in febribus. In ſenibus clangoſa fit, & inamœna. Vaſa quæ hanc arteriam humectant, exigua ſunt.

Hæc porro inſtrumentum eſt, qua reſpiratio formatur, cujus ope omne animal vocem ſuam emittit. Illic verò ubi gulæ parti inferiori conjungitur, jugulum vocatur: in partes duas diſpartitum, & pluribus ramis ſecatum, qui deinceps ad pulmones usque diſperguntur, atque illic terminantur: intra venam arterioſam, & arteriam venoſam dilatatur, non minimum ad ſanguificationem faciendam adjumentum. Obſervatum in arteriæ aſperæ rivulis, certas quasdam easdemque minutas excreviſſe glandulas, opportunas admodum ad humectationem, ſicut item ad nutrimentum.

Porro Larynx caput, & operculum arteriæ aſperæ, corpus cartilaginoſum eſt, admirabiliter fabricatum, conſtans varietate muſculorum, nervorum, arteriarum, & venarum: facta eſt ad formandam vocem, tum verò etiam, ut reſpirationis organum eſſet. Apertam eſſe oportuit ſemper, ut liber eſſet aëri & ingredienti & egredienti tranſitus: cum præterea, prout dictum eſt, vocis ſit inſtrumentum, eam ſolidam eſſe, & concavam, & duram, & levem propter repercuſſionem neceſſe fuit. Tribus cartilaginibus compoſita eſt, quæ taliter ſibi invicem conjunctæ ſunt, ut facile conſtringi, facile rurſum aperiri poſſint. Prima earum ſcutalis dicitur, hæcque illarum major eſt, formata in ſimilitudinem ſcuti quadrati, nomen habens anticæ, vel anterioris. Foris gibboſa, intus cava eſt; item gemina eſt, præſertim in fœminis. Altera harum cartilaginum nomen annularis adepta eſt: non abſimilis annulis, quibus Thraces ſagittarii ad emittendam ſagittam uti & quibus pollicem ſuum adornare conſveverunt. Hæc in parte anteriore nonnihil anguſta eſt, plus quam poſterius, figuram annuli præferens. Cæterarum baſis eſt: cumque in circulum integrum coëat, per modum eſt fiſtulæ, impediens, ne in commotione laryngis, reliqui ſemicirculi comprimantur, aut offendantur. Tertia cartilago figuram gutturnii habet, quo ad lavandas manus utimur: poſtica dicitur, eo quod in parte poſteriori ſituata ſit. Partes ejus adjumento, & colligatione membranarum, & vinculorum connectuntur. Hæc univerſa ſimul juncta rimulam illam formant, per quam vox egreditur: atque hæc eſt, quæ illam vel acutam vel gravem reddit, prout ei viſum fuerit, qui loquitur. Brevem hic cartilaginum deſcriptionem habes, quarum duæ moventur, annularis verò immobilis eſt, & integra.

Ad

Ad motum laryngis plures muſculi deſtinati ſunt, quorum numerum vir doctiſſimus Laurentius ad quatuordecim extendit: ego vero ne prolixior ſim debito, prudentiæ Anatomiſtarum, eorundemque exercitio relinquo, ut in eorum ulteriori examine, ad quem quodque uſum deſtinatum ſit, diſtineantur. Extremitas laryngis cartilaginoſo inſuper corpore quodam operitur, quod ab Hippocrate Epiglottis nominatur, à Plinio item lingva minor, & cannarum pulmonicarum operculum. Celſus eam Gazaligulam vocat, eo quod formam lingvæ repræſentat; ſicut item ſimilitudinem linguæ fabrefactæ de arundine viridi, per modum fiſtulæ, quæ ſe pro libitu claudit, & aperit. Non modicum difficultatis habet ſinus Epiglottidis deſcribere; cur cartilaginoſa ſit, quis ejusdem uſus, quæ partes: quomodo ad reſpirationem noſtram adaperiatur, nec ſponte deprimatur, ut quidam arbitrati ſunt.

De natura Deorum. Quia verò à ſuperiori parte ſtomachi gula initium ſuum format, cum Mar. Tullius ſic habeat: *Stomachus eſt ad lingvæ radices hærens*, neceſſarium erit ut nonnihil etiam de œſophago referamus, qui à Lactantio fiſtula cibaria vocatur. Celſus inquit, hunc ſubtus fauces locatum trajectos cibos aſſumere. Anatomici inquiunt, hunc per modum ſyringæ eſſe, aut conductus, qui de faucibus ad ventriculum usque feratur. Hic œſophagus via recta ſubtus aſperam arteriam ad quintam usque vertebram thoracis tendit: ubi paulatim ad dextrum latus inclinat, cedens illic aortæ: de hinc ſubtus arteriam obliquâ via propter hepar, ad ſiniſtram gyrat, ipſumq; diaphragma penetrans, in ventriculo terminatur. Figura illius rotunda eſt, robuſta & capax. Advertat hic peritus anatomicus ad membranas, venas, nervos, & glandulas, quorum operâ exercitium ſuum perficit. Hic ſolum id dixero qualiter connectatur & ori, & ventriculo, non interrupta continuatione totius corporis: porro & arteriæ aſperæ, & dorſo, & partibus iis quæ vibris vicinæ ſunt, per interventum item membranarum, & vaſorum. Hæ partes colli anteriores ſunt, de quibus ſcribere ſtatueramus. De poſterioribus, vertebris nimirum, & muſculis, qui collum extendunt, in deſcriptione cervicis dicetur.

Curioſa indagatione dignum eſſet, ſed tractatu prolixum, noſſe num deglutitio noſtra ſolo fiat impulſu naturæ, an vero operante anima. Qui id operi naturæ attribuunt, his rationibus nituntur: muſculum nullum ab Anatomicis deſignari qui œſophagum complectatur, niſi forte circuli quidam villoſi, qui ex transverſo externam tunicam ejus cingunt: quorum ſubſidio ad ventriculum alimenta transmittit, tum vero etiam ea, quæ noxia ſunt evomit: porrò
30. de facultatibus naturalibus. in vehementiori fame ventriculum ſublevari, & ab ore cibum ingeſtum pene violenter rapere, ait Galenus: atque hoc modo dum ventriculus attrahit, ſuperiores autem transverſæ fibræ circulares contrahuntur, deglutitionem fieri. Econtra qui deglutitionem operationem eſſe volunt animalem ſic ratiocinantur. Noſtrum eſt nos cibare, tum cum voluerimus, cumque imaginatio offenſa fuerit, aut facultas animalis appetitiva, vix deglutiendi nobis poteſtas eſt, aut cibum ſumendi: ſic item cum amarum aliquid, aut diverſum ut ſunt catapotia, deglutienda ſunt, quamvis organa libera ſint, magna id faciendi difficultas ſæpe oboritur.

Doctiſſimus Laurentius, nec unam nec alteram harum opinionum rejicit, & intermixtam eſſe hanc actionem inter animalem & naturalem ait: fit enim expulſione, & attractione, quæ utraque ad facultatem nutritivam ſerviunt. Expulſio per fibras circulares fit, quæ externam œſophagi tunicam amplectuntur, quarum miniſterio contrariæ invicem operationes formantur. Siquidem harum fibrarum contractio initium ſuum prope os, vel palatum ſumpſerit, membrana ad deglutiendum ſervit: ſi viciſſim ab orificio ventriculi in parte inferiori cœperit, membrana vomitum promovet. Eſt itaque in deglutitione, natura animali operationi intermixta. Hinc cum homo ſit animal rationale, politicum, contemplationi datum, ei cibus caſu non ſumendus, ad gravamen ſcilicet, ſed cuncta voluntate & arbitrio moderanda erant. Usque ad præfatum Laurentium nemo hactenus œſophagi muſculos deſcripſerat: hic verò author eorum ſex circiter annotavit, qui laryngem commovere dicuntur, quorum binos ultimos ſervire credit œſophago.

Non minus obſervatione dignum eſt noſſe, cur expeditius devoramus, aut deglutimus quæ dura ſunt, quàm quæ liquida: multoties enim obſervatum eſt, potiones liquidas nauſeam excitaſſe, cum rejectamento, & nares infeſtaſſe: interim cibi qui ſubſtantiam & ſoliditatem habent, promptius transmittuntur. Variæ ſymptomatis hujus cauſæ occurrunt, Eroſio nimirum Epiglottidis, aut paralyſia, & reſolutio muſculorum, vel Hyoidis; tumor item inflammationis in glandulis, quæ in faucibus, vel œſophago ſunt. Obſervandæ non minus ſunt caruncula molles, & fungoſæ, quæ ſæpius de anteriori parte œſophagi naſcuntur. Si itaque Epiglottis oppreſſa fuerit in particula quadam per alimentum ponderoſum & ſolidum, facile occluditur; interim aditus ad œſophagum tanto promptius panditur: liquida è contrario, quæ per rimulam illam præmemoratam in arteriam aſperam ſe ingerunt (hæc enim obſerari nunquam poteſt) facile illuc evagantur, & vapore fumanti ex natura ſui nares feriunt. Ad latera œſophagi, & faucium glandulæ nonnullæ ſunt, quæ has partes irrorant, ne exſiccentur: hæ ſiquidem ab humore copioſo inundatæ fuerint, aut vehementius inflammatæ, alimentis hujuscemodi liquidis viam obſtruunt: potio interim quæ has glandulas inebriat, molem earum inflat: alimenta ſolida, quæ glandularum ſubſtantiam comprimunt, cavum quoddam formant, quod locum novæ ciborum portioni relinquit, deſiderium item novum maſticandi. Atque hic ego quoque, mi Lector, te deſiderio & appetitui ciborum doctrinæ alterius, quæ ſuccoſa magis ſit, cum hoc brevi anatomico diſcurſu relictum volo.

HIEROGLYPHICA.

COllum, utpote pars admodum brevis, nec usqueadeo ab antiquis obſervata, aut ad exprimendum aliquid apta, non admittit, quantumcunq; id exquiſierim, Hieroglyphica ulla, nec proverbia, nec alias hujuscemodi materias univerſales: Cervix nihilominus, etiam in quibusdam animalium annotata, plures adeo conſiderationes & figuras producit. Hæc enim quandoque mollis, quandoque ſubmiſſa quandoque rigida, tumida, & elevata invenitur: anſam itaq; præbuit Hieroglyphica efformandi, quæ ſapientioribus proponemus: hæc porro cervix propter circumſtantias jam præfatas, ab habitu, & geſtibus ſuis, argumentum præbuit veteribus maxime ſenſatis, diverſimode ratiocinandi. Typus inprimis animæ ſuperbæ & ambitioſæ eſt, ſicut illud è ſacris literis obſervarunt Interpretes, præſertim in verbis illis Prophetæ Regii: *Dominus juſtus concidit cervices peccatorum*; & illic in Iſaia: *Filiæ Sion ambulaverunt extento collo.* Sagaciſſimus pictorum, qui forte adumbrare ad vivum arrogantiam vellet, vix illud exquiſitius poſſet, quam imitando deſcriptionem illam, qua præfatus Propheta illam figuravit. *Animus elevatus, & arrogans. Pſalm. 128.*

O qua-

O quale monſtrum vitiorum, quod ipſum Altiſſimi Dei conſcendere thronum tentat; idcircò pro condignis meritis ſuis Lucifer ad profunda inferorum deturbatus eſt. Dæmon ille, qui primus Protoplaſten hoc vitio adimplevit, dum ſuggeſtione illa: *Eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum*, ad peccatum inobedientiæ allexit, de quo deinceps orbis univerſi tanta
Ap. Stobæum. conſecuta eſt ruina. Philoſophus Favorinus magnis paſſibus nos ab hac fraude tam fucata retrahere, & revocare contendit, dum ait: *Nunquam de te ſuperbam opinionem concipias, cum ipſa ſit ſuperſtitionis parens.* Fructus illius Pentapoleos poma imitantur: qui foris rubicundi & à ſole cocti apparent, ſed protinus dum labuntur, dum manu contrectantur in cineres
Eborens. ſolvuntur. Dixit hoc Publius Mimus: *Citò ignominia fit, ſuperbi gloria.*

Ferocia & crudelitas. Cervix inflata, & tumida concorditer à priſcis & Ægyptiis & Græcis, & Latinis in typo hominis ferocis, inexorabilis, & crudelis ſumitur: crimina, quæ ſuperbiam, & præcedunt & ſubſequuntur: nec enim faſtus, poſſibile eſt, ut effectus ab his diverſos habeat. Alluſit ad hoc Venuſina lyrica, his verbis:

In Epiſt.

- - - *At vos*
Seu calidus ſangvis, ſeu rerum inſcitia vexat
Indomita cervice ferox.

In eundem modum Phyſiognomi hanc partem dum nimium inflata eſt & extenſa, pro argumento jactantiæ, & pro duritia animi, & ſuperbiæ ſigno uſurpant.

Hic affectus proprius eſt feris maxime horrendis, & efferatis, quas vel Lybiæ deſerta, vel ſylva Hercynia, aut Erymanthi, aut Hyrcaniæ aluerunt. Nulla itaq; in cœtu mortalium res eſt, quæ usqueadeo omni humanitate Chriſtianos, aut quemvis rationalium exuat, ut hæc ingenita aſperitas, morumque barbaries. Magnus ille Ethicorum Princeps hujus rabioſiſſimæ Erynnis damna deſcribens, (quæ videlicet multo ferocius, quàm indomita tygris omne id quod ſibi obvium deprehenderit, in fruſtra diſcindit) ſic ait: *Crudelitas minimè humanum malum eſt, indignumque regio animo: ferina iſta rabies eſt; ſangvine gaudere, ac vulneribus, & abjecto homine in ſylveſtre animal transire.* *De Clementia.*

Quandoquidem vero audacia ferocitatis aſſecla eſt, cum verum ſit, omnem ferocem, audacem quoq; eſſe: hæc propoſitio nihilominus convertibilis invicem non eſt, omnem adeo audacem, ſimul & ferocem eſſe: ab antiquis igitur cervix pro ſymbolo magnanimitatis uſurpata fuit. Sic M. Tullius in pluribus locis palam facit, potiſſimum in Verrem, prout illum Doctiſſimus Valerianus citat, cujus verba hæc ſunt: *Tamen ſi qui erunt tantis cervicibus recuperatores, qui audeant in provincia, cum prætor adſit, contra voluntatem ejus judicare.* *Hieroglyph. l. 32. de Cervice.*

Hoc deſiderium, quo quis in arduis rebus, quæ gloriam, & decus gignunt fortunam experiri non refugit, encomio ſuo non caret: in iis vero audacem eſſe quæ non conveniunt, nec decent, nomen temeritatis ſibi vindicat, & proterviæ. De quarum poſtrema inquit Ambroſius: *Fortitudo & audacia ſine juſtitia iniquitatis materiæ ſunt:* De ſuperiori Democritus: *Sapientiam junctam habere audacia, plurimum convenit: nullum enim eſt vitæ majus viaticum, quàm audacia.* *In Officior. Ap. Stobæum.*

Expoſitores eruditi ab audacia ad ſubmiſſionem tranſeunt, ad ſui ipſius contemptum: dumque contemplantur cum quanta ſubmiſſione boves ad imperium magiſtri cervices jugo ſupponant, occaſionem ſibi inde ſumpſerunt formandi Hieroglyphicum perfectæ ſubmiſſionis, quæ à ſubditis debetur ſuperioribus ſuis. *Submiſſio.*



Hanc

Hanc metaphoram, & hanc loquendi formam penè omnes quotquot ſunt, Scriptores uſurpant: Cicero inter alios maximè, qui conſveto eloquentiæ ſuæ vigore ſic ait: *Dandæ cervices erant crudelitati nefariæ, legiones ad urbem adducere, & eas in cervicibus noſtris collocare cogitat.* [*In Anton.*] Et alibi: *Itaque impoſuiſtis in cervicibus noſtris ſempiternum dominium.* [*De Natur. Deorum.*]

Ne vero hæc virtus in vilitatem abjecti animi degeneret, hoc obſequium non præſtandum niſi perſonis id promerentibus, & honore dignis. Deteſtabatur exceſſum illum aſſentantium, nimiumque ſe inclinantium Lactantius, dum ait: *Multiplicata obſequia demerentur & offendunt.* [*25. Moral.*] Gregorius Magnus econtra exercitium ſubmiſſionis ſummis laudibus extollit, quippe quæ baſis & fundamentum eſt, in quo ſtabiliri ædificium gloriæ & honorum oportet: *Uſus*, inquit, *rectæ converſationis eſt, ut præeſſe non audeat, qui ſubeſſe non didicit: nec obedientiam ſubjectis imperet, quam non novit Prælatis exhibere.*

MORALIA ET MYSTICA.

NON dubitandum, quin inter malignos Spiritus vaferrimus ille fuerit, qui Origenem ſupplantavit, dum tam ſe præpoſtero modo ab doctrinis illis ſegregavit, quas cum tanto applauſu communis Patrum acceptavit conſenſus, quorum authoritati Eccleſia ſancta ſubſcribit, omnesq; qui ſani ſenſus ſunt plurimum deferunt. Poterit huic viro non immerito convenire illud, quod de cribro in ſymbolica figura profertur. *Secernit impurum*, ſed rejiciens quod bonum eſt, retinens malum. Hic primus in myſteria nobis ingreſſum præbet, dum in collo Patriarchæ Joſeph torquem auream, à Rege Pharaone datam conſiderat, [*In Ezech. hom. 6.*] à quo item, ſicut liber Geneſis refert, in Regno ſecundus conſtitutus fuerat, (quod itidem in ſenſu myſtico Proverbia, & Eccleſiaſticus & Daniel adducunt) intelligit autem in hoc animam ſapientia decoratam, prout in juvenculo illo continente, & pudico reſplendebat: ab hoc collo Dominus Deus ſervitutis jugum grave & ponderoſum auffert, & Scriptura verificatur in Iſaia: [*Cap. 10.*] *Et erit in die illa auferetur onus de humero tuo, & jugum de collo tuo.* Hic rurſum interpres ſupra illud mandatum Domini, quod Jeremiæ factum eſt: [*Cap. 28.*] *Subjicite colla veſtra ſub jugo Regis Babylonis, & ſervite ei, & populo ejus, & vivetis:* & hæc verba ſinceram animi jam diſpoſiti confeſſionem indicare inquit, & ejus qui divinorum præceptorum obſervantiæ jam ſubmiſſus ſit.

Per cervicem, ſupra quam portare jugum poſſumus, prout myſtice in Levitico, & in Threnis habetur: [*Cap. 26. 5. 15.*] *Beatus vir cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua* (ſicut & in actibus Apoſtolicis) S. Hieronymus [*In Iſai. 52.*] animam intelligit, quæ jugo legis Chriſti ſubmiſſa eſt: hinc eleganti expoſitione illud Prophetæ Iſaiæ: [*In Levit. 5.*] *Solve vincula colli tui captiva filia Sion*, ad hoc referendum eſſe ait, cum anima à peccatorum onere liberata fuerit.

[*in Ezech. hom. 15. & 17. Moral.*] Juxta mentem S. Gregorii ſacratiſſima Virgo pro collo ſanctæ matris Eccleſiæ ſumitur, quippe per mediationem ejus à capite Chriſto divinarum gratiarum defluxiones in reliquum corpus derivantur. Idem alibi inquit poſſe divina in hoc ſubintelligi eloquia, dum in collo fauces ſunt, & in faucibus vox.

Rurſum in cervice elevata demonſtrantur jactatores, & arrogantes in Eccleſia, qui ſub ſpecie defendendi Eccleſiam cultumque ejus, de redditibus ejus, & Jurisdictionibus uſurpatis luxuriant. Rurſum Origenes in illud Cantici: *Collum tuum ſicut monile*, [*Cap. 1. in hunc locum.*] ait, quod hic ſubmiſſio & obedientia quæ Eccleſiæ debetur deſignari poſſit, ſicut collum capiti ſubmittitur. Dicit Iſidorus Clarus: *Per collum accipiunt templum.* [*Cap. 2. in hunc locum.*] De hoc collo præter Canticum mentio fit in Neemia, Iſaia, Eccleſiaſtico, & Oſee. [*3. 10. 51. 10.*]

Exiſtimant Sancti Gregorius & Bernardus per hoc itidem verbi Dei præcones poſſe intelligi, qui videlicet meditantes in ſcripturis eaſdem nobis exponunt. [*In Cant. 1. 4. In Cant. ſer. 41.*] Adjungit his Rupertus Abbas intelligi itidem poſſe eos, qui in Eccleſia perfecti ſunt: ſicut in eleganti illa metaphora, qua Spiritus Sanctus pulchritudinem ſponſæ exponit his verbis: *Collum tuum ſicut turris eburnea*, idem Author ſic habet: *Hæc eſt humilitas Mariæ fortis, & pulchra, & grata Deo.*

S. Hieronymus in contemplatione actionis illius [*In Epiſt. Dam.*] prædevotæ, qua Pater erga filium prodigum uſus eſt, dum Scriptura inquit, quod cum primum domi ſuæ comparuit, *cecidit ſuper collum ejus*, ait myſterium incarnationis Dominicæ figurari cum immenſa divinitas, æternus DEI filius naturam hominum aſſumpſit: ad quod S. Ambroſius adjungit, Patrem hunc ardentiſſimo amore plenum ſupra collum filii ſui cecidiſſe, ut demonſtraret, quam leve ſit jugum ſacræ legis ſuæ, juxta Evangelicum dictum: *Jugum ſvave, & onus leve.*

Locus ille Prophetæ Job, qui metaphoricè de [*Cap. 39.*] equo loquens, ſic ait: *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum:* materiam præbet S. Gregorio in his verbis prædicatores conſiderandi, [*13. Moral. 19.*] quibus ipſe DEUS vocem ſubminiſtrat: & qui non ſecus ac generoſi equi per laborioſa ſed ſimul per glorioſa cathedralis facundiæ itinera ingrediuntur.

Teneritudo, quam Patriarcha Joſeph exhibuit, [*Geneſ. 45.*] dum ſupra collum Junioris fratris ſui Benjamin procidit (de quo Scriptura ait: *Cumque amplexatus recidiſſet in collum Benjamin*) [*De 12. Patriarch.*] Richardo à Sto. Victore campum aperit conſiderandi: in his duabus perſonis, unionem omnimodam duarum virtutum, prudentiæ, & contemplationis intelligi poſſe. De hoc collo in Actibus quoque Apoſtolicis fit mentio. Commentatur item ſupra decollationem glorioſiſſimi Præcurſoris, [*Cap. 20. In Iſai. 39.*] & ait: *Decollare Joannem in carcere, eſt dividere Chriſtum à prophetis, & non habere ipſum integrum:* His concordat Eucherius. [*fortit. ſpir. 7.*]

Supra illam Prophetæ Iſaiæ metaphoricam locutionem, dum de Spiritu divino ſic ait: [*Iſai. 30.*] *Spiritus ejus ſicut torrens inundans uſque ad medium colli pertinget, ad cribrandas gentes*, Origenes conſiderat, [*In Joſue hom. 11.*] divinam caſtigationem portendi, quæ peccatores in omnimodum interitum præcipitat, dum eos etiam nolentes ad abyſſum inferni protrudit.

Vult Gregorius Sanctus in pluribus locis, ſupra plura item Scripturæ loca, cui S. Auguſtinus ſuffragatur, [*1. Reg. 11. Moral. 17. 12. Moral. 22. & 34. Moral. In Pſ. 128.*] collum ſignificare ambitionem & jactantiam, ſicut in Hieroglyphicis apparet: circumdatur autem caprinis pellibus (ſicut ſapiens Rebecca filio ſuo Jacob feciſſe legitur in Geneſeos libro) [*Cap. 22.*] cum per agnitionem peccatorum ſuorum ad humilitatem reducitur pœnitens, vel ad ſui ipſius æſtimationem humilem.

Collum erectum, de quo liber Job mentionem habet, ſuperbiam indicat, & ambitioſam hominum inflatorum proterviam. Sicut cervix obeſa & pingvis divitias denotat, fomentum arrogantiæ. Sicut pro eorundem authorum ſententia, collum ſerpentis Leviathan, in pluribus locis præfati libri, tumiditatem faſtuoſam, & arrogantem Dæmonis inſolentiam inſinuat. Idem exprimit dura cervix, cujus ſingulariter memoria fit in libro Exodi, Pſalmorum Eccleſiaſtici, in Geneſi, in Threnis, in Ezechiele, in Michæa, [*Exod. 32. Pſal. 128. 30. 27. 1. 2. 2. 3.*] & aliis inſuper ſcripturæ locis copioſiſſimis.

Dicunt itidem præmemorati Sancti in promiſſione illa, quæ à Domino Moyſi facta eſt: [*Deuter. 10.*] quod Regum colla calcaturus ſit, deſignari virorum potentium, tum vero etiam Dæmoniorum ſuperbiam calcatam & humi ſtratam. De hoc & horum ſimili ſucceſſu, nova rurſum promiſſa in libro Joſue reperiuntur. [*Cap. 10.*] Cervices inimicorum, juxta mentem jam ſæpius memoratorum, arrogantiam dæmonum, ſimul & hominum impiorum denotant. Percutiuntur hoſtes vel in tergo, vel in cervicibus, tamdiu enim, quàm in fidelitate ſua commorantur, tergum Deo vertunt, & Idola proni adorant.

Supra caſum illum exoticum, quo ſibi Heli cervices rupit: & improviſa morte ſuccubuit, [*1. Reg. 4. 4. Reg. 17. Paral. 18.*] prout primus Regum recenſet, ſicut & ſupra quartum, & librum Paralipomenon, iidem authores, commentantur, ſuperbiam Regum Principumque in Judæa condemnari. Iidem adhuc arbitrantur nomen hoc cervicis, tanquam vitæ noſtræ membrum principale, ipſam adeo vitam denotare, ſicut in Epiſtola S. Pauli ad Romanos habetur, [*Cap. 16.*] *Priſcam una cum Aquila ſuppoſuiſſe cervices ſuas pro anima Pauli.* Hucusque de myſticis tam profundis & ſublimibus dixiſſe ſufficiat.

SIGNATURÆ PARTIUM.

QUàm frequenter ars illa ſpe ſua fruſtratur, & in vanitate ſua evaneſcit, quæ defectus naturæ emendare, aut verò econtra virtutem ejus in ſuperiorem gradum elevare contendit! Hinc verò diſtillationibus, ſublimationibus, filtratione, fulminando, ut ajunt, incinerando, & lavando occupantur: ſicque à radice vitalitatem, & eadem ratione à compoſito virtutem operativam auferunt. Dictum illud ſequens ab omni hactenus philoſopho ſenſato uſurpatum fuit: [*Bernard. Trevir. 5. Arnold. Geber. Zacar. Flam.*] *Natura gaudet cum natura, cum ipſa operatur, & cum ipſa quieſcit.* Evidenter hoc in Betha ſylveſtri experientia docemur, naturalius adhuc in ea quæ transplantata, & domeſtica eſt, quod in gargarismis adhibita, ad omne malũ gulæ repellendum, & omnem ejus inflammationem ſedandam plurimum valeat. Doctiſſimus Crollius refert, vulvariam & cervicariam herbas itidem, ejusdem virtutis eſſe, creſcunt autem neglectæ in locis incultis. Miror tamen cur univerſim omnes, nullam hordei mentionem faciant, quod tam vehementer in partibus iſtis inflammationi omni reſtitit, ubi veraciter humorum copia redundat, qui ebullire ad damnum patientis poſſint, quorum vitiis admirabiliter medetur. Habent præfatæ herbæ ſignaturas ſuas una quæque proprias, non abſimiles figuræ colli; trunci enim earum ex parte cavi ſunt, ſicque conſtitutionem colli imitantur. Ubi ſumma divinæ providentiæ benignitas apparet, quæ de viſceribus terræ tot remedia ad medendum corporibus humanis producit, & revelat: Hæc autem, prout Regius propheta inquit, alimentum & nutrimentum ſuum de rore cæli recipiunt, qui de montium æternorum abundantia ad irriganda terræ germina deſcendit.

Epitheta ſupet collum.

A pié de la colonna alabaſtrina
Che il palagio d'amor ſoſtiene, e folce,
Pur d'alabaſtro egual doppia collina
Erge in forma di globi il petto dolce.

Cum his aliisque peregrinis adjunctis ſvaviſſima & fluidiſſima noſtrorum temporum, nobilis inquam Marini Muſa, [*Il Tempio. Epithalam.*] ludendo decorem Majeſtatis Chriſtianiſſimæ Mariæ de Medicis Reginæ Franciæ, & Navarræ decantat. Reitero hic, quod ſupra dictum eſt, leporem omnem, veneremque orationis, & poëmatum in adjunctis conſiſtere. Inter primos eſt Virgilius, qui tuba ſua majeſtate plena, & maxime ſonora, collum niveum appellat: *Non niveo retinens baccata monilia collo.* [*In Circ.*] Eburneum Ovidius: *impubesque genas & eburnea colla.* [*8. Metam.*] Pendulum Horatius: *Hac ab orno pendulum zona lædere collum.* [*Lib. Carm.*] Idem candidum: *Candida dividua colla tegente coma.* Martialis Columbinum: *Archeſilas collum intuens columbinum.* Argenteum Pontanus: *Inducit nitidis per colla argentea guttis.* Idem tenerum: *Ac ſubinde collo impreſſum tenero notare dentem.* Formoſum dixit Strozzius: *Formoſoque micent baccata monilia collo.* Statius teres: *Ut verò tereti demiſit nebricla collo.* Nivale Baptiſta Pius: *Illa tibi crines & colla nivalia comat.* [*In Achil. 3. 6.*] Indignum Statius: *Indigno ſolvit ſua brachia collo.* Idem langvidum: *langvida colla tumeſcunt.* [*Parth. 2. lib. 8.*] Baccatum Manto: *Conjugio extendens baccata ad colla ſiniſtram.* Lucanus pium dixit: *Ut Romana ſuum geſtant pia colla parentem.* Lacteum idem: *Lactea gemmato redimuntur colla monili.* Idem eburnum: *Colla venuſtavit crinis eburna decens.* Tumidum Claudianus: *Luxurient tumido gemmata monilia collo.* Ungventatum denique appellat Juvenalis: *Et ceromatico fert niceteria collo.*

EPITHETA DE CERVICE.

COrnelius Gallus eam lacteam nominat: *Aurea cæſaries, demiſſaque lactea cervix.* Eburneam Ovidius: *Hoc faciunt flavi crines, & eburnea cervix.* Indomitam Horatius: *Indomita cervice ferox, ubicunque locorum vivitis.* [*In Epod. Acon. lib. 2.*] Subactam idem: *Nondum ſubacta ferre jugum valet cervice.* [*Ep. 2. Carm. 2.*] Argentea à Pontano dicitur: *Marmoreum femur, & cervix argentea.* Eburna à Strozzio: *Gratia formoſi ſubit oris, eburnaque cervix.* Candida à Juvenali: *Præbenda eſt gladio pulchra, & hæc candida cervix.* [*Satyr. 10.*] Nitida à Fauſto: *Cervice nitenti, Aureæ dat crepitus.* Nivea à Claudiano: *Sub juga cervices niveas hymenæus adegit.* Ambroſia à Muſæo: *Ambroſiam vero cervicem amplexus amatæ.* [*lib. 3.*] Lævis à Propertio: *Lævis odorato cervix manabit olivo.* Mollicutis à Muſæo: *Mollicutem pulchræ cervicem, ac membra puellæ.* Blanda à Textore: *Blanda tibi cervix fragrat, quod & Attica cera.* Marmorea à Virgilio: *Tum quoq; marmorea caput à cervice revulſum.* [*4. Georg. 4. 8.*] Pulchra à Statio: *Quæcunque gregum pulcherrima cervix dicitur.* Langvida ab eodem: *dependet, & langvida cervix.* Ego vero cum his langvoribus, qui nihilominus decorem & robur orationi præbent, tandem concludo, tranſiturus ad

PHYSIOGNOMIAM.

NON ſine acri cauſarum naturalium examine Medici phyſiognomici ſtructuram, & compoſitionem colli conſiderant, utpote medii inter caput & cor noſtrum: canalis, per quem cibi tranſmittuntur:

 Orga-

organi vocis, in quo ſtomachus principium ſuum ſortitur, cujus interventu tot nutrimenta, tot alterationes fiunt.

Collum itaque ajunt, & craſſum & obeſum, ſicut ſimilitudinem quandam à collo boum habet, in homine temperamentum robuſtum, complexionemque fortem ſignificare. Hic enim venarum copia eſt, & muſculorum, & arteriarum, quæ ad inſtar nodi, partem hanc invicem ligant. Contrarium de collo ſubtili dicendum eſt, denotans colligationem partium gracilem, effæminatam, & flaccidam. Et ſicut illud ſuperius temperamentum ſangvinem, prout Tauri quoque proni ad iram ſunt: ſic alterum frigiditatem coarguit humorum, & proinde diſpoſitionem quandam ad tabem, quæ tantundem eſt, ac Phtyſis, vel Hectica: ſicut quotidiana experientia docemur. Habent item has colla ſimilitudinem colli cervini, unde timorem portendunt, ex debili facultate calefactiva & nutritiva progenitum. Collum breve luporum figuræ aſſimilatur, hinc illud ſignum ajunt hominis doloſi, vafri, duplici: idque non videtur ratione ſua deſtitutum, cum enim in brevitate ſua brevem revolutionem, & velocem habeat, non mirum ſi & operatione, & cogitatu, & aſtutia, & vafritie, facilem habet contorſionem.

Totum hoc nihilominus exceptionem ſuam habet: nec enim his ſignis arcana & abſtruſa pectoris humani penetrari poſſunt, nec cauſarum profunda erui, quæ in mente hominis ab Altiſſimo opifice recondita ſunt. Hinc enimvero in hoc capite de his dixiſſe ſuffecerit: nec mihi ſe hic loci plura offerunt relatu digna: quod ſi deinceps obtulerint, non deero, quin in additione mea diffuſior futurus ſim, idque cum majori applicatione.

Interim tibi obſecro non diſpliceat debile oblatum, quod tibi paulo infra expoſitum vides: ſi dignæ gutturi tuo epulæ non ſunt, memento, quod non rarum ſit illi jejunium imperari: & ſicut in colorum varietate, qui obſcuri ſunt lumen præbent clarioribus, ſic per cibos inſipidiores, qui bene conditi ſunt, novum pretium adipiſcuntur. Suſcipe hæc, qualiacunque demum ſint, & quantumcunque debilia, quæ à me tibi porriguntur, fiet enim hoc favore tuo, ut deinceps ſi non jucundiora, ſaltem utiliora ſuperioribus tibi offerendi, vires redintegrem. Judicavi autem conſultius fore, ſi tibi in locum damni, quod hac ex parte evenire ſolet, deſcripturus ſim.

Laudes colli.

Stilla perte di ruggi adoſi umori
L'alba in conca d'argento i pregi ſuoi:
Da gelidi Rifei teſori Eoi,
Eterni gli adamanti hanno ſplendori.
Tu alle nevi involar vieni i candori,
Onde l'Alme d'incendi adorno poi,
Serba l'arte operoſa a pregi tuoi
I monili di gemme inteſti, e d'oro.
Tu de l'ingegno ſei fonte, e radice,
Onde pullula a l'opre, e a le parole,
Sangve, per cui ſpirito vital s'elice.
Collo tu ſei, perche per ti ſi cole
Con oſſequio a gli Amanti ognor felice
Quaſi in ciel di belta volto di ſole.

PECTUS, ET THORAX.

Anatomia.

Quicunque pectoris vel thoracis partes omnes & ſingulas pro debito ſuo enumerare, & deſcribere vellet, non immerito dixerit, pro meo quidem arbitratu, ſe mare Ægeum emetiri velle, aut in firmamento enumerare quotquot illic ſtellæ ſunt, vel denique arenas maris: tot illic organa ſunt, tot nervi, tot muſculi, arteriæ, & venæ infinitæ, quæ ad partis tam nobilis compoſitionem concurrunt, utpote quæ meliorem in ſe hominis ſubſtantiam, & vitæ ſuſtentaculum, cor videlicet, tanquam ſedes principalis complectitur. In fæminis præter hæc & ubera continet, quæ nobis cibum vitæ in tempore ſuo & fontem nutritionis adhuc infantibus præbuerunt. Ego vero pro more meo, ut te mi Lector, lectionis potius varietate diſtineam, quam ut eos imitari velim, qui artem Anatomicam profitentur, ex pluribus ea tantum adducturus ſum, quæ principalia, & maxime ſuccoſa videbuntur.

Itaque in hoc genere expertiſſimi, nomine thoracis omne id comprehendunt, quod à jugulo cum cartilagine Xiphoide ad diaphragma usque protenditur: hinc à ſuperiori parte cum claviculis, quæ cum inferiori diaphragmatis parte ligantur, una cum via illa quæ anterius ad cor usque vergit, & poſterius cum dorſi vertebris unitur: omnis inquam, regio iſta, duodecim coſtis, tanquam veris confinibus ſuis circumſcribitur. Figuram obtinet, omni altera parte capaciorem, validiorem, magis pulchram, & rotundam, non omnimodo, ſed per modum ovi: largus & apertus eſt, idque in poſteriori parte magis, quàm in quopiam cæterorum animalium, ut videlicet majus ſpacium detur pulmoni, & cordi. Indiget enim homo propter reſpirationem, receptaculo admodum vaſto.

Ultima thoracis ſuperficies, quæ proinde à quibusdam vas viſcerum nominatur, non circumquaque oſſibus vallata & ſepta eſt, ſicut eſt regio ſuperior, nec tota muſculoſa eſt, ut pars inferior: ſed pars ejus carnea eſt, pars oſſea: idq; ad cordis defenſionē, viſceris illius nobiliſſimi, ut cavitas debita formetur. Carnea itē eſt, ut motus Syſtoles, & Diaſtoles tanto expeditior ſit. Situm medium obtinuit thorax inter primam ultimamque regionem corporis, locum nimirum præſtantiſſimum & maxime in humano corpore ſpectabilem, ut exinde calorem nativum, cujus perennem & abundantiſſimum fontem & ſcaturiginem continet, in univerſas corporis partes æqualiter diſpertiatur. Itaque non immerito ſibi nomen ventriculi medii vendicaret, ob ſtructuram, & ſitum ſuum, quamvis Hippocrates ventrem ſuperiorem eum appellat, volens hic fluxiones fieri, atque idcirco illi nomen hoc indidit.

Harum partium quædam contentæ, quædam continentes ſunt: quædam communes, quædam propriæ: communium quinque ſunt: cuticula, cutis, pingvedo panniculus nervoſus, & membrana omnibus muſculis ſerviens: de quibus periti copioſiſſime ſermocinantur. Propriæ hujus partis particulæ variæ ſunt, quæ pro commodo doctrinæ in ternum ordinem rediguntur: earum enim aliquæ molles ſunt, aliquæ carneæ, aliæ membranoſæ. De carne ſunt primæ, & ultimæ, pluresque muſculi in thorace poſiti ſunt, aut vero ab eodem nati, aut in eundem inſerti: vocantur muſculi reſpiratorii: quidam eorum ad ſcapulas pertinent, plures numero, qui brachia commovent. Ad hoc carnoſum genus mamillæ ſpectant, quas Hippocrates nonnullibi glandulas, aut carnoſa corpora nominare conſvevit.

Partes oſſeæ thoracis, anticæ ſunt, & poſticæ, & laterales. Pars illa quæ in medio coſtarum anterius extenditur ſternum vocatur, quaſi quæ in medio coſtarum proſternatur, & applanetur, illic ubi invicem uniuntur, atque hoc proprie pectus eſt. Latera, vocantur coſtæ. Pars poſterior dorſum, vel tergum appellatur, cujus latera alæ dicuntur, & ſcoptulæ, & ſcapilia, & ſcapulæ: quorum integra deſcriptio ex oſteologia deſumenda eſt. Remanet tertius ordo partium, quæ continentes dictæ ſunt, quæ ſcilicet membranoſæ ſunt: inter has numeratur, & admittitur membrana illa, quæ ſubtus coſtas eſt, & pleura dicitur, ex qua dolor lateralis naſcitur, vel pleuritis. Compendioſa hæc deſcriptio eſt partium continentium: contentarum paucæ numero ſunt: nec enim aliud hic invenitur, quàm organa vitalia; hoc eſt: Cor, pulmo, vena cava, arteria venoſa, aſpera arteria, oeſophagus, & nervus tertiæ conjugationis. De his ſingulis nonnihil dicendum, ſed non niſi cum brevitate.

Præſentant, ſe inprimis hic mamillæ, venæ illæ ſcaturientes, ad primum vitæ noſtræ alimentum ſuggerendum. Harum magna diverſitas eſt in mare, & fœmina; hæc eas completas habet, in viro imperfectæ ſunt. Compoſitæ ſunt ex cute, pinguedine, & papillis, ad hoc erectæ ut fortitudinem præbeant & ornamentum viro: ne forte ſoli ſexui muliebri hæc pars data videatur. Quamvis mari glandulæ deſint, aptæ ad producendum lac. Corpus hoc glanduloſum in fœminis non unicum, aut continuum eſt, ſicut in pluribus animalibus, ſed multiplex, in centro enim papillæ glandula una, major eſt reliquis, cui hæ ſubmittuntur, aliæ rurſum quæ formam habent amygdalarum cum decorticatæ ſunt, & mundæ. Hæ in virginibus duræ ſunt, & exiguæ, figuramque ſemiglobi præſeferunt. In gravidis & lactentibus, magis intumeſcunt, in vetulis flacceſcunt. In has plures venæ & arteriæ terminantur: inſigniores & externæ, ab ramo axillari, vel lacca emergunt: minutiores vel interiores ſeſe abdunt. Magna eſt, & admirabilis ſympathia intercedens cum utero, & vaſis iſtis: unde etiam fit, ut cum contactæ fuerint, concupiſcentiam excitent. Varii illic anfractus, ſinusque venarum, & arteriarum ſunt, ad hoc ordinatæ, ut ad perfectam elaborationem, & compoſitionem ſangvinis conferant. Sed præcipui nervorum à coſtis procedunt: atque hic vera fit titillatio. Situatæ ſunt mamillæ in anteriori thoracis parte; muſculis brachiorum, qui pectorales dicuntur, innitentes. Serviunt interim & ad cordis tutelam, ubi copioſiſſimus ſangvis generatur: atque hæc regio potiſſimum eſt, quæ calore exæſtuat, cujus virtute generatio lactis promovetur: diximus eas cordi ad hoc uſui eſſe, ut ab omni exteriori offenſa illud defendant: cor viciſſim uberibus par pari refert, ſuggerens alimoniam, & calorem, quibus lac producitur.

De Hiſt. Animal. Mares lac generare poſſunt.

Copioſum eſſet huc adducere quæ de lactis generatione quæri ſolent: qua ratione formetur, ſi fœtum vel embrionem anticipet, aut poſterius illo fit: unius & alterius quæſtionem indeciſam relinquo, ne latius diffundar. Id ſolum cum Ariſtotele dixero, etiam hanc facultatem generandi lactis inveniri poſſe in maribus: Id quod Albertus, ſimul & Avicennas confirmant. Inſuper Cardanus meminit, vidiſſe ſe virum triginta circiter & quatuor annorum, de cujus mamillis tanta lactis copia manabat, ut facile illi fuerit lactare infantem. Recenſent item alii, qui novum mundum perluſtrarunt, reperiri illic marium quosdam, qui pectus lacte plenum gerant, non abſimiles in hoc fæminis. In gravidis nihilominus lac in mamillas, admirabili naturæ artificio exprimitur, & diſcurrit, idque confeſtim dum embrio moveri cœpit. Cum partus editus eſt, non jam ultra expreſſio fit, ſponte enim ſua fertur ſanguis, & pectus adimplet. Hæc verba viri famoſiſſimi Hippocratis ſunt: *Ubi peperit mulier, principio motus jam facto lac fertur ad mammas ſi lactaverit, ut ea ratione feratur poſt partum ad mammas ſangvis, qui conſveverat eo curſum inflectere, & moveri dum geſtaret mulier: neque verò tantùm ſponte affluit, ſed trahitur etiam à mammis copioſior ſangvis, quàm pecularis ejus nutritio poſtulat.*

De ſubſtilitate.

De natura pueri.

Complures in thorace muſculi ſunt, ex numero partium quæ continent: quorum alii veraciter thoracem movent, & proprii ejusdem muſculi vocantur: alii item illic ſunt, non huic tamen, ſed aliis partibus deſtinati, ſicut ſunt ſcapulæ, & brachia. Sic in parte anteriori illic muſculus pectoralis eſt, ſic & minor ſerratus, qui retrorſum ſcapulam movet. In poſteriori parte trapezius eſt, qui ſcapulam levat; à latere rhomboides eſt, qui in latera torquet. Hi exteriores ſuppoſiti & proſtrati ſunt muſculis reſpiratoriis: cumque reſpiratio aut libera ſit, aut violenta, hi organa ſunt, quæ his motibus impulſum dant. Reſpiratio libera mediante diaphragmate perficitur: ad alteram illam ſexaginta muſculi concurrant neceſſe eſt: qui ab anatomicis peritis ſinguli deſcribuntur.

Itaque Diaphragma primum & præcipuùm reſpirationis inſtrumentum eſt. Dicunt Græci hoc ipſum prudentiæ particeps eſſe; domicilium mentis ab Hippocrate nominatum, non quod vere ſapiat, aut vero ullam cognationem cum mente habeat, ſed propter admirabilem ſympathiam & analogiam cum cerebro: unde evenit ut inflam̃ato diaphragmate propediem delirium repentinum ſubſequatur. Præcordium item dixeris, propter cordis viciniam. Latini illud cingulum appellant, cingit enim hominem. Macrobius illud diſſeptum, Celſus ſeptum transverſum nominat, non ſecus enim ac murus aliquis, ventrem medium ab inferiori dividit, organa vitalia, à naturalibus diſcernendo. Transverſum dicitur ratione ſitus. Figura ejus rotunda eſt, veram ſimilitudinem rajæ piſcis habens. Situatio ejus prout diximus, transverſa eſt, & ab oſſe pectoris per extremitates coſtarum ad regio-

regionem lumborum usque defertur. Duobus circulis conſtat, quorum unus membranoſus, alter carneus eſt: duabus venis cooperitur, totidemque arteriis, duobus nervis, duabus tunicis, duobus foraminibus pervium: Duplicem actionem admittit, inſpirationem nimirum, & aſpirationem. Primus circulorum nervoſus eſt, tanquam in centro collocatus, de quo fibræ plures ad circumferentiam diſcurrunt: alter circulus omnimodo carneus eſt, qui priorem ex omni parte ambit: colligatur autem ex anteriori ſui parte cum coſtis: ex poſteriori cum ſupremis lumborum vertebris, idque interventu, & ligamine duorum tendinum.

Duæ membranæ ſunt, quæ diaphragma veſtiunt: à parte enim ſuperiore pleura eſt, ab altera peritonæum. De trunco majori venæ cavæ, duæ venulæ naſcuntur phrenetides dictæ, quibus duæ arteriæ correſpondent. Duo itidem nervi de medulla ſpinali exeuntes per quartam quintamque vertebram, in circulum ſe formant, per modum funium. Duo illic foramina, prout dictum eſt, inveniuntur, quorum unum tranſitum præbet ſtomacho, alterum venæ cavæ, quæ ad cor ſurſum fertur. Tertium recentiores adjungunt, quod arteriæ deſcendenti deſerviat, quamvis à provectioribus non admittatur. Varius diaphragmatis uſus eſt; qui diverſimode à Platone, Ariſtotele, & univerſa medicorum ſchola ſumitur, & intelligitur. Plato non niſi unicum muſculi hujus uſum cognoſcit: quod nimirum, per modum parietis animam iraſcibilem dividat à concupiſcibili. Ariſtoteles arbitratur hoc ſepimentum, ſeu vallum idcirco medium eſſe inter cor, & ventriculum (officinam alimentorum) ne forte cor fœtore offenſum, qui de culina illa, & aliis inſuper partibus exhalari ſolet, perturbetur, aut deprimatur. Plinius hic præcipuam ſedem lætitiæ collocat, quod cognoſci, inquit, per titilationem quandam poſſit, quam præbet: hinc illud ſe obſervaſſe, quod quicunque militum triumphando moriuntur, ob nimiam obtentæ victoriæ hilaritatem, ridendo moriantur: idque potiſſimum in ſpectaculis gladiatorum evenire, tum cum illis perforata eſſent præcordia.

Medicinæ periti in hoc ſepimento ſummæ neceſſitatis, ſummique momenti uſum agnoſcunt. Inſervit, prout ajunt, inprimis reſpirationi: id quod facile in animale extincto apparet. Alter uſus eſt, ut hypochondria ventilentur, præſertim hepar. In ſuperiori enim, & connexa parte arteriam nullam admittit. Quod primus omnium obſervavit oculatiſſimus, & ſagaciſſimus Hippocrates.

Uſus denique illius eſt, ait Galenus, ut ad locum ſuum fæces transmittat, & excernat. Si enim muſculus hic in ſuperiori parte inteſtina, tanquam manu aliqua non premeret, fæces utique cum confuſione partes inferiores, parteſque ſuperiores diſcurrerent, totumque humanum compoſitum interturbarent. Non ſine curioſitate eſt, noſſe, quâ ratione phrænesis ex reſpiratione dignoſci poſſit, item ex voce, ex contractione hypochondriorum: quæ res, cum longa indigeant præcognitione & expoſitione ad diſtinctam ſui intelligentiam, hic transeundæ ſunt: nec vero etiam me in profunda pleuræ immergo, ſicut & mediaſtini, de quibus ſcriptorum paginæ refertæ ſunt.

A Diaphragmate, rurſum ad thoracem tranſeo, in quo illud dicendum, quod ſicut in regione ima & profunda continentur organa naturalia, pro nutritione, & concoctione diſpoſita, ſic in medietate corporis humani correſpondent organa vitalia, miniſterio reſpirationis & pulſus deſervientia. Cor primus reſpirationis & pulſationis author eſt: cui etiam, tanquam Regi cæteræ thoracis partes, illic contentæ deſerviunt. Pulmo aërem inſpiratum cordi parat; & tanquam mobile ventilabrum æſtuanti calori illius refrigerationem commotine ſua præbet. Arteria aſpera conducens aërem, illud ipſum cor refocillat, ſpiramentum dat, & temperamentum: purgat item aërem, ut ſic pro corde accommodatus eſſe poſſit. Truncus venæ cavæ, ore patentiſſimo, & patulo, ſangvinem in cordis ſinum dextrum infundit, tanquam in ciſternam ad ſpirituum vitalium generationem: Arteria magna à cornu ſiniſtro ſpiritum hunc recipit, quem deinceps per complures ramos, tanquam parvos canales, aut tubulos in univerſum corpus diſpertitur. Itaque quidquid in thorace continetur, ad miniſterium cordis eſt. Singularis obſervatione peritorum digna eſt compoſitio venæ cavæ, qua ratione de gibboſitate hepatis emergendo cum ramo quodam inſigni, diaphragma ipſum penetret; qui item ramus vulgari loquendi modo truncus aſcendens nominatur, ad jugulum usque pertingens. De hoc fonte quatuor rivi dimanant: phrenicus, coronarius, azygus, & porta intercoſtalis. Deinceps rami ſubclavii ſunt, vena mammaria, thymica, capſularis, vena muſculi axillaris, & vena thoracis: quæ ſingula per ſemetipſa jam diffuſiſſimos tractatus, & folia integra requirerent.

Sed hic, niſi notam ignorantiæ ſupinæ inuri mihi volo, de arteria magna aſcendente nonnihil dicendum erit. Hæc de ſiniſtro cordis ſinu exiens, continuo reflectitur, & incurvata, ambitum cordis, arteriis duabus, coronariis dictis, circumdat: hinc bipartita diſtenditur in majores ſtipites duos, quorum unus ad inferiores partes recurvatur, & ad lumborum vertebras ſe torquet; alter ſurſum fertur ad jugulum: hic rurſum in binos ramor, eosdemque inſignes dictos ſubclavios, diſparatur. De ſubclavio dextro quinque arteriæ emergunt, ſicut & intercoſtalis ſuperior, quæ ad cortam ſuperiorem tendit. Cervicalis autem per transverſum cervicis aſcendit, & in cerebro reſplendet. Muſcularis in cervicis muſculis diſpergitur. Carotis ſic dicta eſt, eo quod carum excitet, aut apoplexiam, ſiquidem intercipiatur: negat enim & impedit aditum ad ſpiritum vitalem, cui materiam ſuggerit: aſcendit autem per latera arteriæ aſperæ, cum arteria jugulari interna.

Hæc brevis & compendioſa eſt arteriæ magnæ expoſitio, de qua inter Profeſſores rerum fit magnarum, in genere nimirum ſuo, enarratio. Reſtarent nobis itidem non minimæ quæſtiones, ad demonſtrandum qualiter pericardium conſtitutum ſit, ſicut & tunica cor involvens, tum deinde de aqua, illic retenta, ejusdemque origine. De ſitu, & ſubſtantia pericardii, de venis ejus, de ſenſu, cauſa finali, & unde præfatus humor ejus generetur. Pulmonum quoque materies, illa ſuperiore non minus ampla eſt; reſtarent illic deſcribenda reſpirationis organa, eorundem nomina, ut eſt calcitra, flabellum, ventilabrum, de quibus Hippocrates, Avicenna, Plato, & alii: porro ſitum ejus, magnitudinem, temperamentum, motum, ſenſum, ſtructuram, vaſa, tunicas, nervos, eorundem notitiam, uſum, præparationem ſpirituum vitalium, quæ per eadem vaſa formatur, quis exponat? ſupereſſent multa de reſpirationis natura, quid illa ſit, quantæ ejusdem cauſæ ſint, motus caloris duplex: reſpiratio frigida, quidnam illa ſit, qua ratione cauſa ejusdem efficiens partim animalis ſit, partim naturalis: quod duplex reſpirationis uſus ſit, primarius ut calor naturalis conſervetur (hæc enim, prout ſupra relatum eſt, duplici ratione cor refrigerat) &, calor

calor ipſe expurgationem ſuam conſequatur. Vaſtiſſima interim quæſtio eſt, ſi reſpiratio non niſi actio animæ ſit, aut verò naturæ: pro qua profundiſſimi Philoſophi anatomici multum deſudant. Atque hic plures adlaborant ut has partes concilient inter ſe, duplicem nimirum actionum diſtinctionem, quarum quædam puræ & naturales ſint (ut eſt concoctio, & alimentorum diſtributio) quædam animales, & voluntariæ, ſicut eſt fabulari, ambulare, & his ſimilia, quædam mixtæ, quæ partim naturales, partim animales ſunt, unde docent reſpirationem inter actiones mixtas cenſendam eſſe. Inſpiciendus hic rurſum & motus eſſet, & uſus arteriæ venoſæ, qua ratione ſangvinem arterioſum ad pulmones ferat. Nec minor diſputatio eſſet in indagando pulmonis temperamento, quidam illum frigidum aſſerunt, quòd de materia cartilaginoſa, venoſa, & arterioſa compoſitus ſit, factus ad refrigerandum cor: quod proinde pulmones affectibus lædantur: quod humoribus frigidis, & pituitoſis abundent: Aliiècontrario naturæ illos calidæ aſſerunt, eo quod aëreo, ſpiritoſo, & in dextro ſinu cordis elaborato ſangvine alantur, qui maxime activus eſt, & vitalis: quæ conditiones in compoſito frigido non admittuntur.

Rurſum quæſtio admodum eſt difficilis, ſi pulmones naturali fortitudine ſua moveantur, aut accidentali: jam enim diuturna experientia & authoritate conſtat eos moveri. Averroës & Ariſtoteles perſvadere nituntur, motum eorum naturalibus fieri viribus: cum Galeno plures inter anatomicos doctiſſimi contrarium tuentur, dicendo: ibi fibras & filamentorum robur eſſe, nec à facultate cordis pulſatili, qua agitantur arteriæ, eos moveri.

Porro qua ratione medici ratiocinari de reſpiratione ſolent, ſive illa per ſpiritus naturales, ſive per animales conficiatur, pari ratione de tuſſi hoc faciunt, quæ mediante pleura, mediaſtino, & pulmonibus fit. Qui animalem hanc actionem eſſe ſuſtinent, ex hoc deducunt, quod efflatio validiſſima ſit, quæ ope muſculorum qui in thorace ſunt, peragitur. Galenus nihilominus, ſingularem habens de ſymptomatibus his, de ſternutatione, tuſſi & vomitu tractatum, vomitum ex facultate naturali procedere vult, tuſſim ex animali. Quod totum conciliabitur, ſi diximus tuſſim, non ſecus ac reſpirationem actiones eſſe facultate animali, & naturali intermixtas. Motus animalis eſt, eo quod opere muſculorum perficiatur, ſed cauſa movens & impellens naturalis eſt: tuſſis enim non fit niſi cooperante facultate expultrice.

Denique explicatu compendioſum non eſt (interim ego non niſi brevitate utor) an quæ potulenta ſunt in pulmones ferantur: Hunc locum dubitationis Hippocrates dedit: dum alicubi aſſerit illuc liquida deſcendere, alibi idipſum negat. Galenus id fieri poſſe non abnuit, cum quæ fluida ſunt, per arteriam aſperam ferantur: ſic in ulceribus quæ arteriam hanc offendunt, præcipit ut laborans ſtans ſupinus, ſpacioſo tempore medicamina fluida ore contineat, ut ſic ſenſim defluendo, medeatur ulceri, & tandem in pulmones labatur. Cui omnis philoſophorum ſchola adſtipulatur (excepto Ariſtotele) inter quos Plato eſt, Phyloſthenes, Locrus, Dioſippus, Hippocraticus, & Plutarchus. Hippocrates tamen in libro quarto *de morbis*, diverſam ab hac opinionem ſuſtinet, dum ait: ſi pulmo potiones admitteret, cum organum fiſtuloſum ſit, ſpiritale, & vocale, vox illic efformari non poſſet. Porro ſi illuc humidum transferretur, facile per calorem cordis exſiccaretur, nec facilis ejus fieri poſſet digeſtio.

[*1. De Simpl. medic. facultatibus. In libris methodi.*] [*Ex Andrea Laurentio.*]

Conciliant autem cum Galeno hanc quæſtionem, dicendo: *Si potum omnem in pulmonem ferri exiſtimat Plato, meritò accuſandus eſt, quippe qui apertiſſimam rem ignorat: ſi verò portionem aliquam potus per aſperam arteriam in pulmonem deerrare arbitratur, probabile quidem dicit:* Et hac ratione argumenta Hippocratis diſſolvit. Pateretur homo ſummum ſuffocationis periculum, ſiquidem potus omnis illuc tranſiret; quod manifeſtum fit, cum mica quædam cibi illuc penetraverit. Sic de Poëta Anacreonte memoriæ traditur, eum ſolo acino uvæ paſſæ interemptum: Fabius item ſenator per unicum pilum, quem in lacte poto trajecerat, ſuffocatus eſt. Alexander Benedictus meminit, matronam quandam Brixienſem dum filiæ ſuæ pilulam deglutiendam daret, illamque admoto digito detruderet, repente eam ſuffocaſſe. Interim obſecro, ſiquidem plura de his noſſe, Lector deſideret, ad Artis hujus Profeſſores cum ſatisfactione, ſi ſic placet, ſe conferat. [*Lib. 8. de Placit. Hipp. & Galeni.*]

HIEROGLYPHICA.

QUemadmodum qui in vaſe abjecto, pretioſum theſaurum includit, & conſervat, non magnopere ejus rationem habet, quò continetur: quamvis præſtantiſſimum, & æſtimatiſſimum habeat, quod contentum eſt. Idem mihi majores noſtri feciſſe videntur cum pectore, tanquam receptaculo cordis, quod primum naſcens eſt, & ultimum moriens, fons ſpirituum, ſcaturigo vitæ, cujus puriſſimo ſangvine humanæ potentiæ generantur. Dum igitur in hoc pretioſiſſimum viſcus intentos haberent oculos, pleniſſimis & facundiſſimis Hieroglyphicis & in multigenis ſignificationibus exuberarunt: prout illud in ſingulari & ſat amplo tractatu apparebit: de pectore verò, tanquam vaſe multum inferiore, pauca admodum ſcriptò vel oretenus tradiderunt. Ad quod alluſit gentium Apoſtolus dum ait: *habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* [*2. Cor. 4.*] Nec tamen usque adeo parci fueruut, ut non illud dicerent Receſſum, Muſæum, aut Domicilium Sapientiæ. [Domicilium ſapientiæ.] *Prærerea pectus pro receſſu accipitur ſapientiæ*, ait eruditiſſimus vir Valerianus. Hinc Horatius: *Non tu corpus eras ſine pectore.* [*Hieroglyph. Lib. 33.*] In hunc receſſum procubuit Dilectus Chriſti Diſcipulus in Dominica illa cœna, cum intellecta paſſione Magiſtri ſui amantiſſimi, dolore compreſſus, *cecidit ſuper pectus ejus.*

Optimum itaque erit prudenti viro in negociis diurnis, retrahere ſe identidem in ſeipſum: cuſtodire, & menſurare pectus ſuum, hoc eſt in domum ſapientiæ ſe recipere. Atque hæc illa eſt, quæ divitias univerſitatis, prout ait Salomon, elargitur. *Venerunt mihi pariter omnia bona cum illa.* Qui hanc poſſidet, ſemper beatus eſt. *Sapiens nemo miſer*, inquit S. Auguſtinus. [*Contra Acad. lib. 5.*] Huic fidem qui præſtat, non eſt quod falli metuat. *Sapientibus credere, eſt tutiſſimum*, ſicut idem affirmat. [*De util. Credendi.*] Hæc inordinatos affectus evellit, omnem paſſionem male conceptam eradicat: hæc in animo rite compoſito, tanquam in feraci tellure, omnia virtutum genera diſſeminat. *Sapientia victrix ſingula vitia eradicat, & ſingulas inſerit virtutes*, inquit S. Bernardus. [*De ſeptem donis Spiritus Sancti.*] Ut verbo concludam, optimum hoc domicilium, feliciſſimus Receſſus eſt.

MORALIA & MYSTICA.

PRimum nobis gradum ad hanc contemplationis ſcholam in materia pectoris magnus Africæ Leo præbet, Auguſtinus inquam, qui veraciter prodigioſam ex his locis, plenam monſtruoſitate profundiſſimamq; ſcientiam protulit: cui aſſociatur Origenes, qui [*In Ioan. tract. 61. In Cant. hom. 1.*]

qui de communi conſenſu ajunt, pectus non incongrue Chriſti typum exprimere, qui ab eodem pectore ſecreta divinæ ſapientiæ, & communicationem ſenſuum ſpiritalium depromit: huic pectori, jam ſupra relatum eſt, qualiter diſcipulus Jeſu prædilectus incubuerit.

[*De Celeſt. Hierarch.*] S. Dionyſius refert, dum pectoris mentio fit in Angelis, illorum virtutem inſuperabilem poſſe denotari, eandemque fortitudinem eorum figurari, qua corda noſtra in vivifica donorum Spiritus Sancti diſtributione conſervant.

Pectus Aaronis, in quo cum tanto ſplendore fulgebant gemmæ inſertæ in rationale, juxta gloſſam ordinariam Apoſtolos figurat, qui tanquam pectus Chriſti ſunt. Rurſum, juxta gloſſam eandem, curam illam irremiſſam exprimit, quâ Prælatos in ſubditorum ſuorum ſalutem vigilare oportet: [*Exod. 28.*] Memoriam item Patrum: de quibus inquit Exodus: *Portabit Aaron nomina filiorum Iſraël in rationali judicii ſuper pectus ſuum, quando ingredietur ſanctuarium.* [*In Exod. hom. 9.*] Obſervat Origenes rationale hoc quandoque poſſe vel corda vel voluntates hominum ſignificare: Et ſupra id quod æternus Pater ad ſerpentem dixit: *ſuper pectus tuum gradieris*, ſubjungit, hoc de dæmone intelligendum, cum nobis cogitationes indecentes inſpirat.

[*2. Moral. Exod. 29.*] Juxta ſententiam S. Gregorii, pectus ſapientiam denotat, prout jam memoratum eſt. Quod item victimæ, pectuſculum Sacerdoti olim mandato Dei conſervari conſveverat, ad hoc fiebat, ut meminiſſet, quam ſibi neceſſaria ſit ſapientia ad populorum informationem. [*In Ezech de veſte. ſacerd.*] Dicit S. Gregorius, pectus etiam mundanarum cogitationum varietatem ſignificare, item conſilia, notitiam legis, dogmata Sacro-ſanctæ Trinitatis. Proinde pectoralem faſciam, quæ illic in [*Cap. 2. 1. Secund. Quæſt. 102. Artic. 3. de charitate.*] Jeremia ordinatur, S. Thomas, & Philo Hebræus inquiunt doctrinam Evangelicam portendere.

Hæc pectuſcula inſuper, juxta mentem S. Hieronymi, Solitarii noſtri, bonam conſcientiam notat, qua [In Jerem. In Malach.] ſacerdotes dotatos eſſe oportet; cor item, & cogitationes hominum in confeſſione his pectoribus aperiendæ: aut verò fidem, & confidentiam, quæ fortitudini conjunctæ ſunt. Sic Deus in Levitico inquit: [*Cap. 7.*] *Pectuſculum enim elevationis, & armum ſeparationis tuli à filiis Iſraël de hoſtiis eorum pacificis, & dedi Aaron Sacerdoti.*

Myſterioſa illa ſtatua, quam in ſomnio vidit Nabuchodonoſor Rex, & à Daniele Propheta declarata, quæ pectus gerebat argenteum, ſi in aliis ſui partibus anſam dedit, & intelligentiam Scriptoribus ſacris & Doctoribus, diverſa interpretandi, in hoc potiſſimùm ad conſiderationes ſingulares impulit Heſychium, Richardum de S. Victore, & Georgium Venetum, ut hinc doctrinam, & eloquentiam, ſed vacuam charitate, aut vero deliberationem cujuscunque rei denotarent. [*Levit. 78. De ſomno Nabuch. Cant. Tom. 3. cap. 3.*] Cum enim pectus illud ſtatuæ argenteum dicatur, rectitudinem ſinceri, beneque ordinati conſilii demonſtrat.

[*2. Allegor. de migrat. Abraham.*] Commentatur denique Philo hebræus in memorata illa ſerpentis damnatione: *ſuper petus tuum gradieris*: expreſſionem iræ intelligi poſſe, aut verò concupiſcentiæ, ſupra quam ingreditur ſerpens, hoc eſt ſupra voluptatem, & ſenſuales appetitus. Imponitur hoc pectus, in ritibus antiquæ legis, reliquæ ſtrui victimarum: oportet enim ſenſus noſtros ſubdi imperio rationis, imo iiſdem anteponi.

Quod ad thoracem pertinet, explicationem aliam [*Iob. cap. 41. 34. Moral. 5.*] præter illam S. Gregorii Papæ ſupra dictum Job, (*cum apprehenderit eum gladius, ſubſiſtere non poterit, neque haſta, neque thorax non inveni:*) ſupra quod ſic habet: *Quia conſtantium patientia, niſi à Deo adjuvetur, dirupta à diabolo penetratur.* Parum proderunt adjumenta, & deſudatio hominum, ſi cooperatio auxiliantis Dei abfuerit.

PROVERBIA.

PRout diximus ſterile pectus eſſe ad conſiderationes Hieroglyphicas producendas, ſic nec copioſa proverbia ſunt, quæ exinde, prout mihi perſuaſum habeo, deducta ſunt. Interim hæc pauca, mi lector, quæcunque tibi ex affectu integro & ſincero indagare potui, æquo animo velim acceptes. De homine, cui rectus deſit rationis uſus, aut diſerta lingva, aut recta ſui gubernatio, olim ſic dicebatur: *Corpus ſine pectore.* [*Homo rationis carens.*] In pectore enimverò præcipua ſubſiſtunt organa, è quibus homo animalium ſimul & vitalium ſpirituum productionem nanciſcitur. Hoc ab Horatio authoritatem majorem adeptum eſt, qui ſic ait: [*In Epiſt. ad Albium.*]

Non tu corpus eras ſine pectore; Dî tibi formam
Dî tibi divitias dederant; artemque fruendi.

In eundem ſenſum coincidit Cygnus ille Sulmonenſis dum ait: [*In Heroinis.*]

Hunccine tu ſperas hominem ſine pectore, dotes
Poſſe ſatis formæ Tyndari noſſe tuæ?

Ad propoſitum noſtrum hic Manutius gloſſatur: *Perinde dictum eſt corpus ſine pectore, quaſi dicas ſine mente: nam ſapientiam, & ingenium in pectore, atque in corde conſiſtunt, unde & cordatos appellamus prudentes.* Hinc Juvenalis eundem ſenſum tangit, dum ait: *cum læva in parte mamillæ nil ſalit Arcadico juveni:* deſcribens hominem ſtolidum. Prudentia nimirum veraciter forma Regia eſt, animi ritè compoſiti, & in futurum proſpicientis, tanquam Argus aliquis centoculus, qui tot luminibus proviſus, prævidet, & ſcrutatur omne id, quod in occurſum occulorum pervenerit: Hæc porta regia eſt, per quam virtutum omnium cohors magnifico apparatu paludamentorum ſuorum, & coturnata majeſtate ingreditur. Principes, in periculoſa regiminis navigatione anchoram hac ſecuriorem non habent. Dixit hoc omniſcius ille, Ariſtoteles inquam, [*Polit. 8.*] *Prudentia propria eſt virtus Principum*: Et Antiſthenes: [*Apud Diog. lib. 6.*] *Murus tutiſſimus prudentia*: Et Demoſthenes ad Olynthios ſic ratiocinabatur: [*1. In Olynth.*] *Non tam videndum quid in præſentia blandiatur, quàm quod deinceps ſit è re futurum.* Qui hanc poſſidet, ait Iſocrates, [*In Pyth.*] ſecum portat & fortitudinem, & domicilium, ampliſſimam hæreditatem, & arma invicta: hic ab omni latere munitus & circumvallatus eſt, multo ditius, quam Crœſus aliquis, aut Cyrus, aut Salomon.

De iis qui in negotiis ſuis multum diſtenti, & implicati, nil tamen concludunt, illud olim dicebatur: *Pulmo prius veniſſet.* [Homo irreſolutus.] Pulmones enim ſine intermiſſione ſe quatiunt, & eventilant, ſed nunquam à ſitu ſuo removentur, hoc eſt à pectore. Proverbii hujus originem in Plautum referunt, è Scena ſua ad ſpectatorum ſuorum cachinnum excitandum hoc proferentem. [*In Epidic.*] Dum enim Soccus compareret in theatro, jam ſat patebat, ridicula producenda eſſe. Ait igitur: *Dii immortales Soccos juſſi adimere pedibus, Pulmo enim quod perhibent ſprius veniſſet, quã adveniſti.* Hæc lentitudo tamen, ſicut damnum aliquando infert, ſic & comodum. Hæc enimvero Fabio Maximo contra Hannibalem victoriam dedit: ſicut è converſo ruinam Beliſario acceleravit, dum Gilimeri fratris ſui interitum necquicquam plangendo ſemetipſum retardavit. De Fabio autem cunctatore Annibal (dum videlicet ſe in montium cacuminibus obſervando Pœni caſtra detineret) identidem ajebat: vereri ſe ne

nimbus ille circa montium capita tanto tempore circumvolitans, cum gravi tempeſtate aliquando in caput ſuum devolveretur. Hic illud mihi in rem præſentem aptiſſimum videtur: *Feſtina lentè.* Plures actionum humanarum ſunt quæ rerum expeditionem promptam volunt, rurſum aliæ, quæ maturitatem debitam conſiliorum requirunt. In hunc ſenſum tendunt: *Teſtudo alata: Et papilio connectens alas ſuas cum cancro.* Quod multum argutè quidam commenti ſunt. Temperantiæ virtus illa eſt, quæ univerſa componit, & moderatur: ſupra quod mihi illud in mentem venit, quod olim in quadam, quamvis debili ode exorſus ſum:

Verſa a pro de mortali onda temprata,
Su le coppe del modo, o veglio edace,
Onde funerea face
Non ſcuota a breui giorni Atropo irata:
Su la mole ſtellata
Si muovano a mio pro gli alti zaffiri,
Ma ſian de gli orbi ſuoi mediocri i giri.

Cum pectore ſinus tantam invicem copulationem habet, ut unum ab altero indiviſibile dici poſſit: unde non abs re futurum arbitror, ſi huc bina de eodem proverbia collocaverim, quorum unum ſic [Homo tenax.] habet: *In ſinum manu habere.* Quod de homine tenace dicitur, qui in iis etiam rebus, quarum erogatio debita eſt, nihilominus remiſſus & ignavus eſt. [*In Charitibus.*] Hoc adagium Theocritus illuſtriori famæ dedit, dum ait:

- - Lucrique cupidine victus
Inque ſinu unusquisque manus habet, illud & unum
Spectat qua ratione ſibi aucta pecunia creſcat.

Quod omne ab Jureconſulto Scævola confirmatur: [*Pandect. 22. Titul. de Probationibus.*] *In ſinu meo*, inquit, *habui pro eo quod eſt in poteſtate mea clam habui, magis pertinet ad illud, quod alibi à nobis dictum eſt, in ſinu gaudere. Verba Caji ſunt hæc: Titio centum delego, quæ mihi pertulit, quæ ideo ei non cavi, quod omnem fortunam, & ſubſtantiam, ſi qua à matre ſuſceperat, in ſinu meo habui, ſine ulla cautione.*

Memini me id alibi dixiſſe, utrumque condemnabile eſſe, eo quod in ſummis extremitatibus ſint, prodigalitatem nimiam, nimiamque parſimoniam. In omni ſiquidem re: *medio tutiſſimus ibis.* (Præceptum quod Sol Phaetonti dedit) ſecuriſſimum conſilium, ne forte in itinere evertamur. Hic ergo mediocritas aurea, tantopere ab authoribus cele- [*In lib. de Vin.*] brata, locum ſuum habet. *Moderatio virtutum pulcherrima*, ajebat Sanctus Ambroſius. Melius aliquid in hunc ſenſum dici poſſe non crediderim, [*3. De Conſider.*] quàm id, quod S. Bernardus inquit: *In te conſiſtuo, non ſupra attolli, non infra dejici, non evadere longius, non extendi in latius; tene medium, ſi non vis perdere locum, locus medius tutus eſt: medium ſedes modi, & modus virtus.* Ad hanc medietatem omnes adeo actiones, omnis ratio politica collimat.

Quod huc referemus tale eſt, ut præpoſtera Criticorum authoritas quaſi laqueo irretita videatur, & tanquam limo quodam vel ſputi glutine innexa; [Reprehenditur Criticorum temeritas.] hic Momus corripitur, hic Ariſtarchus exploditur, & Zoilus. Veteres enim dum unumquemque rerum ſuarum ſatagere, & ſeipſum prius menſurare cum ſemetipſo voluerunt, antequam ad expunctionem negotiorum alienorum ſe cenſorem erigat, verbis quidem, intuitu primo ſat abjectis, ſed non ſine ſale efficacibus, ajebant: *In tuum ipſius ſinum inſpue*; ut videlicet lingva noſtra, in recordatione domeſticorum malorum ſuorum, à correptione alienorum abſtinendum noverit. Colligitur hoc inter [*Lib. 28. cap. 4.*] alia è Plinio, cujus verba hæc ſunt: *Veniam quoque*

à diis ſpei alicujus audacioris petimus, in ſinum ſpuendo. Quibus adjungit Manutius: *Idem in eodem capite ſcribit ex authoritate Salpæ, torporem ſedari, quocunque membro inſtupeſcente, ſi quis in ſinum expuat.* Hunc ſenſum pene eadem ſententia magnus ille Ethicus contingit, his verbis: *Fortaſſe vitium de quo quæris, ſi te diligenter excuſſeris, in ſinu invenies.* [*De beneficiis.*] Lucianus in Apologia eorum, qui mercede conducti ſerviunt, his verbis utitur: *Quodque non prius in tuum ipſius ſinum inſpueris, quàm accuſare cœperis:* Quod alibi item corroborat: *Jocatur quispiam, amicum quod tanquam oblitus ſui, opes immenſas imaginetur, neque in ſinum inſpuit, ut agnoſceret quisnam eſſet.* [*In votis.*] Theocritus hoc dicto loquentem Polyphemum introducit, qui non immerito de robore virium gloriabatur, dum ait: [*Ecloga. 6.*] *Ne quid me lædat invidia, neque noceat faſcinatio, ter in meum inſpui ſinum.* Scholiaſtes ſuper hoc adjungit, & commentatur, hanc conſvetudinem quoque inter mulierculas plebejas invaluiſſe: ajunt enim: *Jo mi ſputo ſul mio grembiale*, hoc eſt *in ſupparum meum vel ſuccinctorium ſpuo*, (idem ego quoque audiſſe memini) Præfatus Author verſum quendam Calimachi adfert, qui ſic habet: [*Calimachus.*]

O fortuna! ſinum mulier cur conſpuit omnis?

Ex his igitur manifeſtum fit, quam neceſſe ſit, eum, qui diſcutere actiones aliorum ſatagit, providere inprimis, ut ſuimetipſius conſiderationem præmittat: ne forte improperium illud veritatis ab ore Salvatoris pronunciatum in caput ejus ex Matthæo feratur: *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo.* [*Matth. 7.*] Sic enimvero cenſura Criticorum exploſa eſt, ſic detractio convicta.

DEDICATIONES, HISTORIÆ, RITUS, OBSERVATIONES, & CONSUETUDINES.

[Unde illa pectoris percuſſio in pœnitentibus originem trahat.] NOn inter ſolos ritus extrinſecos numerandum eſt, quod mater noſtra Eccleſia tam ſancte præordinat, & commendat, non tantum Sacerdotibus, ſed laicis quoque, ut illi quidem exorſuri tremendum illud ſacrificium Miſſæ, hi vero in principio ſacramentalis confeſſionis, ad profitendam peccatorum ſuorum culpam ſibi terna vite pectus percutiant: denotat enim ſincerum cordis affectum qui huic actioni, cum vera cordis diſplicentia correſpondeat. Hunc uſum percutiendi pectoris, etiam olim inter paganos viguiſſe conſtat, quibus tamen nullum fidei lumen erat, nec ſinceræ religionis cultus. Hi enim in ſummis luctibus, vehementiam doloris ſui, tam facierum ſuarum diſciſſione, capillorum evulſione, veſtium laceratione, quam etiam violenta pectoris tunſione, conteſtabantur.

Alloquitur in ſcripturis ſacris civitatem Jeruſalem Deus, & ſub Metaphora mulieris cujusdam, exclamationes ejus enumerat, & ait: *ubera tua lacerabis.* [*Ezech. 23.*] Sed ſero nimium, dum deſolationi omnimodæ jam data fuiſſet. Paganiſmus omnis id in uſu habuit, prout Petrus Faber recenſet, cum Cerda: ut pectora ſua pugno ferirent. [*Lib. 2. Semeſt. cap. 10.*] In Judaiſmo id potiſſimum in more poſitum fuit: ſicut enim Cerda Virgilianum verſum exponit: [*Æneid.*]

Tunc pius Æneas humeris abſcindere veſtes,

Dicens, eos veſtimenta ſua idcirco diſſecâſſe, ut tanto manifeſtius ob oculos ponerent livorem pectoris ex crebra & vehementi percuſſione coortum. De Principe quodam propter acerba funeralia anguſtiato ait Statius: *Nunc torvus pariter veſtes, & pectora rumpis.* [*Sil. 1.*] Et Ovidius: [*De triſtibus.*]

Tunc verò exoritur clamor, gemitusque meorum,
Et feriunt mœſtæ pectora nuda manus.

Nec vero hæ tunſiones leves erant, ſed carnificina potius, ad ſangvinis usque effuſionem cruenta. Super hoc locus eſt Plutarchi, qui hujus rei fidem facit: illic nimirum, ubi de Cleopatra (quæ jam intellexerat Marcum Antonium moribundum eſſe) ſic ait: *Tunc Regina ſciſſis peplis ſuis ſuper eum, & vultum unguibus ſecans, & pectora plangens, clamabat Dominum, virum, Imperatorem ſuum.* Et paulo infra, dum à Cæſare Auguſto viſitaretur, ſic habet: *E lecto, in quo humilior jacebat, proſiliens, prima tantum veſte amicta ad pedes ejus provoluta eſt, voce tremula, & gracili, & lacero pectore, quod magna ex parte oſtendebat.* Poëta Claudianus Cererem nobis introducit lamentantem, quod filiam ſuam Proſerpinam amiſiſſet, quam Pluto rapuerat, atque hæc ejus ultima vota pro filia ſua deſcribens, ſic habet:

Plutarchus. *Claudianus.*

Accipe quas merui pœnas: en ora fatiſcunt
Vulneribus, grandesque rubent in pectore ſulci:
Immemor en uterus crebro contunditur ictu.

S. Baſilius Seleuc. Orat. 10. de Lazar. Hunc ritum pari modo S. Baſilius Seleucienſis obſervat à fidelibus Chriſtianis uſurpatum: *Enimverò quo ſe gravi moerore luctuque teneri teſtatum faciant, brachia cruentant, capillos vellunt, lacrymarumque rivos per genas deducunt.* Sed ut ad propoſitum noſtrum propius accedamus, ſic proſequitur: *Non deſunt quoque, quæ laſcivia quadam impulſæ pectora nudant. Quid facis, ò mulier! Ita ne cum membrum ſis Chriſti, in medio foro, viris undique adſtantibus, & ſpectantibus imprudenter teipſam denudas?* Sic Virgilius inquit: *Sylvia prima ſoror palmis percuſſa lacertos.* Claudianus item: *planctuque lacertos verberat.* Statius quoque:

2. De raptu. Lib. 7. Sil. 6.

- - - Non ſævius atros
Nigraſſet planctu genetrix tibi ſæva lacertos.

Et rurſum:

- - Manant lacera ora cruentis
Ungvibus, & molles planctu crepuere lacerti. *Lib. 12. Theb.*

Hinc facile conjicitur, quam longe diſſeminatum hunc uſum Eccleſia ſancta in ritus ſuos cum magna ſanctitatis promotione tranſtulerit.

Tranſeamus de affectu doloris, ad affectum reverentiæ & amoris; ſciendum enim olim uſurpatum fuiſſe, ut in teſtimonium obſequii, & venerationis oſculum pectori daretur: prout jam de barba, de mento, de genubus relatum eſt. Metaphraſtes de Præcurſore Joanne refert: *Et quoniam non videbam aliquem labia ori ejus admoventem, niſi ſoli pectori, tandem nihilominus in ejus quidem conſpectum veni anterius.* Fortaſſis per hoc indicabant, ſe in tali oſculo dare velle donum cordi, quia illic dabant, ubi cordis habitaculum eſt: aut verò pro devotiſſimis obſequiis aliud ſibi redhiberi beneficium non quærebant, quàm poſſeſſionem cordis.

Metaphr. in Com.

DEDICATIONES.

Pectus dedicatum cancro, & Neptuno: Sinus autem dedicatur ſpei.

INter ſigna Zodiaci, cum cancri convexo dorſo ſuo pectus repræſentent, eidem veteres Idololatræ victimas litabant, & oblationes, ſic inſenſati, etiam ad ſimplicia ſigna, & figuras ſacrificiorum cultum efferebant. Quod commentum Aſtrologorum & fanaticorum eſt, qui ſtellarum virtuti cuncta attribuunt, tanquàm illis manus violenta ſit, quæ in gyrum contorta, influxionibus ſuis nos ad non voluntariam operationem, prout libuerit cogant, nulla habita ratione, quod Altiſſimus voluntati humanæ arbitrium ſuum inconteſtatò reliquerit. Inter Deitates Neptunus apud hos prærogativam principatus obtinuit: fortaſſis quod denotare volunt, in negotio nautico, & navigationis commercio, quod penè inter potiſſima cenſendum eſt, quæ hic in terris inſtituuntur, brachiis opus eſſe, & pectore: aut vero quod in natando potiſſimam ſibi partem pectus vendicat.

Sinus, utpote pars hujus præcipua, ſpei dedicabatur: nec verò Prophetæ Job verba in metaphorico ſenſu accipienda ſunt, dum ait: *Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Supra quod Doctiſſimus Peneda commentatur: *Spei etiam ſinum dabant antiqui.* Hæc quantumvis prophana, non indigna nihilominus tali reflectione ſententia, & dedicatio eſt in hoc videlicet ſenſu: de ſinu prodeunt, de ſinu lactantur infantes, de quibus, & per quos in futurum felicitas, ſolamen, & bonorum acquiſitio ſperatur. De hoc Tibullus ajebat: *Iob. 10. Pened.*

Spes facilem Nemeſin ſpondet mihi, ſed negat illa.

Et de Neptuno Alexander ait: *Junoni brachia, pectus Neptuno dicata fuerunt.* *Tibul. lib. 1. Eleg 6. Alexandr. Neapol. lib. 1. cap. 19.*

Nos vero in periculoſa illa vitæ noſtræ navigatione pectora noſtra, hoc eſt animum, ſi ita dici fas eſt, Neptuno divinæ providentiæ voveamus, ut ſecuros nos ad portum æternæ beatitudinis conducat, aut vero ad ſpem ſacram Immaculatæ Virginis, de qua dictum eſt: *Et ſpes noſtra Salve.*

SIGNATURÆ PARTIUM.

CUm plurimæ partes ſint, quæ pectore continentur, prout in Anatomico capitulo pluribus demonſtratum eſt: ſic numeroſa quoque mala ſunt quæ has partes infeſtant, ſicut tuſſis, catharri, aſthmata, plevritides, & horum ſimilia. Ad quorum medelam natura provida in herbis, in animalibus, in plantis correctiva validiſſima collocavit. Quod ſi omnium hic meminiſſe vellemus, ſupervacanea eſſet receptuum omnium conſarcinatio & inanis repetitio. Id ſolum dicendum quod in Peripneumonia, aut pulmonum affectu (tam nocuo homini, quippe quod horum miniſterio tanquam follibus, cor refrigeratur) natura ſignaturam ſuàm in pulmone vulpium, qui ſimillimus eſt pulmonibus noſtris collocaverit, hic enim decoctus, aut verò aliter præparatus huic malo ſingulare remedium eſt. Horum correctiva etiam ſunt viſcus quercinum, & herba pulmonaria, quæ tam tenaciter terræ cohæret. Ad maturandum apoſthema, quod in pleuris generatur, norunt medici quale adjumentum afferre ſoleat Althea, & malvaviſcus. In obſtructione pectoris cuivis notum eſt, cum quanta utilitate ſuccus glyceritiæ præſcribi ſoleat.

Oſvvaldus Crollius in omnibus mamillarum affectibus ſummitates de pavonum pennis utiliſſimas inquit: quæ ſpeculorum ſimilitudinem gerunt, vel oculorum: hinc idem author, *ſpecula pavonum* eas nominat, & ſic ait: *Habent mamillarum, & uberum formam, ideo hauſta ſanant ubera mulierum male affecta.* Ex his palam fit, quantam divina bonitas ſalutis noſtræ ſollicitudinem habeat, tantundem ejus quæ corpora, quàm quæ animas concernit: quippe quæ & in publicis itineribus, & per campos, in ſepibus, foſſis, & patris, nobis omnium malorum correctiva expoſuit, talium inquam, quæ ubertim corpora noſtra infeſtant, & proinde animabus quoque non modicum ſæpe detrimentum inferunt. Sapientium eſt hanc lingvam, & hæc myſteria tanti momenti, penetrare & intellectu aſſequi.

EPITHETA.

EPITHETA.

QUantum Poëtæ in exprimendis pectorum, mamillarumque qualitatibus copioſi ſunt, tantum Phyſici, aut vero Hiſtoriographi, in horum recenſione, aut in eorum aſſignandis proprietatibus parci & ſteriles. Ego vero, ut morem mihi geram, hinc non niſi pauca delibabo, eadem autem & ſuccoſa, & neceſſaria. Id nimirum quod optimum occurrerit, remittendo & hic, prout alibi curioſum lectorem, ad tractatus vaſtiores.

Horatius itaque Lyricorum non immerito Princeps inter Latinos, ſicut Pindarus inter Græcos, primum nobis locum ad eorum cognitionem aperit: vocans pectora devota: *Devota morti pectora Liberæ.* Eburnum pectus ait Pontanus: *Ac de pectore eburno efflârunt gelidæ zephyris felicibus auræ.* Idem nitidum: *Et pectus nitidum ſvaviare.* Idem pulchrum: *Pulchro è pectore gemmeis papillis.* Idem adhuc niveum: *Fulgebat niveo pectore ratus honos.* Eburneum appellat Marullus: *Oris purpurei, & pectora eburnea.* Idem decorum: *Nam, quid decori pectoris papillas.* Candidulum Pamphyllus: *Pectus candidulum, comas nitentes.* Augurellus delicatum: *O delicati pectoris papillas.* Calidum Baptiſta Pius: *Quid juvat ingentem calido ſub pectore flammam.* Candidum idem: *Pani ſua candida junget pectora.* Virgilius inſatibile: *Inexaturabile pectus.* Inexcuſabile Ovidius: *Felix & inexcuſabile pectus.* Idem illud memor nominat: *Signatum hoc memori pectore nomen habe.* Anxium idem: *Anxia ſunt vitæ pectora noſtra tuæ.* Adhuc idem tenerum: *Nam licet in tenero teneraſcere pectore carmen.* Statius ambiguum vocat: *Ambiguo ſub pectore verſo.* Penetrabile ab eodem dicitur: *Nullique tuum penetrabile ferro pectus.* Amicum ab eodem: *Refovet frigentis amicum pectus.* Item gelidum & iners: *Gelidis & inertibus ævo pectoribus mens una ſubit.* Item martiale: *Unde hæc Mavortia Divæ pectora.* Item ferratum: *Inviſum terris ferrato pectore martem.* Item tumidum: *Infixus tumido vocem de pectore rupit.* Manto illud luxurians appellat: *Luxuriansque thoris pectus:* Item Cæleſte: *Sed cæleſte meum tulit in contraria pectus.* Item cordatum: *Cordato ſervans in pectore mentem Innocuam.* Manilius delaſſabile: *Et celeres motus, nec delaſſabile pectus.* Iterum Manto ſupplex nominat: *Vidit enim pectus ſupplex:* Item lactans: *Paſcentem teneros lactanti in pectore partus.* Item inexpugnabile: *Sed conſtans & inexpugnabile pectus.*

Horat. carm. 4. *5. Æneid.* *7. Metamor.* *In Ep. Laomid.* *In Ep. Cydip.* *L. 6.* *1. Theb.* 7. 3. 5. 7. 11.

EPITHETA de MAMILLIS.

NOn ſemper hæ incentivæ lubricitatis, & ſenſualium ardorum ſunt, quin etiam aliquando eosdem corrigunt, prout illud è pluribus locis, quos allaturi ſumus, inferri poterit. Horatius primus eſt, qui putres eas nominat: *Mammæ putras equina quales ubera.* Politianus putridas: *Mammis ſenecta putridis prægrandibus deciduis, inanibus, arenoſis.* Siligineas Martialis appellat: *Illa ſiligineis pingveſcit adultera mammis.* Venoſas Pontanus: *Fuſcidaque, roſcidaque, & venoſis lactea mammis.* Pannoſas Manto: *Et tibi pannoſæ pendent de pectore mammæ.* Item Pontanus niveas: *Inſignitque manus, niveamque ad pectora mammam.* Protuberantes Politianus: *Namque tibi mamillulæ ſtant floridæ, & protuberant ſororiantes primulum.* Pendulas Pamphylus: *Mammis horrida pendulis.* Teretes Conradus: *Sed mammæ teretes tibi placebant.* Molles Theodorus: *Et molles liceat contingere mammas.* Formoſas Hieronymus Anglus: *Formoſis mammis ægida.* Roſeas Textor: *Quod dare me roſeæ permiſeris oſcula mammæ.*

In Epid. *In Epigr.* *Epigr. 3.*

PHYSIOGNOMIÆ.

SIgnificationes quas infra dabimus, non videntur rationis naturalis terminos excedere, cum enim pectus regio ſit cordis, juxta conſtitutionem ſuam materiam ſuggerit ad plures inde tam Anatomicos quam Philoſophicos diſcurſus formandos. Itaque Ptolomæus author eſt, ſiquidem in parte ſiniſtrà pectoris caro pingvis, & craſſa cum nævo quodam, & pilis oborta fuerit, honores, & divitias portendere: idque è caliditate cordis fortaſſe argumentatur, quam deinceps operationum induſtria conſequitur. Pectus grande, & bene formatum in hominibus robuſtis obſervatur, idque tanto majoris roboris indicium eſt, quanto magis vaſtum vel latum fuerit. Siquidem piloſum fuerit, ut ſunt volucrium, fortitudinem quidem denotat, ſed junctam inſtabilitati: quis enim neſcit inſtabili volatu circumagi volatilia pennata? Absque pilo nudum, Phyſiognomici effæminatum & timidum coargui docent: nec ſine ratione, cum illic calor naturalis non niſi parcus ſit, & exiguus. Pectus carnoſitate nimia obeſum, ſegnitiem, indocilitatem, & ignorantiam augurat: arbitror enim ejusmodi thoracem nimia humiditate oppreſſum, actionum promptitudini obſtare. Mamillæ pingues, & flaccidæ hominem ſenſualem, imbellem, & effæminatum indicant. Sed hæ regulæ non usque adeò inconteſtatæ ſunt, ut exceptiones ſuas non patiantur: nec enim de futuris contingentibus præſcribi infallibilia veritatis argumenta debent.

Sed ut promptitudinem cordis mei, ad obſequium tuum, mi lector, palam faciam, ecce tibi, quisquis es, recondita pectoris mei repando: hæc ſola ſunt quæ de proprio penu meo in hoc univerſo tractatu expromo (quamvis verſio totius mihi attribuenda ſit) rogo te, ut legere non dedigneris, & inſuper debilitati meæ indulgere: ne forte vilipendio tuo, ob pœnitudinem errorum meorum tundendi pectoris mihi anſa præbeatur.

Sunt autem in hoc verſu encomia tam celebris in corpore humano partis, tamque conſiderabilis: pectoris, nimirum.

Tu del cieco fanciul ſcopo a la face
Onde l'Alme infiammar puot' anche in Cielo;
Tu del ſanguigno Dio berzaglio al telo,
Feroce, immite, orgoglioſo, audace.
Tu de ſpirti vital nodo tenace,
Talchor di tema irrigidito al gelo;
Scena di varii affetti, in cui disvelo
Tuono or di pugne, or bel ſeren di pace.
Ergi tu baſe d' animati avori,
Oue a nutrir prole feconda amore
Fra ſentieri di nevi elice ardori.
Darſi del tuo non puo vanto maggiore,
Mentre (primiero in fra gli human teſori)
Tu il vaſo ſei, che in ſe racchinde il Core.

DORSUM, ET HVMERI.

Anatomia.

PArs poſterior pectoris à Latinis dorſum vel tergum appellatur: cujus latera nomen ſcapulæ vel ſcoptulæ apertæ ſortita ſunt: quandoque etiam ſcapilium & alæ nominantur: hæ totam latitudinem humeri, aut ſcapularum conſtituunt. A Celſo ſcoptulum opertum, à barbaris ſpatula appellatur. Eſt autem hæc pars corporis aperta, ex oſſe conſtans, quæ poſticas coſtarum partes cooperit. Triplex ejusdem uſus eſt. Primò, ut coſtas corroboret, tum deinde muſculorum complantatio, quippe quod omnes penè muſculi, qui ad brachia commovenda deſtinati ſunt, huic copulantur & ab hac naſcuntur. Tertius uſus brachiorum & clavium articulatio eſt. Figura ſcapulæ, quæ trapezia dicitur, triangulum inæqualem format. Articulatio ejus duplex eſt: quarum una cum jugulo fit, altera cum brachio mediante cervice, & cavitate glenoide. Continuationem quandam habet appellatam ſymphiſin, quæ cum occipite fit, cum ſpina, coſtis, & oſſe hyoïde. Mediante carne & muſculis, complura obſervatu digna in homoplata occurrunt, ſed quæ ad muſculorum potius hiſtoriam referenda ſunt.

Primum eſt baſis ejus, quæ extenditur, & per longitudinem dorſi egreditur, & per ſpinas vertebrarum, in quibus anguli ſuperiores ſunt, & inferiores. Coſtæ item duplicatæ apparent, & hæ ſimiliter ſuperiores & inferiores. In tertio loco pars cava vel interna conſiſtit, item pars gibboſa, aut verò exterior, quæ ob ſimilitudinem tractam ab animali hoc, teſtudo nominatur: hæc in corporibus macilentis, & conſtitutione gracili foras prominet, & per modum alæ compreſſæ apparet. Duæ item cavitates obſervantur, ſupra ſpinam una, altera ſubtus eam: atque hæ interſcapilia appellantur.

Rurſum ibi aliud apparet, nominatum apophyſis, portans ſimilitudinem anchoræ, aut vero effigiem roſtri. Præterea hic cervix eſt, in cujus extremitate cavitas cernitur, cui caput brachii inſertum eſt: Hæc glenoides nominatur, aut vero cavitas lenta: quæ nihilominus incrementum ſumit à cartilagine quadam, unde labrorum ejus extremitas coronatur, & cum lubricitate extenditur, atque hinc profundior videtur. Denique appendices illic quinque ſunt, tres ad latus internum, vicinum conductui ſpinæ: duæ vero ligamenta ſuppeditant, quibus humerus dictæ cavitati, & clavicula proceſſui ſpinoſo jungitur. Hic ſinus eſt in ſummo latere ſcapulæ, per quem & nervus, & vena, & arteria fertur.

Præfatæ ſcapulæ & ſurſum & deorſum, antrorſum & retrorſum verſus moventur: in gyrum eas torqueri, nec decorum erat, nec neceſſarium; nec vero humeri robore ſuo, nec claviculæ illic affixæ hanc circularem contorſionem permittunt. Surſum tolluntur per partem trapezii, & per levatores proprios. Trapezius cucullaris quoque dictus eſt, nec enim cucullo monachorum abſimilis eſt. Muſculus hic pene toto inſertus eſt occipiti, ſpinis item cervicis omnibus, ſicut & octo ſuperioribus thoracis, univerſæ homoplatæ ſpinæ, quaſi ad medium usque: tanquam baſis & ligamentum.

Muſculi illic Levatorii ſunt, & proprii, qui homoplatam extollunt, quamvis Anatomici non niſi unum agnoſcant, qui inſertione varia, & primis ſuis originibus diſparatus ſit. Naſcuntur autem de prima, ſecunda, tertiaque vertebra cervicis, & in partes anguli ſuperioris diverſimode inſeruntur. Omnimodo carnoſi ſunt, ſeparantur autem, vel diſcernuntur membrana propria. Deorſum ſcapulam movet ejusdem trapezii pars inferior, & pars largiſſimi ſitus: dum enim hic robuſto tendine, & quaſi reflexo in brachium inſeritur, angulo ſcapulæ inferioris cum portione carnoſa alligatur, atque ita deorſum trahit.

Ad ligandam autem ſcapulam, vel eandem deprimendam, muſculi proprii neceſſarii non erant, ſat enim ſcapula ſuopte pondere deprimitur. Antrorſum movetur per muſculum cui nomen ſerratus minor. Naſcitur hic de quinq; ſuperioribus coſtis, antequam in cartilaginem degenerent: & cum tendine quodam partim carnoſo, partim nervoſo proceſſui alligatur. Retrorſum trahit homoplatam muſculus ſolus quadrangularis, dictus, à ſimilitudine piſcis, qui ejusdem nominis eſt, rhomboides. De tribus ſpinis cervicis inferioris gignitur, & de tribus thoracis ſuperioribus: totus propemodũ vicinitati baſis ſcapularis inſeritur, & in duo partiri poteſt. Cum porrò dorſum ſine ſpina eſſe nequeat, neceſſarium arbitror & hinc pauca disſerere. Itaque cum cadaver diſſectum eſt, tanquam pars potiſſimum ſpectabilis ſpina cernitur, quæ longitudine ſua à prima cervicis vertebra, ad ultimos usque renes, quin ad ipſum os ſacrum vel coccygem protenditur. Acuta eſt hæc pars, & ſpinoſa, cui medulla ſpinalis inhæret, prout paulo infra patebit. Major ejus pars dorſum conſtituit. Hæc domicilium præfatæ medullæ ſpinalis eſt, ſicut calvaria cerebri: utræque parem dignitatem ſortiuntur, nervorum enim numero æquales ſunt; & ſicut cerebrum oſſibus calvariæ tanquam galea quadam circumdatum eſt, ſic ſpina quoque multitudine vertebrarum, quaſi ſepimento, valloque armata eſt.

Ut vero magna mater natura ſtructuræ noſtræ facilem motum præberet, præmemoratam ſpinam excavavit: hinc vero numeroſis oſſium protuberantiis & acuminibus ſtipatam, eundem canalem prominentiis hiſce tanquam collibus quibusdam exiguis, iisdemque intermediis diſcriminavit. Ampla illic cavitas apparet, receptaculum medullæ, unde non immerito ſacræ fiſtulæ aut canalis nomen adepta eſt. Proceſſus, qui exinde prominent, pro tutamento medullæ, contra quasq; injurias exteriores fabricati ſunt.

Oſſea hæc ſpina eſt, non tamen ex oſſe continuo ſolida, ſed in plura diſparata, prout patet: idque ob motuum varietatem, quibus omne animal, ſicut & homo commoveri debet. Quæ idcirco etiam totius ædificii humani baſis nominari poterit: nec

nec verò ſine ratione à veteribus carinæ navium æquiparata, cui coſtæ tanquam transverſæ trabes, brachia item & femora, per modum proræ puppisque ſunt. Primus omnium Hippocrates figuram ſpinæ eleganter expreſſit.

Sect. 3. lib. de Articulis, & de oſſium natura.

In quatuor partes dividitur, cervicem, dorſum, lumbos, & os ſacrum. Cervicis vertebræ ſeptem numero ſunt, duodecim dorſi, quinque lumborum, quarum omnium articulatio admirabilis eſt. Duplex illa eſt, nomine anticæ, & poſticæ appellata: quarum prima per vertebrarum corpus fit: per apophyſes inquam obliquas illas, vel proceſſus oſſium: poſtica illa ſtrictior eſt, hæc poſterior antica magis aperta, ut tanto expeditior ad anteriora motus ſit, in quæ potiſſimum movetur homo: nonnunquam tamen etiam in poſteriora. In his motibus, nulla fit compreſſio, nulla ruptura vaſorum.

Sex interim vertebrarum articulationes ſunt, duæ in earum corpore, quatuor per apophyſes obliquas, quarum pars aſcendit, pars deſcendit. Omnes ſpinæ vertebræ multa inter ſe communia habent. Inprimis unaquæque earum partem illam quæ introrſum ſpectat, & craſſiorem, & magis fungoſam reliquo oſſe ſuo habet: cui appendices, & cartilagines agnatæ ſunt: in baſi ſuperiori & inferiori largior eſt, ut tanto magis articulatio ſecura ſit, nec per latera luxetur. Omnis item vertebra ampliſſimo foramine ad recipiendam medullam pervia eſt, quod ex omni parte æquale eſt. In omni item vertebra apophyſes quædam vel proceſſus, vel eminentiæ obſervantur, inter quas transverſæ, & auctæ ſunt: obliquarum quatuor ſunt, binæ ſupra, & binæ infra: illæ aſcendentes, hæ deſcendentes: quæ etiam vertebræ nominantur, prout Hippocrates vult: atque hæ articulatores nominari poſſunt. Transverſæ ad ſecuritatem muſculorum conſtrictæ ſunt, quorum varia inſertio eſt. Quatuor in omni vertebra ſunt: duæ ſcilicet apophyſes vel appendices, prout diximus, in corpore vertebrarum ſunt, totidem in transverſis proceſſus: una in ſpina eſt.

Omnis denique ſpondylus cum altero articulatus, foramen continet, quod nervis à medulla productis exitum præbet. Nec tamen in omnibus vertebris in eadem regione hæc perforatio eſt: ſed in iis quæ ad cervicem pertinent deorſum eſt, in iis quæ ad dorſum ſemicirculus æqualis eſt, tam ſupra quàm infra: in ſpondylis lumborum, pene totus ſinus ille in ſuperiori formatus eſt. Cæterum univerſitas vertebrarum ſurculorum nomine vel rivorum appellatur, quæ ad lumbos usque pertingit. Hæc cuique vertebrarum communia ſunt.

Præter hæc autem ſciendum, de ſubſtantia cerebelli, tanquam de radice ſua egredi ramum, qui ſpinalis medullæ, aut cerebri longi nomen adeptus eſt. Sapientia in Eccleſiaſtico prudentiſſima allegoria funem argenteum nominat: cujus receptaculum fiſtula ſacra, prout ſupra meminimus, appellatur. Hæc medulla violentæ oppreſſioni reſiſtere nequit: hinc ſi vertebrarũ una laxetur, improviſa, & repentina ſubſequitur mors. Hæc medulla neceſſario creata eſt, nec enim aliter per univerſum corpus nervi diſpartiri poterant. Hanc itaq; pro admirabili nervorũ propagatione Deus produxit. De quatuor magnis radicibus originem ſuam trahit, quarum duæ majores de duabus cerebri partibus proveniunt, minores alteræ de cerebelli. De his ſimul junctis duæ ſolum foras emittuntur, quæ ſpinalis proinde medullæ corpus efformant. Porro de his ſurculi & canales pene dixerim infiniti progignuntur. Itaque in ramos copioſiſſimos diffunditur, qui deinceps quisque in locum ſibi determinatum ſe extendunt, ac ibidem finiuntur: variam à peritis Anatomicis conjugationum ſeriem nacti.

Doctiſſimus Laurentius bifariam medullam illam dividit, alteram intra calvariam, alteram foris. De interna ſeptem paria nervorum, tum etiam proceſſus mamillares, ſicut & præcipua odoratus organa naſcuntur. Altera medullæ pars, circumdatur vertebris, & ab his munitur: ab hac proveniunt nervi, quos in brachia, & femora divaricari oportuit.

Spinalis medulla, ramus ille inquam de cerebro derivatus, immediate membrana tenui cooperitur, quæ à craſſa & dura illa diverſificatur & elongatur: per tenuem enim illam venulæ quædam & arteriæ minutæ diſcurrunt, diverſimodè implicatæ, quæ medullam nutriunt, & ſpiritus vitales ſubminiſtrant. Illa vero quæ de calvaria rotundo, amploque foramine egreditur, primum amplitudinem, & craſſitiem ſuam adauget, quæ deinceps tamen ſenſim diminuitur, ac ſic ſubſtantiam medullarem amittit, non tamen molem corpoream, quæ ſemper permanet: quæ cum demum ad fines usque dorſi pertigerit, tota in funiculos & filamenta, non ſecus ac cauda equina in pilos ſuos, diſcinditur.

Nervi qui de ſacra medulla egrediuntur penè innumeri ſunt: ſed cum de foraminibus vertebrarum prodeant, unum conſtituere corpus videntur: volunt itaque perfecti Anatomici totidem nervos eſſe, quot vertebrarum foramina ſunt. Quisque nihilominus nervorum ab ortu ſuo fibras complures habet, quæ de ſubſtantia medullari proveniunt, poſthæc verò dum paulatim deferuntur, à medullari ſe ſeparant: dumque foraminibus vertebrarum appropiant, membrana quadam craſſa veſtiuntur, & in unum conjuncti, nervum conſtituunt; qui per novum foramen turſum egreſſus, in funiculos plures diſparatur. Quanto proinde hæc medulla magis ad ima fertur, tanto altius nervi principia ſua deducunt: nervi enim dorſales, & nervi lumborum de medulla cervicali principium ſuum ſumunt.

Ab initiò lumborum deorſum verſus, usque ad extremitatem oſſis ſacri, plures ſunt funiculi, iidemque craſſi, qui in foraminibus vertebrarum uniuntur. Ab hac enim parte potiſſimum ſpina flectitur, & incurvatur, antrorſum, retrorſumque: ne itaque illic violenter oppreſſa ſit, neceſſe erat ut hæc capillamenta, & funiculi formarentur. His ego funibus hæc pauca, de multis, quæ dici poterant, colligare volui: ſufficere enim arbitratus ſum, ſiquidem ſuccinoſa hac materiæ tam vaſtæ delibatione Lectorem meum oblectaverim.

HIEROGLYPHICA.

QUamvis feraciſſima literarum ſignificationumque ſit Hiſtoria Sacra: videtur nihilominus in ſimilitudinem Ægyptiorum & Græcorum, qui ſenſus animorum ſuorum figuris rerum materialium exprimebant, ſi non ex neceſſitate, ſaltem ad Lectoris delectationem, hac parabolarum & figurarum methodo uti voluiſſe. Niſi forte id potius dicendum eſt, ad facilitandam idiotarum intelligentiam (quippe quibus in ſimilitudine, & ſenſibilibus rebus capacior intellectus eſt) etiam Theologos ſanos in Hieroglyphicis loqui couſultum duxiſſe.

Hincut de paucis admodum, quæ in ſimili cauſa hinc inde ſparſa invenire licuit, nonnulla tamen in medium proferam, cum cervici dorſum ſuccedat, illud aſſero (inhærens nimirum legi Leviticæ, quæ à functione & miniſterio ſacro repellebat, dorſum habentes recurvum, vel gibboſum) per ejusmodi gibbo-

Dorſum incurvatum, vel gibboſum.

gibboſos ab authoribus ſacris peccatorem intelligi, qui ſarcina peccatorum ſuorum (id quod pejus eſt) nec reatum ſuum agnoſcat, ſed in tergo poſitum, circumferat, perſiſtendo in vitiis. Magnum enim verò onus peccatum eſt, quod perpetuo pondere miſerum peccatorum aggravatum tenet. Hæ enim rotæ Ixionis ſunt, hoc ſaxum Siſyphi, hæ larvæ Oreſtis, hi vultures Promœthei, hæ catenæ Minois, quas Poëtæ inter inferos eſſe fabultati ſunt. De his increata ſapientia: Redemptor noſter inquit: *Ioan. 8.* *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum.* Pauperrimi bajuli, qui intolerabilem peccatorum veſtrorum ſarcinam fertis, qui tantum abeſt ut levare vos, veſtrumque pectus ad cælum poſſitis, quin ne oculos quidem illuc tollere permiſſum eſt. Ex horum numero fratricida Cain eſt, ad quem inquit Altiſſimus: *Gen. 6.* *Cur concidit facies tua?* ſupra quod ſic S. Ambroſius: *Torquebat enim miſerum, ſuorum conſcientia peccatorum, & cum adhuc percuſſor deeſſet, ſua ipſum conſcientia cruciabat.* Ipſe etiam Propheta regius ſe ad ſummum perveniſſe peccatorum faſtigium ſibi videbatur, dum hæc verba protulit: *Incurvatus ſum usque in finem.* Hinc humeri ad portanda peccatorum onera aſſveti condemnantur.

Fuga.

Sicut pectus indicium præſefert magnanimitatis, & conſtantiæ, ſic dorſum hieroglyphicum fugæ eſt. Hinc tritum illud proverbium eſt: *Inimico ſuo dorſum vertere.* De his autem, qui fugientes, inſequuntur illud dici ſolet: hi dorſo fugientis inimici inhæſerunt. *Lib. 22 Hieroglyph.* A doctiſſimo Valeriano in exemplum adducitur caſus ille, quo caput Idoli Dagon ad præſentiam Arcæ teſtamenti concidit, ita ut præter truncum aliud non appareret, prout in libro primo Regum habetur: *Porrò Dagon jacebat truncus in terra:* indicium hoc fuiſſe, cum quanta velocitate Sathanas numen falſum, & mendax ad intuitum veri DEI omnipotentis ſe in fugam proripiat. De hoc quoque Armatus muſicus meus meminit: *Quoniam pones eos dorſum:* id quod de peccatoribus ajebat. Supra quod Pierius commentatur: *Hoc eſt coget eos arrepta fuga dorſum obvertere.*

Nec tamen ſemper, ſicut ego arbitror, condemnanda fuga eſt, nec ſemper indicium vilitatis. Si enim inæqualitas illic partium eſt; aut ſi nimium in audendo periculum, in improperium inſenſati animi is qui fugit, non incurret. Audere illic locum habet, ubi vel certitudo, vel ſaltem ſpes victoriæ ſupereſt. Hæc fuga primum ſibi locum in affectu concupiſcentiæ vendicat: omnes Poëtarum Aphoriſmi hoc decantant: *Non vincitur amor, niſi fugiendo.* Sic Medea illic apud Ovidium deplorat, ſe nimium converſationi Jaſonis immoratam:

In Ep.

Ut vidi, ut perii: nec notis ignibus arſi:
Ardet ut ad magnos pinea tæda Deos.

Et dulciſſimus Compatriota meus:

Preti poeſia.

Non ſi cherzi con Amore
Benche ſia fanciullo, e cieco,
E chi vuol ſalute al core
Non s' infinga, o treſchi ſeco,
Se tu ſcherzi ei par che rida,
Ma ſcherzando a morte fida.

Fortitudo.

De hoc quod per poëtarum commenta, Athlas ſuppoſuiſſe legitur cælo humeros: inſuper authores ſacri audiendo id quod Iſaias refert: *Parvulus filius datus eſt nobis, cujus imperium ſuper humerum ejus:* denique tota Sapientum ſchola, videns humeros ad omne onus ferendum adhiberi, unanimi conſenſu, hos eosdem hieroglyphicum fortitudinis eſſe voluerunt. Sic in ſacris literis intelligi illud voluit Valerianus, dum ſceptrum potentiæ, pondusque majeſtatis in Chriſto Redemptore noſtro, per graviſſimum pondus crucis, in Calvariæ montem portatum figuratum eſſe docet. Inter prophanos Cicero inquit: *De Senectut.* *Cum humeris bovem ſuſtineret vivum.* Et in oratione, quam pro Flacco habuit, ſic ait: *Reſpublica quam vos univerſam in hoc judicio veſtris humeris, veſtris inquam humeris judices ſuſtinetis:* idque alibi multoties. Verum enim eſt, robur & fortitudinem viri ex humeris coargui, qui enim grave onus bajulat, nervos validos, & vigorem virium robuſtamque corporis conſtitutionem declarat.

De Milone Crotoniata (cujus meminerunt Juvenalis, Celius, & Gellius, quod videlicet pugno bovem mactârit, quod proinde pomum ſerratis digiti, ſic manui ſuæ incluſerit, ut nemo etiam qui fortiſſimus eſſet inde illud evellere potuerit) iidem authores recenſent, eum aliquando cum columnam domus contremuiſſe, ruinamque minari intuitus eſſet, eam *Eſal. Avin. Hiſt. Aſtolf.* humeris tantiſper ſuſtinuiſſe, donec quisq; loco egreſſus, ille quoque ſe poſtremo in tutum recepiſſet, atque inde continuo ædificium prociderit. De Titormo idem Celius narrat, quod cum ſaxum ingens per grande ſpacium terræ rotaſſet, idipſum humeris ſublatum in longam usque diſtantiam portaverit, atque illic in trophæum gloriæ ſuæ erexerit. De Fuſio Salvio refert Plinius, quod per ſchalas aſcendendo ducentarum librarum pondus tulerit manibus, ejusdem gravitatis aliud pedibus affixum rurſum aliud humeris impoſitum: ſtet autem fides penes Authorem magniloquum. *lib. 11. c. 69. Plin. de præf. Aſtol.*

MORALIA ET MYSTICA.

ARmatus Cantor meus, ut promptitudinem tutelæ divinæ, qua ad electorum ſuorum ſalutem & auxilium præſto eſt, demonſtraret, ſimilitudinem aquilæ aſſumit, cujus dorſum alatum ſit, & quod ruinis noſtris ſe opponat: & contra rapaciſſimos Sathanæ ungves nos tueatur. Ait enim in pſalmo nonageſimo: *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis, non timebis à timore nocturno.* *De eſſent. & vin. fort ſpir.* Huic ſe ſententiæ admirabiliter ſubſcribit S. Auguſtinus, cui ſuffragatur Eucherius, qui ait: *Aves in ſcapulis fixas habent alas, quibus pullos fovent: ita & Deus infirmos, quaſi in ſcapulis portat, & portando protegit.*

Sacer textus in libro Regum primo, ubi ait: *Cap. 12. 1. Reg. in loc. cit.* *Nolite recedere à tergo Domini*, S. Gregorio Papæ anſam præbet ad ſenſum illum: poſſe videlicet hic peccatores intelligi, qui cum ſe delictorum maculis contaminaverint, dicantur longius à divino vultu receſſiſſe: ſed cum in gratiam DEI rurſum recipi contendunt, idque per viam pœnitudinis, quaſi à tergo DEI ſunt: nec enim hinc diſcedere volunt, nec rurſum de divina amicitia præſumendi locus eſt: non incongrue enim de Magdalena dictum: *Stans retro ſecus pedes Domini*, nec enim ſe juſtificatam adhuc crediderat. *Luc. 17.* A tergo ſtabat, quæ Redemptori fimbriam veſtimenti contigerat, quo factum ut ſanitatem amiſſam recuperarit, *Matth. 9.* profluvio ſangvinis ceſſante: ſupra quod præfatus Author commentatur: *Retro quidem eſt pro verecundia peccati, ſed tangit per virtutem ſpei.*

De tremenda illa comminatione qua DEUS per Prophetam Jeremiam peccatoribus indicit: *Dorſum, & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum:* Sanctus Auguſtinus inquit: hic apertè iram Dei accenſam ſignificari: in eodem ſenſu accipiendum, quod Pſaltes Regius ait: *Pones eos dorſum.* Supra

Pſalm. 20. in L. C. quod Iſidorus Clarus: *Hoc eſt, in fugam convertes eos: alius vertit: pones eos ſeorſum ad partem, hoc eſt in partem unam, quaſi ſignum, & ſcopum, in quem jaciuntur ſagittæ.* De hoc tritiſſimo verſu Davidis: *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores*, S. Gregorius inquit, hoc de Judæis accipiendum cum Redemptorem noſtrum crucifixerunt, *13. Moral.* quorum peccata in ligno crucis ſupra humeros portabat.

Dorſum columbæ, de quo præmemoratus pro- *Cant. hom. 3. In pſal. 67.* pheta ait: *Poſteriora dorſi ejus in pallore auri:* Origenes exponit, conſtantiam fidei indicare, & ſtabilitatem dogmatum perfectorum: aut verò, ſicut Sancti Hieronymus & Auguſtinus aſſerunt, ultima illic Judæorum figuratur converſio, in fine ſeculorum: aut verò teſtamentum novum, quod ultimis *De dilig. Deo.* temporibus reſervatum fuit. Adjungit S. Bernardus, per hoc intelligi poſſe robur ſpirituale ad portandum ſvave jugum Salvatoris, incitante charitate, aut æterna felicitate, quam poſt curſum vitæ hujus præſtolamur. Poteſt item, juxta eundem Sanctum, de conſcientia integra id accipi, quippe quæ ſedem intra pectus & dorſum habet.

Quod humeris ſuis ſicut Scriptura Sacra Geneſeos meminit, filii Noë pallium ſuum, aut veſtimentum impoſuerunt, præfato S. Auguſtino interprete, paſſio Chriſti figurata fuit, quæ jam poſt tergum poſita, & transacta venerationem habet fidelium. Panis ille & aquæ vas, quod humeris Agar ſervæ ſuæ impoſuit *Gen. 21.* Patriarcha Abraham, illic in Geneſi, tum temporis, cum eam imperante Domino, domo ſua ejecit, ſicut gloſſa ordinaria commentatur, ſeparationem, ſimul tamen etiam de lege ſuſtentationen populi Judaici figurat. *Exod. 22.* Sicut tergum Moyſis, de quo in libro Exodi memoratur, juxta præfatæ gloſſæ mentem, corticem legis ſubindicat.

Cæleſt. Hier. S. Dionyſius ad intuitum usque Angelorum ſe ſublevat, dum in iis humanos motus conſiderat, eorum dorſum fortitudinem illam indicare aſſerens, qua univerſas morales virtutes continent. Per Rebeccæ humeros, quibus aquam bajulabat ad adaquandum *In Gen. hom. 10. In Gen. 22. Gen. 22.* Abrahami camelos, tam Origenes, quam gloſſa, exercitium ſeu praxin bonorum operum intelligunt. Juxta eorundem mentem, tergum ſignificare res futuras poterit: prout Abrahamo contigit, qui poſt ſe arietem vidit, ſacrificio Iſaac jam ſoluto: indicat enim, ſicut ajunt, Chriſtum Dominum, qui non ſecus ac immaculatus agnus immolandus erat: ſic gloſſa commentatur. Tergum tabernaculi, cujus *Exod. 26.* liber Exodi meminit, finem mundi portendit, & bonorum operum terminum.

Quod bonus ille ſeniculus Loth, in facie Sodomitarum incontinentium portam occluſerit (verbis utar ſcripturæ) *poſt tergum ſuum*, indicat, ſecundum gloſſæ explanationem, animam ſeſe contra impetus naturæ exſtimulantis, aut contra imperium ſenſuum, aut verò contra Mundi & Sathanæ tentamenta communientem. Eadem jam ſæpius memorata gloſſa exponit, per tergum alicubi deſignari vitam jam in vitiis transactam, unde & juſto Loth *Gen. 29.* mandatum datur, ut ne de Civitatibus exterminii egreſſus, poſt tergum reſpiciat: retrorſum enim cernere eſt victum eſſe tentatione, de quo Exemplum nobis uxor viri hujus præbuit: cujus rei expreſſio tam in Geneſi, quàm in Exodo habetur.

Cap. 30. 3. Paſt. ad Adm. 29. Supra illud Iſaiæ: *Aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis*, S. Gregorius ſic habet: ante peccatum habere peccatorem faciem ſuam ad Deum converſam, ſed poſt commiſſum delictum Deum vertere peccatori dorſum; quamvis & ſic averſus eum tamen corripere & admonere ad converſionem non intermittat. Sic S. Hieronymus his verbis exponit: *Dorſum præbent Deo, qui legis ejus obliviſcuntur*, idque per teſtimonia libri Paralipomenon, & Eccleſiaſtici corroborat.

Per obſtinatos illos de quibus Propheta Zacharias inſpirante Domino ait: quod videlicet ad auxilium ejus, *noluerunt attendere, & averterunt ſcapulam recedentes*, gloſſa ordinaria figuratos eſſe homines inquit, duræ cervicis, & indurati cordis: quod & Regius pſaltes expreſſit: *Obſcurentur oculi eorum, & dorſum eorum ſemper incurva:* *Pſ. 68.* Replicat & confirmat hoc Doctor Gentium ad Romanos.

Quod porrò filii Iſraël in prælio contra Philiſthæos *1. Reg. 4.* cæſi (ſicut Regum liber primus recenſet) *terga verterunt Philiſthæis*, S. Gregorium ad hanc conſidera- *Loc. cit.* tionem movit, ut in his verbis Judæos figuratos crediderit, qui nimirum ſapientiæ, & doctrinæ Chriſtianorum reſiſtere nequierunt: ſicut in Apoſtolicis quoque actis, de protomartyre Stephano per emphaſim dictum eſt: *Quod non potuerint reſiſtere Sapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur.* Inter triumphos quos contra inimicos ſuos David ſe obtinuiſſe gloriatus eſt, unus is erat: *Et inimicos meos dediſti mihi dorſum:* *Pſ. 17.* ſupra quod ſic S. Gregorius Papa ratiocinatur: intelligi hic peccatores, & perſecutores DEI cum convertuntur, & eorum, quos antehac perſecuti fuerant, doctrinam ſequuntur: atque ita nomine dorſi figurari poſſunt, eo quod inſtitutionem & Exempla aliorum ſequuntur, & ad portandum peccati jugum incurvantur.

S. Hieronymus ſupra dictum illud Prophetæ Oſeæ: *Ululate in Bethaven poſt tergum tuum Benjamin:* *Cap 5.* Hæreticos intelligi opinatur, qui oculis ad intuendam *In hunc loc.* veritatem deſtituti ſunt. In dorſo, prout Sancti Hieronymus, & Ambroſius explicant, percuſſioni- *In Naum. 1. De bon. Patr. 4.* bus delicta puniuntur: hinc pœnitentiam per illud figuratam eſſe, aut verò caſtigationem pro culpa *Prov. 26.* inflictam. De hoc in proverbiis dicitur: *frænum equo, camus aſino, & virga in dorſo imprudentum.* Hæ eædem ſignificationes in Jeremia & Amos *Cap. 10. 48. 8.* Propheta reperiuntur. Hoc proinde David inten- *Pſal. 65. Pſ. 124.* dit, dum lacrymando inquit: *Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro.* Iidem ajunt, virgam peccatorum ſuper ſortem & humeros juſtorum eſſe, tum cùm ab impiis oppetuntur injuriis, ab iisdemque læduntur: prout Nahum Propheta meminit. Econtra ſupra *Cap. 13.* dorſum impiorum virga bonorum eſt, cum crimina & errores caſtigantur: de hoc mentio eſt in Geneſi, Deuteronomio, Libris Regum, & in Pſalmis. Atque *49. 33. 22. 1.* hic ſenſus venerabilis Beda eſt. Idem ait per humeros nonnunquam bona temporalia indicari, quæ oblivioni danda ſunt.

Inter has ſcapulas Regem Joram percuſſit Jehu: *4. Reg. 9. 2. Paral. 18.* miles quoque Syrus Regem Achab cervicem inter & ſcapulas occidit: ut his indicaretur, ſic caſtigandos eſſe ſuperbos, & faſtuoſos, qui obedire Deo, & præceptis ejus morem gerere repugnant. In Cancellario illo magnifico, quem Ezechiel Propheta ſe vi- *Ezech. 9.* diſſe inquit, habentem atramentarium ſcriptorum affixum ſcapulis, memoriam Chriſti Judicis figuratam præfatus author commentatur, qua cunctas actiones noſtras diligentiſſime notat, in ſupremo judicii die legendas. Funeſta recordatio impiis! Quam à nobis altiſſimus, bonorum operum inſpiratione avertat. Sed & ego calamum à Capitulo hoc averto.

PROVER-

PROVERBIA.

QUotquot verba ænigmatica in lectione meliorum Authorum occurrunt, quæ eorundem intelligentiam retardant, imò vero quandoque omninò tollunt, & progreſſum in literarum decurſu impediunt, totidem per proverbia, & dilucidantur, & exponuntur: mediante meliorum expoſitione. Proverbium Sphynx quædam eſt, quæ difficultates in apertum producit, ſed tot ſunt Oedipi, quot Authores, qui easdem diſſolvunt, & enodant. Proverbium res depravatas corrigit, & ad meliorem uſum reducit, & viſui exponit. Proverbium Sal quoddam eſt, eſcis inſperſum, optimum earum condimentum: quod quanto compendioſius, tanto magis plauſibile eſt. Cum enim nemo non ſit amicus brevitatis: quid compendioſius proverbio, quod nonnunquam binis, ternisque verbis profundiſſimos ſenſus comprehendit? Plura de his jam monſtrata, plura monſtranda ſunt. Dixit Catullus: *Non videmus mantica quod in tergo eſt:* hoc eſt: defectus proprios negligere, & poſt tergum collocare, in proximorum autem errores lynceos habere oculos non hominum eſt. Proverbium hoc de Apologo quadam Æſopi natum eſt, qui binos cuivis mortalium ſacculos eſſe docuit, quorum unus antrorſum verſus, alter retrorſum bajuletur in tergo: in hunc collocare nos facta noſtra, in ſaccum verò anteriorem collocari facta proximorum. Hoc Proverbium è verſibus Perſii authoritatem obtinuit.

In Scarente.

Suis defectibus intendendum eſſe.

Notatio defectuũ alienorum.

Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo:
Sed præcedenti tentatur mantica tergo.

Horatius item:

Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo.

Locum ſibi in hoc S. Hieronymus vendicat præcipuum, qui ſic ait: *Illa eſt vera inter amicos reprehenſio, ſi noſtra opera non videntes, aliorum juxta Perſium manticam conſideremus.*

De hac materie non procul hinc jam ſupra tractatum eſt, quæ tantopere à Redemptore noſtro reprehenditur, tam item mundo deteſtabilis eſt, tantopere à viris ſapientibus odio habita. De quam plurimis, quæ huc referri poſſent, id ſolum dixerim: ſi quisque prout oporteret, in fronte ſua, plus autem in animo magnis characteribus inſculptum & inſcriptum portaret illud, quod olim literis aureis ſub veſtibulo Templi Delphici legebatur: *Noſce teipſum:* non ambigendum eſſet, quemque etiam in ſui cautelam majori circumſpectione ad corripiendos, & cenſurandos proximi defectus uſurum. Nam ſi quæ actio difficultatem patitur quam maximam, penetratio interiorum eſt. Dixit hoc Juvenalis inter alios:

Satyr. 10.

- - - pauci dignoſcere poſſunt,
Vera bona, atque illis multum diverſa, remota
Erroris nebula. Quid enim ratio ne timemus
Aut cupimus?

Si itaque tam difficile eſt hæc noſſe, quo nomine impietatis cenſenda eſt temeritas, quæ judicare de incognitis non veretur? *Attende tibi*, ajebat nonnullus, *& noris quàm ſit tibi curta ſuppellex.*

De eminentibus malis ſolliciti.

Mens eſt in tergoribus. Hoc de iis exprimebatur qui de futuris anxii, malum quoddam imminens pertimeſcebant. Hoc adagium de ſcena Ariſtophanis proſiliit, è Comœdia quæ Pacis titulum habet. Sunt autem verba quæ ſequuntur: *Peccavimus quidem iſta, ſed veniam dabis: tum namque noſter animus in coriis erat.* Traducta metaphora eſt à taureis, quibus ſervi, aut equi caſtigari ſolent, vel à loris coriaceis quibus à tergo ſupra boum juga alligari eorundem cornua conſueverunt. Hinc illud Plauti ænigma eſt: *Ubi vivos homines mortui incurſant boves.* Aut verò ſimilitudo à galeis ſumpta eſt, quæ boum corio, ad ſoliditatem alligantur. Proverbium hoc item, juxta Manutii mentem, iis accommodari poterit, qui ſibi de verberibus metuunt: aut verò iis, qui cum tremore bellorum ingruentium infeſtationem metuunt. Proverbium autem hoc, cum illo Terentiano convenit, quod ait: *Animus eſt in patinis.* Rurſum illud non abſimile eſt: *Tergora tuetur:* quod tantundem eſt, ac ſignis quibusdam, & conjecturis è vultu colligere, malum ſibi imminere: tanquam ſi terga boum intuendo, aut vero taureas, ex his in mentem ei veniat, inde fabricanda eſſe ligamenta ad galeas, & bellum ſibi animo præconcipiat. Adagium conſimile in fabula Eupolidis occurrit, qui ait: *Planè quod obtuentur tergora.* Non inconveniens eſt, inquit Manutius, hinc proverbium illud natum eſſe, eò quod in vertice caſſidum vel horrida barbarorum figura, vel Cyclopum monſtra, vel animalium terribilium idea figurabatur. Hinc Athenæus ajebat: *Qui nihilo te fecit emendatiorem: tantumque docuit torvum obtueri.* Ad univerſa hæc confirmanda Ariſtophanes ſic habet: *Ego hoc quidem faxo: die tergora obtueri.* Imprudentia non eſt, quin potius provida proſpectio, ex præſentibus futura metiri: dixit hoc S. Chryſoſtomus: *Ad nihil tam cupidus homo eſt, quàm ad futura cognoſcenda.* Et S. Gregorius Papa: *Futura praviſa minoris ſunt timoris, quam cùm præſentia fuerint.* Si de futuris proviſio etiam in animantibus ratione deſtitutis invenitur, ut quid eadem virtus homini rationali denegetur?

In Chryſoſtom. *Athen. l. 13.* *In Paſtor.*

Obſtinatio in tuenda ſtatione ſua.

Tueri, etiam diis invitis, ſtationem ſuam: ut cum Princeps erga ſubditum, Patronus erga ſervum, Medicus erga infirmum, Amicus erga Amicum ſic affectus eſt, his olim verbis exprimebatur: *Humeris ſuſtinere quorum authoritas.* Adjungit Manutius: *Diligentiaque plurimum valet in conſervanda ſalute cujuſpiam.* Sic Marcus Tullius ajebat: *De ſumma Republica, quam vos univerſam hoc judicio, veſtris humeris, veſtris, inquam, humeris judices ſuſtinetis &c.* Amianus Marcellinus item: *Ubi bellorum inundantium molem humeris ſuis, quod dicitur, vehens, ſcindebatur in multiplices curas.* Huic adagio illud alterum affine eſt: *Humeris referre.* Quo Marcus Tullius uſus eſt, dum ait: *Dicebas te tuis humeris me cuſtodem vobis in urbem relaturum.* Ab ejusmodi metaphora transſumptum eſt, quod qui in Reipublicæ negotiis ſublimioribus & arduis impenduntur, Atlantes nominari ſolent. Non ſolum autem in his, ſed in aliis omnino rebus agendis hæc ſedula proſpectio, & prudentia locum habet: prout Horatius ait:

Pro Flacc. *Lib. 16.* *Pro domo ſua.*

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam,
Carminibus. - - -
Et cogitate diu, quid valeant humeri.

In Arte.

Si debiles Aſtyanactes Hectorem aliquem, ſi Therſithes Agamemnonem præſeferre tentaverint, in malum illis cedet, & à ſpectatoribus explodentur.

Ad omne quod præ manibus eſt invigilandum.

Exemplum Polii damnantis ad perſvadendum nobis ſufficiet: hic dum viribus ſuis ſtultè fiſus, ſeſe monti opponeret, qui ruinam minabatur, temeritatem ſuam miſer cum diſpendio vitæ ſuæ luit, contritus & oppreſſus mole tantæ ruinæ. Huc ſpectant fabulæ Icari, & Phaëtontis. Inſtruit nos ad veritatem hanc Redemptor animarum noſtrarum, dum ait: *Quis volens turrim ædificare, non prius ſedens cogitat ſumptus qui neceſſarii ſunt, xxx. ne incipiant illudere ei, dicentes: hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Commendator Teſtius pro more ſuo erudite & facundè ſic ait:

Sol gli Euriſtei ponno atterrar gli Alcidi,
E ſenza l'ira di Giunon, men bella
Fora Caliſto, e transformata in ſtella
Or non idoreria gli Attici Lidi.

Quisque ergò, prout oportet, metiatur, opus cum viribus ſuis.

Opus inutile.

Accingi ad opus aliquod, de quo nihilominus certus ſis illud vel inutilem, vel omnino nullum habiturum eſſe eventum, his verbis exprimitur: *Humeros licet perdas, aquam incernendo.* Si fons copioſus eſt, & ſcaturigo viva, humeros tibi potius deſtrues, & robur tuum, & tempus, quam ut ſperare poſſis, te puteum illum evacuaturum eſſe. Citat proverbium hoc Suidas in Collectaneis ſuis, ſimul notans hoc figurari poſſe hominem, qui omnem operam ſuam, omne ſervitium in ingratum impendat: aut verò magiſtrum, qui vires ſuas & artem necquicquam in obtuſum & indocilem diſcipulum effundat. Hic enim tanquam dolium perforatum eſt, quod continere nequit, quidquid æquæ infuderis. Simile eſt illi alteri: *Oleum & operam perdere:* aut verò illi tertio: *Æthiops non albeſcit*, vel *Æthiopem lavare.* Non diſſentit, quod vulgò inter nos dicitur: *Lavar il capo al aſino: aſino caput lavare.* Ut verbo concludam, omnium vitiorum caput ingratitudo: *Bis malus eſt qui de bene merente dicit male:* inquit Sanctus Chryſoſtomus. Nunquam item intermoriturum eſt, quod Publius Memmius dixit: *Dixeris maledicta cuncta, cùm ingratum hominem dixeris.* Et Martialis pro genio ſuo ſemper mordax:

Eſt dedecus ſemper ſumere, nilque dare.

Increata Sapientia per os Iſaiæ lamentatur: *Filios enutrivi & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me:* & apud Jeremiam: *Ego autem plantavi te vineam electam: quomodo ergo converſa es mihi in pravum vinea aliena?* Denique: *Ingrato homine nihil pejus terra creat:* ajebat præfatus Memmius. Ingratus ſimilitudinem nebulæ tenet, quam de imo paludum ſol levat, quæ nihilominus faciem Genitori ſuo obfuſcat. Sed de his hactenus.

NOTÆ LITERÆ H.

ADhuc inter Academicas quæſtiones in Italia illud vertitur, utrum H. ſit aſpirato tantum aut litera: plures enim aſſerunt, ſine hac ſcribi poſſe: id quod modernorum aliqui exemplo monſtrant. Ego verò cum Adeodato Franzonio in oraculo ſuo lingvæ Italicæ, item cum Dante, Petrarcha, Bembo, Dellacaſa, Boccacio, Cinno, totque inſuper aliis, qui à Pergameno citantur, dum ſat magnam copiam Notarum in hac invenio, eam veram literam eſſe conſonantem aſſero, æquè ac cæteras. Quamvis ingenium illud fecundiſſimum Comitis Bonarelli, qui *Adjunctus* nominatur inter Dominos *Intrepidos* Ferrarienſes: pro ſymbolo ſuo torcular præli habentes: hanc literam in Quadro ſuo cum titulo aſpirationis exhibeat, adjuncto lemmate: *Si cæteris addar:* per hoc indicare volens, ſiquidem aliis aſſociata fuerit, ſibi literæ nomen vindicaturam. Itaque hac ingenioſa inventione opiniones tantum inter ſe diſſentientes conciliavit.

Sed ut hic ad ea quæ propoſita ſunt, deſcendam, illud dicendum, quod antiqui dum in corpore humano hanc literam H. expreſſuri eſſent, ſibi humeros tetigerint: aut quia humeri duabus invicem colligatis haſtis componuntur: aut potius quia nomen humeri hac aſpirata prænotatur. Itaque H. ſimpliciter poſitum ea quæ ſequuntur ſignificabat: *Honeſtas. hæc. hæres. homo. habet. hora.* HA. *Hadrianus.* H. ÆD. Q. C. P. AM. FE. *Hoc ædificium quod cernis prudens Amator fecit.* H. B. *Hæres bonorum.* H. B. F. *Homo bonæ fidei.* HC. *Hunc.* HC. AM. N *hunc amicum noſtrum.* HC. L. *Hunc locum.* HC. V. *Huic vitæ.* H. D. *Hic dicavit.* H. DD. *Hic dedicarunt. hic dedicant.* H. D. D. *Hoc dono datur.* H. D. M. *Hæc domus mortui.* H.E.M.TBNR. *Hoc eſt memoria tribunorum.* HER. S. *Herculis ſacrum.* H. F. *Hic fundavit. Honeſta fæmina.* H. J. *Hæreditatis Jure. Hercle juravit. Hic invenies.* HIC. LOC. HÆR. NON. SEQ. *Hic locus hæredem non ſequitur.* H. M. *Honeſta mulier. Hora mala. Hora mortis.* H. M. H.E.N.S. *Hoc monumentum hæredes ejus non ſequuntur.* H.M.M. *Hic memoria mirabilis.* H.M.P. *Hic memoriæ poſuit. Hic monumentũ poſuit.* H.M.S. *Hic mater ſua.* H. M. S. M. *Hora mala ſumpſit motum.* H.M. S.S.E.H.N.S. *Hoc monumentum ſine ſucceſſoribus eadem hæreditate non ſuccedit.* HM. *Hymnus.* HO. *Homo. Honeſtus.* H.HO. *Homo honeſtus.* HOM. *Homo.* H.HON. *Homo honeſtus.* HOR. VI. *Hora ſexta.* HOS. *Hoſtis.* H.HO. S. *Hic hora ſecunda.* H. P. *Honeſta perſona. Honeſta puella. Hora peſſima. Hic poſuit.* HR. PSS. *Hæreditatis poſſeſſor.* H. PS. *Hora peſſima.* HR. *Hæres.* H. R. *Honeſta ratio.* H.R.I.P. *Hic requieſco in pace.* H. S. *Hora ſecunda. Hic ſita. Hic ſunt. Hoſtia ſacrilega.* HSB. *Hoſtibus.* H. S. E. *Hic ſepultus eſt. Hic ſitus eſt.* H. S. H. N. S. *Hoc ſepulchrum hæredes non ſequuntur.* H. SPL. M. A. *Hæc ſepultura modo aucta.* HSS. *Hoſtes.* H.S. *Hoſtes ſacrilegi.* H. S. S. *Hic ſepulti ſunt.* H.S.V.F.M. *Hoc ſibi vivens fieri mandavit.* HS. *Seſtertium.* HU. *Hujus.* H.V. *Honeſta vita.* H. V. B. P. *Herus verus bonorum poſſeſſor.*

Has tibi notas, mi Lector, non idcirco adduxi, ut eisdem legendis multum diſtinearis, non enim ignoro quantam ſatietatem, quantum parere ſoleant faſtidium: nec tamen iis hoc continget, quibus vel ad monumentum quoddam, vel ſcripturam diſſolvendam prodeſſe poterunt: in hunc enim finem huc collocata ſunt: ſicut & illa quæ ſequuntur

EPITHETA.

MAnilius dorſo adjunctum alterni dedit: *Nec non alterno deſultor ſidere dorſo.* Statius humeros grandes appellavit: *Grandibus alte inſurgentibus humeris.* Idem blandos: *Blandisque humeris ſe innectit Achilles:* Idem graves: *Summititque graves humeros.* Adhuc idem aomantes: *Humeroque comanti.* Manto fragiles dixit: *In fragiles tantam hanc hummeros convolvere molem.* Onuſtum humerum inquit Horatius: *Reticulum panis venales inter onuſto forte vehas humero.* Idem album: *Non Chloris albo ſic humero nitens.* Muſculoſus dixit Vegetius: *Humeris muſculoſis, valentibus digitis.* Candidos Pontanus: *At ſi candentes humeros, & eburnea colla.* Pulchros Pamphylus: *Atque comam pulchrosque humeros irata flagellat.* Niveos Sabellicus: *Aut niveos exute humeros, & eburnea colla.* Candidos Cornelius Gallus: *Productum bene candidis humeris.* Albentes Manto: *Pectus & albentes humeros irrorat.*

In Ach *Ibid.* *1. Sil.* *1. Serm. Saty. 1.* *Lib. 2. Carm.*

PHISIOGNOMIÆ.

NON immerito, ut reor, cum omnium Sapientum Schola præſuppono, de partibus hominis externis, aut male, aut bene compoſitis ſignificationes internarum qualitatum, aut naturalium

deduci poſſe, prout ille vetus Philoſophorum axioma eſt: *Paſſiones animi ſequuntur temperamentum corporis*: bene enim aut male quælibet corporis pars diſpoſita, bonam, aut econtra malam arguit nutritionem, unde non abſimiles item enaſcantur operationes neceſſe eſt. Metaphrenum igitur, aut interſcapilium *hiſt.monſtror.* (prout vir doctiſſimus Aldrovandus, unà cum melioribus aliis ſentiunt) ſiquidem rite compoſitum, apertum aut dilatatum in proportione ſua fuerit, hominem magni roboris, magnarum virium, & vigoris denotat. Siquidem ex adverſo parvum fuerit, aut deforme, mollitiem muliebrem, & effæminatum animum, huic ſexui debili convenientem ſubindicat. Humeri grandes in muliere, robur ejus portendunt: de parvis contrarium ſentiendum: videlicet quod viris æquè ac mulieribus delicatis proprii ſint. Qui humeros elevatos habent, inſidioſi erunt: ſicut humeri aperti, acumen ingenii præſagiunt.

Inter ſcapulas & humeros item oſſa quædam dependent: quæ qui longa habuerit, ita ut manibus ſuis, non curvatus, contingere genua poſſit, hominem fortem indicat. Sed raro tales inveniuntur. Plurimi ſunt, quibus admodum breves & mutilatæ videntur, in quibus peſſimam indolem, & malevolam, & doloſam præſagiunt. Sed hæ regulæ, dum exceptionem ſuam patiuntur, plenam credulitatem infallibilitatis non requirunt. Ego, mi Lector, tibi tales offero, quales in ſcriptoribus inveni: ſtet fides penes ipſos. Interim Atlantem eſſe me optarim, qui cælum literarium humeris ſuſtentem: ut pro meritis tuis tibi amiciſſime, & pro deſiderio meo inſervire poſſim: ſed cum fortuna, & natura, exiguos mihi humeros elargitæ ſint: nolim ex præfatis phyſiognomiæ prognoſticis mihi vel faſtitiem vel dolum affingas, cum videas, me tibi candidiſſimo pectore miniſtrare: ex partu hoc, qui infra ſequitur, quamvis debili, idipſum concludito, qui videlicet, quem præ manibus habemus, tractatum noſtrum terminabit.

De Humeris.

Suddita nel portar de peſi all' onte
Sembri nel corpo human parte piu vile,
E pur per te d' alto valor maſchille
Il robuſto figor ſia, che ſi conte.
Se ſu l' incude ſua continuo Bronte
Tempra al Dio del furor dardo, o fucile,
Opra e del tergo, che vigor virile
Porge al mano, onde ſue forze a pronte.
Porta ſul dorſo il Mar legni vaganti,
E con eſſi il mortal pur ſi cimenta,
Con il dorſo ad ognor de Remiganti:
Poſſa tal che non opra, e che non tenta?
S' Atlante ancor de le magion ſtellanti,
Con omero immortal l' orbe ſoſtenta.

BRACHIA, ET MANVS.

Anatomia.

Quaſcunque hactenus, operoſa Ars, in omni adeo tempore per univerſas mundi plagas exercere operationes potuit, miniſtri dixerim, atque opifices fuerunt, manus & brachia. Manus hæc diſcipula ſimul & Magiſtra eſt, quæ diſcendo docet, & docendo diſcit. Si natura in diſtributione partium ſuarum provida eſt, ſi ingenioſa ad inventionem, ſedula in compoſitis, accurata etiam in rebus minimis, robuſta in fortibus, in delicatis tenera, varia in coloribus, elaborata in compoſitionibus, idque non ſolum in humana creatura, ſed in quovis animali, in plantis, & mixtis, manus eſt, quæ trahendo, retrahendo, fingendo & ſculpendo, in telis, in marmoribus, & in ſaxis omnia oculis noſtris ſpectanda proponit. Imo verò auſim dicere naturam ipſam huic devinctam, quippe quæ quandoq; partus ejus imperfectos emendat, majoremque eis perfectionem inducit. Audax eſt, ſed audacia ejus ſecuritate plena eſt: menſurans reſtringens, imo ut ita dicam martyrizatis in medio rotarum momenta temporum, dum eadem per horologiorum artificium diſtingvit, & ordinat. Quin & ſublimioribus ſe ingerit, ipſam adeo ſphærarum notitiam exponens: dum artifici ſtylo eaſdem brevibus circulis delineando repræſentat. Non eſt regio in terris tam à nobis remota, non angulus orbis, quem lineamentis ſuis brevi gyro non depingat, & palam faciat. Quid adhuc? Etiam ea, quæ inter vivos operata eſt, poſt mortem ſuam prout poteſt, tanquam rediviva proponit. Denique ſi nobis terra fructificat humanæ manus attribuendum eſt induſtriæ, & labori. Hæc belluarum maxime ſylveſtrium, & indomitarum domitrix eſt: characteres inſculpit: ædificia conſtruit: imò & ipſum ferrum ſeſe incurvare compellit: hæc in ſublime evehit, hæc deprimit, hæc erigit, & rurſum proſternit, contorquet, reſtaurat, convellit, & replantat. Id quod mentis & cogitationum lucubratio aſſidua, per theoricam meditationem adinvenit, ſine manus ſubſidio, ad exhibitionem operis perduci non poteſt. Unde cum ſit corporis noſtri pars tam conſpicua, tantopere obſervata, materiam nobis ad vaſtiſſimũ tractatum exhibebit: quanquam ego,

ego, utpote brevitatis amicus, pro ſolito meo, iis quæ univerſalitatem non excedunt, ſolum immoraturus ſim: ſola neceſſaria diſcutiendo.

Itaque ut ab Anatomicis exordiar inter corporis præcipua membra dico eſſe, pedes manusque. Manus principium ducunt à ſcapulis, & ad extremitatem usque digitorum deſcendunt. Brachium unico oſſe conſtat, eoque validiſſimo. Sic manus integra, terna diviſione, in brachium, cubitum & extremam manum diſpertitur. In brachio obſervanda eſt pars ſuperior, inferiorque, interna, & externa, anterior, & poſterior. Superior caput grandiuſculum habet, natum cum oſſe, quod ſe cavitati ſcapulæ inſerit, prout ſupra jam declaratum eſt. Cavitas ejus ſuperficiaria eſt, ut tanto expeditius quolibet brachium rotari poſſit: ſed per copioſam cartilaginem ſinus ille amplificatur, ut articulatio firmior ſit.

In parte anteriore capitis hujus ſciſſura quædam, aut foſſula eſt, quæ caput illud bifariam dividit, atque hæc conſpicua eſt, per quam portio muſculi bicipitis flectitur ad cubitum; de acetabulo ſcapulæ egrediens, tanquam per rotam parte ſua inferiore conducitur, ac tandem in cubito & radio articulatur. Elegans eſt ob varietatem ſinuum, & extenſionum ſuarum. Quarum extenſionum binæ ſunt: externa una, altera interna: de illa muſculi pene omnes oriuntur, qui nimirum & carpum, & digitos extendunt: de hac autem originem trahunt, qui plicantur. Totidem illic ſinus ſunt, qui trochleam repræſentant, cui alligati ſunt, per modum funiculi, ſic compoſiti, ut in acutiſſimum angulum terminare faciant cubitum, nec permittunt, ut ultra lineam rectam protendantur.

Conſtat cubitus binis oſſibus grandiore & inferiore. Vocatur autem vel *ulna*, vel *cubitus*: ab Arabibus: *focile majus, aut minus*. Pars inferior cubiti cum carpo articulatur, tam per mediantem cartilaginem, quam per apophyſim acutam. In altero oſſe, quod radius appellatur, rurſum pars ſuperior conſideratur, & inferior: quarum illa quidem ſuperior cum externa apophyſi articulatur ex qua articulatione ſupinus, pronusque motus dependet. Inferior connectitur per Epiphyſin oſſi quod carpum diximus, & quod digitum maximum ſpectat. Pars interna ejusdem amplificatur, & producitur, anterior diminuitur. Hæc bina oſſa in partibus ſuperioribus & inferioribus cum poſitura contraria occurrunt: & in extremitatibus ſuis ſic copulantur, ut os, quod radius dicitur, in parte ſuperiori recipiatur à cubito, & econtra os cubiti inferius recipiatur à radio: exhinc ſinus medii ſic ſe pandunt, ut muſculis cedant, & motum pronum, ſupinumq; promoveant.

Summa vel extrema manus in tres partes diſcernitur, in carpum, metacarpum, & digitos: quarum figuræ diverſæ ſunt, & inæquales. Pars enim gibboſa eſt, pars ſima, pars item recta, pars rotunda: connectuntur invicem per vincula, & cartilagines. Hæc oſſa duplicato ordine diſtincta ſunt, ut tanto promptius manus commoveri poſſit; ab intro ſima, & gibboſa: foris item cavitatem quandam habent medulla repletam.

Tertiam manus partem conſtituunt digiti, prout ſuo loco tractabitur. Brachia pro arbitrio noſtro moventur & gyrantur ſpontaneè, idque opera, & concurſu octo muſculorum. In ſuperiori à duobus muſculis regitur: quorum unus deltoides appellatur à figura hac, quæ delta græcorum eſt, ſic nominatus: alter ſuperſpinatus à quibusdam vocatur: deinceps humeralis eſt, natus de claviculæ medio, de ſpina homoplatæ, & acromio, paulatim ſubtilior evadens cum tendine validiſſimo inſeritur in medium ſcapæ. Supraſpinatus de cavitate illa ſupra ſpinam homoplatæ natus, plantatur in cervice brachii. Subtus item à duobus largiſſimis muſculis brachia moventur: quorum unus latiſſimus, rotundus major dicitur: alter dorſalis maximus. Naſcitur hic de ſpinis oſſis ſacri, & lumborum, & novem thoracis. Principium ejus largum eſt, apertum, & nervoſum, ſicut & de parte ſuperiore oſſis Ilii: de hinc ſurſum aſcendendo totus carneus per angulum inferiorem homoplatæ fertur, poſthæc capiti, quod in humero eſt, quaſi reflexo, ſed robuſto tendine inſeritur. Hic muſculus varias fibras habet, & brachium in obliquum idque deorſum verſus torquet. Conſtat tribus angulis æqualibus, uno longiore, altero brevi. Rotundus major de ima coſta homoplatæ in cervicem brachii fertur.

Anterius movetur brachium, opera, eâque validiſſima, muſculi unius, qui pectoralis dicitur, in pectore enim reſidet, figuræ inæqualis, ad Pentagonum vergens, quinque lateralis eſt. Naſcitur à clavicula, idque plus quàm media ſui parte. Inſeritur propemodum totus ſterno, in ſexta, ſeptima, & octava coſta, carnoſo nimirum & largo principio: ex hinc robuſto & replicato tendine in os brachii, intra deltoidem, & bicipitem ligatur, cavitatem axillæ relinquens. Hic tria genera tendinum apparent, qui motum anteriorem brachii adjuvant: retrorſum illud tres muſculi movent, hoc eſt, infra ſpinatus, rotundus minor, & ſubſcapularis.

Infraſpinatus naſcitur de cavitate intra ſpinam, largus admodum & carnoſus, totam enim cavitatem ſcapulæ adimplet, quæ intra ſpinam eſt, & in capite brachii & cervicis, tendine craſſo, & ſat largo inſeritur. Rotundus minor natus de coſta inferiori ſcapulæ in cervicem brachii, & humerum interiorem fertur. Subſcapularis, aut immerſus, totus de parte ſima ſcapulæ natus: quam etiam carne ſua totam adimplet, cum tendine quodam ſat largo & valido in cervicem, & caput humeri inſeritur. Hi tres muſculi ſic movent, ut motus ſemicircularis ſit, circulum autem perfectum non muſculus unus & ſolus, ſed conjunctim omnes per ſucceſſionem operando efformant.

Altera pars manus, Ulna nominata, duobus oſſibus conſtat, cubito nimirum & radio, unius, alteriusque motus diverſi ſunt, motus enim cubiti proprius eſt flecti, & extendi; radius autem motu ſuo manum pronam, & ſupinam reddit. Quator ſunt muſculi cubiti: duo qui flectunt, duo item, qui extendunt: quorum unus biceps dicitur, & alter brachicus. Biceps juxta nomen ſuum duo capita habet: eorum unum ab acetabulo ſcapulæ, & de cavitate glenoide, per fiſſuram brachii fertur; alterum natum de proceſſu caracoide: quæ utraque in unum ventrem terminantur, inſerti in anteriorem partem non cubiti, prout minus experti arbitrantur, ſed radii. Interim appendicem carnoſam emittit, idque quaſi in medietatem oſſis brachii, non obſervatam à pluribus. Brachiæus cum carnoſitate à brachio ſuperiore, & anteriore exit, adhærens oſſi, hinc ad radium fertur cum congenere ſuo, ſicut & in cubitum.

Hi totidem muſculis extenduntur, hoc eſt: longo, & brevi. Ille aliquantum à ſcapula egreditur, ſubtus cervicem illam: alter de cervice poſtica humeri ortus, ſic priori congenitus eſt, ut nulla arte ſeparari ab eodem poſſit: ſic invicem miſti, & confuſi, tendine quodam nervoſo foris, carnoſo interius in olecranum inſeruntur.

Propri⁹ radii mot⁹ eſt, flectere, & extendere manũ, hic enim

enim propemodum ſolus amplectitur, & recipit manum: absque hoc gyrari manus nequit, nec digiti ullatenus conduci ad articulationem, ſive prehenſionem poſſunt. Itaque quatuor muſculi ſunt, qui radium movent: duo qui ſe flectunt, duo item qui ſe extendunt. De pronis primus dicitur rotundus, natus dè apophyſi interna brachii: ſæpius etiam ex inferiori humeri parte terminatur oblique in radii medietate, cum tendine membranoſo. Alter verò Quadrati nomen habet, qui ab ima cubiti parte in radio terminatur. Supinatores, aut extenſores itidem duo ſunt. Unus eorum inferiori parti brachii inſeritur: alter in inferiori radii parte nervoſus eſt, ab apophyſi externa brachii, quaſi ad medium usque radii portatur, quorum ſe individua unione colligat: ab intro carnoſus eſt, foris membranoſus, & per obliquum incedit, ſicut motus ejus obliquus eſt.

Flectitur carpus, & oblique in latera extenditur. Muſculi qui flectuntur duo ſunt, hique interni: quorum unus de apophyſi interna brachii natus, oſſique cubiti alligatus in os carpi quartum, cum tendine craſſo partim carnoſo, partim nervoſo, inſeritur: alter ſupernus, in eodem tuberculo genitus, in oſſe metacarpi terminatur, omnium videlicet primus, indici ſubjectus. Extendunt carpum bini muſculi, ambo externi: ſupernus de externa apophyſi brachii naſcitur, & in duos ramos aut tendines terminatur, ex iis unus in os metacarpi primum, alter in ſecundum inſeritur. Muſculus alter inferior, cum principio eodem natus, uno ſolo tendine oſſi quarto metacarpi ſubmittitur, finitur autem in minimo digitorum. In obliquum carpus in latera ab iisdem præfatis muſculis movetur, aut vero ſeparatim operando, aut verò conjunctim, inflexione, aut extenſione. Reſtarent muſculi digitorum, ſed de his alibi in loco ſuo.

Præter partes omnibus membris communes, cuticulam, cutem, pingvedinem, & membranam nervoſam, partes ſibi proprias habet manus, ſicut ſunt muſculi, & oſſa. Per nomen vaſorum doctiſſimus Laurentius arterias intelligit, & nervos, & venas: venæ ſe divaricando per univerſam manum extendunt ortum ſuum omnes à ramo axillari trahunt: duæ ſolum ſunt: quarum una per exteriorem, altera per interiorem brachii partem ſe extendit: hæc vulgo baſilica nominatur, altera cephalica. Baſilica ab Hippocrate vena interna dicitur, ab aliis hepatica, & jecoraria. Solet hæc bifariam dividi: in profundam, & ſubcutaneam: profunda arteriæ axillari adhærens, ſicut & tertio nervorum pari, ad mediam cubiti curvaturam fertur, atque illic ramos ſuos diſſeminat, ſicut & in radium. Subcutanea per cutem diſcurrit, donec ad articulationem cubiti pertingat: in duos ramos finditur, quorum unus ad cubitum internum decurrens, cum ramo humerario unitur; de quo concurſu vena communis naſcitur, quæ vulgò media nominatur; alter verò per inferius brachii latus in vicinam cutem partesque ſubjectas ramos ſuos transmittit.

Cephalica, quam in Cephalalgiis ut plurimùm incidimus, ab Hippocrate externa appellatur, partes enim externas ambit: alii humerariam dicunt, eo quod per humeros inter muſculum deltoidem, & tendinem pectoralem diſcurrat; vicina ſuperficiei, donec ad præfatam cubiti curvaturam pertingat. In duos item ramos diſcernitur, quorum unus oblique in interiora cubiti transportatur cum baſilicæ ramo copulatus, venamque communem parit: alter major quaſi ad medium radii usq; deſcendit, inde per carpi medium obliquè diſcurrens, manum externam penè totam irrigat, cum ramo conſpicuo in in parvo digito terminatus. Pari modo arteria de ramo axillari egreditur, ſed non niſi ſola eſt, & baſilica appellatur. Binos item ramos habet: profundum & ſubcutaneum: qui deinceps in ramuſculos varios diffunditur, è quibus ſurculum nihilominus ſat eximium & conſpicuum in carpum transmittit, per quem differentia pulſuum examinatur, dum ibi loci potiſſimum valetudinariis tractari manus, vel tangi pulſos ſolet.

Sex nervorum paria per manum diffunduntur: primum par de quinto cervicis ſpondilo procedit, quod deinceps in deltoide, vicinaque cute terminatur, alterum par de ſexta vertebra ſcaturiens, ad primum bicipitem muſculum evagatur, & proinde ramum quendam muſculo cubiti longiori porrigit: tandem curvaturam cubiti contingens, in duos ramos diſpertitur. Tertium par rivis ſuis per muſculum bicipitem craſſiſſimum emanat. Quartum ſubtus muſculum eundem cadendo cum baſilica profunda, & arteria interna in ramos varios diſcinditur. Quintum per muſculos qui cubitum & extendunt, & flectunt, deportatum, internamque apophyſin brachii pervadens, immixtum tertio pari, inter digitos coonſumitur, duos nervulos auriculari præbens, duos digito medico, unum medio. Sextum nervorum par inter cutem, & membranam nervoſam apparet, ſcandendo per internam brachii apophyſin, finitur tandem in cubiti cute. Atque hæc vaſa ſunt univerſa manus, ſicut ſupra dum de muſculis manus retulimus, plura allata ſunt. Oſſa manus varia ſunt: quorum unum os brachii eſt, duo cubiti, octo carpi, quatuor metacarpi, & quindecim digitorum, prout loco ſuo apparebit. Atque hæc delibaſſe ſufficiat, relinquendo aliis, quorum intereſt, ut ex profeſſo in materia tam vaſta manum ſuam exerceant: ac ſic deinceps diſcutiatur

Uſus, figura, & ſtructura manuum.

Ambigendum non eſt Altiſſimum DEUM pro Naturæ decoro, creaſſe hominem eundemque audacem, qui nil non tentet, nil non machinetur: qui tamen in ortu ſuo inermis, nudusque & pannis involutus, inter vagitus infantiles, inter ploratus, in ſumma egeſtate, & omnium rerum inopia inventus eſt. Rurſum è contrario idem homo robuſtiſſimis præſidiis dotatus, qualibus præter eum nullum omninò animalium: ratione ſiquidem præmunitus eſt, ſicut & miniſterio manuum. Hæc officina eſt omnium officinarum, & ars artium omnium præſtantiſſima. Manus humana organum eſt, omne inſtrumentum aliud præcellens, quippe quæ capaciſſima eſt, quidquid in orbe eſt operandi: de qua tam Philoſophi, quam ipſe Apoſtolus jure merito dixerint: *omnia omnibus*. Opere manuum lex ſcripta eſt Dei, tum & templa Altiſſimo erecta, & ea quæ ſupra jam memorata ſunt, fabrefacta. Et quamvis inermem, & imbellem natura hominem producat, nihilominus à mutis animantibus & à feris defenditur: eæ etiam belluæ quæ alioquin cæli inclementiæ reſiſtunt, de manu hominum ſecuritatem habere nequeunt, tum cum in eas ferocire homini placuerit.

Inde etiam plus adjumenti homo, plus roboris habet à manu, quam non habet à fortitudine ſua taurus, ab feritate oculorum, & ungvium ſuorum leo. Omne quod in rerum univerſitate continetur, manui hominum ſubjicitur. Hinc Anaxagoras intelligens cum quanta ratione, & ſapientia magna mater natura hanc

partem

partem fabrefecerit, dixit nil cogitari poſſe perfectius, nec organum cum majori artificio compoſitum. Hæ miniſtræ ſapientiæ ſunt, & rationis, quaſi vicariæ diſcurſus, interpretes conceptuum, dum miniſterio manuum cogitata cordis ſui homo, ab una orbis plaga ad alteram beneficio literarum transmittit. Hinc, prout loco ſuo diffuſius demonſtrabitur, Numa Pompilius manus conſecravit fidei, his enim conventiones noſtras, & pacta, & juramenta ſancimus. Etiam apud Perſas pro pignore principali fidei acceptatæ ſunt: ſicut Hieroglyphica nos docebunt: hinc eorum majores manu potiſſimum ſe ſalutabant. Conſuetudo adorantium erat, oſculari manum, & caput inclinare.

Officium manuum eſt apprehendere: tum deinceps æſtimare & judicare tactum: ei quoque attribuendum eſt potiſſimum, lenire, & levare dolores. Inſtrumentum accommodatiſſimum ad noſtri tutelam, & partium anteriorum defenſionem; unde ut taliter ei operandi facilitas ſit, tam admirabilem ſtructuram obtinuit. Figura ejus oblonga eſt, hæc in diverſas partes diviſa. Idque ut pro libitu ſuo attrectare poſſit, ea quæ ſphærica, quæ longa, quæ recta, quæ cava ſunt. Contrectat non ſolum grandia, ſed inferiora quoque, & minima: quod ei factu impoſſibile eſſet, ſi una ſola parte conſtaret, eademque continuata, & conſequente. Singulare enimvero hæc artificium naturæ eſt. Cumque organum, vel inſtrumentum perfectiſſimum ſit, variis item, inter ſeque diviſis particulis coaptata eſt. Quatuor fontes, vel genera ſunt, ex quibus operatio manuum formatur.

In primo loco ſunt, quæ ex ſemetipſis operantur: in ſecundo, ea ſine quibus fieri operatio nequit: in tertio, quæ ad perfectionem operis concurrunt: denique in loco quarto, quæ quod perfectum eſt, conſervant. Prima & præcipua pars manus muſculus eſt, ſine quo apprehendi nil poteſt, atque hic organum immediatum eſt voluntarii motus. Pars illa, ſine qua apprehenſio fieri nequit, item muſculus eſt: non movet autem ſine imperio, idque fit dum peculiaris nervus tenuiſſimum ſpiritum illuc transmittit, qui idcirco etiam portator dicitur. Ea quæ operationem in homine perfectam reddunt, oſſa ſunt, & ungues: oſſa ſtabilitatem, & firmitatem præbent, ſine quibus digiti nec plicari, nec extendi poſſent: ſed omnino molles, non niſi tremebundi, nil contrectare, nil edomare poſſent. Adjuvant præter hæc comprehenſionem noſtram ungues. Ea denique quæ conſervant actionem, venæ ſunt, & arteriæ, cutis, & pingvedo. Irrigant venæ manum ſangvine: arteriæ ſpiritum illuc vitalem infundunt: Cutis & pingvedo hæc invicem ligant. Atque ita in artificio tam admirabili, tam difficili Altiſſimus Deus difficultatem non invenit, *cum hominem de limo terræ formavit*: In materia tam fragili perfectio omnipotentis Creatoris dignoſcitur.

FACTA EXIMIA.

Dignitas actionum heroicarum.

INter nobiliores, & maximè illuſtres materias, quas ſcripturæ & monumenta authorum tractant, hæc potiſſimum eſt, quæ actiones heroicas commemorat. In Italico Idiomate *Impreſæ* dicuntur; quæ aliud non ſunt, quàm magnanima, & inclyta facta virorum fortium: mutuato nomine, ab actionibus eminentibus, quas in caſtris milites operabantur (ſic præcipui authorum ſentiunt) unde poſtmodum ad hæc ipſa ſignificanda, & in annalibus temporum, memoriæ poſteritatis indelebili tradenda, impreſſa & expreſſa ſunt materialia corpora, quæ harum rerum ſignificata portarent. Magna enimverò inventio, res inanimas, & longè diſſitas adducere, iisdemque miniſtris & expoſitricibus cogitationum & conceptuum uti: ubi per proſopopœas admirabiles, etiam quæ inanima & muta ſunt, diſerta fiunt: ſed cum eadem corpora ſine declaratione verbali interpretationem poſſent variam, nonnunquam etiam ſiniſtram parere, ſingulari inventione viri prudentes illuc adjunxerunt Epigraphes, vel lemmata quæ deinceps à corporibus illis indiviſa eſſent, prout cum authoris ſenſu analogiam perfectam portant, quo certum aliquid, è fundo genii ſui adinventum, exponere publico allaborarunt.

Bargagl. Ferri. Ruſcelli. Ares. Coſtall. & alii.

Ad paucas nihilominus membrorum humanorum partes reducuntur repræſentationes illæ, quas viri prudentes ab iisdem partibus mutuati ſunt, fortaſſis hac de cauſa, quod non facile erat, vel expeditum, conceptus hominis corde abſtruſos, ejusdem hominis membris figurare: aut verò quod cum membra ſua ſibi ſemper contigua, & præſentia habet, evagari alio placuit: aut verò quod cum eadem membra ſua, in figuris typicis per profeſſiones alias jam uſurpata viderunt, in doctrinis nimirum tam moralibus, quam myſticis, in Hieroglyphicis, Proverbialibus, in ritibus, obſervationibus, conſuetudinibus, Apologis, & aliis: ita ut ſupervacuum rati ſint de his ultra ratiocinari, in quibus tot jam ante laboraſſent. Itaque ad pauca reducuntur non minus, quæ manum concernunt, aut brachium: quæ tamen omnia, prout illa invenire mihi licuit in libro viri eruditiſſimi, & quondam venerandi, omnique honore digniſſimi præceptoris mei Picinelli

(qui eadem in fuſiſſimo & operoſiſſimo volumine ſuo, ad ſtudioſorum utilitatem, prout meæ quoq; conſvetudinis eſt, abbreviata dedit) huc collocare volui.

Itaque hic author dum perſeverantiam orationis commendare ſtatueret, manum expoſuit, portam indefeſſo ſtudio pulſantem, cui lemma illud doctiſ-



Orationis perſeverantia.

ſimi Areſii adjunxit: *Non ſemel ſufficit*: alius illud: *donec aperiatur*: (ſuper hoc figuram infra collocatem vide.)

Laurent.

Laurent. Iuſtin. de Orat. c. 9.

Titus Boſtren. in Luc. c. 8.

In tali propoſito Laurentius Juſtinianus habet: *Sicut certaminis bravium non aſſequitur, qui antequam ad metas attingat, deficit, ſic orationis fructu privatur, quisquis in illa non extiterit importunus.* Titus item Boſtrenſis ſupra verba Evangeliſtæ Lucæ clamat: *ſi perſeveraverit pulſans, ne ignavo, negligentique animo precationis inſiſtamus, jubet enim nos ea frequenter petere, quæ modulum noſtrum noſtris partibus excedunt: Ergo orationi impigre incumbamus in eaque perſeveremus.* Redemptor noſter idipſum ore ſuo nobis expoſuit, dum ait: *Quærite & invenietis, petite & accipietis, pulſate & aperietur vobis.* Ubi annotandum, quod quæſiſſe non ſufficiat, ſed pulſandum perſeveranter, atque eadem pulſatio ſæpius reiteranda. Amicus ille in parabola introductus, à Redemptore noſtro, qui media nocte fores amici ſui pulſando tres ſibi panes commodari

Luc. 11.

poſtulavit, ubi demum Salvator ait: *quod propter improbitatem ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios*: ea, quæ ſuperius dicta ſunt confirmat.

Spectare oculis rem, & manu palpare.

Cardinalis Matthæus Lango manum elevatam expoſuit, cujus palmæ oculus inerat, cum hac ſubſcriptione: *Fide, & vide*: his docere volens, ſiquidem judicium ſolidum formare contenderimus, oculis propriis res examinandas, & manibus palpandas eſſe. Huc reſpicit proverbium: *Pluris eſt oculatus teſtis unus, quàm auriti decem*, prout vult Plautus:

Plaut. in art. Poët.

Et Horatius:

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus - -

Diego Saviedra Principi ſuo præcepta in hunc modum ſuggerit: ut fidat equidem miniſtris ſuis, diligentiam nihilominus propriam non intermittat, atque ita binas manus repræſentat, quarum una ſine oculis ſit, altera aurita, ſubjecto lemmate: *Fide, & diffide.* Atque hoc eſt, quod Seneca inquit: *Utrumqne in vitio eſt, omnibus credere, & nulli.*

Miniſtri Principum Vigilantia.

Sic Lampridius de Alexandro Severo ſcribit: quod non contentus, ad miniſterium juſtitiæ in foro ſuo ſibi Legis-Conſultos eruditiſſimos in orbe terrarum adhibuiſſe: *Ipſe adeo Imperator* (inquit Author) *negotia & cauſas prius à ſcriniorum Principibus, & doctiſſimis Juris-conſultis ſibi fidelibus, quorum primus tunc Ulpianus fuit, tractari, ordinari, atque ad ſe referri præcepit.* Sic quoque magnus ille Pſaltes: *ſedebam in medio domus meæ*: Et rurſum alibi: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut perderem de civitate omnes facientes iniquitatem.* Sic Aſſuerus Rex ſibi apportari annales Regni imperavit. Sic Tacitus de Tyberio memoriæ tradidit: *quod negotia pro ſolatiis habebat.* Sic de piiſſimo Imperatore Veſpaſiano inquit Svetonius: *quod amiciebat ſe, & calceabat, poſtquam expediſſet quæcunque obveniſſent negotia.*

Lampridius.

Pſal. 130.

Eſth. 6.

Lib. 1.

In ejus Vita

Manus geſtans ſcorpionem ab Abbate Ferri proponebatur, ſubjuncta ſententia: *Procul ab ictu.* Id quod in honorem Cardinalis Mapphæi Barbarini adinvenit: inferre volens, talem ejus integritatem eſſe, ut malignis hominibus non ſit quod opponant, aut unde eum in quacunque parte feriant, aut pungant.

Ferri.

Prælatorum integritas.

Quod

Quod privilegium Paulus in Prælato requiſivit dum ait: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Item ad Titum: *Verbum ſanum irreprehenſibile, ut is, qui ex adverſo eſt vereatur: nihil habens malum dicere de nobis.*

1 Timoth. 3.

Ad Tit. 2. 8.

Diverſitas munerum & officiorum.

Digiti, qui ex diſparitate ſua elegantiam & proportionem manus efformant, ab homine quodam judicioſo hoc Lemma obtinuerunt: *diſparitate pulchrior.* Hæc eſt pulchritudo illa (inquit præfatus Abbas Picinellus) quæ in exercitibus apparet, ſicut & in cultu Religionis, ubi tanta eſt functionum varietas, tam diverſa officiorum diſtributio. Pro concluſione hac, & expoſitione tam eleganti S. Leonem Papam citat, qui ait: *Etſi non eadem eſt membrorum omnium pulchritudo, nec in tanta varietate partium poteſt eſſe membrorum parilitas, communionem tamen obtinet decoris connexio charitatis.* S. Gregorius Pappa item, dum de variis Eccleſiæ gradibus loquitur, ſic habet: *Ad hoc divinæ diſpoſitionis proviſio gradus diverſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, veræ concordiæ fieret ex diverſitate connexio.*

Serm. 1. Quadrag.

Epiſt. 52.

Abbas Jacobus Certanus (omnes hi quondam Concanonici mei) manum exprimebat blandientem ſerpenti, cum hac Epigraphe: *propriæ blanditur neci*: Alludendo ad mundanos, qui dum nimium carni blandiuntur, cauſam interitus ſui fomentant: Totum hoc prædictus Author per ſententiam Origenis elucidat, qui ait: *Si carnem frequenti mollitie, & jugi deliciarum luxu foveatis, inſoleſcet neceſſario adverſus ſpiritum*: Et paulò infra: *Tu das ſtimulos carni tuæ: tu eam adverſus ſpiritum tuum armas, & potentem facis, cum eam carnibus ſatias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.* Sic omnino etiam, qui tarde, & male cognito inimico benefacit, ſerpentem in ſinu ſuo nutrit.

Carnales homines.

Hom. 9. in Levit.

Pari modo ut monſtraretur, quantum is, qui ſecundum normam virtutis operatur, prævaleat, ei, qui de eadem perorare novit, manus figurabatur aperta, cum hac ſententia: *Opere, non verbo.* Id quod Seneca amplificat, dum inquit: *Non eſt philoſophia artificium, nec oſtentationi paratum: in rebus, non in verbis eſt.* Et Juſtus Lipſius: *Facere docet philoſophia, non dicere: hoc exigit, ut ad legem ſuam quisque vivat.*

Virtus operum.

Iuſt. Lipſ. lib. 1. Manud. Diſſert. 13.

Jam ſæpius memoratus Pater Picinellus perpendens, quantum animæ noſtræ afflictiones proſint, unde Deus ex nobis eruit, & pœnitentiam, & eleemoſynas, denique opera vitæ æternæ: ut hunc ſenſum ſuum tam pretioſum ſignificaret, manum adhibuit, exprimentem ſpongiam, cum lemmate: *Premit, ut exprimat.* Id quod in perſona Job contigiſſe reor, cum tantis & preſſuris calcatus, & oppreſſus fuit, unde ſic ajebat: *Manus Domini tetigit me.* Supra quod Gregorius Papa: *Tangendus ergò erat vir ille Dei: ut qui notus fuerat Deo, fieret notus nobis.*

Afflictio homini proficua.

Intrepiditas, qua nunquam ſat laudatus Mutius Scævola vindici flammæ comburendam manum ſuam exhibuit, Sigismundo Malateſtæ anſam dedit, ut intrepiditatem cordis ſui manifeſtaret, qua ad omnem temporum injuriam ſe promptum eſſe, & ad omnem ſuſtinentiam malorum infracto futurum animo palam fecit, dum huic facto illud lemma appoſuit: *His graviora.*

Suſtinentia.



Hæc Idea glorioſiſſimi Martyris S. Laurentii eſt, qui inter flammas fortior apparuit, improperans lictoribus debilitatem, quod partem corporis ſibi, ab craticula, & foco incombuſtam, & intactam relinquerent.

querent. Huc etiam fortiſſimi Martyris Ignatii conſtantia reſpicit, qui quamvis in obſcuro carcere catenarum pondere gravaretur, hæc nihilominus ad ſuos manu exarabat: *Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius carnis contritio, & univerſa diaboli tormenta in me veniant.*

Infra Academicos, dictos *Immaturos* (qui ut concordiam ſuam denotarent, antiquum illud emblema propoſuerunt, manipulum, inquam ſpicarum adhuc viridantium, cum lemmate: *flaveſcent,*) Ego quoque manum figuravi colligentem ſpicas maxime maturas, & prælectas, cum ſpe proventus melioris, adjuncto lemmate: *Bella meſſe di ſpeme io ſceglio nitanto:* Hoc eſt: *Interim ego præclaram ſpei meſſem collegio.* (vide pagina XXX. ejusdem rei figuram.) Spes.



Bias ex Eboren.

Quis verò neſcit ſvaviſſimum virtutum condimentum eſſe ſpem, quippe quæ cibum amariſſimarum operationum transglutire facit: cui iter omne breve eſt, cui omnis labor jucunditate plenus. Sic Bias ſenſit, dum ait: *Dulcis res eſt ſpes.* Et Marcus Tullius: *Sola ſpes hominem in miſeriis conſolari ſolet.* Quod Tibullus item expreſſit:

Spes etiam valida ſolatur compede vinctum:
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

Porro

Porro dum in memoriam illud revocarem quod Sapientia æterna in Proverbiis inquit: *Abſcondit piger manum ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam:* manum figuravi, quæ indice & pollice lingvam tenebat, adjuncta hujuscemodi ſententia: *Optima in unum.* Intelligi



per hoc volens, tum vitam noſtram in faſtigio perfectionis futuram, cum lingva manu unita fuerit: hoc eſt, vita verbis conveniat: ſiquidem rectitudo interna cum externa perfectam analogiam ſervaverit: atque hoc eſt, quod tam ſæpe jam repetitum, ſæpius repetendum eſt. Sic ſentit S. Bernardus: *Da voci tuæ vocem virtutis, conſonet vita cum verbis ut ſit in ore tuo ſermo vivus, & efficax penetrabilior gladio ancipiti.*

Serm. ad Paſtor.

SYMBOLA.

Confinia factis illuſtribus ſymbola ſunt, externo enim corpore hæc quoque internos ſenſus exponunt: habent autem adjunctam ſententiam, quæ tanquam anima eſt in corpore: lema enim corpus illud, vel figuram loquentem facit. Symbolum itaque non immeritò quaſi ſimilitudo eſt, utraque igitur invicem conveniunt, dum ea quæ mente concepimus & *Impreſæ* (id eſt factorum illuſtrium emblemata) & ſymbola pari modo exprimunt. In hoc tamen differt ſymbolum, quod non tam ſeverè brevitati ſententiæ adſtringitur, nec ut illa tam ſit corpori ſtrictè annexa, nec ad omnes ejusdem ſingularitates obſervandas, cum videlicet conceptus mentis exponendus eſt alligata: porro nec ad unum adeo corpus tenetur ſymbolum: in quo maxime ſpectabiles *Impreſæ* puritas eſt. Symbolum item in ſublime idcirco levatur, quod ſenſus magnanimos, patheticos, heroicos, ethicos, & conſimiles, declarat, & explicat, prout illud in exhibitione ſymbolorum, quæ de manu ſumentur patebit.

Juſtitia mundo neceſſaria.

Doctiſſimus Paradinus (cui melior pars horum ſymbolorum debetur) ut, quantum eis qui regimini populorum præſtituti ſunt, juſtitia neceſſaria ſit, declararet: duas manus figurabat: quarum illa quæ inferior eſt, brachio ſuo cohæret, ſceptrum tenens non abſimile parvæ columnæ coronatæ: de qua corona manus rurſum egreditur, pugno ſuo ficam comprehendens, adjuncta Epigraphe: *Non ſine cauſa.*



Cap. 2.

Hæc ſica, vel gladius, ſæpe mundo monſtratur ab omnipotente, ut Juſtitiam ejus vereatur homo. Inter alia ſic dilectus Jeſu diſcipulus in Apocalypſi Sacerdotem magnum vidiſſe aſſerit, ubi ſic habet: *gladius utraque parte acutus ex illius ore exibat.* Et Pſalmiſta: *Gladium ſuum vibravit, arcum tetendit, & paravit illum.* Sic Aſtræa depingitur dextra manu gladium gerens. In hunc modum Juſtitia divina, quàm forenſis deſcripta, & monſtrata fuit.

Non minus ingenioſe Carolus Cardinalis Borbonius eundem ſenſum in lemmate ſuo exhibuit, de manu quadam vel brachio gladium prodeuntem figurans, circumdatum flammis, & non ſecus ac in pyramidibus ſolet, ſurſum verſus ſerpentibus: ita ut cometem feralem dixeris: inferius hanc Epigraphen affixit: *Auctor ego audendi. Quo & ſignificari voluit* (verba ſunt Authoris) *gladium Prælatis, & Eccleſiæ miniſtris, puta ſpiritûs, proprie convenire. Qui (differente Paulo) proprie eſt verborum DEI.* Sic enimverò non ſolum manum eorum eſſe armatam

Correctio.

ferro oportet, & igne, ſed lingvam non minus, quippe quibus neceſſarium eſt cum energia omni errores illos & vitia reprehendere, in quibus ſubditos ſuos immerſos vident. S. Auguſtinus in hunc ſenſum

De Charit.

ait: *Non putes te amare ſervum, quando eum non cedis, aut tunc amare filium tuum, quando eum non corripis: non eſt iſta charitas, ſed langvor.* S. Gregorius item: *Qui poteſt emendare, & negligit, participem procul dubio ſe conſtituit. Qui alterius bonum juvat, ſuum facit.*

Serm. 7. in Reg.

Ad explicandam utilitatem, plenitudinem, & ſummam diviniſſimi Altaris Sacramenti virtutem Cardinalis de Turnione duas manus pictas oſtendit, manna de cælo colligentes, lemma illud adjungens:

Sacratiſſimum Altaris Sacramentum.

Non quæ ſuper terram: quæ verba ab Apoſtolo Paulo vaſe electionis mutuata ſunt, dum ad Corinthios inquit: *Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram:* ſed in alio admirabili ſenſu: his enim indicavit in terris cibum hujuſcemodi non inveniri. Aptiſſima eſt ſubſtantia mannæ, ad figurandum Euchariſtiæ Sacramentum: unde Eccleſia canit: *Datur manna Patribus. Non quæ ſuper terram:* Non immerito; ſiquidem hic divina Sapientia, juxta Pſalmiſtam: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, eſcam dedit timentibus ſe:* ſupra quod S. Auguſtinus: *DEUS, cum ſit ditiſſimus plus dare non habuit, cum ſit ſapientiſſimus plus dare non ſapuit, cum ſit potentiſſimus plus dare non potuit. O mirabilis dilectio charitatis!*

Seq. Miſſ. Rom.

Patrocinium.

Notat Wolffgangus Lazius, Exercitus Romanos, fortaſſe ut ubivis terrarum ſe armata manu prævalere, ſuamque potentiam, non minus ac concordiam celebrem demonſtrarent, quocunque tenderent, in apice erectæ haſtæ portaſſe manum apertam: ipſa autem haſta in ſummitate per modum radii in acumen terminabatur: verba autem hæc adſcripta erant: *Fiducia concors.* Huc clariſſime verba Iſaiæ Prophetæ de præcurſore Domini reſpiciunt: *Sub umbra manus ſuæ protexit me & poſuit me ſicut ſagittam electam.* Pertinget, & feriet, quicunque manum Dei, hoc eſt auxilium ejusdem habuerit. Hoc, ni fallor, & Principibus applicari poterit. Hinc Euripides: *Jupiter mihi auxilium, non metuo.*

Iſ. 49.

In Hercul.

Romani porro, ſi quis pace jam ſancita, repedare rurſus ad exercitum inimicum voluiſſet, eum ſaxo ſcrofam jacere volebant: unde ſymbolum enatum eſt: brachium, inquam, & manus ſaxũ pugno tenens,

&

& ſcrofam ſe ferire demonſtrans, cui lemma additum: *Si ſciens fallo.* Perfuga enim memoratus hos verſus dicere cogebatur:

Proditio.

Ut ſcrofæ vobis præſentibus accidit iſti,
Sic mihi contingat, fallere ſi hic cupiam.

Hac itaque methodo ſecuritatem ſibi promittebant, neminem contra ſe conjuraturum eſſe. Fortaſſis illud ſignificando, quod ſicut Animal hoc turpe eſt, ſic actionem illam quoque indecoram, turpem, & homine ingenuo indignam eſſe, percutere immundum animal, nec caſtigationem illam promeritum. Hanc mercedem, imo hac omnino majorem procul dubio meretur proditio. Plutarchus ait: *Alieni fidem habere non debet, qui ſuorum proditor fuerit.* Et Livius: *Semel proditori nulla eſt danda fides.* Quod vitium omnium peſſimum eſt.

In Apopht. l. 4.

Dec. 1.

Ad indicandas Regni curas, & ſollicitudines duæ manus figurantur, quæ in actu deponendi Diadema, ſpectantur, cum ſequenti inſcriptione; *Ecquis emat tanti ſeſe demittere?*

Sollicitudo & Curæ Regni.



Symbolum hoc originem ab eo traxit, quod Valerius Maximus de Rege quodam recenſet, qui cum per aulam palatii ſui graderetur, obvium habens è familiaribus ſuis, qui ei diadema regale porrigebat capiti imponendum, diu cogitabundus, & anceps ſtetit, tandem in hæc verba prorupit. *O nobilem magis, quàm felicem pannum, quem ſi quis penitus cognoſcat, quàm multis ſollicitudinibus, & periculis, & miſeriis ſit refertus, ne humi quidem jacentem tollere vellet.* Ita enimvero eſt. Moyſes item ab Altiſſimo ad Principatum vel Ducatum populi vocatus, apertiſſime reſpondit: *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum.* Tyberius pari modo apud Tacitum in primordio Imperii agnoſcere ſe ait: *quam arduum, quàm grave regendi ſit onus.* Ajebat Sineſius, ſiquidem plumbum in bilance, cum gravitate, & pondere Regni libratum fuerit, non parum hoc illi præponderaturum eſſe. *Imperio maximo maxima ineſt cura*, inquit Saluſtius. Elevatiſſimus Ludovici Mancini calamus in Tragœdia Othonis, hunc Imperatorem cum ſuis ſic ratiocinantem introducit:

Lib. 1. Annal.

Ap. Coctam.

Atto. 1. Scen. 6.

Queſto del capo mio gravoſo incarco,
Queſto della mia deſtra auguſto peſo
Con varia luce, è geminato pondo,
Mi tengono, Rainaldo, ogni or ſoſpeſo.

Ecce gigantes gemunt ſub aquis, vel ſub pondere illarum inquit propheta Job. Gemunt ſub onere ſphærarum, niſi illic Alcides ſint, vel Atlantes.

Cap. 26.

Coneſtabilis Columna, ut candorem fidei ſuæ denotaret, quæ fortitudinem brachio ſubminiſtrabat, idem brachium armatum exhibebat unà cum manu ſua, quæ gladio grandi evaginato ſe percuſſuram minitans, hoc lemma adjunctum habebat: *Non fallax.* Utque puritatem integritatis ſuæ palam faceret, ſupra præfatum gladium inſculpi lilium fecit. Ingentem brachio vigorem præbent, integritas animi, & ſana ratio.

Fides & integritas.

Nil ſibi conſcire, & nulla palleſcere culpa,

Ajebat Virgilius: Bias item:

Sola bona conſcientia caret inviſa metu.

Apud Stob.

Binæ manus cum virili conſtantia apprehendentes validum remum quendam, de quo proinde plura flammarum volumina egrediantur cum lemmate Gallico: *Pour un autre non.* hoc eſt: *Non alteri:* Impreſa ſymbolica erat Admiralis Andreæ Lavalli. Per hoc enim fidelem & nunquam interruptam vigilantiam pro commmodis & utilitatibus Regis ſui indicare voluit: præſertim in miniſterio navali, cui

Vigilantia.

præſidebat. Per manus operationem & robur figurabat, per remum flammigerum, ſollicitudinem ſuam, & promptitudinem. Hæc prima pars eſt, quam in fideli miniſtro requirimus. Quin imo ſollicitudo, inſpicientis & præſentis, anima eſt negotiorum. Catoni præjudicium non dedit ſacerdotem fuiſſe Apollinis, ut idcirco ſe Reipublicæ curis ſubtraheret. Magnanimi Duces Joſue, & Gedeon in more poſitum habebant, oblato ſacrificio altaris, impoſita caſſide tum demum luſtrare exercitum gladiata manu.

Crudelitas.

Ad figurandam tyrannidem, pejorem Dionyſii Syracuſani, depingi poterit ſupina manus, cujus digiti pungentibus cannis perforati ſint, cum inſcriptione ſequenti: *Heu cadit in quenquam tantum ſcelus?* Cœlius recenſet, Locrenſes, ut ſe de memorati Regis impietate vindicarent (quippe qui cum infami turpitudine eorum filias omnes ſtuprare voluerat) teneras adhuc tyranni filias arripuiſſe, easdemque obvio cuivis ludibrio & libidini expoſuiſſe violandas, deinceps barbarie atrociori, quàm non fuit illa Dionyſi majoris, inter carnem & ungves fixiſſe præacutas arundines, & eo usque tormentis exquiſitis diſcruciaſſe, donec animam efflarent. Dicamus igitur *Tyrannidem genitricem eſſe injuriæ*, prout Plutarchus inquit: & Sophocles: *Tyrannum eſſe pium non facile eſt.*

De fortuna Alexandri apud Stob.

Cum Julianus Apoſtata, nefarius Imperator Imperii gubernaculum aſſumpſiſſet, per compita & muros civitatis, prout Eccleſiaſtica hiſtoria docet, edicta publica affixit, quibus cavebat, ne quisquam auſu temerario Juventutem inſtrueret in iis rebus quæ vel imperii regimen, vel rei domeſticæ adminiſtrationem concernerent. Hæc tam impia lex à S. Joanne Martyre dilacerata eſt, qui eam inexorabili, & atrociſſimæ crudelitati pœnæ & tormentis anteponebat. Itaque ut hoc factum generoſum exponeretur duæ manus erectæ erant, dilacerantes folium quoddam, cui ſigilla aquilæ ſubtus affixa erant, cum hac Epigraphe: *Præſto eſt inſignis gloria facti.* Erat enim hæc actio Chriſtianitatis heroica, & animo plena, quæ honorem vitæ præpoſuit. Simile hoc Exemplum eſt aliis tantis, de quibus meminerunt Petrus Victor, Cedrenus, Gallonius, & alii non ſolum iis que de Juvenibus robuſtis in medium producuntur, ſed de virgunculis quoque imbellibus, quæ ſe tyrannis præſentando, impavida libertate eorum crudelitatem improperarunt. Inter has S. Agatha cenſenda adverſus Præfectum Quintianum: S. Lucia contra Paſchaſium: S. Catharina contra Maximinum & inſuper aliæ, quibus Legendæ Sanctorum adimpletæ ſunt.

Actio Chriſtianæ generoſitatis.

Nec enim compedes manicæ, aut catenæ reum aut facinoroſum hominem indicant, ſed opera, & facinus. Ad hujus rei expreſſionem, binæ item manus figurantur, quæ indicium operis ſunt, pendentes de præmemoratis manicis iisdemque apertis: hæ pro ſymbolo portant (illud quod ſupra dictum eſt ſignificando) *nec fas eſt, nec poſſe reor.* Hoc inter alios S. Petrus palam dedit, cum per manum Angeli ſolutus, catenas carceri ſuo ipſe evadens dereliquit. Non aliter ſe res habet. Dixerit alius, habitum non eſſe, qui Monachum faciat ſed mores. *Loquere, ut te videam*, ajebat M. Tullius ad quendam, qui eum impetebat. Arbor è fructu cognoſcitur, ſic divina ſapientia nos docuit. E rivulis fons ab odore liquor diſcernitur.

Opera de internis indicant.

Ut proinde mundanæ gloriæ lubricitas, & tranſitoria vanitas exponeretur, manus figurari poterit haſtam tenens, in cujus ſummitate ſtuppa ſuccenſa appareat, his verbis adjunctis: *Nil ſolidum.* Alludit pictura hæc ad conſvetudinem illam, qua ſummo Pontifici noviter electo, hæc inflammata ſtuppa præſentatur: factum hoc cum illo Iſaiæ confrontatur. Unde & Lampridius refert olim lapicidam Imperatori obvium in loco, ubi cumulus petrarum erat dixiſſe:

Mundi gloria vanitate plena.

Elige ab his ſaxis in quo Auguſtiſſime Cæſar,
Ipſe tibi tumulum me fabricare velis.

Quin & magnus ille Propheta David: *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Et alibi: *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna quæ præteriit.* Similitudines ſomni, vaporis, fumi, aquæ, navium, & ventorum, quæ à Prophetis plerumque uſurpantur, in hujus rei teſtimonium ſervire poterunt.

Ad repræhendendum paraſitorum, & lenonum immodicum luxum, eorumque omnium, qui mediocritatis liminibus contineri nequeunt, ſed præſcriptos ſibi terminos per fas & nefas prævaricari non ceſſant, ſcyphus aqua plenus figurabatur, ſuper quem manus eminebat, ſuper infundens, & aliquantum farinæ injiciens, cui hæc brevis declaratio adjungebatur: *Satis.* Sic olim feciſſe legitur Heraclius Imperator, ut Athenienſes eam continentiam doceret, quam per tot Philoſophorum maximè illuſtrium doctrinas, quam in mundana ſubtilitate, etiam poſt fata patriæ ſuæ reliquerunt, comprehendere, aut diſcere nequierunt: hac enim aqua, & pugillo farinæ indicavit, hæc à natura nobis ad neceſſarium vitæ uſum ſuggeri, atque his contentos nos eſſe oportere. Sed materia hæc tractatu vaſtiſſima eſt, quam idcirco hucusque intactam relinquimus, cum immenſa de hoc authorum volumina cuivis ad manum ſint.

Mediocritas in rebus.

Tarquinii factum obliterari vetuſtate noluerunt Sapientes: qui cum in horto ſuo deambularet, Legato jamjam abituro ad filium, & interrogante, quid de viris ſenatoribus, contumacibus & rebellibus fieri vellet, ſumma papaverum capita bacillo diſcuſſit & detruncavit, ut idem de memoratis ſenatoribus faciendum noſſent, declarans: itaq; veteres ut hoc ipſum ponerent ob oculos, manum figurarunt virga quadam, id quod diximus, perficientem, his verbis ſuperadditis: *Æquari pavet altera minor.*

Æqualitas.

Neſcio



Di Amic. multis.

Neſcio an documentum ſalubrius, aut vivacius dari Principi poſſit. Atque hoc eſt, quod tantopere Plutarchus commendatum voluit, dum ait: *Æqualitatem cole, quæ amicos ſemper amicis, civitatibusque civitates, ſocios ſociis collegit, æqualitas enim legitima hominibus eſt.* Intrepiditas animi heroici, & maſculæ virtutis, quæ in rebus arduis ſe exponere non veretur, manu repræſentabatur, quæ fortiter & conſtanter lingvam Leonis pugno tenebat, affixam habens epigraphen: *Tu decus omne tuis.* Symbolum hoc à Lyſimacho deductum eſt, qui ab Alexandro Magno ad beſtias damnatus, cum Leonem ſibi obvium apertis faucibus vidiſſet, cum tanta ferocitate manum injecit, ut nec quicquam reluctanti belluæ lingvam evulſerit: Ex quo ei tantum gratiæ apud Macedonem acceſſit, ut abſolutus à fatali ſententia in numerum intimorum familiarium receptus ſit, in ejusque honorem Rex Civitatem condi, ejus nomine inſigniri, & Lyſimachiam appellari juſſerit. Sic enimverò virtus in tempore ſuo producta, & nomen, & famam, & gloriam immortalem parit. De fortitudine Ariſtoteles optime inquit: *Virtus eſt animoſæ partis, per quam mortis metus non facile ingruit.*

Intrepiditas virilis.

Di Virtut. & Vitio.

Quantumcunque autem robur humanum, aut ingluvies ad complementum effrænatorum appetituum ſuorum pertingere omnibus viribus ſuis allaboret, ſiquidem adjutorium divinum abfuerit, fruſtraneus labor eſt, in vanum ſe induſtria qualiscunque fatigabit. Alluſit ad hoc ingenioſus ille, qui manum figuravit propinquam calamo ad ſcribendum adaptato, qui quamvis atramento ſufficienti tinctus eſſet, reddere idipſum non poterat, cui lemma ſubſcriptum erat: *Ulterius ne tende odiis:* Totum hoc à facto illo deductum, quod Valenti Imperatori quondam evenit, qui cum Arianæ hæreſeos fautor eſſet, & ſententiam exilii contra Baſilium Epiſcopum, & acerrimum fidei, contra hanc perverſam hæreſim propugnatorem, ſcripturus eſſet, efficere non potuit, ut atramentum calamus emitteret: unde & inopinato tremore correptus, etiam ea pauca, quæ jam ſcripta erant dilacerare coactus eſt. Denique ſententia Chriſti eſt: *Sine me nihil poteſtis facere:* & veriſſimum illud: *niſi Dominus ædificaverit civitatem, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Ampliſſimus hic mihi ratiocinandi campus pateret.

Fortitudo vana ſine adjutorio divino.

Ex Br. Rom.

Manus, cujus index annulum inſertum, & apparentem habeat, quæ ſimul inter digitos monetam auream regat, cum hac ſententia: *ſic ſpectanda fides:* hunc ſenſum habet: quod videlicet pretium fidei per ignem, non ſecus ac aurum examinandum ſit: In periculis enim, in laboribus, in fortuna ancipiti, fidelitas, & conſtantia amicorum probatur. Videtur autem hoc illi Ovidiano ſimile, niſi ab eo plane deſumptum eſt:

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum, 1. Triſt.
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides. Eleg. 4.

Hanc ergo Deus cum electis ſuis formam, & methodum tenet: ſicut ſapientia increata inquit: *Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus.* Et S. Gregorius Nazianzenus, paucis quidem ſed ſuccoſis verbis ait:

Aurum flamma: bonos adverſa probabunt. *Lib. 3. Sin.*
Sic Joannes Audenus: *Io. Auden.*

Quod fornax auro facit hoc tribulatio juſtis:
Rebus in adverſis certa probanda fides.

Quantumcunque omnia pro votis feliciter, & utiliter ſuccedant, ſive id in divitiarum accumulatione ſit, ſive in conſtruendis ædificiis, ſive in dignitatibus, Felicitas non ſecura.

ſive

ſive in palæſtra, vel victoriis: in progreſſu operis nihilominus nec incommoda, nec oppreſſiones, nec afflictiones defuturæ ſunt. Aut enim poſt prælium langvidus es, aut à labore feſſus, aut à nimia applicatione infirmus, & horum ſimilia. Totum in quatuor manibus & brachiis totidem figuratum fuit, quæ manus baculum hinc & illinc, contra ſe invicem tenebant trahendo: cui hæc Inſcriptio erat: *Hic & ille*



Ep. 18. Hanc commonitionem nobis Seneca ſuggeſſit, dum ait: *In ipſa ſecuritate animus, ad difficilia ſe præparet, & contra injurias fortunæ inter beneficia firmetur.* In hunc ſenſum, quaſi tum fortunæ ſuæ ſecuturæ præſcius vel prophetes Commendator Teſtius canebat:

Non ti fidar di calma: in un ſol giorno
Scherza nell' onde, & vi s' affonda il pino:
E tal ricco di merci e su' l mattino,
Che nudo era la ſera a lidi intorno.

Tutela divina. Rurſum ut denotaretur, ubi ſuper nos divina tutela vigilaverit, vim nullam eſſe, qua offendi poſſimus, manus figurata fuit, quæ inter flammas, à ſerpente correpta mordebatur, adjuncta ſententia: *quis contra nos?* Quod totum ab eo deſumptum eſt, ubi
Act. 8. Paulus Apoſtolus in Inſula Melita viperam mordentem & à manu ſua pendentem habuit, ita ut barbari, eum continuo moriturum crederent: ille vero manum diſcutiens venenatum animal in ignem conjecit. Lemma ſupra memoratum item de Apoſtoli verbis iſtis mutuatum eſt: *Quis ſeparabit nos à charitate Chriſti, an periculum, an fames, an nuditas, an perſecutio, an gladius?* Id quod virum Illuſtriſſimum Ciampolium, ſupra illud Davidicum: *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, eripiam eum, & glorificabo eum*, in hos verſus induxit:

Speraſti in me, quando mancò la ſpeme,
Et io per la tua vita,
Quando più l' odio in evitabil freme,
Farò tuonar onnipotente aita.

Supra id quod propheta regius in pſalterio ſuo jam olim cecinit: *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate:* conſiderando item, quod Iconologici, & Hieroglyphici, ad repræ- Curſus anni, & divina providentia.
ſentandum anni decurſum, ſerpentem depingebant, qui extremitates ſuas jungebat, caput videlicet caudæ: ſapientes hunc ipſum ſerpentem figurarunt, ſed undequaque faſcibus & ſertis variorum fructicum, pomorum, & uvarum, aliorumque, prout illa tempus anni producit, circumdatum: atque hic ſerpens regebatur & ſuſtentabatur manu quadam. Sic verum eſt: *Quod oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno*, prout Regius pſaltes ait. Hæc materia Prædicatoris eſt, cum in ultimo curſus ſui Quadrageſimalis Benedictiones populo elargitur. Nulla uſpiam in Mundo difficultas tantopere involuta, & intricata eſt, quæ non virtute & valore diſſolvatur, & evincatur. Ha- Virtus.
beant montes Apennini inconſcenſos adytus ſuos, & duriſſima juga, erit Hannibal aliquis, qui brachii ſui robore, qui ferro & aceto ipſas adeo rupes per medium ſecet, & viam ſibi, & exercitui ſuo ad inimicum ſuum debellandum aperiat. Hunc ſenſum quidam ſic expreſſit: Manum figuravit armatam gladio, quo nodum truncabat, adjuncto lemmate: *Nodos virtute reſolvo.* Quod ab Hiſtoria illa vulgatiſſima Alexandri Magni deſumptum eſt, cum evaginato gladio nodum Gordium reſcidit. Hanc inter alios ſententiam, cum figuris harmonicis, & patheticis expreſſit Marcus Tullius, dicendo: *Virtus tem-* Pro Sextio.
peſtate ſæva, quieta eſt, & lucet in tenebris: pulſa loco, manet, nec alienis unquam ſordibus obſoleſcit.

Manus

Manus demonſtrans gladium, in quo lilium ſculptum appareat, quæ item tres coronas à gladio ſuo pendentes, vel innexas exhibeat, quondam ab Rege Franciæ figurata fuit, cum lemmate: *Etiam fortunam.* Ad demonſtrandum, quod qui ſibi adhæſiſſet, non ſolum omnem naturæ, ſed etiam fortunæ ſiniſtræ injuriam ſuperaturus ſit. Monetis ubique ter-
Patrocinium Principis. rarum liber tranſitus eſt, & inconteſtata privilegia, non ſolum propter æſtimationem metalli, ſed etiam idcirco quod in iis imago Principis inſculpta eſt. Inſcriptio illa: *Cæſaris ſum, noli me tangere:* Cervam quandam ab omni offenſa, etiam minima defendit. Cervi Aureliani, Elephantes Darii, aves Annonis ſat demonſtrant ipſas adeo feras ſub protectione Principum, & venerationem & æſtimationem invenire.

Uſus ventilabri quo muſcæ abiguntur, primam ſui inventionem à plumis pavonum traxit. Muſcæ, carne potiſſimum humana delectantur, quippe quæ proboſcide ſua ſubtus cutem ſangvinem exſugunt. Itaque
Incentiva voluptatis è medio tollenda eſſe. ut quantum incentiva, ſtimulique cupidinis tollenda ſint è medio indicaretur, manum quidam exhibuit, quæ ventilabrum ex hujuſcemodi pennis compoſitum gerebat, per cujus gyrum muſcarum multitudo volabat, cum hac inſcriptione: *Tolle voluptatum ſtimulos*: quod idem eſt, ac nobis de periculoſa occaſione cavendum. Hæc enim voluptas, Circe eſt, ad cujus menſam ſi ſemel admiſſus fueris, propediem in brutum irrationale converteris. Prudentiſſimus Ulyſſes, ſe malo navigii alligari fecit, aureſque cera obturari, ut ne ſicut cæteri ſodalium ſuorum & ipſe in pecus ratione deſtitutum mutaretur. Sic S. Auguſtinus inquiebat: *Sicut non vitanda ſunt amara ſalubria, ita ſemper vitanda eſt amara dulcedo.*

Apud veteres paganos in more laudabili, & devoto erat, ut in Sympoſiis, aut conviviis ſceletum humanum haberent, aut verò mortis imaginem. Idem Memoria mortis.
uſurpabatur apud iratos, ut intuitu figuræ hujus, in quam aliquando redigendi ſint, intempeſtivos ebrietatis & iracundiæ motus reprimerent. Senſus hic in manu expreſſus fuit, quæ vas quoddam portans, exinde ſemi-ſceleton prodire faciebat, quod in fronte hanc inſcriptionem portabat: *In hoc intuens.* Ad hoc ſe Græci præcipuè, & Ægyptii exercitabant antiquitùs. Ita verum eſſe ait S. Chryſoſtomus: *quod nihil* Hom. 16. ad Populum.
ſit quod magis coërceat animam à peccatis, quàm frequens meditatio mortis. Et S. Gregorius Papa: *Per-* lib. 12. Moral. 13.
fecta vita eſt mortis meditatio, quam dum juſti ſollicite peragunt, culparum laqueos evadunt.

Quidam, dum ob ſervitia fideliter Domino & Pa- Fides præmiata.
trono ſuo exhibita larga ſibi præmia comparaſſet, & multa commoda conſecutus eſſet, unde etiam brevi temporis decurſu bonorum temporalium divitem poſſeſſionem acquiſierat, pro ſymbolo cornu copiæ levavit, quod à duabus manibus invicem ſe amplexantibus ſuſtentabatur, cum ſuperſcriptione ſequenti: *Ditat ſervata fides.* Symbolum fidei manus ſunt, prout in Hieroglyphicis copioſius patebit. Bonitas igitur & fidelitas hujuſcemodi remunerationem conſequitur. Quod autem manus ſenſum ſupramemoratum exprimat, Author Livius eſt: *Manus*, inquit, 1. Decad. lib. 4.
attolluntur in ſignum commiſſæ fidei: inſuper & Chryſoſtom. *Confidentia magnam habet remunerationem.*

Idea Animi perfecti hæc eſt, ſiquidem ſibi bonorum & divitiarum abundantiam exoptet, non ut tenacitati fomentum præbeat, aut quæ acquiſita ſunt malè eroget, ſed ut diſpertiat, Bona fortunæ utiliter diſpenſata.
diſpenſetque dignioribus, & maxime ſpectatis. Hoc ipſum in manu quadam figuratum fuit, quæ de vaſe quodam diverſitatem monetarum ſupra caſſidem effundebat, quæ caſſis ſupra librum quendam, utraque autem liber nimirum & caſſis ſupra altare poſita erant, & majoribus literis inſcriptionem hanc notatam habebant: *Expetendæ opes, ut dignis largiamur.*



Sic

Sic Ludovicus Rex Franciæ faciebat: ſic vir doctiſſimus Paradinus commemorat Matthæum Balbanum Lucenſem feciſſe, qui cum bonorum temporalium abundantia frueretur, quotidie altiſſimum precabatur, ut mentem ſibi illuſtraret, ac doceret in quem maxime indigum, aut promerentem hæc ſua bona elargiretur. Huc referenda ſunt verba Redemptoris: *facite vobis amicos de mammone iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Materia hæc vaſtiſſima pro pulpito eſt.

Sagaciſſimus vir Sadelerus, gloria æqualiter & literarum, & Inciſorum æris, ad encomium & honorem Philippi Secundi Regis Hiſpaniarum, duas manus ſibi invicem junctas figuravit, cum duabus ſententiis, una ſuperiori, altera inferiori: quarum prima ſic erat: *Felicitas temporum:* inferior ita: *Rerum concordia.* Non aliter accidit: nullum in orbe bonum eſt, felicitas nulla, quæ non concordiæ & unitati ortum ſuum debeat. Itaque ſapientiores hoc intuendo ajunt: *Concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.* Faſciculus ille virgarum, cujus tot Hiſtorici meminerunt, qui videlicet à moribundo Patre filiis ſuis oblatus fuit, quippe quod ſimul junctus frangi non poterat, ſed disjunctus facilè frangebatur, nos ſuperiorum convincit: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum*, inquit pſalmiſta. *Concordia inſuperabilis:* ait in Emblematibus ſuis Alciatus.

Utilitas Concordiæ.

Binæ manus, quæ ſupinæ, nihilominus cælum verſus tenduntur, ſuſtentatæ à duabus aliis, cum lemmate: *tutiſſimus:* Symbolum erant invictiſſimi Clodovæi: per hoc monſtrantis ſecurum opus eſſe, quod Directorem habeat Deum. Ejusmodi manus Moſeos erant, quæ in cælum levabantur, interim ſupra hoſtes cæleſtia fulmina cadebant. Ut has manus levemus *Muſicus meus armatus* nos exhortatur: *Omnes gentes plaudite manibus*, & alibi: *Extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.* Hoc ſymbolum figurare item poterit Ideam perſonæ, quæ gratias Deo referat, aut orationem effundat. Ut verbo concludam: *Omnem bonum Authorem Deum habet.*

Manus ad cælum erectæ.

HIEROGLYPHICA.

Hieroglyphicum ad facta ſimul, & ad Symbola pertinet. Regulæ ejusdem aliquanto apertiores ſunt, quam facti (vel *Impreſæ*) reſtrictiores quam ſymboli, cum ad unitatem corporis non actetur: prout patet in animalibus, plantis, columnis, pyramidibus, corporibus mixtis, & artificialibus, mutuatis à Græcorum & Ægyptiorum natione, ad rerum intelligentiam adinventis: id quod originem ſuam à vocabulorum penuria ſumpſit. Interim diſputatio anceps & longa eſſe poterit, quodnam amborum antiquius altero cenſendum ſit, Hieroglyphicum, vel emblema heroicum dictum *Impreſa.* Quod me concernit Hieroglyphicum anterius dixerim: de corpore enim & ſignificatione illius, ſine lemmate, poſthæc corpora per induſtriam ingeniorum & artem talia adinventa ſunt, quæ adjunctas haberent Inſcriptiones, ad intelligentiam majorem, & ornamentum.

Opera.

Manus interim apud Sacerdotes Ægypti ſemper pro Hieroglyphico operationis uſurpata fuit. Hæc depicta, aut ſculpta ſignum erat ejus qui ædificare ſtatuiſſet. Hac ſola utimur ad operandum: hæc iis quæ mente concepta ſunt, forinſecus exiſtentiam, artificum ſolertia, præbet. Sic enimverò ad actum practicum reducuntur, & viſioni oculorum ſubjiciuntur. Hinc Hippocrates ajebat: *In unaquaque arte, manus unumquodque opus, quod facere deſtinârat, accommodat.* Cicero item: *Natura dedit homini manus multarum artium miniſtras.* Lacedæmonii invocationem deorum ſuorum levatis ad cælum manibus fieri voluerunt. Valerianus adjungit: *Noſtram ſanctam operam addentes.* Huc etiam verba Catonis apud Saluſtium reſpiciunt: *Non votis, neque ſupplicis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, benè conſulendo proſperè omnia cedunt: ubi ſocordiæ te, & ignaviæ tradideris, nequaquam deos implores: irati, infeſtique ſunt.*

De natura. *Lib. 35. Hieroglyph.*

Lotio manuum in quacunque gente & natione ſignum fuit innocentiæ, & integritatis, propter hoc Pilatus ad conteſtandum populo, ſe ad Redemptoris mortem (ſaltem prout præſeferre voluit extrinſecus) non concurrere, teſtante Evangeliſta: *accepta aqua, lavit manus.* Sic antiqui omnes, cum ſe à culpa quadam ſibi imputata teſtificari vellent immunes, apportata pelvi, manus lavabant, atque hoc eſt, quod Hebræi diſcipulis Chriſti imputârunt, dum ajebant: *Non enim lavant manus ſuas, cùm panem manducant:* quibus ille econtra: *Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem.* Per munditiem enim exteriorem, interiorem denotare volebant. Sic David ad ſacrum altare acceſſurus ajebat: *Lavabo inter innocentes manus meas.* Ritus qui tam ſancte à ſacerdotibus obſervatus fuit. Veneratione digna ſententia eſt, quam ſuper hoc S. Athanaſius poſteritati dedit, ubi inquit: *Datæ ſunt homini manus, ut ad rerum neceſſariarum uſus inſerviant, & ad preces Deo porrigendus attollantur.*

Innocentia. *Matt. 15.*

Erat item elevata manus Hieroglyphicum poteſtatis, & authoritatis, prout ab Eccleſia ſancta docemur, quæ ſic precatur: *Deus in cujus manu ſunt omnium peteſtates, & Jura regnorum.* Ad hoc referendus Davidicus ſenſus: *Exaltetur manus tua.* Alludebat ad hoc Cæcilius Poëta, dicendo: *Deum quis non eſſe ſummum putet, cui in manu ſit, quem eſſe dementem velit, quem ſapere, quem inſanire, quem in morbum injici, quem contrà amari, quem averſari, quem expeti.* Sic M. Tullius: *Verùm hæc non ſunt in noſtra manu.* Haruſpices olim Veſpaſiano vaticinati ſunt, cum in menſam illius manus hominis portata, ac ea poſtmodum ſubtùs menſam projecta eſſet, fore ut rerum potiretur, orbisque Imperium ei obveniret, quod verum fuiſſe eventus docuit.

Poteſtas & authoritas. *Cæcilius Poëta.* *In Terentiana.*

Duæ manus innexæ cum brachiis, quæ ſubtus axillas terminentur, ſicut *Impreſa* mea monſtravit, perſonam otioſam ſignificant, vacantem, deſidioſam, torpentem & ſtertentem languiditate vitioſa. Huc tendit ſenſus Spiritus Sancti: *Abſcondit piger manum ſub aſcella.* Hoc genus hominum talentum ſuum à Deo datum ſubtus terram defodit. Propter quod contrarium huic dixit Anaxagoras: *Sapientiſſimum omnium animantium videri hominem, quia manibus inſtructus ſit.* Plutarchus idem aſſeruit, nec Ariſtotelem latuit. Denique otium omnium virtutum enervatio eſt: Inter alios Ovidius hoc retulit:

Otia ſi tollas periere cupidinis arcus,
Deſpectaque jacent & ſine luce faces.

Manus ſiniſtra olim à Græcis pro furacitate ſumebatur. Valerianus Hieroglyphicum hoc confirmat per dictum fæminæ parum honeſtæ, nominatæ Sophoclidiſcæ, quæ cum à Pechnia Juvenculo manum poſtularetur, & ille dexteram ei porrigeret, muliercula ad eum inquit: *Ubi illa altera eſt furtifica læva?* Sic Catullus de Maruccino quodam ajebat: qui videlicet rarò admodum manu læva uti conſveverit: *In foco & vino tollebat linteamina negligentiorum.*

Furacitas. *Rhet.*

Vitium

Vitium nullum eſt, quod tantopere nos in hominum conſortio evitari faciat: quod quisque abominatur, non ſolum propter metum amittendi ſua, ſed propter perfidiam potiſſimum, quam ejusmodi homines pectore ſuo fovent. *Omnis fur malignus eſt,* ait Ariſtoteles. Item M. Tullius: *Inſidiatori, & latroni poteſt afferri injuſta lex.*

Pro Milone.

Figura externa, naturalis & internæ lætitiæ eſt, cum in aëre manuum fit complofio, quod item nota applauſus eſt. Idipſum, inquit Pierius, ſat luculenter in lucem dederunt theatra Romana, & Poëtarum cathedræ. Apparuit hoc in ſtatua Sardanapali, quæ in Tarſo reperiebatur. Sicut vituperium umbra eſt, quæ denigrat, & deturpat actiones: ſic applauſus lux eſt, quæ easdem condecorat, & exornat. Cibus acceptiſſimus eſt, quo paſcantur aures: *Nulla eſt auditio laude ſuavior*, ajebat Xenophon: Et Ariſtoteles: *Laus eſt ſermo elucidans magnitudinem virtutis.* Cor hominis, ut reos, nullum aliud confortativum æque dulce & amœnum habet.

Applauſus & lætitia. *Apud Plutarch.*

Vetus illa Æpyptiorum & Græcorum Secta pro Hieroglyphico impedimenti manus invicem complicatas exhibuit: ſuperſtitioſe opinata, taliter innexas parturientium partui ne in lucem prodeat obſtaculo eſſe, idque quamdiu in hoc ſtatu memoratæ manus permanſerint. Vanitas tantò potius deteſtabilis, quod non ſolum cum effectu ſuo analogiam nullam habeat, ſed nec veri quidem ſimilitudinem ullam. Sic enimvero animarum noſtrarum ſeductor & auceps, Ideis mendacibus, & rationibus vaniſſimis incautos ſequaces ſuos illaqueat. Hinc ſagaci cautela opus, ut veteratoris hujus fraudes eludamus, qui & ipſis manibus noſtris nos comprehendit.

Impedimentum. Superſtitio.

Quemadmodum autem earundem complicatio typum impedimenti præbebat, ſic diſſolutio, & explicatio, argumentum erat, vel ſignum libertatis. Quod nihilominus in Capitulo numiſmatum manifeſtius patebit. Libertas donum pretioſiſſimum eſt, ab Altiſſimo homini erogatum: theſaurus nulli alteri æquiparandus, ita ut qui eum amiſerit, ſæpe vitam ſimul amittat. Ipſæ feræ ſylveſtres, inquit Cicero, quantumvis ſvavitate ciborum qualicunque paſcantur, quales ſupra menſam noſtram miniſtrari ſolent, ſuſpirabunt, & gement & plangent nihilominus libertatem amiſſam. *Omnes homines libertati ſtudent:* inquit Julius Cæſar. Et rurſum M. Tullius: *Ita præclara eſt recuperatio libertatis, ut ne mors quidem ſit fugienda, in repetenda libertate.* Sed illa ſola bene amittitur, quæ à viris Eccleſiaſticis Deo tribuitur: quid dixi amittitur? quin imo nullibi melius acquiritur libertas, quàm ubi taliter diſperditur. Quæ veritas & à prophanis intellecta fuit, ait enim Seneca: *Deo parére, libertas eſt.* Et Sancta Agatha ad Quintilianum: *Melior eſt Chriſtianorum ſervitus, Regum opibus, ac ſuperbia.*

5 De finibus. *De bello Gall. lib. 2.* *Philipp. 10.*

De inveterato illo proverbio: *Manus remittere,* acceptata fuit manus pro Hieroglyphico liberalitatis, & donationis: In ſimilitudinem luſoris qui colluſori ſuo primum aleæ jactum permittit: prout dici ſolet: *dare alicui manus.* Ejusmodi ſenſus in Epiſtola Octaviani Auguſti ad Tyberium legitur: *Ego perdidi viginti millia nummûm: ſed effudi, cùm in luſu liberalitatis fuiſſem, ut ſoleo plerumque: nam ſi quas manus remiſi, cuique exegiſſem, aut retinuiſſem: quod cuique donavi viciſſim vel quinquaginta millia: ſed hoc malo: benignitas etiam mea ad cæleſtem gloriam efferet.* Inter duas manus autem, dextra potiſſimum aſſignatur, quippe quæ promptior eſt, quàm ſiniſtra, multoque expeditior in recipiendo, ſic uſitatiſſima quoque ad porrigendum, & erogandum. Hinc ſacri Interpretes ſcripturam per dextram divinam, profuſam Dei liberalitatem, per ſiniſtram ejusdem punitionem, & caſtigationem intelligunt, idque ajunt fieri per Angelum Gabrielem, qui ab Aſtronomis pro ſtella Martis ſumitur.

Liberalitas.

Apud Græcos, & Latinos ſcriptum invenitur: *Centimanum Briaræum, centimanumque Gygem.* Per has manus fortitudinem ſolis indicarunt, qui radiis ſuis, tanquam manibus omnium in orbe rerum opifex eſt. Interpretes Heſiodi per hunc Briaræum tempus vernum intelligunt, propter abundantiam & varietatem herbarum, florum, frondium, quorum mira eſt hac anni tempeſtate fertilitas. Per Gygem hyemale tempus denotant, propter varium rerum uſum, quæ tum temporis diſtribuuntur, & quæ beneficio æſtatis collectæ fuerant, & conſervatæ. Quod univerſum ad auxilium Altiſſimi applicari poterit, qui centum manibus ad ſubſidium noſtri vigilat, & ad noſtri defenſionem aſſiſtit, unde & Propheta Regius inquit: *Redemiſti nos Deus in brachio ſancto tuo:* & alibi: *Si ſumpſero pennas meas diluculo,* & id quod ſequitur: *Et enim illuc manus tua deducet me.*

Fortitudo Solis.

De altero illo Proverbio: *Manus manum lavat,* vel, *ſcalpit*, Hieroglyphicum mutui vel reciproci officii deducitur, quod nihilominus in capitulo Proverbiorum clarius patebit. Hanc monetam præclariſſimam arbitror, quæ mutuo detur: Dei enim providentia ut plurimum fieri dixerim, ut ea, quæ alteri facimus, nobis ipſis eveniant, ſive ſiniſtra illa ſint, ſive dextra: *Eadem quippe menſura, quá menſi fueritis remetietur vobis;* Totum hoc Apoſtolus Paulus expreſſit: *Charitate invicem diligentes, honore invicem prævenientes, ſollicitudine non pigri.* Quod item S. Auguſtinus: his verbis concluſit: *Gratiarum actio beneficiis reſpondeat acceptis.*

Mutuum officium. *Rom. 12.* *Soliloq. c. 28.*

Manus eſt, quæ in neceſſitatibus noſtris nos ſublevat, quæ poſt caſum noſtrum nos erigit, quæ cibat, dum eſurimus, potat ſitibundos, medicamenta ſuggerit dum ægrotamus, alligat vulneratos, allevat oppreſſos. Hinc Palinurus illic apud Virgilium inquit:

Da dextram miſero, & tecum me tolle per undas.

Doctiſſimus Valerianus obſervat, hanc non ſolum in auxilio temporali ſed etiam in ſpirituali promptam eſſe; quod in Patrinis manifeſtum fit, dum miniſterio manuum infans ad lavacrum baptiſmatis tenetur, atque idcirco Hieroglyphico anſam præbuit, ut exinde auxilium opportunum indicaretur. Notat itidem, hoc auxilium præberi ab Epiſcopis dum ordinant, ubi ordinando manum capiti imponunt: atque hæc ſunt, quæ vetus illud adagium in uſum redigunt: *Homo homini Deus.* Quod univerſum Cicero ſic diducit: *Homines hominum cauſa generati ſunt, ut ipſi inter ſe aliis prodeſſe poſſint.* Et Seneca: *Homo in adjutorium mutuum generatus eſt*, & alibi: *Alteri vivas oportet, ſi tibi vis vivere.*

Adjutorium. *2. Offic.* *2. De Ira.*

Apud nationes nonnullas in more poſitum eſt, ut vinctas poſt tergum manus pro ſigno ſupplicantium accipiant. Recenſet Amianus: hunc morem Aſſyriis olim patrium fuiſſe, & ait: Antonium recognitum aliquando in acerrimo & crudeli prælio ab Urſicino, hunc ei voce alta inclamaſſe; Heus Proditor! homo nefarie! Illum vero continuò detecto capite, ab equo ſuo deſilientem, flexo poplite, facie penè in terram usque inclinata, manibus item poſt tergum junctis, eum Dominum ſuum appellaſſe & Patronum, de præteritorum reatu veniam ſupplicaſſe. Hac forma captivi, & carceribus mancipati ducuntur, unde etiam captivitatis Hieroglyphicum factum eſt. Quod totum Virgilius expreſſit:

Supplices. *Lib. 18.*

Ecce manus juvenem intereapoſt terga revinctum
Paſtores magno ad regem clamore trahebant.

Hæc una acerbiſſimarum afflictionum eſt, inquit S. Chryſoſtomus: *Captivitatis perſecutio imputatur ad martyrium.* (*De aſcens. Domini.*) Siquidem homines ſcelerati ad amaritudinem illam, quæ peccatum conſequitur, reflecterent, non usque adeo ad malum proclives eſſent, & præcipites.

Salutatio. Manum item Hieroglyphicum, vel indicium reciprocæ ſalutationis eſſe probare ultra neceſſe non eſt, dum illud quotidiana experientia docemur: Amici ſiquidem obviam facti, reciproce manum ſibi tangunt. Quod & priſca ætate Varro dixit, & Climacus. Hinc Virgilius in Æneide Æneam inducit conquerentem, quod Patrem videre ſibi non liceat, & ita fatur: *Cur dextræ jungere dextram non datur?* Hæc cordis legatus eſt: ſignumque externum ejus, quod ab intro concluditur: hinc ſi porrigitur libera, non invita, ſi aperta, animum indicat ingenuum, ſincerum, & propenſum. Hanc dixeris monetam eſſe, quanto copioſius diſtributam, cum tanto majori ſemper fœnore & lucro redeuntem.

Adoratio. In capitulo hiſtoriarum, rituum, & conſvetudinum, multa, ut opinor, narratio nobis occurret, de oſculatione manuum: nihilominus cum hoc oſculum ſignificationem quoque Hieroglyphicam præbeat, neceſſarium video, ut hic loci quædam etiam de his, quantum invenire licuit, in medium proferam. (*Ex Pierio Lib. 35.*) Non ſolum itaque levare in cælum manus ſignum adorationis erat, ſed ad earum etiam oſculationem accedere. Hinc Plinius ajebat: *Quædam eſt in dextra religio, quæ oſculis averſa appetitur.* Et S. Hieronymus (*Ad Ruff.*): *Qui adorant, ſolent manum deoſculari, unde Hebræi deoſculationem pro veneratione uſurpant.* Hoc inprimis per Hiſpaniam totam mos obtinuit: antequam ſacri pedis deoſculatio in ſummis Pontificibus uſurpata fuiſſet, ei ſolum hæc oſculatio manuum dabatur. Sic olim manifeſta palpatione de Cæſare Auguſto Imperatore inquit Catullus, Senatores Romanos & prætextatos acceſſiſſe Jovem, precatos, ut tutorem ſibi conſtitueret, eumque reſpondiſſe, Cæſarem adirent, eidemque veneratione debita manum oſcularentur.

Conſenſus. Antiqua conſvetudo fuit, nunc quoque non abolita, ut ſiquando Duces, & exercituum capita obtinere à communi milite, in exequenda expeditione quadam conſenſum oportuit, illic videlicet, ubi conſultandi mora non eſt, ut rumor & diſſidium verborum præpediatur, in ſignum promptæ voluntatis & conſenſus, dextram quisque erigeret. Ab hoc ritu Hieroglyphicum conſensûs enatum eſt. In exercitu Cyri, ait Xenophon (*Xenoph. Cyroped.*), hunc morem potiſſimum viguiſſe: qui primam originem ſuam, & fundamentum de lege hebræorum potiſſimum ſumpſit, illic nimirum ubi Aaron in Levitico manus ſuas in cælum levando, & idem ipſum populo imperans, ab Altiſſimo Deo ſibi bona provenire poſtulabant. Sic S. Paulus: *Orate in omni loco, attolentes puras manus.* Et Tertullianus (*De ſalut. Imp.*): *Illuc ſuſpicientes Chriſtiani, manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo quia non erubeſcimus, ſine monitore, quia de pectore oramus.* Denique Propheta Regius: *Ex tollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.*

Pactum. De conſvetudine illa, qua ſolemus ea quæ ſcripto invicem ſancita ſunt, ſimul data dextera ſtabilire & confirmare, prout illud in erectione pacis mos obtinuit, antiqui olim & dicto in impreſſionibus ſuis Hieroglyphicum conventionis, & pactorum fieri voluerunt. Ex hinc aphoriſmus ille, & præceptum Pythagoricum derivat: *Non unicuique dexteram porrigendam.* Hoc eſt: non cum unoquoque conventiones & pacta ſtabilienda. Ita Solon ait: *Amicos ne cito compares, quos autem comparaveris, ne rejicias vel contemnas.* Hujus rei vivum exemplar in Ammiano Marcellino invenitur, de Ebridio, qui ſolus inter tantos conjurare contra Conſtantem Imperatorem renuit (*Lib. 31. Rerum Geſtar.*): timens autem ne à militibus offenderetur, aut vero occideretur, ad Julianum refugit: hæc autem Authoris verba ſunt: *Ut timoris levandi cauſa dexteram ei porrigeret:* cui ille: *Ecquid præcipuum amicis ſervabitur, ſi tu dexteram attigeris meam?* Plutarchus in Catone Uticenſi hanc conſvetudinem oſculandarum manuum in ſolis Imperatoribus uſurpatam fuiſſe ait, & hunc honorem non niſi paucis admodum, tum quidem temporis datum. Hinc divinus Pſaltes: *ſuſcepit me dextra tua Domine.* Idque à Theologis hanc interpretationem habet: *Mos eorum eſt, qui opem ſint allaturi, dextram porrigere.* Et rurſum in Pſalmo ſexageſimo tertio: *tenuiſti manum dexteram tuam.* Hinc Heſychius: *In ſacrificiis manuum impoſitio nunc benedictionem miniſtrabat, nunc peccatorum remiſſionem, nunc S. Spiritus adventum, nunc expiationes, quas ſolo recipimus intellectu.*

Fides. Quandoquidem autem inter pacta fides requiritur (ſine hac enim omnis conventio, & transactio irrita eſſet, fruſtranea, & vana) manus præcipuè ſunt, quæ fidem repræſentant. Itaque Numa Pompilius ſapienter admodum inſtituit, ut eorum ſacerdotum, qui ſacrificium fidei oblaturi erant, manus ad extremitates usque digitorum veſtitæ, & coopertæ eſſent, tanquam indicium, quod fidem inviolatam conſervaturæ ſint. (*In ejus teſtimonium Arabes ſangvinem de planta manus cavant.*) Hoc ipſum Arabes inconcuſsè obſervant: qui contractum aut pactum nullum ineunt, niſi prius de planta manus ſibi ſangvinem prope digitum majorem eliciant, idque mediante petra, cum invocatione *Oratal*, & *Allilat* tanquam fidejuſſorum, & qui unica Gentis numina ſunt. Quod dictum Virgilius corroborat, loquens de Perſona Didoni:

- - - En dextra fidesque
Quæ ſecum patrios ajunt portare penates.

Sic Anchiſes quoque apud eundem Authorem, Achemenidi feciſſe dicitur:

Dat dextram, atque animum præſenti pignore
firmat.

Idcirco velum quoque candidum erat, quo manus, vel ſimulacrum fidei cooperiebatur. Hinc Maro fidem canutam appellat: primumq; Templum, quod aliquando erectum ſit à Roma filia Æneæ ædificatum volunt, & conſecratum Fidei, nec ſine inſtinctu divino: hæc enim urbs, quæ futura erat Baſis & fundamentum fidei Catholicæ: non ſine ratione prima ſua altaria erigere, primasque fidei victimas conſecrare debuit. (*Primum omnium templorum conſecratum fidei.*) Velaminis candidi meminit Horatius dum ait: *Et alborata fides colit velata panno.* (*Ex fragm. Pomp.*) Velamen hoc ſinceritatem denotat, quæ in actionibus hujuscemodi requiritur, & quæ ſine ambiguitate dicenda eſt, univerſarum in orbe rerum ſtabilimentum eſſe.

Simulacra duo, quæ manus invicem jungebant, Hieroglyphicum erant felicitatis mundanæ, præſertim ſi caduceus adjungebatur: compoſitis enim & pacificatis rebus, neceſſe erat credere, ſecuturam inde publicam felicitatem. Hunc præcipuum eſſe ſcopum oportet in iis qui gubernaculis præſident. Hæc ſela virtutum complementum eſt, ſcribit Peripateticus: *Non ſolùm virtutum eſt præſtantiſſima, ſed ipſa omnis eſt virtus:* (*6. Ethic.*) atque ideo Principi non minus neceſſariam eſſe benignitatem, & benevolentiam, quam Juſtitiam. *Annum bonum non ſolum de magnis frugibus, quàm de juſto regnantibus æſtimandum,* inquit Boëtius. (*De Conſol. Phil.*)

Apud

Apud Spartanos in phano quodam cum majeſtate magna collocatus erat Senatus ſacer, ex ſimulacris compoſitus, quibus nec oculi eſſent, nec manus, prout illud doctiſſimus Alciatus meminit. (*Judex incorruptus.*) Sine manibus, inquam, ne forte Tribunal ſuum largitione donorum corrumpi patiatur, atque in hunc modum thronus ille inviolabilis deturpetur, Authoris verba hæc ſunt (*Embl. 1. 145.*):

Cur ſine, dic, manibus? capiant ne Xenia, ne ſe
Pollicitis flecti, muneribusve ſinant.

Ut itaque ad hunc ſenſum alluderet, Hieroglyphicum ab iis inſtitutum eſt, judicium illibatum exprimens: ſimulacrum ſtatuerunt, prout illa ſuperiora, reciſas habens manus. Hanc munuſculorum indebitam acceptionem Plutarchus ingenioſe admodum in Dramoclida & Stratocle perſtringit, dum ſic habet: *Quis iniquo animo non ferat, quorum ſermo omnis cum de Reipub. negotio aliquo capeſſendo, deque tribunalibus colloquerentur, erat, ut ſe invicem ad auream meſſem incitarent.* Corruptio hæc in iis, qui regimini præſunt, potiſſimum deteſtabilis eſt.

Virtus divina. Attributum operationis divinæ (prout in myſticis dictincte apparebit) per repræſentationem manuum ſignificari poſſe ambigendum non eſt. Nihilominus, ut Deum demonſtraret ſine manu viſibili, & corporea operari prudens antiquitas, imaginem Jani, eandemque absque manibus depinxit, quamvis ſupra quadratam petram bina facie ſtabilitam: quæ petra de baſi exigua in ſublime levabatur. Erat autem & ſine pede, ut denotarent, nec pedibus eum indigere; ad imperata ſua exequenda, ſed ei non niſi nutu opus eſſe, ac ſine mora creaturam omnem obedire, & ſubjectam eſſe. Tales quandoque Icones figurantur, ut de plebe homines indocti, qui clariori lumine deſtituuntur, ad ſublimiora comprehendenda, his terrenis rebus ad contemplanda cæleſtia ſubleventur. Huc referenda ſunt verba S. Gregorii Papæ: *Ut per ea quæ animus novit, ſurgat ad incognita, quæ non novit, - - - - & per ea quaſi confricatus incaleſcat.*

Spes vana. Rurſum ut monſtraretur, ſub ſola ſpei anchora confidere, quandoque plus nocumenti, quam commodi afferre: dum ſæpius incauta ratis negotiorum ad inevitabile naufragium jactatur, ſimulacrum hominis ſtatuerunt, idque ademptis manibus: eum deſignando, qui cogitata ſua ad finem operis nequit producere. Sic enimverò Aſtronomi, eos brachiorum robore debilitandos ajunt, qui ſub geminorum ſidere, tum in mundum geniti fuerint, cum idem ſidus in decimo ſeptimo gradu conſtiterit, geminorum enim dominio, & influxioni brachia ſubjecta eſſe. Curioſum eſt noſſe, quod ſuper hæc Pierius de Micerino Rege Ægyptiorum recenſet (*Lib. 35. Hieroglyph.*): Hic enim ſepulchrum Reginæ uxoris ſuæ circumdari viginti ancillarum Coloſſis fecit, ſed truncatis manibus, totidem enim ancillis Regina illa amputari manus præcepit, eo quod cauſa fuerint, aut vero operam ſuam ad nefandum illud & inauditum ſcelus præbuerint, quo deteſtabilis Pater genuinam filiam ſuam turpiſſimo inceſtu fœdavit. In hunc modum ad ſignificandam operationis excellentiam, in ſacra Regum hiſtoria recenſetur, cum primum Arca in templo comparuiſſet, ubi Dagon Idolum erat, idipſum continuo mutilum manibus, & humi ſtratum jacuiſſe. Hinc mirandum non eſt, quid in libro Levitici, quicunque manu, vel pede ſiderati eſſent, de templo Domini rejicerentur. Hinc magnus ille Propheta Regius: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me.* Vanum denique eſt de futuro confidere, ubi nil determinatum, ubi rerum anceps veritas eſt. *Spes temeraria plerumque homines fallit,* dicebat Euripides, & Pindarus: *Spes, vigilantium eſt ſomnium.* (*Apud Stob.*)

Tenacitas. Manus ſiniſtra complicatis digitis, & compreſſis, indicium tenacitatis & avaritæ eſt, ſecundum prææmemoratum Pierium. Huic ſenſui authoritatis pondus Diogenes addit, cum ait: *Amicis non eſſe manus complicatas tradendas.* Avarorum hic geſtus eſt, ſtringere manus, & per modum ſangviſugæ, vel ſpongiæ, ſine intermiſſione ad ſe trahere. Eruditiſſimus Pierius inquit, vidiſſe ſe Romæ ſtatuam Philoſophi Philemonis, quæ librum porrigere videbatur, quem manu læva tenaciter conſtringebat: ſed ei ſoli qui liberaliter ſibi pretium collocaſſet in dextra, ſiniſtram patuiſſe. Culpa hæc idcirco gravis eſt in animo, quod charitatem tollit, & ſocialis vitæ jucundam conſvetudinem: juxta S. Chryſoſtomum enim (*hom. 66. ad popul.*): *Avarus nullum hominem eſſe vellet, ut omnia conſumeret.* Ob eandem cauſam illic apud Prophetam Amos (*Cap. 3.*) Deus ſe templi portas diruturum inquit. *Nunquid avarus implebitur pecunia?* (*Proverb. 8.*) ait Spiritus Sanctus. Avaritia invidiæ pater eſt, de qua Ovidius:

Invidus alterius rebus marceſcit opimis.

Vaſtiſſimum thema hoc ad amplificandum.

Diſcurſus & ratiocinatio. Sententia mea, quam ſupra jam in *Impreſa* mea expoſui, manum exhibens pro ſymbolo ratiocinationis, à Pierio confirmatur dum ait (*Pierius L. C.*): *Porro autem orationem unamquamque tradunt ex manu ſignificari: quamvis alio loco prenſam manu lingvam id facere dicimus:* Idque idcircò, majorem enim habet energiam lingva, & cum majori ſe vigore exercet, cum geſtus ei comes eſt. Hinc Artemidorus memorat, ejus temporis comicos ſoloeciſmos manuum feciſſe, eo quod pro ratiocinationis ſuæ ſenſu conformis orationi geſtus non fuerit: emendatiſſimus diſcurſus eſt, arti Dialectices conjunctus, quippe quæ argumentandi methodum, & dictionis fallacias diſcernit, & veritatis magiſtra eſt. Zeno, non ſine profunda cognitione, verus diſciplinæ Stoicæ princeps, cum profeſſionem ſuam ob oculos ponere vellet, manum ſolitus eſt repræſentare, digitis in pugnum coarctatis: indicando argumentorum anguſtias, & brevitates implicatas, quibus hæc profeſſio uti conſveverit, cujus item liminibus coërcetur. Quæ profeſſio idcircò elevata eſt, & ſublimis, quod non ſecus ac clavis aliqua ditiſſimum nobis philoſophicorum arcanorum ærarium adaperiat: unde & S. Auguſtinus eam dixit: *Artem artium, ſcientiam ſcientiarum, quâ apertâ aliæ aperiantur, quâ clauſâ aliæ claudantur.* Itaque paucæ artes, paucæ ſunt ſcientiæ, quæ ejusdem Dialectices categoriis, prædicamentis, & prædicabilibus non indigeant.

Eloquentia. Eloquentia viciſſim, eo quod in plano quaſi fluida & nullatenus impedita transcurrit, per manum figurabatur, quæ erectis digitis ſuis plana extenditur. Hæc per animum inundat, eundemque replet. Reprehendit Quintilianus cum ſeveritate eos (prout hic Pierius inquit) qui dum orant, absque ulla cauſa, ſub pallio manus abſcondunt: quaſi vero hæc actio, non niſi ludus inſipientium ſit: hoc enim illic faciendum eſſe, ubi viris in ſublimi dignitate conſtitutis reverentia exhibetur. Eloquentia vera catena eſt, quæ animos vincit: quod in Hercule Gallico apparuit: hæc balſamum eſt, quod famam nominis à verme vel carie oblivionis tuetur. De quo antiqui Oratores, & Demoſthenes aliquis, & Tullius, & Hortenſius, & Pericles & tot inſuper alii abunde fidem nobis facient: Hæc Circe eſt, quæ dulciter faſcinat. Robur ejus.

Lib 1. Demetr. apud Diogen.

Magna eloquentiæ vis, potentiſſimos etiam Reges expugnat, ait Demoſthenes ad Olynthios: Et Demetrius: *Quantum in bello ferrum pollet, tantum in Repub. oratio: illic enim res viribus agitur, hic perſvaſione.*

Actio ſupplex deprecantium apud Hetruſcos olim, pro more noſtro inprimis, manu fiebat in cælum elevata: quod Virgilius declarat:

Oratio. *Multa Jovem manibus ſupplex oraſſe ſupinis.*

Quotiescunque enim Deitatem hujuſcemodi implorabant, hunc actum exhibebant: prout hodierno quoque tempore dum *Illala* ſuum Turcæ pronunciant, hanc conſvetudinem ſervant: hac enim ſubmiſſione Deum invocant, ad confuſionem & opprobrium Chriſtianorum, qui ad tremendum illud Nomen, ne inclinato quidem capite reverentiam exhibere dignantur. Sic Sophiſta Polemon in Ludis Olympicis feciſſe legitur: qui perorantem quendam increpavit, quod in exclamatione quadam, ubi nomen interceſſerat deorum, ad terram manus declinaſſet. Huc referenda ſunt Pſalmiſtæ verba toties jam citata, & citanda: *Extollite manus veſtras in ſancto, & benedicite Dominum.* In hac virtute conſentaneum eſt, ut omnes vires noſtras inſumamus, hæc enim ſola eſt, quæ vota noſtra ad thronum Altiſſimi deducit, & quæ dona gratiæ expetita adimpetrat. Quæ materia tantopere vaſta, & copioſa eſt, quantopere valor illius & meritum ſublime & elevatum. Sed de his in præſenti Capitulo hucusque ratiocinatum eſſe ſuffecerit.

MORALIA ET MYSTICA.

IN hoc loco, ſi verum fateri volumus, quantum quidem explicationum, & ſententiarum numeroſitatem attinet, quibus Sancti Patres in figuratione manuum & brachiorum uſi ſunt, verba illa divina ad Abrahamum dicta convenire poterunt: *Numera ſtellas cæli, ſi potes, & arenam, quæ eſt in litore maris:* utraque enim hæc manus & brachia virtutem, & multiplicitatem, & ſapientiam operum divinorum indicant: cumque in conſtitutione noſtra corporea partes ſat conſpicuæ ſint, infinitum ſignificationum numerum ſecum trahunt. Ego vero cum non niſi lacerum mihi, & exiguum veli ſegmentum ſit, velificare in tam vaſto oceano non auſerim: ſuffecerit, pro ſolito meo, litoribus radendis immorari, ea quæ maxime nervoſa & ſuccoſa occurrerint afferendo. Et primum quidem

De brachio.

Hom. 8. in Ioan. 20. In Pſalm. 153.

INter cæteros Cyrillus, & Arnoldus Carnotenſis hanc explicationem adferunt, dicendo: poſſe in Deo brachium ſignificare virtutem ejus inenarrabilem, qua nobis opitulatur, & univerſa dirigit, & gubernat: ſicut & divinitatem in Chriſto: idque convenienter ei, quod Iſaias Propheta inquit: *Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt?* Sic quoque S. Fulgentius, Brachium Domini excelſum, ipſum Chriſtum, aut virtutem ejus intelligendam eſſe inquit, qui in paſſione ſua redemptionem noſtram operatus eſt. Id ipſum confirmat S. Auguſtinus, & S. Hieronymus, poſſe nimirum hanc eandem intelligentiam ſumi in brachiis Joſeph, & omnium Herouni, quicunque recenſentur in Geneſi, Exodo, in libris Regum, in Job, in Pſalmis, libro Sapientiæ, in Eccleſiaſte, in Iſaia, Jeremia, Daniele, Oſee, S. Joanne, Luca, & aliis. Dictum illud Cantici: *Pone me ut ſignaculum ſuper brachium tuum:* S. Rupertus Abbas ad dilectum applicat, fortitudinemque ejus denotari inquit ſuper brachium hoc animam ſanctam ſe inclinare: aut verò hic intelligenda eſſe Spiritus Sancti dona: item per hæc virtutem miraculorum figurari. Iſaias Propheta inquit: *Brachia mea populos judicabunt, me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt.* Exponit hæc S. Hieronymus, referens ad Sanctos, qui Redemptori noſtro conſociati in die illa tremenda futuri judicii mundum ſuſtinebunt, dijudicando opera noſtra. Hoc brachium Deus eſt (inquit idem Sanctus) qui in omni tribulatione noſtra opportunum nobis auxilium præbet. Involutum admodum eſſet, quod Iſaias inquit: *Unusquisque carnem brachii ſui vorabit:* niſi præmemoratus Eccleſiæ Doctor vepretum ſub quo ſenſus latet, diſcooperiret. *Brachium,* inquit, *interdum dicitur Eccleſia, quæ & brachium dicitur hæreticorum, cujus carnem hæretici vorant, cum ejus fideles in errorem inducunt.*

Cap. 53. In Epod. Thim. 3. De eſſent. divina. in Ier. 27. 49. 6. 3. Reg. 8. 40. 47. 5. 36. 30. 27. 1. 11. 12. Cant. c. 8. In Deuteron. 20. Et in Cant. 5. Cap. 15. In Iſai. 51. Cap. 9. L. c.

Id quod dicitur brachium Jacob forte & robuſtum eſſe, ſed quod in ultimis gratiæ temporibus ſpicas recollecturum ſit, præfatus Hieronymus declarat, in hoc prædicatores intelligendos, ſanctosque Apoſtolos, cum infidelem quendam ad ſequelam Redemptoris induxerint. Sentit Origenes, & inſuper S. Ambroſius, & Gregorius, memorata brachia, in dicto Scripturæ loco verum habere typum bonorum operum, ipſamque operationis fortitudinem: quandoque ſignum afflictionis ſunt, & laborum. Semper in allegorico ſenſu brachia Philo hebræis diſtingvit, & ait: dextrum convenire hoſtiæ, & holocauſto Sacerdotis: merita enim bonorum operum habet, quæ ſubſidio dexteræ ſuæ adinvenit, & acquiſivit. His operibus, inquit S. Hieronymus, & Richardus de S. Victore, inſtructus Chriſtianus incedit, aptus, armatusque ad debellandum Sathanam: atque ita quæ mente prius concepit, operibus probat, & experimento: ſic enimvero, (ſubjungit Richardus) brachia Nabuchodonoſoris ſtatuæ, in ſomno conſpectæ, operationem denotant, quæ de argento erunt, ſiquidem operatio pura, & diſcreta fuerit.

In Pſ. 36. hom. 3. De Iſaac, 3. 14. Moral. 2. Allegor. De veſte Sacerd. De Somn. Nabuchod.

De comminatione illa, quam Deus in primo Regum domui Heli intentat: *Ecce dies venient, præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non ſit ſenex in domo tua:* S. Gregorius Papa inquit, intelligi oportere ſacrificandi facultatem à Sacerdotio, & Pontificatu antiquæ legis ablatum iri: imo verò & ipſam dignitatem ſacerdotii ſignificari, idem Papa author eſt. Per memorata brachia in locis præfatis Sanctus Auguſtinus & S. Gregorius violentiam tyrannorum ſubintelligi poſſe docent, ſicut & poteſtatem temporalem, robur item Sathanæ. Supra illud Zachariæ: *Gladius ſuper brachium ejus:* & econtra in Job: *Et brachium excelſum confringetur,* jam citati authores inquiunt, de primo quidem, aſſignari potentiam: de illo poſteriori deſtructionem portendi.

Cap. 2. In hunc loc. In pſ. 36. 29. Moral. 5. Cap. 11. Iob. c. 38.

Gloſſa ordinaria pulchritudinem, & pretium throni Salomonis conſiderat, armillasque inſertas manibus, myſtice in his conſolationes gratiarum divinarum intelligendo, quæ militantem Eccleſiam ad cælorum regna conducunt, Sicut Lyranus per Auſtri brachia commemorata in Daniele, Regis Ægyptiorum milites robuſtos figurari vult. Gloſſa ordinaria rurſum quandoque per brachia divinam ultionem denotari aſſerit: ſicut illud Deuteronomii eſt: *Subter brachia ſempiterna,* & in Jeremia, ſicut & in Ezechiele idem occurrit, deſignans poteſtatem Chriſti, qui bonorum Liberator eſt, iniquorum caſtigator: ſic ultimus horum dixit: *Et brachium tuum erit exertum:* ſupra quod Iſidorus Clarus commentatur, dicendo: *vel nudatum, qui mos erat rem manu geretium. Denudato brachio dextro pugnabant milites: oratores dicturi brachium, & latus dextrum detegebant. Denudatio ergo brachii ſignificat ſtrenuam executionem imperii.* Cum hac ſingulari authoritate ſenſus myſticos brachii ad finem ſuam deduco, & deſcendo ad

2. Paralyp. 9. Deut. 33. v. 27. cap. 21. cap. 4.

MANUM.

In 1. Reg. In Pſal. 1. 18.

AD diffuſiſſimam hujus expoſitionem primam nobis manum præbent Sanctus Gregorius, & S. Ambroſius, dicendo: ante omnia in manu DEI perſonam Chriſti poſſe intelligi, quæ item virtus ejus nuncupatur, qua videlicet ſummè omnia operatur. Aſſumit itaque hæc manus in quam pluribus Scripturæ locis hæc attributa, & hos titulos: dicitur enim & grandis, & excelſa, & potens, & fautrix, & conſimilia: ſicut in Exodo, Numeris, Deuteronomio, in libro Regum, in Pſalmis, in Prophetis Iſaia, Jeremia, Ezechiele, & ſimilibus.

3. 11. 32. 6. 20. 29. 13.

In Ezech. 37. Ad Thraſimundum. Num. hom. 27.

Sanctus Hieronymus, Fulgentius, & Origenes ſentiunt, in manu illa quam Moyſes præcipiente Domino in ſinum ſuum miſerat (de quo in libro Exodi cap. 4.) Chriſtum intelligi in ſinu Patris ſui, fulgidum in natura divinitatis ſuæ: Et ſicut illa leproſa facta eſt, ſic & illa de diviniſſimo ſinu extracta, mediante incarnatione, ſimilitudinem peccati aſſumpſit, & hac ratione defectus noſtros & infirmitates portavit, juxta illud Apoſtoli: *Eum, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut nos fieremus juſtitia DEI in ipſo.* Sed quemadmodum illa Moſeos in ſinum ſuum remiſſa, priori munditiæ reſtituta eſt: ſic filius quoque DEI in ſinum Creatoris ſui rediens, priorem ſplendorem & gloriam recuperavit. Sic commentantur Sancti Cyrillus, & Gregorius Nyſſænus.

De incarn. De vita Moyſis.

Cantic. 1. Tim. 6. c. 4. In Ioan. tract. 8. De planctu Na. Contra Iulian. De Trin. Spirit. Pſal. 8.

Gregorius Venetus inquit, conſiderari in Deo manum dextram, & ſiniſtram: de dextra miſericordiam divinam, & cum ea omne ad nos bonum deſcendere: ſed in ſiniſtra ſeveriſſimis legibus puniri delinquentes. Hinc dictum: *Statuet oves quidem à dextris, hædos verò à ſiniſtris:* in eundem ſenſum hæc ſumit Auguſtinus. In cunctis Scripturæ locis ubicunque manuum fit mentio, Philo, & Cyrillus, & Eucherius exponunt, virtutem & potentiam in Deo operativam intelligi: imo & ipſa Dei opera manus appellantur, prout Deus ipſe Davidi ſervo ſuo facturum promittit, illic ubi ait: *Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.*

De bon. Pa-tientia. 18. In Pſal. 54. Rom. 17. 49. 7. 1. Reg. 7. 13. 31. 37. 1. 15. 1. Iſai. 13. In Pſal. 37. In Iſai. ſup. 13. 16. 39. 11. Moral. 22. In Pſal. 122.

Manus eſt, quæ eligit, & reprobat, quæ laudat, & vituperat, quæ abſolvit, & condemnat: propter quod vindicta Dei, juxta mentem S. Ambroſii, & S. Hilarii, & Origenis, in diverſis Scripturæ locis exprimitur in manu, ſicut principaliter in Geneſi, Exodo, in libris Regum, in Job, in Pſalmis, Iſaia, Jeremia, Threnis, & alibi: item divina vindicatio ad vivum exprimitur per Iſaiam Prophetam, ubi ait: *A ſummitate cæli Dominus, & vaſa furoris in manu ejus.* Sic ajunt S. Baſilius, & Hieronymus, manus Chriſti ſunt, cùm boni ad perſecutionem impiorum inſurgunt. De his loci copioſi ſunt in Ezechiele. S. item Gregorius & Auguſtinus inquiunt: *Manus etiam Dei dicuntur illi, qui juſtam vindictam Dei exercent ſuper peccatores, quos dicitur DEUS tradere manus ſuas.* Sic Propheta Regius inquit: *Cognoſcetur Dominus judicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.*

In pluribus item hiſtoriæ ſacræ locis ipſæ Dei manus demonſtrantur, ſicut in Jeremia, Sophonia, & ſingulariter in Exòdo, ubi ſic habetur: *Extendit dominus manum ſuper mare, & abſtulit illud:* ſupra quod Eucherius & Beda inquiunt: cum in tali geſtu, manus percuſſionem minitetur, per eam divinam punitionem propalari. Manus item Abrahæ ad feriendam filii ſui cervicem extenta (prout in libro Geneſis legitur) executionem, & operationem divinæ vindictæ portendit, juxta mentem Hieronymi, & Origenis.

13. 15. 1. fort. ſpir. 1. In Gen. 28. In Ierem. 15. In Exod. hom. 6.

Supra viſionem illam magnam Ezechielis, cum Angelus ei apparuit, & de eo Scriptura inquit: *In manu ejus vas interfectionis magnæ:* ſupra manum item quam Iſaias *manum flammæ* appellat: porro & ſupra illam pſalmiſtæ armatam gladio: *niſi converſi fueritis gladium ſuum vibrabit;* item ſupra manum, quæ plagas ſeminat, prout liber Job meminit, rurſum bini Authoies illi Gregorius & Hieronymus commentantur, manum illam eſſe quæ mortem fulminat, potentiamque divinam intelligendam, cum actu juſti rigoris. Sicut per Manus Moſeos & Aaronis repletas cineribus, iidem Authores ſentiunt, miniſtros divinæ vindictæ intelligendos. De quo præcipuus in Exodo locus eſt. S. Bernardus qualiter manus Dei intelligendæ ſint ſecum perpendens, ſic habet: *Manus item Dei dicuntur, una latitudo, altera fortitudo: quod & tribuat affluenter, & defendat potenter, quod dederit.*

Ezech. c. 9. Iſa. c. 47. Pſ. 7. Iob. 23. 4. Moral. 35. 16. Moral. 13. In Ezech. 9. In Iſai. 64. Cap. 9. In Cant. Serm. 7.

Supra id quod S. Joannes Baptiſta, de adventu Judicis inquit: *Cujus ventilabrum in manu ipſius:* S. Hilarius commentatur figurari hic arbitrium facultatis, & poteſtatis judiciariæ. Per manus item dilatatas, & diſtentas, S. Gregorius, Hilarius, & Arnoldus clementiam & beneficentiam Creatoris intelligunt: manus item Redemptoris in cruce denotantur; ſic vaticinabatur, & ſemetipſum commendabat Regius propheta: *Extendiſti ſuper me manum tuam, & ſalvum me fecit dextra tua Domine;* ſicut in aliis locis Pſalmorum, Iſaiæ, Ezechielis, & S. Matthæi. Locus Exodi, ubi dicitur Deum poſuiſſe manum ſuper vultum Moſeos, ne faciem ſuam videret, ab Auguſtino ſic explicatur: velamen hic, & obſcuritatem, quibus involuta ſunt divina myſteria; intelligenda eſſe.

Matth. 3. L. c. 1. Reg. 7. Moral. In Pſal. 54. In Pſ. 18. Pſ. 137. 54. 13. 12. 2. 14. Exod. 31. In Pſal. 138.

Supra id, quod in Exodo continetur: *Eduxit Dominus populum Iſraël in manu potenti, & brachio extento:* commentantur Heſychius, Beda, & Rupertus, in his miracula figurari, quæ Altiſſimus in medio Iſraëliticæ gentis operatus eſt: hoc ipſum explicandum in manu tornatili, de qua Canticum Canticorum. Declarant S. Ambroſius, S. Hilarius, & S. Gregorius per manus Dei ſæpius memoratas in libro Job, in Pſalmis, Iſaia, & Matthæo Angelos intelligi, vel Apoſtolos, vel Prædicatores, per quos tanquam per manum, divina ſapientia opus ſuum operatur. Illa itidem manu, de qua Job ait, quod ad ſilicem extenta fuerit, iidem Authores referunt, prædicatoris lingvam figurari, quæ non ſecus ac manus aliqua in corde auditorum, divini verbi focum accendit. Poſſunt item in manu ſacramenta intelligi, per quæ Altiſſimus pretioſiſſimam nobis gratiam ſuam ſubminiſtrat, ſic enim ait divinus Cantor: *Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ.*

Exod. 16. In Levit. 6. In Exod. 8. In Cant. 5. Cap. 5. In pſ. 138. In Matth. c. 12. 18. Moral. 22. Iob. 28. Pſ. 79.

Digniſſima eſt conſideratio S. Hilarii ſupra dictum illud Iſaiæ: *In manu Domini erit corona gloriæ:* dicendo, glorificari per hæc verba Chriſtum, in martyribus ſanctis, & aliis ab eodem redemptis. Manus illa quam Patriarcha Joſeph ſuper oculos Patris ſui tetendit, deſignare poterit, inquit S. Gregorius, virtutem Chriſti, qua Judaiſmum illuminavit, & de lege

Cap. 62. In Pſal. 67. Gen. 49. In Cant. 5.

Cap. 16. & 21. lege velamen abſtulit. Porro manus in Levitico me-
In Levit. 22. morata, juxta mentem Heſychii, opera Redemptoris
Cant. cap. 5. ſingulariſſima figurat. Sic in Cantico tornatiles di-
In Apoc. hom. 2. cuntur: eo quod perfectæ ſint. S. Auguſtinus, &
In Cant. 7. Gregorius ſentiunt, per manum Patriarchæ Jacob,
qua pedem Eſau tenuit, cum de utero matris egre-
Gen. 25. deretur (ſicut liber Geneſis refert) ſignificari acqui-
Gen. 27. ſitionem Principatus Chriſti ſupra Synagogam: præ-
terea manus Jacob poſthæc coopertæ, & pelle capri-
na circumdatæ, manus Redemptoris in cruce fixas
repræſentant. Præfati Authores volunt, Sacerdotem
Apoc. 1. illum magnum, quem in Apocalypſi vidit Joannes,
ſeptem ſtellas in manibus gerentem, ſymbolum eſſe
totidem populorum qui ſub manu & patrocinio Re-
De Cal. Hier. demptoris futuri erant. S. Dionyſius Areopagita,
15. S. Hieronymus, & S. Bernardus, per manus Ange-
In Iſa. 13. lorum, virtutes eorum operativas intelligunt: ſicut
Serm. 12. viro illi bono Loth contigit, dum ab urbium illarum
Gen. 19. contaminatione retraheretur. Sic Regius quoque
Pſal. 90. Propheta inquit: *In manibus portabunt te ne forte*
Deut. 6. *offendas ad lapidem pedem tuum.* Idem commemo-
Iſa. 13. ratur in Deuteronomio, & Iſaia. Copioſi hiſtoriæ
ſacræ loci ſunt, in quibus manuum fit mentio: in
9. 4. 5. Geneſi nimirum, & Exodo, Levitico, libris Regum,
1. Reg. 10. 126. 6. 30. 10. in Pſalmis, Jeremia, Ezechia, S. Matthæo.
In Pſ. 120. Supra quos locos Sancti Hilarius & Gregorius re-
Pſal. 30. ferunt, fortitudinem, & Imperium in his figurari.
Per manum item Pharaonis, & Ægyptiorum, juxta
In Pſ. 120. librum Exodi, & juxta Iſaiam, S. Auguſtinus pote-
ſtatem inquit, affligendi Iſraëliticum populum, de-
Pſal. 21. notari. Id quod Pſalmiſta ait: *Eripe me de manibus*
inimicorum meorum, & à perſequentibus me, ex-
ponit S. Auguſtinus, intelligi hic poſſe Dæmonum
fortitudinem, etiam exteriorem, qua nos ad peccan-
In Iud. dum impellit: atque illic ubi pſalmiſta inquit, *&*
hom. 2. *de manu canis unicam meam*, Origenes commenta-
tur, poteſtatem mundi, adverſus Eccleſiam deſignari.
Prov. 18. Quod Spiritus Sanctus ait: *Mors, & vita in manibus*
linguæ: ſubjungit S. Baſilius famam ſimul, & vitam
Gen. 39. intelligendam eſſe. Illic ubi in Geneſi habetur, quod
impudica fæmina ſupra continentem Joſeph manum
In Ezech. 30. ſuam extenderit, indicatur; ait S. Hieronymus, Ju-
dæorum poteſtas ſupra Chriſtum. Ita Rupertus Ab-
Cap. 2. 30. bas vult Ammorrhæorum manum potentiam Judæ-
25. 1. orum in Salvatorem figurare: Idem apparere in Ju-
dith, in Ezechiele, in Iſaia, in Threnis. In manu
Cap. 10. Aſſyriorum perſequentium (de quibus Iſaias) aper-
6. Moral. 15. tiſſime figurari inquit S. Gregorius, iram divinam:
per hos enim, non ſecus ac per Sathanam rebellem
16. & 9. Mo- populum caſtigavit. Idem author hoc ipſum in Phi-
ral. 21. liſthæorum manu intelligendum eſſe inquit; quod in
pluribus locis occurrit. Porro manus Sathanæ quæ
Cap. 2. juſtum virum Job dejecit, prout in libro ejus patet,
idem figurat.
Eundem locum dixerim ego ſignificare Chriſtum
traditum in manus peccatorum, qui membra Sa-
thanæ ſunt. Sic manus violenta, de qua rurſum
Cap. 5. liber Job, ſecundum mentem præfati Authoris, vio-
lentiam & poteſtatem gentilium in Chriſtum ſignifi-
cat, ſicut & eorum qui vel minis, vel terroribus
alios ad peccandum inducunt: Manus item impio-
Cap. 9. rum (de quibus idem Job) Judæos miniſtros Dæ-
monum repræſentat, in crucifixione nimirum Sal-
vatoris. Idem Gregorius adhuc, ſupra illud Eze-
chielis cap. 34. de manu Paſtorum contaminata gre-
In Strom. gem ſuum deſolatum requirit. Erudite S. Clemens
Alexandrinus commentatur ſupra illud Geneſeos,
Gen. 16 ubi de Agar mentio fit, *quod manibus Saræ relictæ*
ſit, & ait: indicari hic correctionem, ſubjungendo
quod cum Sara illam ſervam cognoverit, myſtice
eam ad Abrahamum ſic loqui potuiſſe: *ſecularem*
quidem amplector doctrinam, ut juniorem, ut con-
ſervam: ſcientiam autem tuam, ut perfectam Do-
minam honoro, & colo.
Frequentiſſimi in ſcripturis ſacris loci ſunt, in
quibus manus pro inſtrumento operum uſurpantur:
ſicut in Geneſi, Exodo, libris Regum, in Job, in Pſal-
mis, in Proverbiis, in Cantico, in Iſaia, in Threnis:
de quibus hic & capitula & verſus indicare neceſſe
non eſt, cum ad manum eſſe poſſint bibliorum con-
cordantiæ: huc etiam S. Ambroſius, Hilarius, Au- De Vigil. 3.
guſtinus, Gregorius, Arnoldus inclinant, per manus In Pſal. 128.
operationem ipſam intelligi. S. Gregorius præſer- Epiſt. 19.
tim illic ubi dicitur: *Sicut oculi ancillæ in manibus* In 1. Reg. 16. In Ps. 103.
dominorum ſuorum, vult intelligi peccatorum opera. Ps. 122.
Supra illud Lucæ: *nemo mittens manum ad ara-* Luc. 9.
trum: commentatur Origenes hæc opera cum labore
acta ſignari: viciſſim ſuper illud Exodi, ubi habetur,
quod comedebant agnum cum feſtinatione, tenentes Exod. 12.
baculum in manibus, Heſychius commentatur ju- In Iud. hom. 3.
ſtitiam hic intelligendam eſſe, quæ in operibus con-
ſervanda ſit. Item de militibus illis, qui cava manu
hauſtam lambebant aquam, prout liber Judicum Iud. cap. 7.
meminit, S. Hieronymus inquit intelligendos illos In Levit. 8.
eſſe, qui in operatione ſua perfecti ſunt: Lucernæ
ardentes in manibus, de quibus in S. Luca fit men- Luc. 12.
tio, juxta mentem S. Gregorii, exempla virtutum,
& bonarum actionum ſubindicant. Sicut perſona
illa cæleſtis quam Ezechiel vidiſſe ſe commemorat, Cap. 40.
quæ in manu ſua funiculum lineum gerebat, juxta
eundem authorem Chriſtum repræſentat, qui termi-
num & complementum dedit præceptis, & man-
datis ſuis.
Revertamur, inſequendo veſtigia expoſitionum In 1. Reg. 5.
S. Gregorii, ad ſtatuam Idoli Dagon, quod in con-
ſpectu arcæ teſtamenti in terram concidit, mutila-
tum manibus: & dicamus, intelligi hic opera vana
paganiſmi, quæ in præſentia Dei ſtare non poſſunt.
De hoc quod Chriſtus in Matthæo inquit: *Si manus* Matt. c. 18.
tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & projice abs te,
concludit S. Bernardus, operationes damnabiles, & Serm. de An-
ſceleratas relinquendas eſſe. Per illud Ezechielis, gelis.
quo ſe dixit manu quadam apprehenſum eſſe, S. Hie-
ronymus inquit, intelligendum eſſe eum, qui ſe ope-
rationi cuidam dederit. Supra textum illum pigri,
toties jam memoratum, quod videlicet *manum ſub*
aſcella ponat, nec ad os ſuum applicet eam: S. Gre-
gorius commentatur, dicendo: *Manum ponit ſuper* 12. Moral. 21.
os ſuum, qui virtute boni operis culpas tegit incautæ & 21. Moral.
locutionis. Ad eximiam illam ſententiam Davidicam, 10. & 53. mor.
anima mea in manibus meis ſemper, qui non minus 1. & 25. mor. 3.
& in Job habetur, idem Pontifex, adjungit ſinceri-
tatem cordis, ejusdemque concordantiam cum ver-
bis, ſignificari.
Supra id quod proverbia ajunt: *manus in manu*: Cap. 11.
idem Author ait, indicari hic ceſſationem ab opere.
Manus item plena (de qua in libro Levitici) juxta Cap. 2.
eundem, manum illam denotat, quæ in operando
benedictiones ſeminat. Scribunt S. Hilarius, & Ori- In Matth. Can. 33.
genes ſupra geſtum illum Pilati, quo manus ſuas la- In Levit.
vit, opera gentium per Chriſtum Redemptorem la- hom. 4.
vanda & purganda eſſe.
In textu illo Geneſeos: *omnes piſces maris dedi* Cap. 9. v. 2.
manui veſtræ, & in Joſuæ: *Ecce dedi in manus tuas* Ioſ. c. 6.
Jericho: Clemens Alexandrinus omnem poſſeſſionis
actionem intelligit. Nova rurſum acutiſſimi viri Adhort. ad Gent.
Tertulliani fit meditatio ſupra manum Moſeos, quæ De Reſurr.
in ſinum mittebatur, & abſcondebatur, & ait: hic
Judæorum abſcondita opera inutilia & vana intelli-
genda; cui S. Ambroſius adjungit, poſſe per hoc Offic. 14.
item

item Judæorum gentem accipi, cum ſub altiſſima
protectione DEI orat, quæ deinceps, tanquam le-
proſa ejecta, relinquitur, donec rurſum reponatur
In Pſ. 73. munda in ſinum. Et S. Auguſtinus ait: *Manus*
quoque leproſa mortem ſignificare poteſt, munda verò
reſurrectionem. Quandoque manus ſignificationem
cordis habet: ſenſus S. Ambroſii eſt, idque exemplo
De Noe. 18. 21. Noë declarat, in hunc modum: *Noë extendens ma-*
Gen. 8. *num ad columbam, eſt dilatans cor ad ſuſcipiendum*
Spiritum Sanctum.
Gen. 21. Quod porrò Abimelech de manu Abraham ſeptem
agnas ſuſcepit, prout liber Geneſis meminit, miniſte-
rium ſpirituale Prælatorum erga inferiores, juxta
In Cant. hom. 2. mentem Origenis deſignat: manus item Jacob, quæ
laboribus fatigantur, ſicut idem liber Geneſeos ex-
Gen. 31. ponit, ſecundum Authorem jam præfatum, Coad-
jutores Chriſti Redemptoris noſtri figurant. Supra
In Regula. id quod Proverbia de muliere forti ajunt: *Manum*
In Loc. cit. *ſuam miſit ad fortia*, commentatur Baſilius, &
Beda, ſub his miniſtros & Eleemoſynarios Principum
intelligendos eſſe, ſicut & Prælatos Eccleſiæ, qui in
miſericordiæ operibus exercentur.
Cap. 24. & In ſæpius jam memorata Geneſi de Abraham, ſi-
c. 47. mul & de Jacob recenſetur, quod ſub femore manum
tenuerint: de hoc prædicti Authores ajunt, ſumen-
dam hic ſubjectionem eſſe, qua omnes Chriſto ſub-
jiciendi eſſent, quicunque ab hoc femore deſcende-
Exod 19. rent. Lex quædam Exodi eſt, quod nemo mittere
manum debeat ad ſubveniendum transgreſſori legis,
In Luc. 3. dum lapidandus eſſet, in quo nobis S. Ambroſius
hunc ſenſum eruit: peccatorem nullatenus in per-
verſitate ſcelerum ſuorum imitandum eſſe. Sacer tex-
21. 1. 1. 10. 9. tus hac loquendi forma nonnullibi utitur: *Locutus eſt*
In Malach. 1. *Dominus in manu Prophetæ*: ſicut Iſaia, Aggæo,
Malachia; in Exodo quoque & Levitico ſic habe-
tur: *In manu Moyſis*: in hoc, ait S. Hieronymus,
exprimi, quod divina Sapientia horum Prophetarum
opera, & miniſterio utatur, in quo & Prophetia ipſa
comprehendi poterit.
De Adv. Iud. Vult Tertullianus, manus Moyſis, & aliorum
17 140 11. 13. (ſicut in Exodo, in Pſalmis, & Iſaia habetur) figu-
In Ioſ. hom. 1. rare orationem junctam operibus, prout illud in
Hieroglyphicis diffuſè monſtratum eſt. Sentit Ori-
genes, manus ita compoſitas figurare Chriſtum pen-
dentem in ligno crucis. Manus item depreſſas S.
Auguſtinus, de negligentia orationis & operum ex-
10. de Civit. Dei. ponit. Vult S. Gregorius, S. Hieronymus, & Phi-
lo, manus elevatas, obſervantiam legis indicare, fi-
1. Reg. 15. In Pſ. 140. demque in Chriſtum: depreſſas ſignificare incredu-
2. Alleg. litatem. Indicant item juxta S. Chryſoſtomum &
In Ioan. hom. 3. Bedam, mentem vel depreſſam, vel elevatam. Gre-
gorius item Nyſſænus inquit, manus graves opera fir-
In Exod. 17. ma ſolida & inconcuſſa denotare, rigorem item caſti-
De vita Moy- gationis legalis. Rurſus idem Author unà cum Ori-
ſis Num. tom. 17. gene ajunt: manus Moyſis, & Aaronis deſignare
Levit. c. 4. ſcientiam legis, peritiamque interpretationis ejus,
In hunc loc. quæ ab iis magni fiunt, qui exire de Ægypto pecca-
torum deſiderant.
Præcepit Dominus Aaroni, & filiis ejus, ut vi-
tulo qui ſacrificandus eſſet, manus imponerent: quod,
citatus Author, de ſacerdotibus intelligit, qui Chri-
ſtum crucifixuri erant: aut verò peccata noſtra illi
imponenda eſſe: aut etiam caſtigationem illic carnis
figurari, frænumque continentiæ. Manus autem
ſeniorum in Iſral (de quibus Jeremias) perſecu-
De victimis. tiones figurant Principum Judaiſmi adverſum Salva-
torem. Philo item ſuper hanc victimam meditatur,
quam manus immolantium cooperit, in his profeſ-
ſionem innocentiæ conſiderans, & ſic ait: *Manus*
offert, qui offert opera.
Revertor ad manum dextram ſcandalizantem,
qualem amputari vult Redemptor noſter: hæc ma- In Levit.
nus, inquit Origenes, Sacerdotes admonet ad evi- hom. 5.
tanda ſcandala, cum in illis minus toleranda ſint: In Ioſ. hom. 7.
juxta eundem Origenem in hac manu propinqui no-
ſtri intelligendi ſunt, Patres nimirum, & matres: in
anima autem noſtra actus voluntatis. Affirmat item
S. Hieronymus manum dexteram, adjutorium In Matth.
eſſe amoroſi, & benevoli miniſtri, in rebus ſacris, & hom. 5.
divinis: ſiniſtram verò figurare par auxilium, ſed
in rebus terrenis: utramque autem, ſiquidem ſcan-
dalum intulerit, abſcindendam eſſe. Supra viſio-
nem illam magnam Ezechielis Prophetæ, animalium Cap. 1. In Ezechiel. 1.
volantium, de quibus ait: *Manus hominis ſub pennis* In Ezech.
eorum: S. Hieronymus, & Gregorius inquiunt, ra- hom. 3.
tionem intelligendam eſſe, quam omnium rerum
ſuſtentaculum eſſe, quam ſublevari à vilitate terrena,
ad ſublimitatem cæleſtium contemplationum opor-
tet: aut verò vitam activam repræſentat, quæ ſub-
tus contemplativam collocatur.
S. Gregorius jam memoratus per manum item 1. Reg. 14.
præſignari libertatem poſſe aſſerit, prout in libro Iob. c. 13.
Job: *Animam meam porto in manibus meis*, ſicut è
contrario, captivitatem figurare poterit, cum dicitur:
Tradidit DEUS in manum alicujus, ſicut in Joſue, 7. 3.
& Judicum libro. Vult idem S. Gregorius poſſe per
manus repræſentari conſilium, unde illud dictum eſt
de Rege Saul: *Conſulebat Dominum per manus* In 1. Reg. 14.
Abiæ Sacerdotis. Rurſum S. Gregorius immora-
tur in conſideratione monetæ illius, quam ſervus
Saul manu tenebat, *quartam videlicet partem ſtate-*
ris argenti, (prout in primo Regum reperitur) &
commentatur, figurari hic miniſterium, aut verò in-
ſpirationem Spiritus Sancti, ad actum practicum re-
ductam.
Supra ſomnium illud Regis Nabuchodonoſor, Cap. 9.
explicatum per Danielem: *Et abſciſſus eſt lapis de*
monte ſine manibus, qui percuſſit ſtatuam in pedibus
æreis, & fictilibus: S. Ambroſius refert, Chriſtum L. c.
hic ſignificari, qui ſine opera humana de utero Virgi-
nis formatus eſt. Loquendi formam, qua liber Le-
vitici utitur, dum de quadrupedum immunditia men-
tionem habet, & ſic ait: *Qui ambulat ſuper manus*: In hunc loc.
gloſſa ordinaria exponit: *Super manus ambulare, eſt*
turpis lucri cauſa alicui manus imponere.
Inter tot lamentationes Jeremiæ, quibus deſola-
tionem urbis ſuæ deplorat, videtur hoc ſolaminis lo-
co attuliſſe: *Ægypto dedimus manum, & Aſſyriis* Thren. 5.
ut ſaturaremur pane: ſupra quod gloſſa ordinaria
ſic habet: *Manum dare, eſt auxilium petere.* Ad
hoc Pſalmiſtæ: *Sic benedicam te in vita mea, & in*
nomine tuo levabo manus meas: adjungit Arnoldus, Pſ. 62.
hic victoriam verbi divini denotari, per quam hæ-
reticorum durities convincitur, & debellatur.
Manus arida à Redemptore noſtro curata, de qua
Sancti Evangeliſtæ Matthæus, Marcus, & Lucas men- 12. 3. 6.
tionem habent, in Sanctis Hilario & Ambroſio, flore- Serm. 8. in
re devotas, & abundantes conſiderationes facit: in Matth. 13. &
hac enim bonorum operum ariditatem & otioſita- Ierem. 6.
tem intelligunt, ſicut erat in Phariſæis, plus quam in
reliquo humano genere. Hæc item arida (juxta
quod præfati commentantur) in avaris interdicta, &
abbreviata deprehenditur in largiendo. Adjungit
Sanctus Hieronymus ſupra Jeremiam, dicendo: per In Marc. 3.
manus diſſolutas, illas intelligendas eſſe quæ ad re- & in Ierem. 3.
ctè operandum invalida ſunt, nec ad reſiſtendum ten-
tationibus ſat roboris habent: adjungit Richardus à
S. Victore idipſum ſignificare manus relaxatas (de
quibus liber Job) huic textui adjungendo illum Pſal- 4. de Somn.
miſtæ: *Manus habent, & non palpabunt*, dicendo: Nabuch.
Non

Non palpat, qui ſcit, quomodo in bono opere debeat exerceri, nec tamen vult fructum boni operis per experientiam. Iſaias Propheta diſſolutionem Jeruſalem pecatricis deſcribendo, inter alios errores ejus, hunc quoque retulit: *Vitam manus tuæ inveniſti, propterea non doluiſti.* Senſus admodum involutus, niſi S. Hieronymus eundem nobis declaraſſet: ait enim, quaſi manu aperta adulterium committi ab iis, qui palam hæreſes defendunt, nec de peccato ſuo erubeſcunt. Atque hi iidem ſunt, de quibus in Ezechiele locus eſt, qui manu ſua thuribula geſtant, quibus Idola adorant, dum ex omnibus adeo viribus errores ſuos tuentur. Armatæ ſunt hæreticorum manus, & arcu & ſagittis, ait idem author, ſicut in Ezechiele habetur, ad feriendos fideles, ſiquidem prævalere iis poſſint; atqui hi *arcus Gog* nuncupantur, inquit S. Hieronymus. Prout idem adhuc ſupra Eccleſiaſtem, de muliere iniqua, quod *manus* videlicet illius *vincula ſint*, deſignari dæmonis fortitudinem, & hæreticorum perſvaſiones inquit.

In Iſai. 57.
In Ezech. 8. 39.
Cap. 7. v. 27.

Hæ reflexiones paucæ numero ſunt, in tanta copia & abundantia luminum & ſcripturarum, quæ hic ſupra manum copioſiſſimè adduci poſſent. Interim mi Lector, hæc pauca velim accepta habeas, quibus aliud non intendo, quàm ut tibi ſervitium qualecunque exhibeam: atque interim hic ad capitulum aliud non minus curioſum, & neceſſarium progredior, quod omni moralitate plenum eſt, de manibus adhuc & brachiis pertractans.

PROVERBIA.

QUicunque non contentus eſt, profectui proprio ſolum intendere, ſed inſuper aliorum commodis ſtudens, in docendo proximo laborat, optimus ei proverbiorum (juxta mentem Stagiritæ) & prœmiorum uſus eſt, inquit Manutius: inter viviſſima enim, & maxime ſingularia teſtimonia proverbium eſt, aptum ad excitandos, & commovendos affectus. Hoc ipſum in quamplurimis locis Quintilianus conteſtatur, in libris præſertim Argumentorum. Ad quod uberrimam nobis item authoritatem ſuggerit ſententia Fabii, qui ait: *Nam hic quidem vulgo dicta, & recepta perſvaſione populari ſine uſu fuerint teſtimonia; ſunt enim quodammodo vel potentiora etiam, quod non cauſis accommodata, ſed liberis odio & gratia mentibus, ideo tantum dicta, factaquè, quia aut honeſtiſſima, vel veriſſima videbantur.* Inde ut ad propoſitum meum transeam, inter alia mihi primum ſe Pythagorica lex illa offert, quæ ait: *Ne cujus dexteram injeceris:* quod idem eſt: ac vigilantiam in electione amicorum adhibendam eſſe. Convenit dictum hoc, cum illo Solonis: *Amicos ne cito pares, quos autem paraveris ne rejice:* & illo Biantis: *Amicos ſequere, quos non pudeat elegiſſe.*

In libris Inſtit.
In electione Amicorum vigilantia.

Pro iis, qui de præſtito beneficio, mutuam viciſſitudinem gratitudinis, & benevolentiæ expectant, illud dictum eſt: *Manus manum fricat vel ſcalpit:* Manutius inquit, conſvetam hanc fuiſſe Socratis ſententiam, quodque eam in ore ſemper verſaverit: quæ tamen prius à philoſopho & poëta Epicharmo jam dicta fuerat: *Affricat manum manus: da quiddam, & aliquid accipe:* Docemur hoc adagio, pauciſſimos eſſe in mundo, qui de obſequiis præſtitis retributionem non exigant: convenit cum illo: *Manus manum lavat.* Sic in Græcia communis loquendi modus erat: *Urbs ſervat urbem, ſervat itidem vir virum: manus manum, digitumque digitus abluit:* quod idem eſt cum illo: *Gratia gratiam parit;* & ſicut Euripides vult: *Beneficium beneficio reſpondeat.*

Beneficium mutuum.

Sicut ſupra ad potentiam Principum demonſtrandam, in tractatu proprio jam dictum fuit: *Multæ Regum aures, atque oculi:* ſic vulgatum in hoc loco proverbium ſonat: *Longæ regum manus:* quod nihilominus jam vulgò notiſſimum eſt. Sic Ovidius: *An neſcis longas Regibus eſſe manus?*

Potentia Principum.

Poterit item de principum diſſimulatione illud intelligi: ſicut de divina quoque punitione: quòd quanto tardiora ſunt ſupplicia, tantò acriora erunt & magis inexorabilia. Dixit hoc in Ilyade ſua Homerus in perſona viri nomine Calcha:

Rex Deus eſt, quoties ſuccenſuit inferiori,
Quanquam enim in præſens ferventem concoquit iram,
Poſt odit tamen, usque odium dum expleverit vultus.

Itaque ſibi quisque jure merito de hoc præcavere non negligat.

Dare ultimum qualicunque rei complementum, quod vulgato Italorum noſtrorum Idiomate ſic diceretur, *dar l'ultima mano ad un fatto*, his verbis exprimitur: *ſummam manum addere.* quod idem eſt cum illo: *Summum faſtigium imponere.* Hæc proverbia primam ſui derivationem, & nomenclaturam ab iis trahunt, qui conſtruendis ædificiis vacant, aut perinde artificibus quibuscumque, qui dum ad culmen operis, aut ad ædium ſuarum ſummitatem pervenerint, his prædictis verbis ſe opus ſuum terminaſſe enunciant. Sic enimverò poſtremus hic labor, ultima manus nominatur. Sicut vernix, quâ picturæ jam conſumatæ illinuntur, ultima pictorum operatio eſt. Hinc Ovidius:

Summam manum rei imponere.

Nec tamen illa legi poterùnt patienter ab ullo,
Neſciat his ſummam ſi quis abeſſe manum.

Solebat item in uſu eſſe, ut hoc ipſum ultima lima diceretur: unde verſus inſequentes ſic ajunt:

Ablatum mediis opus eſt incudibus illud:
Deficit & ſcriptis ultima lima meis.

Sic Seneca ad Lucillum: *Vino deditos delectat potatio extrema, quæ mergit, quæ ebrietati ſummam manum imponit.*

Pro eo, qui negotio cuidam nullatenus ſeſe immiſcere velit, quod Italico idiomate ſic exprimeretur (*non vi metterebbe un deto*) proverbium latinum ſic habet: *Manum non verteret: digitum non porrexerit.* Eſt autem hyperbolicum dictum, ait Manutius, nec enim quicquam tam facile, quam manum vertere. Ejusdem omnino generis eſt, quod Apulejus inquit: *Quod de me ſentiat Mezentius, manum non verterem:* Et M. Tullius: *Ne manum quidem verſuros fuiſſe.* Et in principio citati operis: *Chryſippus, & Diogenes detracta utilitate, ne digitum quidem ejus cauſa porrigendum dicebant, quod ego vehementer aſſentior.*

Non ſe immiſcere alieno negotio.
Apulei. in Apolog. Magiæ
Lib. 5. de finibus.

Ad denotandum eum, qui vel cum nimia feſtinatione, vel cum nimia tarditate ſe ab opere quopiam abripit, nec unquam perfectionem ejusdem conſequitur, illud dictum eſt: *Manum de tabula.* De hoc Marcus Tullius: *Heus tu, manum de tabula: Magiſter adeſt citius quàm putamus.* Cui adjungit Manutius: *Videtur hac proverbiali figura, manum de tabula, admonuiſſe, ut deſiſteret à ſcribendis dicteriis.* Derivavit adagium hoc ab eximio Pictore Apelle, qui cum æmulo ſuo Protogene comparatus, eo quod (ſive verum illud eſſet, ſive cum vanitate id de ſe jactaret) promptiſſimus eſſe videbatur in opere ſuo, cum tardior eſſet Apelles, conſiderata hac tam mira diligentia dixiſſe fertur: *Neſcit*

Nimia in rebus agendis tarditas, vel celeritas.
In Epiſtola quadam.
Nimia diligentia quandoque nocua.

Protogenes manum de tabula tollere: Per quod indicatur: diligentiam nimiam, nonnunquam ſine damno non eſſe. Hinc ad rem Plinius ait: *Proinde ſi quando admonebimus, ut recedat aliquis ab opere, negociove, quod in manibus habet, videbimus illum manum de tabula tollere.* Referri hoc ad ſcriptores eos poterit, qui cum nimia auſteritate ſemetipſos accuſando, & reprehendendo, nec ſibi ipſis unquam ſatisfaciunt, nec Lectoribus: nec enim minor defectus eſt, nimia exactitudine tabeſcere, quàm omninò nullam adhibuiſſe.

Lib. 35. c. 10.

Laborare in opere quodam quantum poſſibilitas permittit, quod idem dicere eſt, ac ultimas vires impendere, his verbis exprimitur: *Manibus, pedibusque:* per manus enim induſtria operantis, per pedes celeritas maturantis figuratur. Sic Terentii Daccus inquit: *Ego hoc Pamphile tibi pro ſervitio debeo conari manibus, pedibusque.* De hac ſententia Homerus contra Demoſthenem ſcribebat: *Imo quidquid poſſum ego manibus, pedibusque.* Convenit dictum hoc, cum binis illis: *Omnibus nervis:* &: *velis, equisque.* Hæc diligentia in negotiis ſummi momenti maxime neceſſaria eſt, juxta axioma illud alterum: *Ultimis morbis, ultima remedia.* Etiam inter Italos noſtros jam mos invaluit, ſic loquendi: *aver fatto e di mani, & di piedi.*

Ex omnibus viribus laborare.
In Andria.
Iliade.

Dicitur item, ſed ſignificatione omnino diverſa, ab eo quod litera præſefert; *Addere manum:* ait enim Plautus idipſum dici de hominibus qui alios ſubſannare conſveverunt, quamvis prima fronte videatur dici de iis, qui manum in negotio ad adjuvandum porrigant. Deductum autem proverbium eſt, juxta præmemoratum, ab iis qui cum ludificare alios intendunt, aurem eis apprehendunt, & hinc, indeque vellicant. Sunt autem verba Plauti: *Quid ais? crux, ſtimulorum, tritor compedum, ut me hodie verſaviſti, ut me in tricas conjeciſti? quomodo de Perſa manus mihi addita eſt?* Idem alibi: *Eo pacto avaræ Veneri pulchrè adii manum.* Sic in alia Scena: *Ita illis impetres, omnibus adii manum.* Hunc ſenſum Perſius attigit:

In Perſa.
Subſannare quempiam.
In Pœnulo.
In Mularia.

Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas.

Sed profeſſio hæc in homine morigerato, & honeſtè educato, indecens omninò eſt.

Præceptum itidem ſaluberrimum, & quo aliud æquè ſapiens invenire facile non eſt, ab antiquis ad nos pervenit: *Cum Minerva manum quoque move.* Per quod intenditur: ut in omni adeo actione noſtra divinam imploremus tutelam: Proverbium autem hoc à mulierculis originem deſumpſit, quæ ad ordiendam telam, vel texturam ſuam, ante Palladis imaginem (quæ & Minerva eſt) conſiſtebant, æſtimantes Textricem primam eam fuiſſe, atque inde Patrocinium ejus invocabant, ut ad terminum ſuum, quod cæpiſſent, pro votis ſuis feliciter opus perducerent. Sonat item proverbium hoc: Non ſolum in auxilio divino ſic ſtandum eſſe, ut deinceps manum cingulo applicemus otioſi, ſed ad opus illam extendendam eſſe. Volunt quidam ſignificationem hanc de paupere Agaſone initium ſumpſiſſe: qui cum in foſſam lapſus eſſet, Herculem precabatur, ut ſe inde eriperet: ad quod ei reſponſum veniſſe, ſiquidem id vellet, ipſe quoque non minus evadendi curam ageret, & vires ſuas impenderet, tum Numen quoque adfuturum. Hoc totum Svidas exponit, dicendo: *Fac interim aliquid ipſe, dein Deos voca.* Hujus ſententiæ S. Petrus Apoſtolus eſt, dum ait: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Hoc ipſum ſtudet inſinuare nobis doctiſſimus Alciatus dicendo: *Quà DEI vocant, eundum.* Quæ materia admodum vaſta, & ad pulpitum ſacruum neceſſaria eſt.

Opera noſtra ab auxilio divino dependent.
Inſpirationi divinæ cooperandum eſſe.

Qui facta promiſſione ad ipſam operis executionem ſine mora progrediuntur, his verbis indicantur: *Oculatæ manus.* Eò quòd oculis accipientium quantocyus quod promiſſum eſt manu exhibetur. In his enim vera amicitia eſt: & in his ſententia S. Auguſtini verificatur: *Probatio dilectionis, exhibitio operis.* Sicut illic quoque apud Plautum mulier quædam juvenculum ſibi montes aureos ſpondentem qui tamen promiſſis ſuis non ſtabat, ſic alloquitur: *Semper oculatæ ſunt noſtræ manus, credunt quod vident.* Pari modo apud Terentium Sannius quidam ait: *Nunquam ego adeo quid poſſem, mallem: ut ferrre in præſentia potius.* Huc alluſit in Eunucho ſuo Cheræas: *Fac nunc, promiſſa ut appareant.* Ariſtoteles item de Pantheone vociferatur: *Fruſtra eſt illa potentia, quæ non reducitur ad actum.*

Executio operis.
In aſinaria.

Si quis ſe negotio difficillimo intricet, ad quod ei magnis viribus, & ingenti labore opus ſit, hoc dicto exprimitur: *Ambabus manibus haurire.* Alluſit ad hoc Comicus Ariſtophanes: *Utraque manu bona diſpergens publica, fugit.* Huic dicto illud Homeri affine eſt: *Novi equidem clypeum dextra lævaque movere.* Et Plato: *Quod dici ſolet nequaquam altera prendendum manu, quin magis ambabus.* Sic Ariſtides in vita Cimonis inquit: *Graviter gemuit Aſia ab illis percuſſa ambabus manibus robore belli.* Denique Virgilius: *Juvenum manus emicat ardens.* Hæ vires tum potiſſimum in promptu ſint, cum ſalus noſtra, cum amicorum, cum parentum, cùm principum, & præcipuè animarum noſtrarum agitur.

Incepta difficilia.
Ariſtoph. Equitibus
Iliados H.
In Sophiſta.

Hic loci neceſſe mihi erit repedare rurſum, imo vero ſententiam vel ſenſum quendam in Hieroglyphicis jam adductum corroborare. Sapientes olim cum rem quandam irreverenter, at absque reſpectu actam ſignificare intenderent, his duabus vocibus id exprimebant: *Illotis manibus.* Totum hoc à Dionyſiano narratur: deductum eſt autem de puritate ſacrificulorum, prout ſupra retulimus: ſic adjungit Heſiodus:

Res absque reſpectu debito peractæ.

Ne unquam manè Jovi vinum libaveris ardens,
Illotis manibus, neque divum præterea ulli.

Sic olim vetabatur, ne quis, qualiscunque demum conditionis eſſet, vel in flumen, vel in fontem intraret, niſi prius mundatis manibus: magnam ſuper hoc illationem format Cajus cauſidicus, dicendo: *Si in foro cauſas dicentibus nefas, ut ita dixerim, videtur eſſe, nulla præfatione facta judici rem exponere, quantò magis interpretationem: inconveniens erit omiſſis initiis, origene non repetita, atque illotis, ut ita dixerim, manibus, protinus materiam interpretationis tractare.* Quod proverbium jure merito in eos uſurpatur, qui nimia procacitate & temerario auſu, nondum de re ullatenus, quam tractaturi ſunt inſtructi, ad actionem ipſam accedunt. Dedecet hoc virum ingenuum, & qui ſanæ rationis, ſani judicii eſt, hic non impinget.

Lib. Pandectarum Titul. de origine Iuris.

Siquidem Princeps gratiam elargiri ſubdito ſuo voluerit: aut verò ſi Amicus amico ſuo ſervitium præſtare cum omni ſinceritate, & affectione animi ſtuduerit, his verbis ſignificabatur: *Plena manu.* Quod vulgo jam inter idiotas quoque uſum ſuum obtinuit, cum Italus dicat: *eſſer favorito a piene mani.* Unde Manutius adjungit: *ampliter, copioſe, prolixe, minimeque maligne.* Sic Marcus Tullius ajebat: *Hercle alter familiaris tuus Horatius, quàm plena manu, quàm ornate noſtras laudes in aſtra ſuſtulit.* Sic item Seneca: *Liberaliter hodie, & plena manu faciam:* Et alibi: *At Lacheſis, quæ & ipſa homini*

Exhibitio ſervitii plena, & abundans.
In Atticum.
In declamationibus.
In Ludirco Claudii Cæſaris.

formoſiſſimo faverit, fecit illud plena manu, & Neroni multos annos donat. Hic igitur & Princeps actum liberalitatis & munificentiæ exercet: & amicus vices vere diligentis & ſinceri amici adimplet.

Manum admoventi fortuna eſt imploranda. Convenit cum illo ſuperiori: *Cum Minerva manum moveo.* Curſor dolens pede, ad metam ſuam non perveniet: *Dii quoque facientes adjuvant*: ajebat Bias. Plutarchus meminit, uſum olim apud Lacedæmonios viguiſſe, ut ſtatuas Numinum ſuorum, atque adeo ipſius Deæ Veneris, quæ tamen mater effæminatorum eſt, armatas nihilominus repræſentarent, tenendo haſtam: ut per hoc indicarent, nobis quoque manum ſemper exercitatam obſervandam, & in operatione continua ſtandum eſſe: unde proverbium illud reſultavit: *Manum admoventi ſunt invocanda Numina.* Hinc Æſchylus apud Stobeum: *Huic qui laborat Numen adeſſe ſolet.* In eandem ſententiam ait Pindarus: *Ad ſummum virtutis apicem pervenerunt, qui guſtârunt labores, non ſine DEI fortuna.* Æſchylus iterum alibi: *plurimo jam tempore à Diis optaveram, hæc ut dextera conficerent mihi: at ubi vigilas ipſe, Dii quoque admovent manum.* Hæc è Svida. Reſpondit Hercules villico illi, qui in lutum una cum equo & curru delapſus fuerat, & opem interim ejus implorabat, reſpondit inquam hoc Numen: *Manum rotæ admove, & ſtimula boves, ita DEUM invoca.* Vaſtiſſima hujus rei argumenta in Scripturis Sacris occurrunt.

[Margin: Adjutorio divino cooperandum eſſe. — *Æſchylus.* — *In Perſis.* — *Suidas.*]

Auxilium reciprocum quod alter alteri viciſſim debemus, his verbis figuratur: *Multæ manus onus levius reddunt.* Non eſt enim, unde alibi tam conſpicue mutua charitas, & fraterna benevolentia emineat. *Alter alterius onera portate*: Eccleſià mater noſtra per Apoſtolicum os Pauli nobis inclamat. Huc item pertinet vulgatum axioma: *Homo homini DEUS.* Si negotia qualiacunque plurimum conjunctis & unitis viribus pertractata fuerint, expeditiorem utique eventum, & promptius complementum adipiſcentur. Princeps Miniſtrorum ſuorum ope indiget, hi rurſum ſubſtitutorum ſuorum. Derivat autem proverbium ab eo, quod grave onus ſublevare in humeros noſtros nequeamus, ſine adjumento aliorum. Hinc Heſiodus: *Plus poteſt plurimum induſtria.* Et Homerus in Iliade: *Adſitis Comites: multorum induſtria namque plus pollet, quàm paucorum.* Quod Euripides quoque confirmat: *Vir unus autem*, inquit, *nemo cuncta deſpicit.* Et alibi: *Invalida pugna eſt unicæ tantum manus.* Ejusdem ſententiæ illud alterum proverbium eſt: *Unus vir, nullus vir.* Confirmat hoc Spiritus Sanctus: *Væ ſoli, quia cum ceciderit non habet ſublevantem ſe. Et ſi dormierint duo, fovebuntur mutuo &c. Funiculus triplex difficile rumpitur.* Vidit altiſſimus male hominem ſolum degere, atque idcircò dixit. Faciamus adjutorium ſimile ſibi.

[Margin: Viciſſitudo adjutorii. — *Heſiod. lit. H.* — *In Phœniſſis.* — *In Heracl.* — *Eccle.*]

In eos qui turpis otio deliteſcunt, & immerguntur illud dictum eſt: *Manum habere ſub pallio.* Dicit hic Quintilianus: *Damnandi ſunt illi, qui inter agendum, ſemper manum, quod ajunt, habent ſub pallio; quapropter multum falli mihi videntur qui ſolos Atticos credunt, tenues, & lucidos ſignificantes: ſed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac ſemper manum intra pallium continentes.* Hoc adagium ob orationibus langvidis & enervibus ortum eſt; qui timidi, & inſipidi, nec unam quidem periodum correſpondentem geſtui ſuo adimplent, ſed ſubtus penulam, vel pallium manum abdunt. Hinc Æſchinus in hoc genere dixit: *Itaque quod nunc omnes ex more facimus, ut intra dicendum manum extra pallium habemus, tum temporis confidentiæ tribuebatur, ac verebantur id facere.* In Salamina ſimulacrum quoddam Solonis cernebatur, in tali conſtitutione & habitu compoſitum.

[Margin: Otium. — *lib. 4.* — Oratores langvidi.]

Huic proverbio rurſum aliud correſpondet: *Manum in ſinu habere.* Significatio ejusdem nihilominus ab illo altero diverſa eſt: indicat enim tenaces, & lentos in tribuendo. Senſus hic Theocriti eſt, qui ait:

[Margin: Avari. — *Theocrit. in Chor.*]

- - - - lucrique cupidine victus
In ſinu unusquisque manus habet, illud & unum
Spectat, qua ratione ſibi aucta pecunia creſcat.

Si ergò verum eſt modernos mores noſtros illis veterum non abſimiles eſſe. Dicto huic majorem addit authoritatem Scævola, ubi inquit: *In ſinu meo habui: pro eo quod eſt in poteſtate mea clam habui.* Sed curioſus Lector, unius alteriusque materiæ fuſiores tractatus, vel copioſiorem meſſem alibi inventurus eſt.

[Margin: *Scævola titulo de Probationibus.*]

Porrò cum actio quædam barbarica, tyrannica, & crudelis exprimenda eſſet, hoc dictum uſurpabatur: *Lemnia manu.* Fingunt enim Poëtæ in Lemno Inſula habitare cum cyclopibus ſuis Vulcanum, qui Jovi fulgura laborent, & tonitrua, omnemque apparatum armorum ad mortalium genus caſtigandum: de hac Inſula enim non prodibant niſi inſtrumenta, vel ſaltem ſymbola ſeveritatis, & rigoris: atque his formis opera tyrannica deſignantur: unde Sophocles: *Tyrannum eſſe pium*, inquit, *difficile eſt*: Plutarchus item affirmat: *Tyrannis eſt genitrix injuriæ.*

[Margin: Opera tyrannica. — *De fortuna Alexandri.*]

De male proportionata membrorum compoſitione, quæ plerumque in pauperibus cernitur, Heſiodus dum in deſcriptione paupertatis eſſet, in proverbio dicebat: *Macilenta manu, brevem pedem.* Anguſta & ſicca manus pauperum eſt: ſed eorum pedes, ad tolerantiam malorum aſſveti, facile intumeſcunt, & incraſſeſcunt, unde pingves videri poſſint, & obeſi: hinc item fit, quod ſæpius ungve fricantur, & dilacerantur. Supracitatus inde inquit: *Gracili autem manu pingvem pedem premas*: verſus ſic ſonant:

[Margin: Paupertas.]

Ne te deprêndant inopem mala tempora brumæ,
Atque pedem premere incipiat manus arida pingvem.

Homini autem prudenti & provido diligenter huic oppreſſioni obſiſtendum eſt: qui enim obviare malo non novit, obſidione deplorabili cingetur, & quandoque ipſam mortem incurret. Sic Spiritus Sanctus nos docet: *Venit tanquam vir armatus egeſtas.*

[Margin: *Prov. 6.*]

Bilingvis homo, & inconſtans, & adulator, & mendax, tantopere Spiritui Sancto abominabilis (juxta illud: *Vir duplex animo, inconſtans in in omnibus viis ſuis*) quem David ſe à menſa ſua removiſſe inquit: *Vir duplici corde: cum hoc non edebam*: hoc proverbio inſinuatur: *Altera manus fert aquam, altera ignem.* Atque hi ſunt, de quibus David: *Molliti ſunt ſermones ejus ſupra oleum, & ipſi ſunt jacula*: aquam ſimul, & focum in manibus geſtant. Cui illud confine eſt: *Altera manu fert lapidem, altera panem oſtentat.* Plutarchus de femina quadam perditæ honeſtatis, quæ mores, de quibus ſupra, præſeferebat, ſic loquitur: *Altera quidem geſtabat doloſa manu, altera verò ignem.* Verùm nihilominus eſt, quod idem Plutarchus ait: *mentiri ſervile eſt vitium cunctis mortalibus deteſtandum*: Cui Homerus ſuffragatur: *Mendacium*, inquit, *ſemper infelix eſt.* Enimverò qui ſanæ mentis eſt, non immeritò verecundetur hac larvata facie incedere.

[Margin: Homo fallax. — *Iac. 1, v. 8.* — *De educandis liberis.* — *Odyſſea. 9.*]

Red-

Redditus, aut aliæ res viciſſitudinariæ, quæ de perſona in perſonam transeant, his verbis declarantur: *Per manus tradere.* Talis erat racemus ille uvæ, qui quondam à Patribus eremi de manu in manum tranſibat, donec ad primum ſuum Datorem reverteretur, unde & titulum *uva volantis* adeptus eſt. Intelligitur hoc de rebus, quæ per ſucceſſionem ad nos tranſituræ ſunt. Julius Cæſar ait: *Quidam ante portam Gallus per manus ſibi, ac picis traditas glebas, in ignem è regione turris projiciebat.* Sic item Livius: *Etiamſi nobis tum urbe ſimul poſitæ traditæque per manus religiones nullæ eſſent.* Sic Marcus Tullius: *Nam ut Cajus Julius omnibus à ſenatu eximiis, ac novis rebus ornatus, per manus hanc provinciam tradat ei, cui minime vos velitis.* Plautus item de Epiſtola quadam loquens, ſic ait: *E manibus tradidit ipſe mihi in manus.* Dicere item ſolemus: *Tales literæ, vel talis diſciplina, tale commodum in manus meas pervenit*: Sic illud quoque in uſu eſt: *de manu, in manum.* Hinc M. Tullius: *Totum denique hominem tibi trado de manu ut ajunt in manum tuam iſtam, victoriâ & fide præſtantem.*

[Margin: Viciſſitudo rerum. — De bello gallico. 7. — *Ab urbi condita 5.* — *In Orat. de Prov. Conſularibus.* — *Epiſt. fam. 7.*]

Res quæ acquiſitu difficilis ſit, & quæ ad conſecutionem ſui labore multo indigeat, his verbis exprimebatur: *Non una manu capere.* Sic enim conſvetudo noſtra eſt, etiam ipſius naturæ documento inſtruimur, ſiquidem manus una ad ſublevandum onus quoddam ſat valida non ſit, alteram quoque in ſubſidium applicare. Adagium hoc corroborat Plato, dum ait: *Vides enim verè dici beſtiam hanc eſſe variam, neque, quod dici ſolet, una manu capiendam.* Deducitur proverbium ab eo, quod tam facili fuga ſe feræ beſtiæ de capientium manu eripiant: unde mos eſt, ambabus eas manibus teneri. Curioſa hiſtoria eſt, quam Ælianus de Cynegyro Athenienſe memorat, qui videns navim ſuam ab hoſte rapi, eam dextra tenuit: cum hæc ei amputata eſſet, ſiniſtram applicuit, denique & hac mutilata, dentibus infixis eam mordicus ſervavit, donec amputato capite, vitam una cum navi amiſit. Sic nobis quoque conſultum eſſet, navem ſalutis noſtræ etiam cum diſpendio vitæ tueri.

[Margin: *In Sophiſta.* — *lib. 4. var. Hiſt.*]

Apud veteres ſapientes usque adeo furtum abominabile erat, ut ſummæ injuriæ ducerent palam nomine furis nuncupatum fuiſſe. Unde ſi quempiam manu promptum vidiſſent, hanc dexteritatem levandi quippiam, *manuari*, dicebant: ſicut de libidinoſis dicitur: *Lesbiari*: quod de Lesbia meretrice ſumptum eſt. Qui divinationi ſe ingerebant: *vaticinari* dicebantur, & horum ſimilia. In eadem ſignificatione erat: *Manticulari.* Atque hic modus loquendi, juxta Nonium, Laborio familiaris erat: vulgus item ſic per jocum loqui ſolitum erat. Adjungit Manutius: *Quoniam furandi verbum nimis odioſum, mitiori verbo dicunt: digiſtavit, ſi quid furto ſublatum volunt intelligi, ut effugiant actionem injuriarum.* Super hæc authoritatem præmemorati Laborii citat, qui in perſona hujuscemodi deceptorum loquens, ſic habet: *Quid ais? appellas me furem? Nequaquam, ſed manuatorem.* Vitium hoc ſemper deteſtabile eſt, quamvis res furtiva modici admodum momenti ſit: *Nihil enim eſt turpius ingenuo, nihilominus libero dignum, quàm in conventu maximo cogi à magiſtratu furtum reddere*, inquit Tullius.

[Margin: Furtum.]

Actio, quæ ulteriori probatione non indiget, ſed per ſemetipſam manifeſta, & clara eſt, his verbis exprimitur: *Oculis ac manibus.* Quo dici volumus, nil ſupereſſe, quàm ut res oculis cernatur, & manu palpetur. Sic Marcus Tullius inquit: *Cùm manifeſto venenum deprehendiſſet, quod vir matris oppianicus ei paraviſſet; & res non conjectura, ſed oculis, ac manibus teneretur, neque in cauſa ulla dubitatio poſſet eſſe accuſavit.* Oculis magis creditur, quàm auribus. Quidam porro adeo excordes ſunt, ut niſi manibus contrectent, non credant. Siquidem ii, qui ſine diligenti examine actiones ſuas pertractant his præceptis inhærere vellent, non tam leviter de incognitis judicium præceps formarent, nec quavis mendaci ſuppoſitione, aut relatione ſiniſtra in transverſum raperentur: ſed veriſſimum eſt, quod Ariſtoteles inquit: *Amor & odium, & proprium commodum faciunt ſæpe judicem agnoſcere veritatem.*

[Margin: *4. Action. contra Verrem.* — Actio manifeſta. — Pro Cluentio. — *Rhet. lib. 1.*]

Contra illos, qui eo quod ſtatui ſuo decorum & honeſtum eſt, contenti eſſe nequeunt, hoc proverbium dicitur: *Da panem, & pugnum.* Sic Euſtatius inquit:

[Margin: Contentum eſſe ſorte ſua.]

Porrige, ſi poſſis, panem, ac obſonia, pugnos.

Ubi inſinuatur, quemque contentum eſſe oportere, & ſorte & ſtatu ſuo, in quem Deus eum, & natura magna mater noſtra collocavit. Felicitatem hanc inter alios commendavit Commendator Teſtius deteſtans luxum aulicum ſequenti verſu:

[Margin: *Poeſim.*]

Beato e quei, che in liberta ſicurà,
Povero, ma contento i giorni menà,
E che furor di ſperanza, e fuor di pena
Pompe non cerca e dignita non cura.
Pago di ſe medemo, e di ſua ſorte
Ei di nimica man non teme offeſa,
Senza che armate ſchiere in ſua difeſà
Stian de l'Albergo a cuſtodir le porte.

Natura ſuapte ſe offert ducem ad honeſtum capeſſendum, ajebat Plautus. Et M. Tullius: *Naturà duce errare nullo modo poſſumus.* Sequamur dictamen hoc.

Da mihi hominem quantum voles ſummi ingenii, ſummarum naturæ dotum, ſi manum operi non applicet, quidquid perorare, aut docere contenderit, fruſtraneum erit: rationes ejus tanquam chymericæ, & exploſione dignæ judicabuntur. Ipſo enim opere, quod verbo approbare nitimur, conſolidandum eſt: hoc univerſum ſequenti proverbio exprimitur: *Manu ignavus, mente præſens.* Ut quid crepitantibus buccis exhortamur alios ut arma arripiant, ſi nos ipſi ingruente periculo, manum noſtram in ſinu fovemus? Proverbium autem hoc originem ſuam Timocreonti Rhodio debet, qui ait: *Mens præſens, ſed adeſt conſilium manibus.* Sic Epheſtio Grammaticus inquit: *Prudentia & ingenium, niſi manus famulatrices ſortiantur, inutiliter ſatagunt. Contra robur ingenii, & moderatricis prudentiæ expers amens fertur, omnia confundens.* Actio ludicra, vel ſcenica eſt, Agamemnonem voce præſeferre, moribus Therſiſtem eſſe. Hanc veritatem ut veteres figurarent, Mercurium depingebant ætate juvenem, & ad latus ejus hominem ætate jam caneſcentem. Sic ajebat Vellejus Paterculus: *Conſilii Dux, miles manu & dictis.* Sic Pacatus in Theodoſio ſummæ laudi attribuebat: *Quod dux eſſet conſilio, miles exemplo.* Et ſic Halicarnaſſeus de Fauno Rege Aborigenum meminit, quod fuerit: *Vir pariter impiger, & cordatus.* Argumentum jam alibi fusè tractatum.

[Margin: *Timocreon Rhodius.*]

Si quis forte per malitiam quandam, dum ſe ſurdum fingit, aut loquentem non capere, aliud omnino ad interrogata reſponderit, quàm interrogatio requirat, hoc proverbio exprimitur: *Manum peteris, & pedem porrigis*: quod noſtro quoque vulgari ſermone dicitur: *Non vi eſſer ſordo peggiore di quello che non vuol intendere.* Hoc adagium Sanctus Hieronymus uſurpavit, ſcribendo ad Ruffinum.

[Margin: Ignorantia affectata.]

 Hæc

Hæc ignorantia inter illas eſt, quæ craſſæ dicuntur, & ſupinæ: quæ deteſtationem ſuam habet in ſacris literis, æquè ac à ſapientibus viris; quæ etiam conſummatæ malitiæ opinionem habet: Hi de illa hominum ſtirpe ſunt, de quibus ſapientia increata inquit: *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum; ponitis tenebras lucem, & lucem tenebras.*

Iſa. 5.

Res claræ & evidentes.

De re clara & evidenti (de qua ſupra) illud uſurpatur: *pugno tenere.* Nec enim facile dilabitur, quod pugno ſtringitur. Hoc adagium à Platone adinventum fuit, contra eos, qui ſecundas intentiones negabant, revelantes ſe ſenſibus noſtris: nil credendo, nec admittendo niſi res materiales, & corporeas. Sic Diogenes ajebat: *Videre cyathos & menſas: cyatheitates autem, & menſeitates non videre.* Nihilominus hic Cynicus hic in præſenti loco hallucinatus eſt, ad effectus mentem non applicans, qui de calicibus & menſis proveniebant: hinc etiam Plato dignum perſona ſua reſponſum dedit: *Oculos quibus cyathi, & menſæ videntur habes, mentem qua cyatheitates, & menſeitates cernuntur non habes.* Arguтiſſimo ſale, non nego. Hujuſcemodi homines, tardo ingenio hebetes ad ſcholas ſuas Plato non admittebat, unde Manutius adjungit: *Verius enim ſunt, quæ non videntur, quàm quæ videntur: & certius ea ſcimus, quæ ratione colligimus, quàm quæ manibus contrectamus. Senſuum enim judicium fallax eſt.*

Situs loci compendioſus, vel temporis intervallum breve, hoc dicto declaratur: *Inter manum, & mentum:* inter utrumque enim diſtantia penè nulla eſt: hoc nihilominus illuc reſpicit, cum manus ſcyphum ori propinat. Confrontatur proverbium hoc cum illo altero: *Inter os, & offam.* Illic vero ubi ratio cibi & potus habetur, quamvis inter manum & mentum breve ſpatium intercedat, inter rationem nihilominus & ſenſum ſpacioſiſſimum intercurrit, hic enim ab illa ad ebrietatem usque elongari poterit: unde conſultius eſt inter manum potius & mentum ſive labra magnum intervallum eſſe, quàm inter rationem & ſenſum. *Ebrietas cor mutare & mentem alienare ſolet.* Sententia S. Gregorii eſt.

In 1. Reg.

Porro ad arbitrium proprium operari, & paſſionis ductum ſequi, cum hoc eleganti dicto exprimebatur: *Lex in manibus.* Quod etiam vulgò ſic dicitur: *Farſi la legge a ſuo modo.* Sed hoc genus violentiæ non niſi Tyrannis, & crudelitati proprium eſt, iis nimirum, qui omnem convenientiam, pudorem, & honeſtatem, omne decorum, & id quod potiſſimum eſt, omnem conſcientiam exuerunt. Sic Æſchynes contra Timarchum ajebat: *His verò, qui ſequuntur oligarchiam, & apud quos inæqualis eſt Reipub. adminiſtratio, cavendi ſunt: Qui lege, quæ eſt in manibus ſita, civitatis ſtatum labefactant.* Ejusdem generis loquendi modum Polybius ſequitur, dicendo: Ex hoſtibus, *quoscunque deviciſſet, aliquando alios violenta manu perimebat, eos verò, qui vivi capti ad eum adducebantur, beſtiis objiciebat:* loquitur autem de tyranno quodam, qui ſe ſubditum fecerat, & arbitrum, vademque propriæ ſuæ voluntatis. Introducit in ſcenam Plautus ſervum quempiam, qui alteri item ſervo minas intentans, *minatur ſe manu litem acturum:* quo id ſignificatur, negotium totum judicio pugnorum ſubjectum iri. Ubi nullus ordo eſt, nec imperium, aut ſubmiſſio, ibi nil proſperum eſt, nec eventus ſecundus ſperari debet. Unde S. Bernardus inquit: *Affectus reprimendus eſt, quem omnino extingvere non poſſumus.*

Legem ſibi pro libitu ſuo formare.

Æſchynes.

Hiſt. lib. 1.

De triplici gen. cogn. noſtra.

In omni adeo loco, in omni tempore modus in agendo obſervandus eſt. Nec in ulla re præcipiti conſilio procedendum; nec tamen ex altero latere nimiâ morâ, occaſio rerum negligenda; omne hoc ſequenti proverbio indicatur: *Manu ſerendum, non ſacco.* Qui enim ſeminat, ſiquidem manticam integram, in ſulcum unum evacuaverit, omneque granum illuc diſperſerit, operam perdet, nec unquam ſperatos fructus obtinebit: ſed qui rariori manu, prout decet, diſpartitus fuerit, quod ſeminandum eſt, jucunda meſſe exhilarabitur.

Modus in rebus.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,

ajebat in poëticis ſuis Author, qui poëticam docuit. Admirabilis mihi in hunc locum ſententia Gellii videtur, dum ait: *In omnibus adhibendus eſt modus neceſſarius: nam & gratia, ſi nimia eſt, & immodica, ita & mores ſi multi, ac varii, & verba ſi perpetua, & infinita, & obtundentia; & fames ſi magna, & inquieta, & invidioſa ſit, nec laudabilia nec utilia ſunt.*

Horatius l. 4.

Tentare rem quampiam, cujus conſecutio poſſibilis non ſit: aut verò comminari hominem, cui damnum nullum inferre poſſis, hoc proverbio exprimitur: *Da lapidi volam.* Quod à pueris ſumptum eſt, qui cum viderint aviculam ſibi vicinam, aut aliud quodvis animalculum fugitivum, continuò lapidem levant, ad jaciendam, & capiendam prædam: ſed miſeris jactura inutilis eſt, fugit enim, & avolat præda. Prudentis igitur viri eſt ab utroque abſtinere, ne infantium imitator ſit.

Non tentanda quæ impoſſibilia ſunt. Nec minandum ei cui damnum inferri nequit.

Adoriri hominem violenta manu, cum extorſione tyrannica, hoc dicto exprimebatur: *Manus Briaræi injuriæ.* Finxerunt poëtæ Briaræum fortiſſimum crudeliſſimumque gigantem fuiſſe, centum brachiis totidemque manibus; unde difficillimum eſt de hujuſcemodi extorſionibus, & ligamentis ſe expedire. Hinc ad docendam bonitatem, & providentiam alterum proverbium eſt: *Eſto Argus & non Briaræus.* Hæc barbaries enim Caligulas, & Commodos decet: provida ſagacitas autem Trajanos, & Auguſtos: unde ſicut illa prior deteſtabilis eſt, ſic illa poſterior omni acceptione digna.

Violenta extorſio.

His qui in arte quadam vel profeſſione perfectionem ſuam conſecuti fuerant, proverbium hoc dicebatur: *Manum ferulæ ſubduximus.* Quod à pueris deſumptum eſt, qui tamdiu virgis ſubjecti, quamdiu Scholis frequentandis aſſidui ſunt; ſed cùm illas jamjam evaſerunt, in literis exculti, ferulæ quoque ſubtrahuntur, præſertim ei caſtigationi, quâ plagæ manibus infliguntur, quos Itali vulgò *Spara mani*, nuncupant: quod tantundem eſt, ac illud, ex Ephœbis tranſiiſſe ad virilitatem. Videtur Apoſtolus Paulus ad hoc alluſiſſe dum ait: *Cùm eſſem parvulus, loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, quando autem factus ſum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Proficuum omnino, & maximi emolumenti eſt, omnibus quotquot in orbe ſunt, taliter conſtitutum eſſe, ut libere in omni negotio, in quavis occaſione præfatis verbis uti poſſit.

In profeſſione ſua perfecti.

1. Cor. 13.

Manum prudens in flammam mitto: de eo dicitur, qui quamvis ardua cœperit, non habet nihilominus quod metuat, ſe inde feliciter exiturum. Adagium à Cajo Mutio Scævola derivatur, qui in conſpectu Porſenæ Regis manum foco amburendam injecit, dicendo: trecentos ſui ſimiles ſupereſſe, qui idem conjuraverint: prout Author Livius eſt. Quæ res poſtea à Marco Tullio feliciter in proverbium tranſumpta eſt. Conſummatio prudentiæ eſt, ſemetipſum ſemper menſurare poſſe. *Et quæ longè ſunt, & quæ propè ſunt, conſiderare oportet*, inquit Euripides. In hac forma Novatum ſuum educari voluit Seneca, ait

Res arduæ cum ſecuritate boni eventus cœptæ.

ait enim: *Totum inſpice mentis tuæ adytum: etiamſi nihil facti potes ſcire.* Quod argumentum jam alibi tractatum eſt.

Deſiderium habendi.

Ætholi populi erant aut veraciter depauperati, aut verò id fingentes: ſemper iis manus apertæ erant, & extentæ ad accipiendum. Hinc veteres dum hominem avidum, & ſemper ad poſſeſſiones acquirendas ſitibundum demonſtrare vellent, hoc adagio utebantur: *Manus in Ætholis habet.* Summa inconſtantia, & inquietudo, quæ in cor humanum cadere poſſit, à nefando illo habendi deſiderio radicem primam trahit. Memini me deplorabile illud vitium, hoc Odæ alioquin ſat longæ principio deſcripſiſſe:

Ne di Lucullo a menſa
Ove ſu tazza d'or ſpumi il falerno
La ſete ſpegnera Tantalo infido?
Ne la dove diſpenſa
Bionte le arene il Gange, unqua in eterno
L' ombra di Craſſo ſciogliera dal lido?
La ve di fame han grido,
O in aduſto terreno, o pure in molle
Di fulgido teſor ſplendor le zolle.

Herodotus ap. ſylvam. Ibid.

In ſumma: *Avarus nemo bonus, nec Rex, nec liber eſſe poteſt*: ait Herodotus: & Demetrius; *Avaritia omnis improbitatis eſt Metropolis.* Denique, Amiciſſime Lector, ſi ego quoque tibi de avara manu in præſenti capitulo, minus ſuggeſſiſſe videbor, quàm intelligentia tua deſideraverit, compatere inſufficientiæ meæ, nec enim de ſtudiorum meorum paupere penu mihi major ſupereſt cognitio: Tranſeo hinc ad

HISTORIAS, RITUS, OBSERVATIONES, ET CONSVETUDINES.

RITU olim tam ſuperſtitioſo, quam inhumano ad demonſtrandam mentis anguſtiam, & dolorem internum, illud in uſu poſitum fuit, ut forinſecus quoque ſibi brachia contunderent, imò verò conſcinderent, & dilacerarent. Sic pſeudopropheta ille Baldad in libro Job ait: *Devoret pulchritudinem cutis ejus, conſumat brachia illius primogenita mors.* Ita Statius refert inveteratam hanc conſvetudinem fuiſſe mulierum, tam Græcarum, quàm Latinarum. Propter quod in obitu viri cujusdam Pileti ſic loquitur:

Cap. 18.

Lib. 6. Sylva 6.

Quo Domini clamante, ſono non ſævius atros
Nigraſſet planctu Genitrix tibi ſæva lacertos,
Non Pater.

In Epod. Diſypalum.

Sic certus quidam Dinamius ait: *Plus lugent, qui plus diligunt: & dum auxilium præſtare nequeunt pugnis pectus, & brachia tundunt.* Hic item mos in Palæſtina univerſa, & inter Idumæos invaluerat; hinc ſibi ſacerdotes non ſolum prophani, ſe ſacri quoque, ut iram Altiſſimi placarent, cultris, & ſtylis ferreis lancinabant, pungebant, & lacerabant brachia. Unde in tertio Regum dicitur: *Incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſangvine.* Non abſimilis conſvetudo Corybantum fuit, in feſtivitatibus Deæ Cybeles: dum ante currum à jumentis tractum ambularent: ſupra quem petra ingens erat & acuta: cujus figuram videre licet apud Cattarum, prout Martianus docet, & Svidas. De fæmina quadam ſacrificante inquit Tybullus:

Cap. 18.

Tybullus.

Ipſa bipenne ſuos cedit violenta lacertos,
Sangvineque effuſo ſpargit inepta Deam.

Hanc veritatem Prudentius in hymno S. Romani authoritate ſua corroborat, dicendo:

Sunt ſacra, quando vos ipſi exciditis,
Votivus & cum membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertos erexit phanaticus,
Sectisque matrem brachiis placat Deam.

Copioſiſſimus in hoc genere P. Sanchez eſt, prout vir doctiſſimus Pintus refert. Sed hæc cruenta, & barbarica ſacrificia Deus noſter non ambit; potius hortatur per pſalmiſtam: *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua.*

Spicileg. Sacrum. Tract. 1. c. 34. num. 9.

Non ejusdem menſuræ brachia apud omnes ſunt: ſed ſicut Anatomia docet, ii, quibus brachia oblonga ſunt, ad genua ipſa pertingentia, fortes plerumque, & audaces ſunt. De Rege Aſſuero Hiſtoriographi pene omnes confirmant, eum dexteram viſibiliter longiorem ſiniſtrâ habuiſſe. Idem meminit de Thrace quodam nomine Studioſo Plinius, qui in Ludis Cæſareis id palam dedit. Obſervatum fuit in Gregorio Caſtriotto, aut invictiſſimo Scanderbecco, quod in brachio ſuo effigiem geſſerit acinacis, unde hoc ipſum tam valenter rotavit, tam ferociter hoc brachio amputavit. Fortiſſimus brachio erat vir generoſiſſimus David, propter quod in funda & lapide tam valoroſè frontem Gigantis monſtruoſi Goliath cecîdit: qui etiam de ſemetipſo fatetur: *Veniebat leo, & arripiebam mentum, & ſuffocabam eos.* Huic par erat Lyſimachus qui violenta manu vivo leoni lingvam è faucibus evulſit. Sic Milo Crotoniates, ſiquidem pugno ſuo pomum tenuiſſet, aut rem aliam, non erat qui illam ei è manu tolleret: idem vir bovem pugno mactabat. Nota eſt fortitudo Samſonis, & ſimilium: ut non memorem Nemrodum, Titormum, Polydamantem, Starcaterum, & hujuſcemodi alios. Paulus Diaconus de Cuniberto Rege Longobardorum recenſet, quod ambabus manibus & brachiis duo ponderoſiſſima animalia levârit, quæ alius nemo ne de terra quidem movere potuiſſet.

Lib. 21. c. 14.

Fortes brachiis.

1. Reg. 17.

Curtius officina hiſtorica Aſtolfi.

Hiſt. Longobard. lib. 5. c. 40.

Ut vero de brachio ad manus deſcendamus, myſticus ſe mihi ſenſus inprimis offert: manus videlicet Principis, miniſter ejus dicitur: hæc enim præcipuum capiti & corpori adjumentum miniſtrat; cibat enim illud, & veſtit, & omne opus pro utilitate illius perficit: Hæc manus item à corde indiviſibilis eſt. Sic Principum miniſtri in viſceribus dilectionis ſunt. Idcirco etiam infelix Ponti Incola, Helenam ſic loquentem in Epiſtola ſua ad Paridem introducit:

Miniſtri principum ejusdem manus ſunt.

Sic meus hinc vir abeſt, ut me cuſtodiat abſens.
An neſcis longas Regibus eſſe manus?

Claudianus item commendando Patrem Stiliconis, ſic ajebat:

De laudibus Stiliconis.

- - - Cujus pro ducere famam
Si nihil egiſſet clarum, nec fida Valenti
Dextera duxiſſet rutilantes crinibus alas,
Sufficeret natus Stilico.

Martialis item per jocum Matronæ cujusdam catellum, dextram illius appellat:

lib. 11. Epigr. 70.

Lydia dicebat Dominæ fidiſſima dextra,
Qui non Erygones mallet habere canem.

Sublevavit ſe conſimili argumento, ſed multò ſublimius S. Paulinus, dum ait: *Ut ſimus dextra ejusdem, qui totus dextera eſt, non habentes in actibus noſtris ſiniſtram, ut ad dexterum ejusdem Judicis eſſe mereamur.* Supra Pſalmum Davidicum pater Pintus hanc expoſitionem habet: *Impiorum dextera ſervit: militat iniquitati tanquam fidiſſima comes: & tanquam dextra dexterrima ſollicita illius auxiliatrix;* felicius adjutorium divinum exponit Regius Propheta ubi ait: *Cadent à latore tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Veruntamen oculis tuis conſiderabis, & retributionem*

In Ep. virtutis ſtud. commend.

Pſ. 143.

Spicileg. ſacr. tract. 1. c. 37. n. 17.

Pſ. 9.

peccatorum videbis. Ubi dextræ commemoratio fit, in promptu adjutorium eſt. Dicitur *à dextris*: ſcilicet (prout præfatus Pintus inquit) *fideliſſimis cuſtodibus, & miniſtris:* unde & in ſenſu ſacro manifeſtè apparet, per manum dextram miniſtros ſignificari.

De miniſtro, ad Principem tranſeamus: ubi illud occurrit olim æquè ac modernis temporibus uſitatum fuiſſe, ut ubi ſe occaſio tulerit, qui major eſt, manu ſua ſilentium cæteris imperet. Dixit hoc inprimis Perſius, *Satyra 4.*

Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ
Majeſtate manus.

Lucanus item de Julio loquens ajebat:

Componit vultum, dextraque ſilentia juſſit.

Cap. 19. Sic Tiraquel ad librum ſecundum Alexandri commentatus eſt, ubi famoſus Scriptor ille inquit: *Etiam in dextera magnam viro ineſſe authoritatem, majeſtatemque hoc argumento notari, quod tumultuantem multitudinem dextera compeſcimus, aut indicere ſilentium, pacemque manu portenta afferre ſignificamus.* *Lib. 1. Sil.* Sic Statius: *Dextera vetat pugnas.* Inde etiam locus iſte, quo in actibus Apoſtolicis in medio Synagogæ de Apoſtolo Paulo dicitur: *Surgens Paulus,* *Actor. 13.* *& manu ſilentium indicens:* Sic Pintus commentatur: *manus prædicat majeſtatem.* Nec ſine ratione Author hic majeſtatem manui attribuit, alibi etenim obſervat, Principes quoſdam arrogantes, & jactatores, manui dextræ ſuæ titulum omnipotentiæ & divinitatis adſcripſiſſe. Hinc ruina Nabuchodonoſor Regis prophetata fuit per Habacuc: *Tunc mutabitur Spiritus, & pertranſibit, & corruet, hæc eſt fortitudo ejus Dei ſui:* ubi Sanchez commentatur: *Dexteræ ſuæ robori, tanquam divino omnia tribuiſſe.* De hac potentia Regina Eſther lamentabatur, quod nimirum barbara gens extorſionibus inauditis populum ſuum *Eſth. 14.* affligeret: *Et nunc non ſufficit, quod duriſſima nos opprimunt ſervitute, ſed robur manuum ſuarum Idolorum potentiæ deputantes, volunt tua mutare promiſſa.* Hinc Statius verba Aſſentatoris cujusdam *Lib. 10. Theb. 6.* erga Principem ſuum notat:

- - Ades mihi dextera tantum!
Tu præſes bellis, & inevitabile Numen,
Te voco, te ſolum ſuperum contemptor adoro.

Ex hoc mos oſculandi manus derivavit, eandemque *L. C.* extendendi, prout vult Alexander, qui ait: *Legimus quoque victrices dexteras Imperatorum ob fortia facinora milites deoſculari apud Romanos patrii moris fuiſſe, pedes verò nunquam.* De hoc copioſus Plutarchus eſt in Uticenſe.

Signum doloris imponere capiti ſuo manus.

Rurſum alibi inveniſſe memini, præter id, quod diximus, in ſignum doloris percuſſionem brachiorum uſurpatam fuiſſe, ſimul illud inveterata inter antiquos conſvetudine viguiſſe, ut in anguſtiis capiti ſuo manus imponerent. Sic dum Thamar violenter oppreſſa, & poſt ſtuprum in plateas ejecta eſſet, *2. Reg. 13.* Scriptura inquit: *Impoſitis manibus ſuper caput ſuum ibat.* Commentatur ſuper hoc Sanchez, hunc videlicet geſtum naturali ſigno attribuendum eſſe, cum & pueri idipſum conſveverint. Uſum hunc nihilominus ab antiquitate derivare confirmat Euripides, *Sep. ad Theb.* illic ubi Helenam introducit dolentem: *Vocem quidem, vocem Græcia reſonantem edidit ululans, & ſuper caput manus poſuit: unguibusque teneras genas cruentat mortalibus plagis.* Sunt inter Authores non pauci, qui hoc de capitis percuſſione intelligunt: *In Ajace.* unde Æſchylus: *movet circa caput manuum pugnum.* *In Phœniſſis.* Sophocles: *Et ubi cædis plenam vidi domum, pulſans caput exclamavi.* Rurſum Euripides: *Extollite, extollite ejulatum, & candidarum manuum ictus in caput.*

Imponere manum capiti apud Hebræos ſignum mortis erat, apud Chriſtianos ſignum vitæ eſt.

Ut verò compertum fiat, quantoperè Chriſtianorum ritus Altiſſimo acceptabiles ſint, quantopere diverſi à ritibus Hebræorum (qui jam rejecti, & aboliti ſunt,) cùm hîc de manuum ſupra caput impoſitione tractemus, non abs re futurum arbitror, ſiquidem palam dedero, ſub Moſaica lege manum alteri, aut ſibimetipſi imponere ſignum mortis, & perditionis fuiſſe: poſt legem verò Chriſti, ſignum vitæ & ſalutis factum eſt. Lex erat in Levitico, ubi lapidandus quis erat, qui lapidaturi eſſent, manum reo imponerent, & poſthæc percuterent. *Levit. 14.* His Lyranus adjungit, dixiſſe quemlibet ferientium: *In hunc Locum.* *malitia tua te adduxit ad mortem, non nos.*

Senes illi criminantes Suſannam, prout in Daniele *Cap. 13.* Propheta legimus, *conſurgentes adverſus eam, poſuerunt manus ſuas ſuper caput ejus.* Præcipit in Deu- *Cap. 17.* teronomio Deus, facto homicidio, nec invento homicida, manus victimæ, ad divinam juſtitiam placandam immolandæ imponi debere. In eodem Levitico dum hircus emiſſarius dimittendus eſſet, ſacerdoti præcipitur, ut poſt improperia facta utramque capiti ejus manum imponat. Sic Giraldus in ſyntagmalibus ſuis recenſet, idem uſurpatum fuiſſe ab Ægyptiis, in ſolennioribus victimis, pro ſalute univerſitatis Numini immolandis. Intendentes per hoc, ut ſiquidem quid funeſti per decurſum anni accideret, idipſum in caput victimæ hujus devolveretur: poſthæc per medium ſectam in flumen dejiciebant: tanto ſtolidiores, quanto magis talibus Idolomaniis addicti. Sit nihilominus veræ religioni debitus honor ſuus.

Hic ritus tamen etiam tum quidem temporis, cum ritus comminatorius eſſet inter paganos, miteſcere, & in melius degenerare cœpit: Patroni enim cum *Libertas.* mancipia ſua, jucundiſſimo dono libertatis præmiaturi eſſent, in publicum productis, manus imponebant, ac ſic liberos à ſe dimittebant; quæ cærimonia deinceps *manumiſſio* dicta eſt. Voluerunt præterea *Majeſtas Regia.* hunc actum Regiæ majeſtatis ſymbolum eſſe. Hinc Livius ait, Numam initiatum ſacerdotio magno, *Decad. lib. 1.* ejusdem confirmationem à Duumviro per impoſitionem manuum accepiſſe.

Proinde nunc per univerſum mundum pro ſigno ſalutis, & dignitatis, & miniſterii ſacri, impoſitio manuum acceptatur. Quod totum in iis liquido apparet, quibus initatio ſacrorum ordinum ab Eccleſia tribuitur; conſvetudine omninò ſancta, quippe quæ ab Apoſtolico Collegio initium ſuum deſumpſit; primùm quidem in iis, qui numero ſeptem ad Diaconatum Eccleſiæ præſtituti erant, ſupra quos oratione facta manus imponebantur. Secundum S. Chryſoſtomum Paulus quoque & Barnabas priusquam ad miniſterium Apoſtolatus admiſſi eſſent, per impoſitionem manuum Epiſcopi ordinati ſunt; & vas illud Electionis nomen Saulis in Paulum transmutavit. Ut verò ad principium noſtrum tranſeam: Redemptor noſter à Centurione rogabatur, ut infirmo manum imponeret, & continuo eum ſanum futurum. Hinc *Marc. 7.* promiſſio ejus verificata eſt: *Super ægros manus im-* *Marc. 16.* *ponent, & bene habebunt.* Sic pro lunatico illo domeſtici Jeſum precabantur, ut ei manus imponeret, quippe qui male à dæmonio torquebatur. Ad declarandam quoque puriſſimam innocentiam, divina *Matth. 19.* illa bonitas manum ſupra pueros imponebat, ſignoque cæleſtis benedictionis ſuæ eosdem ſanabat: unde piiſſima patrum matrumque conſvetudo derivavit, ut ad conſequendam filiorum ſuorum ſalutem, eosdem faſciis adhuc involutos ad ſeniores ſacerdotum apportent, qui impoſita manu capiti, ſupernam eis benedictionem implorent. Si quis vitas Sanctorum

Patrum

Patrum evolverit, inveniet impoſitione manuum *4. Reg. 5.* complures ægritudines curatas eſſe. In quarto Regum de Naaman Syro legimus, quod conſilium Heliſæi Prophetæ indignabundus ſuſceperit, quo videlicet ſeptena ei in Jordane flumine lotio præcipiebatur; ſperaverat enim Prophetam adfuturum, ſibique manum impoſiturum, ac ſic à lepra ſe redimendum. *Actor. 8.* Evolventi Apoſtolica Acta, & illud occurret, quod Apoſtoli his, qui baptiſmum in Samaria ſuſcipiebant, ad obtinendum Spiritum Sanctum, manus impoſuerint. Sacramentum itidem confirmationis, denominationem ſuam ab impoſitione manuum adeptum eſt; per manum etenim frons ungitur, & ejusdem manus tactu Chriſti miles ſtabilitur & ſoli- *Actus reconliationis.* datur. Porrò manus impoſitio olim reconciliationis divinæ ſignum erat: unde de primitivæ Eccleſiæ Pœnitentiariis legimus, quod pœnitente jam abſo- *Gloſſa in cap. manus impoſitio.* luto, capiti ejus manus impoſuerint: Sic in Cæremoniali Baptiſmi continetur. Actio hæc ſalutaris eſt, ab iis uſurpata, qui benedictiones diſpertiuntur.

Plura hic dicenda occurrerent, de extenſione, de elevatione, & porrectione manuum; quorum rituum exteræ nationes, imo & barbaræ gentes conſvetudinem tenuerunt: ſed cum propoſitum mihi ſit, cum omni brevitate lectorem erudire, quantumcunque potero, in compendium quæ dicenda ſunt, redigam. Levavit ſacratiſſimas manus ſuas Redemptor noſter (prout S. Lucas meminit) cum in cælum aſcenderet, idque in conſpectu diſcipulorum ſuorum, *Exod. 17. Levit. 9.* diviniſſimæque Matris ſuæ, dicitur enim: *elevatis manibus, benedixit eis, & ferebatur in cælum.* Pari modo de Aarone, ſicut & de Moyſe habetur, quod cum oraturi eſſent, manus ſuas extollerent. Unde manifeſtum eſt hunc actum ſymbolum fuiſſe orati- *Lib. 6. de Mundo.* onis. Sic Apulejus inquit, actum hunc naturalem eſſe, tandemque ita concludit: *habitus orantium hic eſt, ut manibus extenſis ad cælum precemur.* Hanc *Lib. 4. Vit. Con. 28. lib. 3. c. 3.* legem etiam inter paganos olim Conſtantinus Imperator ſtabilivit, ut nemini licitum eſſet, precari aliter; volens præterea in hujuscemodi geſtu imagines ſuæ depingerentur. Actio naturalis eſt, ut ſi quis in periculum inciderit, manus ſuas extendat, & ſubſi- *Ex theatro. lit. Manus.* dium ſibi à vicinia imploret. Recenſet Prudentius de quibusdam martyribus, quod appropinquante martyrio, in formam crucifixi manus expanderint, hoc geſtu ſignificantes, quantopere de primogenito martyrum omnium ſibi cælitus implorarent auxilium. Ad hoc propoſitum ſententia quædam S. Clementis Alexandrini mihi aptiſſima videtur, ubi ait: *Caput & manus ad cælum extendimus, pedes excitamus, in ultima acclamatione orationis: promptitudine & alacritate ſpiritus aſſequentes eſſentiam, quæ appprehenditur intelligentia: & unà cum verbo corpus à terra educere conantes, erectam & elevatam animam deſiderio meliore, cogimus in ſancta progredi; magno animo corporis vinculum deſpicientes.*

Potentia. Erat proinde manuum diſtenſio, ſignum potentiæ, & Imperii, ſignum item, quod opus quoddam felicem ſortiretur progreſſum. Sic de Herode dici- *Actor. 12.* tur: *Miſit Rex manus, ut affligeret quosdam de Ec-* *Humanitas.* *cleſia.* Salomon item de muliere forti inquit: *Manum ſuam miſit ad fortia.* Per manum quendam apprehendere, indicium humanitatis erat, & bene- *Lib. 1. Serm. Sat. 9.* volentiæ: ſic in Horatio legimus:

Occurrit notus quidam de nomine tantum,
Arreptaque manu: quid agis, dulciſſime, rerum?

Hæc actio inter nos quoque civilitatis eſt. Hunc morem etiam Abſalom, benevolentia ficta, obſervavit cum iis, qui ad regale palatium accedebant, ut omnium ſibi corda devinciret. Cum hac præterea actione Romani olim pacta ſua, pacemque conſo- *Fides reciproca.* lidabant, prout Xenophon ſentit, & Julius Cæſar, *In Cyroped. Lib. 6. lib. 7. de bell. Gallico* & Plutarchus. Hinc M. Varro apud Callimachum *Plutar. in Othone.* ajebat: *Omnis veterum authoritas dexteræ manus conſtat virtute.* Perſæ non minus, cum inter ſe vel conventiones, vel pacta ſancienda eſſent, ſibi invicem dextras præbebant, & incatenabant, referente *Varro. lib. 5. cap. 3.* idipſum Diodoro. Hunc morem quoque Hircani obſervabant, & Medi juxta Alexandrum.

In hac cæremonia potiſſimum Parthi eminuerunt, dum ante altèria ſua proſtrati, deos ſuos, tanquam fidei datæ ſponſores invocabant. Numa Pompilius *Manus dextera conſecratur fidei.* ſancivit, ut dextra manus ſimulacro fidei ſacra eſſet: propter quod & ſacrificium illi omnino ſingulare inſtituit, volens, ut ſacerdotes, vel flamines, illuc curru in arcum incurvato conducerentur: de quo memoratus Alexander mentionem habet. Ex hoc fonte eſt, quod Virgilius inquit: *Coëant in fœdera dextræ.* Erat item hæc elevatio dexteræ, aut ejusdem porrectio (prout hodie quoque uſus obtinuit) ſignum datæ licentiæ ad exequendam rem quampiam. Quemadmodum de Artaxerxe legitur, quod inter- *Signum permiſſionis datæ.* rogatus à Mithridate Ariobarzanis fratre, an ſibi Datamenem jugulare liceret, ille manu ei porrecta, omnem agendi libertatem conceſſerit, prout Probus *In Datam.* meminit. Signum præter hæc ſalutis erat, & reconciliationis. Ob quod (referente præmemorato Alexandro) Marius, qui propter delictum publicum, cum ſeveritate inſolita Romanos premebat, omni- *Salutatio.* bus, quoscunque ſalutare, contendebat, manum dextram præbebat; prout hodie quoque conſvetudo eſt. Progenitores noſtri, usque adeo cæremonioſi, *Lib. 5. c. 24.* non contenti, ut ſe à ſede ſua levarent, frontemque oſcularentur, prout ſupra relatum eſt, quin etiam præfatus Alexander docet, dexteras ſibi junxiſſe: Id quod inter amicos, & maximè familiares hodie adhuc in more naturali poſitum eſt.

Manus inſuper dextra à Sanctis Patribus pro demonſtratione honoris, & gloriæ ſumitur: unde in Pſalmis promiſſio æterni patris ad filium ſuum unigenitum habetur: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* *Pſal. 109.* Volunt item per hanc dexteram ardentiſſimum affectum Dei erga animam humanam indicari, idque de verbis Cantici deducunt: *Dextera illius amplexabitur me.* Rurſum ineffabiles illas Paradyſi delicias denotat, de quibus illud eſt: *Et delectationes in dextera tua usque in finem.* Hæc eadem dextera beatitudo æterna per Salomonem exprimitur, ubi inquit: *Longitudo dierum in dextera* *Proverb. 4.* *illius, & in ſiniſtra divitiæ, & gloria.* Per hanc dextram denique prudentia & honeſtas intelligitur, prout in Salomone legimus: *Cor ſapientis in dextera* *Eccl. 10.* *ejus, & cor ſtulti in ſiniſtra illius.* Quamvis S. Hieronymus ſapientem dicat cor ſuum in dextra gerere: nihilominus idipſum quoque vaticinio quodam prædixiſſe videtur Virgilius, cum de Æneæ itinere inquit:

Dextera quæ magni Ditis ſub mœnia ducit,
Hac iter Elyſeum nobis. Sed læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.

Antiquitus (more noſtro) deambulantibus manus *Præcedentia vel Prælatio.* dexteræ prælationis & præcedentiæ ſignum erat: quamvis Xenophon referat, Perſas lævam prætuliſſe: unde Cyrus ejus ſic inquit: *De Cyroped.* *Principem, quos ad cænam vocaverat, non fortuitò collocaſſe, ſed quem ma-* *Siniſtra honoratior.* *ximè amabat, illum ad ſiniſtram ſuam ſedere voluiſſe, tanquam hæc magis obnoxia ſit inſidiis, quàm dextera.* *In Annotat. ad 50. ſcripta Loca. c. 16.* Notat Antonius Nebriſſenſis, à quampluri- *Lib. 2. Ep. Ep. 16.* mis nationibus uſu jam receptum eſſe, ut duobus invicem ambulantibus, qui eorum honoratior ſit,

ſiniſtram

ſiniſtram teneat, quod inter nos non mediocris inurbanitatis eſſet. Hinc Petrus Damianus obſervat *[Ad Deſid. Abb.]* B. Apoſtolo Petro principatus honorem non diminui, dum ad Pauli lævam collocatus, vel ſculptus, vel pictus cernitur, intuendo in præfatam illam antiquorum conſvetudinem.

[Abſtergere manus ſuas pane.] Curioſiſſimum mihi videtur, ideoque memoria dignum, quod de Perſarum antiqua conſvetudine refertur, qui antequam pro more ſuo menſæ accumberent, in vicem aquæ, qua manus ſibi lavarent, panem adhibebant, quo ſibi digitos, manusque fricabant, & abſtergebant; eodemque pane loco lintei, vel mappulæ utebantur. Unde eſt, quod Xenophon *[In Cyroped.]* recenſet, Cyrum ab avo ſuo Aſtyage ad menſam invitatum, ne manu quidem cibum ſibi appoſitum contingere voluiſſe: interrogatum de abſtinentia hac voluntaria, & ejusdem cauſa, reſpondiſſe: *Te quoque hæc lenocinia video aſpernari (o Ave!) nam quando panem attigiſti, manum uti puram non abſtergis: at contactu embammatum, & à pomagdatio pane, & mappa, digitos manumque totam veluti coinquinatam purgas.*

[Svetonius.] Quod ad geſticulationem manuum attinet, de Tyberio refertur, parcum verbis fuiſſe, nullius omnino, [Supplicatio] aut ſaltem modici geſtûs. Levare manus ad cælum, ſicut & easdem extendere actus ſupplicantium erat, *[Lib. 2. c. 10.]* referente Alexandro. Hinc meminit Petrus Victor *[Lib. 12. var. lect. cap. 23.]* de quibusdam Caji Flaminii militibus: *Qui victi in Actio in lacum ſe conjecerant, ac eousque altitudo ipſius patiebatur progreſſi ſunt: Cum equites hoſtium eos ingreſſos viderent, exitiumque appropinquare, manus ex aqua exerentes, ac tendentes, vocibus etiam precantes, ut vita ſua parcerent; aut trucidati ab ipſis ſunt, aut mutuis ſe vulneribus, diffidentes ſaluti, confecerunt.* Virgilius de Turno loquens, ſic ait: *[Æneid. 12.]*

Ille humilis
Supplexque oculos dextramque precantem
Protendens.

Et paulò poſt:
- - viciſti, & victum tendere palmas
Auſonii vidêre.

[Feſtinatio vel fuga.] Dimittere, & deorſum vertere manus ſignum erat fugientis, aut ejus, qui in negotio quodam feſtinabundus erat: Sic Ariſtoteles in quarto Ethicorum *[In Epidico.]* habet, ſicut & Plautus. Hinc de Catone refert Plu- *[In Apopht.]* tarchus, *quod oderat militem, qui in ambulando manus, & in bellando moveat pedes.* Occultare manum, præter id, quod de tepiditate in dicendo rela- *[In Charitibus.]* tum eſt, ſignum item avaritiæ erat: hinc Theocritus: *Tenues, & ad largiendum pigri, manum in ſinu habent.* [Salutatio, nutus, & ſaltatio vel choræ.] Non minus præmemorato illo acceptum erit, noſſe quam originem, & ſalutatio, & nutus, & choræ habeant: hæc enim omnia primum ſui ortum à neceſſitate, & afflictione duxiſſe apparebit: ita quidem ea, quæ plena ſunt vanitatis & diſſolutionis, annexas ſibi habent amariſſimas paſſiones & dolores. *[Lib. 5. c. 3.]* Refert Cælius Rhodiginus, quod inter alias ſummæ ſeveritatis, & tyrannidis, actiones, quibus Hiero Syracuſorum Princeps, ſubjectum ſibi populum oppreſſit, & hæc non minima erat, qua vetitum erat ſeveriſſime, ne ſibi invicem alter alteri confabularetur: unde concludit: *quæ verò neceſſaria forent, pedum, manuum, oculorum nutibus, indiciisque juſſit petere: unde mox ſaltationis exortum peperit neceſſitas:* Ecce de quibus principiis & neceſſitatibus defluxit, ut pro tyranni voluntate adimplenda, ars pantomimica inventa fuerit, quod perinde eſt, ac ſcurram agere inter extorſiones, & planctus afflictionis. [Naturale poculum cauſa manus.] Laudat S. Hieronymus quosdam, qui dona & inventiones ab arte emendicatas dedignando, palam fecerunt, qualiter natura per ſeipſam dives, neceſſitatibus ſuis ſubvenire poſſit, quippe qui manu cava, pro poculo uti voluerunt. Dignis hoc encomiis celebrat præfatus Sanctus in vita S. Pauli primi Eremitarum. Sic apud Laërtium legitur, quod Diogenes *[Ex Laërtio in vita ipſius.]* cum vidiſſet hominem, cava manu loco ſcyphi potantem, ſcutellam ligneam qua uti conſveverat protinus abjecerit, dicendo: *Neſciebam quod natura haberet poculum.* Hoc eleganter admodum Calphurnius expreſſit:

Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit.

Per hunc actum experiri Altiſſimus Gedeonis exercitum voluit, eos electurus, qui contra Madianitas pugnaturi eſſent. Sic Svetonius commemorat olim *[Iud. 7.]* ad ſupplicium mortis damnatos ad potandum fæculentas aquas conſtrictos fuiſſe, ut tanto majus eſſet morientibus tormentum: quod Darius, aliique ſuperbiſſimi Principes feciſſe leguntur.

Rurſum apud Principes nonnullos manus olim ſignum erat remunerationis jam adeptæ. Unde illud *[Lib. 9.]* eſt, quod Cromerus de Zeliſſao Duce intrepido refert, eum dimicando fortiter pro Boleslao hujus nominis tertio, Rege Poloniæ, dexteram perdidiſſe, quam ei hoſtile ferrum abſtulerat (inimici Moravi erant) in præmium autem rei benè geſtæ, & recepti vulneris, brachium aureum dono habuiſſe.

Præter id, quod jam de oſculatione manuum in *[De ſalutatione rurſum.]* ſignum ſalutationis dictum eſt, de Ulyſſe Homerus commemorat, quod in teſſeram amoris ſervis ſuis blandiendo, non ſolum in capite eos, aut in fronte, ſed in manibus quoque oſculatus fuerit. Sabellicus *[Lib. 5. c. 5.]* etiam de M. Livio & Nerone conſulibus refert, cum feliciter in Hannibalem expeditionem feciſſent, & in cruento prælio propè flumen Metaurum feliciter dimicaſſent, plenos victoria Romam decreto patrum rediiſſe: & quod *eos univerſa multitudo non ſolum ſalutaverit, ſed dexteras etiam victrices, quæ Romano populo ſalutem peperiſſent, certatim oſculati ſint cives.* Hinc Seneca: *Hos ego deprehendam alienorum ſervo-* *[De Nerone.]* *rum oſculantes manum.* Et Cornelius Tacitus: *Ad genua ipſius advolvi, & dexteram ipſius fatigare oſculis.* Refert doctiſſimus Bejerlinch morem penè *[In theat. vit. hum. lit. 9.]* omnium Nationum fuiſſe, ut in fine literarum, pro demonſtratione ſubmiſſionis & reverentiæ, hæc verba adjungerentur: *Oſculor tibi manus.* De qua conſvetudine fuſius Cartagenas. *[Lib. 6. hom. 6. De arcanis Deiparæ.]*

Lyranus item ait: Idololatras adorantes ſolem, & lunam, his ſideribus acceptum credidiſſe, ſiquidem manus attollerent: atque easdem ſibimetipſis oſcularentur: credentes id ſideribus ſe feciſſe. Ad hoc alludere Job videtur, dum ait: *Si oſculatus ſum manum meam ore meo: ſi vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè.* Supra quod Pinedas commentatur: *Si,* inquit, *Solis aut Lunæ fulgos me in aliquem errorem deduxerit, ut putaverim divinum aliquod Numen ineſſe illis, atque is error me in externum aliquem adorandi ritum impulerit, ut manum ad cælum verſus porrigens, ſtatim reverenter ad oſculum referrem: atque hac cærimonia, quantùm in me eſſet veri Dei divinitatem aufferrem.* Concludit poſthæc Cartagenas: *Ecce prophana veſtra ſalutatio oſculandi manus, non aliud, quàm Idololatriæ primordium habet.* Meminit Plautus conſvetudinis hujus oſculandarum manuum, dum ait: *Hecaſtor quidem te certo* *[In Amphit.]* *heri hic advenientem illico & ſalutavi. Valuiſſesne exquiſivi ſimul mi vir, & manum prehendi, & oſculum retuli tibi.* Paucis verbis hunc morem ſic Vir- *[Æneid. lib. 7.]* gilius exponit:

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.

Sic Valerius Maximus recenſet, quod quidam *[Lib. 5. c. 5.]*

militum ad intuitum Scipionis Affricani admiſſi (cujus inclytum nomen orbem univerſum adimpleverat) de tam felici conſpectu lætabundi, præter dona largiſſima, multoties contrectata ejusdem, & oſculata victrici manu, tandem domum ſuam diſceſſerint. Ego interim præſens capitulum, de hiſtoriis, ritibus, obſervationibus, & conſvetudinibus concludo: illud mihi reſervans, ut in appendicibus tibi cibos alios ſubminiſtrem, mi Lector, ſiquidem tales invenero: interim tibi ego quoque, ne à more antiquorum receſſiſſe videar, pro debito honore & reverentia, in demonſtrationem honoris & obſequii tibi manus tuas deoſculor, tranſeundo ad

PRODIGIA.

HEtruſcorum Regi Porſenæ, oſibdenti Romam, prodigio plenum videbatur, & ſupra hominum naturam, id quod M. Scævola, actu verè heroico, & intrepido fecit, dum pro caſtigatione dexteræ ſuæ, quæ in feriendo erraverat, eam flammis ſacrificaverit, torrendamque ſupra carbones, ante regem tempore hybernali accenſos, expoſuerit: Itaque Rex pavefactus novo valoris & inaudito exemplo, continuo obſidionem levari juſſit. Actio enimverò omninò portentoſa erat, non negandum, ſed quæ nil niſi humanum habet. Illud admirabile magis, æternaque conſideratione dignum, quod meritò pavorem, & timorem ingerat, cum per Dei omnipotentis dexteram rebelles animæ, divinisque præceptis immorigeræ caſtgiatæ ſunt, iis nos commonefaciens pejus aliquid accidere nobis poſſe, ſiquidem à recto tramite diſceſſerimus. Viderer mihi in tractatu hoc eximiam omiſiſſe partem, ſiquidem earum rerum, quas in genere hoc ſcriptas reperio, partem *[lib. 2. mirac. c. 11.]* aliquam huc referre neglexerim. Stupendum inprimis illud, quod Gregorius Turonenſis meminit: Agricola, inquit, auſu temerario, & præter fas dominico die glebas ſcindere, vel arare præſumpſerat: itaque junctis bobus, ad ſtivam manus extendit, ut aratrum ad culturam dirigeret: ſed divina caſtigatione evenit, ut exporrecta manus ſic ei ligno quod tractabat, cohæſerit, & unita fuerit, ut nulla inter utrumque diſparatio eſſet, idque cum convulſionibus, & doloribus atrociſſimis. Biennium in deplorabili ſtatu hoc exegit: dum armatus plenitudine fidei, ſe in Juliani Martyris Eccleſiam contulit, atque ibi fervidiſſime orans, & plures noctes vigilia tranſigens, tandem fatale ſignum delapſum vidit, manumque reſtitutam, ſeque priſtinæ ſanitati redditum: Is ergò, qui Dominico die prophanato deliquerat, eodem dominico, ſpectante populo, convaluit.

[Sur. Tom. 5. Septemb. 13. cap. 17. & 18.] Non abſimile huic eſt, quod in Actis S. Maurelii reperitur: Avarus quidam & ipſe feſtivo die aratrum ducere deſtinarat, ſtivamque apprehenderat; ſed lignum manui cohæſit, ita ut quinquemeſtri temporis ſpatio diris torminibus, & ſpaſimis configeretur. Recurrit miſerculus ſic ad pedes Sancti Maurelii Andegavenſis Epiſcopi, calamitatem ſuam exponens; qui proinde commiſeratione motus, lignum illud prodigioſa manu contingens, manum patientis *[lib. 1. de gloria Martyrum cap. 15. Lippom. Tom. 6.]* reſtituit. Rurſum S. Gregorius Turonenſis de muliere quadam commemorat, quæ in ſuburbio Civitatis Turonenſis commorata, panem domi ſuæ Dominico die elaborabat, partemque illius ſubcinericiam coquere volens, pro more ſolito ardentes ſemovere carbones cœpit, ſed ſine mora brachium manumque dextram repentino ſenſit igne corripi, & exareſcere: Illa verò congemiſcens malo ſuo, ad Eccleſiam S. Joanni Præcurſori ſacram ſe contulit, votum voyens ſe deinceps nunquam feſtivo die operi manum vacaturam, nec niſi lingva ſua, ad orandum uſuram: Cereum deinceps in altitudinem ſtaturæ ſuæ fieri curans, ſubſequente nocte eum manu malè adhuc dum affecta accenſum tenuit, viva fide armata, idque tamdiu donec totus conſumptus eſſet, quo facto ſanitatem deſideratam recuperavit.

Nec rurſum ab eo plurimum differt, quod Surius de *[In Vitâ S. Auſtregeſilai.]* molitore quodam meminit, cui nomen Monulphus. Hic in feſto die ferramentum grave auſus ad molarem lapidem accommodandum arripere, divina ultione correptus, ſenſit ferrum usque adeo (ſicut ſimile ſupra memoratum eſt) manui ſuæ aduniri, & colligari, ut nulla ope ab eodem illam avellere poſſet; quin & digiti copioſo ſangvine effuſo, cum dolore incredibili pauperculi hujus ad putredinem vergebant. Tandem de delicto ſuo pœnitens feſtinus ſe ad Sanctum Auſtregeſilaum contulit, remedium malo ſuo deprecatus: nec id fruſtraneum fuit: Sanctus enim miraculoſa & prodigioſa manu ſua, male affectam manum dolentis contingens, priori bonæ valetudini eam reſtituit.

Nec minus illud miraculo plenum eſt, quod Sul- *[lib. 2. Mirac. S. Martini cap. 57.]* pitius Severus recenſet. In die feſto glorioſiſſimi S. Joannis Baptiſtæ (inquit ille) cum plebs univerſa in templum ſe, ad Sancti hujus feſtivitatem celebrandam contuliſſet, ingensque multitudo pro miſſæ ſacrificio audiendo confluxiſſet: mulier quædam, immemor veræ religionis, bidentem atripuit, & in campum ſe, quamvis reaſus ſui admonita, contulit, ibidem neſcio quam meſſem expurgatura ab zizaniis, ſed contrarium omnino evenit: ſine mora enim ignis de cælo lapſus ei ambas manus cum facie excuſſit, ita ut inflatis puſtulis repleta immenſos pateretur ſaucitata cruciatus. Urebat miſeram non minus verecundia, & pudor: vidit enim ſe pœna hac eo adactam, ut ſcelus ſuum palam detegeret, quod in operto latitare crediderat. Sic igitur cum inſolito clamore, ad Eccleſiam ArchiEpiſcopi Martini ſe contulit, ubi quadrimeſtri ſpacio, commorata, nunquam pedes foras producens, tandem manui ſuæ, & vultui ſanitatem redintegratam vidit.

Tremendum non minus, & pietate plenum eſt, quod rurſum Gregorius Turonenſis commemorat. Celebrabatur, inquit, anniverſaria feſtiva dies glorioſæ mortis S. Aviti Abbatis Carnotenſis: cumque univerſa populi multitudo ad reliquias venerandas conflueret, quidam reprobus & excors, ſpreto ſacrificio, & functionibus ſacris, ſe ad vineam colendam contulit. A compluribus interim admonebatur, ut ab hoc ſervili opere, non debito tempore deſiſteret, aliorumque pietatem imitari vellet. Reſpondit ille: Quin & Sanctus Avitus vinitorem in vita egit, nec id mihi vitio vertet. Sed eventum ſiniſtrum temeritas habuit: cum convulſione etenim inaudita ſibi brachium luxavit, manumque totam ad tergum contortam ſenſit: unde etiam præter quod doloribus torquebatur, ſimul illud in pœnam habuit, quod monſtruoſum illi corpus eſſet. Recurrit miſer ad Templum præfati Sancti, elevata voce palam delictum ſuum confitendo, humillimeque reatus ſui remiſſionem implorando: cum deinceps in iisdem precibus perſeveraret, ad integritatem ſanitatis exauditus eſt.

Memoria item & veneratione dignum eſt, quod *[In vita S. Franciſci Cord. mirac.]* S. Bonaventura refert: contigiſſe nimirum in Galliæ partibus, & in viciniis Urbis Pictavienſis: ut homo

quidam Lignarius (poſthabito timore Domini & Sanctorum) quamvis feſtum diem glorioſiſſimi Patriarchæ S. Franciſci è pulpito annuntiatum à Parocho loci audiſſet, in cachinnum ſolutus, feſtivitatem diei exploſerit. Itaque arrepta bipenni in ſylvam lignatum abiit, ſed ecce (miremur effectum, magnamque miſerentis Dei vocem) ter illud repetitum audiit: *Feſtum eſt, operari non licet.* Ille verò temulento non abſimilis, indurata mente, & lucro infami obcæcatus, nil motus voce inſolita Dei admonentis, iteratis vicibùs lignum ſecat: ſed divina ultio è veſtigio ſubſecuta eſt, ferrum enim (ſicut ſupra) operantis manui cohæſit, & una cum illa ſic levabatur, ut incredibili labore & laſſitudine dejectus, ſtupefactus, & attonitus, de delicto ſuo verecundatus, à ſacerdotibus item, qui Eccleſiam Sancti frequentabant, acriter correptus, in eandem Eccleſiam conductus fuerit, atque illic pœnitentia ſalutari ductus, ter repetito voto ſe adſtrinxerit, nunquam ſe poſthac in feſto die manum operi ſervili applicaturum eſſe. Mirum illud interim fuit, quod voto facto digitus primùm unus ſolutus fuerit, eodem repetito, alter, donec vice tertia manus integra reſtituta eſt.

Ibidem. Finio hanc prodigiorum narrationem per eundem Sanctum Bonaventuram, qui adhuc de fæmina quadam memorat, quæ doloribus partus anguſtiata, cum jam morti vicina eſſet, ultimum periculo ſuo remedium credidit, ſi ſe glorioſiſſimo S. Franciſco commendaret: protinus igitur exaudita, ſine ulteriori dolore partum edidit. Sed ingrata illa tanti beneficii, more hominum peccatorum, immemor, cum vertente anno ejusdem Franciſci benefactoris ſui feſtus dies occurreret, non ſolum eum colere neglexit, ſed diem totum ſervili opere exegit. Condignam igitur tanta ingratitudine caſtigationem ſanctus demonſtrare volens, brachium ei dextrum ariditate, & rigiditate immobile reddidit, cumque illud ſiniſtro applicare vellet, illud quoque eandem pœnam incurrit: compuncta mulier, & pavore plena, ſine mora ſe in templum contulit, humi ſtrata, atque illic cum ſubmiſſione magna, continuatisque precibus inſiſtens, quod ingratitudine tanta & obſtinatione perdiderat, oratione recuperavit. Doceamur ex his, quantum ſoleat juſtus Dominus delinquentibus pœnam irrogare promeritam, quamque illud nobis inconcuſſum eſſe oporteat, ut ne feſtos dies prophanare audeamus.

NUMISMATA.

APud virum doctiſſimum Paradinum duæ manus inveniuntur monetam quandam Franciæ Regis continentes, cui hæc Epigraphe, in ambitu ſuo juncta erat: *Fortuna fidem mutata novavit.*



Fides & Dominium. Hæc moneta nihilominus per medium fracta erat, quam binæ manus conjungebant.

Hoc ſymbolum in memoriam ejus, quod Childerico quarto Regi Franciæ evenit, erectum eſt. Hic enim, cum per indignam generi ſuo actionem, quam incurrit, regno ſuo cedere cogeretur, ad hoc perſvaſus à Guimeo familiari ſuo intimo, in Thuringiam ſe recepit, ſumam ei rerum credens. In ſignum vero fidei recuperandi regni, & dominii, & in ſpem reſtituendi throni, redunandæq; dextræ, & potentiæ, arrepta aurea moneta, eam dimidiatam miniſtro dedit, alteram ſibi medietatem ipſe conſervans. Itaq; evenit, ut cum Guimeus rebelles ſubditos domuiſſet, Rex in regnum ſuum reſtitutus fuerit: factionis autem Princeps Grillius, à præ-

à præfato Guimeo juſtam perduellionis ſuæ pœnam occiſus tulit. Terribile exemplum iis, qui proditionis machinamenta fabricant. Sciendum enim è Platone eſt: *Nequaquam facile eſſe, ut qui multa aliis inferunt damna, ipſi non multa viciſſim ab alis patiantur.* [Epiſt. 8.]

Libertas. Claudius Cæſar nummum quendam cudit, qui à dextra ſui parte pileum, ab altera hominem demonſtrabat, manum habentem disjunctam perforatam, & omnino apertam: per quam ſiniſtra figurabatur. In ambitu hæc ſuperſcriptio erat: *Libertas Auguſta.* Itaque hoc velamento capitis, & hac manu in hanc formam compoſita ſignificari libertatem volebat: pileus enim ſemper ejusdem indicium fuit: nec enim ſervis fas erat operire caput, niſi libertate conſecuta: quod univerſum perforata manu figuratur. Verum enim eſt, quod Seneca ajebat: *Inæſtimabile bonum eſt, ſuum fieri.* [Epiſt. 79.] Et Diogenes: *Quod optimum inter homines eſt, libertas eſt.* [Apud Laërt. lib. 7.]

Felicitas in partu. Imperatrix Julia Pia, quæ utrique parientium dolorem atrociſſimum experta erat, ut parturientibus ad facilem prolis generationem felicitatem imploraret, monetam cudi imperavit, ubi Venus ſpectabatur regens ſiniſtra manu haſtam, & erecta ſtans, ut intrepiditatem & fortitudinem in ſuſtinendis doloribus neceſſariam indicaret, dexteram manum apertam cum extenſo brachio monſtrabat, ſubjunctis ſequentibus verbis: *Venus genitrix*: arbitrabantur enim Romani ſe per Æneam Veneri, quam illius matrem fuiſſe fabulati ſunt, primam ſui originem debere. [Ex Pierio l. 35. de manu.]

auxilium. Olim item Deæ Opis monſtrabatur ſimulacrum, (prout vir Doctiſſimus Pierius docet) manus gerens extenſas, per circumferentiam habens verba quæ ſequuntur: *Opem fero.* Jam illud nomen opis, quod idem eſt ac auxilium, cum proprietate multa *Terræ* tribuebatur: quippe quæ tantam mortalibus opem adfert. Juſtiſſima, ut reor, & omnibus numeris abſoluta eſt hæc proprietas: in quo item illud uſurpari poterit: *Homo homini Deus*: ſicut in proverbio dicitur. Atque illud eſt quod S. Ambroſius inquit: *Benevolentia facit, ut amici vulnera, quàm inimici oſcula utiliora ſint.* [1. De officiis.] Et Auguſtinus: *Nihil ſic probat amicum, ſicut amici oneris portatio.* [In lib. 83. q. c. 7.]

Pietas. Pietas tantopere Principibus neceſſaria ab Antonino Pio in moneta quadam inſinuata fuit, ubi virtus hæc excuſa cernebatur, quæ dexteram extendebat, cum ſiniſtra autem donum receptum ſupra altare collocabat. Lucius Cæſar eandem pietatis imaginem in nummo aureo repræſentabat, cum iisdem inſigniis, ſed cum hac Epigraphe: *Pietas.* Talis itidem moneta erat, quam Gordianus Pius excudi fecit, ubi ſimul perforatæ duæ manus, in cælumque elevatæ cernebantur, cum ſequenti inſcriptione: *Pietas Auguſti.* Nec mirum tamen, quod hi Principes virtutem pietatis tantopere celebrabant: eſt enim pretioſiſſima margarita, & theſaurus, quo meliorem alium ſcriniis ſuis & ærario continere, vel cordi ſuo inſerere non poſſunt: ait enim Eccleſia: *Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere:* [In Moral.] Sanctus Gregorius item: *Nulla eſt ſcientia ſi utilitatem pietatis non habet.* [Ex Eborenſi.] Sic S. Ambroſius: *Pietas omnium virtutum fundamentum eſt.*

Pacis Authores. Glorioſior utique victoria eſt, quæ ſine diſpendio ſangvinis, quam quæ cum ejusdem effuſione obtinetur: unde etiam qui talem impetrare adlaborant, Caduceatores & Pacificatores appellantur. Expreſſit hoc M. Cato Proprætor in moneta quadam, in qua Victoriæ imago ſedens cernebatur, quæ manum extendebat, ſolo pollice demiſſo: alludendo ad triumphum ſolo conſilio partum. Geſtus autem præfatus ſeſſionis res compoſitas jam tranquillasque denotat: & in hunc modum Pacificatores omnes exprimuntur. Sicut illud in ſtatua equeſtri Marci Aurelii apparebat, quæ olim in Lateranenſi Baſilica cernebatur. Erat item illic in alia moneta imago Alexandri Severi ſculpta, cum inſcriptione ſubſequenti: IMP. SEV. ALEXANDRI AUGUSTI, qui videbatur feſſa manu inniti haſtæ ſuæ, quam dextera tenebat, ſed cui palma & digiti langvidi, & demiſſi erant, ubi hæc ſolum vocula legebatur: *Reſtitutor.* [Reſtitutor.] In alio item nummo Gratiani manus cernebatur muliebris, quæ genui ſuo incubabat, juncta Epigraphe: *Reparatio Reipublicæ.* Æterna enimvero, non ſolum hac memoria memorata digni ſunt, quicunque ſe ad patriæ & urbis ſuæ commoda, & utilitates impendunt, talentumque ſuum exponunt, præſertim cum earum virtutum eis abundantiam procurant, quæ tantopere ad populorum felix Regimen, & neceſſariæ, & compendioſæ ſunt.

Ad ſignificandum præterea quantam fidei felicitatem pariat concordia, antiquitas ſagax in monetis binas imprimi manus fecit, ſibi invicem junctas, affigendo hanc ſententiam: FIDES EXERCITUUM: quandoque: FIDES ROMANORUM. [Concordia & fides.] In nummo item Imperatoris Hadriani Imago felicitatis erat, quæ manu una caduceum tenebat, altera effigiem Imperatoris, his verbis ſuperadditis: *Felicitas Auguſti.* [Felicitas.] Hic præterea, ut ſalutem ſuam exprimeret, in moneta quadam ſe ſculpi curavit, ita ut dexteram ſuam divinæ manui porrigeret, Altiſſimus autem ſedenti ſimilis erat, in baſi Epigraphe addita: ADVENTUS AUGUSTI. Nec in hoc à vero aberrabat: notum eſſe volens, quod viri Principes propter gradus & honoris ſui elevationem, Dei throno propiores ſint, vel ejusdem majeſtatem æmulentur.

Sed quia hic ſenſim in ſecundam operis hujus me introiſſe partem animadverto, quæ in eo conſiſtet, ut hominem integrum & abſolutum per capitula plura repræſentem: hic non niſi partium examini intendendo, hiſce te mi lector contentum velim, ne in ſcriptione mea confuſionem adferam: diffuſiorem tractatum de his in præfatam alteram voluminis partem rejiciens. Interim hic progreſſionem faciamus ad

DEDICATIONES.

QUantum videre licuit jam, & poſthæc apparebit ulterius, inconteſtatum eſt, quantopere ab antiquis Religio, ejusque cultus quantumvis rite non agnitus, in veneratione nihilominus ſumma ſit habitus: non eſt enim inter partes hnmani corporis ulla, quæ non Deitati cuidam dedicata & ſacrata fuerit. Præter pietatem enim Numæ Pompilii, qui manum *Fidei* dedicavit, doctiſſimus Aldrovandus inquit, manum dextram pariter fortitudini ſacram fuiſſe. [Hiſtor. monſtrorum p. 141.] [Fortitudo & fides.] Sic dum inter eos fœdera pacis ſtabilienda eſſent, dexteras invicem jungebant: item cum auxilium poſtulandum, dextera tendebatur: non minus, ſicut ſupra jam retulimus, cum jurandum eſſet, dextra id fiebat. Hæ virtutes univerſæ ad genus vitæ œconomicum, æquè ac civile neceſſariæ ſunt, propter quod & Cardinales nominantur, cardines ſiquidem, & ſuſtentacula vitæ noſtræ ſunt: *Fides maximum vinculum bonis amicis:* inquit Vegetius. [Lib. 4.] Et Valerius Maximus: *Laudanda*, inquit, *fiducia, quæ æſtimationem ſui certo tempore examinat.* [Lib. 3.]

In Orig. ſuper Evangel. Lib. 1. offic. Lib. 6. Muſic.

De fortitudine autem S. Auguſtinus ſic habet : *Virum fortem injuriæ probant.* Item S. Ambroſius : *Fortitudo, rerum contemptu conſtat.* Et iterum S. Auguſtinus ; *Manus fortitudinem ſignificat.* Aſtronomi ob ſimilitudinem, brachia in Zodiaco gemellorum ſigno dedicant: ſicut enim gemelli illi colligantur, & invicem implicantur, ſic amicorum brachia invicem ſibi adjumento eſſe oportere declaratur: Unde Seneca : *Alteri vivas oportet, ſi tibi vis vivere,* Et alibi : *Homo in adjutorium mutuum eſt generatus.* Marcus Tullius item : *Hoc natura,* inquit, *affert, ut faveamus eis, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus, ingrediuntur.* Cum hujuscemodi documentis ad alia tranſeo, ut videlicet pro artis Lapidariæ inſtructione tibi palam faciam.

Ep. 43. 2. De Ira.

SIGNIFICATIONEM, ET NOTAM LITERÆ M.

ANtiquitus in loquela illa, quæ cifris fiebat, dum manum tangerent, litera M. figurabatur. Quam invenio non minus cæteris ab antiquitate cum exactitudine magna obſervatam : ad cujus copioſiorem expoſitionem tamen non accingor, dum maximè ſubſtantioſa profero ; liberum relinquens Lectori, ſiquidem hanc eandem materiem latius propagatam voluerit, ad hujusmodi fuſiores tractatus recurrendi. Itaque litera M. ſolùm & ſimpliciter poſita, in prioribus notis hæc ſignificabat. *Marcus, Mutius, Martius, Monumentum, mulier, miles, meum. Ma. Macuvius.* MAG. *Magiſtratus. militis ager.* MAG. EQ. *Magiſter equitum.* MAG. MIL. *Magiſter militum.* MAJ. *Major.* M.Æ.M. *Marius Æmilius.* MC. *Mancipium.* M. C. *Marcus Cicero. Marcus Cenſor. Monumentum condidit.* M. C. F. *Mortis cauſa fecit, vel fuit.* M. C. M. *Mortis cauſa manumiſſus.* M. C. V. *Manu conſertum vocavit.* M. CS. *Marcus Cæſar.* M. D. O. *Mihi dare oportet.* M. in numeris *mille* ſignificat. M DC XXXIX. vel cIↄ Iↄ CXXXIX. *Milleſimus ſexcenteſimus trigeſimus nonus.* M.E.M. *Municeps ejus municipii.* MENS. *Mentes.* MER. S. *Mercurio Sacrum.* MENS. JAN. *Menſis Januarii.* M.F. *Marci Filius. mala fide, male fidus.* M.F.P. *Male fidei poſſeſſor.* M.FA. *Marcus Fabius.* MF.F. *Manifeſtum fecit.* MAN. L. *Manifeſtus locus.* MA. OPP. *Manifeſtum oppidum.* M. TER. *Manifeſtum Territorium.* M.H.E. *Mihi hæres erit.* M.H. *Malus homo, vel Magnus homo.* M.J. *Maximo Jovi.* MES. *Mentes.* MIL. *Miles, militavit, millia.* MIN. *Minor.* M. INTER. *Morte interventus.* MI. *Miles. Maleficus.* M.L. *Militis Locus. Marci Libertus.* ML. PR. *Militum primus.* MLT. *Milites.* M. M. *Militem. Milites.* MM. A. *Monumentum accepit.* M. MAN. *Marcus Manlius.* M. MAR. *Marcus Marcellus.* MM. L. *Monumenti Locus. Memoria Latonæ.* M. M. *Mulier mala.* MM. LE. *Memoria Legatorum.* MM. P. *Monumentum poſuit.* M. M. P. *Malo mancipio poteſtate.* MM. RG. *Memoria Regis.* MMT. *Monumentum.* M. N. *Meo nomine. Millia nummûm.* MNF. L. *Manifeſtus locus.* MNM. *Manumiſſum.* M N. *Municipalis, municeps.* MO. *Modo. Mors.* M. P. *Male poſitus. Marcus Patuvius. Maximus Princeps.* M.P.D. *Majorem partem diei.* M. POP. *Marcus Popilius.* M.R. *Miles Romanus. Militiæ Ravennatis.* M. REG. *Militiæ Rhegienſium.* MS. *Menſes. Moleſtus.* M.S.P. *Memoriæ ſuæ poſuit.* M. *Mos. Mus.* M. T. F. E. *Malo tuo factum eſt.* M.T.C. *Marcus Tullius Cicero.* MU. *Mutius.* MU. F. *Mutii filius.* M. VI. *Menſibus Sex.* MUL. B. *Mulier bona.* MUL. M. *Mulier mala.* MUL. P. *Mulier peſſima.* MUNR. *Munerabilis.* MUN. *Municipium. Municeps.* MAT. P. FEC. S. ET. S. PQ. PQ. E. *Mater piiſſima fecit ſibi, & ſuis, poſterisque eorum.* MARIT. *Maritus.* M. AUR. *Marcus Aurelius.* MAX. *Maximus.* M.L. C. REG. INST. *Marcus Lepidius Civitatem regere inſtituit.*

Poteris itaque, benevole Lector cum ſagacitate, & prudentia tua his notitiis pro commoditate tua tibi fructum facere, vel diſcendo, vel docendo. Interim ego ad Epitheta progredior : & primum ad

EPITHETA BRACHII.

BRachium igitur tanquam inter reliqua humanæ ſtructuræ membra candidatum, variisque dotatum privilegiis, à Pontano candidum appellatur: *Candida fluminei miratur brachia Cygni :* Lacteum à Calentio : *Lacteaque in viridi brachia jactat aqua.* Candens à Baptiſta Pio. *Candentia ſubdis Brachia, Lacteolis & premit ora genis.* Fulgidum ab eodem: *Injice mi collo fulgentia brachia Chloris.* Molle Catullus: *Leonia ſubſternens robuſto brachia collo.* Fortia dicuntur à Statio. *Submittitque graves humeros, & fortia jactat Brachia.* Arida inquit Manto. *Atque arida ſolvit Brachia.* Eadem nodoſa : *Nodoſa ligantem brachia,* & his ſimilia.

Quandoquidem autem non immerito quis dixerit brachium in gratiam manus fabricatum eſſe, deficiente enim manu, illud omnino ſupervacaneum & inutile futurum, Authores potiſſimum in laude manus diſtenti ſunt. Unde cum cuique liberum ſit in vaſtiſſimo horum pelago evagari, ego me his finibus paucitatis contineo, ea eligendo quæ mihi maxime nervoſa videbuntur.

EPITHETA MANUS.

HÆ quandoque ab iis rebus, quas geſtabant, nomenclaturam ſuam, vel denominationem conſequebantur. Sic Martialis Sardonicas appellat, eo *Lib. 2.* quod Sardonica tractabant. *Sardonycata manus.* Piccata à pice : *Non fuit Autolicam piccata manus.* *Lib. 8.* Lanifica à lanis. *Lanificam penſis impoſuiſſe manum.* *Lib. 1.* Sylvius Italicus carnifices nominat : *Carnificesque* *Lib. 6.* *manus.* Fulmineas Statius : *Fulmineaque manus.* Idem *Lib. 7.* eburnas. *Heleaque pulſet eburna Templa manu.* Idem *Satyr. 6.* irritas. *Nunquam manus irrita voti.* Vexatas dixit Juvenalis : *Vexatæ, duræque manus.* Victrices Ovi- *In Epiſt. Dejan.* dius : *Manum victricem mille laborum.* Idem præ- *In Epiſt. Hyper.* validas : *Prævalidæ fuſos comminuere manus.* Idem immunes. *Non piget immunes cædis habere manus?* *In Epiſt. Cydip.* Sulmonenſis Luciferas : *Ut tibi luciferas afferat illa manus.* Studioſas Pontanus : *Et ſtudioſa manus divellit gramina circum.* Ramoſas Manto : *Ramoſæque* *Lib. 1. de Hiſt. Hiſp.* *manus.* Eadem Calloſas : *Duroque manus calloſa labore.* Prometheas eadem adhuc : *Prometheasque* *Lib. 2. Achil. 2. Sylv.* *manus, Pyrrheaque ſaxa Gignis.* Palladias adhuc eadem : *Palladiæ finxere manus.* Adhuc eadem Manto & Phidiacas & medicas : *Phidiacæ raſere manus. Medicasque manus fomentaque quæro.* Caſtas, mundasque dixit Quintilianus : *Quid caſtæ, mundæque manus à ſangvine & auro.* Inſidiatrices rurſum Manto : *Inſidiatrices mittit ad arma manus.* Virgineas Glareanus : *Virgineis manibus, blandidulisque genis.* *Carm. 4. lib. 2.* Avidas Horatius : *Cuncta manus avidas fugient Hæredis.* Teneras Tibullus : *Læderet & teneras puſtula rupta manus.* Tenellæ appellantur à Pontano : *Molles en digitos, & manus tenellas.* Ab eodem marmoreæ : *Componens digitis marmoreaque manus.* Formoſæ à Strozzio : *Formoſæque manus, doctisq; laboribus aptæ.* Candentes à Quintiliano : *Candentesq; manus.* A Baptiſta Pio albentes : *quæ jacit albenti per mea corda manu.*

Niveæ ab eodem : *Præbuit & niveas docta Minerva manus.* Moles à Catullo : *Nec laneum latuſculum, manusque mollicellas.* Ambroſiæ à Baptiſta Pio : *Injicit Ambroſias in mea colla manus.* Avaræ ab Archia : *Et eâ Naturæ damnat avara parte manus.* Cavas dixit Manto : *Ille cavis manibus haurit de fontibus undam.* Pulchras Hieronymus Anglus : *In pulchris ſtat amor manibus.* Roſeas Muſæus : *Roſeam tenenti, tractantique manum.* Inſvetas Liberius : *Et bello inſvetas cogor ad arma manus.* Poterit interim benevolus Lector his meliora alibi eruere, aut nova invenire : in his enim potiſſima eloquentiæ conſiſtit elegantia, & dictionis genuina expreſſio. Ego interim de his transeo ad

SIGNATURAS MANUS IN HERBIS ET PLANTIS.

QUemadmodum in tanta facierum infinitarum varietate, & humanorum aſpectuum diſſimilibus affectibus, & paſſionibus (qui tamen vultus in potiſſimis attributis ſuis concordes ſunt) major apparet divinæ omnipotentiæ virtus & gloria: ſic non minus dixerim in tam multigenis ſpieciebus imaginum, formarum, & figurarum in animalibus, & plantis, & herbis, quorum tanta eſt naturarum & proprietatum diverſitas, ad ſolius hominis utilitatem compoſita, ſingularem erga nos divinæ clementiæ bonitatem eluceſcere.

Manus interim, quippe quæ nervoſa eſt, magnisque juncturis & articulationibus compoſita, idque non minus reliquis corporis partibus, ſymptomatibus fluxionum ſubtilium ſubjecta eſt, quæ proinde degenerare ſolent in chyragras, & podagricos pedes producunt. Videtur in hoc univerſa medicorum ſchola conſentire, quod videlicet huic malo medica manus remedium nullum inveniat. Id nihilominus magiſtra experientia edocemur, quod per humorum diminutionem diminuta defluxione, dolores quoque decreſcant : hinc optimum malo remedium ſunt Hermodactyli, qui manus ſimilitudinem præſeferunt. Decoctiones item ſpinæ Ponticæ, & albæ, & ſimilium, doctiſſimus Aldrovandus, cum Crollio ait, his chyragricis doloribus medicari, & lenimentum eſſe, ſicut aliis quoque manuum affectibus. Ejusdem virtutis ſunt folia ficus, & folia herbæ, quæ palma Chriſti dicitur, ſicut & ricini. Hinc citatus Aldrovandus inquit : *Propterea Meſvæ his plantis, humores ad articulos defluentes vim purgandi attribuebant.* Reddantur ergo debitæ Altiſſimo gratiæ, qui tantorum nos donorum participes fecit : laudetur infinita bonitas illius, & omnipotentia, & favor. Sed quantum ab hoc abſunt infideles, qui etiam per ſemetipſos ſe operari poſſe præſumunt, nixi cognitionibus, quas de ſomniis mutuantur. Intueamur vanitates eorum, ad eaſdem refutandas.

Remedia contra chyragram.

SOMNIA.

REfert Artemidorus unà cum cæteris Conjectoribus, manus ſignificativas eſſe artium, & fortitudinis : palmas autem earum laboribus attribuebant (contra rationem rectam id ſentientes) non alio item fundamento ſolidati, quam phantaſtica imaginatione ſua, in iisdem palmis ſummum paupertatis, & inopiæ indicium collocant : homines & ſano judicio, & recto rationis uſu defraudati. Manum ſiniſtram, quæ tamen ad tutelam magis, & defenſionem noſtram dixerunt : atque idcircò ſiquis de eadem ſomniaſſet, id in ſignum eſſe rebantur, ut ad opus quodam occipiendum deſtinandi ſint.

Si cui, inquiunt, manus plures in ſomnio viſæ fuerint, in negotiis ſuis proſperitatem exſpectet : ſignificant enim adjutorium, & patrocinium clientelæ, ſicut & argentum : ſed miſeri ſomniatores dum evigilant, non niſi manus vacuas, & ſpem irritam ſe poſſidere vident. Econtra Pierius ait, ſi quis ſui *In Hieroglyph.* natura impius & ſceleratus ſomniaverit ſe pluribus brachiis & manibus circumdatum eſſe ; eum indicat propediem à ſatellitibus comprehendendum, & in manus judicum & juſtitiæ caſurum. Sed quæſierit aliquis, cur eædem ſomniatæ manus non potius amicorum credendæ ſint, qui periclitanti opem ferant?

Artemidorus etiam præpoſtera ratione inquit, ſi quis ſomniaverit ſibi manus detruncatas à brachiis, induſtriæ indicium eſſe, & eum quantocyus arti cuidam applicandum : ſic enim vero ubi artis opus centum adeo manus requireret ad operandum, illic ſomniator ille non niſi mutilas manus requirit, ſed quæ ſpes operis, ubi operantis nulla manus eſt? Denique illud dicamus cum Spiritu Sancto : *Ubi mul-* *Eccle. 5.* *ta ſunt ſomnia plurimæ ſunt vanitates, & ſermones* *Eccl. c. 34.* *innumeri.* Et alibi : *Quaſi qui apprehendit umbram, & perſequitur ventum, ſic & qui attendit ad viſa mendacia. Secundum hoc viſio ſomniorum.* Pſalmiſta David vitam noſtram ſomnio æquiparat : *Velut ſomnium Domine in civitate tua imaginem illorum ad nihilum rediges.* Transeamus hinc ad alteram non minus vanam profeſſionem, cum hac nihilominus præcautione, quæ ubique negligenda, quod videlicet in eadem non reprehendimus niſi id quod per vanam obſervationem fit : nec in hoc comprehenſum volumus, quod quidam in eodem genere complexiones hominum indagare, aut medicæ artis peritiâ interiora noſſe poſſunt : Loquor de

CHYROMANTIA.

DEL Rio, magnus ille vir, ſicut omnes præterea profeſſiones, ita & hanc in naturalem, phyſicam, & Aſtrologicam diſpertitur. De quarum prima ſic ait : *Phyſica chyromantia licita eſt, & phyſionomiæ pars, ideo de illa, quod de hac judicium. Ratio eſt, quia per lineas, & partes manus conſiderat ipſam corporis temperiem, & ex temperie corporis probabiliter indagat animæ propenſiones. Hanc probat Ariſtoteles, quam ſequitur Conradus Wimpiana, & alii.* Tantundem igitur hic vir prudentiſſimus, & inclytus, illam quidem unam rejicit, quantum alteram acceptat : cujus veſtigiis inhærendo dixerim & ego cum citato Ariſtotele : *DEUS, & natura nihil agunt fruſtra :* itaque dum lineas manuum intuemur, ex his compoſitionem, ordinemque elementarium qualitatum dijudicare poſſumus in homine : cum videlicet lineam unam fortiorem altera cernimus, aut longiorem, aut magis apertam : aliæ rurſum vel intercalatæ, aut interruptæ apparent : rurſum aliæ obliquæ, aut quovis alio modo disjunctæ, pari modo vel plus vel minus de conditionibus præfatis participant, unde & complexio hominis patet. Hinc etiam operatio ejusdem concluditur, an naturâ ſuâ pigrior ſit, an velox & horum conſimilia : hinc non minus qui inconſiderati ſint, aut econtra prudentes, aut mediocris capacitatis. Videtur autem ipſe Philoſophus ex commenſuratione ſcientiarum has lineas denotare voluiſſe, dum ajebat : *Secantur ſcientiæ, quemadmodum & res ipſæ, circa quas ipſa noſtra conſideratione verſamur.* Hoc igitur præſuppoſito, ut tandem etiam aliquid de hac manuum partitione loquar (quamvis nemo me Ægyptium dicat) quantum lex ſinit, Lectori tibi manum, vaticinaturus inſpiciendam attrecto.

Chyromantia, Phyſica & Theologica.

Diſquiſ. Mag. l. 4. Quæſ. 5.

lib. 1. Hiſt. Anim. c. 5. & 30. Ac. 34. Probl. Sect. 10.

lib. de ſign. Cap. 10. 11. 12.

1. De cælo & mundo.

20. De Anima.



Omitto montes & Planetas : nec enim hic me influentiis cæli immiſcere ullatenus velim : ſiquidem, meo nimirum arbitratu vel nullatenus, vel certe mediocriter influunt, quamvis colorati, apparentes, ramuſculoſi, obliqui, & interſecati, aut aliter affecti & cancellati reperiantur. Id ſolum dixero quatuor eſſe, aut quinque lineas manuum præcipuas, (prout patet) quæ affectus hominis, ejusdemque temperamentum annunciant. Prima vitalis eſt, aut cordiaca, aſſignata cordis affectibus, quæ à radice pollicis ad *Raſſettam* extenditur. Secunda naturalis eſt, quæ per largitatem manus ad *percuſſionem* usque diſcurrit : quam etiam cephalicam nuncupare ſolent, quippe quæ capiti correſpondeat. Tertia menſalis eſt, quæ, juxta hos, humana viſcera reſpicit. Rurſum alia eſt, quæ à *percuſſione* vel à minimo digitorum usque ad *Raſſettiam* protenditur, quæ juxta illos hepatica dicitur, jecur hominis reſpiciens, bonamque ſtomachi diſpoſitionem denotans. Diſtenditur item per mediam manum alia, ad radicem usque digiti medii pertingens, quam credunt meſenterium reſpicere, vel lienem, & humorem melancholicum, quæ etiam ſaturnina ab iisdem nominatur. Reſtat denique, dicta *percuſſio* (quæ illic eſt, ubi reſtringitur, & epilogatur pugnus univerſus) deinceps *Raſſetta*, nodus inquam ille de quo manus integra inſurgit, & dilatatur. Hæ lineæ ſiquidem diſtinctè apparuerint ſi continuæ, ſi coloratæ, & profunde fuerint, his Authoribus, bonam hominis compoſitionem, rectamque humorum conſtitutionem indicant. Si vero non continuæ, ſi interciſæ, aut obliquæ, aut cancellatæ, aut quavis ſui parte malè apparentes, aut incompoſitæ fuerint, debilitatem facultatis vitalis, aut alterationem, aut decrementum, aut mutationem denotant in illa videlicet parte ubi dominari dicuntur. Exordiamur à vitali.

De hac igitur, ſi animus eſſet ſecundum omnem latitudinem & dimenſionem deſcriptionem facere, amplus adeo mihi Tractatus faciendus eſſet, ſed ſufficiant hæc pauca. Aſſerunt itaque ſi vitalis linea continua fuerit, & profunda, demonſtrare æqualitatem, & temperantiam caloris naturalis : ſi in quapiam ſui parte admodum larga viſa fuerit, & aperta, vehementiam diffuſi caloris exprimere, atque in tempore illo iram, & excandeſcentiam : aut vero illic anguſtiam quandam cordis eſſe. Siquidem ultra debitum craſſa fuerit, morum ruſticitatem, vel malevolentiam apertam, aut calorem & tempori & ætati male convenientem portendere. Si longa fuerit, & diſperſa, iracundiam beſtialem ſignat, niſi per lineam naturalem & tempore & loco ſuo bene temperatam, & ipſa quoque contemperata fuerit. Gracilis & longa, indicat prædominari illic ſiccitatem, & ultra calorem naturalem frigiditatem : unde etiam complexionis debilitas, ſicut & naturæ deducitur, imo verò & vitam futuram brevem, infirmam, & dubiam. Si brevis fuerit, & tumida, humiditatem & frigiditatem naturæ portendit, atque idcirco vitam non durabilem.

Sicut autem memoratæ qualitates, humores malos inducunt, & peccantes, ſic naturam quoque non diſſimilem conformant: ſicut item mores coarguunt his qualitatibus idoneos : quemadmodum ſunt, & inſtabilitas, & diffidentia, & ſimilia : porrò homines quoque iniquos, doloſos, fraudatores, & malevolos. Cum præterea interſecata fuerit, tanquam è ramis quibusdam diſpertita : quotquot rami fuerint, à quibus ſcinditur, totidem infirmitates, & ſymptomata cordis eventura Patienti. Poſſunt item, ſi notabiliter ruptio illa facta fuerit, ſecuturam mortem nunciare : Cum porro dicti ramicelli ad radicem pollicis aſcenderint, ſuffocationem ſecuturi caloris denotant : idque non confeſtim, ſed pedetentim ſine ſenſu : & ſi ſucceſſu temporis malum augmentando increverit, magis item ruptura, & disjunctio præfatæ lineæ comparebit. Si verò malum non niſi accidentale fuerit, aut ab objecto quodam extrinſeco productum, hæ lineæ transverſæ nullam illic ſe vitalis lineæ diſſectionem, ſed potius ejusdem ſecum unionem, & conjunctionem facere denotabunt : ſolum id portendunt, calorem naturalem, non in integra ſui diſpoſitione, & ſituatione conſveta eſſe.

Hæc nihilominus mala non ſemper, prout diximus, ſuccedunt, quamvis taliter indicata fuerint, ſæpe enim aliarum linearum bona diſpoſitione corriguntur, & emendantur. Obſervandum item, ajunt, quod cum homo à mala valetudine reſtituendus eſt, & damna ſanitatis redintegranda, ſuccedunt lineæ coloratæ, bene conſpicuæ, quæ proſperitatem felicis ſucceſſus augurant.

Linea vitalis ſi bifurcata fuerit, aut à principio ſuo biceps calorem vehementem indicat, ſed qui nihilominus in conſtitutione ſua bona perſeveraturus ſit. Rationē inſuper adferunt : eo quod in operatione una perduret, quamvis pluribus inſerviat, cum cor principium & fons vitæ ſit. Idque tanto magis, ſiquidem linea illa ramos ſuos bicipites intra manum, & in concavum illius extenderit. Si autem ramos ille foras verſus tuberculum pollicis aſcenderit, exhalationem caloris denotat, & frigiditatem, & ſiccitatem, & proinde temperaturam mixtam : id quod tum potiſſimum evenit, ſi vitalis ipſa, prout dictum, biſulca fuerit, & in longum extenſa. Hæc denique linea à dicto pollice ortum ducit, & ad *Raſſettam* portenditur. Reſtarent alia dicenda : ſed ea ſtudioſis indagatoribus aliunde inquirenda relinquo.

Exhalatio caloris.

DE MEDIA NATURALI VEL CEPHALICA.

OPortet ut hæc linea naturalis per principium ſuum ſe conjungat vitali oppoſitæ, & currenti per medium montis, qui ad indicem eſt, unde angulus ſupremus efformatur : id ſi contingat, hominem denotat temperatum, legalem, fidum, ingenuum, magnanimum, & qui cum promptitudine actiones ſuas exequitur. Ratio in promptu eſt, ſignificat enim æqualitatem, & proportionem caloris naturalis, æque partitione ubique diffuſum : idcirco etiam humores maligni virtute caloris hujus diſſipantur, unde eis vis omnis ad obfuſcandum cerebrum dirimitur. Si præfata linea cum vitali unita non fuerit, malam denotat proportionem caloris, atque ideo hominem obſtinatum, præſumptuoſum, temerarium, inconſideratum, qui in juventute ſua indomita nullam rerum curam habeat, nil ponderet, ſed pro arbitrio infrænatæ libertatis operetur, levis ingenio, & infidelis. Ratio eſt, eo quod hujuscemodi disjunctio exceſſum caloris naturalis demonſtret, qui ad ſiccitatem tendat ; hæc autem (prout tota Medicorum ſchola ſentit) hominem reddit furioſum, qui periculorum metum non habeat : evenit autem hoc per organum phantaſiæ, quæ incidentia phantaſmata involvit, & confundit, ita ut rerum veritatem non cognoſcat, nec dijudicet (tales ego in juventute mea confuſiones expertus ſum) Quantò autem magis præmemorata linea ſe elongaverit, tanto major eſt exceſſus ille ſuperior, & tanto magis à principio ſuo vitali diſterminatur. Horum autem hominum natura plerumque cholerica, & ſangvinea eſt. Contrarium evenit, ſi ſpacium hoc rugoſum fuerit, aut ſiccum, aut durum ; denotat enim naturam frigidiorem, hominem vafrum, pernicioſum, idque potius, quàm utilem, aut morigeratum. Si interciſi fuerint (ajunt illi) denotare hominem illum, malitia ſua ad quævis peſſima progreſſurum, unde ei poſthæc neceſſe ſit voluntario exilio evacuare ſedes patrias. Foſſulæ, tubercula, ſpatia inæqualia in dicta linea, prout illi authumant homicidia, aut mortalia vulnera portendunt. Si hæc linea rurſum integra fuerit & recta, & continuata, & profunda ad montem usque manus, bonitatem cerebri, & proinde nobilitatem, & excellentiam ingenii coarguit, bonam item naturam, & complexionem ; hominem fidelem, & veridicum : Contrarium indicabit, ſi quidem brevis fuerit, & tumida, & profunda.

Oportet autem lineam hanc naturalem, cùm primum à ſuperiori angulo ſuo exierit, ſenſim diſpertiri à linea, quam vitalem diximus, atque ad manus meditullium terminari : unde etiam ſecare eam videatur : id ſi fecerit, hominem indicat magnanimum, audacem, cerebro, & mente ſanum. Sed ſi angulus ruptus fuerit, dictaque linea ſe plurimum ad vitalem inflexerit, debilitatem capitis arguit, & frigiditatem cerebri, & exinde timidum hominem, & qui in actione ſua infidelis ſit. Ratio eſt, quod caloris naturalis debilitatem demonſtret, qui ad operationes proprias exercendas idoneus non ſit : idque tantò magis eveniet, ſi angulus ſupremus acutus fuerit, aut arctus, aut multum ſeparatus.

Cruces item, & rami verſus angulum ſuperiorem, lites deſignant, & diſſenſiones. Rationem adducunt, quod calor apud tales in hanc illamque partem ſe dilatet, à quo præfatæ lineæ producantur. In productione autem hujuscemodi ramorum ſubindicat, quantum extendatur, & dilatetur : hæc autem caloris abundantia ad litigia, & rixas impellit. Siquidem etiam inter memoratas lineas una fortior, aut evidentior apparuerit, quàm altera ; turbas denotat, & homicidia, & vulnera ex contentionibus progerminata. Si præfatæ lineæ potius ad circulationem quandam incurvari videantur, quam ad quadraturam, aſſerunt illi, hujuscemodi hominem, in malis potius activis, quàm paſſivis futurum. Porro lineæ quædam verſus quadrangulum manus interſecatæ, in formam crucis, & ramis ſuis ab utraque parte naturali lineæ unitæ, vulnera capitis augurant. Si ſubinde ſe menſalis cum naturali unierit, ſignum eſt vitæ brevis, & patientem in juventute ſua moriturum eſſe. Si hæc menſalis brevis fuerit, nec in partem ullam inclinet, ſed directa in ſtatu ſuo perſeveraverit, idem infortunium ſignificat. In priori modo impedimentum arguit, & ſuffocationem caloris naturalis, ob graviſſimam humorum abundantiam, & frigiditatis exceſſum. Unde, ajunt, ſignum hoc in Apoplexia ſubitaneum denotare interitum. In poſteriori modo ſignificat, impedimentum illud à cauſa exteriori, aut vero ab infirmitate provenire : nec tamen id ſubito, ſed tempore ſuo eventurum. Notandum etiam eſſe, inquiunt, in univerſis affectibus his ad hanc potiſſimum lineam reſpiciendum eſſe, quippe quæ cæterarum baſis ſit, & quæ calorem naturalem indicet, præſertim in affectibus cholericis, & bilioſis. Sed de his illa ſuffecerint.

DE

DE HEPATICA.

OBſervant hi, ut chylificans, & concoctrix facultas bona ſit, hanc hepaticam cum linea vitali in angulo dextro, & in ſiniſtro cum naturali conjunctam, rectam inſuper, & continuatam eſſe oportere: in hac enim conſtitutione, ſiquidem deprehenſa fuerit, digeſtionem, & complexionem laudabilem denotat, virtutem caloris naturalis temperatam, & æqualiter diffuſam. Sed ſi interciſa fuerit, & diſcontinuata, nec duabus lineis prioribus unita, indicat (prout illi volunt) digeſtionem depravatam atque illic caloris naturalis à principio ſuo intrinſeco impedimentum eſſe. Si item cum vitali profunda integrè conjuncta fuerit, ita tamen ut naturalem non tangat, bonum naturæ temperamentum ſignat, ſed quæ nihilominus ſucceſſu temporis injuriam quandam, per ſiniſtrum eventum aliquem paſſura ſit, qui videlicet ab objecto quodam extrinſeco proveniat. Hujus autem rei cauſam adferunt, facultatem nimirum digeſtivam, & concoctricem depravatam, idque per objectum quoddam extrinſecum, & improviſum. Evenit præterea nonnunquam præfatam lineam bifurcatam eſſe, idque duobus modis. Aut verò verſus lineam vitalem, & lineam *Raſſettam*, aut verò verſus naturalem. Si verſus primam, naturam indicat iniquam, & malevolam, & quæ admodum prompta ſit ad ſcelus perpetrandum: ſed ſi verſus naturalem ſe gyraverit, debilitatem ſtomachi portendit, item debilitatem capitis, & complexionis, ingenium malum, & ruſticum, hominem intractabilem, & infidelem: ſi diſcontinuata fuerit, & capillaris, infirmitatem denotat ex defectu interiori procedentem, relaxationem videlicet caloris naturalis. Quamvis autem alioqui diſcontinuata fuerit, ſiquidem alias ſibi lineas vicinas habeat, in iiſdem ſignum roboris erit, quo calor naturalis non deſtitutus ſit. Sed de his hactenus.

DE LINEA MENSALI.

HÆC linea rurſum ſi directa fuerit, ſi æqualis, ſi continua, & profunda, & ad oppoſitum usque ſpacium, ubi mons manuum eſt, apparens fuerit, & ab altera parte extenſa verſus indicis montem, complexionis bonitatem indicat, bonamque conſtitutionem ad prolis generationem, ſi econtra diſcontinua fuerit, & ſubtilis, contrarium itidem deſignat. Si ramuſculos habuerit, & ab aliis lineis continuata fuerit, quarum extremitates ad quadrangulum ſe inflectant, hominem portendit callidum, acutum, ingenioſum, qui, quamvis lingva ſua promptus ſit ad malum, operetur nihilominus laudabilia: & qui proinde eloquentia ſua ad utrumque latus diſpoſitus ſit. Si manus tota carnoſa fuerit, & pingvis, tactu mollis, denotat hunc Amicis ſuis fidum futurum, ſed erga inimicos viciſſim ſubdolum, & ad exterminium illorum paratum. Manus ſicca & aſpera, deceptorem indicat, & proditorem Amicorum, non minus ac inimicorum. Ratio illis in promptu eſt: dicunt enim in priori illo naturam calidam & ſiccam denotari, permixtam tamen humiditate quadam: ſed in ſecundo natura ſicca arguitur & calida, aut verò ſicca frigida in gradu ſummo: hinc phantaſmatum confuſionem oriri, ex qua omnia mala illa conſequantur. Siquidem verſus montem indicis bifalcata fuerit, bonitatem complexionis denotat, acumen, & excellentiam ingenii. Sed ſi hujusmodi rami ſe ad digitos extenderint (prout plurimum contingit) peſſimos defectus indicant, hominem malevolum, & injuſtum: aut vero infelicem; ſicut & vitam laborioſam, & curis prægravatam. Nihilominus ſi per inflexionem illam memoratam ramorum unus ſe ad indicem tulerit, atque ad priorem juncturam illius pertigerit, complexionem demonſtrat cholericam, quandoque furioſam, agitationem velocem, eandemque nonnunquam ſine ullo impulſu. Hi affectus, & hæ paſſiones univerſæ ab atra bile progerminant, cui, ajunt, lineam hanc præeſſe, & prædominari, ſicut & reliquis viſceribus. Et de his jam abunde dictum ſit. Transeamus cum brevitate ad eam quæ dicitur

SATURNINA.

HÆC de *Raſſetta* exurgit, & per medium manus aſcendens ad digitum medium pertingit: ejusdem autem cum illa ſimilitudinis, & ejusdem nominis reliquæ quoque lineæ ſunt, quæ ab eadem ſe diſpertiunt, & eodem modo conſcendunt. Situm illius in angulo dextro eſſe oportet, aut ſaltem in vicinia illius, atque ita in ea parte ad quam ſpectat, bona eventura indicat. Si à monte manus ſe verſus pollicem extenderit, & in eodem pollicis monte ſupra vitalem progreſſa fuerit, per ejusdemque montis concavum deſcenderit, denotat fortunam proſperam ſecuturam eſſe, artis, & virtutis propriæ operatione. Quandoque etiam ab eadem vitali naſcitur in concavitate manus, denotatque animi calliditatem, & operationis ſolertiam. Si in fine prædictæ lineæ, aliæ rurſum lineæ conglobatæ fuerint, interciſæ, reflexæ, & tortuoſæ, ſignificant poſt felicitatem eximiam, magnum ſecuturum infortunium. Quanto etiam plus in radicem medii introierit, majus infortunium illud futurum. Cauſam adferunt, quod pituitam illic prædominari ajunt, quæ per totum corpus diffundatur, unde porro morborum enaſcatur varietas, & infirmitatum, præſertim luis venereæ.

Plura nobis dicenda eſſent de *Raſſetta*, ejusdemque deſcriptione, quæ videlicet in manus medio terminatur, hinc triangulum, vel quadrangulum manus ſeſe reſtringendo efformans: Sed quia illic obſervationes Planetariæ occurrunt, ne & ipſe ego cum planetis (hoc eſt errantibus) errem, quos nunquam videlicet videre mihi contigit, obſecro benevolum lectorem, ut cum præſcripta cautione, & moderatione, aut vero ſi libet, cum liberiori licentia evolvat vel Helenum Syracuſanum, vel Eumolpum, vel Pol- Scriptores
lucem, & Svidam inter antiquos: inter modernos Chyro-
Joannem de Indagine, aut Taiſnerum, Antonium mantiæ.
Germiſonum, Bartholomæum Coclem, Michaëlem Savonarolam, Petrum de Arca, Marcellum Saiam, Andream Tricaſſium, Michaëlem Scotum, & alios, qui apud me locum nullum habent, nec æſtimationem, propter ſtolidas & frivolas inſipiditates, quas adferunt. Qui vel granum ſani ſenſus poſſidet, non ſine ratione hos nugatores, & deceptores rejiciat oportet, qui per chyromanticam artem futurorum ſe conjectores vel vatidicos jactant inſpectores, ac propterea non raro his decipulis rem domeſticam, familiasque ſubvertunt. Oporteret, inquam, eos ad Corinthiæ legis obſervationem compellere, apportatam ab Athenæo Corinthio, qui ait: *Eſt optimè ſta-* Lex Corin-
tutum apud Corinthios, ſi quempiam obcœnare ſem- thia contra
per ſplendide videmus, hunc rogamus, unde vivat, Chyro-
quid faciat operis? cum eo, quod ſequitur. Et paulò manticos.
infra circa ſtatutum: *Si ſumptuoſe vivit is, qui ni-* lib. 6.
hil habet, tradunt eum tortoribus. Piô Hercule! Non enim licet vitam absque malo degere: talem, ſcias neceſſe eſt, aut noctibus abigere prædam, aut fodere muros ædium, aut in foro agere ſycophantam; aut perfidum præbere teſtem. Nos genus hoc mortalium ejicimus ex hac urbe, veluti purgamina.

Cin-

Origo Cingarorum vel Ægyptiorum.

Cingari illi aut Ægyptii, ut vocantur, prout magnus Del Rio refert, gens lacinioſa, lurida, puteolens, pannoſa, infelix, & fame emortua, per hujusce modi ſuperſtitiones deluſa, inſuper panem ſuum mendicando colligit, & per fas & nefas argentum quærit; quæ à finibus patriis cogente egeſtate profuga, depauperata vitam oſtiatim ſuſtentat: idque per ſeptennium eam facere oportet, quo non expleto à gente, & cohorte ſua non recipitur. Originem ſuam à quodam *Chuſener* nomine, filio, inquam, Cadmi deducit: filio reprobato à Noë, cui habitatio terræ Ægyptiacæ & Æthiopiæ contigit, unde unius alteriusque Provinciæ turba commixta eſt: fæx hominum, gens fraudulenta & ab incunabilis ſuis deceptrix. Hac de cauſa non mihi vitio vertendum, quod in horum artificum prædictiones me immiſcere dedignatus ſum, ne forte Lectori meo ſuſpicionem inferam, me cum hujuscemodi cohorte ſocietatem iniſſe: quod ſi cuipiam aliter viſum fuerit, id cuique liberum relinquo.

FABULOSA.

DE Mythologia (ſiquidem ſenſata fuerit) quippè quæ delectamento fabulæ, profundiſſima, & præſtantiſſima myſteria philoſophiæ moralis exponit, ſub oculos ſtatuens moderamina virtutum, & leges Ethices perfectiſſimas, quæ ad morum & vitæ honeſtatem neceſſariæ ſunt, de hac, inquam, quæ per modum ſcenæ pulcherrimæ, mille coloribus & varietatibus diſtincta, perſonarum etiam varietate condecorata eſt doctiſſimus vir Natalis Conti ſic habet: *Profectò qui neſciat, omnia propè Deorum Gentium myſteria fuiſſe ab antiquis ſub fabulis occultata?* Et paulò infra: *Hanc tantam è fabulis utilitatem capere minime poſſunt ii, qui altiora fabularum ſenſa non inſpexerint: quippe primi corticis, ut ita dicam, mirabilitate irretiti, nihil divinius ſub illo ineſſe credunt.*

Briaræus, & Gyges.

Hæ, aliæque inſuper rationes me impulerunt ad ſenſus fabuloſos elucidandos, ubicunq; ſe occaſio tulerit. Itaque hic ſe mihi primitus offerunt Bryaræus, & Gyges, quorum quemque Poëtæ centum brachiis totidemque manibus dotatum fabulati ſunt. Dicti ſunt iidem & ſatellites, & robur Jovis, eo quod in adjutorium ejusdem (prout inter alios Homerus quoque refert) venerunt, tum cum Pallas, Juno, & Neptunus contra Jovis tyrannidem conjurârunt, unde famoſus ille inquit:

Iliad.

Cum vincire Dei reliqui voluere Tonantem,
Et Pallas, & Juno Neptunusque: Tu ad illum
In Cælum Briaræum, ſuperi, ſic nomine dicunt,
Centimanum arceſſens, ſolviſti fortia membra.

Adhæc Natalis Conti adjungit: *Hinc unà cum Gyge, & Cotto Jovis cuſtodes, ac ſatellites.* Heſiodus totum hoc confirmat.

Heſiod. in Theogon.

Hic Cottusq; Gygesque colunt ſimul, & Briaræus,
Cuſtodes Jovis æterni: quæ pectora fida.

Ajunt Jovem auxiliantibus his Orientis ſibi Nationes ſubjugaſſe, ac ſic ſucceſſibus tantis potentiorem, & fortiorem factum, favente proſperitate Reges terræ ſibi tributarios, & captivos fuiſſe: id quod Homerus indicat:

Cantorum Muſis, & Phœbo munera curæ, In hymn.
Qui tractant plectro cytharas, & munere chordas Muſat.
Ab Jove ſunt Reges.

Hinc citatus Conti adjungit: *Mox ad cæteras nationes cum maxima acceſſione virium penetrans, univerſum prope terrarum orbem perdomuit, & ſubjugavit.* Nec diſſimile illi adjutorium præbuerunt, cum in Phlegra gygantes expugnavit. Gyges ab Ovidio frater Briaræi dictus eſt, unde ſic habet:

Centimanumque Gyges, ſemibovemque virum.

Sic ergo hi viri ad omnem Patroni ſui nutum in defenſionem præſtò erant. Vaniſſima itaque erat, & inſenſata gentilitas, quæ in Jove, Numine ſuo præcipuo, hanc auxilii alieni neceſſitatem admittebat.

Hoc enimverò illud ipſum eſt, quod ſupra retulimus à Natali dictum, nempe id eorum eſſe: *qui primi corticis mirabilitate irretiti nihil divinius ſub illo ineſſe crediderunt.* Nec tamen horum impietas usque adeo excors eſt, ut non ſub his corticibus ſenſum tegant, quo doceant Principem centimanum, ſicut & centoculum, ad tutamen, & cautelam ſui eundemque ſemper convenientibus viribus proviſum eſſe oportere, ut quicunque eum infeſtare auſi fuerint, ſentiant ſibi id impune non futurum. Ad alium item ſenſum hæc mythologica narratio reduci poterit. Intelliguntur enim ſub Gygantum nomine in Phlegra, qui contra Jovem elevantur, vapores terræ, qui ad lumen ſolis obfuſcandum levantur: ſed qui protinus à radiis ſolis, tanquam brachiis quibusdam & manibus, diſſipantur, & diſperguntur. Sic enimvero Mythologia ſagax, etiam in Meteorologicæ ſcientiæ abditos receſſus intrat, idque per modum oblectationis, per quem etiam quæ abſtruſa ſunt & intricata explanat.

Hæc igitur, ut ſpero, mi Lector in hoc vaſto manuum tractatu ſufficient, in quo ſi te hactenus ſuſpenſum tenui, non verebor me talem æſtimari, qui te manu tanquam cæcus duxerim. Tantum enim tibi ipſi luminis eſt, ut me quoque manu ducere poſſis. Si tamen operâ meâ tibi quippiam hic expoſitum eſt, quod hactenus te latuerat, & ex quo tibi documentum aliquod acceſſerit, quod guſtui tuo & deſiderio ſatisfecerit, ſit inde laus Altiſſimo, qui tibi commoditatem lectionis, mihi ſcriptionis ſuggeſſit: pari humilitate te rogatum velim, ut ſequentis carminis concluſionem æqui bonique conſules: Eſt autem

Laus manuum,

Cum alluſionibus ſupra palmæ æquivocationem.

Oh d'ogni opera piu grande Arbitra, & meta,
Da cui ritrae l'arte operoſa i pregi;
Strumento a maneggiar ſcettro de Regi,
E a gradivo a compor ſpada inquieta.
Tu miniſtra del cor fida, & ſecreta,
Onde elabori poi fatti piu egregi,
Delle coſe del mondo i piu bei fregi,
Miniſtero immortal ſon di tue deta.
Tu in dotte carte di remoti arcani
Quindi i ſucceſſi fai noti ad ogn' Alma,
Ondi effetti accader vediam non vani,
Invitto honor della corporea ſalma
Merti a ragione infra i compoſti humani
Di ſola dirti, e poſſeder la Palma.

DIGITI.

Anatomia.

PArs ſuperior manus in tres rurſum partes ſubdividitur, & diſtingvitur: carpum, metacarpum, & digitos. De priori in tractatu præcedenti ſat ratiocinati videmur. Hic verò oſſa digitorum diſcutienda ſunt, quorum numero quindecim ſunt (prout Anatomici univerſi conveniunt) triplicato ordine diſpoſita. Illorum ſeries quandoque *acies* vel *agmen* appellatur, traducta metaphora ab acie militum: digiti enim ſimul juncti ad unicum miniſterium deſtinati apparent. Hæc eorum compoſitio autem, ob varietatem motuum à digitis provenientem neceſſaria erat. Præfata oſſa foris gibboſa ſunt, & incurvata, introrſum verſus ſima ſunt & plana; tum quod ab intro attrectatio rerum facienda eſt, tum quod tendines & ligamina potius ad interiora vergunt.

Hæc oſſa quantumvis ſecundum magnitudinem ſuam inæqualia ſint, eorum tamen quædam æqualitas eſt, cum ſibi invicem ad corpus ſphæricum comprehendendum adjumento ſunt, & coadunantur. Inter hæc oſſa, ſicut & illa pedum numerantur alia quoque minuſcula, ſeſamoidea dicta, quod ſimilitudinem ſeminis ſeſami præſeferunt: hæc ſolida, & rotunda ſunt, quamvis nonnunquam ſubtus tendines depreſſa: atque hæc ſunt, quæ inflectunt, & extendunt digitos, intrinſecus radicata, & cum aliis connexa, ita ut illis extricari nequeant. Numerus eorum incertus creditur: quidam duodenarium obſervârunt, quidam ad ſexdecim usque numerant, quidam plura. In primo pollicis articulo os tale nullum invenitur: in ſecundo bina ſunt, in tertio unum. In reliquis quatuor digitis, primus bina habet, in cæteris non niſi unum eſt. In interiori manus admittuntur novemdecim, in exteriori pauciora ſunt.

Uſus oſſium horum eſt, ut tanto fortius articuli ſtabiliantur, & fluxionibus obſtent. Ejuscemodi autem compoſitionem habent, ut ad colligationem digitorũ concurrant, dum ſurſum & deorſum moventur: nec eorum motum prohibent: ſicut Sylvius annotavit.

Interim tamen absque beneficio motionis nil manu comprehendi, vel attrectari poterit: hinc muſculorum neceſſitas erat. Hic verò motus per digitorum adjumentum perfectionem ſuam conſequitur: hi enim flectuntur, rurſum extenduntur, diducuntur & reducuntur. Eorum numerus quinarius eſt: Pollex, Index, Medius, Medicus, vel Annularis, & Auricularis. Pollex in extenſione ſua, neſcio quam ſingularitatem habet: ſimiles quidem, ſed rurſum diſſimiles à reliquis digitis muſculos gerens. Cæteros quatuor digitos tres muſculi flectunt: palmaris, ſublimis, & profundus. Quorum primus, derivans ab interna brachii apophyſi, cum nervo acuto, & principio conſimili, ſubito, carnoſo, rotundo, & parvo, primum in anguſtum longumque tendinem protenditur, qui deinceps, quaſi omnibus internis manûs muſculis ſubjectus, transcendens ligamentum internum carpi, ad primum usque articulum tendinem diffundit tenuem, & lævem ſubtus cutem interiorem manus, & per totam propemodum volam manus diſtenditur: non ſolum ut flectendæ manui adminiculum præſtet, ſed ut ipſa attrectatio firmior, & robuſtior ſit, ſenſusq; manuum vigorẽ ſuum conſequantur.

Multi admodum muſculi extendunt digitos, qui tamen, juxta Sylvium, in uno epilogantur. Omnes propemodum de extenſione illa exteriori, quam brachium in proceſſu ſuo format, originem trahunt, vinculo quodam annulari invicem colligati: hinc confeſtim varie in ſecundum, tertiumque articulum inſeruntur. Hic muſculus *Magiſter*, vel *Tenſor* dictus in quatuor partes dividi poterit: quarum prima ſe ad minimum digitum usque diſtendit: & bifariam ſciſſa, cum altera ſe magis ampliata dilatat, & in tendines duos ſpargitur: horum prior diſpertitus ramos ſuos in auricularem & medicum emittit: alter in *Medicum* ſimpliciter infertur. Tertia portio à principio confuſa, cum prima, in duos tendines terminatur: cum quorum uno ad medium vadit, cum alto ad indicem: denique ad indicem ſolum, quandoque cum tendine duplicato. In hoc autem tendine illud obſervatum fuit, eum non rotundum eſſe, ut reliqui ſunt, qui digitos flectunt, ſed per modum membranarum largum. Atque hi quatuor muſculi ſunt, qui flectunt, & diſtendunt digitos. Moventur item digiti in utrumque latus, externum & internum: dum videlicet vel ad pollicem ſe inclinant, vel rurſum ab eodem declinant. Ad præfatum pollicem conducunt quatuor muſculi parvi, qui cum ſimilitudinem lumbricorum præſeferant, lumbricati, vel vermiculares nominantur: naſcuntur autem à tendine primi muſculi. In principio carnoſi ſunt & læves: deinceps cum exiguo tendine, ſed nervoſo primum lateribus ſe digitorum affigunt, poſt hæc per obliquum ad externam partem articuli tertii, à prædicto pollice ſe ſemovent, & numero ſex, non octo, interroſſei dicti, qui ſe in metacarpi ſpatiis abſcondunt, tres interni, totidemque externi ſunt: hi per latera digitorum aſcendendo, ad poſtremam, & exteriorem articulationem portati, uniti cum vermicularibus, unum ſolum & apertum tendinem formant: unde etiam fit, ut ipſi vermiculares eſſe videantur, & interoſſei in parte illa, quæ ad latera ſe digitorum affigit. Per hos conducuntur, & reducuntur digiti: unde non raro fit, ut truncato hoc muſculo, qui digitos univerſos tendit, non idcirco omnis adeo manus extenſio diſpereat, cum nihilominus pauci muſculi, ad hanc actionem deſtinati, illic remaneant.

Hæc pauca de pluribus, quæ dici poterant, collegi: quæ potius ad curioſitatem Lectoris, quàm ad perfectam medicorum inſtructionem ſervire poterunt. Videatur nunc, quæ ſit

SIGNIFICATIO DIGITORUM.

POllex à pollendo dictus eſt, quamvis enim brevior ſit, nihilominus eo quod reliquis digitis craſſitudine præpolleat, radicitus cum fortiori manus parte conjunctus, majus robur conſecutus eſt. Hic duos nodos habet, à cæteris in hoc diſtinctus; magnum adjumentum manui. Fortitudine eximia dotatus eſt, cum ſit muſculis ſingularibus ſtipatus, qui eum ducunt,

& reducunt, flectum & extendunt: & in motu ſuo ſemper ſingulare quiddam demonſtrant. Secundus nomen Indicis conſecutus eſt, ab indicando: cum enim objectum quoddam monſtrandum eſt, hoc digito utimur: unde Eccleſia quoque de S. Joanne Baptiſta Præcurſore Domini cantat, quod digito jam præſentem Meſſiam indicaverit: *Indice prodis.* Per hunc rurſum epulæ guſtantur: unde à Svetonio digitus *ſalutaris* appellatur: alii eum Linctorem vocant, eo quod hujus miniſterio, præſertim Paraſiti, ad ſcutellas elingendas utantur. Tertius inter reliquos longiſſimus, medius appellatur, eo quod in medietate manus locum teneat. A Græcis non ſecus ac à noſtris quoque obſervatoribus doctioribus, obſcœnus dicitur, turpis, famoſus, impudicus: ſolemus enim hoc ſolo extento, reliquis contractis, ſubſannare quempiam: ſicut inter viros potiſſimum moris eſt: hoc rurſum digito figuræ turpes exprimuntur. Quartus Medici nomen obtinuit, cum hoc enim antiquitus medicamenta miſcebantur. Annularis autem ſingulari nomine appellatur, cum in hunc potiſſimum annuli mittantur. Minimus omnium ex parvitate ſua minimi nomen adeptus eſt: Auricularis item, propter quod identidem hujus miniſterio ad ſcalpendas aures uti conſveverimus. In ſequentibus capitulis hæ expoſitiones paulo diffuſius tractabuntur.

In hymno.

HIEROGLYPHICA.

TAntopere apud Sapientes myſticus Hieroglyphicorum intellectus ſemper in pretio, & æſtimatione habitus eſt, ut ſicut more ſuo prophani prophana, ſic Hugiographi ſacra ſua quaſi digitis per ſententias formarent, conſiderationes, & Hieroglyphicas figuras exponendo, quibus ſtudioſus lector, cum honeſtiſſimo delectamento utilitatem ſuam conſequeretur; quibus etiam viſui corporali objecta apparentia, & realia exponerent. Complures igitur, inhærendo ſcripturis (quas jamjam citaturi ſumus) per digitum, Spiritum Dei Sanctum intellexerunt: ut ſicut digitus à digito diviſus eſt, manui nihilominus cohæret, & unitur: ſic & ille per ſemetipſum ab omni adeo re independens eſt, ſoli manui omnipotentiæ divinæ cohærere gaudens, & unione perfecta copulatus. Sic Redemptor noſter turbis ajebat: *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Supra quod S. Gregorius inquit: *Quo in loco manifeſtum eſt digitum pro S. Spiritu accipi.* Concordat cum hoc S. Hieronymus, ubi ſic habet: *Digitum unitatis numero pro almo, divinoque Spiritu accipi debere profitemur; quo lex in duabus tabulis in monte Sina ſcripta fuit: ipſe enim (ut ipſe ait) ſcripſit atque dictavit.* Horum teſtimonia uberiora producentur in tractatu myſtico & morali. Nec verò opinemur omnipotentiæ illi ſupremæ derogari, dum in minima particula Univerſum hoc deſcribitur: de quo dictum eſt: *quod pertingat à fine usque ad finem fortiter, & diſponat omnia ſvaviter.* Sine fine enim magnus eſt in maximis, æque ac in minimis.

Spiritus Dei.

Pier. l. 36. de Digito.

Opuſc. de Divin. eſſent.

Conſiderationes ſacræ ulterius incrementum ſumpſerunt: dum enim ad digitorum multitudinem reflexio facta eſt, in his figurari poſſe crediderunt Prophetas: per quorum viva teſtimonia, & relationes, de Entitate illa ſuprema diſtinctior nobis notio increvit, & ſcripto & oretenus ab iis promulgata. Entitas inquam illa, quæ cuncta & conſervat, & moderatur. Unde ſupra hoc ipſum Propheta Regius ajebat: *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum.* Supra quod Pierius prædoctè commentatur: *Ubi per cælos, ipſam prophetarum incitationem accipiunt.* Lectiones hæ, & præcognitiones ſaluberrimæ ſunt, quas oporteret iis familiares eſſe, qui rectitudinem Chriſtianitatis profitentur: pandunt enim nobis, quæ alioquin velata ſunt, & myſteria nobis elevatiſſima, & maxime ſingularia de divino illo gazophilacio exponunt. Optime igitur S. Chryſoſtomus: *Prophetæ, mentalibus oculis futura viderunt.* Et alibi: *Prophetarum ora ſunt DEI os.*

Prophetæ.

In Geneſ. hom. 12.

De verb. Iſai. hom. 2.

In actione illa, qua nonnunquam, dum in cogitationibus profundis abſorpti, aut impetu iracundiæ correpti ſumus, in os imponere digitum (quidam etiam ſibi ungves corrodunt) antiqui Ideam hominis cogitabundi, aut vindictam ſpirantis figurarunt. Sic ſapienter per exterius illud, interiora argumentabantur, nec ſine fundamento. Alluſit ad hoc acutiſſimus ſimul, & ſatyricus Perſius, cum ajebat: *Non pluteum cedit, nec demorſos ſapit ungves.* Alius item dum carmen meditaretur ſic ajebat:

Homo cogitabundus, vel vindicativus.

Sæpe caput ſcaberet, vivos & roderet ungves.

Sic apud Propertium habetur:

Ungve meam morſo ſæpe querêre fidem.

Cum effectus hi, de iraſcibili hominis producti, terminum ſuum hic conſequuntur, nec cogitatio ad operis usque executionem procedit, demonſtratio toleranda eſt: poterit enim ſucceſſu temporis ſubſidere & evaporare: ſed cum hos limites tranſcendit, impetus paſſionis intolerabilis eſt, & hominem è ſtatu ſuo deturbat: ſicut S. Baſilius inquit: *Ira hominem prorſum efferat: ac ne hominem quidem eſſe ſinit, tales enim rabie laborant ut canes, ſubſultant ut ſcorpii, mordent ut ſerpentes.*

Porro Obſervatores docti per ſtatuam hominis ſalientis, qui capiti digitos imponens ſcalpere ſe vel fricare videbatur, hominem mollem & effæminatum, & qui delitiis nequitiæ ineſcatus ſit, figurarunt.



De hoc Cneus Pompejus ab amicis ſuis ſugillatus fuit, qui videlicet ad pilum usque minimum actiones ejus ponderabant. Alluſit ad hoc Juvenalis, dum ait:

Qui digito ſcalpunt uno caput.

Hæc geſticulatio variis modis notata fuit: quandoque nimiam munditiem figurabat: quandoque ad oſtentandos annulos, & in iisdem lapides pretioſos: quandoque cum motu inſilientis in hoſtem ſuum. Unde etiam Chiloni Lacedæmonio dictum fuit, ne tantopere in loquendo manum commoveret; quod proinde in proverbio tam Latino, quàm Hebraico uſurpatur: *Stultum digito loqui.* Deſcendamus nunc de univerſalibus, ad particularia.

DE POLLICE.

Fides & pactum.

QUamvis ſupra jam relatum ſit duas manus invicem junctas ſignum reciprocantis fidei, & pactionis ſtabilitæ eſſe: idem nihilominus exprimebatur per duos pollices ſimul junctos: unde locus Cornelii Taciti non omittendus, qui ait: Regum antiquorum conſvetudinem fuiſſe, ut in ſancienda utrimque fide, ſibi dexteras invicem componerent, pollices autem usqueadeo ſibi connecterent fortiter, & conſtringerent, ut etiam foris violentiæ hujus evidens ſignum apparere vellent: propter quod ſibi vulnere levi ſangvinem ex his digitis eliciebant, quem deinceps alter alteri lambebat. Atque ita reciproco ſangvine pacta ſua ſubſcribebant. Severiores in ſemetipſos, quàm Deus erga nos, qui in teſtimonium & arrham fidei noſtræ, non cruorem ſed ſinceram voluntatem, & conſimiles à nobis affectus requirit.

Oreſtes furibundus.

In Regione, quæ Mania dicitur, inter Megalopolim & Meſſiniam tumulus eſt, in quo olim ſuper lapidem digitus apparebat per ſculpturam expoſitus, ſolus ſine manu. Pauſanias, profundorum omnium expoſitor, ait: Hunc tumulum Oreſtis fuiſſe, qui poſt tot ſcelera perpetrata, poſt matricidium, poſt occiſionem filiorum, furiis agitatus, in ipſa phræneſi ſua ſibi dentibus ſuis pollicem mordicus abſtulerit, atque idcirco in teſtimonium eventus hujus, pollicem ſupra tumulum collocatum eſſe. De hoc antiqui ſibi Hieroglyphicum hominis reatu conſcientiæ ſuæ & ſyntereſi mentis ſuæ tormentati formârunt, cum epigraphe ſequenti: *Furiæ Oreſteæ.* Et ut verum fateamur cum S. Iſidoro: *Nulla pœna eſt gravior reâ conſcientiâ.* Hæc rota Ixionis eſt, quæ eum circumvolutat ſemper: hoc ſaxum Siſyphi, quod æternum ei laborem præbet: hic vultur Titii, quo ſemper roditur: Hæc eſt illa Hecuba, quæ ſemper latrat, & dilacerat: *Fugit impius nemine perſequente,* intonat Spiritus Sanctus. Hic ille Cain eſt, qui ad omnem adeo greſſum timidus ait: *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Caveat unusquisque ne his furiis, hoc œſtro agitetur.

Tormenta rodentis conſcientiæ. *l. 2. Solilog.*

Pacificator.

Cum porro pollex ſit caput, Duxque digitorum, tantundem ex ſui parte tenens, quantum reliqui digitorum ſimul omnes, ad cujus etiam motum reliqui ſe dirigunt: Doctiſſimus Pierius refert, cum antiqui virum Pacificatorem, & Compoſitorem litium, & diſcordiarum indicare vellent, monſtrabant quempiam ſupina manu, cujus pollex verſus palmam flectebatur, & ſe inclinabat.

Ait



Ait autem, hanc conſvetudinem potiſſimum Romanis uſurpatam fuiſſe: & in huic rei teſtimonium Quintilianum adducit, qui ſic habet: *Quis geſtus in ſtatuis Pacificatorum eſſe ſolet? Qui inclinato in dextrum humerum capite, brachium ab aure prætenſo, manum inflexo pollice extendit,* ſic intelligendus eſt Papinius dum ait: *Dextra vetat pugnas:* de præfato geſtu loquens: qui evidenter admodum in ſtatua Imperatoris M. Aurelii apparebat, quæ ad tempora usque Pierii adhuc integra permanebat, collocata ante Baſilicam Lateranenſem, ex ære fuſa, in ſimilitudinem Coloſſi procera, equo inſidens, & dexteram ſuam, cum pollice inflexo, prout diximus, extendens. Hæc Pacificantium virtus exercitium habet nobiliſſimum, & elevatiſſimum, non minus ac pium, illius videlicet boni defenſionem ſuſcipiens, quo humana, ſimul & divina beatitudo & felicitas enaſcitur. Pacificator autem, cum Caduceatore idem eſt: quorum uterque inſignibus ſuprahumanis dignus eſt, in tam eximiis ſeſe dotibus exercens.

Sylv. 1.

Favor exhibitus victorioſis, & Laus valoris.

Sicut autem pollex inflexus typus erat Pacis, ſic elevatus & erectus applauſum, vel votum vel favorem portendebat, quæ tribuebantur tum potiſſimum cum victoria obtenta eſſet: aut verò etiam laudem figurabat, quæ valori dabatur, poſtquam ſtrenuè & magnanimiter præliatum eſſet. Ad hoc factum alludebat Lyricus Venuſinus, his verbis:

Fautor utrumque tuum laudabit pollice ludum.

Erat olim inter pugiles in more poſitum, ut ſiquidem inter ambos eorum unus ſe victum agnoſceret, victoriamque Antagoniſtæ ſuo adſcriptam vellet, manum ſublevaret, conſtrictisque quatuor digitis pollicem erigeret. Mos quoque erat, ut in reprobanda re quapiam pollex portenderetur: in electione nationum extendebatur index: Cui Pierius adjungit (erit autem hoc pro ſolito morali documento) *Idque utinam ſtudio non tam perdito fieret, non Italia omnis ſibimet adverſaria, omnium hinc prædæ expoſita, tot clades, direptiones, incendia, deſolationesque ſuarum urbium, tam continenti tot annos bello pateretur.* Plus igitur nonnunquam utilitatis adfert Neutralitas cum judicio obſervata, quàm nimium ex altero latere partium ſtudium.

Tyrannis, & crudelitas.

Sed id quod hactenus in ſignum fuit pietatis, & clementiæ, invenio alibi typum eſſe tyrannidis, & barbaricæ crudelitatis. Recenſet Pierius, cùm tyranni olim ſatellibus, & ſicariis ſuis annuere vellent, ut ad excidia, ad mortes ruerent, elevato brachio dictum pollicem incurvaſſe: tum enimvero evaginabantur gladii, ſtringebantur ſicæ, & in ſangvine innocentum deſæviebant. Æmulabatur hic pollex quadantenus falcem metentium, qua ictu unico faſciculi herbarum deſecantur. Si verum eſſe inquit Euripides: *Crudelitas ſemper civitates perdidit, & Regna.*

Euripides.

Robur & fortitudo.

Antiquitas rurſum volens robur hominis denotare, brachium demonſtrabat elevatum, quatuor digitis complicatis, & clauſis, pollice erecto: hic igitur repetendum quod ſupra diximus: *Pollex à pollendo:* De quo Græci dixerunt, eum toti manui æquivalentem eſſe, & propemodum vicem ſecundæ dextræ obtinere: nec in ſiniſtra quidem ſine opere & valore eſt, quamvis id cum minori energia. Ab antiquis pollex *Hallo* dictus fuit, eo quod cum temeritate & licentia quadam dorſo reliquorum digitorum inſedere conſveverit. Ubi aſpirata litera H. in locum S. ſucceſſit, alioquin de ſaliendo nomen ſortitus, omnibus enim digitis inſilit. Siquidem hoc robur, cum

for-

fortitudine animi conjunctum fuerit, & rite contemperatum, non minimum privilegium & attributum dici poterit, quo perſona hominis, adornetur: unde Peripateticus ait: *Accidit fortitudini audacia, præſtantia animi, fiducia, confidentia; adhæc induſtria, & tolerantia.* Et S. Auguſtinus, etiam materialiter de manu loquens, ſic habet: *Manus fortitudinem ſignificat.*

De virtute & vita.

6. Muſic.

Homo enervis.

Hinc ſi homo enervatus & nullius vigoris demonſtrandus eſſet, manum repræſentabant expanſis digitis, ſed pollice deſtitutam, hæc ſubſcribendo: *inutilis bello.* Fortaſſe Hieroglyphicum hoc ab Athenienſibus mutuantes, qui poſtquam populum quendam, Æginenſem dictum, qui ſe ab Dominio eorum per rebellionem ſubtraxerat, rurſum ditioni ſuæ, vi armorum ſubjeciſſent, ut omnibus innoteſcerent, atque ad bellum poſthæc eſſent inutiles, pollices eorum truncârunt, & ad remos perpetuò ablegarunt: cujus rei rationem adfert Plutarchus: *Ut remos agere poſſent, haſtas tractare non poſſent.* Sic inventi ſunt nonnulli (teſte Pierio) qui cum domi deliteſcere mallent, quàm foris inter arma glorioſè occumbere, ſibi ipſis pollices abſtulerunt: quod inter alios de Cajo Votieno narratur: ſic à Cæſare Auguſto eques quidam Romanus repræhenſus fuit, quod, ut filios ſuos ab hoc celebri armorum exercitio ſubtraheret, ipſe pollices eis truncaverit. Sic Marcellinus Gallogræcos ſugillat, quod pollice ad dimicandum contra Heroës Franciæ careant. Quod vitium ignaviæ, & vilitatis inter omnia deteſtabile eſt. Hinc S. Chryſoſtomus: *Deſidia fomes omnis malitiæ eſt.* Et Euripides: *Nullus ignavus in celebrem virum evadit.* Atque hæc de pollice dicta ſuffecerint. Videatur nunc

Vilitas animi.

In Ioan. hom. 43.

Apud Stobeum.

INDEX.

Hoc nomen adeptus eſt ex eo, quod cum res monſtranda eſt, hoc digito uti conſveverimus. Quidam eum *ſalutatorium* appellant; quidam medicum nominant, ſubſtituentes illi nomen, quod jam prius dictum eſt, *annulari* attributum eſſe: medicum autem ajunt, eo quod hoc digito deguſtare cibos ſoleamus. Fuit autem hic olim præcipuè Hieroglyphicum ſilentii, eo quod hic digitus potiſſimum ad ſilentium exprimendum, ſuper labia collocetur: in quo geſtu Titi Livii imago apparet ſupra portas fori civitatis ſuæ, quaſi ipſe hiſtoricis omnibus ſilentium poſthac imperet, quos hiſtoria ſua Romana & fama, & eloquentia, & virtute ſcriptionis ſuperarit. Meminit hujuſcemodi geſtûs, & conſvetudinis Apulejus dum ait: *At ille digitum à pollice proximum ori ſuo admovens, in ſtuporem attonitus; Tace inquit.* Et S. Pontianus Pontifex: *Si tibi eſt intellectus, reſponde proximo; ſi autem hæſitas, ſit manus tua ſuper os tuum.* Et S. Damaſus: *Digitum ori imponite; hoc eſt: nihil ulterius loquamini.* Sic Valerianus refert: In omnibus locis & templis, ubi Iſis adorabatur, & Serapis, imagines perſonarum omnes ſic apparuiſſe: nempe digito ſuper os collocato. Hæc formalis erat figura Harpocratis, qui videlicet hoc geſtu mortalibus perſvadere intendebat, quantum utilitatis eſſet in ſilentio. Sicut in hoc ſigno item declarabant Ægyptii in quanta veneratione, & Templa & Numina habenda ſint, ne in horum præſentia in loquacitatem profundamur. In eandem formam leges erectæ ſunt, quas Lycurgus, quas Plato ſanxerunt. Tantopere autem ſilentium in conſideratione erat, ut nonnulli imaginem Harpocratis in annulis ſuis ſculptam geſtarent (ſic Plinius memorat) hoc indicantes, quantum interſit ſilentio uti noſſe in commerciis vitæ noſtræ. Talis porro Deæ Angeronæ erat effigies, quæ inſuper os ſigillatum præferebat, & ligaminibus obvelatum. Huic tanta à Romanis fides attributa eſt, ut eam ſculperent Urbem Romam manu ſua tenentem. Hinc Valerius Soranus ob ſecreti revelationem, ſupplicio mortis adjudicatus fuit. Quantum igitur miniſtros Principum oportet taciturnitatis amatores eſſe, quippe qui negotiis tam arduis interſunt? Cujus rei nobis argumento ſit Alexander Magnus, qui cum Epheſtioni rem celandam crediſſet, extractum annulum, ori ejus impreſſit.

Silentium.

Lib. 1. Metam.

In Epiſt. quadam.

In Epiſt. ad Epiſcopu.

Angerona Dea ſilentii à Romanis in honore ſummo habita.

Q. Curtius.

Inexplicabile bonum eſt, quod de patientia naſcitur. In Codice quodam antiquo Maſſurii ſcriptum invenimus: *Angeronæ ſimulacrum, quod Romæ in Sacello Volupiæ obligato, obſignatoque ore viſebatur, propterea fuit confictum: quod qui ſuos dolores, anxietateſque diſſimulat, patientiæ beneficio, ad maximam pervenit voluptatem.* Erat autem Volupia inter Romanos Dea, tantopere ab iis delectamento & voluptati ſacra, quantum Angerona ſilentio. Id quod præfatus Author indicare voluit. Unde etiam Hieroglyphicum cum hac inſcriptione formatum fuit: *Ex patientia voluptas.*

Voluptas proveniens ex patientia.

Sicut



Sicut autem vitium maxime condemnabile *ſimulatio* eſt, ſic econtra virtus eximia eſt, & quæ præmia maxima, maximamque conſolationem adfert, *diſſimulatio.* Atque hoc eſt illud: *Suſtine, & abſtine*: doctiſſimi Alciati, *multa diſſimula, pauca corrige.* Et Catonis illud: *pauca corrige.* Harpocrates, & Horus, qui idem cum ſole eſt, juxta Ægyptios, de cælo deſcenderunt, habentes Indicem ſuper labra. Ut etiam palam fiat, quantùm Romani ſilentium in veneratione habuerint, in Sympoſiis, & Tricliniis ſuis tabulam affigebant habentem literam S. auro depictam. Torquatus item ad convivium celebre invitatus, cautionem petiit à convivis omnibus, ut ne quiſquam proximi ſui ſecretum revelaret. Hæc de Indice: Nunc de

Hieroglyph. Lib. 36.

MEDIO.

Hic digitus à ſemetipſo nomen ſuum mutuatur, hoc eſt, de ſitu in quo eſt; in medio enim manus locum ſuum habet, & illic radicem ſuam continet. Quidam eum *Hallo* nominari voluerunt: alii *Linctorem* à lingendo, dum per hunc non minus, ac illum ſuperiorem lambere cibos ſolemus. Itaque ſacrificuli Ægyptiorum ut ſtomachum exprimerent, hunc digitum depingebant, & efformabant, ſicut in Hieroglyphicis Hori Apollinis apparet. Verum quidem eſt, quod Pierius referat, ſe hujus rei cauſam ſingularem nondum inveniſſe: niſi forte idcirco, quod inſtrumentum potiſſimum eſt, quo ſtomachus, provocatus ad vomitum, ſublevatur, tum cum forte aggravatus eſt: aut verò idcirco, quod medici ſtomachum, Regem omnium corporis partium appellant: pari modo & hic digitus inter cæteros major eſt: & ſicut ſtomachus in medio corporis humani eſt, ſic digitus hic in medio digitorum.

Stomachus.

Replicandum hic eſt, quod jam ſupra relatum (ſic exigente materie) hunc digitum Hieroglyphicum eſſe irriſionis, & infamiæ: ſolet enim hic extentus, reliquis compreſſis nil honeſti exprimere. Alluſit ad hoc Satyricus, ubi ait:

Infamia & Irriſio.

Ex Pierio ubi ſupra.

- - - cum fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet unguem.

Diogenes pro more ſuo ſemper mordax (unde Cinicus dictus) cuidam qui cum ſedulitate inquirebat Demoſthenem, (eum noſſe cupiens) quem quærebat demonſtravit, ſed digito medio exporrecto, & reliquis depreſſis, impudicam hominis naturam hoc ſigno percellens. Dicebatur olim in proverbio (de quo nihilominus infra fuſius:) *Et impudicum oſtendis digitum.* Si offenſam Dei exceperis, quem oportet actionum noſtrarum ſcopum unicum eſſe, nil tam eſt, quod nos ab omni opere illicito retrahere debeat, quàm vulgi opinio. Adraſtæus, & Nemeſis vehementius, & acutius flagellum non habent. Creſcit planta hæc per auram popularem, & tam facile incrementum habet, ut proinde & ipſos ſolares radios bonorum operum obſcurare poſſit. M. Tullius tantundem ait: *Sic eſt vulgus: Ex veritate pauca, ex opinione multa judicat.* Væ ei, qui in judicium illius inciderit! De his hactenus. Venio ad

Pro Roſcio.

ANNULAREM.

Digitus hic Ethymologiam ſuam à quotidiana experientia ſumit: in hoc enim, idque potiſſimum fæminæ, geſtare annulos ſolent. Sumitur autem præcipuè pro Hieroglyphico cordis. Sic ſacerdotes Ægyptii, in eodem digito portantes annullum

Cor.

qui

qui incluſam auro tenebat gemmam pretioſam, credebant inde cor ſuum quaſi diademate coronatum. Liniebant hunc digitum, ungventis fragrantibus, eundemque frondibus adornabant, & floribus, idque ob nervulum quendam, quem Phyſici ajunt ab hoc digito ad cor ipſum deſcendere. Sic non minus in more poſitum erat, ut in præfatis digitis memoriam, & imagines eorum inſculperent, quos maxime diligebant, & obſervabant, ut videlicet ſine intermiſſione è vicinio cordis eſſent. Unde de diſcipulis & ſequacibus Epicuri ait Cicero: *Epicuri imaginem non ſolùm in tabulis, & poculis, ſed & in annulis habebant.*

Hieroglyphicum Matrimonii.

Et quia merx cordium, potiſſimum in Emporiis conjugatorum exponenda eſt, ſtabilitum inter veteres fuit, dictumque, deduci per hoc poſſe imaginem ſignumque veracis fidelitatis, & intimæ affectionis in conjugio: unde ad hoc demonſtrandum digitum exhibebant, annullo decoratum. Hinc Septimius Florenus eum Pronubum appellat: docens, tum fuiſſe ſæculum aureum, cum auri nulla cupido eſſet, cum ii qui matrimonio jungebantur, id ſibi ſufficere volebant, ſi hæc ſola corporis particula ornata eſſet: Tot interim torques, tot monilia, tot margaritas vilipendendo: quibus ſæculum noſtrum penè ad aures usque immerſum eſt. Hinc Maro digitum memoratum, *vincula jugalia*, nominavit. Felix matrimonium ubi major eſt cordis, quàm auri æſtimatio. Sic illud Plutarchus intelligit, & exponit, dum ait: *Eſt quadam naturalis æmulatio benevolentiæ erga Maritum, & Uxorem, & Mariti Matrem: cujus affectus unica curandi ratio eſt, ut ſeorſum ſibi benevolentiam uxor conciliet viri, & matris non convellat, atque diminuat.*

Septimius Florenus. *Præcept. Connub.*

Veritas in oratione.

Non invenuſtum eſt, & memoria dignum, ni fallor, quod de veteribus refertur, eos conſveviſſe, dum à diis ſuis veniam precarentur, & fortuito caſu de ore ſuo verbum protuliſſent indecens, aut Numini ſuo non acceptum, aut vero actus iis inconveniens accidiſſet, in principio orationis, hoc ſibi digito os tangere, tum proinde auribus imponere, ac ſic manibus junctis, & elevatis oraſſe. Dum enim ita digito labia ſua comprimerent, conteſtatum eſſe volebant, ſe ab iis omne verbum inutile, & improprium excludere, auresque obturare velle, ut tanto magis apertas in Numinibus invenirent. Viden, quàm inter Ethnicos quoque oratio inveneratione habita ſit. Nec mirum, inquit S. Chryſoſtomus: *Orare enim commune opus eſt Angelorum, & hominum:* Et rurſum: *Orante homine nihil fortius, quia oratio ſignum eſt totius juſtitiæ.* Hiſce tranſeo ad

De orando ad Deum. *De Iejun.*

AURICULAREM.

Spurius.

DE hoc Hieroglyphicum nullum in venio, ſed hanc chyromanticam obſervationem; ſi tantopere brevis ſit, ut ad juncturam tertiam annularis non pertingat, unciam hanc eſſe inquiunt, quæ ei deſit, ne legitimus credi poſſit: ſignumque evidens, hunc hominem de nuptiali thoro natum non eſſe, ſed ſpurium, vel adulterinum. Quidquid ſit, cum Pierio memorato concludo: *quoniam ex divinatricibus, conjecturalibusque diſciplinis (ſi modo diſciplina eſt) nulla eſt hac magis fallax.* Progrediamur ad obſervationem numeri, quem hic digitus figurat.

Loco citato.

Numerus ſeptenarius quantæ excellentiæ ſit.

Volebant antiqui, digitum hunc ſi in palmam manus, quantum poſſet, longiſſime diſtenderetur, numeri ſeptimi figuram eſſe. Per hunc numerum Hebræi, aliæque item nationes, complementum, perfectionemque rei cujuspiam intellectum eſſe voluerunt. Sic Ægyptii, ut formam genuinam orationi ſuæ darent, eam ſepties repetitam voluerunt. David quoque ex his fundamentis ait: *Septies in die laudem dixi tibi.* Supra quod Euthymius: *Donec in eo, quidquid terreni fuerat, igne abſterſum exhalarit.* Et rurſum in Pſalmo ſeptuageſimo nono: *Redde vicinis noſtris ſeptuplum.* S. Chryſoſtomus etiam: *Septenarius*, inquit, *numerus in divinis literis infinitæ multitudinis ſignum habet.* Unde Virgilius ſic canit:

Euthymius. *Action. in Iude. ſupra.*

Septem illum totos perhibent ex ordine menſes
Rupe ſub aëria deſerti ad Strimonis undam
Fleviſſe.

Et alibi.

- - - immania ſeptem
Terga boum.

Hinc propter numeri hujus excellentiam Spiritus Sanctus ſeptenarius dici volſtit: quemadmodum eum nomine hoc Eccleſia honorat; dona item ejus numero hoc cenſentur. Philo etiam, & Hierocles nil puritatem poſſe perfectionis conſequi credunt, niſi prius per hunc numerum tranſierit. Perfecti Chymici ajunt, argentum ſummum gradum perfectionis adipiſci, dum ſepties purificatum, & decoctum fuerit. Sic ſaccarum ſeptem vicibus liquefactum & purgatum, in petram pretioſiſſimam transformatur, & deinceps nequit refundi. Sic in numero annorum, medici aſſerunt, ſiquidem ſeptuagenarium quisquam attigerit, hunc climactericum futurum; pari modo omnem ſeptenarium mutationibus climactericis ſubjectum eſſe. Hinc in Levitico habetur: *Septem diebus comedetis azyma:* Quibus verbis Doctores inquiunt intimari, toto vitæ noſtræ decurſu nobis in oratione perſeverandum eſſe. Hæc de annulari ſufficiant, qui reliquis, quoque quamvis mole, & quantitate, tamen dignitate inferior non eſt.

In hoc loco ſe mihi campus quam latiſſimus aperit, ut de menſuris & numeris, eorum diviſionibus, ſignificationibus, figuris, & doctrinis & commenſurationibus & quæ his vicina ſunt, loquar: ſunt enim digiti, qui & unicam, & palmum, & ſpithamam introduxerunt. Qui tractatus non minus utilis, quàm copioſus eſt: ſed ne capitulum hoc indebita prolixitate turgeat, hæc vel ad finem tractatus hujus, aut ubivis alibi, diſcutienda relinquo, ubi ſcilicet ſe occaſio quàm maximè commoda obtulerit. Hic interim de Hieroglyphicis tranſeo ad

MORALIA ET MYSTICA.

Adverſus Marcionem. *Lib. 6. Stromatum.* *Ep. 119.*

ACutiſſimus Tertullianus in materia tam eminenti, primum nobis paſſum exponit, dicendo, per digitos divinam poſſe virtutem conſiderari, ſicut & Spiritum Sanctum. Conſentiunt huic Clemens Alexandrinus, & Auguſtinus: in exemplum ejus adducendo factum illud tam celebre, à ſcripturis memoratum, quo Magi Pharaonis, dum ſe in tertio ſigno defeciſſe animadverterent, exclamarunt attoniti: *Digitus DEI hic eſt.* Sic volunt Heſychius, S. Hieronymus, & Eucherius. In hunc ſenſum poſſunt intelligi digiti Moſeos, & Sacerdotum, quorum mentio fit in Exodo, in Levitico, in Deuteronomio, in Pſalmis, in Numeris, in S. Matthæo, in Luca: ſicut iidem Authores ſentiunt, dicentes: per hos digitos inſpirationem, aut vocem Spiritus Sancti internam ſubintelligi. Potentiam illam, qua Altiſſimus mundum univerſum ſuſtentat, de qua item Iſaias: *Tribus digitis appendit Deus molem terræ:* Sanctus Cyrillus & Gregorius eo referunt, ut in illa virtutem divinam, in trinitate perſonarum conſiſtentem intelligant. Digitos illos, qui funeſtam mortis ſententiam

Fort. Spir. 1. *In Levit. 4.* *In Marc. 7.* 29. 4. 8. 8. 19. *Cap. 40.*

13. Theſſalon. 2. *Pſalm. 8.* *In Ezech. hom. 10.* *In Dan. 50.*

Regi Balthaſar in pariete depinxiſſe leguntur; Lyranus ad Sanctum Spiritum refert. Locum illum Pſalmiſtæ: *videbo cælos tuos opera digitorum tuorum.* Sanctus Gregorius, & Auguſtinus ſic commentantur: *Digiti Dei in plurali dicuntur Prophetæ, & Apoſtoli, per quos Deus libros ſacræ ſcripturæ ſua inſpiratione conſcripſit.* Elegans admodum, meo quidem judicio, eſt interpretatio illa, qua præfati Eucherius, & Auguſtinus in varietate digitorum, varia Spiritus Sancti dona intelligunt, per quæ videlicet contra Dæmonium dimicamus. Illic ubi citatus propheta David ait: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* S. Rupertus Abbas, S. Hilarius & Beda ſic habent: *Digiti docti ad bellum, cùm ſint extremæ partes corporis, deſignant operationes, divina illuſtratione inſtructas eſſe in nobis, ne dæmonum fallaciis capiamur.* Sic in Cantico Canticorum, & in Proverbiis, ubi dicitur: in Cantico quidem: *Digiti mei diſtillaverunt myrrham:* in Proverbiis: *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum*; citati authores eminentiam, & ſublimitatem operum intelligunt.

Pſal. 143. *Cant. 5.* *Prov. 31.*

Supra textus ſcripturarum jam memoratos, & præter hos in Sapientia & Iſaia; in illa inprimis ſuper verba quæ ſequuntur: *quibus neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum:* in Iſaia: *Manus veſtræ pollutæ ſunt ſangvine, & digiti veſtri iniquitate:* S. Gregorius commentatur, quod cum hi digiti ab iniquitate memorata correcti fuerint, virtutem operativam, ſicut & virtutes varias tam morales, quàm Theologicas ſignificare poſſint: in quorum minimo, inquit idem, minima quoque virtus intelligenda ſit: quære in Matthæo, Luca, in libris Reg. & Paralipomenon.

Sap. 15. *Iſai. 59.* *In Cant. 5.* *Matth. 23.* *Luc. 11. 3. Reg.* *11. Par. 10.*

Exod. 29.

Legimus in Exodo, quod menſæ Tabernaculi coronis circumdatæ fuerint altitudine digitorum quatuor: ſupra quod ſic Gloſſa interlinealis commentatur, in his quatuor figurari Evangelia, operâ Spiritus Sancti in lucem data. Adjungit eadem Gloſſa ad illud Iſaiæ: *Opus manuum ſuarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum:* in hoc intelligendas eſſe rationes falſas, quas peccatores conſarcinant, componunt, & machinantur. Digitos illos altiſſimæ ſtatuæ, quam Nabuchodonoſor Rex ſomniando vidiſſe, & quam Daniel expoſuiſſe legitur, de quibus dicitur: *pars eorum ærea, pars fictilis:* gloſſa ordinaria ſic explicat: *Digiti ſtatuæ partim teſtei, partim ferrei Regnum diviſum indicabant, quod de plantaria ferri oriretur: quod in Regno Romanorum adimpletum eſt.* Id quod Levitica Lex de Sacerdotum digito inquit, eum ſacrificantibus oleo unctum, & delibutum eſſe oportere, rurſum gloſſa ſic exponit: gratiam illic Sancti Spiritus indicari. Eundem morem adhuc hodie Sacerdotes & Epiſcopi in Sacramento baptiſmatis, in chryſmate, in conferendis ordinibus, in adminiſtranda unctione extrema obſervant.

Iſai. c. 2. *Daniel. 2.*

Iud. c. 18.

De facto illo, cujus liber Judicum meminit, ubi ſexcenti viri facinoroſi ante phanum ſtabant, illud ſpoliantes, Sacerdoti autem, qui Sacelli cuſtos erat, os verbis illis claudebant. in conſortium facinoris & prædæ eum vocando: *Tace, pone digitum ſuper os tuum:* De illo quoque, ubi Job amicos ſuos alloquens, ait: *Attendite me, & obſtupeſcite, ſuperimponite digitum ori veſtro:* S. Gregorius, & Rupertus Abbas commentantur: hos præfatos actus inprimis quidem denotare juxta literam, ſilentium, deinde etiam os providum, circumſpectum & diſcretum, in loquendo. Ait item Rupertus Abbas per digitos apprehendentes fuſum, de quibus ſupra dictum eſt, inſinuari intentionem diſcretionis, qua queinque operari oportet. Id quod in Proverbiis legimus: *Digito loquitur:* & quod Iſaias confirmat: *Extendit digitum:* Lyranus, ſicut & gloſſa ordinaria, ad arrogantiam, & tumorem hominis ſuperbi refert: ſicut eſt aperta detractio, proximumque cenſurare, & criticare.

Iob. cap. 21. *15. Moral. 17. 18.* *In Cant. 5.* *Prov. 6.* *Iſ. 58.* *5. In Iſai. 58.*

Hæ conſiderationes, quamvis paucæ numero, non paucæ dicendæ ſunt, mi Lector, ſi ſuccum earum, ſenſuumque energiam in compendio datam conſiderare tibi placuerit. Poteris nihilominus, ſi libuerit, de obſervatoribus magis diffuſis petere, quæ guſtui tuo plus arriſerint, qum quæ tibi de parca menſa mea in his foliis proponuntur; de quibus avocor ad

PROVERBIA.

Ad Philoſophiam Eloquentiam, Decorum, Authorum obſcuritatem enodandam Proverbia inſerviunt.

AD quatuor adeo Profeſſiones, ad moralem vitam hominis rite inſtituendam neceſſarias admodum, inſerviunt parœmiæ, aut ſi mavis proverbia. Ad Philoſophiam; ad Rhetoricæ artis ſcientiam, pro Decore, ejusdemque notitia, ad dilucidationem claritatemque locorum, qui plerumque involuti, & obſcuri occurrunt: Sic Ariſtoteles docet. Quod primum attinet, Aldus inquit: *Nihil aliud eſſe Parœmias, quàm reliquias priſcæ illius Philoſophiæ, maximis rerum humanarum cladibus extinctæ.* Et de Plutarcho, qui tria quæ ſuperſunt loca ſimul comprehendit præfatus author ſic habet: *Veterum adagia ſimillima putat ſacrorum myſteriis, in quibus maximæ quadam res, ac divinæ, minutuilis, & in ſpecie quidem ridiculis cæremoniis ſignificari ſolent. His enim tam brevibus dictis, per involucrum quoddam eadem invenimus, quæ Philoſophiæ Principes tot voluminibus tradiderunt.* Stunte hoc, aliisque inſuper argumentis, facile patet, quàm neceſſaria ſit proverbiorum lectio, in qua ſi paulo latius evagari mihi placuerit, benevolus Lector, id ſpero, vitio non vertet. Et primùm *Computatorum digiti*, de iis dictum eſt, qui cum in faſtigio fortunæ eminentis coſiſtntunt, in periculo ruinæ, & offenſæ gravis commemorantur. Deducta metaphora de digitis eſt, qui inter numeros aut ſummam grandem, aut verò infelix nihilum ſignificant. Hi caſus inopini præſertim in Beliſario, in Sejano; in Dionyſio tyranno Syracuſano, in Polycrate, & in tot aliis eximii admodum ſunt: præterquam quod quotidiana nobis experientia non diſſimiles adminiſtrat: veraces, inquam, peripetias, quæ ſine intermiſſione nobis in ſcena Mundi repræſentantur: de quibus inclyta illa Muſa Hieronymi Porti, ſic de fortuna loquens, audiatur:

De ſumma fortuna, gravis lapſus metuendus.

Sà, fabra di miſerie, in modi atroci
De ſuoi troni re al formar le croci.

De Otrante, ſic dicto, Genero Regis Artaxerxis Plutarchus refert, quod per ſummam Principis iram de gradu honoris, & favorum dejectus, dixerit: *quemadmodum Arithmeticorum digiti nunc myriades, nunc autem unum tantum ſignificant, ita Regum quoque Amici, ſive Purpurati, nunc omnia, nunc autem nihil omninò poſſunt.* Quod ulteriori probatione non indiget, cum diurno experimento id facile doceri poſſimus.

In Apopht.

Vitæ brevitas.

Non usqueadeò inſenſati erant, quamvis pagani eſſent, antiqui, ut non hoc ſpacium vitæ noſtræ & fugax, & tranſitorium eſſe cognoſcerent; dum tam facili compendio ſe terminare vitam intuebantur.

tur. Unde illud verbis ſequentibus expreſſum voluerunt: *Dies digitus.* Innuebant hoc, longiturnitatem vitæ noſtræ menſurabilem eſſe digito uno, tam exigua hominis portione. Proverbum hoc illo altero confirmatur: *Spithama vitæ.* Alcæus Poëta apud Athenæum ajebat: *Bibamus, quid lucernam moramur? Digitus eſt dies. Accipe majoribus poculis, quæ tu obducas.* Convenit cum Epigrammate illo veteri:

Ducamus Bacchi latices, digitus brevis eſt lux.

Alluſit ad hos ſenſus Commendator Teſtius, qui quamvis ut poëta loquebatur, credebat nihilominus ut Catholicus; ſic carmen ejus eſt:

Poëſiarum part. 1.

Mentre dunque ancor lice, in giochi, e feſte
Fra gli amor, fra le menſe
Paſſerò di mia vita i miglior anni,
Nè laſcierò, che d' importuni affanni
Nubi pallide, e denſe
Mi diluvin ſu' l Core atre tempeſte:
E ſe cure moleſte
M' aſſaliron, farò al penſiero infermo
De doni di Lieo riſtoro, e ſchermo.

Epiſt. 24.

De brevitate autem vitæ ſic ait Seneca: *Tum quidem, cum creſcimus, vita decreſcit: infantiam amiſimus, pueritiam, adoleſcentiam: & hunc ipſum diem, quem agimus, cum morte dividimus.* Uberrima materies pro pulpito.

Pro Aulo Cecinnâ.

Damna paupertatis, & infamiæ.

Si quis per miſeriam, & infelicitatem ſtatus & conditionis ſuæ, aut per opprobrium, & honoris ſui detrimentum, quod in currit, locum non habet quo ſe vertat, nec ſpacium quo excurrat, illud olim dicebatur: *Digitum qua proferat.* Hujus ſchematis M. Tullius meminit, ubi ait: *Digitum qua proferat, non habet.* Breve nihilominus ſpacium eſt, compendioſus locus, ubi digitus volvatur; interim tamen paupertas miſerabilis, & famæ diſpendium in anguſtias hujuſcemodi rediguntur. Amplificat dictum hoc idem Cicero, dum injuſtam uſurpationem potentiæ in Senatore quodam Romano corripiebat: ait enim: *Denique iſta nimia, quæ dominatur in civitate potentia, in hoc ſolo genere quieſcit: Quid agat, quomodo aggrediatur Judicem, quo denique digitum proferat non habet.* Dicit item Manutius: *Sumptum eſt à geſtu Rhetorum, qui varius traditur à Quintiliano. Simpliciſſimus eſt, proferre digitum, quod plebejorum eſt, & ruſticorum.*

Apud Manutium 1233.

Moderatio & temperantia.

Modeſtia, moderatio, & diſcretio in rebus agendis hæc eſt, ut noverit quisque eo quod honeſtum & decorum eſt, contentus eſſe: id quod his verbis olim exprimebatur: *Duobus digitis primoribus.* Quemadmodum enim qui avidus eſt, rem quam appetit ambabus manibus apprehendit (docemur hoc quotidiano experimento) ſic qui moderatus eſt, non niſi digitis prioribus cum dexteritate, & civilitate uti conſvevit. Atque hæc eſt illa aurea moderatio, tantopere à Philoſophis celebrata, & ad omne vitæ inſtitutum neceſſaria. Ex quo illud alterum emanavit adagium: *Moderata durant.* In hoc throno reſidet temperantia: Sententia Plauti eſt, qui ſic habet:

In Bacchid.

Quid igitur ſtulte, quoniam occaſio ad eam rem fuit mea virtute parta, ut quantùm velles, tantum ſumeres, hoc tu digitulis duobus ſumebas primoribus? Sentis? De pollice, & Indice. Rurſum alibi: *Tenetis rem. Ad. Vix quidem Hercle, ita pauxilla eſt, digitulis primoribus.* Ad res animi translatum pluſculum habebit veneris: ut: *Tanta occaſio non erat tibi duobus digitis primoribus accipienda, ſed toto arripienda corpore.*

In Pænulo.

Nimius in cenſurando rigor.

Si quis porro exactitudine nimia, nimioque rigore rem quampiam examinandam ponderaverit, idque ultra quàm decet, aut conſentaneum eſt, his verbis exprimebatur: *metiri digitis.* Ut ſi denotare amicorum quempiam quis velit, aut ſuperiorem, qui plus uni faveat, quàm alteri. Hoc proverbium de Roſtris Romanis Cicero audiri fecit, dum ajebat: *Poëtam non audio in nugis: in vitæ ſocietate audiam civem digitis peccata dimetientem ſua? Si ſunt viſa breviora, leviora qui poſſunt videri? Cum quidquid peccatur, perturbatione peccetur rationis, atque ordinis.* Alluſit ad hoc materialiter quoque Cicero, referens ad Poëtarum conſvetudinem, qui metiri, aut ſcandere verſus in digitis ſolent. Unde Horatius:

Legitimumque ſonum digitis callemus, & arte.

Cui adjungit Manutius: *Non optimus quidem Poëta videtur, qui non ſtatim aurium judicio comprehendit carminis vitium.* Quot compoſitiones de authorum fecunda manu egrederentur, quot elegantia opera de manu artificum, quot ſculpturæ celebres, ſi non tantopere in bilancem ponderata, collocarentur; Protogenes nunquam artis ſuæ perfectionem conſecutus eſt, eo quod manum de linea nunquam dimovere noſſet. Congruit autem ſupramemoratum proverbium cum illo ſequenti: *Milium terebrare.* Quemadmodum enim nimia quorundam licentia in vitio eſt, ſic ex altero latere non minus culpanda eſt nimia ſeveritas & rigor. Quis enim neſciat extremitatem omnem correptione dignam.

Operis cujusdam facilitas.

Securitas, qua quis negocium ſe confidit propediem feliciter executurum his verbis exprimebatur: *Uno digitulo.* Cum hic pars ſit corporis minima, ita ut penè obſervationem noſtram effugiat: difficultates quoque, quæ magni momenti non ſunt, ait Terentius, facile contemni: *Quas mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus, ne tu iſtas faxo calcibus ſæpe inſultabis fruſtra.* Favet huic loco S. Hieronymus: *Hanc*, inquit, *igitur haſtam, quam totis viribus miſiſti, de qua nobis minitaris, uno, ut ajunt, digitulo repellam.* Cui addit Manutius: *Huc pertinet illud, quod alibi dictum eſt, minimo provocare, cùm ſignificamus, nos nullo negotio poſſe vincere.* Sicut igitur horum alterum deſideramus, ſic de altero cavendum eſt. Interim non opinor quemquam eſſe, qui non agilitatem, & promptitudinem in agendo deſideret: nemo enim non inimicus controverſiarum & difficultatum eſt. Veriſſimum ſiquidem eſt, quod Ovidius inquit:

In Eunuch.

In Dialog. Lucif. & Orthodox.

3. Metamor.

Attenuant vigiles corpus miſerabile curæ.

Cælum digito tangere.

Si quis ad negotii cujusdam complementum, quod à longo tempore aggreſſus fuerat, pertigiſſet, aut verò inopinatam felicitatem conſecutus eſſet, ſequentibus verbis exponebatur, quæ vulgò jam innotuerunt: *Cælum digito attingere.* Hoc de iis dictum, qui ſe ſupra reliquos jactantia turgida levare conſveverunt. Eſt autem proverbialis Hyperbole, de qua Tullius: *Noſtri Principes digito ſe putant cælum attingere, ſi nulli barbati in piſcina ſint, qui ad manum accedant.* Sic Lyrica Venuſina:

Quod ſi me lyricis vatibus inſeris,
Sublimi feriam ſydera vertice.

Et Theocritus:

In Hodæpor.

Agnum quando tuli vobis, in ſydera abibo.

Hinc Ovidius:

Huic tu cum placeas, & vertice ſydera tangas.

Liſymachus cum in Thraciam perveniſſet, ratus ſe ad ultimas mundi plagas pertigiſſe, aut verò illuc quo Chriſtophorus Columbus tempeſtate jactatus fuit, imo verò ad cælum usque, ſic ajebat: *Nunc Bizantii ad me veniunt, poſtquam cælum attingo lancea.*

Hæc igitur vox à Paſiade Bizantino correcta fuit, qui cum caſu illic præſens eſſet, hoc eum acumine perculit: *Caveamus ne lanceæ mucro cælum pertundat.* Sic qui ſummos ſe cælorum apices conſcendiſſe autumant, tanto infelicius, & periculoſius pavimento terræ illiduntur.

Victum eſſe.

Si quis victum ſe dabat, in diſſenſione quadam, aut negotio, vel cauſa quadam, vel opere, his verbis palam dabatur: *Tolle digitum.* Antiquus mos erat, ut ſi quis de prælio, aut de lucta victus reverteretur, digitos complicaret, manumque demitteret. Hinc Perſius ait:

Nil tibi conceſſit ratio? digitum exere, peccas.

Dialog. Lucif. & Orthod. lib. 6.

Rurſum S. Hieronymus huic loco ſuffragatur, dum ait: *En tollo manum, cedo, viciſti.* Athenæus item de Antiphane verſus quosdam, contra Tragicos Poëtas, profert: *Ubi nihil habent*, inquit, *quod dicere queant amplius, ſed prorſus hærent explicanda in fabula, repente tollunt maculam digiti vice.* Ad hanc conſvetudinem Cicero alluſit: *Accurrunt Tutores, digitum tollit Junius Patruus.* Simili quoque ratione ſuffragia vel dabantur, vel negabantur.

In Verrem. 6.

Imperare aliquid cum faſtu.

Ad digituli crepitum; de iis dictum eſt, qui cum arrogantia & faſtu rem quandam imperant. Hunc locum S. Hieronymus adhibet, ſcribendo ad Ruſticum monachum, condemnans in homine quodam tali arrogantia cæcutiente, hanc faſtuoſam conſvetudinem. Dum enim coram populo dicendum ei eſſet, cum tumultu primùm ſilentium digitis imperabat, nec niſi hic crepitantibus quicquam proferebat: Cui Manutius hæc addit: *Ut ſingultire crederes, non proloqui.* Sic Martialis igitur, Eunuchum inquit, ſigna digitorum cognoviſſe in Domino ſuo. *Digiti crepitantis ſigna novit Eunuchus.* Et alibi

In Eunuch.

In Diſtich.

Cum poſco crepitu digitorum, & verna moratur,
O quoties pellis culcitra facta mea eſt.

Quod rigor temperandus ſit.

Proſequitur M. Tullius amplificare factum hoc, dum inquit: *Itaque ſi vir bonus habeat hanc vim, ut ſi digitis concrepuerit.* Quæ methodus imperandi ſemper odibilis eſt, eo quod ambitionem, & arrogantiam ſibi conjunctam habeat. Unde S. Cyprianus: *Temperanda eſt ſeveritas, ne veniatur à deteriora.* Et S. Gregorius: *Regat diſciplinæ rigor manſvetudinem, & manſvetudo ornet rigorem: ſic alterum commendatur ab altero, ut nec rigor ſit rigidus, nec manſvetudo diſſoluta.* Cibus hoc pretioſior in menſam boni regiminis collocari nequit.

Lib. 4. Epiſt.

Res encomio vel vituperio digna.

Cogit me hic neceſſitas gramben biſcoctam ponere, & rurſum replicare ſupra jam memorata: acceptatum ſcilicet in communi proverbio eſſe, & in morem translatum, ut in rebus encomio dignis, & quas laudare quis præſumat, pollicem levet: ſi deteſtari velit, eundem comprimat, & plicet. Unde axioma illud proverbiale enatum eſt: *Premere pollicem, vertere pollicem.* Id quod à Plinio confirmatur, qui ait: *Pollice cum faveamus, pumere etiam proverbio jubemur.* Hinc Juvenalis:

- - - converſo pollice, vulgi
Quemlibet occidunt populariter - - -

Et Horatius, prout ſupra jam relatum:

Fautor utrumque tuum laudabit pollice ludum.

Legit Porphyrius, *utroque pollice*, quod tantundem eſt, ac *utraque manu.* Cui conſentit Acron Horatii commentator, qui ait: Hunc geſtum laudantis eſſe: geſtum, inquam, applaudentis, præſertim in eo, qui lingvam expeditam non habet.

Mollities animi effæminati.

Pari modo & illud, quod ſupra in Hieroglyphico hominis effæminati, & mollis, qui ſibi caput ſcalperet, oſtendimus, in proverbium tranſiſſe invenio; his verbis enim exprimebatur: *ſummo digito caput ſcalpere.* Lucianus ſic contra quempiam deliciis diffluentem & ineſcatum invehebatur: *Inter hæc autem virum quendam egregie ſapientem, atque inſigni forma, lubrico inceſſu, fracta cervice, muliebri aſpectu, voce mellita, olentem ungventa, caput ſummo digito ſcalpentem.* Hic S. Auguſtinus non immerito dixerit: *Nihil magis à contemplatione veritatis impedit, quàm luxus vitæ.* Atque hæc allegorica poëtarum figura eſt, qui Herculem depingunt, depoſita clava in ſinu Omphales concubinæ, trahentem fila. Unde Marinus ſic concludit:

De verb. Relig.

Galletia.

E con veſti, e monili, e cuffio, e gonna,
Lo ſpavento d' Eſperia e fatto Donna.

Hæ igitur de Digitis proverbia ſunt, quæ ſi rite perpenſa fuerint, calamum præbere poterunt iis, qui exinde conſiderationes, virtutum tam moralium, quàm Canonicarum eruerint. Pro majori autem documento, & doctrinæ elucidatione, tranſeo nunc ad

OBSERVATIONES, RITUS, HISTORIAS, & CONSVETUDINES.

QUidam Latinorum ethymologiam *digiti* diſcutientes, dixerunt, eum à *digeſtione* derivatum: apparet hoc ex ordine eorum tam mirificè compoſito, & digeſto, tam in manibus, quàm pedibus. Dicunt alii, digitum à denario numero dictum, ideo quod ſimul juncti bis denos producant. Hujus ſententiæ S Iſidorus eſt. Nec verò improprie conſideratio illa à digerendo tracta videtur: manus enim una cum digitis in ſtomachum impoſita, digeſtionis perfectionem adjuvat.

Lib. 11. c. 1.

Obſervatione porrò dignum eſt (ut ad alia transeamus) id quod liber tertius Regum refert. Rogatus enim Rex Roboam à ſubditis ſuis, ut jugum grave allevaret, quod Salomon Pater illius populo impoſuerat, ille viris adhoc ablegatis reſpondit: *minimus digitus meus groſſior eſt dorſo Patris mei.* Doctiſſimus Cerda del Rio, & Sanchez apud diſertiſſimum Pintum hæc exponunt: mirandum non eſſe, quod præfatus Rex tale eis reſponſum dedit: quod prima quidem fronte ænigmaticum videri poſſit, ſed tale non eſſe, ſi recte perpenſum fuerit. Regem enim à populo per ſubſannationem, quæ digitis fieri conſvevit, illuſum fuiſſe, ſic in talionis pœnam eum populo parem rependiſſe irriſionem, quæ tamen multò magis offenderet: atque ita eum digitis reſpondiſſe, cui digitis illuſum fuerat. Solebant veteres, quod & hodie noſtri norunt, levato minori digito ſeſe ad contumelias, & vituperium provocare. De hoc inter alios Alexander meminit, dicendo: *Si quem dimicationi, vel pugnæ veteres laceſſebant, minimo digito provocabant.* Vulgatus mos apud Romanos erat, unde Horatius:

Cap. 2.

Cap. 12.

Tract. 1. c. 32.

Lib. 4. Genial. dierum c. 16.

Sermonum Lib. 1. Satyr. 4. Initio.

- - - ecce
Chriſpinus minimo me provocat: accipe, ſi vis,
Accipe jam tabulas: dentur nobis, locus, hora,
Cuſtodes: videamus uter plus ſcribere poſſit.
Di benefecerunt.

Acron & Porphyrius commentator in hunc locum ſic ajunt: *Solere minimo digito provocare illos, qui plus minimo digitulo, quam toti provocatorum corpori tribuebant.*

Alia item ratio à Trebellio Polo in medium affertur, cur Roboam hoc reſponſum ſubſiditis ſuis dederit. Verba ejus hæc ſunt: *Nullius manus vel ad impellendum, vel ad feriendum fortiores fuiſſe; cum in digitis nervos videretur habuiſſe, non venas.*

De Trig. tyr.

Nam & carcavenientia digito ſalutari impuliſſe dicitur, & fortiſſimos quoque uno digito ſic afflixiſſe, ut quaſi ligni, vel ferri obtuſioris ictu percuſſi dolerent: multa duorum digitorum alliſione contrivit. Poterat ergo hic de fortitudine Principe digna gloriari, ſi in digitis ſolis Gigantum robur gerebat. Invenio pari robore fuiſſe (juxta eundem Authorem) Claudium [*In ejus vita.*] Imperatorem, de quo ſic habet: *Statura procerus, oculis ardentibus, lato, & pleno vultu: digitis usque adeo fortibus, ut ſæpe equis & mulis ictu pugni dentes excuſſerit.* Ejuſdem porro fortitudinis fuiſſe Maximinum (ſed crudelitatis non minoris) poſteritati tradidit Capitolinus, dicendo: *Erat (ut refert Cordus) magnitudine tanta, ut octo pedes digito videretur egreſſus, pollice ita vaſto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro annulo. Jam illa prone in vulgi ore ſunt, quod baxamas manibus attraheret, rhedam onuſtam ſolus moveret: equo, ſi pugnum dediſſet, dentes ſolveret: lapides tophitios friaret: arbores teneriores ſcinderet.* Adjungit denique ad ea, quæ de ſuperiori [*L. C.*] Rege dicta ſunt, doctiſſimus Pintus: *Quid non jactaret Roboamus, ſi ſimiles his digitos ſortiretur?*

Non ſolum digitus medius, ſicut ſupra retulimus, actionem inhoneſtam præſentabat, ſed reliqui quoque pari modo extenſi, aut compreſſi, eandem ſignificationem præſeferebant. Hæc aſſertio inprimis à Suida obſervata fuit, & deinceps expreſſa à Patre Sanchez, prout Pintus jammemoratus refert. Sic Lampridius de Heliogabalo, obſcœniſſima illa bellua, inquit: *Neque unquam verbis pepercit infamibus, cum & digitis impudicitiam oſtentaret.* Digitis vero utimur non ſolum ad demonſtrationem vituperii, ſed quandoque etiam ad honoris, & reveren- [*Satyr. 1.*] tiæ exhibitionem. Dixit hoc ſat manifeſtè Perſius:

At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier: hic eſt.

Statius item: [*In Epiced. Patris.*]

- - Et natis te monſtravere parentes.

[*Mart. lib. 9.*] Item Martialis:

Rumpitur invidia, quod turba ſemper in omni
Monſtramur digito.

Plures inter ſcriptores ſunt, qui memorant Demoſthenem immenſa lætitia exultaſſe, quotiescunque à civibus ſuis ſigno quodam monſtraretur. Obſervat Cruceus Commentator Statii, digitum à digno dici, eo quod res dignas viſu digito monſtremus: ſed jam ante diximus, non minus etiam, quæ indigna ſunt, monſtrari, & quæ ignobilia. Hinc Ter- [*Lib. de Pallo. cap. 4.*] tullianus, reprehendendo nimium veſtimentorum luxum, ſic ait: *Tales habitus, qui de natura, & modeſtia transferunt, & acie figere, & digito deſtinare, & manu tradere, meritò fit.* Ovidius rem evidentius tangit:

[*Lib. 2.*] *- - En digitis deſignor adultera Virgo.*

Adjungit adhæc Apulejus, non minus cæteris acutus, & mordax: *At dum directis digitis, & detortis nutibus præſentium denotor, dum riſus ebullit inter pedes circumſtantium, frigido ſudore perfluens evado.* Et alibi: *Sic omnium oculis, nutibus, ac denique manibus denotatus, impos animi, ſtupebam.*

Revertor, ſicut Meander aliquis ad ſuperiora & mihi ipſi obviam venio, in quodam proverbiorum, quod adduxi, in hac ſolùm particula, ubi Spiritus Sanctus, de homine iniquo & protervo loquens ſic [*Prov. 6.*] habet: *Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore per-* [Digito loqui.] *verſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.*

Veterum conſvetudo erat, etiam inter noſtros recepta, ut quandoque in vicem lingvæ, digitis ad loquendum uterentur.

Concordat his Petronius Arbiter, dum ait: *Trimalcio lautiſſimus homo digitos concrepuit, ad quod ſignum matellam Spado ſuppoſuit.* Confirmat hoc Vellius Longus, obſervator orthographiæ diligentiſſimus: *nam & digitorum ſono*, inquit, *pueros ad reſpondendum ciemus.* Approbat conſvetudinem hanc S. Clemens Alexandrinus, & ipſe in Pædago- [*Lib. 2. c. 7.*] gia ſua, digniſſimâ per quam Reges quoque inſtruantur: *popiſmata autem & ſibilli, & digitis expreſſi ſoni, quibus averſantur famuli, cum ſint rationis expertes ſignificationes, ratione præditis hominibus ſunt vitanda.* Optimum hoc præceptum eſt, cum in tali actione incivilitas ſit. Hæc autem conſvetudo, inquit Pater Pintus, eorum potiſſimum eſt, qui mente ambitioſi & vani ſunt: ſigna ſunt faſtus, & jactantiæ, aut vero mediocris judicii & prudentiæ. Ab hoc crepitu, & ſonitu non procul abeſſe poſſunt oppreſſiones nervorum, vel digitorum. Seneca horum me- [*Lib. 1. de Ira.*] minit, de homine iracundo loquens: *horrent, ac ſurriguntur capilli, ſpiritus coactus, ac ſtridens, articulorum in ſeipſos torquentium ſonus.* Et in eodem tra- [*Lib. 3.*] ctatu alibi: *Adjicit articulorum crepitum.* Sic homines Cholerici, geſtu admodum indecenti, jactatione manuum potius, quam voce ſua ſermocinari videntur: itaque (adjungit Ramirez) loquaces idcirco dicti ſunt. Atque in hunc ſenſum accipiendum eſt, quod Martialis ait:

Lex erat ad digitum poſitis concurrere palmis.

Quæ lex inſtituta erat ab Imperatore Domitiano ad applaudendum ſpectaculis, & ad eadem laudanda.

Cornelius Tacitus promotorem loquelæ hujus [*Lib. 13. Annal. ad Initium.*] certum quendam Pallantem, Claudii quondam libertum ſtatuit, de quo ſic habet: *Pallas triſti arrogantia, modum Liberti egreſſus, tædium ſui moverat.* Hinc in libri medio, pro ſolito more ſuo pungens arrogantiam hujuscemodi percellit ſequentibus verbis: *Ejus accuſationis author extitit Pætus quidam, exercendis apud ærarium ſectionibus famoſus, & tum vanitatis manifeſtus. Nec tam grata Pallantis innocentia, quàm gravis ſuperbia fuit: quippe nominatis Libertis ejus, quos conſcios haberet, reſpondit, nihil unquam ſe domi, niſi nutu ac manu ſignificaſſe.* Pater Pintus [*In Satyra de geſticulatore puero ſaltante.*] de hac conſvetudine magis magisque confirmanda aliò averti nequit, aut id facere non poſſe ſaltem videri vult, dum novo argumento Petronium Arbitrum inducit, qui videlicet loquendo de quopiam horum nutuum amatore, cum quadam particularitate, de eodem, cum inter choreas eſſet, ſic ait: *Manu puer loquaci:* ſupra quod Commentator Douza hanc explicationem jungit: *Uti apud Salomonem Proverb. 6. Digito loquitur.* Hinc præfatus Commentator de Trimalcione jam ſupra memorato rurſum ait: *Retexit ſuperbum pallio caput, & manibus inter ſe, usque ad articulorum crepitum ſtrictis, quænam eſt inquit hæc audacia?*

Hujusmodi nutus in choreis uſitati erant, propter [*De ſaltatrici.*] quod Leontius de ſaltatrice quadam ſic habet: *Oculi tibi ac pedes inſtar venti, & ſapientes manuum digiti.* Nonnus item de Saltatore ſic ſcribit: *Saltator mul-* [*Lib. 5. de Muſar. chor.*] *tos circulos faciens, volvebatur turbine plantarum, nutus pro ſermone habens, pro ore manum, pro voce digitos.* Idem etiam de Muſarum choreis: *Ei manus movebat Polymnia mater choreæ, expreſſamque imaginem ſignabat mutæ vocis; exhibens manuum ſermone ingenioſam figuram, ſapienti ſilentio oculos volvens.* Idem adhuc de Marone quodam, & ipſo Saltatore ſic refert: *Silentium variè loquax, mutata manu ſignans; oculos verò vibravit vagos, inſtar lingvarum, nutu artificiali intellectualem rythmum texens: talia Maro ſignabat, verſatiles digitos vibrans.* [*In Solon.*] Nec verò quisquam opinetur, inquit Pintus, hæc calami poëtice exuberantis hyperbolicam eſſe amplificationem:

nem: Lucianus enim, videns Saltatorem, mirifice digitis ſuis fabulam Martis & Veneris exprimentem, ſic ait: *Non tam video, quæ facis ô homo, quàm audio: ipſis enim manibus mihi locutus videris.* Hæc genuina erat Pantomimorum ars: unde & Caſſiodo- [*lib. 1. in var. Ep.*] rus in eandem ſententiam coincidit, dum ait: *Hanc partem muſicæ diſciplinæ mutam nominavêre majores: ſcilicet quæ ore clauſo, manibus loquitur, & quibusdam geſticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingva, aut ſcripturæ textu poſſit intelligi.* Conveniunt his Tertulliani verba, ubi ait: *Et certè quod facere* [*lib. 1. cap. 11. ad finem.*] *opertet, non indignandum eſt diſcere: cùm præſertim hæc Chyronomia, (quæ eſt (ut nomine ipſo declaratur) lex geſtûs) & ab illis heroicis temporibus orta ſit, & à ſummis Græciæ viris, & ab ipſo etiam Socrate probata: à Platone quoque in parte civilium poſita virtutum: & à Chryſippo in præceptis de liberorum educatione compoſitis; non omiſſa.* Ex quo apparet, hanc artem in actionibus bonis non rejiciendam eſſe, ſed demonſtrare potius perſonam activam, & expeditam.

De hoc uſu laudabilis conſvetudo Oratorum emanavit, qui manuum artificium; periodorum fluidæ eloquentiæ copulant, quo tantopere nervus orationi additur, ut ſi aliunde, qui perorat, aut balbutiens, aut minus perfectus eſſet, hi geſtus auditorum intelligentiam magnopere adjuvarent. Qua de cauſa Quintilianus quoque, Artis Oratoriæ Pater à teneris annis Juventutem ad hæc ſtudia eloquentiæ deſtinatam, in in his geſtibus exerceri præcipit. Hæc verba ejus [*In Oratore.*] ſunt: *Nec ultra pueriles annos retinebatur, nec in his ipſis diu. Neque enim geſtum Orationis componi ad ſimilitudinem ſaltationis volo: ſed ſubiſſe aliquid ex hac exercitatione puerili: unde nos non id agentes furtim decor ille, diſcentibus traditus, proſequatur.* Dici nequit quantum concinnitatis, & elegantiæ hæc ars oratoriis numeris contribuat.

Hæc actio porrò, quæ Juventutem morigeratam quam maximè decet, à Comicis poſthæc diſſolutis, & parum modeſtis, ad theatrales laſcivias, & inhoneſtas ſpurcitias translata fuit: ejusmodi fuiſſe Gaditanorum choreas impuriſſimas memoriæ tradidit Ale- [*Genial. dier. l. 6. c. 19.*] xander: *Poſtea vero*, inquit, *Gaditani modo, & molliſſimæ ſaltationes, cùm eſſent minus notæ, inventæ fuerunt, in plures diviſæ ſpecies. In* Cheronomiam, *quæ manuum geſtu*, Halmam *quæ pedum*, Lactiſſimam, *quæ calcibus ad humerum jactis ſaltabatur.* Hinc Claudianus:

Qui lætas riſum ſalibus moviſſe facetis,
Qui nutu, manibusque loquax.

Sic inſtituti erant Chironomi Pantomimi, aut Saltatores. Qui copioſiores eruditiones in materia hac deſideraverint, ſiquidem eis viſum fuerit, P. Pintum in locis jam memoratis evolvant.

De his actibus, ad motus digitorum jam in numero oratorio memoratos breviter deſcendo: in quibus, referente Tertulliano, Apulejus docet, temporibus priſtinis qualiter oratores & geſticulari, & commovere digitos conſveverint: ejus verba obſerva- [*lib. 2. Aſin.*] tione digna ſunt: *Inſtar oratorum conformat articulum, duobusque infimis concluſis digitis, cæteros eminus porrigens, infeſto pollice clementer ſubtegens, infit Telephron.* Sed geſticulatio hæc temporibus noſtris cachinnum utique concitaret. Non diverſimode ab hoc perorabat quidam nomine Fulgentius Placaides, [*Ad Prop. lib. 4. eleg. 7.*] ſicut Paſſeratius meminit: *Itaque compoſitus in dicendi modum, erectis in rotam duobus digitis, tertium pollicem comprimens, ita verba exorſus eſt.* Vult infimos duos ſerratos, medium extenſum. Apulejus item eos aliquantum curvatos, & reſtrictos deſiderat: Sed Quintilianus geſticulationes hujuscemodi reprobat: ait enim: *Non ſuſtineo indices in tanto animi motu argumenta conquirere, ne impetus iræ meæ in digitos deſcendat.*

Interim noſtra quoque ætate mos inolevit (prout experientia docet) ut ſi quando rem contemptu dignam demonſtrare intenderimus, medium cum pollice conjunctum quatiamus, ex quo proinde ſonus eliditur, quem Hiſpani *Canetta* nuncupant. Cum hoc ſtrepitu canes vocari ſolent: cum eodem etiam veteres Magiſtri erudire diſcipulos, Patroni ſervos ſuos conſveverant. Sardanapalus bellua iſta infamis, ut palàm faceret, quàm nihili quæ in mundo ſunt æſtimaret, præter hæc; laſcivire nimirum, & delicari, & crapulari, muſto ingurgitari, poſt mortem ſuam ſepulchro ſuo inſculpi manum voluit, cui prætrememorato modo compoſiti digiti eſſent: unde Athenæus hæc verba refert: *Cum Alexander in Perſas proficiſceretur, caſtra metatus eſt non longe à Sardanapali monumento, ſuper quo lapidea erat imago, quæ dexteræ manus digitos contulerat, veluti ſonitum emiſſuros. Scriptum erat: Daxaris filius, Anchialam Tarſum qui condidit una die. Ede, bibe, lude: cætera enim neque ſonitu iſto digna, ut dicantur, apparent.*

Transeamus de mimica, ſaltatorica, hiſtrionica, oratoria (relicta ſceleratiſſima memoria Sardanapali, quæ æternam oblivionem poſteritatis meretur) ad geſtus in conviviis uſurpatos: ubi non ſolùm noſtro dicendi modo, ſiquidem cibus vel mactea placuerit, hæc verba uſu veniebant: *ci fa leccare le deta*, hoc eſt: ſibi lambere digitos: ſed antiquitus quoque tantundem dicebatur, ac ſi noſtro idiomate *momordiſſe digitos* diceretur. Hac loquendi forma uſi ſunt [*Ariſtoph Dipnoſophiſt. lib. 4. c. 19.*] Ariſtophanes, Pherecrates, & Alexides, de quorum unoquoque Athenæus. Eorum igitur primus ſic [*Phereor. l. 7. cap. 13.*] habet: *Perutiles ponantur illis piſces, aut caro: niſi digitos edant, volo ſuſpendi decies.* Subjungit [*Alex. l. 12. c. 4.*] alter: *Ubi famem patiuntur, ſuos ipſorum digitos, velut polypedes ſolent comedere.* Alexides denique de Candaulo ſic habet: *Candaulum haud unquam edi ego, nec audivi dici prius. Per deos! mirabile inventum meum eſt: ſi multum ego ponam tibi, certè digitos momorderis, jocundus ipſi.*

Vitium nihilominus in extenſione digitorum non minus, quàm in compreſſione obſervatum fuit. Locus exſtat Iſaiæ, ſat involutus, niſi diligentia & eruditione ſacrorum Interpretum ænigma illud declaratum & ſolutum eſſet. Ait Propheta: *Si abſtuleris* [*Cap. 58.*] *de medio tui catenam, & deſieris extendere digitum, & loqui, quod non prodeſt.* Ait ſuper hæc Lampridius, digitos inflexos, quaſi in conflictu quodam comminari, & quaſi oculos contubernalium ſuorum velle effodere. Sic jam dictus Author in Alexandro Severo loquitur: *Referebat Euclopius (quo ille familiariſſimo uſus eſt) illum ſi unquam furem judicem vidiſſet, paratum habuiſſe digitum, ut illi oculum erueret. Tantum odium eum tenebat eorum, de quibus apud ſe probatum fuiſſet, quod fures eſſent.* Pater Pintus juſtiſſimam hanc pœnam eſſe aſſerit: digitis nimirum oculos eorum eruendos, qui cum errores ſuos oculis videant, digitis ſuis aliorum oculos excludunt. Svetonius de filiola quadam Caligulæ Imperatoris commemorat (peſſimò videlicet ramo de arbore infecta) quod ſæpius (prænuncio infelicis ſceleratæ indolis) in hunc actum proruperit, digitis [*In ejus vita.*] ſuis in oculos aliorum involans. *Infantem autem* (verba Authoris ſunt) *Juliam Druſillam appellatam per omnium deorum templa circumgerens, Minervæ gremio impoſuit alendam, & cuſtodiendam commendavit; nec ullo firmiori argumento ſui eam ſeminis*

eſſe credebat, quàm feritatis: quæ illi quoque tanta jam tunc erat, ut infeſtis digitis ora, & oculos ſimul ludentium infantium inceſſeret.

Præterea curvis digitis tenaces, & avari notantur, in numerandis etenim nummis, in iiſdem acceptandis, & conſtringendi usqueadeo recurvi ſunt, ut non ſine dolore eosdem prolongarē, aut aperire poſſint. In quodam florilegio græco hi bini verſus leguntur: *Oblecta, mutuans; mentem tuam, & fœneratoribus relinque calculum, digitis dolore flexis.* Illic

Lib. 1. præterea de avaro hæc habentur: *Obiit ſtatim, breviſſimi temporis momento, in digitis uſuras ſtringens adhuc, qui digitalem calculum habebat in digitis,*

In Tim. *calculo mortis obiit in infernum.* Pariter Lucianus Jovem introducit contra hujuscemodi hominem, meritò illuc condemnatum, ſic loquentem: quod ab Eraſmo ita latinitati datum eſt: *Eoque pallidus nobis occurrebas, & curis confectus, digitis etiam ex aſſiduo colligendi, coacervandique uſu contractis, diſtortisque.* Hinc idem Lucianus alibi

In Catalpo. eadem loquendi methodo uſus eſt, dum ait: *Et maximè cum recordor, quàm pallidus ſemper incederet, & ſquallidus, mente curis confecta, ac ſolummodo digitis diteſcens, quibus talenta & myriades ſupputabat.* Si itaque horum digiti ex longæva aſſvetudine hanc curvitatem induxerunt, quid de eorum mente, & corde arbitrandum eſſe cenſebimus? Adjungo ad hæc, quæ de digito ſupra os locato diximus, videlicet indicium illum eſſe ſilentii (adducto ſuper hoc Harpocratis exemplo) authoritatem Juvenalis, qui ait: *Digito compeſce labellum.* Porrò digitis loqui, aut Chironomiàm memoratam proprietatem eſſe eorum, qui temerarii, arrogantes, faſtuoſi, & imperioſi ſunt. Hinc Tibullus inquit: *Et vocet ad digiti me, tacitura, ſonum.* Hæc ſuper his dicta ſufficiant, transeamus nunc ad

DESCRIPTIONES:

OPtarim hunc librum meum Hyblam montem eſſe, qui tot tibi flores tot fructus, mi Lector, ſubminiſtret, ut tanquam apis, eosdem deguſtare, atque inde tibi mel variarum compoſitionum & ſalutarium axiomatum, & præceptorum efformare poſſis: Ad hunc enim finem hæc colligo, & ſæpè illuc revertor, ubi te reliqueram. Invenio gemmam aliquam à doctiſſimo Laurentio nobis relictam, & à Cauſino magno illo viro obſervatam: deſcriptionem, inquam, digitorum: quam præterire, non debui, ne tanti diſpendii, tanti damni tibi author ſim. *Quam verò aptas, & quàm multarum artium miniſtras manus natura homini dedit? Digitorum enim contractio facilis eſt, facilisque porrectio: propter molles commiſſuras nullo in motu laborant. Itaque ad pingendum, ad ſcalpendum, ad nervorum eliciendos ſonos, ac tibiarum, apta manus eſt admotione digitorum. Atque hæc oblectationis: Illa neceſſitatis: cultus, dico, agrorum, exſtructioneſque tectorum: tegumenta corporum vel texta, vel ſuta, omnemque fabricam æris, vel ferri. Ex quo intelligitur, ad inventiones animi, percepta ſenſibus, adhibitis opificum manibus, omnia nos conſecutos: ut tecti, ut veſtiti, ut ſalvi eſſe poſſimus: urbis muros, domicilia, delubra habeamus.* Hæc verba ejus propria ſunt, quibus credo injuriam fieri, ſi in lingvam aliam transferantur: Scio enim quam ſibi invicem vicina ſint, vertere, & pervertere: illic potiſſimum ubi benè vertendi non tam expeditus locus eſt. Fons autem hic copioſus eſt, ex quo prolixa fieri, & facunda poſſit oratio. Deſcendo nunc ad

DEDICATIONES.

ASſignarunt antiqui (prout memoriæ tradidit doctiſſimus Aldrovandus) cuſtodiam, & De monſtr. patrocinium digitorum Deæ Minervæ. Cujus rei ratio ab Authore tam inclyto, nulla redditur: in tanta enim tamque copioſa rerum variarum, maximarumque maſſa, non niſi levi brachio, & in tranſitu, id quod diximus, attigit. Quod me attinet, dixerim antiquos hoc fine nixos. Cum Minerva Dea ſcientiarum ſit, digiti inſtrumenta ſunt, quibus chartæ neceſſariæ evolvuntur, ut in libris videri poſſit, id quo ſcientiarum acquiſitio fiat. Aut verò cum Minerva præſes ſit, & Anteſignana lanificii, artiumque mechanicarum, digiti in his, ſicut in illis ſuperioribus, non minus neceſſario verſantur. Quemadmodum etiam Minerva, ope manuum de capite Jovis prodiit, ſic ei patrocinium quoque manuum particulare aſſumendum erat. Rationes hæ, ut reor, non incongruæ ſunt: valeant autem, quantum poſſunt. Ego verò ad applicationem quandam moralem procedendo, illud ajo, tum videlicet optimè digitorum commotionem fieri, cum ad ſcientiarum acquiſitionem applicantur. Hæc eſt illa acquiſitio de quo Salomon inquit: *Præpoſui illam regnis & ſedibus: & divi-* Sap. 7. *tias nihil eſſe duxi in comparatione illius: nec comparavi illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem, & ſpeciem dilexi illam: Et propoſui pro luce habere illam, quoniam inextingvibile eſt lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus; quoniam antecedit me iſta ſapientia, & ignorabam, quoniam omnium horum mater eſt.* Copioſiſſima verba, quæ omne pretium excedunt, & omne quodcunque ſuper his à quovis eloquente, & facundo unquam dictatum eſt, cum à Spiritu Sancto procedant. Beatus igitur cuicunque hæc Minerva aſſederit, hac enim opitulante inter plurimas res, hæc quoque cognoſcet, videlicet

SIGNATURAS PARTIUM IN HERBIS, ET PLANTIS.

PRæter radices Hermodactylorum, præter folia ficus, & ricini, aliorumque, quorum ſupra meminimus, quæ per ſympaticam virtutem affectibus manuum medentur, quarum ſignaturas & ſimilitudinem portant, notat Joannes Andreas Matthiolus, ſicut & Aldrovandus, Crolliusque obſervatores accuratiſſimi, naſci ſupra muros herbam dictam caninam (Italice gramigna) item digitalis à brevitate ſua digitali, & à virtute, quam continet, quæ in quinque ſurculos vel ramos diviſa ſit, ab aliis dicta *Iſchemon.* Hæc contuſa, aut elixa, & in ungventum redacta, lenitivum admirabile eſt, omnique externo morbo internoque digitorum potenter mederi ſolet. De hac Alciatus magnus ille moraliſta in Emblematibus ſuis inquit:

His merito arguitur nodis tutela, ſalusque: Embl. 26.
Herbaque tot vires hæc digitalis habet.

Nodos illa, & juncturas, non ſecus ac in digitis demonſtrat. Hinc ſapientum quisque, & prudens obſervator, ex magno illo mundi libro, quot illic minimæ plantæ, viliſſimæque herbæ ſunt, tot characteribus & lectionibus uti poterit, ad ſalutis ſuæ profectum; quibus videlicet altiſſimus Creator talem virtutem indidit, ut in his plenitudo gratiarum divinarum, earumque æqua diſtributio cognoſci poſſit.

NOTÆ

NOTÆ ANTIQUORUM SUPRA LITERAM Q.

NON usque adeo ignobilis hæc litera Q. eſt, ut non antiquitus ſignificationes ſuas obtinuerit, aut per ſemetipſam, aut aliis veteribus notis ſociata, prout infra patebit. Ad hanc formandam digiti ſimul juncti monſtrabantur, & per longum in ſe acuminati, & reſtricti, ſed ſimul omnes deorſum reflexi. Arbitrabantur enim Chironomi hac ratione caudam illam literæ ſe poſſe exprimere, quæ ab eadem derivatur: rotunditatem illam, & quod in illa principale & majus eſt, cum rotunditate & magnitudine reliquæ manus incurvatæ, & ſimul unitæ figurabant. Q. igitur per ſe ſolum, ſignificare ſolebat: *Quintus. Quinctius.* Q. *repetitum, vel* QU. *Quartus.* QM. *Quomodo.* QAM. *Quemadmodum.* Q. S. S. S. *Quæ ſupra ſcripta ſunt.* Q. R. F. E. V. *Quod rectè factum eſſe videtur.* QUÆSS. *Quæſtores.* Q. L. *Quinti Liberti.* QUÆS. *Quæſtor.* Q. N. A. N. N. *Quando neque ais, neque negas.* Q. B. F. *Quare bònum factum.* Q. E. R. E. *Quanti ea res erit.* Q. F. *Quinti filius.* Q. L. F. *Quinti Lucii filius.* Q. vel QINT. *Quintilianus.* Q. B. M. V. *Quæ benè mecum vixit.* Q. E. R. E. JU. DA. *Quanta ea res erit judicium dabo.* QUIR. *Quirites.* Q. M. *Quintus Mutius.* Q. L. S. S. *Quæſivit liberam ſtatuam Senatus.* Q. M. *Quo magis.* Q. MAX. *Quintus Maximus.* Q. Q. *Quinquennalis.* Q. R. F. E. R. *Quare rectè factum eſſe videtur.* Q. V. A. vel ANN. *Quæ vixit annis.* QUIR. R. *Quirites Romani.* Q. D. R. P. *Qua de repeto.* Q. D. R. P. G. V. *Qua de re peto graves viros.* QT. C. *Quintus Cælius.* QM S. *Quæſumus.* Q. TP. *Quo tempore.* QM. PV. *Quam provinciam.* Q. E. R. E. *Qualis ea res erit.* Q. J. P. *Quo jure petit.* Q. B. N. F. *Quare bonum non factum.* QT. M. *Quot munera.* Interim tu, mi Lector, ſi paginas doctiores & cum majori lucubratione elaboratas tranſcurrere tibi libuerit, majora his lumina inventurus eris, quam hæc pauca ſunt, quæ tibi manu mea præſentantur.

EPITHETA.

ALtera hypotypoſeos, vere Muſis utiliſſima pars, Epitheta ſunt: quorum alia propria ſunt, & realia, alia rurſum translata, & exotica. Nec verò minus etiam illa propria inter figuras ingenioſas cenſenda ſunt. Per hypotypoſes enim, vivaciſſimasque repræſentationes, Oratio eloquens, plenaque ingenio, ab ea quæ communis & plebeja eſt, diſcernitur. Habent autem hæc adjuncta virtutem admirabilem, ea quæ verbis profunduntur, quaſi viva ſtatuendi ob oculos; dum nimirum individuales circumſtantias objectorum depingùnt, quibus ea te videre tibi videaris, & quaſi manu præſens palpare. Sic de iis ſentit Co. Emmanuel Theſaurus in purgatiſſimo & ter-

Pag. 383. ſiſſimo Canocchiali ſuo Ariſtotelico, quo Mundum univerſum illuſtravit, & ſtudioſis eloquentiæ viam planiorem ſtravit: non minus in his artis limitibus, diſertus, & facundus; quàm poſthæc cum ipſum eloquentiæ palatium, majeſtate plenum ingreditur: ubi latius, & copioſius ſeſe diffundit. Hujus igitur ductum ſequens, ſicut hactenus, ita quoque deinceps. Lectorem meum ad hæc penetralia introducam.

Elevat igitur inter primos Ovidius, hanc corporis

In Epiſt. Deian. noſtri partem, duros digitos appellat: *Ah quoties digitis dum torques ſtamina duris?* Eoſdem alibi tere-

De Arte. tes nominat: *Et teretes digitos, exiguumque pedem.* Diſpares Plinius: *Ore rubicundo, digitis imparibus.* lib. 10. Infames Perſius: *Infami digito, & luſtralibus ante ſa-* lib. 2. *livis.* Eburnos Propertius: *Sive Lyra carmen digitis percuſſit eburnis.* Molles Claudianus: *Digitis extendat mollibus arcum:* Roſeos Strozzius: *Hinc roſeis digitis habilem tibi finge coronam.* Dociles Baptiſta pius: *Melliflua dociles digiti non voce minores.* Idem nivales: *Dulce melos digitis Laonora nivalibus urges.* Micantes Manto: *Gemma humeros non una tegit, digitosque micantes.* Hujuscemodi alia, peregrina, metaphorica vel translata, quæ nihilominus ſubjecto ſuo congruant, idque naturaliter exprimant, prudens Lector aliter per verſatile ingenium & induſtriam ſuam indagabit.

ANNOTATIONES SUPRA MENSURAS.

ERuditiſſimus Pierius menſuram filiam manus, & digitorum appellat. De Menſura igitur tanquam de facula, ingens lumen proveniſſe, & derivaſſe dixerim, quod toti adeo terrarum orbi ſplendorem, fundamentum & originem ſubminiſtraret; quod in omne genus manufacturarum influat, quæ baſis eſt, ut ita dixerim, cælorum, terrarumque: Univerſitas enim rerum & ordine, & proportione fundata eſt. Architectura itidem his principiis ducitur, his innititur, per hæc diſpoſitionem ſuam conſequitur: in menſuris enim non immerito dici poteſt, quod animam & vitam ſuam habeat. Hinc illa dimenſio eſt, & largi, & longi, & alti, & profundi, abbreviati, decurticati: Petagoni, Quadrangularis, & Cylindri: de quibus rurſum Matheſis diſpertitim, aliisque loquendi modis, una cum Aſtrologis ratiocinatur: de Epiciclis ſuis loquens, de Cyclis, Cubis, Angulis, Æquilateralibus, Semicirculis, Diametris, Semidiametris, Eccentricis, & hujusmodi aliis, quæ univerſa fundamentum & originem primitivam ſortita ſunt à digitis. Ipſe homo, cujus membris annumerantur, quantum digitis ſuis debet? unde unica, palmus, ſpithama, & tot alia proveniunt, quæ ubivis locorum ſecum gerit. Hinc Ægyptii omne menſurandi principium derivabant à digitis, per diſtenſum digitum Hieroglyphicum, vivamque imaginem menſurarum exprimendo.

Sed ut propius ad rem ipſam accedamus, juxta Ariſtotelem, de menſuris diſcurrenti, exordiri oportebit à minimis: ſicut linea quoque primam ſui originem puncto debet: de linea porro cuncta compoſita procedunt. Quid proinde minus, & brevius digito? Nec memoriam meam fugit, proſequitur Valerianus, certum quoddam menſuræ principium, ſicut & ponderum traxiſſe originem ſuam ab ipſis adeo frumenti granis: ſicut hodiedum adhuc, & aurum, & gemmæ & extracta pretioſiſſima, aut hujuscemodi compoſita granis librantur. De cætero cum reliquæ menſuræ à membris & partibus humanis deſumptæ ſint, partiumque humanarum minima ſit digitus, ab hoc primum ſumpſiſſe initium ſuum credendæ ſunt.

Marcus Junius Hipſus ob hoc ipſum antiquus, qui Marcus Junius Hipſus. jam de confinibus camporum, ſat amplum volumen in lucem dedit, de digitis hæc ait: *Minima pars earum menſurarum eſt digitus.* Quod totum confrontatur cum illo quod Julius Frontinus ait: *Si quid infra* Julius Frontinus. *digitum metiamur, partibus reſpondemus: ut dimidiam, aut tertiam partem digiti.* Unde etiam proverbia, & paroemiæ exortæ ſunt, prout infra fuſius patebit: *Latum ungvem, aut tranſverſum digitum*

non

non ſecedere. Et illud alterum, dum ad rerum habendam notitiam, *ex ungve leonem*, dicimus nos cognoſcere. Per longum temporum curſum hæc ſpacia, & hæ menſuræ in ſtatuis, præcipue autem Romanis, ex ære, vel marmore fuſis vel ſculptis apparuerunt: prout diffuſiſſime de his item verſatiſſimus vir Aldrovandus ratiocinatur. *Hiſt. Monſtr. de ſtatuis.* Verum quidem eſt, inquit Valerianus, quod non omnes adeo nationes eadem menſura uti poſſint: cum tanta ſit locorum, regionum, diſtantiarum, corporum diſparitas, quædam enim in compoſitione ſua parva ſunt, quædam eximiæ magnitudinis: unde etiam manifeſtum eſt, non omnium digitorum eandem eſſe menſuram, ſiquidem ad parvitatem, aut longitudinem perſonarum attenderimus. Propter quod ſine errore eſt, ſi dixerimus digitum per ſemetipſum menſuram non eſſe, ſed principium menſurarum. De his igitur, quamvis non de omnibus (alioquin in his ſolis ingens mihi Mathematicus conſarcinandus eſſet) ſed de earum aliquot, iisdemque præcipius dicturus ſum. In exemplum ſit digitus, uncia, ſextarius, palmus, ſpithama, pes, cubitus, gradus, paſſus, hyſſopus, aut menſura ſex partium, pertica vel menſura decem, orgia vel ulna, plethrum vel centum pedes, ſtadium, jugerum, hippicum aut vero menſura quatuor cubitorum, curſus, & recurſus dolichius, in ſtadiis, aut ſpacium binorum ſtadiorum, appellatum dibulus, item michorius, paraſanga, aut menſura perſiana quæ triginta ſtadiis conſtabat, tum denique ſchœnos quinquaginta ſtadia complectens: funiculus dimenſio moderna eſt; ſunt & aliæ, in quibus certum numerum certasque regulas ſtatuere velle, penè factu impoſſibile eſt, ob authorum & opinionum varietatem. Norunt hoc practici, & viri periti, prout illud docte nobis inter alios accuratiſſimus Author Valerianus demonſtrat. Nihilominus prout vires mihi ſuppetunt, qua poſſum brevitate, quasdam menſurarum ſignificationes adducam.

Utque aliquando exordiar, prætereunda interim erit latitudo digiti, quam dicunt quatuor frumenti granis ſimul junctis conſtare. Menſura autem jam admodum ſpectabilis eſt unica, quæ à ſummitate ungvium, usque ad primam pollicis juncturam in homine ſtaturæ debitæ, vel conſvetæ cenſetur. Hæc autem octava pars palmi eſt: ſicut *octava* rurſum, pars octava eſt unciæ. Hic palmus nihilominus juxta uſum Græcorum ſumendus eſt. Hinc ſecundum menſuram Hypſi unica ſupra digitum non niſi tertiam alterius digiti partem tenet: ait enim palmum tribus unciis conſtare. Atque ita Frontinus conſentit, qui unciam aſſerit duodecimam pedis partem eſſe, ſicut hoc modernis temporibus experimento quotidiano novimus.

Sextans, aut ſextarius, ſexta pars Aſſis eſt, aut pedis, qui unciarum duodecim eſt. Unde evenit ut ponedra menſuris ſe accommodent: quæ porro unciæ ad menſuram trium digitorum in debito ſpacio ſuo extenduntur. Palmus, juxta Vitravium, quatuor digitis, juxta mentem aliorum, duodecim conſtat. Niſus hanc menſuram ſexti nomine appellat, eamque Dodrantem nominari inquit, qui tribus palmis, & unciis novem conſtat: quod univerſum conſtituitur, & intelligitur de ſpacio digitorum duodecim. Hanc vero diverſitatem Valerianus inquit derivare exeo, quod diverſimodè his nominibus Græci à Latinis utantur. Diſtantia item provinciarum has menſuras invicem confundit: ſicut obſcuriſſimum ænigma quoddam apud Heſiodum invenio, quod pro ſui expoſitione, praxin utique lucidiſſimam Matheſeos requireret, cujus tamen principia mihi contigit non niſi à longè ſalutaſſe, neſcio itaque qua ratione ab eodem expedire me poſſim. Gryphus autem Heſiodi hic eſt:

Inde abſidi curru decadoro cæde tripalmum.

Decadoron, prout illud expoſitores deſcribunt, longitudinem decem palmorum habet: abſis curvaturam rotæ denotat. *Ex amalthea onomaſtica Laurentiani.* His præſuppoſitis Heſiodus, ut reor, ſic intelligi poterit: rotam videlicet in curvatura, vel rotunditate ſua quatuor partibus aut abſidibus conſtitutam eſſe: quarū unamquamque, ut debitam carri rotā efformet, tribus ſpithamis compoſitam eſſe oportere: cujus diameter decadoron erit: hinc circumferentia vel curvatura ejus duodecim ſpithamarum erit. Qui autem dora menſuraverit, eorum triginta ſex inveniet: hoc eſt, ſi omnes rotæ circumferentias ſimul numeraverit; omnis ſiquidem ſpithama tria dora aut palæſtas continet; cum omnis palæſta quatuor digitorum ſit. Videtur autem hic difficultas quædam non prætermittenda oriri, ad quam proinde, cum majori dilucidatione, verbo uno reſpondetur. Si nimirum circumferentia circuli, qui rotam circumdat, & ambit, duodecim doris conſtat, omnis autem diameter tertiam partem circumferentiæ facit, cur hic per numerum duodenum computatio non fiat, ut dicatur dodecadoron: ſicut in ſignis planetarum, & domibus cæli ab Aſtronomis *dodecatamorea*, dicitur, cur potiùs numerus denarius uſurpetur, & decadoron nominatus ſit, qui terminus verò geometricus eſt, & genuinus? Ad quod facile reſpondetur, quod commenſuratio ab interna parte rotæ, vel circumferentiæ illius ſumenda ſit, & apparebit nonniſi dora decem provenire: reliqua duo dora in parte interiore computantur, ut in circulatione exteriori diſtribuantur. Alii ſic exponunt: octo digitos inquiunt, qui duo dora ſunt, in illis partibus diſpenſari, ubi rota unitur, quæ ligulariæ, aut compages appellantur: in quibus omnis aphoſides, aut pars ſibi invicem alligatur, hoc modo.



Quæ etiam vulgariter apud nos *Gavii* nominari ſolent. Hinc eveniet ut tria dora duodecim digitos adimpleant: atque hic eſt *Baſiliſcus* à Plinio ſic nominatus. Habes expoſitionem ænigmatis, quod de Heſiodo allatum eſt.

Magnus ille Ethices Magiſter Pierius de his menſuris, aut dimenſionibus, ſicut alibi ſemper, documentum deducit usqueadeo, ad vitam noſtram menſurare, & ad gloriam paradiſi transportari poſſimus: menſuræ juſtæ erunt, quæ falli nequeunt. Ait autem ſuffragantibus Theologis univerſis, has menſuras brevitatem annorum & dierum noſtrorum denotare. *Brevitas vitæ.* Ad hoc dilucidius demonſtrandum Davidico illo verſu pſalmi noni & triceſimi, tanquam norma utuntur: *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos: & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.* *Ex Pierio ut ſupra.*

Supra

Supra quod Ruffinus commentatur: *Ecce veteres poſuiſti:* Sed Caſſiodorus id cum majori energia exponit, dicendo: *Qui Hebræos ſequuntur alii breves, alii poſitos à Deo dies in menſura digitorum quatuor ajunt: alii palmi longitudine conſtitutos dies: alii pugillares dies datos: atqui ii minimæ etiam menſuræ mentionem faciunt. Paraphraſtici, velut in digitis numeratos haberem pauciſſimos dies meos.* Hoc univerſum eſt, quod ad digitos ſpectat. Valerianus interim, dum menſurarum tractatus præ manibus eſt, verbis illis Davidicis: *Commenſurabiles* &c. potiſſimum inſiſtit, ſupra quæ Adamantius inquit: *Ecce quàm breves admodum poſuiſti dies meos, quippe qui, cum quatuor digitorum menſura brevis admodum ſit, ac proinde vitæ noſtræ brevitatem ſignificat: Hinc clamabat Job: Nihil ſunt dies mei.* Id quod famoſus ille Hippocrates in principio aphoriſmorum ſuorum conteſtatur: *Ars longa, vita brevis.* Euthimius dies noſtros, dies palæſtæ nominat, quæ eſt menſura digitorum quatuor, tertia pars ſpithamæ. Quæ nihiluminus menſurarum pene omnium minima eſt: & hi dies nihilominus tam pauci, adhuc inſuper tot laboribus, tot ſudoribus, tot anguſtiis pleni ſunt; nec ullibi culcitra tam mollis eſt, quæ non puncturis fatigationum & laborum perforata ſit. Palleſcunt, imo vero non rarò ferales ſunt, ſicut cometarum, ipſi adeo coronarum regalium, & aurearum radii. O ſi hæc pro merito ſuo ponderarentur, menſura nulla inveniri poſſet, qua ad hujuſcemodi faſtigia dignitatum emetienda uti quiſpiam nec verò Paradiſi mœnia his lubricis ſchalis conſcendere vellet. Sed de his rurſum faſtigiis ad terram deſcendamus.

Dochme vocabulum Græcum potius, quàm latinum eſt, menſuram decem digitorum comprehendens. Arbitrantur nonnulli menſuram hanc eandem eſſe cum doro: quatuor enim digiti cum manu extenſa, conſtituunt menſuram digitorum decem. Spithama item ſpacium digitorum duodecim amplectitur: ab ultimi enim auricularis extenſi ungve, ad extremitatem pollicis usque extenſi, quantum id fieri poteſt, vera ſpithamæ dimenſio eſt. *Lib. 7. c. 7.* Refert Plinius Pigmæos altitudinem trium palmorum non exuperaſſe, in quo palmum vel ſpithamam longitudine pedis menſurat: appellat enim eos dodrantes; de quibus ſi quadrantem abſtuleris, digiti reſtabunt duodecim: pars autem, quæ tribus quadrantibus conſtat, dodrans dicitur. Frontinus item ſpithamam ſextantem vocat, quaſi quæ tres palmos habeat, uncias novem, digitos duodecim.

Utimur plerumque ad menſuranda ea, quæ occurrerint, per inſtinctum naturalem dimenſione palmi; quæ actio nobis familiaris, & conſveta eſt. Hæc menſurandi promptitudo, frequentia, & uſus, Valerianum induxit, ut in hoc Altiſſimum Deum figuret, qui cum omni facilitate, in pondere & menſura ubivis locorum eſt. Nec enim ulla diſtantia eſt, nec locus, nulla altitudo, nulla profunditas, nullum ſpacium tam breve, quo ille non pertingat, ubi non moretur, ubi quæque non ponderet. Inter tot teſtimonia, quæ adduci poſſent, illud Iſaiæ eximium eſt, quod in myſticis jam allatum fuit: *Deus & potentia illius.* *Qui menſus eſt pugillo aquas, & cælum palmo ponderavit.* Supra quod S. Hieronymus: *Quod autem pugillum vocat, & palmum humanæ conſvetudinis verbis utitur, atque menſuris, ut Dei potentiam per verba noſtra diſcamus.* Quis verò campus hic ſe nobis aperit, ut in minimo quoque digitorum noſtrorum altiſſimam providentiam DEI, ejus, qui nos regit, & continet, cognoſcamus? Sed ſi campus nobis patet ad immenſitatem illam divinitatis cum brevitate noſtra menſurandam: non minus illa brevitas optimo conſilio ad breve ſpacium vitæ noſtræ menſerandum ſervire poterit, ſicut jam diffuſius ſupra dictum eſt, & deinceps dicendum erit. De quo nobis Evangelica authoritas præceptum divina ſapientia plenum ſuggeſſit dicendo: *Quis poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* Minorum adeo conſvetudo eſt, inquit Valerianus, ut per vituperium dicant: vade pumilio, vix trium palmorum es. Omne quod breve eſt palmo menſuratur: optima igitur moralitas eſt, inquit Pierius, ut quis ſibi indies brevitatem vitæ, & breve ejus compendium calculando, ob oculos animi collocet.

Conſtat pes, more antiquorum, ait Pierius, digitis ſedecim, modernus viginti, ſicut experientia docemur: compoſitus enim eſt palmis quatuor, ſicut Vitruvius docet, qui ſicut copioſus Architectus eſt, ſic in menſuris inter cæteros facundiſſimus apparet. Hæc autem dimenſio duodecim unciis dividitur, quæ item ſexta pars ſtaturæ hominis eſt. Hæc aſſertio, & mens Frontini eſt. De cubito variæ opiniones ſunt, & ſententiæ, propter varietatem, & compoſitionem palmorum. Complures ajunt conſtare eum, compoſitumque eſſe palmis duobus: cujus menſura viginti quatuor conſtituit digitos: ab extremitate autem ungvium exorditur, & ad angulum medietatis brachii protenditur. Seſquipedalis nominatur, ab Græcis pygon dictus, à quo pygmæi denominati ſunt, prout annotat Euſthatius: ſic palmi per totidem dodrantes intelliguntur: in quo ſimul Niſus, & Vitruvius conveniunt, qui viri ſenis cubitum ſupra dicto modo menſurant. Volunt pictores cubitum quartam totius corporeæ ſtructuræ humanæ partem eſſe. Apud Herodotum cubitus non ultra viginti digitos habet. Habetur item cubitus regius, de quo Svidas & Herodotus plura tradunt. Præter hos, cubitus geometricus eſt, qui in dimenſione ſua ſex noſtrorum cubitorum adæquat, ſicut S. Auguſtinus, & Origenes ſentiunt. Perſpicua, & obſervabilis figura hæc eſt, unde etiam conſiderationes quaſdam Hieroglyphicas, & Emblematicas præbet, quarum una temperantia eſt, juxta Valerianum, quæ menſuram hanc manu geſtat, cum inſcriptione Græca, quæ in Latinum traducta ſic habet:

Una manus cubitum oſtentat, gerit altera frænum.
Illa: modum ſerva: hæc admonet: os cohibe.

Ingenioſiſſimus & acutiſſimus Alciatus præterea ad vivum nobis Deam Nemeſin repræſentat, in figura nimirum fæminæ, longo paludamento veſtitæ, intuitu aliquantum auſteræ, quæ in dextra frænum tenet, in ſiniſtra cubitalem menſuram: quod Emblema ſuum his verbis animat: *Nec verbo, nec facto quenquam lædendum.* *Emblem. 27.* Cujus rei declarationem hoc carmine exponit:

Aſſequitur, Nemeſisque virûm veſtigia ſervat:
Continet & cubitum, duraque fræna manu.
Ne malè quid facias, neve improba verba loquaris:
Et jubet in cunctis rebus adeſſe modum.

Ita quidem in omnibus verbis, & factis noſtris vera menſura obſervanda eſt. Qui nimirum de ſe præſumit, aut arroganti jactatione inflatur, & ſic terminos moderationis transcurrit, ſeveram inde punctionem expectet, hinc Seneca:

Dominare tumidus: ſpiritus altos gere:
Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus.

Fatalis cataſtrophe Imperatorum, morsque infelix Tiberii, Claudii, & Domitiani, omniumque hujuscemodi impiorum, ſatis de hac veritate nos inſtruunt.

Mollities, & diſſolutio animi, per imaginem hominis figuratur, qui commoditati ſuæ inſerviens, ſupra ſcamnum aut lectum ſedens, aut aliter alteri rei immixus, brachium cubito tenus ſupra culcitram collocet. Sic dixit Adamantius: *Signum voluptatis carneæ mihi videtur, ſub cubito manuum cervical aſſutum.* Totum de Ezechiele transſumptum eſt, ubi legitur, quod Altiſſimus dum civitatem Jeruſalem ob nimiam luxuriem & effæminatos mores increpare vellet, illud phraſi hac maximè adæquata expreſſerit: *Væ quæ conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas.* Et paulò infra: *Dirumpam cervicalia veſtra: & liberabo populum meum de manu veſtra.* Condemnat autem hic eos, qui nimia teneritudine, & muliebri mollitie, virtutem & robur virile peſſumdederunt. In Origine homilia copioſa ſupra hunc Ezechielis locum reſtat, quæ hanc vivendi laxitatem percellit, de quo jam alibi mentio facta eſt. Unde Laërtius inquit: *Magnæ ſtultitiæ eſt propter brevem voluptatem cum aliis digladiari.* Revertamur à metaphorica, ad ſignificationem rurſum literalem.

Ezech. c. 13.

In Argum, lib.

Paſſus hominis à peritis obſervatoribus menſurarum, nomine *Gradus* appellatur, qui à *gradiendo* ſumitur. Ejus longitudo ordinaria, cubitum cum pede hominis mediocris non excedit, quod tantundem eſt ac pedum duorum, & dimidii vel ſi mavis quadraginta digitorum. Paſſus item, quaſi de manu expanſa dicitur. Complures aſſerunt hunc quinque pedalem eſſe, cujus ſpacio gradus bini contineantur, eſſe autem digitos octoginta. Spacium ſiquidem, quod expanſis manibus occupatur, nonaginta ſex digitorum eſt: atque hæc integra altitudo eſt corporis quadrati. *Orgia*, juxta Herodotum, ſex pedum eſt. Menſura ejus de numero pedum dicta eſt *Hexopus*. Hic pede uno paſſum excedit: hæc menſura nihilominus pro inſtituto & diverſitate regionum & locorum, variat. Ulnam quidam ajunt eandem eſſe cum orgia præmemorata: alii rurſum aliter ſentiunt, eam enim non niſi medietatem illius eſſe: ajunt hi: nomen illud à menſura pedum trium deduci. Tradidit Plinius inventam fuiſſe abietem, cujus circumferentiam vix ulnæ quatuor hominum amplexari potuerint: quarum numero octo erant. Nec id mirum, hoc enim genus arborum portentoſæ plerumque & altitudinis, & craſſitiei eſt.

lib. 16. c. 41.

Menſura item inter veteres *Decempeda* dicebatur, denos pedes continens, centum videlicet & ſexaginta digitorum, qui paſſus duos efformant, ſed non eorum, qui orgiis æquivalent. Alio item nomine *Acena* dicitur: quæ plurimum tamen à *pertica* noſtra decempedali differt: qua potiſſimum uti conſueverunt, qui hanc menſuram operibus ſuis adhibent: ſicut ſunt fabri, cæmentarii, Agrimenſores, Lignarii, & ſimiles. Diverſitas hæc item in *pede* noſtro eſt qui quatuor digitis longitudinem antiqui *pedis* excedit. Theſſalorum autem inventum fuit, prout Apollonius author eſt. Hujus nominis M. Tullius ſæpe meminit. Et in lege duodecim tabularum manifeſtè cautum erat, ſi quis ficum, aut oleam plantaverit in agro, eas invicem decempedali ſpacio ſeparandas eſſe: aliarum arborum diſtantiam quinque pedalem ſufficere:

10. Tit. fin. Reg.

Idem liber Pandectarum præcipit. Confrontatur eadem lex, cum illa quam Solon reliquit, à Cajo repetita, qui ait: *Olivam autem, aut ficum novem pedes ab extrema regione plantet: alia autem ligna quinque pedes.* Valerianus hanc legem cum omni veneratione inquit Florentiæ obſervari. Poſt *decempedam Actus* ſuccedit, qui centum pedibus & viginti conſtat, quod tantumdem eſt ac viginti quatuor paſſibus.

Jugerum, juxta Varronem, quatuor *actibus* conſtat: unde illud Quintilianus ducentorum, & quadraginta pedum longitudine cenſet, cujus latitudo medietatem longitudinis habeat. Tantum enim terræ ſpacium, jugo boum duorum unius diei decurſu coli poſſe. Atque hoc eſt, quod Itali *Tornatura* appellant. *Jugerum* autem à *jugo* nomen ſuum traxit; quæ dimenſio inter præclariſſimas cenſenda eſt, quas agricultura unquam invenire potuit: Atque hæc eſt, quàm à principio lex agraria ordinavit, quæ id effecit, ut quisque quod ſuum eſt dignoſceret, & æqua diſtributione cuncta diſpertita eſſent: Et illic ubi primum in agris propter confuſionem ordinis cypreſſi mortalitatis, illic dehinc oleæ pacis, & laureæ vitalitatis frondere cœperint. Cum autem his libri Grammaticorum repleti ſint, ulteriori probatione non indigent.

Stadium duplici modo conſiderandum eſt: aut enim illud ſpacium, quod olim ad curſum uſurpabant, hoc nomine intelligi poterit: ſicut hodie adhuc cum equis barbaricis conſueverunt, qui ad metam decurrunt: aut vero certa menſura eſt, comparata limitibus, qui in menſura camporum conſiſtunt: habet autem in ſe plerumque centum & viginti paſſus noſtrorum: pedes nimirum trecentos & viginti. Hæc ſumma ſimul octies computata, milliare conſtituit. Quod ad *Agonem* attinet, Græci ſtadium ſuum pedibus ducentis numerant. Sed multo majoris longitudinis *ſtadium Herculis* eſt: unde Mathematici peritiores, ſtadium ea menſura menſi ſunt, quam ipſe propriis pedibus menſuravit.

Stadium Italicum, atteſtante Cenſorino doctiſſimo Obſervatore, centum viginti quinque pedes continet. Erat item ſtadium aliud *Pythica* nominatum, quod millenorum pedum fuiſſe traditur. *Olympicum* de quo Venuſinus Poëta in odarum ſuarum prima canit: *Et pulverem olympicum collegiſſe juvat:* quadringentis ſolum pedibus conſtabat. unde ex his facile patet ſtadium certæ, determinatæque menſuræ non eſſe: ſed earum menſurarum unam eſſe, quæ pro locorum diverſitate alibi longiores alibi breviores deſcriptæ ſint. Per hoc ſtadium S. Paulus decurſum vitæ noſtræ intelligit, unde ait: *Neſcitis quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt,* 1. *Cor.* 9. *ſed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.* Intelligendo, ut paucis referam, per hoc bravium gloriam paradiſi, quæ nimirum meta noſtra eſt, ad quam omnes nos aſpirare oportet. Idem Apoſtolus adhuc *ſtadii agonalis* meminit, ubi ait: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, ego igitur ſic curro.* *ibidem.* Sic Sapientia æterna terrenarum rerum ſimilitudinem adhibet, ut videlicet capacitati intelligentiæ noſtræ condeſcendat.

Plethrum olim menſura centumpedalis erat, ſexta pars *ſtadii:* ſicut authores Græci decernunt: quod tantundem eſt, ac ſi ſtadium centum orgiis conſtare dixerint, conſtat enim orgia pedibus ſex. Menſura item duorum ſtadiorum appellabatur *Diaulus:* varietasque ſtadiorum effecit, ut hæc

quandoque ducentis cubitis formaretur: imò verò & ipſe cubitus quandoque varietatem ſuam patiebatur, propter rationes jam adductas. Stadium nomine item alio ſignabatur, quod videlicet equeſtre erat, *Hippicum* nominatum. Plutarchus authumat illud quatuor conſtitiſſe ſtadiis. *Miliare* interim juxta mentem Junii Niſi octo ſtadiis componitur: juxta Vitruvium quinque mille pedibus: atque ita ſtadium noſtrum, inquit Pierius, dimenſionem ſuam in centum viginti quinque paſſibus conſequitur: qui ſexcentos & viginti quinque pedes conficiunt: quemque paſſum pro quinque pedibus cenſendo.

Curſus Hippicus.

Menſura *Dolica*, juxta mentem plurimorum, duodecim ſtadia continet, quæ miliare cum dimidio perficiunt. Sunt qui menſuram hanc ad viginti quatuor ſtadia reduplicant, unde poſthæc miliaria tria componuntur. Hic autem curſus ordinarius erat pro equis, qui parum à noſtro differt. Quia verò hic curſus per obliquum factus appellari *plicatus* ſolebat: apud Pindarum invenimus, hunc curſum ab octonis ad duodenas usque vices replicatum fuiſſe. Qui curſus hodiedum Florentiæ in uſu eſt, appellatus: *In palio delle carrette.* S. Chryſoſtomus authoritate ſua hunc locum Pauli ſequentibus verbis illuſtrat, & elucidat: *Etenim qui poſtquam decem dolichos cucurrit, ſi poſt defricat omnem amiſit laudem dierum, quia ſcilicet duo adhuc dolichi erant decurrendi.*

In Ep. ad Philip. 1.

Paraſanga, juxta Perſarum conſuetudinem, triginta ſtadia comprehendit: atque hæc, juxta Herodotum, trium & dimidii miliarium ſpacium continet; qua dimenſione Tranſalpinæ regiones utuntur. Atque hæ ſunt horæ germanorum, & leucæ Gallorum. Vocantur horæ, idcirco quod unius horæ ſpacio ejuscemodi terræ intervallum commode peragrari equo poſſit. Italicum nomen illud *Lega*, à quibusdam latinis *leguæ* dicitur, quaſi *levis:* eo quod facile ſit, per planum ambulando, eam horæ tempore perficere.

Schœnus duas paraſangas occupat, quod ſeptem miliaribus æquivalet. Quidam volunt hunc ſtadiorum quinquaginta eſſe. Plinius, atteſtante Eroſthene, non niſi quadraginta numerat, quæ tantundem ac quinque millia paſſuum cenſenda eſſent. Quidam Schœno nonniſi viginti duo ſtadia aſſignant. Sic enimverò Authorum diverſitas hanc menſuram inconſtantem reddit: quod vel temporum, vel locorum diſtantia contigit: ſimilis autem diverſitas in ponderibus quoque deprehenditur.

Funiculus: portio hæreditaria.

Porro omnis portio, vel camporum, vel argenti, vel veſtimentorum, aut cujusvis rei alterius, quæ in ſortem cadit, aut per hæreditatem poſſidetur, *funiculus* olim nominabatur. Unde inquit Pierius: *Apud Hebræos menſuræ genus erat, ſub funiculi nomine nuncupata.* Hæc expoſitio ſcripturarum intelligentiæ adjumentum fert, illic inter alia ubi Moyſes in Cantico ſuo inquit: *Funiculus hæreditatis ſuæ Iſraël:* Et Pſalmiſta: *Sorte diviſit eis terram in funiculo diſtributionis.* Et Ezechiel: *Joſeph duplicem funiculum habet:* Et in aliis hujuscemodi locis ubi funiculorum mentio eſt. Ita Prodicus author eſt, conſuetudinem Ægyptiorum fuiſſe, ut poſſeſſiones ſuas, & fundos, imo & omnes circum regiones ſuas funibus metirentur, prout Maximus Tyrius recenſet: atque his principiis niſus S. Hieronymus viam ſibi ſternit ad exponendum Joëlis caput tertium. Alii loco funium *torrentem ſpinarum* legunt. De quo fortaſſis originem ſepes traxerunt, quibus coronantur, & ſepiuntur agri. Utque ad funem revertamur, coronatus Cantor meus inquit:

Deuteron.

Pſ. 77.

7.

Semitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti. Ad hoc confirmandum Solitarius concludit: *In Nilo flumine, ſive in rivis ejus ſolent naves funibus trahere, certa habentes ſpacia, quæ appellant funiculos: ut labori defeſſorum, recentia trahentium colla ſuccedant.*

Commentatores ſacri vix locum Scripturæ relinquunt, quem non in bilance maturæ conſiderationis & lucubrationis ponderent, hinc ſupra dictum illud Davidicum: *Semitam meam, & funiculum* *Pſ. 139.* *meum conſideraſti:* progreſſum vitæ noſtræ deducunt: Alii legunt: *Inveſtigaſti:* alii: *examinaſti.* In hac autem lectione ſtratum de funcis contextum intelligunt: nulla funium mentione facta: & ſic traducunt: *Accubitum meum enventilaſti.* Hinc Pierius doctè meminit: Arabicam & Chaldaicam lectionem huc quoque reſpicere. Quantum ſibi ſubſidii per funiculum hunc ſibi Chriſtianus attraheret, ſi præſentiam DEI, ſibi indefeſſo ſtudio ob oculos poneret, qui ubique præſto eſt. Atque hæc ſæpius verba in ore verſaret: *Inveſtigaſti, examinaſti, eventilaſti.* Ajebat Diogenes, quamvis Cynicus: *Non latet Deos homo male agens, nec cogitans quidem.* *Tholit. apud Diog.* Vaſtiſſima materia pro pulpito! Vult Euthymius apud Ægyptios & Perſas *Schoinum* ejusdem eſſe menſuræ cum *funiculo*, & proportionem *ſtadii* adæquare.

Inter diei unius, quod commode ſine laſſitudine peragi poſſit, conſtans miliaribus Italicis viginti, minus quarta parte, ajunt centum quinquaginta ſtadiis compoſitum eſſe. Tabulæ Juris Conſultorum cuivis iter hoc commodum aſſignant. Lucianus jactatores quosdam ſic ſubſannabat, qui multum ſe itineris confeciſſe gloriabantur: *Nunquid tria millia ſtadiorum ſunt à terra ad Lunam usque? Qui primus nobis eſt ſtathmus. Id eſt; quod itineris ſpacium uno die peregrinus.* Unde apparet hoc ſpacium, aut menſuram *ſtathmum* appellatum fuiſſe: idque dixerim non immeritò, à ſtando, propter quietem, quam viatores tali ſpacio confecto capiunt. Hinc interim, mi Lector, in ſtatu hoc, & in ſtathmo te relinquo præſentis capituli: obſecrando, ut ſiquidem te in miliaribus his incedere infeliciter feci, ignoſcas velim, cum noveris absque itinere, videri plagas alienas non poſſe, & quod juxta mentem Maximi Tyrii:

Homero ſapiens eſt viſus Ulyſſes,
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.

Antonius Abbas itidem in ſatyris ſuis ſic habet:

Altro piacer, che viaggiar non trovo:
Che ſe fortuna à inſtabili le piante,
Non la poſſo arrivar, ſe non mi muovo.

Multo prolixius, & utilius erit caput, quod ſequitur:

DE NUMERIS.

PRetium Arithmetices tam ſingulare eſt, ut hæc ſola ſe ſublevet, ad ipſa ſphærarum cæleſtium penetralia rimanda, & ipſos cælos menſurandos: novit ſtellarum influxiones uniuſcuique particulares prædicere: numeramus hac (ut humano dicendi modo loquar) ipſam adeo quantitatem DEI. Cum enim unus, trinusque ſit, cognoſcimus, & fide amplectimur Triſhagium illud Sanctiſſimum, quod omnem univerſitatem gubernat, & dirigit. Sine numero Rithmi, & harmoniæ pede claudo, imperfecto, & retorto incederent. Diſcurrit cum Regulis ſupputatoriis per tempora. Mater, & Recollectrix dici poterit omnium

annalium, & hiſtoriarum. Quid plura, & menſes, & dies, & horas, & momenta præſcriptionibus ſuis determinat. Nullus fit calculus, nullus contractus ubi non ad numeros recurſus ſit. Perfectus Mathematicus non erit, nec Aſtronomus, nec Geometra, qui prius numerorum intelligentiam conſecutus non ſit. Unde Ægyptii ſimul & Romani juventutem ſuam à primordio his numerorum rudimentis ante reliqua omnia inſtitutam volebant. Sic Alexander & Diodorus inquiunt. Unde etiam Plato affirmabat: *Illius participem reddi debere quamvis artem ſive ſcientiam, & ſine hac omnes artes tollendæ ſunt, ut quæ ſine numeris conſiſtere nequeunt.*

Alexand. Genial. dier. lib. 2. c. 20. lib. 2. c. 2.

Denique incredibilia ſunt encomia, quæ huic excelſæ Duci, & Principi ſcientiarum & profeſſionum attribui poſſunt: ſicut illa numeris ſuis in infinitum quaſi extenditur, ſic encomia ejus immenſa. Hæc numeratio nihilominus, quippe quæ originem ſuam primam, & progreſſum deinceps deduxit à digitis (ſicut jam antiquitus obſervatum fuit) cum de his ſit præſens tractatus noſter, videor neceſſitate quadam compelli, ut de numeris amplum admodum, & copioſum tractatum inſtituam: ut ne quid omiſiſſe mihi contingat, quidquid in hanc rem opportunum occurrerit, quod communi utilitati, & beneficio inſervire poſſit. Nec vero benevolus mihi Lector objecerit, quod more fæminarum, computare digitis non verecundor: inventurus enim eſt, primos adeo Heroës Mundi hac digitorum ſupputatione nixos fuiſſe, & his iisdem illuſtria facta ſua dilucidaſſe.

De ſupputatione præter Pierium, qui principale corpus capitulo huic præbiturus eſt, Plutarchus, Beda, Marianus Victor, Tiraquel, Cerda & alii ſcripſeſerunt. Hinc Plutarchus inquit: *Orontes Regis Artaxerxis gener, cum ob iram inhonoratus, & condemnatus foret; ut computatorum inquit digiti nunc decem millia, nunc unum ſignificant, ita regum quoque amici interim minimum poſſunt.* Notat doctiſſimus Pintus, Aſtronomos potiſſimum digitis olim uſos eſſe, ad tempora computanda in erigendis figuris ſuis. Propter quod de florilegio Græco Antolicus deducit, & de ejusdem uſu ſic loquitur: *Hinc ſumens calculos ſuper tabulam, compoſuitque digitos, & flens dixit.* Plinius item de quodam alio ſcripſit, quod cum ei Genealogia infantulæ cujusdam formanda eſſet: *Qua hora nata eſſet interrogavit: ubi audivit, componit vultum, intendit oculos, movet labia, agitat digitos, computat diu.* Et Tertullianus improperando cuidam, qui per hujuſcemodi præviſiones ſaluti ſuæ proſpiciebat, ſic concludit: *Non eſt tibi pars, neque ſors in iſta ratione: non poteſt regna cælorum ſperare, cujus digitus, aut radius abutitur cælo.* Artem autem numerandi primordia ſua à digitis deſumpſiſſe Ariſtoteles apertè tradit. In problematibus enim ſuis rationem indagans, cur Græci à denario numero numerent, atque inde duplicare incipiant, ſic concludit: *An quod homines ab initio haberent decem digitos: itaque ſui numeri calculo, quaſi adipiſcentes hac eadem multiplicitate, cætera quoque numerant.* Quibus item Pintus ultimò adjungit: *Ut meritò poſtea Arithmetica omnes ſuos numeros in digitos redegiſſe videatur, quia ab illis tota numerandi ratio orta fuerit.*

Ex Pinto Ramirez Trac. 1. cap. 12.

In Apopht. l. 2.

. 2. Ep. 20.

Origo numerandi in digitis.

Sect. 15. prob. 1.

L. c.

Ut verò ab univerſalitate hac ad ſingularia deſcendamus, conſentaneum eſt digitos partiri, & cujusque proprium deſignare officium. Hi verò rurſum aut contracti aut extenſi, aut plicati jam in unam, jam in alteram partem, multam diverſitatem & figuras varias ſortiuntur, unde diverſitas, & multitudo numerorum exoritur: variisque ſignificationibus omnem pene eorum rationem & eſſentiam exponunt: ſicut in poſitione, & coaptatione plurium ſtatuarum apparet: quæ ab exactiſſimo obſervatore Aldrovando, cum ſingulari eruditione, & lucubratione in medium producuntur.

Omnis itaque ſupputandi eſſentia in tres partes dividitur, quarum prima digitus eſt: deinde Articulus: tertia numerus compoſitus appellatur. Digitus in omni numero infra denarium continetur: hi autem ad novenarium usque ex privilegio quodam ſingulari illud nomen, *numeri*, ſibi ſolum vendicant. Articulus dividitur in decades, de quibus poſtea numerus reſultat compoſitus. Quotiescunque articuli hoc vel illud nomen aſſumunt, numeri ſedem habent in tribus digitis inferioribus. Articuli conjuncti in Indice, & in pollice, & ſic utrique compoſiti, aut verò extenduntur, aut ſocialiter plicantur. His conſtitutis nunc, intelligendum eſt, quem numerum quisque digitorum in ſuo geſtu demonſtret.

Circa quod ſciendum, quod evidenter ſiniſtra manus, omnes numeros à novem ad nonaginta usque indicet; dextra autem à centenario ad nongenta. Sed quonam digito centenarius à millenario diſtingvatur, gravis controverſia inter Authores vertitur: dum eorum alii Bedam in his verſatiſſimum ſequuntur, alii rationi, quæ iis probatiſſima videatur, innituntur. Beda numerum centenarium ait à ſiniſtra transportari ad dextram: eodem enim geſtu quo in ſiniſtra decem numeramus, numerari inquit centum in dextra, & ſic ad millenarium usque conſcendi. In geſtibus item quibus per lævam novenarius numerus cenſetur, per dextram totidem millenarii fiunt. Alii naturæ ordinem obſervando ſic docent, & intelligunt, quod ſicut numeri minores ſubmittuntur majoribus in ſiniſtra: ſic de manu in manum transeundo majores numeri rurſum ſupremis ſupponantur in dextra. Interim conveniens eſt, hieroglyphica, & ſignificationes accommodare qualitatibus, & figuris earum. Unde, ut Bedæ perplexitates, quæ mentem turbant, prætereamus: ſic manum adoperabimur, ut ſicut in ſiniſtra auricularis primus eſt in numeris, & ſic deinceps cæteri ad nonageſimum usque: ſic eidem regulæ inhærendo, in dextera centenarius conſcendatur ad millenarium. Porrò Millenarii per medium pollicis & indicis exprimuntur: ſicut etiam in ſiniſtra per tres inferiores digitos ad numerum majorem aſcenditur in decade minori, ſic fit per dextram in numeris majoribus: atque hi commode circa pollicem indicemque reperiuntur.

Hujus rei teſtis & experientia & ſanctitate celebris S. Irenæus adducitur, isque inter veteres (nam Bedâ antiquior eſt) qui ait: *Unius numerum, quo geſtu ſignificabatur in ſiniſtra, translatum in dextram centena conficere. A numero nonageſimo, qui fuit in læva, ſignificatio transfertur in dextram, & ibi centena conſtituit.* Hæc ſententia à Græcis admiſſa fuit, ſicut & à modernis quibusdam, inter quos eſt Lucas Minoritanus, qui de Arithmetica præclare ſcripſit, approbatus univerſali applauſu. Alii inſuper notas & volumina ediderunt ad imitationem ſuperiorum, & pro publica utilitate. Convenit hæc methodus, cum Chaldæorum methodo, idque ſat exactè, inquit Pierius, nec in alio differunt, quam quod illi lineis & characteribus, nunc altis, nunc demiſſis, nunc longis, nunc brevibus uterentur: Græci verò, & Latini digitis & manibus id faciebant. Quæ quadrupliciter figurantur, quarum figurarum prima digitos repræſentet, ſecunda articulos, tertia centenarios, quarta millenarios. Sed hæc ita obſervanda erant, ut pollex, qui ſupra manum in ſiniſtra elevetur, unitatem demonſtret, in dextra centenarium. Si ſubtus ſe curvet vel flectat in dextra, mille ſignificat, ea ratione & modo quo dicetur.

Itaque triginta ſex diverſimodè figuratæ manus exponuntur cum vola, partim in *plano*, partim in *profilo* ut dicitur: in quibus digiti diverſimode plicati ſunt, qui omnes adeo numeros indicant; ab unitate ad novem usque millia, ubi dextra ſimul & ſiniſtra, prout dictum eſt, adhibentur. Monſtratur primum manus læva, ſupra quam numerus I. eſt, digitis ſimul omnibus extenſis, excepto annulari. Computatis autem primis decem & octo in ſiniſtra, progreſſus fit in centenario ad manum dextram eadem forma apparentem. Aperitur vola ſecunda, quæ auricularem & annularem plicatum monſtrat, cum numero II. Extenditur tertia tres digitos incurvans: hoc eſt ſupramemoratos binos, & medium: ſupra collocato numero III. Quarta pollicem, indicem, & annularem erectos monſtrat, reliquos duos plicatos, & numerus IV. ſic figuratur. Quinta non niſi medium curvat, cum ſigno numeri V. Sexta annularem inclinat, portans ſecum numerum VI. Septima auricularem omnimodo plicat, & aliquantum annularem cum numero VII. Octava tres priores digitos extenſos monſtrat, ultimos binos inflexos indicans numerum VIII. Sic nona duos monſtrat digitos integros, pollicem & indicem, reliquos tres plicatos & compreſſos, cum numero ſuo IX.

Expoſitæ ſunt reliquæ manus cum vola, & digitis in *profilo*. Pollex qui velut in circulum incurvatur, & cum minimo unitur: reliquos tres digitos, quaſi in punctum unitos portans, & numerum ſignat X. Tranſitur deinceps ad decadem alteram, & ad demonſtrandum XX. vola exponitur, quæ quatuor digitos diſtentos ſpargit, ſed quibus ſtet in medio pollex, quaſi umbram facturus, aut ab iis recepturus. Manus quæ XXX. format, eandem pene ſimilitudinem cum illa habet, quæ X. repræſentat, niſi quod hic tres digiti reliqui magis dilatati, & aperti, quamvis diſtenti ſint. Vola quæ numerum XL. indicat, pollicem monſtrat, cum annulari, ſed cum nodo pollicis relevato: omne reliquum planum eſt. Ad figurandum numerum L. Deſcendit pollex propenſione ſua naturali, uniens ſe cum ultima junctura minimi. Ad formandos LX. Curvatur, & deſcendit tanquam amplexando annularem ſimul & minimum. Eadem pene ſituatione LXX. formantur: niſi quod auricularis videatur disjunctus ab aliis. Incurvatur ad formandum LXXX. quaſi in rotundum pollex, cum ultima junctura annularis, annulari nihilominus erecto. Numerum XC. formant annularis, & auricularis, quaſi invicem disjuncti, & dilatati, ſed quibus pollex ad ultimam minimi juncturam deſcendat. In conſimilibus quoque figuris manus dextra compoſita, & formata per chiliades à centenario ad novem usque millia figuris ſuis aſcendit: quod tu, mi Lector, pro ſolita dexteritate tua naturali facile ſuperioribus inhærens, ſine meo opere invenire, reducere, & menſurare poteris. Quæ ſigna univerſa, & quæ figuræ triginta ſex myriadibus, aut ſignis compoſitis, aut inventatis à Chaldæis correſpondent. Atque hoc omne fuit, quod ſupra memoratus Orontes ſubindicat.

Hæ ſunt ſignificationes, hæ figuræ materiales numerorum, quas hactenus expoſuimus in digitis: reſtat ut annotemus, quid ſub horum cortice, myſterii lateat: quod non exigui, nec brevis operis eſt. Obſervat inprimis S. Hieronymus apud Valerianum, manum indicantem numerum I. aut vero centeſimum, ubi nimirum pollex rotunditatem conſequitur, & in manu læva auricularem oſculatur, Hieroglyphicum mulieris conjugatæ aut viduæ eſſe. In manu autem dextra virginitatem, puritatemque mentis & corporis indicari. Singularis hæc applicatio eſt, & condigna Authore tam inclyto: dos enim illuſtrior eſt virginitas, quam matrimonium, aut ſtatus vidualis: eſt enim dos angelica, altera nil niſi humanum habet: Quod argumentum ampliſſimum tractatu eſſet, niſi in materiæ tanta vaſtitate me alio pedem vertere cogeret neceſſitas. In numerando itaque centenarios, & milleſimos dextræ, locum admodum clarum, & concludentem porrigit Juvenalis, ratiocinando de quodam Pylio, qui cum vetulus eſſet, juvenem agebat; verba ejus hæc ſunt:

Rex Pylius, magno ſi quicquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit à cornice ſecundæ.
Felix nimirum, qui tot per ſæcula vitam
Diſtulit, atque ſuos jam dextra computat annos.

Solvantur interim, inquit Pierius, à circulis ſuis, tanquam à carceribus & cancellis digiti, & eorum myſteria palàm producantur. Digiti annulares plicati, & contorſi, ſicut in figura prima apparuit, ſive in dextra ſive in ſiniſtra occurrat, ſignum ſunt unitatis. Idcirco Romæ olim dum ſtatuæ apparerent, cum faſcibus imperialibus ſecus pedes, digitisque in prædictam formam plicatis, manifeſtabatur, eum cui ſtatua erecta erat, Conſulem fuiſſe: & hæc ſtatua Conſulatus Hieroglyphicum: ſiquidem alia ſigna apparerent, alterius honoris, aut dignitatis, aut gradus indicium erant.

Conſulatus.

Sacras literas non immeritò campum dixeris eſſe, qui omni palato paſcua ſua præbeat, è quibus pro cujusque appetitu nutrimentum debitum adminiſtretur. Hinc in ratione numerorum, inter obſervatores doctiſſimi, dum mentem ad parabolam Chriſti in Matthæo allatam applicant, ubi inquit: ſemen ſupra terram bonam lapſum, fructum dediſſe: *aliud quidem centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud trigeſimum*: conſiderationes Hieroglyphicas eruunt, dicendo: In numero ternario, qui à ſiniſtra ad dextram transportatus trecentos conſtituit, eos intelligi, qui iter conjugale ſequuntur, & in matrimonio inculpabili & incontaminato campum ſuum colunt, meſſemque copioſam gratiarum divinarum recolligunt: ſicut loco ſuo patebit, hunc numerum nuptiis convenire. Sexagenarius ad eos pertinet, qui cum integritate debita vel viduitatem, vel celibatum conſervant. Per centenarium, prout dictum eſt, pura & illibata infertur virginitas. Unde in his numeris univerſitas ſtatuum epilogatur: continentium, viduitatis, & maritatorum. Eucherius hæc præmia non ſoli virginitati, ſed martyrio quoque aſſignat, eorumque retributioni futuræ. Heſychius Hieroſolymitanus ſcripto tradit, hunc numerum perfectiſſimum eſſe, comprehendere eum quinquaginta qui Spiritui Sancto ſacer eſt, ejusdemque Hieroglyphicum: unde etiam Paracletus quinquaginta diebus poſt reſurrectionem Chriſti deſcendit. Adamantius numerum centenarium omnimodo plenum & perfectum judicat: itaque omnem prærogativam, & omne rationalis creaturæ compendium in ſe concludit.

Cap. 13.

In Numero item *duorum* non inferioris ponderis conſiderationes occurrunt: eadem enim ratione, qua de *unitate* dictum eſt, quod cum digitus in ſtatuis appareret incurvatus, illud de conſulibus intellectum fuiſſe, ita ſi hoc duplicato digito fiebat, dupliciter hanc dignitatem obtentam fuiſſe arguebat. Numerus hic dualis interim in ſtatuis naturam corpoream ſignifi-

ſignificabat, & ad generationem prolis adaptari ſolet: atque idcirco pro Hieroglyphico immunditiei in ſcripturis ſacris aſſumitur. Legatur ſuper his Adamantii liber tertius ſupra Epiſtolam S. Pauli ad Romanos, ubi de propitiatorio ſermo eſt. Admonet item ſuper hæc Hieronymus contra Jovinianum, monſtrando in Hexahemeron ſuo, vel creatione mundi, quod in die primo dictum eſt: *vidit Deus, quod eſſet bonum*: in ſecundo autem hæc particula omiſſa eſt: *Ut admoneremur*, inquit, *non eſſe bonum duplicem numerum quod ab unione dividat; nam unitas Dei tota eſt, dualitas verò ſignificat fœdera nuptiarum.* Id autem quod in ſiniſtra de duali, hoc in dextra de ducentiſſimo dicatur.

Conſtituunt (prout meminimus) tres digiti, auricularis, annularis & medius, plicati, numerum *ternum*, in dextera ter centum. Hic numerus ob myſterioſam ſignificationem ſuam hanc inſcriptionem portat: *Anima*, vel *DEUS.* Deus in Trinitate Perſonarum, & unitate eſſentiæ. Nodus, qui ſolvi poterit, non per Alexandrum quempiam, qui ſolo acumine curioſæ, & ſublimis indaginis id tentare audeat, ſed per eos, qui lumine fidei, & corde devoto, myſterium illud ineffabile adoraturi ſunt. Anima item ternario gaudet, cum rationalis ſit, & animalis, & vegetativa: de quibus efformantur ſpiritus animales, vitales, & ſenſitivi. Atque hoc eſt Numen Fidii apud Sabinos, ubi inter vetulum jam caneſcentem, & hominem ætatis mediocris, puer medius collocabatur.

Numeris hic ternarius, in comparatione aliorum, dici ni fallor perfectiſſimus poterit, cum regula ejus omnium perſpicaciſſima, & certiſſima ſit. Baſis Arithmetices maximè involutæ, & obſcuræ. Hoc illud trilaterum eſt, optime ſapientibus intellectum in pentagono, quod ſemper ejusdem menſuræ, ſemper ejusdem figuræ eſt, qualitercunque ceciderit, ſemper in pedes ſuos erectum. Deſcribendo interim ſimulacrum Dei ſub figura allata multum laboravit Pythagoras, multumque Theologi ſacri deſudarunt: quæ tamen omnia brevitatis ſtudio omittimus. Nec tamen prætereunda eſt obſervatio divini propitiatorii, quod formæ trigonæ erat, ad demonſtrandum, ſicut viri ſapientes obſervant: quod

- - *Numero Deus impare gaudet:*

Cumque Deus hac figura exponeretur, Trinus eſſe demonſtrabatur. Erat autem altitudinis cubitorum duorum, & dimidii: in hoc quoque myſticè Chriſtum Deum ſimul & hominem figurando. Quàm præterea hoc trino numero Deus delectetur, in viſione illa Samuelis apparet, qui non prius in Prophetam electus fuit, niſi terna vice vocatus eſſet: tum enimverò vocem divinam agnovit.

1. Reg. 1.

Numerus interim trecenteſimus inter eos cenſetur, qui in Arithmetices arte priorem ſibi locum vendicant, unde Catullus inquit: *Expecta hendecaſyllabos tercentum, quos ſimul complexa tenet, Trecentos, & tercentenas erroribus impleat urbes: Tercentum nivei tondent dumeta Juvenci: Tercentum tonat ore Deus.* Cumque numerus centenarius jam ſupra dignitatis, & perfectionis non ordinariæ, & ſummi gradus eſſe monſtratus ſit, idem erit ſi tertiò repetitus fuerit. Sic Adamantius refert. Arca Teſtamenti quæ tercentum cubitorum erat, in qua non ſolum genus humanum, ſed reliqua quoque animantia ſalvata ſunt, per figuram ſuam ſatis declarat, inquit Valerianus, quod ſi homo de centeſimi dignitate, & de gratia divina deciderit, per cognitionem & patrocinium trecenteſimi, hoc eſt Patris, Filii, & Spiritus Sancti, liberari poſſit à naufragio, ad portum ſecuritatis appellere, & primitivo ſtatui ſuo reſtitui. Singularis item in hoc loco obſervatio eſt Plinii, Janum ſibi magni Numinis famam conciliaſſe, eo quod Janus ſtatuam ſibi erigi imperaverit, digitis ita compoſitis, ut numerum trecentorum ſexaginta quinque dierum, quibus anni ſpacium concluditur, repræſentarent.

Lib. 34. c. 7. Janus demonſtrans in manu ſua dies anni.

Numerus quartus item obſervationes ſuas habuit. Ex hoc quadratus, & quadringenti, & quater millia formantur: quadratum etiam idcirco notabile, quod trigonum in pedes ſuos ſemper cadens quartum erectum habet. Hic numerus in ſtatuis Dictatorum, inquit Pierius, & in ſtatuis Conſulum, ſicut & Imperatorum apparebat, cum ſequenti geſtu: ſimul quatuor digitos plicabant, minimo ſolùm elevato: inferendo per hæc ſe quaternis vicibus ad hunc gradum aſſumptos fuiſſe: cujus rei originem huc non ſpectantem ad fugiendam prolixitatem omittimus. Nec tamen prætermittendum id, quod hic mihi ſeſe commodè de quinario numero offert. Figurabatur hic ſola digiti minimi extenſione, medio autem verſus volam, vel palmam manus incurvato. Idem numerus exprimebatur in demonſtratione ſtellæ vel depictæ, vel ſculptæ, vel alioquin characterizatæ, eam enim veteres pro hujus numeri Hieroglyphico ſumebant.

Horus Apollo rebatur dominium mundi, & cæli quinque ſtellis conſignatum eſſe, easque humanarum rerum curam agere, hominumque neceſſitatibus proſpicere. Cumque omninò luminoſæ, & ſplendidæ ſint, eas oculo illuſtri, cum omni activitate, igne pleniſſimas pro nobis vigilare. Cui Pierius adjungit: *Nihilque apud mortales fieret, quod ab earum arbitrio non penderet.* Ex quo apparet, quantum providentiæ divinæ innitendum ſit, quippe quæ nocturnis quoque temporibus, dum lethargo ſopiti decumbimus, ad cuſtodiam noſtri, non ſecus ac ſtella aliqua micanti lumine pro nobis invigilat. *Providentia Dei omnia gubernantur, & quæ putatur pœna, medicina eſt,* inquit S. Hieronymus. Optimum argumentum ad Altiſſimi Dei erga nos immenſam bonitatem deſcribendam.

Stellæ ad Mundi proviſionem deſtinatæ.

In Exechielem.

Apud Sacros Doctores quinarius numerus quinque corporis ſenſuum ſignificationem plerumque portat. Id quod S. Ambroſius manifeſtat in paraphraſi, quam ſupra parabolam Chriſti de quinque virginibus prudentibus, & quinque fatuis dedit. In lege Levitica ſeverè admodum præceptum erat, ut ſi quis quinis vicibus erraſſet, aut quinquies damnum cuipiam intuliſſet, id quintupliciter quoque repararet; id quod uſurpaſſet quintupliciter redderet, toties etiam correctioni & emendationi ſubjiceretur. Super quod S. Cyrillus inquit: *Si quis quinque ſenſuum opus perverterit, & debito honeſtoque unumquemque officio defraudaverit, oportere illum ſinceros, & integros Deo reſtituere: mox alios quinque interiores adjicere: & horum omnium denique ſummam, & ſolidationem quandam ſuperaddere, firmum ſcilicet benè agendi propoſitum, ſi Deo ſatis ex aſſe facere voluerit.* Hæc ſunt talenta quæ homini Deus ad negociandum diſpenſavit: unde in parabola ſervus bonus inquit: *Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum.* Hæc item quinque drachmarum ſignificatio eſt, quæ ab Infantia prima, ad annum usque quintum ab Antiquis pro filiis offerebantur: prout Heſychius Hieroſolymitanus ſentit: de mediis autem drachmis, ſuccedente ætate ad drachmas integras aſcendebatur, ubi ſenſuum figurabatur perfectio, quæ annorum incremento ſuccedebat.

Apud Pieri. de numeris lib. 37.

Quinque talenda ad negociandum data.

Interim

Interim juxta regulas præfixas, id quod quinarius in ſiniſtra, hoc quingenteſimus figurat in dextra. Tranſeamus de quinario ad numerum ſextum: quem noverimus per incurvationem digiti minoris compoſitum & formatum fuiſſe, reliquis erectis, vel diſtentis. De hoc copioſiſſimæ amplificationes in Macrobio extant. Hic numerus ſextus in dextera collocatus, ſexcenteſimum indicat. Apud Latinos maximam copiam, & multitudinis immenſitatem ſignificat, & pro hujusmodi ſignificatione Hieroglyphicum ejus aſſumptum eſt. Marcus Tullius volens Attico ſuo indicare, ſe ejus literis copioſiſſimis penè obrutum, quibus eum advenire infinities hortabatur, ſic ait: *Venio ad Epiſtolas tuas, quas ego ſexcentas uno tempore accepi.* In alia occaſione idem ad eundem inquit: *In quo multa moleſtia, diſceſſus noſter, belli periculum, militum improbitas, ſexcenta præterea alia.* Plautus itidem non minus opportune in *Captivis* ait: *Sexcentoplago nomen indetur tibi.* Huic plagæ innumeræ nunciabantur. Sed ne ſexcenta ejusmodi proferam, ad reliqua enarranda progrediar.

Lib. 6.

Si digitos omnes, ſemper minimo quantum poteſt verſus palmam manus incurvato, tranſcurreris, ſed annulari verſus medium aliquantum inflexo, numerus ſeptenarius efficitur in ſiniſtra, ſeptingenteſimus in dextra. De hoc numero, ejusque conditionibus & dignitate, non procul hinc conſiderationes quasdam jam attulimus: illic videlicet, ubi de annularis qualitate diximus: hinc longius in hoc loco diſtendi neceſſe non eſt. Erat autem hæc figura ſignum, vel Hieroglyphicum Centurionum, qui centuriis præſidebant. Unde eruditiſſimus Pierius recenſet vidiſſe ſe Romæ ſepulchralem lapidem, ubi ſignum illud inſculptum apparebat, adjunctis verbis, quibus dignitas vel officium hoc exprimebatur. Refert idem Author ſe in urbe memorata in palatio Eminentiſſimi Cardinalis Cæſii ſequentem inſcriptionem vidiſſe:

M. Pompejo M. F. Ani Aſpro. 7.
Legis Apollinar. 7. COH. III.

Sic non minus in patria mea Bononienſi, prope Baſilicam S. Petronii, idem Author vidiſſe ſe ait ſignum cum eadem ſignificatione, eademque inſcriptione inſciſa.

Quamvis autem jam abunde de hoc numero dictum ſit, nihilominus inhærendo ordini, quem Pierius in præfato ſeptenario obſervat: Etiam ſumma Philolai Philoſophi authoritas conſideranda eſt, qui prærogativam ſeptenarii Deo attribuit: Septenarius enim in omni puncto, quod numeratur, idem ſemper eſt: cum in aliis alterum ab altero differat: prærogativa tantopere Deo conveniens: cum ſolus ipſe in ſemetipſum reflectat, ſeſe in ſemetipſum concludat, & in ſemetipſo contineat: ſed nec comprehenditur, nec circumſcribitur, nec definitur ab aliis. Dux ille & Princeps omnium rerum mundanarum eſt, ſemper ſingularis, & immobilis: Hinc inter res intellectu comprehenſibiles numerus ſeptenarius ſine motu eſt, nec quicquam patitur, viciſſitudini non ſubjicitur, aut mutationi. Alii numeri partim generant, partim generati ſunt, partim non generati, nec apti ad generationem: alii ad unam, alteramque vicem ſubintrant: ſolus ſeptimus inalterabilis, & ab hujuscemodi mutationibus immunis eſt. Habet unitatem ingenitam, & ſibi propriam, generantem nihilominus numeros ſibi ſubjectos. Octavus quidem de duali, & quaterno generatur, ſed hi alios non generant. Quæ virtus & qualitas, & conditiones univocè, & propriè conveniunt illi Deo, qui in regimine & gubernatione ſua abſolutus eſt: qui relationem non novit, aut dependentiam ullam, à qualicunque re: cum ille agens ſit, omnia informans, & à quo omnia formantur. Cujus rei veritas etiam paganis innotuit: Mantuanus enim ait:

Spiritus intus alit, totamque effuſa per artus,
Mens agitat molem.

Per hanc igitur conditionem tam eximiam tamque raram hujus numeri, quod videlicet ingenitus ſit, ſimilitudo & Hieroglyphicum Palladis, Deæ ſapientiæ formatum fuit, quæ non minus & ipſa non generata dicitur, ſed à fumigoſo Vulcano de cerebro Jovis per aſciam vel ſecurim exciſa. Hæc ergo ſymbolum habet ſapientiæ, quæ proprietas à divina mente inſeparabilis eſt.

Succedit numero ſeptimo octavus, ad cujus efformationem digitus medius & auricularis monſtrabantur inflexi, & ad volam manus inclinati. Numerus autem in ſiniſtra octuageſimus, octingenteſimus in dextra eſt. Hieroglyphicum hic eſſe poterit perfectionis: Philoſophi etenim dum gradum omnium perfectiſſimum denotare volunt, *ad octavum usque gradum* perveniſſe ajunt. Hinc octo beatitudines recenſentur ab Evangeliſtis. Hinc Sacro-Sancta Eccleſia noſtra de myſteriis maximis, ſicut & de feſtivitatibus anni eximiis octavas celebrare inſtituit: Non immerito igitur S. Ambroſius inquit: *Pro octava multi inſcribuntur Pſalmi, & mandatum accipis octo illis partem dare, &c.*

In lect. pro SS. Martyrib.

Digitus medius cum duobus digitis inferioribus, ad medietatem palmæ, quantum maximè poſſunt incurvati, numerum novenum in ſiniſtra, noningenteſimum conſtituunt in dextra. Numerus hic multitudinem denotat. Sic Theon verſum quendam Arati Poëtæ græci obſervat, cujus translatio in latino ſic ſonat: *non quod novem in ætates viciat.* De cornicibus item, quæ nongentis annis vivere feruntur, Tibullus ait:

Vivere cornices multos dicuntur in annos.

Hinc Heſiodus, cum Muſarum nativitatem deſcribit, ait Jovem decubuiſſe cum Memnoſine noctibus novem: ſupra quod Interpretes inquiunt: Indicari hic ſtudioſo, ad conſequendam doctrinam non ei qualicunque ſtudio & lucubratione opus eſſe, ſed lectione continua annorum complurium: unde etiam hæc ſcriptò dederunt:

Heſiodus. Muſæ generatæ à Memnoſine, & Jove.

- - - *namque decem bos, Luca, per annos*
Parturit ingentem prolem paritura, nitensque
Ebur, decora alma virûm, decora alma deorum.

Quandoquidem ergo nunc in triplicato curſu ſuo, in ſcena numerorum inferiores digiti comparuerunt, figurasque & Decades ſuas expoſuiſſe vidimus: reliquum eſt ut verſa ſcena, majores prodeant, pollex nimirum, & Index, qui tanquam Duces, & capita reliquorum, dum reliqui ab uno ad novenarium jungendo decadem, conſcendunt: hi majores à centenario ad millenarios progrediuntur: obſervata ſemper mutatione, quam diximus de ſiniſtra fieri ad dextram: dextra enim ſemper potiorem locum obtinet. Itaque conflictus erit, in una, alteraque manu, per Indicem, qui ſupra pollicem tantis viribus incumbat, ut videatur antagoniſtam ſuum ſternere & ſupplantare velle. Hæc autem figura Hieroglyphicum eſt, in ſiniſtra quidem Denarii, aut Decadis, in dextra millenarii. De dicto Denario Apulejus ait: *Si triginta annos per decem dixiſſes, poſſes videri pro computationis geſtu erraſſe: quos circulare debueras digitos, aperuiſſe.* Siquidem etiam obſervatores & formatores linearum conſulendi eſſent, hoc eſt, ſi Mathematicam exactiſſimam & ſubtiliſſimam ſubintrare voluero, apud Horum Apollinem linea quædam in pedibus reperitur, ſupra quam altera ſupina

Apulejus.

&

& diſtenſa eſt, gerens Hieroglyphicum linearum decem, quæ ad formandum numerum denarium nos conducere debebunt. Doctiſſimus Valerianus arbitratur Ægyptios ſupra lineam rectam lineam alteram punctorum decem, demonſtrare voluiſſe, quæ denarium repræſentet.

Ne vero longior evagatio fiat, & confuſio ſubſequatur, ſed via brevior, compendioſumque iter incedatur, & tanto quis promptius ad terminum numerandi ſibi præfixum pertingat, præfatus author, prædictas lineas hoc modo (I) conduci oportere opinatur, ac ſic duplicatas, duplicem numerum conſtituere: idem fieri ſi pro debita proportione triplicatæ, vel quadruplicatæ fuerint. Ex hoc deinceps literæ natæ ſunt, quæ reliqua puncta aut numeros figurant, ſic hæ lineæ I. VIR pro *Sex Vir*, vel *Decem Vir* ſumuntur. Contorquetur nihilominus in Ægyptiaco ſigno illo linea ſuperior, & in X. tranſit: quod proinde Symbolum, vel Hieroglyphicum Denarii eſt: quotquot item unitæ fuerint, totidem decades erunt. Nec omittenda hic figura illa vel inſcriptio, multiplicitate linearum ſuarum ſpectabilis, quam verſatiſſimus vir Valerianus in domo Senatoris Veneti Danielis Raineri in petra quadam antiquiſſima vidit, ubi ait in his lineis vel literis IIIIII. VIR ſe Decem Vir intellexiſſe, dum per lineam ſuperiorem denarius numerus exprimitur. Adjungit Probus, dicendo, eaſdem figuras quandoque numerum millenarium indicare. Fuit hic character X. non ſolum Symbolum, & Hieroglyphicum denarii apud Ægyptios, & Græcos, ſed apud Chaldæos quoque, & Perſas, & Romanos. In manu dextra millenos figurabat. Nihilominus præfata litera ut milleſimum indicaret, bina capita ſua jungebat, & incurvabat. Alii rurſum ad milleſimum notandum, prout infra in notis propriis patebit, literam M. collocant.

Itaque præmemoratus Author typographos incuſat, quod cancellatis propemodum, & malè contextis characteribus has ſingulares memorias quaſi deturparint, & aboleverint. Sicut in lapidibus, eorum malè efformati, adhuc pejus intellecti characteres, imò verò & principia eorum, & fines imperfecti demonſtrant. Alii rurſum millenarium in ſpica multùm gravida figurabant, à cujus quantitate originem ſuam traxiſſe ars numerandi credatur. Sicut de grano jam meminimus, unde grana provenerunt, ex his unciæ, ex earum millenario, chyliades.

Sic à Denario, & milleſimo, dum manus ad prædictam figuram diſpoſitæ ſunt, & ad X. jungendo I. vel II. aut in hunc modum plicatis & formatis digitis, numerus undecimus, & duodecimus conſtituitur: ſi tamen toties pollex ad digitum minimum cucurrerit, ita ut ad numerum vigeſimum perveniri queat: cumque intra hos numeros decimus ſextus occurrat, cujus ſignificatio apud Ægyptios magni momenti eſt, numerus ejus per digitum medium conſtituitur, ſi is molliter plicetur, Index autem & pollex circulati fuerint.

Deſcendamus nunc ad ejuſdem ſignificationes, ſenſus Valeriani eſt, (de quo hæc ſumpſimus) quod digiti hac forma diſpoſiti, repræſentationes imaginesque ſint voluptatis Venereæ. Idque his rationibus probat: Ab annis, ubi pubes in genis, apparere cœpit, etiam primitivos ſenſus oriri, & incentiva ſenſuum, amoresque inde ſenſuales, qui amorem cæleſtium extinguit, & fugat, principium ſuum ducere. Atque hic flos primitivus eſt ætatis noſtræ, de quo tanta eſt ſcriptorum abundantia, de quo delirant & tantis efferuntur encomiis authores. Hinc Terentius: *Anni ſexdecim ætatis flos ipſe.* Et Ovidius in ſuo ſenſu abundans, non minus ſupra verba, quam facta, de ætate Adoleſcentuli Narciſſi, ejusque flore, ſic ait:

Jamque ter ad quinos unum Cephiſius annum
Addiderat.

Suffragantur ſuperioribus Aſtronomi, qui Infantem ad annum usque quintum, dominio & regimini Lunæ, ejusque influxionibus aſſignant: decem reliquos poteſtati Mercurii ſubjiciunt: qui hanc ætatem inſtabilem & vagabundam reddit: dum decimum ſextum attigerint, eos Veneris ſubjacere dominatui ajunt: quæ eos in ſenſum reprobum impellit. Felix ille Ulyſſes, qui novit ad incantatricis hujus Syrenæ, ad vocem blandientem Cyrces obturare aures ſuas. Servius Tullius, & Terentius Varro hos limites pueritiæ collocârunt, juventutem deinceps, & virilitatem ad quadrageſimum annum deducunt; quod his majus eſt ſenectuti attribuunt. Cum majori fundamento, & multò diſtinctius hæc ſtabilivit Pythagoras, quippe qui vitam hominum, in ætates quatuor diſpertivit: unicuique harum viginti annos aſſignans: hoc eſt, in pueritiam, juventutem, virilitatem, & ſenectutem: quæ temporibus anni quatuor comparantur, veri, æſtati, authumno, & hyemi; ſupra quod tam ſæpe oratores, hiſtorici, & poëtæ alluſiones ſuas formant. Hic numerus decimus ſextus, eadem ratione cum noveno, multitudinem, & exceſſum denotat: videbaturque antiquis, cum res quæpiam decem & ſex pedes ſuperaret, quàm longiſſime eam debitam menſuram, & longitudinem conſvetam excedere. Succedit decimo ſexto vigeſimus: qui duobus XX. deſcribitur. Manus autem figuram hanc exprimens, ungvis pollicis eſt, ultimum indicis nodum comprimens, illic nimirum ubi index à medio ſeparari incipit: quidquid Beda in contrarium tradiderit.

Antequam vero ex hoc numero egrediamur, neceſſarium erit exponere literas quasdam prima fronte ænigmaticas, quæ cum hoc jungutur, & juxta præmemoratum Authorem hæ ſunt: *Vot* XX. Apparebant hæ in monetis, ſuper altaria, & arcus triumphales, ſcribebantur autem in augurium ſalutis: cum videlicet Senatus, populusque Romanus, ſcriptus his literis S. P. Q. R. votum quoddam ſolemne faceret, & proinde ludum quendam inſtitueret, aut fanum aperiret. Porro ſi præſcriptum annorum, tempus viceſimum proſpere cum ſalute tranſactum eſſet, eædem cæremoniæ reiterabantur, ſicut & foci, & cæteræ functiones. Itaque votum ejuſcemodi verbis exprimebatur, referente Dione; *Si Deus permittit, ſalutem populo poſcimus*: unde non minus palam fit, etiam inter paganos quantopere animos ſuos divinæ voluntati conformaverint. In hunc finem diem quendam obſervabant, qui à nobis feſtivus diceretur, in quo nec exercitui fas erat contra hoſtem moveri, nec præliari. Quamvis in bello civili hos ritus obſervare factu erat difficile: quapropter hoc augurium ſalutis abolitum fuit, una cum reliquis templi ſacris, & cæremoniis. Octavianus Auguſtus ſancivit, ut hic uſus antiquorum rurſum vigeret, huncque diem multò quàm ante feſtivius celebrari imperavit. In hiſtoriis Livii hinc inde per diverſos libros hæ literæ ſcriptæ inveniuntur: inter quas quædam in arcu Conſtantini ſunt, item in numiſmate quodam Maximiliani Pœni, ubi in medio laureæ hæc ſculpta cernebantur: Vot. X. Vot. XX. Vot. XXX. quod hanc ſignificationem habet: *Votis decennalibus, vicenalibus, tricenalibus.* His figuris inſcribebantur monumenta, & memoriæ æris, & marmoris.

Dies feſtivus.

Hic

Hic numerus deinceps una cum aliis multitudinem ſignificat: unde apud Theocritum hæc leguntur:

Viginti natorum Hecube: neque maximus Hector.

Supra quod Interpretes commentantur, vigeſimi nomen à Poëta ad demonſtrandam multitudinem uſurpatum eſſe. Hoc idem iidem interpretes in Simonide obſervarunt.

Duo millia item in manu dextra per ſequentem geſtum exprimebantur; hoc eſt, ſi ungvis pollicis ſeſe infra medium, & indicem intermiſerit, illic nimirum ubi divaricantur: reliqui duo curvi & inclinati permanent: nec ultra hic ea repetenda, quæ jam ſupra de numero binario abunde diximus. Ad demonſtrandum numerum trigeſimum, pollex ſimul & index aperti erant, ſed hac ratione, ut ungves ſe videantur cum benevolentia oſculari (ſicut Beda docet) cui S. Hieronymus adjungit: *eorum digitorum conjunctione molli.* Hæc trigeſimi numeri repræſentatio in dextram translata trecentos notat. Hicque tercenteſimus Hieroglyphicum, & ſignificatio *nuptiarum* eſt. Sicut ſupra Evangelium Matthæi doctiſſimè ſacri Interpretes commentantur: ſupra caput illud præfatum de ſtatu viduitatis, continentiæ, & conjugii. Nec vero hoc multum ab Ægyptiorum numero diſtat, quo ſubſtantiam matrimonii repræſentare conſveverunt: ſicut illud amplè admodum legitur in Horo Apolline. Hinc, cum dictum ſit, numerum decimum ſextum Hieroglyphicum eſſe voluptatis ſenſualis: cum ejus ætatis adoleſcentuli incentiva libidinis jam experiri ſoleant: ſiquidem numerus hic geminatus fuerit, in quem dualitas item ſubintrat, imago conjugatorum eſt: unde etiam pro hoc ſtatu repræſentando hic numerus uſurpatus fuit: idque tanto ſolidius, quod hæc ætas maxime fortis, & plena roboris ſit. Hic geſtus præfatus non ſolum tercentum, ſed & tria millia figurat.

Nuptiæ.

Numerus quadrageſimus ſequenti modo exprimebatur: Pollex nimirum ſupra indicem aſcendat, ut ei tanquam equo inſidere videatur: Index autem in directum feratur, & ſic invicem hi bini crucem ✠. forment: ita ut index quaſi gnomon aut radius ſit horologii. De hoc in longum Apulejus ratiocinatur, ſupra certam quandam Pudentillam, quam Æmilianus ſexagenariam appellavit. Dicunt expoſitores hunc quadrageſimum anno triceſimo idcirco meliorem eſſe pro viris ad portandum matrimonii jugum: quippe quod hæc ætas maxime omnium & vigore, & maturitate præpolleat. Hinc Philo, cum Problema illud propoſitum eſſet, cur ſacræ literæ de Iſaac meminiſſe voluerint, quod in hac ætate ſibi in conjugium Rebeccam aſſumpſerit: reſpondit: *Tempus id congruum maritali copulæ eſt ſapienti viro.* Optimum enimvero ex hac ætate augurium prolis deducitur: Fæmina ſiquidem de matrimoniali copula vel congreſſu exiens, quadraginta dierum ſpacio fœcundatur, & fœtum ſuum efformat. Sic quadragenarius erat Maritus caſtiſſimæ mulieris Judith, cum eam ſibi conjugem duxit.

Pro levi delicto olim in uſu poſitum erat, ut quadraginta verbera darentur flagellatis: nec id opprobrio erat, aut notam infamiæ inurebat. Si decreto Judicum vel unica percuſſio adderetur reo, jam infamiæ titulus comitabatur, ſicut vituperium quoque & irriſio. Inde eſt, quod in Actibus Apoſtolorum dicitur: *Ibant gaudentes à conſpectu concilii, quod digni habiti eſſent pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Tam vero inter hebræos ignominioſum erat, præter quadraginta unam plus accepiſſe, ut cui hoc eveniſſet, is deinceps ad nullum dignitatis gradum aptus eſſet. Hinc ille locus Apoſtoli Pauli declaratur, cum ad Corinthios ſcribendo, laborum & paſſionum ſuarum, quas pro amore Dei ſuſtulerat, in hunc ſenſum meminit: *à Judæis quinquies quadragenas, una minus accepi.* Volens forte his verbis indicare, ſe inter tot plagas, & afflictiones, illæſam nihilominus, conſervaſſe animam ſuam à famæ oppreſſione. Adjungit Theophylactus, legem olim ſtabilitam fuiſſe, ut reus non niſi novem & triginta percuteretur, & flagellaretur verberibus. Quod ſi plaga quadrageſima adderetur, is qui functionem illam peragebat inerrorem incurrebat. Sunt complures, qui hanc legem inter hebræos exactiſſima obſervatione ſtabilitam fuiſſe ajunt, eamque à Deuteronomio traducunt, ubi per divinum præceptum dicitur: *Sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis: proſternent, & coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati, erit & plagarum modus. Ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant: ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.*

1.Cor. c. 11.

Deut. c. 25.

Lex Chriſtiana nihilominus, tanto magis ſalutaris & proficua, quanto major eſt Eccleſia ſynagogâ, aſſumens illud, quod in lege antiqua reprobatum fuit, inde ſibi Symbolum, & Hieroglyphicum honoris format, & gloriæ: nec enim majus quicquam inter nos homines concipi poteſt, quàm redemptio & ſalus noſtra: quam videlicet expoſitores ſacri quadragenario numero expreſſerunt. Hoc item de antiqua conſvetudine deducitur, ut qui, juxta literas ſacras, ab annis quinque, ad vigeſimum usque Deo votatus eſſet, viginti autem ſiclos ſacerdoti erogaret, ab omni reatu abſolveretur, certaque ſalus ei promitteretur, ſiclus autem, prout ſeptuaginta Interpretes exponunt, binas drachmas habebat, quæ ſimul junctæ, numerum quadrageſimum formant. Priſca item lege jejunium quadraginta dierum ordinatum fuit: ſic à Moyſe inſtitutum, ſic illud Elias proſecutus eſt: quod poſthæc ſapientia æterna Redemptoris noſtri magnificavit, & ſtabilivit in deſerto: de quo Evangeliſtæ inquiunt: *Cum jejunaſſet quadraginta diebus, poſtea eſuriit.*

Unde etiam Eccleſia ſic inquit: *Deus qui Eccleſiam tuam annua quadrageſimali obſervatione lætificas.* Ampliſſimum argumentum ad perſvadendum Chriſtianis, ut hoc itinere recto ad ſalutem ſuam conſequendam incedant. Itaque ſacris oratoribus hanc materiem diſcutiendam, & diſſeminandam relinquo: ego enim alio per tractatum præſentem avocor.

Ad formandam figuram *Quinquaginta*, Pollex ſiniſtræ manus ſubtus ſe ad volam manus extendebat, & hic una cum digitis diſtenſis & planis junctus literam L. græcorum formabat. Audiamus interim ejuſdem numeri Hieroglyphica. Erat autem remiſſioni, & indulgentiæ ſacer. Hinc in veteri lege, quinquageſimo anno evoluto errores, & delicta condonabantur: & de tribunali clementiæ remiſſio plena dabatur, Jubilæi & indulgentiæ univerſalis nomine inſignita. Siquidem etiam per crimen aliquod poſſeſſiones delinquenti ſubtractæ fuiſſent, quinquageſimo reſtituebantur. Servis quoque plena libertas, exulibus patria, debitoribus debitum remittebatur. Lex Levitica ſic habet: *Canes buccina, ſanctificabisque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ: ipſe enim eſt Jubilæus.* Sed Chriſtianos fideles decet ad hæc divinæ miſericordiæ teſtimonia, omni ardore affectus, & promptitudine voluntatis correſpondere.

Remiſſio.

Levit. 5.

Corpus infectum, & putredini jam proximum per numerum item quinquageſimum intelligebatur: obſervatores docti hoc ajunt, inhærentes ſententiæ Ariſtotelis, qui de quinquagenario homine ſic inquit: *Poſt annos quinquaginta ingenii vigor evaneſcit.* Unde Euripides: *Cerno*, inquit, *ſenecta veſtra mentem non habet.* Et alibi: *Cani indicant ætatem, aut prudentiam.*

Politic. 52.

Sed ut ad alias interim non minus his proficuas obſervationes deſcendamus, idem ait, quinquageſimum numerum multitudinem rerum ſignificare, ſicut & reliquos jam præmemoratos: Unde Virgilius:

Quinquaginta intus famulæ,
Quinquaginta atris immanis hiatibus hydra.

Hic numerus quinquagenarius majorum rerum magisque ſublimium in ſe myſteria continet, prout alibi fuſius patebit. Unde etiam Hieroglyphicum eſt animi, qui hujuscemodi meditationibus intentus eſt, & exerceri in iisdem conſvevit. Quinquaginta poſt Reſurrectionem diebus Spiritus Sanctus deſcendit. Itaque omiſſis hic conſiderationibus ſpiritualibus, ad indagandam numerorum originem, ut ad numerum usque quinquageſimum conſcendam, altiori mihi principio exordiendum eſſe video.

Origo Numerorum.

Latini hunc numerum quinquaginta per literam L. ſignare voluerunt, qui character commodè formari manibus poteſt. Cœperunt autem numeri annotari primitùs punctis: ſicut vocalis media eſt I. Sed ſi hæc ipſa ſæpius iteranda ad novem usque fuiſſet, nimia inde prolixitas, & tædium numerandi ortum fuiſſet. Itaque animum adhoc applicarunt, ut compendioſius iter inſtituerent: utque numerum quintum ſignârent, ne lineæ quinque pingendæ eſſent, obliqua una copulata fuit, de qua poſtea V. inventum eſt: atque ita ut novenarius notaretur quatuor ex præfatis lineis adjunctæ fuerunt. Cum ad decimum perveniſſent bina V V. conjuncta fuerunt. His tribus notis ad quadraginta usque novem aſcendebant. Tandem pro majori commoditate, numerus quinquageſimus cum præfata litera notatus fuit: linea videlicet obliqua ex una parte, aliæ quatuor huic vicinæ: ſic de his, per expeditiorem viam litera L. prodiit. Cum quingenta notanda eſſent, eadem litera L. uſurpata fuit, ſed ultima ejus cauda altius elevata. Hic character L. in manu dextera collocatus quinque millia conſtituit.

Pollex præterea in eam formam redactus, qua ſuperius diximus quinquaginta figurari, ſed ut index paululum incurvatus ſit (eo modo, quo hunc numerum VI. depingimus) ſexaginta ſignificat. Hic, prout jam meminimus, Hieroglyphicum ſemper, & nova viduitatis fuit: idque propterea, quod ejus ætatis mulier generandæ vel concipiendæ prolis ſit incapax: quod ſi aliter acciderit uſpiam, id præter naturam, aut per miraculum factum: Idcirco non ſine ratione riſiſſe legitur Sara, cum in hac ætate fœcunditas ei prænunciaretur. Partus item Annæ, & S. Eliſabethæ ſic contigerunt, ut glorioſiſſima Virgo Maria facile perſvaderi potuerit de viſceribus ſuis Deum naſciturum eſſe. Sicut autem hæ res prodigio plenæ, impoſſibilitatem in Deo nullam invenerunt, ſic Creatori omnium factu poſſibile erat (prout eventus declaravit) Deum incarnari, absque virilis ſeminis concurſu, de puriſſimo nimirum Virginis Deiparæ ſangvine. Aſſignat vas electionis præfatum numerum viduitati, ubi ait: *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum.* In lege item Levitica præcipitur, ut ſi fæmina de reatu abſolvenda eſſet, triginta drachmas erogaret, & deponeret: quæ duplicatæ numerum ſexagenarium conſtituunt. Hinc eruditè S. Hieronymus conſiderando, quod ad formandum ſexagenarium numerum, index manus incurvabatur, ex hoc memoriæ noſtræ inculcat, quot afflictionibus, & laboribus hæc ætas collum ſuum incurvet: quàm hæc vita anguſtiis plena ſit, quàm operoſa, quantis undique malis obnoxia, mille incommodis & curis anxia, quantis paſſionibus gravata; quibus nihilominus meſſem copioſiſſimum præmiorum ſubſequentium Deus repromiſit.

Status viduitatis, & cur ſexagenario numero aſſignatus.

1. Tim. 5.

Significatio numeri ſeptuageſimi exprimebatur non minus indice plicato, ſed pollice elevato, usque ad indicis articulum medium, de quo tamen conſiderationes nullæ occurrunt. Hic ipſe geſtus in manu dextra, juxta Bedam, ſeptem millia conſtituit.

Octuageſimus indice repræſentatur inflexo, & item pollice aliquantum curvo, ſed qui ſupra articulum medium indicis prominere appareat. In dextra manu hic geſtus octo millia denotat. Utque etiam aliquid in ſenſu myſtico de hoc numero proferatur, Apulejus ſupra librum tertium Metamorphoſeos ſentit, manum cum hoc geſtu ad os applicatam indicium, & Hieroglyphicum adorationis eſſe, unde ait: *Et admoventes oribus ſuis dextram priori digito in erectum pollicem reſidente, ipſam prorſus deam Venerem religioſis adorationibus venerabantur.* Index incurvatus, ita ut ungvis ejus radicem pollicis contingat, numerum nonageſimum exprimebat, pollice remanente libero. Novem millia in manu dextra in hunc modum figurabantur. Sic ad numeranda nonaginta novem, pugnus integer ſtringebatur, pollice nihilominus verſus medietatem medii incurvato. Siquidem pugnus totus concluſus apparuerit, & ſubtus ſe pollicem comprehenderit, in ſiniſtra ſexaginta novem figurat.

Hi geſtus, hæ figuræ decadum, centenariorum, & millenariorum ſunt, unà cum ſignificationibus Hieroglyphicis. Reſtarent, inquit Pierius, ſcribendæ, & ratiocinatione copioſiori deducendæ myriades, aut multiplicatio decem millium, qui numeri per varios manuum actus denotabantur: poſitis manibus vel ad pectus, vel ad latera, unde Plautus inquit: *Pectus digitis pulſat: cor credo evocaturus foras: ecce autem avertit nixus: lævam in femore habet manum: Dexteram in digito rationem computat feriens femur.* Sed quia intentum noſtrum erat ſignificationes ſupra numeros, & geſtus digitorum adferre, non verò arithmeticam docere, finem hic ponimus, tantum id referentes, qua ratione Ægyptii taciturnitatem expreſſerint.

Hæc in milleno, & nonagenario quinto numero intelligebatur, partim in dextra, partim in ſiniſtra manu repræſentatus. In dextra index apparebat verſus ungvem pollicis inclinatus, qui pollex ad primum nodum vel juncturam præfati digiti accedat. Nonageſimus quintus in ſiniſtra repræſentabatur, cum ultimis tribus digitis inclinatis: accommodato indice cum ungve ſuo ad ultimum pollicis nodum. Cauſa, per quam rati ſunt Ægyptii hunc numerum taciturnitati convenire, hæc eſt: In hoc numero ajebant ſpatium dierum contineri, qui annos tres conficiant; intra hunc terminum autem ſiquidem infans loquelam ſuam nondum adeptus eſſet, eum toto vitæ ſuæ decurſu mutum permanſurum, absque ſpe ulteriori, in futurum. Dicunt quidam hoc à Pythagora derivare, qui triennale

Taciturnitas.

ſilentium diſcipulis ſuis indixit, ut hoc ſpatio temporis eorum indolem exploraret. Usque huc Valerianus. Sed cum hic ſe mihi conſiderationes aliæ, curioſitate tum & utilitate plenæ in numeris offerant, grave damnum tibi me tuisque lucubrationibus facturum arbitratus ſum; ſiquidem hæc ſilentio præteriſſem: ecce tibi novum genus tractationis ſucco abundans in compendio oblatum volui. Noli interim, mi Lector in tanta prolixitate tædio affici. Quod ſi te ſtudioſum videro ad diſcendum, non deero ego ſuppeditandis materiis, ex quibus appetitui tuo ſatisfieri poſſit. En hic

ALIÆ OBSERVATIONES, RITUS, & HISTORIÆ SUPRA NUMEROS.

INprimis hic ingenuè palam facio, me translationes, dictata, & compoſitiones græcas idcirco omittere, non ſolum quod nimia prolixitate tractatus hic in inmenſum excreſceret, ſed etiam quod hujus lingvæ debita mihi deſit peritia: nec enim in hoc ſtudium ita me contuli, ſicut præſens locus ad dilucidandum requireret; vereor itaque, ne dum cæcutienti oculo incedo, ullibi impingam: conſultius itaque ab incepto abſtinere ratus ſum. Sed ut ad cæterà exponenda tandem exordiar, dicendum inprimis hoc nomen numeri, collectionem aut verò multitudinem aggregatam unitatum multarum denotare: aut denique multitudinem menſurabilem cum uno. Hinc inferri poterit, unitatem numerum non eſſe, ſed ejusdem principium. Numerus enim proprie illic dicitur ubi rerum pluralitas eſt, quæ numerari poſſit: quamvis M. Tullius etiam titulum numeri iis rebus attribuat, quæ menſurantur.

Origo Numeri.

Unum numerus non eſt.

Numerorum alii finiti, alii infiniti ſunt: hoc eſt menſurabiles, & non menſurabiles, quamvis, *à parte rei*, infinitus numerus non detur. Dividitur numerus item in Cardinalem, & Ordinalem. Cardinalis hic eſt; *unum, duo, tria.* Ordinalis: *primum, ſecundum, tertium.* Et ſubdividendo realiter, dicamus: alium eſſe terminum tranſcendentalem, alium prædicamentalem: hic in rebus corporeis, ille in incorporeis, & pluralibus. Componitur autem ab unitate rerum earum, quæ corporeæ non ſunt nec ſingulares. Sic dicimus: tres Angeli, tres divinæ perſonæ. Dividitur item in numerum formalem, & numerantem: ille univerſa multitudo eſt, de qua quælibet res, aut numeri eſſentiam ſuam trahunt, & *multi* dicuntur: eſt autem numerus hic formalis, tanquàm anima recolligens reliquos. Reſtat numerus numeratus, qui ſubjectum numeri eſt, aut res ipſæ numeratæ. Denique numerus alius perfectus eſt, qui principio, medio, & fine conſtat: alius imperfectus. Alius item par, alius impar. Numeri vero originem ſuam primam à punctis ſumpſerunt (ſicut jam ſupra relatum eſt) & ſenſim poſthæc per literas ſignificati ſunt, prout patet in ſequenti tabula.

Lib. 3. offic.

I.	Valet. 1.	LI.	51.
II.	2.	LX.	60.
III.	3.	LXX.	70.
IIII.	4.	LXXX.	80.
IV.	4.	XC.	90.
V.	5.	C.	100.
VI.	6.	CC.	200.
VII.	7.	CCC.	300.
VIII.	8.	CCCC.	400.
IX.	9.	D.	500.
X.	10.	IↃ.	500.
XI.	11.	DC.	600.
XII.	12.	DCC.	700.
XIII.	13.	DCCC.	800.
XIIII.	14.	CM.	900.
XIV.	14.	M.	1000.
XV.	15.	CIↃ.	1000.
XVI.	16.	IIM.	2000.
XVII.	17.	VM.	5000.
XVIII.	18.	IↃↃ.	5000.
XIX.	19.	VIM.	6000.
XX.	20.	VIIM.	7000.
XXI.	21.	IXM.	9000.
XXX.	30.	XM.	10000.
XL.	40.	CCIↃↃ.	10000.
VL.	45.	IↃↃↃ.	50000.
VLI.	46.	CCCIↃↃↃ.	100000.
XLIX.	49.	IↃↃↃↃ.	500000.
L.	50.	CCCCIↃↃↃↃ.	1000000.

A. valet 500. & ſic ſignatum $\bar{A}$. valet 5000.

A.	500.	$\bar{A}$.	5000.
B.	300.	$\bar{B}$.	3000.
C.	100.	$\bar{C}$.	10000.
D.	500.	$\bar{D}$.	5000.
E.	150.	$\bar{E}$.	150000.
F.	40.	$\bar{F}$.	4000.
G.	400.	$\bar{G}$.	4000.
H.	200.	$\bar{H}$.	2000.
I.	1.	$\bar{I}$.	1000.
K.	51.	$\bar{K}$.	151.
L.	50.	$\bar{L}$.	5000.
M.	1000.	$\bar{M}$.	1000000.
N.	90.	$\bar{N}$.	90000.
O.	11.	$\bar{O}$.	11000.
P.	400.	$\bar{P}$.	40000.
Q.	500.	$\bar{Q}$.	5000.
R.	80.	$\bar{R}$.	8000.
S.	70.	$\bar{S}$.	70000.
T.	160.	$\bar{T}$.	160000.
V.	5.	$\bar{V}$.	50000.
X.	10.	$\bar{X}$.	10000.
Y.	150.	$\bar{Y}$.	150000.
Z.	200.	$\bar{Z}$.	200 0000.

Numerus minor collocatus ante literas, V, X, L, & C. tantum iis adimit quantum valet: ſi poſt eas tantum auget, quantùm valet.

Infelix ætas illa, quæ hac commoditate numerandi caruit: cum enim res tam variæ ſub unitate non ſint, neceſſarium erat ut numerus, diſſolutus, confuſus, indiſtinctus, & diſſipatus incederet. Plangebant inter alios Romani infortunium ſuum: cumque aliud eis non eſſet, quo memoriæ poſteritatis memorabilia geſta ſua transmitterent, niſi tempus, idcirco tam tempori, quàm poſteritati conſulendo, quotannis clavum in templo infigebant. Unde proverbium illud emanavit: *Clavo digna notatu.* Sic Volſci in templo Nortiæ Hetruſcæ Deæ fecerunt: prout Plinius refert: ſupra quæ diffuſius tractant Cælius, Alexander, Petronius, Roſinus, & alii.

Res notatu dignæ olim clavo in templo fixo notabantur.

Primi Barbari numerorum uſum introduxerunt, qui poſtmodum à Mauris recepti, ad Hiſpanos usque tranſierunt, à quibus denique Latini mutuati ſunt. Primus numerorum Inventor fuiſſe traditur quidam Teut nomine, aut Teurates: Deinceps zifra inventa fuit, ab hebraico nomine Zefer, quod ſcriptionem indicat. Hinc Cariathſepher, quod *Civitatem literarum* ſignificat, de quò in ſacris literis habetur. Pythagorici omne quod in mundo eſt, è numeris *Lib. 7. c. 4.* compoſitum eſſe arbitrati ſunt. Quam opinionem Stagirita confutavit ſtante nihilominus gravitate, & levitate, unde informantur & quibus conſiſtunt corpora; conditiones, quæ numeris non conveniunt. Singulare tamen eſt, & dignitate ſua eximium, quod *Sap. 11,* Spiritus Sanctus inquit: *Deum omnia conſtituiſſe in numero, pondere, & menſura.* Supra quod doctiſſimè gloſſatores: *Per numerum ſpeciem ſignificat, quia ſpecies ſunt velut numeri: pondus ordinem, quia res quælibet in bonum ſuum fertur. Menſura modum, quia illa rem quamlibet coërcet, ac modificat.*

Quantumvis autem ea quæ ſequuntur obſervationes numerorum concernant, ſolum eruditionis ſtudio adducuntur, & ad demonſtrandum, quid de his antiquitatas ſenſerit: non ut fides eis adhibeatur, tanquam de his in futurum eventus veritatis conjectura infallibili præſagiri poſſit: hic enim mos Cabaliſtarum eſt, gentis vaniſſimæ: quorum ſtudium & ſcientiæ reprobæ ſunt, & ab Eccleſia rejectæ. *Hom. 24. in Gen.* Unde S. Joannes Chryſoſtomus hanc quoque vanitatem his verbis irridet, & explodit: *Neque obſervatio, ſed intempeſtiva hominum curioſitas talia molitur.*

De unitate interim loco ſuo dicetur: ſufficiat hic noſſe, eam numerorum principium eſſe. Binaxius, vel duo, primus eſt in ordine numerandi: itaque imperfectus æſtimatur, cum ſine medio ſit; omnis enim numerus principium, medium, & finem habet, & ſicut Poëllius ait: *Binarius numerus refert materiam, & formam: nullamque cum Deo ſimilitudinem habet: deinde dividit ab unitate: unde ſcriptura in reliquis diebus creationis dicit: vidit Deus quæ fecerat, & erant valde bona: in ſecundo tamen nihil dicit.* Trinarius reliquis perfectior æſtimatus fuit, in eo enim ratio principii, medii, & finis eſt. Gentilis, tanquam legem naturæ obſervantes, eidemque ſe accommodantes, ſequendo quæ ei conſentanea eſſent, in offerendis ſacrificiis, ternis rebus utebantur. Chaldæi, & Æthiopes adorabant Deum, auro, thure, & myrrha: propter quod tres Reges, de his regionibus oriundi, verbum incarnatum his donis adorarunt. Græci, ignem, victimam, & altare uſurpabant. Huc ſpectat dictum Theocriti:

Numerus binarius imperfectus quia medium non habet. Ternarius perfectus, & qua de cauſa.

Ter libo, terque hac pronuntio myſtica verba.

Et Virgilius:

Numero Deus impare gaudet.

Hinc Ariſtoteles magnam illam ſententiam protulit: *Tria ſunt omnia. Eſt enim uſus communis loquendi, ut de duobus dicamus ambo, vel utrumque: at cùm de tribus loquimur, omnia ſive omne efferimus. Unde & primus numerus, habetur ternarius.* Gratiæ antiquitus ternario numero recenſitæ ſunt: eodem Parcæ: tres item deæ fuerunt, quæ pro pomo diſcordiæ, in certamine pulchritudinis dimicarunt: Juno videlicet, Pallas, & Venus. Antiqui præterea convivia Gratiarum, tribus commenſalibus compoſita inſtituebant. Tres ſuper hæc furiæ erant: Alecto, Theſiphone, & Megæra. Qui vero copioſiores ſuper *Lib. 12. c. 9.* his eruditiones deſiderat, Cælium Rhodiginum evolvat.

Famoſiſſimus hic numerus, & ſacer eſt Chriſtianis propter myſterium elevatiſſimum Sacro-Sanctæ Trinitatis, quæ in typo Patriarchæ Abraham expoſita fuit, cum, juxta textum bibliorum, *tres vidit, & unum adoravit.* Apud Philoſophos tria rerum principia ſunt: materia, forma, & privatio. Apud Phylochymicos: ſal, ſulphur, & Mercurius. Spiritus, corpus & anima in homine. Tres animæ potentiæ ſunt: Intellectus, memoria, & voluntas: rurſum in alia tria dividitur, vegetativam, ſenſitivam, & rationalem. Tres conditiones potiſſimum admirationem habent in ſole, ſplendor, calor, & radiorum emiſſio. Sic in pomo habentur, color, ſapor, & odor. Templum Salomonis, tam famoſum, ubi majeſtas, & gloria Altiſſimi gratias ſuas diffudit, in tres partes diviſum fuit: in atria, in Sancta, & Sancta-Sanctorum. Tres ſunt virtutes Theologicæ: fides, ſpes, charitas. Sic Sanctus Spiritus inquit: *funiculus triplex difficilè rumpitur.* Sic apud Mythologicos tria corpora geſſit Geryon. Ad portas inferorum tricipitem Cerberum ſtatuerunt. Tria nomina Lunæ aſſignantur: Hecate, Diana, & Proſerpina. Tres dixerunt mundos eſſe, Cæleſtem, infernalem, & maritimum. Tribus lineis trilaterum formatur, aut pentagonum. Brevior, & ſecurior, & expeditior eſt regula novem, vel trium; ſicut ſunt admirabiles, & ſingulari conſideratione digniſſimæ obſervationes, quæ exinde deducuntur.

De numeris paribus primus in perfectione eſt quartus, qui principio, medio, & fine conſtat. Conſtituit hic numerus perfectum Quadrum geometricum, quæ figura ſolidiſſima eſt, unde in Apocalypſi *Apocal. 10.* Hieroſolymæ cæleſti accommodatur. Nomen item Dei quod tetragrammaton dicitur, idem eſt quod quadrilaterum. Cujus literæ apud hebræos quieſcentes dicuntur, omnia item perfecta nomina apud eoſdem hebræos quadrilatera ſunt. Unde Geraldus inquit: *Quaternarius virtute eſt omnia, nempe omnium numerus, omnis muſica, omnis virtus, omnis quantitas.* *Syntag. de diis gentium.* Hic numerus dualem medietatem habet, qua Deus, juxta Platonem, elementa conjunxit: In Timeo. Terra enim & ignis cum aqua colligata ſunt, & cum aëre. Hic numerus in ſcripturis multipliciter occurrit, inde à quibusdam ſacer dictus eſt. Quatuor ſunt Cherubim Ezechielis, quatuor animalia, quatuor rotæ myſterioſi currus, quem Propheta vidit. *1. 4.* In divinis item Revelationibus hic numerus locum habet. Quatuor Evangeliſtæ ſunt, Quatuor Eccleſiæ Doctores: per hos, & per illos increata Dei Sapientia doctrinam ſuam cæleſtem evulgavit. Inter Prophetas quatuor præcipui ſunt: Iſaias, Jeremias, Ezechiel, & Daniel: qui à me in libro Elogiorum meorum (quem *gemmarium* nominavi) deſcripti ſunt: quamvis ſtylus ejus & idioma omnino imperfecta ſint. Quatuor ſunt præcipuæ partes mundi: Europa, Aſia, Africa, America. Totidem anni tempora: Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems. Totidem hominis ætates, pueritia, juventus, virilitas, & ſenectus. Conſtruxit Altisſimus hanc immenſam mundi machinam quatuor elementis invicem commixtis. Quatuor rerum cauſæ ſunt, prout eſt communis Philoſophorum ſententia: efficiens, formalis, inſtrumentalis, & finalis. Monarchiæ mundi præcipuæ in quatuor dividuntur: Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum. Ejusdem numeri virtutes cardinales ſunt: Juſtitia, fortitudo, prudentia, & temperantia. Totidem ſunt complexiones humanæ: ſangvinea, cholerica, phlegmatica, & melancholica. Hic numerus apud Pythagoricos tantam venerationem habuit (inquit Macrobius) ut maximæ ſibi religioni ducerent per hanc juramenta ſua ſolidare, & ſancire: *Non equidem per eum, qui animæ noſtræ tradidit quaternarium.* *Macrob. lib. 1. in ſomn. Scipion. c. 6.*

Quatuor

Quatuor flumina ſunt (ſic Sanctus Chroniſta Moyſes inquit: ſic S. Hieronymus) quæ Civitatem Paradiſi inundant, & feliciſſima abundantia ſua mundi plenitudinem irrigant. In ultima Mundi deſolatione S. Matthæus Evangeliſta inquit, quod Juſtitia divina: *Mittet Angelos à quatuor ventis cælorum, & usque ad terminos eorum:* ut videlicet ad judicium carnem omnem appellent. Quatuor ſunt teſtimonia maxime illuſtria, quæ per Deum pro ſalute mundi data ſunt: Arcus cæleſtis, circumciſio, lex vetus, & Evangelium. Totidem genera rerum ſunt, unde inſtitutio noſtra conſtat: hoc eſt præcepta Juſtitiæ, mandata charitatis, teſtimonia fidei, & exempla perfectionis. Veſtimenta Chriſti in quatuor diviſa ſunt. Crux quatuor finibus diſtenditur. Lazarus quatridianus & fœtens erat. Quatuor item juxta Juriſperitos mortes ſunt: mors naturalis, mors civilis, mors culpæ, & mors ſempiterna: ſic S. Hieronymus obſervat. *In Prolog. in Matthæum.* Ariſtoteles & Plato hominem perfectum numero quadrato comparant: vocando eum Tetraginum, hoc eſt verè quadratum, verè perfectum. Hæc de quaternario dixiſſe ſufficiat.

De quinario numero, præter ea, quæ jam dicta ſunt, pauca admodum apud Scriptores inveniuntur. Hic numero ſimul perfecto, & imperfecto conſtat, hoc eſt binario, & ternario. Duplex quinarius denarium efficit, qui inter perfectiſſimos cenſetur, prout ſuo loco patebit. Utile nihilominus eſt noſſe in quinque zonas hunc Mundum univerſalem diſtributum eſſe: ſic Geometræ perfectiores docent. Homo quinque ſenſibus dotatus eſt, qui inſtrumentum, & baſis ſunt vitæ noſtræ, & ſine quibus vitam inter mortales degere impoſſibile futurum eſſet. Porro manus noſtræ, pedesque quinque digitis componuntur. In Evangelio Chriſtus cælorum regnum virginibus decem comparat, quinque prudentibus, & quinque fatuis, ad reprobandos peccatores, & approbandos electos. Quinque ſunt Chriſti vulnera, vera oſtia, quæ in paradiſum non introducunt: ſigilla pretioſiſſima, quæ chyrographum ſalutis noſtræ confirmant: figurata ſunt hæc vulnera per quinque limpidiſſimos lapides, quos David paſtor parvulus de torrente elegit, tum cum contra Coloſſum illum animatum Goliath in prælium procederet. Apud Geometras quinque pedes paſſum formant. Numerus quinarius decies repetitus, prout ſupra retulimus & deinceps referemus annum Jubilæi, & indulgentiæ univerſalis conſtituit. Hiſtoria Mundi à Moyſe quinque libris comprehenſa eſt, qui idcirco Pentateuchum appellantur. In ritibus item ſacris continetur, eum qui de rebus ſacris quicquam abſtuliſſet, non ſolum idipſum reſtituere, ſed tantundem quintupliciter ſuperaddere teneri.

S. Auguſtinus, Beda, & Philo referunt ſenarium numerum perfectionem, & complementum in ſe *Ex Beierlinch. Theatrum vitæ humanæ.* continere, trino enim, & binario, & unitate componitur. Hunc numerum Creator univerſitatis celebrem reddidit, cum hanc compagem, & mundi machinam fabricavit: ſex enim diebus opus hoc peregit, in quorum ultimo hominem condidit. In hac ſexta item ætate mundi increata & incarnata Dei ſapientia opus redemptionis noſtræ adimplevit. In nuptiis Canæ Galilææ Architriclinus ſex hydrias collocavit, quas Cæleſtis ille diſpenſator aqua adimpletas, in vinum transmutavit. Perfectiſſimi & exactiſſimi ſcriptores ſex ætates mundo aſſignant: & ſicut plurium ſapientum admodum conſtans eſt opinio, mundus ſex annorum millibus duraturus eſt: Diximus jam, & rurſum repetimus numerum ſexcenteſimum maximam, eamque indefinitam indicare multitudinem: ſic Plautus hominem ad mortem usque ſauciatum, *ſexcentis plagis* verberatum eſſe ait.

Ecce jam ſeptenarium attingimus, tot obſervationibus copioſum, quot pene dixerim in firmamento ſtellæ ſunt, quot arenæ in litoribus maris: ita ut ſi omnium hic meminiſſe quis velit, liber ſingularis inde componendus ſit. Id nihilominus quod maxime nervoſum fuerit, & maximi ponderis huc adferre conabor. Affirmat Philo hunc numerum jam olim *De Repub. lib. 6.* Hieroglyphicum divinæ virtutis fuiſſe (ſicut jam ſupra memoravimus) eo quod Deus paritatem cum creaturis nullam habeat, ab iisdemque omninò independens ſit. Copioſi in hoc ſunt Ranzovii Commentarii: ubi fuſius inſtrui Lector poterit. *lib. 1. cap. 6. In Gregor.* De hujus numeri perfectione Macrobius, Nicetas, & alii diſſerunt. Aſtronomi hunc numerum Virginem eſſe inquiunt, quem olim Palladi Deæ, inquam, Sapientiæ conſecrârunt. Virginem idcirco quod nihil ex ſe pariat. S. Hieronymus numerum hunc Sanctum his verbis nominat: *Conſtat Deum ipſum ſeptimum ſibi diem conſecrando, aliquid in eo numero eſſe, cùm perfectionis, tum myſterii, & ſignificationis indicaſſe.* *In Amos.* Hinc item Homerus:

Numerus 7. nodus & ligamen mundi.

Septenusque dies fuit, in quo cuncta peracta.

Et Calimachus:

Omnia ſeptenaque die perfecta fuêre.

In Creatione Mundi ſic de Creatore habetur: *Requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrârat.* *Gen. 1.* Hic ſeptimus dies à prophanis quoque Idolorum cultoribus numinibus ſuis ſacer habitus eſt, unde Orpheus:

Ecce ſagittifero peragrata eſt ſeptima Phœbo. *De Apolline.*

Inter Chriſtianos quoque non minus, ac inter Hebræos ſeptimana dierum ſeptem decurſu finitur: ac proinde poſt hunc hebdomas nova exordium ducit. Præcipit in lege veteri Altiſſimus, ut ſeptem lampades coram altari ſuo ardeant, ubi Spiritus Sancti diffuſio in donis ſuis intelligitur. *Exod. 25.* Lex quoque in Deuteronomio ſtabilita eſt, quæ ait: *Cap. 16.* *Septem diebus comedes panem absque fermento:* Item alia lex ſic habet: *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die, qua falcem in ſegetem miſeris, & celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo:* Et paulò infra: *Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per ſeptem dies.* Fortaſſis hinc quoque conſvetudinem ſuam traxiſſe potuit Eccleſia Romana, quæ in memoriam Sanctorum qualiumcunque, quos præcipuo honore & privilegio condecorare intendit, ſeptem dies continuos veneratur, ex quo octavarum reſultavit feſtivitas. Vetus mos Hebræorum fuit, ut ſeptimo quoque menſe congregarentur, & quovis decimo die menſis ejus jejunio ſe macerarent. In his obſervatu digniſſimæ ſunt determinationes divinæ: *Sex annis* (inquit liber Levitici) *ſeres agrum tuum - - - ſeptimo autem anno Sabbatum erit terra. - - - Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem: & clanges buccina menſe ſeptimo - - - ſanctificabisque annum quinquageſimum - - - ipſe eſt enim Jubilæus.* *Cap. 25.* Inſtituit Moyſes, ut ſeptimo quovis anno Deuteronomium legeretur: *Deut. 31.* Judæi item ſeptimo anno debitores ſuos abſolvebant: libertatem ſervis impertiebantur. *Deut. 11.* Ex quo manifeſtè apparet, quantopere hæc natio (quæ tum quidem temporis in orbe terrarum maxime inclyta erat, quippe Dei electa) hunc numerum venerabilem habuerit, tot in illo functionibus & cæremoniis collocatis. Transeamus ad alia.

Ad fratricidam Cain Altiſſimus inquit: *Omnis* *Gen. 5.*

qui

qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Idem dicitur *Gen. 7.* ad Noë, cum in communi orbis diluvio conſevare in arca ſpeciem de quovis animante Dominus decreviſſet: *Ex omnibus animantibus mundis tolle ſeptena, & ſeptena - - - ſed & de volatilibus cæli ſeptena, & ſeptena.* Septimo poſt hæc die, cum in Arcam Noë introiſſet, diluvii aquæ ad operiendam *Gen. 8.* & inundandam terram increverunt. *Menſe item ſeptimo requievit arca, vigeſimo ſeptimo die menſis.* Poſt hæc Sacer ille Nauclerus, *expectatis ultra ſeptem diebus aliis* prout textus inquit, *rurſum dimiſit columbam ex arca* (cum jam corvum emiſiſſet, qui ultra reverſus non eſt) rediit autem columba, portans olivæ ramum in ore ſuo. Septem fuerunt filii Japhet. Septem annis pro Lia ſervivit Jacob, totidem pro decora Rachel. Septem diebus caſtiſſimus puer Joſeph dilectiſſimi Patris ſui funera planxit. Septem erant boves pingves, & totidem extenuati, & macilenti quos Pharao vidiſſe legitur in ſomniis: per quos totidem annorum præhunciabatur & fertilitas, & ſterilitas. Septem erant filiæ Sacerdotis *Exod. 11.* Madianitarum, quarum ſibi unam Moyſes matrimonio junxit. Termino item dierum ſeptem ſummi Sacerdotis conſecratio functione ſacra peragebatur. *Exod. 37.* Totidem diebus manducari azima paſchali *Ibid.* tempore præceptum erat. Candelabrum templi ſeptem calamis, totidemque adornatum erat lucernis: quæ cuncta de auro puriſſimo fabricata erant. *1. Reg. 6.* Septimo menſe elapſo poſtquam Philiſthæi arcam abduxerant, rurſum in poteſtatem filiorum Iſraël pervenit.

Iud. 6. Propheta Balaam Regem Balac perſvaſit, ut altaria ſeptem erigeret, atque illic ſeptem arietes, ſeptem quoque vitulos mactaret. Omne robur ſuum Samſon è ſeptem capitis ſuis capillis traxit. Septem numero erant filii Saul, quos Gabaonitæ ad ſupplicium mortis popoſcerunt. Septem annis à Salomone ſumptuoſiſſima illa moles Hieroſolomitani templi conſtructa fuit: ad cujus dedicationem feſtivos dies ſeptem, ſolemnitatemque maximam ordinavit. Unde ad hoc ipſum alluſiſſe Salomon videri poterit, dum ait: *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* *4. Reg.* Propheta Eliſæus non prius animam adoleſcentis mortui revocavit ad vitam, quàm cum ſeptem ſuper eum vicibus ſe incurvaſſet. Non prius Rex Antiochus in efferata crudelitate ſua ſatiari potuit, quàm cum ſeptem innocentiſſimos fratres Hebræos traxiſſet ad ſupplicium. Finito tempore annualis hebdomadæ, & ſeptuaginta annorum, rei Iſraëlitæ à captivitate ſua liberati ſunt. Divina Sapientia declarat ſe ſeptem vitia habere in odio, *Prov. 6.* unde non immerito hinc traxiſſe numerum ſuum in *Iſai. 11.* ſeptem peccatis capitalibus credi poterit Eccleſia. Septem recenſentur Spiritus S. dona, unde plenitudo gratiarum divinarum perfecta diffunditur. Septem enumerantur pœnitentiales pſalmi. Contraxit filia Raguelis Sara ſeptem vicibus ſponſalia, nec ulli horum virorum copulata eſt. In Iſaia item habetur: *Pſal. 11.* *Apprehendent ſeptem mulieres virum unum.* Propheta David ſic inquit: *Eloquentia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum ſeptulum.*

De Sancto Job legitur, quod eum Dominus ſeptem prolibus beatificaverit: amici item ejus, qui ad conſolandum eum advenerant, & ad mitigandas afflictiones, ſupra terram cum eodem ſeptem dierum ſicut & noctium ſpacio ſederunt. Unde ille ipſe inquit: *Iob. c. 5.* *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.* Celebrantur defunctorum fidelium exequiæ à catholicis die primo & ſeptimo: deducta conſvetudine ab eo fortaſſis, quod Eccleſiaſticus inquit: *Luctus mortui ſeptem dies.* Non ſine ſingulari divinæ providentiæ diſpoſitione Rex Nabuchodonoſor, non ſolum de throno ſuo dejectus *Cap. 22.* fuit, ſed omni etiam humana ſimilitudine exutus, fœnum agri cum bubus annorum ſeptem ſpatio depaſtus eſt. In ſeptuageſima ſeptima generatione ab Adam usque, natus eſt Meſſias, Salvator noſter: ſicut id per ſeriem manifeſtam demonſtravit S. Lucas.

Vidit in revelationibus ſuis Apocalypticis S. Joannes librum ſignatum ſigillis ſeptem, ſicut & agnum habentem *cornua ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram.* Hinc præter ſeptem ſigilla, *Apoc. 5.* ſeptem Angelorum, ſeptem tubarum mentio fit. Illic non minus Draco eſt, ſeptem capitibus iisque coronatis terribilis, ſeptem præterea angeli, cum ſeptem *Item. c. 8. c. 11.* plagis: denique ſic ſacer textus ait: *Et venit unus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas:* *Cap. 17.* Item paulò poſt: *Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam - - - habentem capita ſeptem.* Ubi ſacri interpretes per ſeptem memorata capita ſeptem montes intelligunt, ſupra quos mulier illa conſedit: aut verò de ſeptem regibus intelligendum: alii aliter interpretati ſunt. Apoſtolus Paulus ſeptem quoque Epiſtolas, ad totidem Eccleſias ſcripſit, hoc ſacrato numero ſeptenario inſignes. Septem Diaconi in actibus Apoſtolicis electi fuerunt. *Act. 6.*

Redemptor noſter, commenſales ſuos quatuor hominum millia, ſeptem panibus ſatiavit, ſeptem cophinis ex reliquiis adimpletis. Septem annis cum viro ſuo vixit propheti ſſa Anna, teſtificante S. *Marc. 8.* Luca. *Luc. 2.* Per divinum dictamen Iſaiæ caput ſeptimum evidentiſſimam humanæ Redemptionis prophetiam continet. Septem dæmonia Salvator noſter de corpore pænitentis Magdalenæ ejecit. Chriſtus item ſeptem nobis genera petitionum in oratione ſua dominica, erga Patrem cæleſtem ſuggeſſit: toties item Patrem ſuum in cruce pendens deprecatus eſt, cum ardentiſſima, & ultima verba ſua proferret, quæ non ſecus ac fulgur aliquod plenum igne, de foco amoris illius immenſi proceſſerunt. In cruce rurſum ſeptem horis pependit, in quarum ultima expiravit, poſtquam à ſeptem partibus divinum ſangvinem ſuum tanquam gemmas pretioſas profudiſſet. Poſt tantos item dolores die ſeptimo in ſepulchro requievit. Totidemque poſt reſurrectionem diebus ſe diſcipulis ſuis manifeſtavit: poſt hæc ſeptem ſepties repetits diebus Spiritum ſuum Sanctum mundo impertiit. Interrogatus præterea à Petro, ſi ſepties remittendæ culpæ eſſent, reſpondit Jeſus, non ſolum ſepties, ſed & ſeptuagies ſepties. Cognoverunt non Hebræi ſolum, ſed Græci quoque, & Latini in numero ſeptimo perfectionem quandam contineri, eumque omnibus numeris abſolutum eſſe. Unde Virgilius beatitudinem quorundam indicare volens, ſic ait:

- - - *O terque, quaterque beati!*

Hoc eſt beatiſſimi, inquit Commentator.

Proinde ut ad alia quoque gradum noſtrum dirigamus, & ut à divino illo ad materiale cælum deſcendamus, ſeptem ſtellæ reperiuntur, Pleiades nominatæ: Urſus item major, minorque ſeptem ſtellis condecorantur, & in circuitu ſuo continent. Ipſe zodiacus, unà cum ſole, ordine, numeroque ſeptenario incedunt: In ſeptimo ſiquidem ſigno ſolſtitium brumale fit, in ſeptimo item æquinoctium evenit: atque ita tam in oriente, quàm in occaſu ſeptimus ſemper accidit. In hac hora ſol, tam nocturno, quàm diur-

diurno tempore angulum cæli ingreditur. Septem & amplius ab antiquis numerata ſunt climata. Quavis hora ſeptima fluxus fit maris accreſcendo, ſeptem decreſcendo. Iſther fluvius, vel Danubius, Nilus item ſeptem oſtiis ſe in mare effundunt. Hinc Horatius:

Lib. 6. - - - *exitus Iſthri*
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus: Septem exit aquis: ſeptem oſtia pandit.

Et Juvenalis:

Satyr. 13. *Rari quippe boni: vix ſunt numero totidem, quot*
Thebarum portæ, & divitis oſtia Nili.

Item alius:

Roma ſuos ſeptem colles, miracula ſeptem
Mundus habet: totidem ſidera laxa Polus:
Artes ingenuæ ſeptem, ſeptem oſtia Nili
Sunt.

Tradunt complures, inter quos Xenocrates, Padum fluvium ſtagna efformare ſeptem. Curſum periodicum Luna conficit decimo quarto quovis die, ubi novilunium incidit, aut plenilunium. Septem dies ſunt, quibus mare placatum manet, tum nimirum cum halcyon avicula nidum ſuum conſtruit. In infirmis criſes plerumque ſeptimo die accidunt, & ab his aut ſanitatem, aut ſecuturam mortem ominantur. Unde Galenus ait: *Septimum numerum, decretorum omnium non numero, & ordine, ſed viribus ac dignitate primum eſſe.* Septimus duplicatus rurſus diem criticum format. Unde dies ſeptimus, decimus quartus, vel viceſimus primus febrium plerumque terminus eſt: aut valetudine recuperata, aut morte interveniente. Septimo die, inquit Hippocrates, poſt concubitum partus fieri in fæmina principium: tum enimverò coagulari ſemen, in formam autem redigi, & figuram ſuam non niſi hebdomadibus ſeptem præter lapſis conſequi: ac ſic quadraginta novem diebus in materno utero organizari embryonem. Poſt diem ſeptimum nativitatis ſuæ infans umbilici ſui reliquias, & radices abjicit.

Græci olim in more poſitum habuerunt, ut infantium nulli, niſi ſeptimo die nomen imponerent: quo die eluceſcente tandem puerum verè appellabant vitalem. Poſt hunc diem primum viſionis ſuæ uſum perfectum & potentiam adipiſcitur. Septimo menſe dentes iis protuberant, qui rurſum anno ſeptimo excidere, & rurſum ſolent redintegrari. In his annis ab Aſtronomis Saturno dedicantur, quippe qui in eos tum dominium ſuum exercet. In anno ſeptimo loquelæ ſoliditas & perfectio ſequitur. In ſeptenario ſecundo, decimo quarto videlicet, primum pubes apparet, aut prima circa labia lanugo; in quibus annis pubertas exordium ſuum habet, & primùm generationis, & virilitatis vigor animadvertitur. In fæmineo item ſexu prima ſolent menſtruorum initia eſſe.

In vigeſimo primo ætatis anno, hoc eſt ter ſeptimo in mento barba & pili incrementum primum producunt, vox mutationem conſequitur, & longitudo corporis augmentari deſinit. In quater ſeptimo, vigeſimo nimirum & octavo fortitudo, & robur corporis invaleſcit, & hic Juventutis decurſus eſt, cum hæc ætas jam armis portandis, laboribusque corporis perferendis idonea ſit. In quinquies ſeptimo, hoc eſt triceſimo quinto in vera activitate ſua homo eſt, ut generandæ proli aptiſſimus ſit. In ſexies ſeptimo, quadrageſimo nimirum & ſecundo, robur intelligentiæ maturatur: cumque ſeptimana ſeptima annorum advenit quadraginta novem jam adimpletis, in homine prudentia ſolidatur, & perfecta ætas inſurgit, jam ſenectutis primordia præ foribus ſunt. In octavo ſeptennio, quinquaginta ſex annis jam peractis, conſilium tam in pace, quàm bello ſpectabile eſſe ſolet. In ſeptennio nono, anno ſexageſimo tertio jam vires decreſcunt, & minuuntur: jamque religio, & pietas metu ingruentis mortis, adaugentur. Septenarius decimus, annus videlicet ſeptuageſimus, à multis vitæ meta conſtituitur, tanquam ea ætate ubi pes in ſepulchro jam locatus eſt. Unde David hanc mortalitatem conſiderando ſic ait: *Dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni:* præſignans hic dierum ſuorum terminum: in quibus etiàm vitæ ſuæ ſpatium Rex piiſſimus concluſit. Marcus Varro tradit, hominem ad hoc ætatis jam provectum, ulteriorem vitæ ſuæ prolongationem deſiderari non debere: anno enim octuageſimo ut plurimum ſenes repueraſcere inquiunt. In toto itaquæ vitæ noſtræ compendio ſeptenarius vices ſuas obtinet, in quibus, & intra quas homo efformatur, completur, egreditur, vivit, alimentatur, creſcit, maturatur, & moritur. Ac ſic ſeptem ætates hominis dicendæ ſunt, juxta famoſiſſimum Hippocratem; Infantia, pueritia, adoleſcentia, juventus, virilitas, ſenectus, ætas decrepita: quæ ſingulis ſeptenniis acquiruntur, aut deperduntur. Septem motus hominis præcipui, ſeptem membra ſunt principalia, ſeptem viſcera præcipua: ſeptem capitis foramina, per quæ ſenſatio fit. Septem nervi majores ſunt, ſeptem meatus per quos corpora ab immunditiis ſuis purificantur. Septem oſſa cranii: ſeptem denique horæ pro nocturna quiete homini aſſignantur.

Hæc univerſa, ni fallor, jam abunde ſufficerent ad dignoſcendum, quantopere numerus hic perfectus, quanta obſervatione, & conſideratione dignus ſit, quot myſteriis gravidus: huncque potiſſimum eſſe, qui ad rerum omnium multitudinem, ſignificationem, & perfectionem concurrat: huncque omnium propemodum rerum ſtabilimentum & perpetuitatem notare. Sed tot alia inſuper adhuc in hoc numero myſteria abduntur, ut ſilentio tegi nec poſſint, nec debeant. Notat Euſebius, qua ratione Græci *lib. 21. præpar. Evang.* ſub nomine Hebraico Jehova, ſic apud eos ſcriptum (ΙΕΗΩΟΥΑ) in quo omnipotentiæ divinæ ſumma perfectio concluditur, univerſas vocales ſuas concludant, per quas omnia exprimunt, & quæ numero ſepteno comprehenduntur. Hoc nomen ineffabile dixerunt propter harum vocalium & ſyllabarum congeriem: Apud Latinos JEHOVA dicitur.

Siquidem autem de ſignificatione divina, ad humanam deſcenderimus, harmonia muſicæ occurrit, quæ metrum & conſanantiam & pauſas ſuas ab hoc numero mutuatur, quæ muſica nihilominus ornamentum paradiſi eſt. Septem enim ſibi vocales muſica accommodat. Hinc Fornutus vetus Author obſervavit, ſeptem diverſos terminos eſſe, quibus omnis modulatio vocis conſtet. Hæc vox item ſeptem qualitatibus dotata eſt, acuta, gravi, circumflexa, denſa, tenui, longa, & brevi. Propoſitiones item omnes Arithmeticæ, Geometricæ, & Muſices terminum omnem quaternarii, & ternarii olim amplectebantur. Hinc cum Marco Tullio, & Hippocrate, jam memoratis, Philo ſic concludit: *Numerus ſeptenarius vim perfectiſſimam inſitam continet.*

Communis eſt opinio Pythagoræ, Platonis, Ari- *Ex Beierlinck. Theat. vit. hum. lit. H.* ſtotelis, Galeni, Origenis, S. Cypriani, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, & aliorum: quibus correſpondent ſcripta S. Irenæi, Hilarii, Juſtini, Polycarpi, Cyrilli, Chryſoſtomi, Lactantii, Bedæ, & aliorum, hunc numerum, tanquam Deo ſacrum, eſſe menſuram temporis, ordinis, quietis, & ſymbolum univerſitatis. Hinc iidem Authores confirmant, quod

quod ſupra relatum eſt, ultimam Mundi revolutionem ſepties milleſimo anno eventuram, quam etiam magnum illud ſeptimum Sabbathum apellandum. Roboratur authoritas hæc à præfato Lactantio, qui in argumentum Mercurium Triſmegiſtum adducit, & Sibyllarum vaticinia. Hanc hypotheſin noſtram Elias Thesbita conſolidare ſatagit, dum ait: *Sex millibus annorum ſtabit Mundus, poſtea collabetur: duobus millibus inane: duobus millibus lex: duobus millibus Meſſias.* Adhæc prædicta cum utili moralitate adjungit Beierlinch: *Si aliquid his deerit, propter peccata noſtra, quæ multa, & magna ſunt.* Hæc ſententia Prophetæ non abſimilis, per Commentarios Jacobi Pammelii roboratur, qui in teſtimonium traditionis hujus Epiſtolam S. Cypriani adducit: qui ait: *Septem dies, ſeptem annorum millia continentes:* addit Pammelius: *Non ſatis intelligo, niſi ejus fuerit ſententiæ, in qua ſe fuiſſe fatetur D. Auguſtinus.* Hanc opinionem nihilominus S. Auguſtinus ipſe retractavit, dicendo: *Verùm neq; hæc probatur opinio, utpote quæ ad chyliaſtas accedat quàm proximè: qui hoc ſolo differunt, quod carnales delicias in illo Sabbatho ſomnient: inter quos fuerunt latini: Tertullianus, Lactantius, Victorinus, Severus: & Græci: Papias, Juſtinus, Irenæus, Apollinaris.* Si autem hæc opinio à Sanctis infringitur, reprobandus eſt Pammelius, & Elias, non Propheta, ſed Rabbinus. S. Auguſtinus ſupra Canticum Annæ Prophetiſſæ: *Erumpe & clama: ſterilis peperit ſeptem: & quæ multos habet filios, infirmata eſt:* hæc verba ad Eccleſiam applicat, quippe quam in ſeptenario, perfectionem ampliorem poſſeſſuram eſſe indicetur. Unde S. Joannes, inquit, ſcribere ſe *ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt ſeptem Spiritus Dei.*

Ad Fortunat. de exhortatione Martyrii.

Lib. 20. de Civit. Dei. cap. 35.

Qui longiores, diffuſioresque ſignificationes, & myſteria ſupra ſeptenarium hunc numerum deſideraverit. S. Auguſtini de Civitate DEI librum legat undecimum, capite primo & triceſimo: eundem ſupra Pſalmum centeſimum decimum octavum ſermone trigeſimo primo. Pari modo in ſermone ſupra ſeptem ſigilla res obſervatu dignas, ſingularesque immiſcuit, myſticè quodque horum ſigillorum explanando, quod ego nihilominus brevitatis ſtudio prætermittendum eſſe cenſui, dum Lectorem meum ad has lucubrationes tam utiles, tamque ſanctas ablego. Nectamen ſilentio præterire poſſum præclariſſimas illas ſupra Spiritum DEI obſervationes, quæ ab eodem Sancto productæ ſunt: denotant autem Spiritus Sancti dona. Qui proinde ſic habet: Datum fuiſſe Spiritum Sapientiæ Adamo, cum creaturis nomina impoſuit: Spiritum intellectus viro Juſto Noë, cum à Deo intellexit quo ordine arca componenda eſſet: Spiritum conſilii datum fuiſſe Abrahamo, quippe qui nil, niſi conſiliante Deo peragebat: Spiritum fortitudinis datum eſſe Patriarchæ Iſaac, qui intrepide imminentem cervicibus ſuis mortem præſtolatus eſt, & injurias gentium æquo animo toleravit. Spiritum Scientiæ viguiſſe in Jacob, qui facie ad faciem cum Deo loquebatur: Spiritum pietatis fuiſſe in Moyſe, qui ſalutem propriam, ſaluti gentis ſuæ poſtpoſuit: & qui converſus ad dominum ajebat: *Dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Spiritum timoris in David: qui habendo in manibus ſuis Regem Saul, cum ferire eum poſſet, præpediente timore Domini, à percuſſione abſtinuit.

Exod. 32.

Non minus, quàm illæ ſuperiores, in genere ſuo copioſæ ſunt obſervationes S. Joannes Chryſoſtomi ſupra id quod ad fratricidam Cain Deus inquit: *Omnis, qui occiderit Cain punietur in ſeptuplum.* Georgius Cedrenus item, cum Chriſtiana exactitudine obſervavit, ſeptem mortuos intra vetus novumque teſtamentum in vitam revocatos eſſe, unde ait: *Octavus Chriſtus de mortuis victor exiſtit, qui & ſeptem alios in vitam revocaverat:* concludit ex his (cum prius de his mortuis vitæ reſtitutis exactam narrationem diſſet) *Octavus Chriſtus poſt toleratum ſalutis noſtræ ſupplicium, ex morte in vitam rediit.*

Hom. 19. in Geneſim. In Hiſtor. Comp.

S. Cyprianus in exaltanda ſingulari, & divina ſeptem donorum Spiritus Sancti virtute admodum prolixus eſt, qui ſuper hæc à devoto, & erudito lectore conſulendus erit, ne in hoc volumen præter debitum, citationum congeriem conferre videar. Ultimum nihilominus corollarium adducam, quod multum quidem huic loco opportunum cenſeo, quo videlicet, univerſa quæ ſupra dicta ſunt, epilogantur: verba ejus hæc ſunt: *Septem Sacerdotalibus clangentibus tubis Jericho corruit: ſeptem petitionibus orandum patrem filius docuit: remiſſio peccatorum duplicato ſeptuagies ſepties Petro mandatur: Leproſus ſeptimi diei inſpectione à Sacerdote judicatur: ſummi Sacerdotis in ſeptem diebus conſecratio conſummatur: Dominus Jeſus Chriſtus de ſeptem panibus quinque millia hominum reficit: Juſtus quiſque Deo laudes per diem ſepties dicit: Ipſe Dominus Jeſus ab Adam, ſecundum generationes, quas Lucas commemorat, ſeptuageſimus invenitur, ut ultionem in Lamech ſeptuagies ſepties promulgatam veniens terminaret: ſeptem diebus in Paſcha editur azyma: ſeptem diebus, menſe ſeptimo tabernaculorum ſolemnitas celebratur: in ſeptem annis Templum à Salomone conſtruitur: ſeptem brachiis, & totidem luminibus candelabrum adornatur.*

Tractat. de Spir. S.

Hæ conſiderationes, quæ à tanto Authore derivant, & devotione, & ſanctitate plenæ ſunt. Eadem nitiditate idem Sanctus ad Fortunatum Epiſcopum utitur, dum de Machabæorum martyrio diſſerit, qui in præfato numero curſum glorioſum paſſionis ſuæ perfecti Athletæ terminarunt. His exemplis, & eruditionibus jam memoratis, tamque memorabilibus, ſub ſilentio prætereundæ non ſunt conſiderationes, quas præfatus Author, in libro primo contra Judæos adducit, illic nimirum ubi de Annæ viduæ Cantico meminit: *Filii ſeptem ſunt*, inquit, *unde Paulus ſeptem Eccleſiis ſcribit: & Apocalypſis Eccleſias ſeptem ponit, ut ſervetur ſeptenarius numerus: ut dies ſeptem, quibus DEUS mundum facit: ut Angeli ſeptem, qui aſſiſtunt, & converſantur ante faciem Dei, ſicut Raphaël in Tobia dicit: & lucernæ ſeptiformes in tabernaculo martyrii: oculi Domini ſeptem, qui mundum ſpeculantur: & lapis cum oculis ſeptem ut Zacharias dicit: Et Spiritus ſeptem, & candelabra in Apocalypſi ſeptem: & columnæ ſeptem, ſuper quas ædificavit domum Sapientia apud Salomonem.* Denique S. Hieronymus ſequentes authores ſupra hunc numerum adducit, ſic inquiens: *De impari numero diſputarunt: Clemens, Hyppolitus, Origenes, Dionyſius, Euſebius, Didymus, noſtrorumq; Tertullianus, Cyprianus, Victorinus, Lactantius, Hilarius.* Amplum inde Tractatum format Macrobius in ſomnio Scipionis Gellii, ad librum tertium. S. Hilarius item in Præfatione ſupra Pſalmos ſupra illum verſiculum: *Septies in die laudem dixi tibi:* Videatur poſtremo ſuper hæc Petrus Bonghius, in myſteriis numerorum in volumine ampliſſimo, & erudito. Interim hæc dixiſſe de his ſufficiat.

De exhortatione Martyrum cap. II.

In Apolog. contra Iovinium in fine.

Octonarius de duobus quaternis conſtituitur: inter numeros perfectos collocatus: nomen habet ſalutis: unde in nomine, & in literis, quæ altiſſimum & ſvaviſſimum hoc nomen *JESUS* formant, hi numeri

numeri inveniuntur 888. In Geneſi habetur, Abrahamum ad redimendam captivitatem fratris ſui, contra hoſtilem Regum exercitum trecentos decem & octo ablegaſſe vernaculos: ubi Sancti Ambroſius, Eucherius, & Rupertus non tam numeri quantitatem, inquiunt, expreſſam eſſe, quàm meritum electionis: hinc ajunt: *Eos Abraham adſciſcit, quos numero fidelium judicavit dignos, qui in Domini noſtri paſſionem crederent.* T. *enim, quod Græcis* 300. *ſignificat, ſignum eſt crucis. I & H. quæ decem & octo valent, initium ſunt, & abbreviatum nomen Jeſu conſtituunt: deeſt tantum litera S.*

Ad ſolemne juſtumque convivium Plato perſonas octo & viginti requirit, alludendo ad lunæ curſum, quæ vigeſimo & octavo die renovatur. Xenophon non niſi octo commenſales poſtulat. Refert Lampridius Heliogabalum, ſicut erat animo deformis, conivium totidem corporibus defectuoſis conſtans inſtituiſſe (octo enim ſorte adhibuit: calvos nimirum, luſcos, podagricos, ſurdos, raucos, nigerrimos, monſtruoſæ longitudinis, denique naſutos) in proverbio Eraſmi delectatum: *omnia octo.* Octo beatitudines ſunt, quas in monte Chriſtus propoſuit. Circumciſio octava die inſtituta eſt. Sufficiant hæc de numero octonario.

In Arat. Carm.

Novenarius, ſicut ſupra vidimus, Hieroglyphicum plurium rerum eſt: quod à Theone obſervatum: Ad hunc numerum Muſæ ſpectant, ſicut jam relatum eſt. Novem Angelorum chori ſunt: ex quibus Hierarchiæ novem procedunt, quæ alternis vocibus, & altiſſima melodia in Paradiſo reſonant. Obſervabatur olim à partu infantis dies nonus, pari modo poſt mortem (prout inter Chriſtianos ſeptimus) fiebant autem memorato die ſolemnitates lugubres, ubi ſub defuncti tumba epulabantur: in cujus item cranio deaurato bibebant: gladiatores etiam ſub tumba nudis gladiis ludendo, quaſi per jocum mori diſcebant. Hinc feſtivitas novendialis dicta eſt: Et Horatius: *Novendiales diſſipare pulveres.* De his omnibus Donatus in commentariis ſuis, item Cælius Rhodiginus, & Feſtus ampliores tractatus habent.

De funeribus Rom.

4. Reg. 17.

Inter alia in ſacris literis Patriarcha Joſeph piiſſimas defuncto Patri ſuo exequias novem dierum ſpatio inſtituit, ſeptimo menſe jam elapſo. In his omnium diffuſiſſimus eſt Kerimannus Lubecenſis: Anno nono Oſee Regis cepit Salmanaſar Rex Aſſyriorum Samariam. Die nono Julii vetus templum dirutum fuit. In lege nova, circa horam nonam Salvator noſter diviniſſimo Patri ſuo Spiritum reddidit, quem tertio ab hinc die reſumpſit. Eccleſia quoque novem ſeptimanis canticum jucunditatis omittit. Sed de his hactenus.

Decem commenſales non ulla.

2. Iliad.

Numerus denarius à Proclo numerus circularis appellatur. Finis numerorum eſt: dum enim numerus terminatur in decade, per modum Phœnicis renaſcitur, & in ſemetipſum retorquetur. Hæc Platonis ſententia erat, dum ajebat, *monas genuit monadem.* Placitum olim erat, ut commenſalium numerus denario item conſtaret: unde ordinatum fuit, ne minus decem, nec his amplius menſæ adhiberentur. Sic apud Homerum & Euſthatium declaratur. Hic ritus apud Judæos quoque uſurpatus fuit. Quod ſcientias concernit, Philoſophi prædicamenta decem conſtituunt: Aſtronomi decem ſphæras cæleſtes. In parabola operatiorum, quos Chriſtus in vineam miſſos refert, Paterfamilias denarium diurnum expendit. Dumque omnipotens Deus elargiri populo ſuo præcepta voluit, ea in denarium redegit, duabus tabulis comprehenſum. Porro Abraham zelo ſancto compulſus, remiſſionem iræ divinæ contra peſſimos confinium illorum habitatores poſtulavit, ſiquidem in Pentapoli decem juſti invenirentur. Decem leproſi erant, qui Chriſto obviam ibant: quos in itinere mundavit. In omni item lege, uſus invaluit, ut Sacerdotibus decimæ darentur: unde S. Auguſtinus ait: *Attende, quod creatura decima inter intellectuales ſit homo: quia novem ſunt Chori Angelorum, decimus ordo eſt hominum. Unde per decem Virgines prudentes univerſitas ſalvandorum in Evangelio inſinuatur.* Legantur ſuper hæc Sanctus Gregorius in capite nono Prophetæ Job: Auguſtinus *de doctrina Chriſtiana:* S. Irenæus *adverſus hæreſes:* hi materiam abundantem curioſitati Lectoris ſuppeditabunt.

Serm. de decimis.

lib. 1. c. 15.

De numero undenario inprimis Evangelium meminit, dum de operariis in vineam miſſis quidam non niſi undecima venerunt. Supra quod S. Athanaſius commentatur, hic Apoſtolum Mathiam præſignatum fuiſſe, qui ſacro collegio acceſſit, vel prout acta Apoſtolica docent: *connumeratus eſt cum undecim.* Numerus hic imperfectus eſt, ſpectans ad ea quæ ſæcularia ſunt. In hunc ſenſum à S. Hieronymo in capite primo Zachariæ ſumitur. Numerum enim decimum excedit, & ab unitate ſejungitur. Unde etiam typus eſt eorum, qui à lege Dei recedunt, & divina præcepta prævaricantur. Venerabilis Beda affirmat, hoc numero Anti-Chriſtum ſignari. Hunc undecimum cornu eſſe à S. Joanne in Apocalypſi deſcriptum. S. Auguſtinus hunc numerum imperfectum aſſerit, & ſic concludit: *Eſt denarius juſtitiæ numerus in decem præceptis. Peccatum legis, vel transgreſſio utique in undecimo ſignificatur: unde in tabernaculo fieri jubentur undecim vela cilicina.*

Quæſt. 52.

Act. c. 21.

Anti-Chriſtus.

In Apocal. 17.

Lib. Concor. Evangel. c. 4.

Paucæ quidem ſed ponderoſæ obſervationes circa numerum duodecimum occurrunt. Numerus enim collegii Apoſtolici eſt. Sub hoc item numero portæ Paradiſi recenſentur. Duodecim fontes palmarum erant, quos Iſraëliticus populus in campeſtribus Elim invenit: tum videlicet cum ad terram promiſſionis proficiſceretur: prout Exodus docet. Hic numerus olim numerus Jovis appellatus eſt: ex eo, quod duodecim menſium ſpatio ſol terram univerſam circumgyret. Totidem Zodiaci ſigna ſunt. Cæſar Auguſtus cum in Apollinis forma cœnaret, totidem commenſales menſæ ſuæ, in habitu deorum veſtitos adhibuit. De perfectione numeri hujus S. Auguſtinus diffuſe admodum diſſerit, dum promiſſionis ejus meminit, qua Redemptor noſter Apoſtolis ſuis ait: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes.* Duodecim petræ erant, quas in rationale Aaronis inſeri Deus præcepit, totidem Patriarcharum nomina illic inſculpta erant. Duodecim exploratores erant, qui ad ſpeculandam Chananæorum terram miſſi ſunt. Totidem fructus Spiritus Sancti ſunt, ab Apoſtolo Paulo enumerati: Et S. Joannes in Apocalypſi de omnibus tribubus duodecim millia ſignatorum recenſet.

Cap. 15.

Lib. 20. de Civ. Dei. c. 5.

Ad Galatas c. 5.

Hæ ſignificationes Decadum, & Duodenariorum, in numeris inferioribus ad numerum usque triceſimum ſextum applicari poſſunt. Succedit his quadranarius, de quo cum jam abunde in Hieroglyphicis meminerimus, hic ſolum adjungendum, quod ſicut tempus & ſymbolum jejunii eſt per curſum ſanctæ Quadrageſimæ, ita numerus pœnitentiæ eſt: Quod ex eo deductum eſt, cum Jonas Ninivitis annunciavit: *Ad huc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur,* quo tempore: *Induti ſunt ſacco à minimo usque ad maximum.* Quievit Redemptor noſter quadraginta horis in ſepulchro: & poſt ſacro ſanctam Reſurrectionem ſuam totidem diebus cum Apoſtolis & diſcipulis ſuis in terra con-

verſatus eſt: ubi eos in poſſeſſione regni cælorum confirmarint. Sic cum natus eſſet in antro Bethlehemitico commorari voluit, donec adimpletis diebus his cum Sanctiſſima Matre ſua ſe in templo præſentavit, ad legem videlicet adimplendam, quæ hujuscemodi functionem imperabat. Qui his plura deſiderat, authores ſupracitatos percurrat.

Numerus quinquageſimus, prout dictum eſt, numerus Jubilæi eſt, poſt quinquaginta dies Spiritus Sanctus deſcendit. Diluvium item centum & quinquaginta dies ſupra terram commoratum eſt. Abraham pro contaminatis urbibus deprecaturus, de numero, quinquageſimo exordium ſumpſit, dicendo: *Si inventi fuerint quinquaginta juſti:* ac ſic deinceps ad decem usque deſcendit: ſupra quod diffuſa paraphraſis Angelici Doctoris eſt: qui ad finem ita concludit: *Quinquagenarius numerus denotat plenitudinem gratiæ Spiritus Sancti, & ſupremum juſtorum vitæ genus in perfecta Dei contemplatione (qualis eſſe in terris poteſt) & ardentiſſimo ejus amore collocatum.*

Deſcendamas hinc (quandoquidem ſupra jam de reliquis punctis, aut numeris ſufficienter ratiocinatus mihi videor) breviter ad centeſimum: qui denariis decem conſtat, quinquageſimi duplus eſt: figuram habens cæleſtis vitæ. *Exod. 27.* Hujus ſymbolum erat olim tabernaculum fœderis, quod ſecundum ſcripturam centum cubitis extendebatur: de quo loco venerabilis Beda copioſè commentatur. Noë anno centeſimo arcæ fabricam adimplevit. Anno centeſimo dilecta proles Abrahami nata eſt: in eodemque tempore in terram promiſſionis intravit: ubi Iſaac centuplicem fructum ſeminum ſuorum, quæ in terram Geraſenam diſſeminaverat, feliciter meſſuit. Chriſtus item centuplicem gloriam iis promiſit, qui ſpreto ſæculo, ſe ſecuti fuerint. Pari modo centum oves ſe poſſidere inquit, easdemque tanquam Paſtorem bonum in fideli cuſtodia tueri, inſinuando plenitudinem rationabilis creaturæ. Idem Salvator fidem Centurionis Iſraëliticæ fidei præfert, & hoc faciendo electionem Gentium prænunciat.

Concludo copioſiſſimum tractatum hunc eo, quod Petrus Bonghius in amplo volumine ſuo de numero quadringenteſimo refert, cæteros præterire hic placet, quando jam alibi de his ſat ratiocinati ſumus. Obſervat hic, in ſcripturis divinis ſæpius hunc numerum in bonam partem uſurpari: tum præcipuè, cum David *1. Reg. 22.* iram Saulis ſubterfugit: ad ſui enim tutelam quadringentos viros ſecum tenuit: totidem erant pſeudoprophetæ quos verus Dei Propheta Elias occidi juſſit: ſicut in libro Regum tertio cap. 18. habetur. Tot item erant, qui Regem Achab ſeduxerunt, ſicut in eodem libro legimus. *Cap. 22.* Muri Jeruſalem, demoliti ceciderunt, cubitis quadringentis menſurati ſunt: ſicut liber quartus Regum recenſet. *Cap. 14.* Totidem ſatellitibus ſtipatus erat Eſau cum reduci de Meſopotamia fratri ſuo obviam proceſſit. *Gen. 32.* Hebræorum ſervitus, & peregrinatio, juxta actus Apoſtolicos, totidem annis duravit. *Actor. 7.*

Hæc ſunt potiſſimum, quæ tibi Lector, quantum facultatis meæ erat, ad profectum & utilitatem tuam in compendio ſuggerere potui: ſiquidem etiam varietatem diſciplinarum tractare mente valueris, varios in iis numeros pro earum diverſitate inventurus es: quaſdam etiam vigorem ſuum, & eſſentiam numeris debere, ab iisdemque & ſignificationem, & evidentiam majorem adipiſci. Inter has præcipuæ ſunt Arithmetica, Muſica, Oratoria, Phyſica, Grammatica, & aliæ. Hæ diſciplinæ, ſiquidem menſura debita acceſſerit, in manu viri ſolertis, & ingenioſi, admirabiles, & portentoſos effectus producunt, ita ut communem rerum ordinem tranſcendant. Raræ enim in Mundo operationes ſunt, quæ numeris non indigeant.

Nec tamen propoſiti mei eſt, omnia numerorum myſteria exponere, ſed ea ſolum quæ prima fronte ſe oculis noſtris objiciunt: meminerit autem prudens Lector cenſuræ ejus, quam de S. Joanne Chryſoſtomo ſupra allegavimus.

Atque hæc digitorum gloria eſt, quod principium & incrementum numeris, & menſuris præbuerunt.

Denique proprium digitorum elogium in prima Centuria mea (quæ *Sæculum Momi* intitulata eſt) jam impreſſum, huc collocare ſtatui: ut videlicet quæ huic materiæ univoca ſunt, è manibus meis labi non patiar, ſed univerſa ſub oculis ponam. Compoſitum autem eſt ſupra morem illum antiquum (quem præſens quoque ſeculum uſurpat) qui, *micare digitis*, dicitur: quod Itali, *giuocar all' amora*, nominant: ſed antiquiſſimi, *Digitis ſortiri*, dixerunt. Itaque thema tale eſt

Ad ſortientes digitis.

Argumentum.

Marcus Varro dum pugnaturus eſſet cum Athenienſibus, per Ironiam dicebat: micandum eſt cum Græco, manibusque ſortiendum ut ego illorum numerum, aut illi meum valeant ſuperare. Cicero lib. 2. de Divinit. Nemeſianus.

Digitos tractare micantes.

REPREHENSIO.

Si fertis manibus ſortes?
Fortes ſi Cynægiri firmiores tam varias valent ſiſtere rotas.
Quàm facilè extricabilis nexus:
Nec mirum, ſi nihil innixus in fluxu:
Dum minora cupitis puncta, temporis bonum
Amittitis punctum.
Nullibi ſors ſolidabitur, ſi digitis labitur:
In Mero, & numero, quocunque in joco, & loco,
Ut decipiant, mutantur hæ manus:
Manus, non quia munus, ſed amiſſio.
Juncta ubi fides, ſi hæ disjunctæ apparent;
Proximè ad cedes, ſi ſedes altercationum:

Eo magis cruentarum, quo pares, & impares digitis figitis.
Non poteſt adeſſe amor, ubi amor jocatur. *Alludit. ad ludum.*
O Exauctorata authoritas, ut quid dextera dominari?
Si per extera minorari, hæc mavult, quàm mereri, vereri.
Ignavia ſtragulis en larvata virtutis,
Non complicatas, ſed explicatas manus oſtendit. *Iconolog. Ripa de Ignavia.*
Tu diſce ſpectator in puncti jactura, temporis
ineſſe jacturam.
Gyges ubi centimanus, vel refulgens Oſyris,
Qui numeris tot elementa miniſtrent?
At volve punctum proluſor, & luctum provolves delectu:
Cui proximo opitulando eris proximus, *Virgil.*
Cui porriges manum, de quo ille clamabat:
Da dextram miſero, & tecum me tolle per undas?
Ut quid Chaldæi, & Haruſpices tantis digitorum ſurculis *Pier. de manib. & digit.*
punctorum ponitis acervos?
Quid circulis centenarias, & millenarias putaſtis ſupputationes?
Poteratis in præſcriptæ volæ vallo brevi temporis intervallo
Numerorum tot ſpacia metiri.
Quinque ſunt digiti manus, totidem pariter ſenſus;
Ut quid ergò turpiter iſti è manibus fluunt?
In virtutis Lycæo recta non poteſt vitæ moralis actio firmari;
Si actionum articuli inconſultò lapſi è manibus
Non poſſunt accuratè rimari.
Inſtabis. Alcibiades, Socrates, Ageſilaus, Architas, atque alios *Ex officina Ravis.*
Mundi Dynaſtas digitis fuiſſe ſortitos.
Opportuna locutione micarunt, non dimicarunt:
Vos pro nummis, & numeris, Numinibus importuni
Arma ſæpe portenditis.
Illorum talis fuit remiſſio, ut animum à curis erigerent,
Unde tales luſus eligerent;
Tu quoque ad vitæ trutinam taliter morare, ut æqualiter
Sive pares, ſive impares valeas ferre ſortes.
Omne ſolum tibi erit Patria: *ut piſcibus æquor,* *Ovid. de Ponto.*
Et volucri liquido quidquid in orbe patet.
Miro ſic modo manibus tuis diſtillabis myrrham: *Cant. 5.*
Firmo clavo fixam tenebis fortunam.
Qui porro ſic digitos mittit, ut tempus amittat,
Vulgati pœnas ſortietur adagii,
Dignus qui in tenebris mices.
His iſta conveniunt, qui manus ponunt in oculis.
Fides illi non eſt præſtanda, qui fidem à digitis rejicit.
Quibus ſortes tot punctis labuntur:
Meliori, & acriori objurgandi ſunt
REPREHENSIONE.

Grandis adeo diſpartitas eſt, de mole quantitativa tot paginarum ad parvitatem digiti: unde gygas pygmæo comparatus videbitur. Proprietas hæc eſt, Quintarum eſſentiarum, ut eas appellant, quæ in modica circumferentia magnam virtutem includunt. Ego quoque, qui ſervitiis tuis, mi Lector, addictus ſum, magnæ mihi gloriæ duxero, ſi tibi non pauca in paucis dedero, ſi quantitas rerum modica, à virtute earum æſtimari poterit: atque hoc totum eſt, quod exhibere tibi Lector potui, unde concludo:

Per le deta.

Oh di pianta vital rami fecondi,
Che frutti generar tanti ſapete
Che prodigi trattare a gloria havete,
E in un mondo ſcoprir fate piu mondi.
Per voi fia ſol, ch' ogni ſaper s' infondi,
Caratteri qual hor varii teſſete,
Nuntii di nove alterne, or triſte, or liete,
Date auviſi, or funeſti, or giocondi.
Cio, che dal Emisfero al Ciel ſi ſtende,
Dove ſin ſparge il ſole il raggio d' oro
Voſtro valor, voſtra virtu comprende.
S' ha tré nodi ogni deto; Io quindi eſploro
Di miſteri ſublimi alte vicende,
Onde un eſſenza in tre perſone adoro.

UNGVES.

Anatomia.

IN magno illo libro quem ſummus opifex in factura corporis humani quaſi oculis legendum expoſuit, & in quem dextera altiſſimi (ut de iis loquar quæ *ab extra* viſibiliter producta ſunt) perfectionem ſummam contulit, nec accentus, nec comma, nec virgula minima eſt, quæ obſervatione, & myſterio plena non ſit. Ungves hic occurrunt, qui quamvis videantur cenſeri inter minutias poſſe, quorum etiam reſectamenta, utpote excrementum inutile, rejiciuntur, ſiquidem in eorum diligenti ſcrutinio immorari nobis placuerit, eorumque conditio, & eſſentia ponderata fuerit, inveniuntur & ipſi non ſine magna ratione formati, nec minus etiam myſteriis, & ſpeculationibus fœcundi. Pauca nihilominus ſunt, quæ de his Anatomici referunt, tanquam de iis partibus (prout illi ajunt) quæ alterationibus, aut mutationibus ſubjectæ non ſunt, atque idcirco ſeveriori examine digna non arbitrantur. Inquiunt autem ungves melioris tantum uſus, & commoditatis gratia creatos: hinc duritiem illis datam, ut hac ſuccurrente etiam corpora minuta, quæ facile alioquin ſubterfugerent, apprehendi, & contrectari poſſent. Hi ungves igitur, prout diximus, hanc corpuſculorum attrectationem promovent in digitis, manum quæ & ſolidiorem, & magis confirmatam & defenſam reddunt. Actiones item venarum, arteriarum, cutis, & pingvedinis conſervant. Progerminantur à craſſioribus excrementis, unde etiam ſine intermiſſione increſcunt, & ſicut pili, prolongantur. Hoc eorum incrementum nihilominus imperfectum eſt, cum alimentorum attractione formali non fiat, nec aſſimilatione, ſed ſola appoſitione.

Mediocriter duri ſunt, ut injuriis externis tanto melius reſiſtant; rotundi propter ſecuritatem. Illorum principium radix nominatur, eſt autem pars illa candida, in modum lunæ formata, quæ potiſſimum circa ungvium radices eſt. Non rarò maculas admittunt: quæ vulgo, *bugie*, nominantur, quamvis id in alio ſenſu à phyſiognomis ſumatur. De his autem ungvibus, tanquam parte ſolum integrante, nec usqueadeo eſſentiali, nulli curæ, nullis infortuniis ſubjecta, pauca admodum phyſico Anatomici habent, quæ ratiocinentur: ex iisdem quoque rationibus in ſecuturis titulis idem eventurum arbitror.

HIEROGLYPHICA.

FIgura hominis, quæ mordere, imo & lacerare ungves ſuos videatur, antiquitus pro Hieroglyphico ejus ſumebatur, qui aut profundè meditaretur: aut verò, qui contumelia quadam affectus de eadem vindictam conſecutus eſſet. Et quamvis in tractatu manuum hujus rei mentio facta jam ſit, huc tamen potiſſimum ſpectat, propter quod & hic prætereunda non erat. Valerianus eruditè inquit: *Quod ſi hominem digitos, aut ungves, commordentem pictum, ſculptumve inſpexeris, ſcias eo geſtu aliàs quidem meditationem, profundumque ad extaſin usque cogitatum intellìgendum: aliàs verò pœnitentiam facti, ulciſcendique minas.* *In digitis.* Quod ad vivum exprimitur à Perſio, & Horatio, quorum unus ſic habet:

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungves.

Alter vero:

Sæpè caput ſcaberet, vivos & roderet ungves.

Denique Propertius:

Vngve meam morſo ſæpe querêre fidem.

Siquidem meditatio in bono fuerit, eſſe nequit quin effectus quoque optimus correſpondeat: eodem modo de contrario ſentiendum. Quod vindictam concernit: hæc inter actiones malas reputanda; unde Amator Lauræ inquit: *Vindictâ nihil amarius: quam cur dulcem quidam dixerint, mirari ſoleo: ſin autem dulcedinem aliquam ineſſe ſenſeris, talis dulcedo erit effera, viro indigna, & propria belluarum, ſed non omnium, præmordacium verò, atque ferocium.*

Quantumcunque res alioqui vilis & neglecta videatur, ſiquidem ſtudiũ eruditionis acceſſerit, proprietates ejus, & virtutes maxime occultas, cum lumine applicationis, & ſignificationis propriæ diſcooperiens, & interiora ejus ob oculos ponens, animos componit, eorumque utilitatibus inſervit. Dicta hæc ſint pro particula illa ignobili ungvium, quæ ipſis adeo viris ſanctitate illuſtribus materiam præbuit ad manifeſtanda myſteria altiſſimæ præordinationis divinæ. Antequam verò ad hæc progrediamur, pedem aliquantum refero, ut tanto poſthæc fortius rurſum promoveam. In omni adeo ætate, apud omnes nationes tantopere in abominatione ſemper habita ſunt ſophismata, & fallaciæ pſeudophiloſophorum, ut non ſecus ac gangræna quædam in grande illud literatorum corpus irrepentes, ab omnibus cordatis rejectæ, & cum horrore declinatæ fuerint. *Porcus propter bifidas ungvulas ſophiſtis comparatus.* Utque horum hominum Ideam aliquam veriſimilem exponerent, majalem aliquem vel portum ſtatuebant, in cujus biſulcis ungvulis, bimembrata eorum argumenta, medium terminum duplicatum, æquivoca, vafritiem, ſimulationem, & ſophiſmatum duplicitatem notabant. Hæc ſententia doctiſſimi Valeriani eſt: *Sacerdotes illi* (loquitur de Ægyptiis, & Græcis) *cum nihil æquè abhorrerent, quàm inanes Sophiſtarum nugas, & cavilloſas verborum argutias, argumentorumque decipulas, in naturæ viribus indagandis ejusmodi hominem notæ, per Suis hyeroglyphicum ſignificabant.* *De digitis.* Adhuc evidentius punctum hoc contingit inter ſcriptores doctiſſimus Philo Hebræus, qui ſic ait: *Illi acutiſſimis tantum, accuratisque rerum diſtinctionibus, (quod per bifidam animalis ungvulam interpretatur) quaſi luto inhæſitantes, ita illis inhæreſcunt, ut inde ñunquam avelli poſſint.* Denique veriſſimum eſt, quod Homerus inquit: *Odyſſ. 9.* *Mendax ab hoſte non differt:* Id quod S. Gregorius ait: *Omne mendacium iniquitas eſt: & econtra.*

Rem omnem benè noſſe diſcernere, beneque ſeligere, diſtingvendo invicem factum à facto, quod tantopere Sacerdotibus, populique paſtoribus commendatur, idem eſt, quod *lepram inter lepram diſtingvere.* Plebem autem prout decet, judicare in bipartitis ungvulis figurabatur. Atque hoc eſt, quod fabula de Argo continet, quem centum oculis dotatum finxerunt. In hunc eundem ſenſum recidit, quod de Momo fabulantur, eum deſideraſſe, ut quisque feneſtrellam gereret in pectore, per quam occulta cordis videri poſſent. Lamentabatur Euripides ſibi bonum hoc negatum, nec commune illud eum Jove habere, dicendo: *O Jupiter de auro quod ſit adulterinum indicium præbuiſti manifeſtum: virorum autem* (*quod conveniat malum exploratum habere*) *nullus character inſitus eſt corpori.* Qui cognitionem rerum perfectam conſecutus fuerit, dicere poterit, ſe ad terminum regiminis optimi pertigiſſe. Columella dicere conſveverat: *Caput eſt in omni negocio noſſe.*

Heſychius, & Irenæus obſervationes doctas inter ungulas fiſſas, & integras, inter dimidiatas, vel dipartitas formant, dum ajunt, ruminando, & mature cogitando, cognitionem dilucidari: cujus ſententiæ, cum ſit myſterio & ſignificatione fertilis, meminiſſe me oportet, præcipuum ejus contentum huc referendo. Primus itaque horum Authorum ſic ait: *Seligere verò eſt dividere literam à ſpiritu: quædam ſecundum hiſtoriam ſolam edocere, quædam ſecundum contemplationem, quædam verò ſecundum utrumque intelligere: nam qui præſtare hoc idoneus eſt, ille mundus; qui verò unius tantùm partis* (alludit hic ad ungves) *eſt particeps, immundus eſt.* S. Irenæus paulò diffuſior eſt: ſed volenti ſuper his erudiri exactius, & intelligentiam pleniorem conſequi, cum magna utilitate amplioribus diſtinctionibus rem exprimit. S. Irenæus Apoſtolorum temporibus vicinus vixit, unde ei hujuscemodi rerum evidentior notitia erat: ſecuriori calamo dictata ſua confidens, quippe qui doctrinæ inſtituta ab animabus tanta ſanctitate conſpicuis haurire poterat: ſic ergò ait: *Quæcunque ex animalibus duplicem ungvulam habent, & ruminant, munda ſunt: quæcunque autem aut neutrum, aut alterum tantum horum habent, ut immunda ſegregari. Per mundos intelligendi ſunt, qui ea, quæ de Patre & filio tradita ſunt ab Eccleſia, firmiter credunt, & in utroque requieſcunt, utpote quæ ſit eorum firmitas, quæ duplici ſunt ungvula. Et inſuper Dei traditiones die, noctuque meditantur, cogitationes ſuas bonis operibus accommodantes, quæ quidem præcipua eſt ruminantium virtus. Immunda autem, quæ neque in Deum fidem habent, neque traditiones ejus meditantur: nil ſincerum, nil laudabile, nil ſapiens. Alii demum duplicem ungvulam habent, non tamen ruminant: quo in numero ſunt hæretici, qui ſacras ſemper literas evolvunt, argutasque rerum finitiones perveſtigant: & quidquid vel ineptè, vel impiè ſentiunt, aliquo ſemper divinarum ſcripturarum dicto corroborare contendunt: & tamen neſciunt, aut nolunt ſe ad veri ſenſus examinationem convertere, & ad juſtitiam, & bonos mores dirigere, quæ legerunt.* Itaque tam excellens locus in expoſitione memorati Hieroglyphici prætermittendus non erat.

MORALIA ET MYSTICA.

SAnctornm Patrum declarationes in ſcripturas ſacras genuinum illud lumen ſunt, quod abditiſſimos maximeque caliginoſos earum receſſus, ſenſusque maximè opacos & reconditos prodit: ita ut eorum deficiente ſubſidio, non facile ſit è locis tam ſalebroſis expedire ſe poſſe. Ad hunc finem collimaſſe reor *Armatum Cantorem meum*, dum ait: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Inter alia locus quidam Job occurrit, qui cum in ſenſu literali, vel materiali *Cap. 39.* manifeſtus ſit, in myſtico & formali involutus, & obſcurus eſt. Cum ergò Sanctus ille magnanimitatem, & intrepiditatem equi pluribus deſcripſiſſet, ait: *Terram ungvula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis.* *In Pſal. 68. 31. Moral.* SS. Auguſtinus, & Gregorius per hanc ungvulam, in Evangelico prædicatore perfectionem virtutum intelligunt, qui terram ungvulis quatit, cum per opera ſua bona, & exemplum ædificationis de corde auditorum ſuorum terrena cogitata expellit. Significat item pœnitudinis efficaciam, qua terram cavat: hoc eſt cum peccatorem terrena viderit verſare in mente, hæc eadem pœnitentiæ rigoræ percutit, & diſrumpit.

Idem figurat ungvula vituli, de qua Regius Pſaltes ait: *Et placebit Deo ſuper vitulum novellum, cornua producentem, & ungvulas.* *Pſal. 68.* Per ungvulam item equi S. Gregorius & Beda finem Mundi ultimum figurari *31. Moral.* inquiunt: hæc ungvula à ceraſte mordetur, in fine *1. Gen. 49.* etenim ſæculorum Chriſtus univerſitatem judicaturus erit. Poterit hoc idem Anti-Chriſto appropriari, qui habitatores orbis tanquam perfida ceraſtes decepturus, & veneno infecturus erit. De hoc in ſacra Geneſi refertur: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in* *Gen. 49.* *ſemita, mordens ungvulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro.* Gloſſa interlinearris, Origenes, & Hieronymus *Levit. hom. 7.* ſentiunt ungvulas in animalibus diviſas, diſcre- *Pſal. 95.* tionem in bonis, & malis operationibus ſignificare; aut verò eandem diſcretionem in iis quæ ad vitam vel præſentem, vel venturam ſpectant: ſicut etiam bina teſtamenta: intelligentiam item ſpiritus & li-

teræ. Habent item, juxta ſententiam Authorum eorundem, figuram hominum, qui bonis moribus dotati, non facile in peccatum dilabuntur. De hoc *Levit. 11.* literalis ſenſus in Levitico eſt: *Omne quod habet diviſam ungvulam, & ruminat in pecoribus, comedetis.*

Supra verſum Pſalmiſtæ: *Et placebit Deo ſuper vitulum novellum, cornua producentem, & ungvulas;* *Hom. 45.* Commentantur Auguſtinus, & Liranus, poſſe per *In Levit. 11.* hoc Evangeliorum quatuor declarationem intelligi, quæ in manibus, & capite fidelium incrementum ſuum ſumunt, & multiplicantur. Per ungvulas arietum, *In Pſal. 68.* de quibus in Zacharia habetur, Arnoldus Carnotenſis fortitudinem operativam hominis intelligit; ſicut rurſum per equi ungvulas S. Hieronymus inferri poſſe inquit cognitionem ſenſuum noſtrorum, qui à ceraſte dæmone mordentur, qui vetus ſerpens eſt. De tyrannide Regis Nabuchodonoſor ejusque extorſionibus adverſus plebem, cum ſenſu metaphorico, imò *Cap. 26.* verò reali declamat Propheta Ezechiel: *Ungvulis equorum ſuorum conculcabit omnes plateas tuas, & populum tuum gladio cædet.* *In hunc locum.* Supra quod gloſſa interlinealis habet, exprimi hic diaboli tentamina, quibus animas incautorum infeſtat, & perturbat. Id quod ſcriptura alibi de muliere in matrimonium ducenda inquit, cui inter alia lex imponitur, ut comas ſibi radat, ungvesque præſcindat, prout liber *Cap. 21.* Deuteronomii continet, Origeni occaſionem, ad *In Levit. hom. 7. c. 4.* contemplationem ſubſequentem dedit: *ungves mulieris præcidendæ, ſuperfluitates ſcientiæ gentilium deſignant.*

Propheta Michæas inſinuare nobis fortitudinem, & perſeverantiam in operibus bonis, idque ſub figura biſulci ſatagit, quando in area ſub paleis frumentum colligit, elegantiſſimum eſt ſignificatum illius, dum ait: *Surge & tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungvulas tuas ponam æreas.* *In hunc locum.* Hæc eſt illa magnanimitas, hoc illud robur, inquit gloſſa, quod Deus electis militibus ſuis ſuggerit, ad diſſipandos & debellandos inimicos capitales: hæc illa virtus eſt, quam potentiis & ſpiritibus ſuis adminiſtrat, qua reprobos condemnent. Divinus rigor illic *Ierem. 17.* apud Jeremiam inquit: *In ungve adamantino ſcriptum eſt peccatum Juda,* *Origen. in Ier. hom. 32.* ubi juxta Origenem, difficultas intelligenda eſt, qua aboleri, aut cancellari poſſit culpa: nec illud mirum, cum ad Deicidium usque enormiter pertigerit. Adjungit S. Gregorius: *In ungve finis eſt corporis, adamas verò eſt ita durus, ut ferro ſecari non valeat. Per ungvem ergò adamantinum finis ſignatur æternus.*

In illa transformatione, vel admirabili Regis Nabuchodonoſor metamorphoſi, cum de throno ſuo deturbatus regalem purpuram in vellus aquilæ implumis transmutavit; cùm in vicem candidarum, & odoramentis ſvavibus delibutarum manuum, ungves gryphorum, vel rapacium vulturum produxit: *De ſecuritate conſcientiæ.* Richardus de S. Victore typum crudelitatis, & tyrannidis intelligit: talium enim monſtrorum barbaries non niſi ad rapacitatem, ad efferatos mores, ſangvinisque profuſionem anhelet. Conſimilem typum habent ii, qui ad aliud dediti non ſunt, quam ut fraudes & traditiones machinentur, ut quemvis lædant, & quoscunque injuriis & violentiis ſuis opprimant. Hæc ſunt, quæ in propoſita materia indicari potuerunt.

PROVERBIA.

INter teſtimonia maximè conſpicua, quibus hiſtorici non ràro lucubrationes ſuas, aut dicta & facta exornant, & excolunt, proverbia non immerito collocanda ſunt. His uti conſveverunt cum enthymemata ſua, & ſyllogiſmos ingenioſiſſimi philoſophorum producunt. Hæc item Oratores in fine Orationum ſuarum collocare ſoliti ſunt: ſicque de nationibus in nationes alteras tranſierunt. Sic in chartis ſtabilitia manent, imò & per ora hominum familiariter diſcurrunt, quæ alioquin æri, aut marmoribus inſciſa, in ſtatuis, coloſſis, & pyramidibus expoſita, dudum periiſſent. Quid verò laudabilius, quid applauſu majore dignum, quam quod communi conſvetudine acceptatum à tot urbibus, tot populis communi conſenſu ſtabilitum eſt? Patet in his genuina, nec aliunde emendicata, nec ſub alieno ornamento, aut prætextu depicta veritas, ejusque fortitudo. Hanc centum adeo populi amplexantur, hæc in multa millia lingvarum transfunditur. Sententia cum proverbio vibrata, non ſecus ac ferale fulgur animos audientium percutit, ita ut in corde perculſo cogitationum cicatrices relinquat. Hæc proverbia Decretorum firmamentum ſunt, robur argumentorum: ſtabiliunt pacta, doctrinas elucidant, ſenſus aperiunt, veriſimilitudinem inducunt, majoremque fabulis claritatem impertiunt. Unde (ſi ſanas literas ſubtraxeris) non poſſum, quin horum lectionem inter alias maxime æſtimabilem profitear, maxime utilem.

Utque jam vicinius ad rem ipſam accedam, proverbium eſt: *Ungvium criniumque perſegmina ne commingito.* *Parentes infortunati.* Hoc in eos dictum, qui cum parentes habeant, aut amicos ſiniſtra fortuna perculſos, ab iis cum vituperio recedunt, nullamque deinceps eorum æſtimationem habent, juxta illud poëticum:

Tempore felici multi numerantur amici:
Si fortuna perit, nullus amicus erit.

Rurſum eò referendum eſt, ut noverimus, rem nullam, quantumvis minimam, vilipendendam, ſed vigilanter ubivis procedendum; evenire enim poterit, *Minima non negligenda.* ut quæ abjectiſſima videbantur, neceſſaria ſint: nec enim in orbe terrarum quicqaum tam minutum eſt, quod indigentiæ noſtræ quandoque non ſuccurrat. Hoc proverbium item nos admonet, ut in rebus etiam minimis præcavere non negligamus: Unde Jambilicus ait: *In die feſto nec ungves ſecandi, neque crines tondendi ſunt.* Et Marſilius Ficinus monet: *Capillorum, & ungvium ſuperfluitates peſſunda:* *A minimis etiam defectibus præcavendum.* quod tantundem eſt, ac omni ſedulitate quidquid in ſenſum inciderit ponderandum. S. Chryſoſtomus inquit: *Parva non ſunt parva, ſi ab his maxima proveniunt.* Et Spiritus Sanctus: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Tentationes enim ſe in animos hominum ſine ſenſu paulatim inſinuant, atque illic poſthæc dominando, exterminium eorundem machinantur: id quod ſapientia corroborat: *Ingreditur blande, & in noviſſimus mordebit, ut coluber.*

Abominabilis, omnique ſemper deteſtatione digna fuit malorum hominum converſatio, præſertim *Rapinæ.* rapacium, unde contra tales proverbium illud inſtitutum: *Quæ uncis ſunt ungvibus non nutrienda.* Mirabilis in hoc eſt expoſitio Tullii, qui Commentator & Interpres eſt viri in moralibus ſpectatiſſimi, *De Symbolis.* Alciati nimirum, ubi ait: *Quoniam rapiendi deſiderio, inſtabilique cupiditate, & aviditate omnia confundunt, & conturbant.* Per hæc à rapaciſſimis Harpiis iſtis præcavendum nobis eſſe indicat, quæ videlicet menſas deprædantur, in easque intolerabilem fœtorem inferunt. Non committendum inquam, ut hi hippogryphi, hi vultures in domibus noſtris unquam nidificent, qui videlicet & roſtris, & ungvibus aduncis, quidquid poſſunt dilacerant, & in fruſta diſcerpunt. Applicandum hoc miniſtris Principum, *Miniſtri Principum.* & nobilium virorum Procuratoribus, qui videlicet annuorum reddituum curam agunt, ſed quibus ungves

ungvües adunci ſunt. Huc pertinet dictum illud Ec- *Cap. 13.* cleſiaſtici: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Qui cum maxime ſe Patroni inſervire utilitatibus ſimulant, tum potiſſimum demoliendæ, & effodiendæ domui invigilant. Pyratæ tanto pejores & crudeliores, quanto occultiores. *Æſchylus.* Æſchylus poëta doctiſſimè contra Alcibiadem, & ipſum Poëtam, ſed curvas gerentem manus, ajebat: *Catulum leonis alere in urbe non juvat, ſed magis cavendum, ne leonem nutrias: quem qui educarit, ejus & mores feret.* Hoc eſt: qui cum claudo familiariter egerit, eum claudicare diſcere.

Res quædam enarrata; vel aliter prolata, ſiquidem non accepta fuerit, hoc lemma promeruit: *Notari ungve.* Quod forte primum ſui ortum ab uſu habet, quod, quæ in legendis libris annotatu vel rejectione digna occurrerint, ſignare ungve ſolemus: *Res quæ diſplicent ungue notatæ.* quod poſterius idem eſt, ac cancellare: dixit hoc ſat manifeſtè Horatius: *Transverſo calamo ſignum apponere.* *Inſtit. lib. 1.* Cui Commentator adjungit: *pro eo, quod eſt, damnare.* S. Hieronymus hanc conſvetudinem in caſtigando, & notando uſurpat. Quintilianus ſic habet: *Qua quidem ita uſi ſunt ſeverè veteres Grammatici, ut non verſus modò cenſoriâ quadam virgulâ notare, &c.* Hunc autem uſum Cenſores Romanorum antiqui introduxerunt: quorum officium erat vel accuſandi, vel reprehendendi immorigeros, eosque qui cenſura digni reperti eſſent. Hujus proverbii inſtrumenta ſunt, ſpongia, & lima: per quarum alteram deletur quod ſcriptum eſt, altera id quod diſplicet eraditur, & expolitur. *Compoſitionis propriæ cenſura non negligenda.* Sic Cæſar Auguſtus in Ajace ſuo feciſſe legitur: ſic ei faciendum, qui dictata ſua, vel cogitata in publicum edere deſtinaverit: nec enim usque adeo quisquam perfectus eſt, ut non Argus aliquis deprehendat, quod culpet, Momus & Ariſtarcus, qui contradicat. Sed de his alibi fuſius, ſufficiat hic Tullii ſententia: *Verba prius ad limam, quàm ad lingvam veniant.*

Siquidem vel compoſitio, vel actio, vel ſententia quædam ad perfectionem ſummam pertigiſſet, ſi quod opus conſummatum, aut feliciter ad finem *Opus perfectum.* ſuum pertigiſſet, id *ad ungvem* usque dicebatur. Hoc proverbium ex eo originem traxit, quod ſculptores, cum in arte ſua imaginem quandam perfeciſſent, non tam oculo, quàm ungvibus palpare & experiri ſolebant, ſi opus vel ſciſſuram, vel defectum, vel correctione dignum aliquid, vel nodum, vel protuberantiam, vel ſinum gereret, quæ procedente tempore deteriorare illud potuiſſent. Ajebat Horatius: *In arte.*

- - - Fontejus ad ungvem
Factus homo.

Idem alibi.

- - - Carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coërcuit, atque
Perfectum decies non caſtigavit ad ungvem.

Saturnal. l. 1. Majorem huic authoritatem conciliat teſtimonium Macrobii: *Nec quisquam alius tam futilis poſſet eſſe judicii, qui Romani anni, ſic ad ungvem, ut ajunt, emendatum ordinem non probaret.* Plutarchus totum *De præcept. bona valetud.* hoc confirmat: *Itaque vehementer, exacteque obſervata dicitur victus ratio.* Quæ vox item ab Athenæo *lib. 7.* uſurpatur: *Porro ad ungvem explorans omnia, quæ congruunt iis, qui cum ſpinis diſputant.* Septimana non eſt, imo dies dixerim, in quo hic loquendi modus non occurrat. Perfectio autem cujusque rei, quæ ad ungvem facta dicitur, vera nutrix & alimentatrix univerſitatis eſt.

Conſvetudo ab infantia contracta. Actio item, vel conſvetudo, vel vitium, aut quidvis aliud à primis annis contractum, aut aſſumptum, his verbis exprimitur: *à teneris ungviculis:* quod tantundem eſt, ac à primis *incunabulis*, vel à primis *In Pſeudol.* pueritiæ rudimentis: Hoc dictum Plautus his verbis corroborat: *Sed hic ſervus Cariiſto, quid ſapit usque à cunabulis?* Metaphora ſuperioris parœmiæ deducta eſt à canibus, qui paulatim ungves indurant. Cui ſententiæ majorem authoritatem dedit Horatius, dum ait:

Et inceſtos Amores
De tenero meditatur ungve.

Concordat huic expreſſioni Plutarchus, dicendo: *Ut intrinſecus, quod dicitur, ab ungviculis ament liberos, hoc eſt à prima ſtatim infantia:* loquitur hic de matribus, quæ per ſemetipſas infantes ſuos lactant. Ab hac ætate quæcunque conſvetudo inoleverit, ad decrepitos annos usque perſeverat. Hinc Spiritus Sanctus ait: *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea.* Atque hic eſt Auſter, vel Aquilo, ab eodem Spiritu Sancto alibi in myſterio intellectus, cujus flatu ſiquidem novella arbor incurvata fuerit, tanto ſolidius radicatur.

Tritiſſimum proverbium eſt, & quod in ore adeo *Ex paucis multa concludere.* viliſſimæ gentis, puerorum, & muliercularum jam volitat, ſi quis ex minimo indicio majora concludat: *Ex ungve leonem:* Sive id ex habitu, ſive ex conſtitutione corporis, ſive ex rebus comeſtibilibus fiat, ſive ex negociorum circumſtantiis, aut quapiam alia re de actionis cujusdam judicetur eventu, dixerim id effectum ſummæ providentiæ, & conſummatæ prudentiæ eſſe. Pari modo de rebus minimis, per maximas argumentamur. Proverbium autem à Phydia eximio ſculptore natum volunt: de quo Lu- *In hæreſibus.* cianus meminit, quod viſo leonis ungve, molem ejus commenſuraverit, nec opinio eum fefellerit. Alcæum Philoſophum Plutarchus dicti hujus Authorem adducit, unde ſic inquit: *Non Alcæi more leo-* *In viri. Apolonii.* *nem ex ungvibus depingentes, hoc eſt, ex re minima maxima colligentes.* Ajebat Philaſtrotus homo tantæ eruditionis: *qualem ex ungve jam eſſe video.* S. Baſilius ad Philoſophum Maximum ſcribendo, hoc ei præceptum inculcat: *Animi imago vera eſt oratio:* *Lib. 3.* *proinde cognovimus te ex literis, non aliter, quàm Leonem, ut ajunt, ex ungvibus.* Hoc in corporibus ratione Mathematica fit, prout ait Vitruvius: hoc eſt, ut è minima parte menſurare poſſint, quid major contineat. Sicut Pythagoras proceram, elevatamque Herculis ſtaturam ex veſtigio pedis ejus impreſſo, in ſtadium à ſe compoſitum argumentatur. Sic per ſolum arteriæ pulſum Medices periti, de totius corporis ſtatu, vel ſanitate judicant. De ſola item Epiſtola Authoris ſe peritia prodit. Convenit memoratum proverbium, cum illo: *Cauda de vulpe teſtatur, & fimbria de texto indumento.* Calceus unicus ſufficit ad Rhodopes pulchritudinem declarandam, per quam tot Reges delirârunt. Sumptuoſum ſibi Hercules palatium exſtruxerat, cumque illud vendere cogitaſſet, unicam de hoc petram in vultu, pretioſam portabat. S. Paulus de mundi hujus decore vult, elevari mentem noſtram ad pulchritudines paradiſi. Optimum ergò dictum eſt: *Ex ungve Leonem.*

Ordiri actionem aliquam, aut enarrare rem pretii *Res frivolæ, & extra propoſitum.* nullius, & omnino frivolam, per ſequentia verba ſignificatur: *Ab ungvibus incipere:* quod idem eſt, propoſitum ac recenſere res, quæ extra propoſitum ſunt: Sic S. *In Ep. quadam.* Baſilius: *Ridiculum eſt, inquit, in ungvibus initium ſumere, ac non potius cum ipſis illorum capitibus colloqui.* Reprehenduntur item verbis præmemoratis illi, qui correptione facienda longis ambagibus uti ſolent, & donec rem ipſam pertingant, eousque ſe torquent, ut ſpacio, quod intercedit, temporis, ab una urbe

urbe ad alteram citius adferri nuntius poſſit. Inſtituti mei non eſt cujuſquam opus ; aut compoſitionem ſugillare : id nihilominus dico, eſſe inter Authores, quos fama publica commendat, eſſe item Prædicatores inclytos, qui quandoque ita à centro ſuo aberrant, ita in digreſſionibus ſuis implicantur, & ea quæ procul à propoſito ſunt, in medium adducunt, ut quàm longiſſime à primo argumento ſuo proficiſcantur. Qui error à præcipuis artis Magiſtris jure merito culpatur. Hiſce ego præſens Caput, quandoquidem proverbiorum nullum aliud occurrit, concludo, & ipſe quoque transgreſſionem facio ad

HISTORIAS, RITUS, OBSERVATIONES, ET CONSUETUDINES.

ETiam in his pauca admodum dicenda erunt, cum pars hæc corporis minima, & ignobilis pauca memoranda, & advertenda ſuggerat. Id ſolum dixero ab Horatio Vultejum Menam tubicinem quendam correptum eſſe, quod neglecto officio ſuo, interim ſibi ungves mundarit, & expoliverit.

- - - Vacua tonſoris in umbra
Cultello proprios purgabat leviter ungves.

Lib. 1. c. 10. Gellius de flamine quodam vel Sacerdote Diali inter antiquos refert, quod ungvium ſegmina ſubtus arborem collocare ſolitus ſit, atque hanc ei cærimoniam inter præcipuas fuiſſe. *Cap. 15. de ſubtilit. De hom. neceſſ. & form.* Recenſet Cardanus vidiſſe ſe hominem Joannem Petrum Boſiſum appellatum, artis ſuæ in patria mea arcularium, qui ætatem ſuam ad centeſimum uſque produxerat, qui nunquam nec in pedibus, nec manibus ſibi ungves præſcidiſſet.

Aulus Perſius ſagaciſſimus humanarum actionum imitator, de iis qui ſine debita advertentia, & lucubratione, ſcripta ſua edunt, cum elegantiſſima Hypotypoſi figuram quandam ob oculos poſuit, præſeferentem hominis incurii imaginem, tanto magis mirabilem, quanto artificioſius eſt, id unico verſu exprimere potuiſſe:

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungves.

Convenit hoc cum illo quod jam ſupra relatum eſt, dum in Hieroglyphicis hominem collocavimus, qui multa meditando, & ruminando ſimilis ſit radenti, *Theatr. Vit. hum. de Inſeri.* & mordenti ungves ſuos. Unde doctiſſimus Beierlinch ait, obſervaſſe ſe hunc geſtum in viris primariis, tamque eminentis Sapientiæ Univerſitatis Lovanienſis, cum aut ſtudiis immerſo, aut diſputando, & colloquendo intenti eſſent. Eadem conſvetudo jam *In Sermonib.* apud Venuſinum invaluerat, ait enim:

- - - Sed ille
Si forte hoc noſtrum fato dilapſus in ævum
Detereret ſibi multa, recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur, & in verſu faciendo
Sæpè caput ſcaberet, vivos & raderet ungves.

Quanto conſultius erat ſine ungvibus eſſe, atque interim ex altero latere perfectionem majorem in ſcribendo conſequi: in quo meipſum ego, tanquam primum omnium correptione dignum fateor. Quamvis in præſenti opere, non tam ad dictionis elegantiam applicare mentem ſtuduerim, quàm ut fidelis in verſionibus meis inveniar. Præcipuus enim ſcopus eſt, ut ſine fuco Lectorem erudiam.

PHYSIOGNOMIÆ.

DUm de conjecturis tracto, nullo pacto committam, ut à cauſis phyſicis & elementaribus recedam : ab his enim naturaliter complexionum effectus deducere, & argumenta ſumere licet : unde id quod huc collocandum erit, non niſi ad imagines has referendum eſt. Igitur ſecundum quod doctiſſimus vir Aldrovandus ſcripto dedit, qui de omni penè re tractavit, in omni eruditione & ſcientia verſatus, ungves largi, candidi, & rubicundi, virtutem digeſtivam bonam eſſe denotant, ſicut & humorum coctionem laudabilem, abundantiam item ſangvinis, perſonam apertam, pectus magnanimum : virtute & fortitudine robuſtum, & validum. Ungves longi, & anguſti in hominibus plerumque ſeveris, & crudelibus obſervati ſunt: forte quod abundantiam choleræ, & cordis inflexibilis ſignificant. Ungves obliqui, & in ſimilitudinem volucrum contorti, rapacitatem coarguunt, & imprudentiam: quamvis enim commoditas roſtri, hujuſcemodi hominibus deſit, in his tamen corporis partibus facultatem rapiendi habent. Ungves elevati, & candidi delicatis & imbecillibus attribuuntur, facultatem enim vegetativam infirmam eſſe coarguunt, proindeque complexionis teneritudinem, & membrorum mollitiem: quæ in ſexu muliebri communia ſunt, tum præſertim, cum à florida juventa ad maturiorem ætatem tranſeunt. Ab ungvibus lividis, ſubtilibus, & rubicundis, juxta præfatum Authorem, ſubtilitatem, & acumen ingenii argumentamur: ſicut ſi rotundi, & aſperi fuerint, hominem indicant ad luxum, ad vitam omnino mollem & delicatam proclivem. Si breves fuerint, malitiam, & duplicitatem denotant, caloris nimirum exceſſum, qui cum hominem inſatiabilem reddat, ita etiam ad præfata vitia compellit. Maculæ albæ, quæ ſæpius exoriuntur in ungvibus, nobilitatem generis, & compoſitos mores ſignificant; ſicut è contrario conſvetudinem auſteritatis, homines invidos, & male educatos. Sed de his paulò infra diffuſius ratiocinabimur.

Ungves largi, aperti, tenues, & candidi, ingenium optimum portendunt, bonitatem morum, idque ob rationem ſupra memoratam. Si longi & anguſti ſint, ſtoliditatem, & infirmitatem. Inflexi, & incurvati, imprudentiam, & animum furtivum. Siquidem his adjuncti fuerint digiti macilenti, cum in homine tali ſuccum bonum deeſſe arguant, ſic vicinam hecticam eſſe non obſcure docent. Ungves pallidi, nigri, aſperi, & rotundi, ſignum ſunt incontinentiæ, & ſenſualitatis, hominum corruptorum, & ad quemvis ſenſuum motum ad concupiſcentium proclivem.

Porro quod ungvium maculas concernit, novi quod cum avida curioſitate jam dudum me Lector præſtoletur, ut ſignificata earundem exponam: in quo nihilominus id mihi dicendum eſt, quamvis adeo ad conſcendendas ſphæras cæleſtes, & converſandum cum planetis facultas data eſſet, quorum influxus à deceptoribus in digitorum conſtitutione obſervantur, nollem eo curam & laborem impendere; in memetipſo enim experientia edoctus ſum, quam vanus ſit præſagiorum talium eventus, dum contrarios omnino effectus videre mihi licuit, ei, quod mihi blatero talis, quem auſcultare cum fiducia cœperam, prædixerat. Quod vero cauſas phyſicas attinet, dixerim maculas illas ungvium, excrementa, & fuligines cordis eſſe, ab exceſſu partium genericarum provenientes. Hinc ut ordine ratiocinemur, de macularum ſituatione examinandum eſt, utrum in ſuprema, aut media, aut infima ungvium parte conſiſtant: porrò in dextra ſint, an ſiniſtra manu: denique in quonam digitorum, his enim præſuppoſitis ſignificatio variat. Qualitates præterea conſiderandæ ſunt. Ut ſi macula candida ſit, ſi nigra, obſcura, rubea, & horum ſimilia: item ſi manifeſta, lucida, grandis, exigua. Candidæ bonum indicium ſunt, ab abundantia enim

enim ſangvinis proveniunt. Nigræ malum omen habent : claræ quod manifeſtum, obſcuræ, quæ obſcura ſunt indicant. Profunda negocia magni ponderis: ſuperficiales, & ſemilatentes, res nullius momenti.

Rurſum forma inſpicienda eſt, ſi angularis, ſi rotunda, aut linearis ſit. Rotunda cæteris perfectior eſt: angularis ſecundo loco cenſenda, linearis tertiò: macula quæ nebuloſa videtur, quartum & poſtremum locum obtinet. Si alba fuerit, inceptum opus felicem exitum habiturum eſſe inquiunt (in quo contrarium expertus ſum) ſi plana fuerit, & larga nullius rei indicium eſt. Si ad ungvis extremitatem macula pervenerit, effectum jam præteriiſſe denotat: hoc ſolum probabilitate non caret, eo enim loci pervenit, unde reſecanda eſt. Effectum rei tum potiſſimum cognoſci ajunt, cum ſignum in medio eſt, tanquam in centro ſuo. Sic in corona quoque res eventuræ præſagiuntur. Quæ in multos ramuſculos dividuntur, inconſtantiam arguunt, & inſtabilitatem operum: in ramis enim illis cogitata multa figurantur. Obſervatores inquiunt, ſignificationes prædictas ab alterationibus humorum deduci, atque ideo ſignum aliquod præbere quidem, cui certa fides adhibenda non ſit. Cum enim homo libertate arbitrii præditus ſit, liberum ei eſt independenter à quovis alio operibus ſuis incumbere. Dicta hæc ſint de qualitatibus elementaribus, quæ videntur hominem juxta proprietates ſuas ad operandum inclinare, quamvis verum ſit, quod magna illa Panari Muſa inquit.

Commendator Teſtius.

Æ riſoluto Cor, fa nè diſaſtri
Forze a le forze, e violenze a gliaſtri.

Ego vero in domos planetarum non ingredior, nec enim vidi unquam planetarum aliquem in domum meam ingredi: cum ergo nulla mihi cum iis conſvetudo ſit, & ignorem quo aſpectu, recto, an obliquo intuendi ſint, facile evenire poterit, ut in locum oculi benigni & propitii, luſcis oſculis me feriant. Itaque cum magno illo Moraliſta Alciato concludam: *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.*

EPITHETA.

EPithetum partus digniſſimus eſt intelligentiæ noſtræ: ſic magnus ille Comes Emanuel Theſaurus inquit : cujuſque enim objecti circumſtantias individuales, & ſenſibiles demonſtrat, non ſecus ac ſi oculis noſtris obverſantur, manuque ſe palpanda præberent. Authoritatem ſuper hæc Ovidii adducit, dicendo, mortuam hanc locutionem eſſe: *Sacerdos portabat ſacra caniſtris*: ſed reviviſcit ſenſus, ſi ita relatus fuerit:

Pura coronatis portabat ſacra caniſtris.

Ante oculos enim cærimonia apparet, *purificatos* fructus eſſe, caniſtrum autem *coronatum*. Horum autem adjunctorum alia propria ſunt, & plana, alia rurſum ingenioſa, & acuta. Illam quidem non niſi unicam, immediatamque notionem repræſentant: ita ut non magno labore ſtet intellectui, ut epithetum cum ſubſtantivo ſuo accopulet: ſicut illud: *frigidæ nives, thus odoratum, pallidus æger, niger Æthiops.* Hæ circumſtantiæ in deſcriptionibus evidentiam in objectis, & dulcedinem orationi adjungunt. Hucusque Author ille eruditiſſimus: Ex cujus verbis facile patet: quanti momenti, quantæ neceſſitatis in corpore orationis Epitheta ſint. Deſcendamus nunc ad ungvium materiem. Viam nobis ſternit Heroicæ majeſtatis Princeps Virgilius, ungves acutos vocans: *Et pedibus teneris ungves confixit acutos.* *In Cyr.* Horatius curvos appellat: *petamque vultus umbræ curvis ungvibus.* *In Epod.* Idem vivos: *Vivos & roderet ungves.* *Serm. 1.* Demorſos Perſius: *Nec pluteum cadit, nec demorſos ſapit ungves.* *1. Theb.* Cruentos Statius: *Nunc ora indigna cruento ungve ſecat.* Idem ferratos: *Ferratique ungves tenero ſub corde tepeſcunt.* Avidos dixit Ovidius: *Avidoſque timet, quibus hæſerat ungves.* *Lib. 6. Metamorph.* Idem hamatos: *Hamatiſque viri laniaverat ungvibus ora.* Item aduncos: *Bella gerunt roſtris, & aduncis ungvibus iras.* Adhuc idem rigidos: *Et rigido ſectas invenit ungve genas.* Item rigentes: *Et reſecat madidas ungve rigente genas.* Statius recurvos appellat: *Ora recurvo ungve ſecat.* Idem ſtrictos: *Et ſtrictis ungvibus inſtant.* Uncos Valerius Flaccus: *Quodque ungvibus excidit uncis.* Violentos Pontanus: *Seu violentis ungvibus urſus.* Idem horridos: *Atque hinc horrido colonus ungve.* Rotundi à Thoma Rad vocantur: *Rotundi ungves, & aſperi in Epheſiis manibus.* Ab eodem candidi: *Ungves habens candidos, planos, molliculos, ſubtiles.* Lunati à Politiano: *Sordida lunato prominet ungve manus.* Tenelli ab eodem: *Quos à tenellis ungvibus mecum tibi circumdedit.* Falcatos Codrus: *Quamprimum nido falcatis ungvibus ales confidens.* Nitidos Strozzius: *Humentem nitido ſubſecat ungve roſam.* Mirandulanus crudos: *Ingemit, & crudis ungvibus ora ſecat.* Vulnificos Manto: *Vulnificos armatis ungvibus apros.* Severos Perſius: *Ut per leve ſeveros effundat junctura ungves.* Teneros Propertius: *Quæ modo decerpens tenero pueriliter ungve.* His multo copioſiora, mi Lector inventurus es, prout tibi illa ſuggerent, aut Metaphoræ, aut proprietates, aut occaſio quævis; aut denique intellectus tui dives aurifodina.

DE UNGVULA ALCIS.

IN hoc loco conſvetus naturæ ordo interrumpitur, & contraria accidunt : id quod correctione, & reparatione indiget, potius ad correctionem, & reparationem ſervit. Ungula enim, utpote pars corporis nulli ſenſui ſubjecta, nec proinde alterationi, aut dolori, medicamento non indiget. Nihilominus eadem ungvula Animalis cujuſdam Sylveſtris, id quod in ſe non continet, alii adminiſtrat, ſenſus enim hominis, & ſanitatem corporis humani miro modo adjuvat, cum alioquin excrementum ſit inutile, De ungvula Alcis loquor, aut Onagri, vel, ut quidam, Aſini ſylveſtris. Novit Lector quod hactenus de ſignaturis herbarum tractare ſolitus ſim, qua ratione in humanis membris ſibi ſimilibus medicentur. Cum ergò hic de ungvibus tractare cœperim, officio meo defuiſſe arbitrarer, ſiquidem ungvulæ tam eximiæ, tamque pretioſæ non meminiſſem. E copioſiſſima illa præfati animalis deſcriptione ejuſdemque diffuſa narratione, quam Aldrovandus continet, pauciſſima in compendio allaturus ſum, ſi quis horum lector ampliora pro utilitate ſua deſiderat, authorem memoratum, ſi placuerit, conſulat.

Lib. de Biſulc. de Alce. Pauſanias refert hoc Animal potiſſimum in Celtarum regionibus naſci, cujus forma Cervo, & Camelo non diſſimilis ſit. Prout experientia dedit bellua ſagaciſſima eſt, unde etiam procul hominem odoratu præſentit, atque ab eo ſe velociſſimo curſu (quo celerrimis pardis, & capreolis non cedit) ſolet abripere. Venatores dum eidem inſidias parant, per circuitum mille ſtadia occupant, illic nimirum, ubi feram eſſe autumant, ſpacium illud includendo. Celtarum regio, nunc Germania ſeptemtrionalis eſt, ubi fera hæc naſcitur. Julius Cæſar in Commentariis ſuis ſylvam Herciniam his repletam inquit. Quædam earum ſimilem capræ formam gerunt, niſi quod pilum habent per corpus univerſum variegatum. Earum tibiæ pedum ſine articulo ſunt, unde tanta eis eſt in curſu velocitas. Nunquam humi cumbunt. Si quis caſus dejecerit, levare ſe nequeunt. Incumbunt autem, Elephantorum more, arboribus feſſæ: unde venatorum ſtratagemate arbor, cui ſic incubuiſſe annotatur, media ſecatur; quo fit ut mole ſua una cum ruente arbore & ipſa cadat, ac ſic inſidiantium præda fiat. Julius Capitolinus recenſet eorum animalium decem tempore Julii Cæſaris Romam conducta fuiſſe.

Plinius Author eſt, quod *ſeptentrio Alcem ferat, & ni proceritas aurium, & cervicis diſtingvat, jumento ſimilem.* Sic in Pen-Inſula Scandinavia duas apparuiſſe tam monſtruoſæ magnitudinis, ut temporibus illis, nunquam ſimile viſum fuerit. Labrum eorum ſupernum foras-prominet, unde illud paſcendo retrahunt, ne inferius offendatur. Idem Solinus confirmat. Quibus addit Rambertus Dodonæus: *Gerit ſub mento carnis globum ad palmæ magnitudinem capilloſum: craſſitudinem pro equini pulli cauda habentem.*

Biſons. Scaliger. Olaus Magnus. Eraſmus Stella. Præter nomina jam adducta Scaliger authumat, hoc animal Biſontis nomine vocari poſſe. Geminum eſt, maſculus, & fæmina. Olaus Magnus nomen Onagri potiſſimum ei tribuit. Eraſmus Stella naturam ejus ſic exponit: *Alceæ autem quaſi medium genus inter equos, & cervos cornua quotannis amittit, & propter timiditatem gregarium eſt.* Qualitercunque id ſit, *Leunus Lemnius De ocultis naturæ miraculis.* Leunus Lemnius de Alce Cæſaris ſic habet: *Ipſius ungvulam præſentanea vi pollere adverſus morbum comitialem.* Hæc ungvula à Moſcovitis *Lozzos* appellatur, à Germanis *Elendsclaro*, ſicut & *Elch*: ab Illiricis *Los*, à Polonis *Puvod*. Virtus ejus (ſic inter alios Geſnerus refert) in hoc obſervata fuit, quod ſæpius animal hoc comitiali morbo opprimitur, & percutitur, quo utique in terram caderet, ſed dum id advertit, continuo poſteriori dextro pede levato, ſibi capitis arteriam pulſumque tangit, & ſymptoma illud noxium evaneſcit. Miſeram item animalis hujus conſtitutionem deſcribunt, propter nimiam humorum abundantiam, & incredibilem pavorem hominum: quod item minimo vulnere intereat.

Ungvula ejus bipartita, & duriſſima eſt, unde annuli formantur, aliæque hujuſcemodi quiſquiliæ, ſed quæ inſolitam duritiem habent. Color pellis ſubcinericius eſt: ita ut videatur natura hujuſcemodi virtutem ſub cineribus voluiſſe occulere. Cornua ſua jactat, ut cervus: collum ejus oblongis ſetis quibusdam decoratum eſt. Crines item habet ſubtus maxillas, altius mento, dependentes. Femella more Camelorum gibboſa eſt, cornibus caret. *Lib. 10. de ſubtilitate.* Cuncta hæc de Cardano mutuata ſunt. Corde, & cerebro frigidiſſum animal eſt, pituita ſuperabundans, qua fit ut morbo præmemorato obnoxium ſit, qui mediante calore per exceſſivam vaporis pituitoſi attractionem progignitur. Cornua ejus craſſiora in fundo ſunt: in ſummitate largâ: apud Dacos non niſi *magna Beſtia* nominatur.

Quidam volunt has differentias ultimas animal illud ab Alce diſtingvere, dicendo hanç non majorem eſſe capra, & veram eſſe ungvulam ab hac ultima. Quod ego nihilominus, utrumque demum ſit, peritiorum indagini diſcutiendum relinquo. Caput ſi reliquo corpori æquiparetur, admodum gracile & ſubtile eſt: multique ajunt colorem pellis ejus cum temporibus anni variare: quandoque in albedinem, quandoque in ſubobſcurum degenerare: pro humorum videlicet diſpoſitione. Ob longitudinem labii ſuperioris in paſcendo neceſſe habet, ut retrogradè incedat. Aures oblongas habet, & ultra menſuram largas: non ſecus ac jumentorum noſtrorum aliquod. Dentes ei non admodum prolixi.

Complures cornua Alces ponderarunt, & ad libras duodecim inventæ ſunt: mutantur autem more cervorum pro temporum varietate. Strabo memoriæ tradidit Alcen ſubmento maſſam carnis gerere, de qua villi dependeant non modicæ longitudinis: id quod Geſnerus confirmat. Per armenta non ſecus ac cervi ſylvas & montana peragrant; unde à venatoribus ſagittatis indagantur. Quandoque à muſtelis mordentur, quo vulnere dum ſangvinem omnem effundunt, moriuntur. In fugiendo, & in laboribus tolerantiſſimæ ſunt: traditur enim, aliquot eas diebus ſine omni alimento iter peregiſſe. Omnis earum virtus in dextri pedis anterioris ungvula eſt: in qua tantum valent, ut non ſolum percutiant, ſed multas adeo feras occidant. Viſum nonnunquam, ait Eraſmus Stella, ut cum in arctum compulſæ eſſent, & lupos, & canes, & Venatores morti dederint. Unde etiam ii, qui huic venationi vacant, præcavere ab hujuſcemodi percuſſione norunt. Solent dimicare ferociter cum lupis, idque in locis, ubi prævalere poſſe confidunt, in congelatis nimirum nivibus, ubi pondere corporis, & ungvulæ duritie firmiter conſiſtunt, lupi vero ob levitatem corporis, ungviumque teneritudinem, facile gliſcunt, & vincuntur: alioquin infelix luporum præda futuræ. Sic provida rerum natura cuique animantium de aſylo ſecuritatis providit. Hujus relationis Author eſt Olaus Magnus. Sveci potiſſimum earum carne ſalſa veſcuntur: paucique ſunt, qui recentem manducent, ob nimiam ejus humiditatem, & eundem penè cum carne noſtra porcina uſum obſervant.

Ut vero etiam aliquando de medicamine eorum ratiocinari exordiar, Ariſtotelis opinio eſt (viri, qui de omnibus ſcripſit) *3. Parte de Animal.* Epilepticis ſalutarem eſſe raſuram cornuum ejus, æque ac pedum ungvulam. Volunt autem has non niſi medio Auguſti, usque ad Septembris medium tolli debere: nec obſervationem illam vanam volunt, aut ſuperſtitioſam: ajunt enim eo tempore feram ſuperabundare humoribus, & ad generationem procliviorem eſſe: arbitrantur item in illa anni tempeſtate perfectiſſimæ ſanitatis eſſe, ſpiritumque, & virtutem in ea parte magis turgidum & validum: ideoque qualitatem ejus & firmiorem, & ſalubrius diſpoſitam. Doctiſſimus Matthiolus item docet, eo anni tempore radices extrahendas eſſe, unde ſucci eliciantur. Nec vero nervi prædicti animalis virtute ſua carent, Aldrovandus enim diſertiſſimus recenſet, noviſſe ſe complures ex ſuccia ſpaſmo laborantes, cum nervos Alces affectæ parti circumdediſſent,

dediſſent, curatos, & cum eodem remedio diutius uſi eſſent, omninò liberatos fuiſſe. Quod vero ungvulam attinet, cujus intuitu potiſſimum hæc ſcripta ſunt, præfatus author ait, tantæ eam virtutis eſſe, & potentiæ, ut transalpinæ regiones omnes Germaniæ & Poloniæ, præſertim Sveci, & Pruſſi huic ungvulæ Comitialis morbi, vel Epilepſiæ curationem attribuant. Subjungit idem author: *Ut incantamento ſimile quid facere videantur: nec mirum, cùm hoc animal eo morbo laborare ſæpius, & remedium ſecum portare certum ſit. Verum hoc admiratione dignum eſt, hunc ungvem non tantùm therapeuticum eſſe, ſed etiam prophylacticum: non enim ſolùm factam Epilepſiam curat, ſed futuram etiam prohibet: quod ego vix crederem, niſi ipſa me docuiſſet experientia. Non enim veriſimile videbatur hujus ungvis facultate, à morbo præſervari quicquam aliud poſſe, cùm animal, cujus eſt ungvis, ſeipſum non poſſit.* Multo de his latius Author diſputat, ad quem Lector remittitur, ſiquidem majorem inde eruditionem deſiderat. Addit his ſalubre remedium eſſe pro hiſtericis vel uterinis paſſionibus. *Non omittendum eſt* (inquit) *hoc eodem ungve hyſtericam paſſionem removeri, & remotam arceri.* Nec tamen hic virtutes ejus terminantur, ſed cum de ſimilitudinibus tractat, concludit: *Eodem appoſito membris corrèſpondentibus lieni, ſuccurritur multis affectibus cordis.*

Quod modum, tempusque concernit, quibus morbo regio per hunc ungvem ſuccurratur, neceſſarium erit huc adducere, & facilitatem applicationis, ejusdemque debitum uſum. In quo peropportunà multumque fundata eſt Olai Magni authoritas, *Olaus Magnus.* qui ait: *Ungvula exterior dextri lateris poſterioris pedis onagri maſculi, qui non genuit, abſciſſa à vivo pede ſecuri, vel alio inſtrumento avulſa poſt medium menſis Auguſti, ſpaſmum aut morbum caducum patienti adhibita, continuò ſanat.* Arduæ hæ conditiones ſunt: ſupra quas Aldrovandus, ſæpius citatus infert, quod ſi omnes omnino obſervandæ eſſent, non minus rarum futurum perfectam inveniri ungvulam, quam fuit Jaſoni Heroi, tum cum pro vellere aureo acquirendo laboravit. Unde ſic concludit: ſufficere eam de animalis vivi pede ſecare. Si nihilominus præfatæ conditiones habere in promptu eſſet, non negligendas: verum tamen eſt in omni eas tempore abſcindi poſſe, cum in omni tempore ad medendum memorato morbo validæ ſint.

Non levis interim difficultas eſt, quæ ab incredulis contra ipſam adeo experientiam objectari poterit: hoc eſt, qua ratione unquam fieri poſſit, ut non ſolum verum, ſed vero ſimile ſit, excrementum hoc animalis, partemque omnino mortuam, contrariam huic morbo eſſe, quo ipſum animal laborat? ſuppoſito item, quod vivo animali ſuccurrat, idque emendet, pars proinde mortua, quid adjumenti allatura ſit? Dubium illud grave eſſet, & prima ſui fronte propemodum inſolubile, niſi ratio & experientia in contrarium militarent, & evidentiam rei ob oculos ponerent. Itaque obſervatori præfato multum etiam mentem occupat, dum ait: *Hoc argumentum ſanè validum eſt, ſed non omni ex parte verum, & neceſſarium.* Hinc ſapienter objecta diſcutit, & contraria experimento longinquo eſſe demonſtrat. Inter alia teſtimonium adfert de hepate canis rabidi, deque pilo ejusdem, quæ utraque ſi manducanda dentur homini à cane hujuſcemodi læſo, ſanitati eum reſtituunt, & malo alioquin immedicabili medentur. Petra item è renibus hominis extracta, ſi primum calcinata fuerit, remedium eſt, ad expellendos calculos renum, ſiquidem laborans eam per potionem ſumpſerit: nihilominus communis ratio perſvadere potuiſſet, petram petræ conjunctam, augmentum malo allaturam. Oleum in quo ſcorpio ſuffocatus eſt, contra morſum ejus prævalida medicina eſt. Volunt Phyſici, quod ſi quis à Crocodilo morſus fuerit, etiam ſi ſe belluæ vivus ſubtraxerit, ex hoc vulnere eum vitam nihilominus prorogare non poſſe, niſi forte hujus animalis adipe curetur. Sic ajunt ſi quis per araneum muralem læſus fuerit, ſiquidem araneum eundem ſupra vulnus compreſſerit, ſanitatem conſecuturam eſſe. Sic item vipera ſi in fruſta diſciſſa, ei parti, quam feriendo ſauciavit, applicata fuerit, ajunt, morti ſubripere. Petra chelidonia de ventre vivo hyrundinum tracta melancholicis, inquiunt, optimum medicamen eſſe; ſic Albertus Magnus docet, ſic Plinius, & alii. Hæ virtutes Sympathicæ ſunt, & Antipathicæ, quarum operatio naturalis eſt, quamvis ſæpe effectus ſupra naturæ curſum eſſe videri poſſit: eo quod inſoliti ſint, atque idcirco miraculo & portento conformes, iis nimirum, quibus ignoti ſunt. Experimento didicimus tympanum è pelle urſi, aut lupi factum fugare equos, & oves. Conſumuntur ab aquilarum pennis pennæ aliæ: & à pelle leonis, pelles aliæ. Poſt has aliasque ratiocinationes tandem Author ſic finit: *facultas igitur illa ungvium, quæ Epilepſiam auffert, aut eſt quid materiale, ſive corporeum, aut quid ſpirituale, ſive aëreum: ſi materiale eſt, illud remanebit in ungvibus quovis modo præſciſſis: ſi ſpirituale, eodem modo prodibit ex ungve tam mortui, quàm vivi animalis. Quare in neutro remanebit, ſi in aliquo non remanebit. Ergo illud materiale eſt: & ſi hujusmodi, ergò in utrovis modo præſciſo permanebit virtus.*

Hoc ſuppoſito, ſi quis miſerorum, inquit, in hunc morbum inciderit, & fruſtum ungvulæ hujus annulari digito ſiniſtræ manus applicitum fuerit (qui digitus admirabilem creditur habere cum corde analogiam) futurum eſſe, ut tanquam de altiſſimo ſomno evigilet, & ſublevetur, & absque omni deinceps ulteriori ſymptomate functionibus conſvetis vacet. Ejusdem virtutis ait annulum de hoc ungve formatum, & præmemorato loco applicatum. Idem erit ſi fragmentum ungulæ hujus, fortiter digitis verſus palmam incurvatis, manu læva compreſſum fuerit. Adhuc eadem erit operatio, ſiquidem pars ejusdem ſiniſtræ auri leviter inſerta fuerit. Hujus enim virtute ſympathica materia illa craſſa, quæ cerebrum opprimebat, à corde expellitur. Præfatus ille Proto Medicus tam famoſus teſtatur ſe raſuram ungvulæ hujus applicuiſſe pueris Epilepticis, cum felici ſucceſſu, idque in aqua de liliis deſtillata.

Non ordinarium item adjumentum adfert præfocationibus uterinis, ſicut idem author teſtatur ſe multoties expertum; dediſſe autem in liquore proportionato, cui portio Zedoaria conveniens immixta fuerit. Adjungit Medicos Pruſſenos hoc medicamine non ſolum ad curandam paſſionem memoratam uti, ſed pro Epilepticis quoque. Itaque magnopere ſvadet, ut ad præſervandam ſanitatem, ungvula hæc continuò portetur. Quod modum attinet, docet fieri poſſe aut in annulo, prout dictum eſt, aut ſi filo alligetur auriculæ (ſic à primis Medicis Bononiæ amantiſſimæ matri meæ præſcriptum vidi, quæ videlicet ætatis ſuæ annis poſtremis vertigine tenebroſa opprimebatur, quæ poſthæc in malum peſſimum degeneravit, quod mihi verè apoplecticum fuiſſe dixerim:)

Poterit etiam fragmentum quoddam ungvulæ ſubtus annulum portari, ita ut præfatum digitum contingat. Quidam nobis commendant, ut collo una cum radice pœonia ſuſpendatur, ita tamen ut regioni cordis appropinquet. Hinc apud Pruſſos conſvetudo eſt, ut multis monilibus utantur, quæ à collo ſuſpendeant. Atque ita fit ut malis uterinis, jam memoratis, medeantur. Idem author aſſeverat ſe ſanitatem integram matronæ cuidam reſtituiſſe, quæ nihilominus graviter admodum morbo illo afflictabatur.

Si quis etiam (proſequitur author) me interroget, qua facultate hæ partes animalis operentur, ſi per primas, aut ſi per ſecundas qualitates, aut per totam ſubſtantiam, quæ proprietas appellatur occulta, aut vero per formam ſpecificam: reſpondebo operari eas per ſubſtantiam totam, non per qualitates primas, cum frigidæ ſint, & ſiccæ: propter quod participationem nullam poſſunt porrigere: minus adhuc per qualitates ſecundas: cum enim oſſeæ ſint, nec activitatem habent, nec ſpiritum. Itaque ſecundum univerſam ſubſtantiam ſuam operantur: unde compoſitio & commixtio talium ſuccorum reſultat, aſſumendo qualitates illas, formasque ſpecificas, quibus malum, morbusque noxius eradicatur.

Denique cum vir ille prudentiſſimus abunde ratiocinatus eſſet, tandem ſic concludit: *Ut autem antea dictis adhibeatur fides, ſciant omnes me hæc omnia, quæ ſcripſi, à probatiſſimis viris Medicis, & ab aliis non vulgaris famæ, ac doctrinæ prius accepta, partim à multis experimentis cum felici ſucceſſu comprobaſſe, partim comprobata ab aliis audiviſſe.* Sic enimvero verbis his id quod ſupra relatum eſt, corroborat. De cætero non incongruum fuerit elegans illud acutumque Epigramma Andreæ Alciatis in *Origine damus ſuæ* huc collocare, cui pro ſententia morali hæc verba ſubjunxit: *Nunquam procraſtinandum:* Exhibet autem prædictum animal velociſſimo curſu evadens, & deinceps ſic ait:

Alciatæ gentis inſignia ſuſtinet Alce
Ungvibus - - - -
Conſtat Alexandrum ſic reſpondiſſe roganti,
Qui tot obiviſſet tempore geſta brevi:
Nunquam, inquit, differre volens: quod & indicat Alce,
Fortior hæc dubites, ocyor anne ſiet.

Celeritas in omni vitæ actione nemo dubitat quin proficua ſit, quippe quæ opportunitatem obſervat, & negocia ad expeditum finem perducit: Unde etiam de præmemorato Alexandro legitur, quod homines inſtituerit, qui curſu velocitatem equorum imitabantur, quos data occaſione aliò ablegabat. Camerarius Emblema aliud poſteritati dedit, ubi pariter hujus Feræ mentionem habet, juncta Epigraphe: *Et infima proſunt.* Verſus autem huic ſequentes adjungit:

Vilior haud pars eſt Alcis, nec dignior ungve:
Ergo etiam parvis gratia magna data eſt.

Hoc univerſum ſequenti Ode exprimitur, quæ finis hujus tractatus erit, laus autem eſt

Ungvium.

Parti, ſe ben minute eſſer moſtrate,
Non di minima parte è l' opra veſtra:
Stella dal Ciel, che un punto a noi ſi moſtra,
Ha d' influſſi vital virtu pregiate,
Da l' eterno Fattor non ſono oprate
Le Coſe a ſorte: e picciol conca inoſtra
Di regio manto la purpurea moſtra:
E ſa un verme filar ſete dorate.
Di minuto granello, oh qual giocondo
Provida la Natura util ridona:
Onde fa d' ampie meſſi il ſuol fecondo.

COR.

Anatomia.

PEr profundum humanarum partium mare in navigatione mea tandem ad regionem & litus maxime nobile, ad miraculum maxime ſublime, ad perfectiſſimum ſimulacrorum omnium, quotquot hactenus deſcripta, vel inpoſterum deſcribenda ſunt appulimus. Cor etenim primum vivens, ultimumque eſt moriens. Cor humanum eſt, quo aliud magis portentoſum mundus non habet: in vaſe enim anguſto, immenſitatem rerum continet. Hoc præcipua animæ ſedes eſt, domicilium vitæ, fons ſangvinis, culina foci inextincti: cujus virtute reliquæ partes univerſæ vigorem ſuum conſequuntur: hoc deficiente, reliquæ cunctæ deficiunt. Si in libros Anatomices, quotquot hactenus de hoc viſcere prodierunt, ſi in exercitationes aſceticas, & diſputationes ſcholaſticas, me ingerere vellem: neceſſe mihi foret poſtpoſita quavis alia materie, de hac ſola immenſum volumen adimplere. Sed cum tale mihi onus numeris meis non impoſuerim, imo vero pro utilitate virorum doctorum, hominumque curioſorum Pharum luminis mei, hoc eſt Andream Laurentium proponam, qui vir non ſecus ac luminoſa illa turris in navigatione mea literaria mihi prælucet, compendioſo examine eum tractum, easque regiones percurram, quas præcipuas videro; ſolo hoc Euripo contentus & incluſus, cum periculoſum ſit litus univerſum pro vaſtitate ſua radere. Imitabor in hoc Geographicos ſcriptores, qui paucis lineis ſpacioſiſſimum terræ ambitum deſcribunt.

Itaque operæ pretium inprimis erit referre, in corpore humano partem nullam eſſe, quæ tantopere neceſſaria ſit, ut Cor noſtrum eſt. Hoc enim principium, & officina eorum ſpirituum eſt, de quibus vita noſtra derivat, & unde vitales omnes operationes noſtræ naſcuntur. Idcirco etiam à magno Ariſtotele *primum viventis & ultimum morientis* nominatur. In hunc finem à provida & prudente natura hic ſol exiguus in medio microcoſmi collocatus fuit, in cavitate nimirum thoracis, ut æquali dimenſione per partes univerſas benignos influxus ſuos transmittat, &, ut ita dixerim, vitales radios ſuos quaquaverſum disjiciat. Id quod ei facile eſt exequi, mediantibus arteriis, quæ non ſecus ac canales quidam, ductusque ſpiritoſi ſangvinis, in ramos ſuos diſtentæ, per totum corpus cum beneficentia diſcurrunt.

Thorax igitur, aut venter ille vel cavitas dici poterit,

rit ſedes, habitaculum, & Regia Monarchæ hujus, cordis inquam eſſe. Hoc ejus receptaculum, in ſuperiore ſui parte circumſcribitur undequaque à claviculis per dorſum, coſtas, pectus, & diaphragma, muſculo ſat nobili, qui præterquam quod inſtrumentum principale ſit reſpirationis, item quod expulſionem fæcum communium promoveat, inſuper & ventrem ſuperiorem, à ventre inferiori, & inteſtinis disjungit. In hac cavitate igitur, hoc eſt in meditullio thoracis cor hominis concluditur. Circumdatur pericardio: membranâ quæ ſubſtantiæ nervoſæ eſt, ſolidæ, & duræ, & quæ originem ſuam trahit à capite, ant ab ipſa cordis palpitatione, & agitatione, cum cæteræ membranæ omnes, quæ in hoc ſinu reperiuntur, pleuram pro matre ſua agnoſcant, à qua nimirum derivantur. Figura pericardii, non diſſimilis cordi eſt, idcirco etiam ab Anatomicis *Involucrum, & capſula cordis* nominatur: verum nihilominus eſt, quod pericardium corde majus ſit, ab eodem diſtantiâ quadam elongatum, atque ideo neceſſe eſt, ut à corde ſeparatum ſit, tanto videlicet intervallo, quanto ad pulſationem cordis requirebatur.

Interim, *ne quid fruſtra conditum videretur* ſagaciſſima & providiſſima Natura, intra ſpacium & vacuitatem hanc, humorem quendam ſubtilem, aqueumque concluſit, prout docet Hippocrates, quem etiam manifeſte Anatomici in diſſectione animalium animadvertunt. Hic humor, non ſecus ac ſalubri rore cor ipſum humectat, & ab illa aduſtione præſervat, quam inevitabiliter proprius ejus calor, intenſusque ardor efficeret. Prout etiam hujus aquæ defectus maraſmum, hoc eſt extenuationem, & ſiccitatem totius corporis, vel hecticam perfectam producit. Cor in medio pericardii per modum pyramidis erectum eſt, cujus baſis ſub oſſe pectoris circa quintam circiter coſtam collocatur: ſed cuſpis ejus, aut vertex, verſus partem thoracis anteriorem elevatur, idque nonnihil ſub mamilla ſiniſtra, ubi ſat notabilis ſentiri pulſus contactu poteſt. In hoc loco antiquitus Medices periti explorare pulſum langventium motumque cordis conſveverant: quamvis hodie ſic ſvadente modeſtia, non niſi brachium tangatur. Subſtantia cordis carnoſa eſt, denſa admodum, ſolida, firma, & vix diviſibilis. Prout fervidus, & ardens calor ejus naturalis requirebat, ſicut item indefeſſa ejus agitatio, motusque continuus. Nec tamen ulla ratione hic motus in arbitrio ſtat voluntatis: manifeſtum ex hoc eſt, cor muſculum non eſſe, nec compoſitum è muſculis. Continet quidem in ſe ex omni genere fibrarum, quarum quædam rectæ, quædam transverſæ, quædam obliquæ ſunt, ad attrahendum, retinendum, & expellendum fabricatæ: cumque ſubſtantia ejus talis ſit, qualem deſcripſimus, mirum non eſt, ſi poſthæc ſangvine craſſo nutriatur, eoque nondum ad ſubtilitatem redacto, ſed noviter præparato, quem de vena cava recipit, antequam ſe in cordis dextrum inſerat ventriculum. Nec hic prætereundum, animalia quæ cor majuſculum habent, naturâ ſuâ timidiora eſſe, viliora magisque abjecta. In aliis parva, & mediocris magnitudo eſt. Si tamen Ariſtoteli fides adhibenda eſt; cor humanum inter omnia cæterorum animalium corda maximum eſt. Id verò, quod Ægyptii de magnitudine, & incremento cordis tradunt, falſum eſt, quantum quidem ad Anatomices peritiam attinet, quamvis myſtica ſignificatio vera ſit. Temperamentum ejus in qualitate prima calidiſſimum inter cætera viſcera eſt: ſed in paſſiva humidius cute eſt, & omnium viſcerum ſicciſſimum.

Patent in corde ventriculi, aut ſinus, aut cavitates duæ: ventriculus dexter, & ſiniſter. Dexter non tam concavus eſt, involucrum admodum ſubtile habens: continet in ſe ſangvinem craſſum, denſumque, quantitatem videlicet ad nutriendos pulmones ſufficientem; qui pulmones velatrum, vel flabellum ſunt, ad refrigerandum cordis ardores & incendium. Ventriculus ſiniſter vicinus eſt cuſpidi, vel vertici cordis, cujus item involucrum ſolidius, & firmius eſt: recludit enim in ſe ſangvinem magis ſpiritoſum & ſubtilem: cujus proprium eſt motus impetuoſos producere, cujus porro generatio, & elaboratio ipſi cordi attribuitur. Atque hic eſt ille ſpiritus vitalis, & principale inſtrumentum animæ, à quo vita noſtra dependet. In utroque ventriculo obſervantur canales & vaſa: hoc eſt in dextera, inſertus videtur ramus quamvis admodum brevis de vena cava: de eodem rurſum alia vena naſcitur, dicta arterioſa, eo quod membrana duplici in ſimilitudinem arteriarum compoſita ſit. Hæc ſangvinem jam præparatum, magisque in eodem dextro ventriculo purificatum ad pulmones ſingulariter defert. Ideoque natura talem ejus ſtructuram adaptavit, eique membranam talem circumdedit, ut tanto ſecurius ſangvinem tam ſpiritoſum ad pulmones portaret. In ſiniſtro ventriculo canalem, aut vas inſeruit, quod de pulmonibus provenit, quippe quod tanquam materia proxima ad generationem ſpirituum inſervire debeat, quæ ab Anatomicis arteria venoſa appellatur, cum non niſi tunica una ad ſimilitudinem venarum aliarum compoſita ſit. Ab eodem ventriculo arteria item major enaſcitur, quæ ramis ſuis per univerſum corpus diffunditur: quæ in ſe præmemoratum vitalem ſpiritum à corde ſuſcipit, quem deinceps mediantibus ramis ſuis ad quamvis humani corporis partem conducit.

Præter hæc vaſa quatuor jam deſcripta, in ſubſtantia cordis adhuc venæ, arteriæ, & nervi alii comparent. Quarum illæ quidem alimentum cordi adminiſtrant, arteriæ ſpiritum vitalem præbent. Vena ab Anatomicis coronaria dicitur: nec ſine congrua ſimilitudine: cingit enim cor, tanquam corona, totamque cordis baſin circumambit. Ramuſculos ſuos circumquaque diffundit, qui nihilominus in parte læva numeroſiores ſunt, & magis conſpicui. Cum enim hæc pars denſior ſit, & ſolidior, multo majori ſangvinis copia indiget. Ab altera parte, vena hæc plerumque ſimplex eſt, rariſſime duplex. E contrario arteriæ, item coronariæ dictæ, quæ per baſim ejus diſcurrunt, quarum duæ ut plurimum ſunt. Porro nervi, quos de conjugatione tertia recipit, exigui admodum ſunt, nec multitudine eorum opus eſt, cum motus cordis nec animalis, nec voluntarius ſit, quamvis naturalis. Univerſum hoc viſcus cordis propria membrana ſua circumdatum eſt, quæ ſubſtantiam ejus & ſtabiliorem & firmiorem reddit.

Denique ſuperfices cordis propemodum univerſa pingvedine copioſa componitur; in quo benevolus Lector comprehendere, imo vero admirari poterit naturæ providentiam, quæ in corpore tam calido, contra proprias leges ſuas tam abundantem producere pingvedinem potuit: quamvis non immeritò majorem tibi procurare admirationem debeant particulæ, quæ in quatuor ſupra memoratis vaſis continentur. Copioſæ, ſingulares, & miræ res ſunt, quas hic Anatomici referunt; ſed ſi fundum earum brevi calami tractu tangere confiderem, vanum me jure merito quis dixerit: hinc ſicut alibi, non niſi id quod maxime eſſentiale mihi viſum fuerit, tanquam in tranſitu quodam, allaturus ſum. Valvulæ, vel parva oſtia vocantur, per quæ

vitales regiasque potentias ſuas cor transmittit: quæ porro à Natura idcirco ordinatæ ſunt, ut quod in cor immittitur, in eas valvulas improvisò cadat, & transcurrat: alioquin motus cordis irritus, vel fruſtraneus futurus eſſet. Hæ valvulæ numero undecim ſunt: tres in unoquoque vaſis orificio naſcuntur, duæ de arteria venoſa, quæ ab intro clauſæ animadvertuntur, atque hæ materiam cordi intro ducunt. Aliæ rurſum introrſum verſus apertæ ſunt, foris clauſæ, quæ ad expellendam materiem inſerviunt. Dotantur hæ valvulæ fibris innumeris, lacertoſis, & carneis: reponuntur autem in profunda cordis cuſpide, nec diſſimilem triangulari cuſpidi formam componunt, unde etiam triſulcæ: vel tricuſpides appellantur. Cæteræ figuram ſemicircularem, aut lunæ falcatæ referunt. In orificio venæ cavæ tres valvulæ ſunt, foris apertæ, intus clauſæ, quæ ſangvinem in dextrum cordis ſinum intromittunt, quæ tricuſpides ſunt, & ſangvinem intromiſſum prohibent, ne rurſum in venam cavam relabatur. Totidem in orificio venæ arterioſæ ſunt, intus apertæ, foris clauſæ; quæ videlicet, dum ſangvis ſuperabundans expellitur, reſerantur: dum quod neceſſarium eſt, retinetur, continuò clauduntur. Duæ igitur in orificio arteriæ venoſæ ſunt, quæ ab intro concluduntur: tres in vena arterioſa, quæ tricuſpides ſunt foras ſpectantes. Nec enim vas illud claudi ſemper debuit, ut videlicet fuliginoſorum vaporum excrementa ejicerentur. Ad oſtium arteriæ magnæ tres membranulæ ſemicirculares, vel lunares naſcuntur, introrſum verſus patulæ, ut exitum ſpiritui vitali præbeant: ſed forinſecùs clauſæ ſunt, ne idem ſpiritus, vel ſangvis ſpiritoſus in receptaculum cordis reverti poſſit. In diaſtole cordis quædam harum valvularum extenduntur per quarum extenſionem rimulæ tricuſpides patent: quæ verò lunares ſunt in diaſtole extremitates ſuas claudunt. In ſyſtole rurſum alibi hæ membranulæ rimas ſuas tricuſpides claudunt, quas in diaſtole aperuerant: lunares autem, prout dictum eſt, corrugatæ vel contractæ rimas aperiunt, per quas libere ſangvis ejicitur. Hæc ſunt admirabilia illa naturæ arcana.

Interim tu, mi Lector, qui me doctior es, & plura de his noſſe deſideras, cum cultello non ſolum phyſico, ſed morali introgredere, ſcindendo, dividendo, & anatomizando: ingredere inquam in ſcholas huic profeſſioni proprias: illic enimvero dividendæ, & videndæ magnæ quæſtiones illæ occurrent: qua ratione cor ſedes ſit facultatis vitalis, hæcque eadem cui potiſſimum facultati attribuenda ſit. Intueberis illic motum cordis. Videbis illic opiniones ſuper hoc Eraſiſtrati, & Heraclidis, & Erythæi, & Averrois, aliorumque magnorum virorum, qui de his tractarunt. Intelliges motum illius naturalem, efficientem & finalem: quomodo illic anima multas variasque functiones exerceat. Dicetur tibi, an in ſyſtole, an verò in diaſtole pulſus fiat, pectusque percutiatur, cujus concuſſione arteriæ motum ſuum conſequantur. Apparebit illic opinionum de hoc diverſitas Praxagoræ, Galeni, Ariſtotelis, Athenæi, & Herophili, qui vult contractionem fieri per facultates vitales, per arteriam autem ſitum ejus naturalem reduci. Intelliges an dilatato corde, dilatentur arteriæ, an vero contrarium eveniat & dilatato corde, reſtringantur arteriæ. Inſinuabitur tibi, qua ratione generatio ſpirituum vitalium fiat: per quam viam ſangvis è dextro cordis ventriculo in ſiniſtrum transeat. Sic enimvero per Galeni opiniones elegantiſſimas diſcurres, per Columbi item, & per Botalli, per Olmi, per opiniones Phyſicorum, & Anatomicorum mamaximè illuſtrium. Quorum peritiſſimi te de cordis temperatura inſtruent, ubi tanta eſt authorum diſceptatio, videlicet inter Averroëm, Galenum, & Hippocratem. Omnes nihilominus in hoc conveniunt, cor calidum eſſe, focum, & culinam caloris naturalis. De cætero Avicenna illud temperamenti ſicci arbitratur: Averroës è contrario totam concretionem ejus humidam aſſerit. Patebit illic alia rurſum difficultas de nutritione cordis, an ſangvine venoſo nutriatur, aut verò tenui, eo videlicet, qui in ventriculis contineatur: ubi theorema illud ſtatuitur: *Similia ſimilibus conſervari, & refici*: de quo inferendum eſt, carnem ſolidam, duramque cordis ſimiliter ſangvine craſſiori enutriri debere: hinc Laurentius concludit: *Si Neotericos cum Galeno velis conciliare, dic nutriri fortaſſe interiora cordis ſangvine in ventriculis contento, ſed nondum attenuato.* Videbis demum carnem cordis muſculoſam, & prout Galenus ait: *Vellis, & fibris totam contentam eſſe.* Rationem item cur tantopere villoſum ſit: ait autem præfatus author villoſum eſſe propter attractionem, retentionem, & expulſionem.

Curioſum inprimis erit noſſe (in quo etiam præterire nequeo, quin aliquantum immorer) quot qualesque ſint in corde ventriculi: de quo plura Authores medici referunt. Primus in campum prodit Peripateticus noſter, qui ſic ratiocinatur: *Ventriculos habent animalia quidem magna tres, parva verò duos.* *Lib. 30. de partib. animal.* Unde etiam tres in homine conſtituuntur. Plinius ita habet: *Sinuoſo ſpecu cor eſt, & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino.* Diverſimode ab his Galenus ſentit, ait enim: *Quæ animalia pulmones habent, duos habent ſinus, quæ verò pulmone carent, unicum tantum.* Hoc utcunque demum ſit: vix invenitur, qui authoritates tot magiſtrorum conciliare poſſit, quamvis complures ſint, qui Galeni authoritatem præferant. Opiniones non minus in hoc quoque diſparatas inventurus es, quis ex binis his ventriculis nobilior ſit, quis maxime conſiderabilis, & æſtimatione dignus. Doceberis denique, qua ratione cor ſupportare abſceſſus poſſit, ſolutionem item continui, aliaque his ſimilia mala. Hinc Laurentius meus inquit: *Cor omnibus, atque iisdem morborum telis expoſitum eſſe, quibus & univerſum corpus, experientia ipſa fidem facit: nam frequenter intemperiem patitur, & præſertim calidam, & organicis morbis ſæpè infeſtatur.* Huic nihilominus ſententiæ è diametro contrarii ſunt authores graviſſimi: Hippocrates enim ait: *Cor ita ſolidum, & denſum eſt, ut ab humore non ægrotet.* *lib. de morb. 3. De part. animal.* Idem ſentit Ariſtoteles: *Cor nullum gravem affectum patitur, cùm ſit vitæ principium.* Alexander Aphrodiſcus: *In corde nullus morbus conſiſtit, quoniam ante mors rapit, quàm morbus pateat.* *1. De loc. affect. cap. 5.* Galenus: *Impoſſibile eſt, ut cor abſceſſum patiatur:* Et Plinius: *Solum hoc viſcus vitiis non maceratur.* Conciliantur autem hæ ſententiæ, & opiniones, ſi dictum fuerit, cor quidem affectus morboſque pati, ſed non multò tempore: multis item malis infeſtari, ſed iisdem non gravibus: ſiquidem graves inciderint ſubitaneò à vita revocari infirmum, eo quod ſuffocatio ſubſequatur: unde Galenus: *Mors ſequitur ad immodicas cordis affectiones.*

Denique hoc compendioſo Epilogo Anatomicæ artis, quæ alioquin tam vaſta eſt, huc tibi id collocare volui, quod Authori meo Andreæ Laurentio, cum viro nobili Guicciardino evenit: utque tanto fidelius, quæ tranſumpta ſunt, referantur, ipſa ejus verba non immutata appoſui, quæ quidem tantundem compaſſionis, quantum curioſitatis habent: ſunt autem hæc, quæ ſequuntur: *Generoſus eques Guicciardinus, magni Ducis Florentiæ apud Regem Legatus, cum ſatis bene valeret, & cum magnatibus quibusdam obambulans, non ſeriò, ſed familiariter colloqueretur, ſubitò reſpiratione, pulſu, & vita privatus cecidit. Veniunt ad Regem multi, alii omninò extinctum referunt, alii Apoplecticum, alii Epilepticum: quid ineſſe rati de vita non deſperant omninò. Jubet ſtatim Rex ut videam, quid facto opus ſit; accurro, hominem planè extinctum invenio: tunc multis adſtantibus, non ſine admiratione cauſam illius præcipitis caſus non in cerebro, ut dicebant multi, ſed in corde affirmavi. Diſſectum fuit poſtridie cadaver, & inventum cor, prodigii inſtar, in eam molem excreviſſe, ut thoracem ferè totum contineret. Apertis autem ventriculis maxima ſtatim erupit ſangvinis copia ad libras penè tres, quatuorve: & cavæ quidem venæ oſtium diſruptum, omnesque illæ membranulæ tricuſpides laceratæ. Arteriæ item magnæ os ita patens apparuit, ut brachii æquaret amplitudinem. Laxatis itaque oſtiolis omnibus, velut habenis, tanta in utrumque ſinum effuſio ſangvinis facta eſt, ut prohibita cordis diſtenſionne, contractioneque ſubitò extinctus fuerit. Hæc immaturæ, & præcipitis illius mortis cauſa eſt: in qua hoc unum mirari licet, quod nulla præcedenti cauſa externa, ictu, caſu, vociferatione, ira, inſigne illud vas diſruptum fuerit.* Unde apparet ſubito accidente cor oppreſſum fuiſſe. Qui caſus non immerito etiam nervoſiſſimum & fortiſſimum quemque perterrere poterit. Sed de his hactenus dixiſſe ſufficiat.

HIEROGLYPHICA.

OPtimum dici debet principium, quod pro objecto ſuo rectitudinem habet, & integritatem. Ego quoque in his tractatibus meis ſiquidem idem mihi ſequendum eſſe conſtitui, non ambigo, benevole Lector, qui ductum meum ſequi non indignum judicas, quin tibi placiturus ſim. Dicam igitur in primis, acceptum tibi, & gratum eſſe oportere id quod Momus olim in mente verſavit; quamvis alioquin ſugillator eſſet, & detractor contemptiſſimus Jovis, qui tantam olim venerationem habuit. Requirebat enim in quovis homine feneſtellam pectoris, ut per hanc cor ipſum ſe videndum exponeret, atque inde planum fieret, ſi opera dictis concordent. Hanc ipſam mentem prudentiſſimos olim, & ſapientiſſimos viros, non ſolum inter Chriſtianos, ſed & inter Paganos habuiſſe invenio: qui dum hominis Ideam integerrimi, moribusque incorrupti demonſtrare vellent, figuram exponebant, viri media parte ſua nudi, cum facie admodum matura; ſed qui imaginem cordis, catena ſuper pectus univerſum gereret ſuſpenſum; per quod indicatum voluerunt, idem foris eſſe, quod intus: Cor, inquam, unum, non duplex, de quo toties jam meminimus, totque inde reflexiones deduximus: Quodque ebur illud dici poteſt, cui inſcriptum eſt: *Intus & extra idem.* Integritas animi.



Hæc eſt illa Virtus, quæ ipſi byſſo purgatiſſimæ fidei candorem auffert, quin imo eundem ſtabilire, & ſolidare dicenda eſt: quæ pretium etiam candidiſſimis Alpium nivibus tollit: cujus ſplendor adamantinus eſt, margaritis orientalibus æquiparandus. Ajebat Marcus Tullius: *In pectore ſedem habere cor manifeſtum eſt.* In eandem ſententiam Spiritus Sanctus inquit: *Beatus homo, qui invenit ſapientiam, & qui affluit prudentia:* Supra quod S. Bernardus: *Da voci tuæ vocem virtutis, conſonet vita verbis, & ſtatim* *Prov. 3. Serm. ad Paſtores in Synod. Congreg.*

ſtatim erit in ore tuo vivus & efficax ſermo Dei, penetrabilior omni gladio ancipiti.

Cum præterea cor humanum fons & origo ſit, unde ſangvis vitalis, maximeque purus egreditur, fons unde cogitata omnia menti noſtræ ſuggeruntur, nobilis hæc pars corporis pro receptaculo ſapientiæ ſumitur. Cumque antiqui hominem cordis magni nominarent, eum intelligebant, qui in actione ſua ſolers, magnus eſſet ingenio, magnus conſilio. Hinc Horatius inſinuat: *Nec tu corpus eras ſine pectore:* Coſilium. hinc doctores itidem aſſerunt ut Redemptor noſter Evangeliſtam Joannem Cancellarium magnum divinarum revelationum declararet, in cœna ultima eum ſupra pectus ſuum inclinare voluiſſe: *Qui & recubuit ſupra pectus ejus.* Pueros, qui ſagacitatem quandam ingeniumque præſeferebant olim, ait Pierius appellatos fuiſſe, *Corculum: Corculum, inquit, pro ſolerti & acuto dicebant.* Adamantius memoriæ tradidit: *partem rationis participem cor veteres appellare ſolebant.* In hoc ſenſu, & in phraſi hac Apoſtolus Paulus homines frugi ad Romanos ſcribendo, appellat: *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Sic David quoque: *Eructavit cor meum verbum bonum.* Supra quod Eucherius commentatur: *Innuens filium Jeſum Chriſtum, altæ illius ſapientiæ myſterio genitum; Nam & quod divinæ literæ cor Dei ſæpe nominant, intelligendum ex eo arcanum illud divinæ Sapientiæ, quæ à Patre eſt.* Conſilium, inquam, polus ille eſt, qui in tempoſtoſo, & periculoſo mari vitæ noſtræ nos ad portum noſtrum feliciter conducit. *Conſilium res ſacra eſt,* in- *De Amore.* quit Plato. Et Euripides: *Victoria tota poſita eſt in* *In Phœn.* *bona conſultatione.*

Quotieſcunque ab antiquis cordis memoria fiebat, Hieroglyphicum erat vitæ, & potentiarum ejus: ſicut obſervatum fuit in portento illo, quod Julio Cæſari evenit. Cum enim in ſingulari magnificentia ſe in Capitolio, primo regiminis ſui die, ſedendo collocaſſet, in comitiis Senatorum ab Haruſpice ſuo Spurino ei indicatum fuit, victimam ſine corde inventam eſſe; continuò Imperator miſerè vulneribus confoſſus, ſine vita remanſit. Absque ſangvine impoſſibile eſt vitam degere, eadem ratione ſi cor defuerit, quod ſangvinis officina & faber eſt. Itaque oſtentum illud Julii Cæſaris, quo victima excors inventa fuit, anſam præbuit Philoſophis diverſimode diſceptandi, an videlicet fieri id poſſit, ut victima detur, aut quodvis animal, quod ſine corde vel minimo temporis ſpatio protrahere vitam poſſit: contigiſſe hoc multoties, Plinius Author eſt. Dixerim ego, id potius maligni ſpiritus deluſionibus conſvetis accidiſſe, qui ſub larva portentoſorum, & ſupernaturalium eventuum, obſequium, & venerationem, & cultum ſui promovere intendit. Factum Julii Cæſaris in Helvio Pertinace, eo die quo occiſus eſt, renovatum fuit: imo illic pavori cumulum addidit, dum enim diligentius inteſtina inſpecta eſſent, reliqua quoque viſcera præcipua ſine capite inventa ſunt. Cor hominis vitæ noſtræ cogitata ſuggerit: unde ſæpius Salvator noſter Phariſæorum turbæ ajebat: *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Supra quod Valerianus optime commentatur: *Aſcendunt, dominantur, primum enim locum adſciſcunt ſibi, ut veſtra omnia conſilia conculcent.*

Miſer admodum Mundus erat ante uſum literarum, earumque inventionem: ad exponendos etenim conceptus mentis neceſſarium erat, opera plantarum, ferarum, & lignorum, ſicut & rerum maxime vulgarium imò vero brutorum, & rerum inſenſibilium uti. His memoriam ſuam ſtabiliebant, mentisque productiones firmabant. Hoc ipſum in primariis, majoribusque eorum myſteriis, tam religioſe obſervatis palam fit: in quibus illud maxime allaborarunt, ut ſe poſteritatis memoriæ indelebili commendarent. Nilo flumini, qui fœcunditatem & ubertatem majorem afferebat, tum, cum maxime terram omnem inundaſſet, erexiſſe legimus & altaria, & victimas immolaſſe, & monumenta ſacraſſe. Hi populi ut felicitatem inundationis illius exponerent, quam videlicet aſſerunt de Paradiſo deliciarum provenire, cor demonſtrarunt, quod in medio ſui figuram lingvæ ferebat: fortaſſis per hoc indicando, parem eſſe oportere inundationi huic oratorum eloquentiam. Sicut autem lingva potentiam, virtutemque eloquii ſui à corde mutuatur, ſic Nilus ſcaturigines ſuas ab ultimis, ajunt, terræ viſceribus trahit. Quemadmodum item cor noſtrorum dominium habet, & regimen principale vitæ noſtræ, reliquarumque corporis regionum, ſic Ægyptii Nilo potiſſimum dominium & ſuperioritatem Provinciarum ſuarum adſcribebant: & eatenus ſe felices rebantur, quatenus inundatio hæc frugifere, & cum felici eventu ſuccederet.

Per lingvam, quæ ſine intermiſſione pituitoſis humoribus irrigatur & humectatur, abundantiam pluviarum intellectam volebant, quæ nimirum de cælo deſcendentes, in Nilum decurrebant, qui deinceps officioſiſſima retributione exuberans, lecto ſuo egreſſus, non ſecus ac laborioſus operarius, uno ſolo aut pluribus diebus meſſe facundiſſima, & ditiſſima terras illas implebat. Cumque hæc ubertas copioſiſſima, hæc que affluentia ſine exemplo eſſet, Nilum dixerunt omnium quoque cæterorum eventuum ſuorum cauſam & principium eſſe: atque idcirco huic in omni adeo re principatum tribuebant. Eum item ex communi populi conſenſu beneficium, & amantiſſimum Patrem appellabant. Ex his palam fit, quod beneficentia magnetica dixerim virtute applauſus ſibi hominum, à majoribus ad minimos usque attrahat. Opinionem hanc fovit Thales Mileſius cum aquam parentem rerum omnium nominavit: arbitratus enim eſt, omne corpus in eam diſſolvi, & ab ea rurſum novam formam, novamque figuram adipiſci. Et ſic humidum illud Genitorem, & Nutritorem rerum omnium eſſe. Per humidum virgulta nutriuntur, quæ in arbores excreſcunt, è quibus fructuum proventus fit. Hinc olim opinati ſunt, ſolem, lunamque Patres generationum, & conſervatores humani generis eſſe, calidum cum humido in debita proportione & figura commiſcendo. Aſſeruerunt item, nonnunquam in currum ſolis lunam rapi: ſolem autem non raro per aquas maris, & fluminum, conjunctum lunæ, tanquam in regno ſuo circumvehi. Hæc quamvis primo ſui intuitu fabuloſa videantur, & frivola, qui nihilominus medullam earum penetraverit, facile intelliget, quam utilitatem allegoricam ex his mythologiis trahere poſſit; prout ſupra jam memoravimus, & deinceps memorandum erit.

Transeamus de aquis ad focum: Ubi cor carbonibus ſuccenſis impoſitum, & quaſi in profluvio quodam flammarum medium intueor: conſidero in hoc formam aliam, aliamque Nili figuram. In medium flammæ hujus cor illud collocabant, non ſecus ac in quodam thuribulo. Dumque ab humore illius evaporare fumum faciebant, per hoc item intelligi volebant temperamentum humidi, calidique: ex quo rerum omnium incrementum fit, ex quo omnia enaſcuntur, & conſervantur. Temperamentum item regionis calidæ

&

& humide, idque potiſſimum in locis Auſtralibus cordi comparabant, quod cum omni impetu, ut ita dixerim, propenſione ſua in ſiniſtram hominis partem incumbit: ex quo



rurſum illi anſam ſumpſerunt ad ſignificandum Nilum qui totus ad regiones Antarcticas, quas ſiniſtras dixerunt, ſcaturigines & derivationes ſuas habet.

Quod vero cor jam ſæpius memoratum à ſua forma denominationem thuribuli operti aſſumpſerit, à ſententia philoſophi cujusdam antiqui deducitur, qui, juxta id quod Crates de eo refert, Cælum comparabat fornaci, homines carbonibus. Hinc ut humidum illud & calidum indicarent, ſolem finxerunt ab Æthiopibus ad menſam invitatum, cum iisque epulatum fuiſſe: per ſolem & Æthiopes calorem intelligendo; humidum verò per menſam, de quo humido vapores exhalantur. Obſervat doctiſſimus Valerianus, illos Æthiopes ſolum, qui in viciniis maris habitant, hanc civilem conſvetudinem colere, ut ſe invicem conviviis excipiant: reliqui incolarum ſoli manducant, tenentes cibum manu, more irrationabilium animalium. Concludit interim *De Cord.* Pierius: *Erit itaque cor Ægypti inſtar, hoc uti ſangvinis, ita hæc primarium humoris receptaculum. Thuribulum verò convivas ipſos, utpote ſacrificulos indicabit hoſtiarum, ſuper ignem poſitarum, nidore exhilaratos.* In quo Chriſtianis celebre documentum datur, ut de cordis ſui thuribulo ardores devotionis ſuæ altiſſimo in fumum ſvavitatis ſuccendant, ita ut pro merito verſum illum Davidicum uſurpare poſſint: *Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Optima hæc materia perorantium erit. Sic Adamantius inter cæteras Hominis ſignificationes, per cor altare intelligit. Supra id autem quod Sapientia Divina incarnata inproperavit Phariſæis dicendo: *Populus iſte labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me,* Valerianus commentatur: *Monet Dominus ut conſideremus, num ex corde eleemoſynæ, vel pſalmi, vel preces, vel jejunia offerantur. Atque ita in teſtem altare, id eſt cor, & conſcientiam appellat: per altare jurat, atque ante omnia, quæ continentur in eo, complectitur.*

Hæc effigies cordis accenti, & in focillo fumantis, materiam Plutarcho ad ratiocinandum ſuggeſſit: qui non ſine proportione quadam, aut figura Cælum. congruente cor illud formam ait, & ideam cæli gerere: cujus duratio æterna cum ſit, malis ſenectutis aut vetuſtatis illius ſubjici nequit, quæ utcunque etiam proſpera fuerit, per ſemetipſam nihilominus vocari morbus, juxta Peripateticum, poterit. Hinc Apulejanus Triſmegiſtus, non multum à citato Hippone diverſus, Ægyptum pro imagine cæli ſumit, ait enim: *Iis omnibus comparatur, quæ in cælo* Ægyptus *gubernantur, & exercentur: Et, ſi dicendum eſt verius,* parabolice *terra illa totius Mundi ſit templum.* Valerianus præter- toti mundo ea defendendo, & ſuſtinendo dignitatẽ, conditionem- comparata. que terræ illius, ſcriptum reliquit, ſæpius orbem univerſum per Ægyptum intelligi: & in teſtimonium dictum illud pſalmiſtæ adducit: *venient legati ex Ægypto:* quod referendum ad univerſitatem ſit. Sic quiſq; exaltare, & famam patriæ ſuæ celebrare ſatagit: nec vitio vertendum cum viſceribus noſtris, amor patriæ Amor patriæ. noſtræ nobis congenitus ſit. Pro cujus defenſione ſæpe regna depopulata, Provinciæ deſertæ, imo & ſylvæ integræ in mare transportatæ ſunt. Terra ipſa

myria-

myriades ſepulchrorum aperuit, ad recipiendos, & inhumandos ipſos incolas ſuos, qui glorioſè pro defenſione ſua occumbentes, vitam nihilominus apud poſteros immortalem conſecuti ſunt.

Hoc ipſum cor, quod ſupra carbones tacito murmure ſuſurrando torretur, & coquitur, memoriæ exactiſſimi obſervatoris Pierii ſuggeſſit, ut ebullientis, & ſtridentis *clibani* meminiſſet, aut *Præfurnii* dicti; cogitans enim qua ratione vas illud tacite murmurando, & bulliendo digerere & concoquere cibos ſoleat: hæc attributa metaphoricè cordi aſſignat: & huic *mixto* univerſo hanc Epigraphen imponit: *Conſcientia igne examinata*: ad hujus rei teſtimonium ſcripturas ſacras adducit ubi nomen hoc clibani pro vaſe ſacro ſumitur. Et ſicut vas illud actione ordinata, & foco conveniente concoquit edulia, & digerit: ſic mens, & cor incaleſcens divino igne, eodemque totum, prout oportet examinatur, mundatur, & purificatur. Non videor Lectori ſatisfeciſſe, niſi verba ipſa Authoris adjunxero: *Nam quadam DEUS apud majores noſtros, veteres inquam Prophetas, apponi ſibi vult clibano cocta, hoc eſt tacita mentis agitatione examinata, cum ſcilicet nos erroris pœnitet, & conſcientia noſtra ardore quodam occulto intra ſuccenditur vitiumque ipſa ſuum urere contendit.*

Conſcientia quæ ſe ritè purificat.

Quandoquidem etiam murmur vaſis illius (non ſecus ac maris dum medium inter placatum, & procellosum eſt) placidum & tranquillum auditur: cumque fundum alioquin non raro ſat concavum habeat, & profundum, Adamantius piè ſimul & aſtute meminit, figurari hoc ipſo eum poſſe, (idque per Hieroglyphicum proprium) qui ſacrorum arcanorum notitiam adipiſci deſiderat, quæ arcana usque adeo in ſignificationibus, & expreſſionibus profunda ſunt, ut altiſſima ſacramenta & myſteria contineant. Hæc ſacrarum Sphyngum dici poſſunt dictamina, niſi Oedipus adſit, qui ea diſſolvat, & revelet: hi nodi ſunt Gordio difficiliores: Labyrinthi ſunt Cretenſi illo magis intricati, & confuſi: Meandri qui millenis periodis in ſemetipſos recurrunt. Hæc ſive in traditionibus, ſive in dictis, ſive in figuris, aut parabolis, aut ſimilitudinibus, aut metaphoris aut hujuscemodi aliis conſiſtant, niſi in vaſe accenſo per divinæ cognitionis focum decoquantur, & digerantur, difficulter maſticari poterunt, ut nil de concoctione dixerim. Si enim in ſenſu ſuo naturali & literali permanſerint, inconcocta, & indigeſta erunt. Calor foci divini calor non coactus eſt, nec per violentiam excitatus, ſed digeſtivus, conducens ſanitati, & illuminans: quique ſine mora ad concoctionem nos perfectam ciborum illorum ſpiritualium perducit. Ac ſic non usqueadeo difficilis erit maſticatio, & digeſtio: cum prius cruda viderentur, & intractabilia. Huc reſpiciunt verba Prophetæ Oſeæ: *Corda eorum ſicut clibanus incaluerunt.*

Scrutatores arcanorum divinorum.

Cap. 7.

Heſychius Hieroſolymitanus alteram non minus devotam, acutamque metaphoram de hoc Clibano deducit, docens vivum hic ſignificatum, vel Hieroglyphicum uteri virginalis B. Virginis repræſentari, cum per puriſſimum ſangvinem ſuum, accenſa divino amore, pretioſiſſimum & immortalem cibum verbi incarnati præparavit, & ut ita dicam decoxit. Sic enim ſupra legem Leviticam commentatur: *Cum autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano de ſimila: per clibanum inquit, Mariæ Virginis uterus ſignificatur. Clibano enim ignis ſuperimponitur, qui ſupponitur in craticula. Veluti enim clibanus ignem, & panem coquendum deſuper accipit, ita DEI genitrix Spiritum Sanctum, & Dei verbum in utero ſuo conficiendum, maturandumque ſuſcepit.* Cum præterea Cor ſedes ſit & receptaculum omnium affectuum, & paſſionum, Hugo de S. Victore ajebat: *Cor parvum eſt, & magna cupit, vix ad unius milii refectionem ſufficere poteſt, & totus mundus ei non ſufficit.* Hinc eſt quod in figuras formasque varias, ſtabilitum & diſpoſitum eſt.

B. Virgo cum verbũ æternum paritura eſſet.

Lev. c. 2. v. 4.

l. De anima.

Pedem hic aliquantum refero, ut tanto fortior mihi ſaltus ſit: Non ſemper clibanus apud operarios pro caldario, aut vaſe aqua bulliente repleto ſumitur, in quo nimirum carnes coquantur, & digerantur, ſed pro ipſo quandoque fornace, ubi carbones ſuccenſi ſunt. Ut itaque diverſi ab his ſuperioribus indicarentur affectus, antiqui ſupra hunc fornacem ponendo craticulam, illic cor frigebant. S. Cyrillus refert Hebræos in hoc ſignificationem ab Hieroglyphicis Ægyptiacis deducere.

Per hoc cor fumigans, inprimis homo iracundus repræſentatur, qui totus ardens, furibundus, immitis, atrox, & rigidus eſt, qui ab oculis flammas fulgurat, de labiis ſpumas ejicit, terram pedibus percutit: qui arrepto ferro ad vindictam properat, ad ſtrages, ad necem. Accenſa bile ſine auditu eſt, ſine viſu, ſine ſenſu: pejus ſerpente ſe elevat furioſius cane dentibus frendet: non ſecus ac indomitus equus hinnit, & intumeſcit: ſicut leo jubas quatit, & corrugatur: ad aliud non aſpirans, quàm ut quæque diſcerpat & dilaceret: in hoc ſolum quietandus, ſi furoris ſui ſitim reſtinxerit, & ſangvinem inimici deglutierit. O ira! Vera peſtis, & gangræna animarum, quæ præmature corpus exſiccat, & in phtyſin reducit: *Ira eſt triſtitia, & perturbatio quædam cum vehementi appetitu vindictæ:* Stagirita inquit. Ferox tormentum bellicum, quo ædificia & muri civitatum demoliuntur, & humo æquantur: *Ira eſt res impetuoſiſſima ad aggredienda pericula:* ait idem Author. Cæca eſt non diſcernens, non cognoſcens pericula, atque ideo cum majori exterminio in eadem delabitur, & præcipitatur. Bonum à peſſimo non dijudicat, id ſolum eligens, quod deinceps in damnum ejus evaſurum ſit. *Cæca eſt ira, & ſæpè non ſinit cernere, quæ aptiſſima ſunt, & percepta ſæpè obſcurat:* ſic Chryſippus docet. Hæc diſſipatrix, & perturbatrix eſt rerum optime ordinatarum. *Ira perturbatrix omnium* ſcripſit Homerus. Hoc illud cor eſt, quod in craticula ultra debitum, ultra id quod decorum eſt, quod honeſtum, quod decens, torretur, frixatur, ebullit & concoquitur. Vitium, quod à viro prudente, & ſenſato maximè fugiendum eſt.

Ira & ejusdem paſſiones.

De Poet. 2.

Ethic. 2.

Apud Plutarchum.

Ilyad. l. 7.

Craticula inſtrumentum eſt, in quo piſces frigentur: qui cibus cum jejunio deſtinatus, jejunium autem actus pœnitentiæ ſit, à maximè ſenſatis Theologis, & Iconologicis memoratæ virtuti craticula adſcribitur. Unde etiam per cor, quod leviter ſupra illam torretur, & coquitur, ſapientiores inter antiquos Chriſtianos verum pœnitentiæ ſignum, tacitamque mentis exulcerationem amaritudinemque conſcientiæ, non ſimulatam, nec fictitiam, ſed realem & veram intellexerunt. Torretur illa in planctu, & gemitibus & ſingultibus propter offenſam factam Deo tam benefico, tam amabili: unde etiam flumina lacrymarum ebulliunt: adde ad hæc macerationem corporis, debilitati per jejunia, diminuti, & arefacti per abſtinentiam. Hæc illa pœnitentia eſt, inquit Valerianus, quæ in propatulo cum carne luctatur & dimicat; & in atra vultus nigredine accenſos divini Amoris carbones demonſtrat,

Pœnitentia

uni-

unicuique exemplum præbens, qua ratione ſemetipſum domare poſſit. Hinc nonnulli, amore divino compulſi, non ſolum animo ardent, & evaporant, ſed corpus etiam paſſionibus & tormentis alioquin inſuperabilibus ſubjiciunt. Vera Idea, verumque hujusce Hieroglyphicum eſt glorioſiſſimus Martyr Laurentius, qui craticulæ ſuperimpoſitus, non ſecus ac piſcium aliquis dimidia ſui parte aſſatus, cum intrepiditate admirabili improperavit tyranno: *Aſſatum eſt, jam verſa & manduca.* Tantopere autem ab intro inflammatus erat amore divino, ut tantum incendium non niſi ſcintillam æſtimaverit, quo tamen totus conſumebatur: *ſegnior enim fuit ignis, qui foris uſſit, quàm qui intus accendit:* ait Leo Papa.

Scrinium vel Repertorium.

Scrinium, vel gazophylacium quodvis, ubi nummi, vel margaritæ vel ſcriptorum monumenta reponebantur, aut quævis alia quæ ſumptuoſa, aut æſtimatione digna erant, ab antiquis ſub titulo Cordis nominabantur. Alludendo ad hoc, quod ſicut cor noſtrum in ultimis, & maximè reconditi pectoris penetralibus concluditur, & celatur, pari modo res pretio magno æſtimabiles recondi debere. Sed non cum minori ſolertia, & prudentia in intimis mentis receſſibus illa negotia celanda ſunt, quæ ſi ad notitiam pervenerint ruina & exterminiũ univerſæ familiæ, aut Regiæ, aut Provinciarum, aut exercitus eſſe poſſunt. *Silentium ſapientibus reſponſi loco eſt.* Scribebat Euripides: Et Plutarchus pro more ſuo optime: *Magnæ eſt Sapientiæ tempeſtivum ſilentium, & omni certè eſt ſermone præſtantius.* Pretioſiſſima gemma, quam illuſtres fæminæ portare poſſint eſt, noſſe in tempore ſuo taciturnitatem colere. De Peripato ſuo Ariſtoteles ait: *Silentium mulieri præſtat ornamentum.* Securiſſimum erit mentis ſcrinium, ſi hac clave clauſum fuerit.

Negotia magni ponderis in mente celanda eſſe ſilentio.

Apud Stobeum de educandis liberis.

Mors.

Cor item à ſacris expoſitoribus pro ſepulchro intelligitur. Id quod de eo deducunt, cum Chriſtus de ſemetipſo ajebat, annuncians mortem ſuam: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti, ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* In quo mortalibus nobis documentum ſalubre datur, ut videlicet regionem pectoris tangendo, meminerimus ſepulchri, quod verum frænum & retinaculum eſt, arcens vitiorum impetum. Id quod S. Auguſtinus inquit: *Nihil ſic hominem à peccato revocat, ſicut frequens meditatio mortis.* Et alibi: *Timor de futura morte, mentem neceſſario concutit, & quaſi clavis omnes motus cordis, & ſuperbias ligno crucis affigit.* Ipſi adeo prophani hæc intellexerunt, inter quos Seneca ad Lucillum ſuum ait: *Libidinis incentivum continebis, ſi te moriturum cognoveris.* Optimum documentum Ethicum.

lib. 2. cont. Pelag.

lib. 2. de Doctr. Chriſt.

Ep. ad Lucillum.

Concordia.

Conſtringo & alligo Capitulum hoc univerſum duobus nodis, quibus corda bina ſimul uniuntur, & vincita ſunt: per quæ antiqui Hieroglyphicum concordiæ & unionis volebant intelligi. Hæc illa clava Alcidis eſt, quæ pluribus nodis compoſita, ad deſtruendos exercitus potens eſt, ad demolienda caſtella munitiſſima: parum eſt, quod leonibus dentes excutiat, quod ſerpentum legiones devaſtet. *Concordia inſuperabilis,* ait magnus ille moraliſta Alciatus in loco quodam, & alibi: *Firmiſſima convelli non poſſe.* Ad perſvaſionem noſtram denique exemplum illud, quamvis tritiſſimum, plurimum conducet, Patrisfamilias nimirum, qui ad concordiæ virtutem exhortando filios ſuos, faſciculum virgarum expoſuit colligatum, atque ita inſuperabilem: facile autem frangibilem, ſi invicem virgæ ſeparatæ eſſent. *Nil Civitati pernicioſius, quàm diviſio & nihil melius, quàm unio:* inquit doctiſſime Plato: Et S. Auguſtinus in loco quodam: *Concordia Civitates conſtruuntur, & deſtruuntur diſcordia.* Et rurſum alibi: *Concordia in civitatibus eſt, quod harmonia in muſica.* Plura his de Corde relata ſunt alibi, per occaſionem pectoris, ad quod Lectorem, qui hiſce indiget, & inde fructum ſuum capere deſiderat, remiſſum volo. Interim hic ab Hieroglyphicis transgredior ad

De Repub. Ep. 3.

De Civ. Dei, c. 2.

MORALIA ET MYSTICA.

AMpliſſimum, & capaciſſimum iter ad fabricanda myſteria, & ad ſublevandam mentem ad cognitionem Altiſſimi, S. Gregorius Papa, vir moralitatis eximiæ, nobis aperit, cum ait: Cor in metaphorico ſenſu quandoque voluntatem, quandoque intellectum ſignificare. Ejusdem ſententiæ eſt S. Clemens Alexandrinus, & Eucherius, qui majus nobis myſterium, magisque Theologicum exponunt, dicendo: *Ipſe Chriſtus dicitur cor, & anima DEI, qui vitam ſuppeditat, cum Pater per filium cognoſcitur.* Arnoldus Carnotenſis ſupra Pſalmum quadrageſimum quartum: *Eructavit cor meum verbum bonum:* Cor illud judicio Altiſſimi ejusque examini applicandum cenſet, aut vero arcano divinæ Sapientiæ. S. Hieronymus ſupra illud, quod de David Liber Regum primus recenſet, eum hominem fuiſſe *ſecundum cor DEI*, ſic illud intelligendum cenſet, ut cor charitatem proximi habens ſignificetur. Cui adjungit Sanctus Auguſtinus: *Sic paſcunt boni Paſtores juxta cor Dei.* Qui ſenſus fortaſſe à Jeremia Propheta deſumptus eſt, cum ex ore DEI ſic loquitur: *Dabo vobis paſtores juxta cor meum & paſcent vos ſcientia, & doctrina.*

1. Reg. 2. c. 23.

5. Stromat. Fort. Spir.

Ad principium.

Ep. 10. & de eſſentia divina Ierem. c. 13.

In pſ. 7. 4. Cant. 1. Cap. 16. 4.

S. Baſilius, & Gregorius Venetus aſſerunt, cor Dei Sacram Scripturam eſſe, in qua Altiſſimus mentem ſuam exponit: rurſum is, qui omne, quod his ſacratiſſimis & graviſſimis paginis concluditur, qui præcepta ejus adimplet, utique ſecundum cor DEI actiones ſuas inſtituit. Qui verò non niſi in ſuperficie commoratur, ea ad ſolum de lege perficiens, quæ diſpenſationem habere poſſunt, operatur & ipſe quidem juxta cor Dei, ſed non intrinſecus juxta Animam Dei. De his ſenſus literales copioſi occurrunt in libris Regum, in Pſalmis, in Jeremia, & Cantico. Supra id quod Regius Pſaltes ait: *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens:* Rupertus Abbas, & S. Auguſtinus inquiunt. In hoc Scripturam Sacram intelligi poſſe, cum in myſteriis ſuis expoſita fuerit, ubi primum obſcura erat. S. Item Hieronymus, & Dionyſius Cartuſianus ajunt Eccleſiam verbis his concipi poſſe, cujus præcepta ante paſſionem dura videbantur; ſed poſthæc, tanquam cera liquefieri cœperunt. Præmemoratus Dionyſius refert in corde Angelorum divinæ pulchritudinis ideam dari, quæ in his inferioribus locis fortitudinem vitalem ſummi Boni diſſeminet.

1. Reg. 29. 44. 32. 8. Pſal. 21. In Cant. 7. Ep. 120.

In pſ. 21. Caleſt. Hier. 15. Loc. cit.

Origenes autumat cor in homine typum eſſe voluntatis, animi, mentis aut vero partis ejus quæ cognoſcit, imo vero & ipſarum cogitationum. Copioſi in hac ſignificatione ſunt loci in Exodo, Pſalmis, & S. Matthæo. Ajunt Sancti Auguſtinus, & Hieronymus, hoc cor lavandũ eſſe, hoc eſt purificandum,

In Matt. hom. 23. Exod. 4. 20. 31. 35. 36. 1. Reg. 7. 25. 32. 44. Matt. 22.

ani-

Auguſt. Ep. 120. Hieron. in Ier. 4. 7. Ierem. 4 v. 14.

animamque à malitia liberandam. Prout in Prophetia Jeremiæ præcipitur: *Lava à malitia cor tuum Jeruſalem, ut ſalva fias.*

In 1. Reg. 9. Pſal. 37.

S. Gregorius Author eſt, per cor intelligi oportere rationis robur; prout loci copioſi ſunt in Daniele, in Oſee, & Canticis. Gloſſa ordinaria verſiculum hunc Pſalmiſtæ: *Cor meum conturbatum eſt, & dereliquit me virtus mea:* ſic exponit: *Cor dicitur Spiritus aut ſpirituales ſenſus, & mens ad cæleſtia elevata: unde carnales dicuntur ſine corde, quaſi derelicti à corde.* Myſterioſus verſiculus ille Cantici eſt, ubi dicitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quem Iſidorus Clarus ſic commentatur: *Verba ſunt ſponſæ, quæ accuſat populi ſui peccatum:* proſequitur: Dormiebam, renuens operari bonum, ſed cor meum, id eſt ſponſus meus vigilabat, intendens ſaluti meæ. Vox Dilecti pulſabat per ora Prophetarum: *Aperi mihi*, mediante pœnitentia. His adjungit S. Gregorius intelligendum hoc de hominibus pigris in conſequenda utilitate myſteriorum divinorum. De quo Helcana uxorem ſuam conſolatur: *Cur fles? Quare affligitur cor tuum?* & longè poſt hæc: *Loquebatur in corde ſuo:* Idem Author beatitudinem devotam, & orationem jaculatoriam in Eccleſia, cum eruditione, & praxi rerum ſacrarum intelligit. Quod item in corde loquebatur, idem ait libertatem cordis deſignari, quâ ſceleratus Judas deſtituebatur, de quo dicitur: *Cum Diabolus jam miſiſſet in cor ut traderet* Chriſtum, prout in S. Joanne habetur.

Cant. 5. In hunc loc. In Cant. 5. 1. Reg. 1. Ioan. 13. v. 2.

De ſtatu inter. hominis. 2.

Alludendo ad hoc, quod jam ſupra in Hieroglyphicis dictum eſt, Richardus de S. Victore ait: per cor hominis conſilium ejus intelligi poſſe; & ſicut cor in animante principalem intimumque locum occupat, ſic conſilium ſalutare ab oculis arcetur, ſed in penetralibus invenitur. Ad hoc alludendo ait Iſaias: *Omne caput langvidum, & omne cor mœrens.* Et Oſee: *Et non clamaverunt ad me in corde ſuo.* S. Auguſtinus ſupra verſum Davidicum: *Accedet homo ad cor altum, id eſt, Cor ſecretum* inquit. Id quod Propheta Daniel de prodigioſa illa chimæra inquit, cujus corpus, & cor in focum dejiciuntur, S. Auguſtinus, & citatus Richardus commentantur, intelligendum hoc de hominibus ſenſui deditis, & in beſtias transformatis, quorum cor inferni flammis, aut vero ignibus libidinis aduritur. De eo quod Eccleſiaſtes meminit, & Jeremias: *Cor Regis periit:* Richardus item commentatur id fieri cum Doctores, & Prælati à rectitudine, à fide, ab oficio ſuo, & à juſtitia declinant.

Iſai. c. 1. Oſee. c. 7. Pſal. 64. Cap. 7. v. 12. In Pſ. 63. De vitio mutabilitatis.

Cap. 7. 9. 14. 1. Reg 6. Ezech. 11. 36. 3. Periar. 1. In 1. Reg. 6. & 10. Moral. cap. 6. De ſecur. conſcientia.

Per cor induratum de quo pluribus in locis Scripturæ mentio fit. In Exodo nimirum, in libris Regum, & in Ezechiele, Origenes inquit, hominem induratum, & obſtinatum in malitia, aut peccato intelligendum, qui nullis caſtigationibus flectatur. Cor incraſſatum (inquit idem Author) illud cor indicat, quod nil niſi mundana meditatur, & ad ſæcularia ſola aſpirat. S. Gregorius, & Richardus de S. Victore ajunt, quod ubi de cavitate cordis fit mentio, de perfidia judaica idipſum accipi, quæ Creatorem ſuum ab oculis amiſit, cum videlicet adventum ſupremi Meſſiæ denegavit, nulla habita tot prodigiorum, & miraculorum ratione. Per cor exaltatum, de quo in Pſalmis dicitur (juxta Authorem eundem) arrogans intelligitur: Per cor tanquam lac coagulatum, de quo rurſum in pſalmis: protervia & aſperitas arrogantium ſumenda eſt. Quod in Daniele legitur, cor plantarum datum fuiſſe feris in paſtum, ſupradictus Richardus crudelitatem cordis peccantis, & rebellis intelligit. Prout illud cor Nives civitatis, quod in phtyſin degenerat, typum hominis mundani gerit, cui res divinæ faſtidio ſunt, & fœtere incipiunt.

Pſal. 50. Pſal. 118. Matth. 5. In Iſ. hom. 6. S. Amb. ſer. 10.

Non omittendus hic verſiculus ille, quem continuo in labiis noſtris gerimus: *Cor mundum crea in me DEUS:* de quo idem Propheta alibi: *Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus, in toto corde exquirunt eum:* & in S. Matthæo: *Beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt:* quem Origenes, & S. Ambroſius ſic exponunt: mentionem hic mentis defæcatæ, & à negotiis mundanis liberæ fieri, quæ ad Dei contemplationem, & ad diviniſſimas perfectiones ejus elevata eſt. Non minus clare exponunt S. Baſilius, & Gregorius: *Comparatur cor mundum puro fonti, unde aqua fluit pura, & conſpicua.* Limpidiſſima, & maxime adæquata ſimilitudo pro prædicatoribus verbi: Quibus adjungunt illud: *Cor verò turbatum eſt, quando vexatur tentationibus.*

In Pſ. 32. 10. Moral. 14.

Pſ. 33. & 50. 10. Moral. Fort. Spir. 11.

Ad alteram illam Scripturæ elegantem ſententiam: *Cor contritum & humilitatum DEUS non deſpicies:* adjungit S. Gregorius, & Eucherius: cor hic intelligi quod ſe totum Deo dedicet, & ſemetipſum vilipendat. Æterna memoria digniſſima eſt expoſitio, quam præfati Authores adducunt ſupra verſum illum Pſalmi 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum:* dicendo: Dilatari cor charitate, & ſapientia. Hæc item charitas unionem colit inter fideles, prout Jeremias ait: *Dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me univerſis diebus.* Supra id quod de Rege Saül dicitur: *Cum avertiſſet humerum ſuum ut abiret à Samuele, immutavit ei Dominus cor aliud:* S. Gregorius exponit: *Cor aliud immutat Deus, cum dat ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti.*

Ier. cap. 32. In Loc. Cit.

Pſal. 137. 1. Reg. 7. Ier. 3. Ioel. 2. In Matt. hom. 24. Pſalm. 45.

Hanc mutationem inter alios Apoſtoli experti ſunt, cum in ſacratiſſima Pentecoſtes die recepto Spiritu Sancto, ex timidis fortiſſimi & generoſiſſimi facti ſunt. Ad hos textus ſcripturarum, inprimis Pſalmiſtæ: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo:* deinde ex Matthæo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua*, & reliqua: cum eo quod in hunc ſenſum dicitur in libris Regum, in Jeremia, in Joële: Origines meminit, eum verè toto corde reverti ad Deum, qui omninò ſe à vitiis retrahat, & paſſiones ſæculi æternæ oblivioni tradit. De hoc, quod Pſalmiſta inquit: *Transferentur montes in cor maris:* Iſidorus Clarus deducit: *Cor maris, pro medio dixit. Non timebimus, inquit, etiamſi tota terra ſubvertatur, aut montes ipſi in medium maris præcipitentur. Alii intelligunt, ſi montes qui ſunt in medio mari loco cedant; ut montes dicantur ſiti in medio maris, & quod terra mari ambitur.* Aliter id exponunt, Arnoldus, Auguſtinus, & Origenes, illuc unientes dictum Ezechielis: *Viri bellatores tui, qui erant in te, cum univerſa multitudine tua, quæ eſt in medio tui: cadent in corde maris in die ruinæ tuæ:* dicendo: per hæc corda gentilium corda intelligi, quæ in medio vitiorum poſita erant, ubi intima peccatorum malitia, & par inquietudo eſt. His omnibus adjungit Richardus de S. Victore, per hunc ſinum maris graves preſſuras, & tormenta intelligi poſſe; ita ut Chriſtus tormentoſa paſſione ſua dici poſſit per medium Maris plenum voraginibus & crudelitate tranſiſſe. De quo videtur nobis evidens voluiſſe dare documentum in pſalmis: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam.* Hinc *corda inimicorum Regis*, de quibus idem coronatus Pſaltes ait, ea ſunt, (juxta eundem Authorem) quæ prius infidelia fuerant, & inimica Chriſto.

Ezech. c. 27. v. 27. De vitio mutabilitatis. Pſalm. 68. Pſalm. 44.

Con-

In Pſal. 44. In Ioan. 2.

Confirmant S. Baſilius & Hieronymus id quod ſupra expoſitum fuit de eo, quod Salvator noſter ipſe per Evangeliſtæ os ait: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti, ſic erit filius hominis in corde terræ:* Ajunt enim hoc terræ cor ſepulchrum Redemptoris eſſe. Cor item mundani hominis, & ad terrenos affectus proclivis. Supra dictum illud Davidis, nunquam ſat citandi, S. Baſilius meditatur, illic nimirum ubi ait: *Et meditatio cordis mei prudentiam:* aſſerit autem hæc de genuina fide intelligenda, quæ in corde devoto commoretur. De eo quod Dominus Ezechieli Prophetæ præcipit: *Fili hominis vaticinare ad prophetas Iſraël, qui prophetant, & dices prophetantibus de corde ſuo:* Origenes exponit: *Prophetant de corde qui ſcripturas perversè interpretantur, & revelationes ſibi fingunt.* Arnoldus item ſupra dictum Regii Cythariſtæ: *Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant: hæc ait maledicere eſt, malis operibus favere, aut malum ſub boni ſpecie ſvadere.*

Loc. cit. Pſ. 48. Ezech. c. 13. In Ezech. hom. 2. In Pſ. 61.

Hic ego in vaſtiſſimo Pelago divinarum expoſitionum anchoram jacio, ut navim meam aliis mercibus, quamvis prophanis onerem, unde mihi ſeligo

PROVERBIA.

Obſervatio cur de corde pauca extent proverbia.

SI ſtupor, indicium ignorantiæ eſt (prout ſapientes ajunt) non diffiteor, benevole Lector qui hæc intueris, me nusquam alibi in decurſu ſtudiorum meorum tanta admiratione correptum fuiſſe, quam quod in materia cordis, tam myſterioſa, tam ampla (cum de hac præcipue compoſitio hominis derivet) ſicut jam ſupra vidimus, & deinceps videbimus: obſtupeſco, inquam, quod in tam vaſta materie non niſi tria proverbia, in tot voluminibus diverſis, quæ mihi videre licuit, invenerim, iis voluminibus quæ ad alias item materias ſpectant. Id quod contigiſſe reor, cum Authores noverint, aut hoc intelligi velint, univerſa quæ dicuntur de corde intelligi: ab hoc enim omnis virtus, & potentia, & affectus originem ſuam trahunt. Niſi forte religioni ſibi duxerunt partem hominis tam nobilem, tamque elevatam in os hominis immittere. Qualitercunque id demum ſit: legem Pythagoricam ſolam huc refero, qui ait: *Cor ne edito:* quod tantundem eſt, ac dicere: non oportere afflictionibus & curi immodicis angi, quæ videlicet vires noſtras, & propriam activitatem excedant. Admonet nos Demetrius Bizantinus ab his, tanquam à toxico præcavendum eſſe. Sic Athenæus ait: *Ne ſollicitudinibus vitam reddas breviorem.* Confirmat hoc ipſum Ariſtophanes: qui ait: *animum mordens meum:* Hinc Theognides: *Et rodor mente, ſumque animi ambiguus.* Quod ab Homero deſumptum videtur, qui ait:

Mordacitas curarum quantum noceat.

Solus at ille quidem vacuus errabat in agris,
Cor adimens curis, hominum veſtigia vitans.

Sic in Illyade. Et in Odyſſea:

Hic ſoles noctesque duas conſedimus usque
Rodentes animum curis ſimul, atque labore.

Sic rurſum in Illyade:

- - - *tu intus præcordia rodes.*

Hunc ſenſum Ovidius nervoſiſſime expreſſit, dicendo:

Attenuant vigiles corpus miſerabile curæ.

In Matt. hom. 6. 5. Moral.

Et S. Joannes Chryſoſtomus: *Sollicitudo*, inquit, *deſperationis eſt filia.* S. Gregorius: *Mens curis occupata ad ſuperna non tollitur:* Memini me quoque in materia conſimili exercuiſſe calamum meum in poëtico metro ſupra Lyrica Horatii, per Oden Stropharum complurium, & inter alias, ſupra hanc Horatii:

Carm. 30. Ode. 1.

Deſiderantem quod ſatis eſt,
Neque tumultuoſum ſollicitat mare,
Nec ſævus Arcturi cadentis impetus:

Hæc ego:

Ite cure mordaci à Lete in ſeno,
E naufraghi Saturno in tale Egeo:
Cor tranquillo poteo
Su torbido penſier correr ſereno:
E per chi vive pago in grembo a ſorte,
Scocca ſtrali vical l' Arco di morte.

De Remediis.

Sic etiam Amator Lauræ ſcriptum reliquit: *pauca, & modica, & ad victum neceſſaria: quidquid acceſſerit, illud grave eſt: nec jam divitiæ, ſed & compedes, ſed & vincula, nec jam corporis ornamenta, ſed impedimenta animi.* Et nihilominus orbis dixerim univerſus papilioni non abſimilis eſt, hoc falſo lumini ſe immittens. *Cor calidum in re frigida.* Facile proverbium hoc patet: hominem enim exponit, in re vel valoris nullius, vel expeditu difficilis multum deſudantem: ab utroque vir ſenſatus & prudens abſtinebit. Proverbium hoc à quodam dicto Iſmenia, allatum eſt, qui exhortando Antigonum ad facinus quoddam audax, quod ei nocumentum ſingulare intuliſſet, ajebat: *Profecto tu cor calidum habes in frigidis.* Subjungit Manutius: *Alibi diximus calidum facinus audax, & præceps appellari: frigida hic appellat, quorum feliciter perficiendorum exigua ſpes erat.* Et tamen verum eſt quod Sulmonenſis Poëta inquit:

Negocia nullius pretii, aut difficilis exitus relinquenda.

Nitimur in vetitum ſemper, cupimusque negata.

Hom. 36. in Evang.

Sed quid deinceps? ſi deſiderata obtinuimus, hæc eadem faſtidimus, in iis videlicet, quæ mundana ſunt. Longe ab his diverſum ſortiuntur effectum deliciæ ſpirituales, quæ ex ſui poſſeſſione deſiderium adaugent. Hæc amborum differentia eſt: De qua S. Gregorius prolixe diſſerit, cujus ultima verba hic adjungo: *Augent ſpirituales delitiæ deſiderium in mente, dum ſatiant; quia quantò magis eorum ſapor percipitur, eo amplius cognoſcitur, quod amplius ametur: idcirco non habitæ amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur.* Hinc ego Antiſtrophem huic Strophæ formabo: *Cor calidum in re calida, non in frigida:* hoc eſt deſiderium in rebus ſpiritualibus, quæ accendunt, ſed non in rebus ſæcularibus, quæ potius ſpiritum refrigerant.

Gaudere de ſemetipſo.

Cum quis improviſo quodam rerum ſuarum ſucceſſu, ſibique exoptato, in actum Jubili, & hilaritatis proruperit, his verbis declaratur: *Cor facit hiſtrioniam.* Cum enim hiſtrionum, Comicorum, & Mimorum ars præcipua in hoc verſetur, ut jucunde deſideratis jocis, & ludu auditoribus tempus fallant: ſic non minus, qui præfato affectu tangitur, dicitur cor comicum gerere: unde de ſemetipſo comœdiam ludit, per quam in gaudium & jubilum effunditur. Hoc dictum è Plauti ſcenis originem ducit, & ab Æſchylo confirmatur.

Tom. 2. lib. 9. cap. 22. Lib. 6. De ſpir. & an.

Qui his ampliora deſiderat, eruditum virum Turnebum Annionem evolvat: Neſcio autem ſi in his laude, vel vituperio digna ſint: prudentia enim ſvadet affectus celare; improbandus enim, & incautus eſt, qui ſuppellectilem ſuam in publico exponit. Unde S. Gregorius ait: *Deprædari deſiderat, qui theſaurum publice portat in via.* Ipſa adeo natura Magiſtra univerſalis, genitrixque mundi, in viſceribus montium, & in profundis oceani abyſſis, aurum, & gemmas abſtruſit: ſic nec animus diſciplinatus, & bene morigeratus in riſum inopinatum, nec niſi gravi occaſione, diſſolvitur: Quintilianus ait: *Riſus non procul abeſt à deriſu.* Siquidem id nihilominus contigerit S. Auguſtinus inquit: *Riſus gravitate ſit mixtus.* Hic ego quoque à riſu ad ſeria convertor.

HISTO-

HISTORIÆ, RITUS, ET OBSERVATIONES.

Corda ultra debitum grandia in animalibus ejuſdem ſpeciei. Elephanti binum Cor habent.

COmmunis omnium Obſervatorum, quicunque doctrina polluerunt, ſententia eſt, inventa eſſe animalium corda plus debito grandia, in eadem ſpecie, obſervata tamen corporis proportione: idque in animalibus potiſſimum timidis, ut leporibus, damulis, talpis, & ſimilibus. Mauri, quippe qui plus cæteris nationibus Elephantos nutriunt, eos binis cordibus dotatos aſſerunt, quorum uno ad iram, & ad belligerandum utantur: altero ad quietem, & pacem. Animal enim pacificum ſimul, & bellicoſum eſt. Referunt Phyſici, cor hirſutum, & piloſum ſignum eximiæ audaciæ, iræ, & furoris eſſe, quippe quod maximo calore ardeat, unde etiam ab intro, hos villos producat: quid non foris eveniet? Abundat cor tale copioſiſſimo ſangvine. Hujuſcemodi corde dotatum fuiſſe legimus Ariſtomenem Meſſenium, virum bello, & virtute militari inclytum non ſolum inter Græcos, ſed in orbe propemodum univerſo: tot enim hoſtium exercitus fregit, & rebellium provinciarum inſultus domavit. Supra cujus ſepulchrale monumentum ingenioſiſſimus Alciatus aquilam collocat, diſtentis alis, adjuncto lemmate: *Signa fortium.* Unde ut tanti Herois fama tanto magis increſcat, quamvis videar à propoſito meo aliquantum diſcedere, operæ pretium nihilominus æſtimo in has paginas, quamvis viles, ſequentes verſus conferre, ut tanto magis tam valoroſi cordis virtus innoteſcat:

Ex Alc. Emb. 127.



Dialogiſmus.

Quæ te cauſa movet volucris Saturnia, magni
Ut tumulo inſideas ardua Ariſtomenis?
Hoc moneo: quantum inter aves ego robore præſto,
Tantum ſemideos inter Ariſtomenes.
Inſideant timidæ timidorum buſta columbæ:
Nos aquilæ intrepidis ſigna benigna damus.

Pretia valoris hæc ſunt, ut ipſas adeo Regalium volucrium pennas incurvent, & earum roſtra eloquentiora reddant, quàm non eſt in Roſtris ſuis Cicero, aut Demoſthenes.

Ejuſdem conditionis fuiſſe ajunt Cor Lyſandri, & Canis cujuſdam qui Alexandri erat. De hoc nihilominus ſententia nata eſt, exiens de ore Platonis, in eos per improperium dicta, qui animum ſtultum & ſervile ingenium habent: *Es anima habens ſerviles pilos*: alludendo ad mancipiorum vilitatem, quibus pili radebantur. Valerius Maximus item refert, atteſtante Suida & Phyloſtrato, Hermogenem Tarſenſem, grandem Oratorem (prout libri ejus declarant, quos in lucem edidit plenos acumine, & ingenio elevatiſſimo) cor hirſutum, & portentoſæ magnitudinis, quantum unquam inter homines viſum ſit, habuiſſe. Sic Marcus Antonius Morettus refert, in pectore famoſi cujuſdam Latronis inventum fuiſſe Venetiis cor totum hiſpidum, hirſutum, & piloſum. Volunt id indicium eſſe exceſſivi, & ſuperabundantis caloris, nec minus etiam vafritiei, & duplicitatis.

In Lib. Var. Lect.

Quidum Phyſicorum, inter quos eſt Pater Franciſcus Mendoza in amœniſſimo *viridario* ſuo, nos inſtruunt, cur ſit in medio pectoris cor ſituatum, & aliquantum tamen inclinet: idque verſus regionem ſiniſtram potius, quam dextram: Item ſi in eodem meditullio ſemper perſeveret. Diſtingvunt ergò ſedes facultatum, dicendo: *Supremam ſedem animalis facultas obtinuit, mediam vitalis, infimam naturalis.* Hac ratione neceſſe erat, ut virtus cognitiva, vel intellectiva, ab officinis alimentorum & nutritionis craſſioribus ſepararetur, ne inde halitus cerebri pertur-

De florib. Philo. Problem. 18. pag. 96.

perturbaretur, de quo nihilominus intelligentia naſcitur: cum de hoc proverbium illud tritum enatum ſit: *Craſſus venter non gignit tenuem mentem.* Cum nihilominus calor ſpirituum vitalium ad opera animalia & facultates naturales neceſſarius ſit, oportuit in medio unius & alterius ſtabiliri cor, tanquam officinam caloris vivifici, ut tanto commodius communicari, & inter utraque ſe participare poſſit. Ad rationes has neceſſarias aliæ rurſum plauſibiles accedunt, dignitatem videlicet membri tam nobilis ſic requiſiſſe, ut in medio humanæ facturæ collocaretur, cum Dux & Princeps reliquarum corporis partium ſit; optime enim convenit, ut medium occupet, prout ſapienter Peripateticus cenſet: quod nihilominus etiam ad majorem cujuſque individui commoditatem ſervit: totum enim ejus temperamentum à calore cordis dependet. Decuit igitur, ut Natura ad tutelam vitæ noſtræ curam & ſollicitudinem pro membro principali præcipuam gereret: cujus minima læſio grave detrimentum infert: Idcirco etiam natura jam memorata ſufficere ſibi noluit, ut in medio pectoris hoc membrum locaret, quin etiam illud oſſibus fortiſſimis & duriſſimis munivit, & circumdedit, prout Plinius notat. Hinc à peritioribus Anatomiſtis obſervatum fuit, oſſa quibus ambitur, figuram gladii, aut cultelli exhibere: quaſi armata manu defendere, & cuſtodire natura partem, tam nobilem, tamque conſiderabilem ſategerit.

Lib. 11. c. 37.

Habet, præter rationes jam adductas, operationem duplicatam cor noſtrum, pulſationem nimirum, & reſpirationem, quæ in medio noſtri principium habet multo aptius, quam in ultima corporis parte. Sicut item cum majori utique difficultate perennis ejus agitatio noſci, organicus vero pulſus indicari non tam dilucide, mediantibus arteriis, nec hominis diſpoſitio, aut temperatura diſcerni poſſet, ſicut nunc diſcernitur.

Lib 3. fin. 10. Tract. 1. c. 1. & fin. 11. c. 1. De Anatom. Cordis.

Conſiderato cordis ſitu, reliquum eſt, ut in quam potiſſimum partem inclinet, conſideremus: Avicenna opinatur, quod ſiniſtram verſus propendeat potius, quàm verſus dextram: ejuſdem ſententiæ ſequaces ejus ſunt, fundati in aſſertione Ariſtotelica, & hoc modo rationes ſuas ſtabiliunt. Pars ſiniſtra inquiunt, humani corporis frigidior eſt, idque ex conſenſu univerſali ſcholæ medicæ. Itaque neceſſe fuit damnum hoc cum calore accomodo, digerente, & vicino reparari. Id quod contingit, dum inclinatione ſua cor tale temperamentum adfert: ſic una, alteraque qualitas elementaris permixta temperiem ſalutarem, & idoneam efformat. Dicunt præterea, ſi ad dextram magis flecteret, quàm ad lævam, partem hanc calidiſſimam junctam hepati quod fons ſangvificationis eſt, & origo venarum omnium, calorem calori adjungendo, nimium in compoſito inflammationis æſtum excitaturum fuiſſe. Experientia etiam rationi additur, dum latus dextrum pectoris calidius, atque ideo promptioris actionis, quàm ſiniſtrum eſſe liquet. Provenit id à corde, quod verſus ſiniſtram pendendo, motu ſuo ſufflat, & propellit calorem in memoratam partem: hinc provenit, ut in ſiniſtro latere acrior pulſus, quàm in dextro ſentiatur.

Lib. 6. de uſu partium. Lib. 2. de Arte Medica cap. 28.

Diverſa ab his, longeque aliter deducta eſt opinio, & ſententia Galeni, quem præcipue Thomas Vega ſequitur. Arbitrantur enim cor tam exacte ſituatum eſſe in pectore, ut nec ad dextram, nec ad ſiniſtram moveatur, ſicut nec ſurſum, nec deorſum flectatur, aut inclinet. Pro fundamento hujus opinionis utuntur, quod cor in loco ſuo firmiſſime, & illic ubi opportunum ei receptaculum eſt, ſtabilitum ſit. Nec vero illi commoditatem eſſe, unde in unam magis, quàm in alteram moveri partem poſſit. Ad id quod Ariſtoteles ſiniſtram frigidorem aſſerit, reſpondent dicendo: hanc frigiditatem idcirco neceſſariam, ut à parte dextra, refrigerari, & recreari cor poſſit: ac ſic conſtitutam eſſe corpoream compoſitionem oportet; ut in ſiniſtra detur quies motus, in altera impulſus, agilitas, & velocitas. Pars ergo frigida apta eſt uni, pars calida alteri effectui; & ſic utrimque partium diverſitas ex uſu vitæ eſt. Hæ rationes in omni adeo animali locum habent, in homine potiſſimum præcipuum ſibi locum vendicant, qui cum artium vices plures obeat, latus ei dextrum in motu eſſe oportuit, latus ſiniſtrum in quiete. Corroborat opinionem hanc experientia Anatomica, quæ cor in medio pectoris ſituatum oculis ſubjicit. Cum itaque ambæ opiniones argumentis ſuis nitantur, & authoritate utrimque ſat forti, cujus merita, & virtus utrimque conſpicua ſunt, judicio & ſelectioni Lectoris mei relinquo, quam potiſſimum præferendam judicet.

PRODIGIA, ET MIRACULA.

AD tale meritum, & gratiarum impetrationem paſſiones rectæque operationes animarum pertingunt, quæ videlicet pro Dei gloria, & pro ſalute ſua ſe impendunt, ut noſtro intelligendi modo videatur in hac quoque vita nos Redemptor noſter cogere voluiſſe, ut cum iis degamus, & habitemus, qui toto corde ſuo ad imitationem, & ſequelam ejus ſe devoverunt. De horum hominum corde, quaſi magnetica quadam energia omnipotentia illa cæleſtis attrahitur: ita quidem ut imaginem ſuam in eodem, ſicut & ſacratiſſimorum vulnerum ſuorum impreſſam relinquere voluerit, ad demonſtrandum, ſe deinceps ab hujuſcemedi corde ſeparari non velle. Clarum, & manifeſtum eſt portentum illud, quod innocentiſſimæ Claræ de Montefalco, Ordinis Eremitarum, evenit: in cujus corde, cum ſtupore figurata cernebatur imago Chriſti crucifixi. Sicut item in eodem petræ tres, aut globuli æqualis ponderis animadverſi ſunt. De S. Ignatio Martyre refert Cranzius, de eo nimirum qui ſemper dulciſſimum nomen Jeſu portabat in ore, hoc idem nomen poſt mortem ejus inſcriptum literis aureis in corde ejus repertum fuiſſe. Hoc corde ſe leonum dentibus devorandum objecit, optime noſcens nec leones ſylveſtres, nec infernales, ſuperare fortitudinem poſſe *Leonis de tribu Juda*, qui unico oculi nutu potentiam infernorum, & hoſtium ſuorum novit proſternere. Portentoſum omninò eſt, quod Thomas Brabantius de Martyre quodam, non procul à temporibus noſtris commemorat. Hic enimvero comprehenſus, & in ſervitutem tyranno cuidam inter gentiles, homini barbaro, & inhumano datus, dum ad martyrium duceretur, illuc gemebundus, & cum mœſtitia incedebat, cum tamen reliqui vultu hilari, & ridente properarent. Interrogatus à tyranno unde ei mœſtitia tanta? qui reſponſum omninò inexpectatum reddidit: dolere ſe, quod è corde ſuo imago vulnerum, & ſtigmatum Redemptoris ſui, quæ corde infixa habeat, per martyrium amiſſurus ſit. Quin ergo, inquit Tyrannus, experimentum ſumam, an ea, quæ loqueris, fidem habeant: ac ſic vivo ut erat, ſecari pectus, & cor evelli juſſit, atque illic cum ſtupore imaginem crucifixi impreſſam vidit. Ad hoc ſpectaculum continuo quidem ſtetit homo ſine motu ut glacies; ſed ſine mora totus incaluit, & amoris divini

Imago Chriſti in corde S. Claræ de Montefalco.

Lib. 8.

Nomen Jeſu notatum literis aureis in corde S. Ignatii Martyris.

Lib. 1. Apum cap. 25. p. 8.

Stigmata Chriſti impreſſa in corde Martyris.

Tyrannus ad fidem converſus, eo quod Imaginem Crucifixi in corde Martyris cujuſdam vidit.

divini ignibus feliciter ardens, ex Judice iniquo, & Tyranno, ad fidem converſus eſt, & ſangvinem tam innocentem, tam copioſe effuſum luſtrali aqua baptiſmtais eluit.

Lib. 6. c. 3. De Repub.

Crux inciſa in os cordi vicinum.

Nec ſilentio prætereundum quod Gregorius Toloſanus de Priore quodam Ordinis Prædicatorum in Civitate Argentinenſi recenſet: hic ubicunque vel ingrederetur, vel ſcriptioni ſe daret, aut quidvis aliud operaretur, aut ſederet, omni pene momento ſignum crucis formabat in pectore. Inventus fuit poſt mortem in oſſe pectoris, quod cordi vicinius erat, tam dilucide, tam evidenter habuiſſe ſignum crucis notatum, ut videri potuerit ſcalpello inciſum eſſe. Ejusdem formæ fuiſſe cor S. Franciſci Seraphici, & Auguſtini credendum eſt: quorum primus Salvatoris plagas in locis portabat externis: alter ita amore divino ſuccenſus erat, ut nec momento quieſceret, quin illud identidem replicaret: *Amor meus; pondus meum: illo feror, quocunque feror.* Hoc in figura & imagine ejus exprimitur, ubi cor plagatum apparet: Rurſum primus gerendo hæc ſigna forinſecus qualiter intus vulneratum cor eſſet, ſat demonſtrabat; unde etiam cum S. Paulo ſæpius illud repetebat: *Mihi Mundus crucifixus eſt, & ego Mundo.* Conſideremus igitur quanta illic fuerit ignium officina, quanta amorum, ubi æternus Faber, non tam radios ſuos, ſed ipſam adeo ſui imaginem impreſſam reliquit. O quanta materies hæc, ut perſvadeamur ad operandum pro gloria Dei, ſiquidem etiam in præſenti vita, tam clara eſt, tamque evidens retributio! Quod argumentum uberrimum pro pulpito ſacro eſt: de quo nihilominus ego hic loci, me alio converto, cum hic ſcopus meus præcipuus non ſit; itaque de his transferor ad

FACINORA.

INter omnes, quotquot de factis illuſtribus extant' tractatus ille compendioſus quidem, ſed ſuccoſiſſimus concivis mei, qui *ſonorus* inter Dominos Academicos, dictos *de Nocte*, appellatur æterna memoria & conſideratione mihi dignus videtur. Id ſolum huc collocabo, quod de magno hoc nomine *facti illuſtris* refert. Jam alibi diximus hoc nomen (*Impreſa*, vel facinus) iis actionibus belli impoſitum fuiſſe, quæ famam inclytam haberent, quæ item proprio nomine *facinora* nominabantur. Fortaſſe Itali hoc nomine, *Impreſa*, hujuscemodi facta nominantes indicare voluerunt, talia eſſe, quorum executio generoſis Animis cordi eſſe debeat: *fatti impreſi*, quaſi *intrapreſi* Italice dici poterunt. Nomen hoc deinceps de caſtris militaribus, ad vitam civilem tranſiit: ac ſic hæc planta, feliciter de ſolo ſuo transportata increvit. Denique ut paucis complectar, ſiquidem harum actionum, vel illuſtrium factorum ſignificatio, vel per corpora naturalia, vel per verba, & voces: ſi eadem in telis per colores & penicillos, ſi in chartis per atramentum & calamos, ſub figuris diverſis exprimantur, eæ ſolæ actiones illuc ſpectant, quæ magnanimitate plenæ ſunt, quæ heroicæ, quæ monumentis dignæ ſunt. Ego, ut ab univerſalitate hac ad particularia deſcendam, in propoſita materia, ſequendo veſtigia Con-Canonici mei, & magni Præceptoris mei, Patris & Abbatis D. Philippi Picinelli in Mundo ſuo ſymbolico, volumine quod tantæ utilitatis, Mundo attulit (prout literatis viris non ignotum eſt) primum tria hæc facta collocabo, quæ ex memorato libro deſumpta ſunt: Cor videlicet circumdatum ſerpente, quod in medio ignis collocatum non comburatur, adjuncta Epigraphe: *Non comburetur.* Alludit hoc ad Cor Germanici Herois, quod in medio Rogi funeralis voracitati ignis ſubjectum non fuit: flammam enim cohibuit vis veneni, quo infectum fuerat: ſicut Svetonius Caligula memorat. Pari modo cor noſtrum ſiquidem veneno peccati contaminatum & imbutum fuerit, ardores Spiritus Sancti recipere in ſe nullo pacto idoneum eſt. *Non enim poteſt Spiritus Sanctus conſortium pati peccati, & ſocietatem Spiritus Sancti*, inquit Origenes. Quod in Rubo illo apparuit, juxta Auguſtinum: *Ideo rubus non cremabatur, quia flamma Spiritus Sancti à ſpinis peccatorum reſiſtebatur.*

Cor incombuſtum.

Hom. 6. in Num. Aug. Tom. 6. Tract. ſuper illud: Ego ſum qui ſum.

Dux Clivienſis Carolus Fridericus, ut quantum concordia & affectus populi valeant, demonſtraret, plura corda in ſcuto pingi fecit, adjungendo lemmatis Emblematici loco, verba Poëtæ: *Hic murus aheneus eſto.* Rupertus Abbas ait: *Nos cum contra malignos ſpiritus ſpiritualis certaminis aciem ponimus, ſummopere neceſſe eſt, ut per charitatem ſemper uniti, atque conſtricti, nunquam interrupti per diſcordiam inveniamur: quia quamvis qualibet bona in nobis fuerint, ſi charitas deſit, per malum diſcordiæ locus aperitur in acie, unde ad feriendum nos valet hoſtis intrare.*

In Cant. 6. cap. 9.

Huic ipſi emblemati præfatus Dux titulum adjunxit memoria dignum: *Benevolentia optima cuſtodia.* Princeps enim qui ſubditorum ſibi corda charitate devinxit, in quovis caſu ſecuriſſimam habet in eorum defenſione tutelam. Hinc Claudianus:

Benevolentia.

Non ſic excubiæ, non circumſtantia pila,
Ut tutatur Amor.

Hinc Salonius Valerianus Imperator in ſymbolum ſuum his verbis utebatur: *Magnum ſatellitium amor.*

Ad demonſtrandam militarem generoſitatem non incongruum eſſe crediderim, gladium figurare adjuncto brachio, quem in actu duellandi teneat, his verbis ſuperadditis: *Noli fidere, ſi cor defuerit:* quod quamvis admodum vulgare ſit, propoſito meo nihilominus, ut reor, plurimùm convenit. Sic nimirum gladius, & aliud quodvis inſtrumentum bellicum, quod per ſe inanimatum eſt, ad nihil utile, obtuſum, & enerve eſt, niſi gubernatum fuerit, à magnanimo corde. Ajebat Victorinus Hugo: *Plura machinatur cor meum uno momento, quam omnes homines perficere poterunt uno anno.* Recenſet Stobeus qualiter Diogenes dicere ſolitus ſit: *Nullus bonus eſt labor, cujus finis non ſit magnanimitas, & firmitas cordis, non corporis.* Heros magnanimus, etiam abſque enſe, Leonum dentes conteret, ſicut Lyſimachus: urſorum fauces franget ut David: columnas diruet, ut Samſon: ſerpentes ſtrangulabit in cunis, ut Hercules: exercitum univerſum ſolus fundet, ut Epaminondas, ut Pelops, ut Eumenes, & horum ſimiles: E contrario metus, galeam non habet, qua defendatur, umbonem quo tegatur, quamvis ſub incude Vulcani elaboratus fuerit: nec ei ſecuritas eſſet, etiam Ægide Jovis protectæ. Unde non immerito: *Ne mihi fidas, ſi corde deficis:* præmemoratus enſis introducitur hæc verba proferens.

De anima. De fortitudine.

Conſiderando præterea, juxta Philoſophorum omnium ſententiam, quod Anima præcipuam in corde ſedem habeat, quippe quod fons & origo eſt, unde ſangvis progignitur, de quo ſangvine deinceps animarum noſtrarum potentiæ enaſcuntur: quod item anima à Deo creata, non ſecus ac puriſſima flamma de cælo derivet, & quod inde in tempore, per divinam providentiam præſtituto, & præfixo ad habitandum in carne mortali profecta ſit, quo denique rurſum reverſura ſit: non abs re judicari, ad hanc

Anima ignis de cælo proveniens, & rurſum eò revertens.

hanc meditationem exponendam cor figurare, de cujus medio flammæ exurgant, appoſita hac ſententia: *Mundi melioris origo:* quibus verbis nobilitas animæ pateſcat. Epigraphe hæc ab Ovidio mutuata eſt:

Natus homo eſt: ſive hunc divino ſemine fecit
Ille opifex rerum: & mundi melioris origo.

Metamor. 1.



Hanc mentem meam authoritas Fabii confirmat, & ſecundum omnem dimenſionem ſuam adæquat, ait enim: *Anima flammei vigoris impetum, & perennitatem, non ex noſtro igne ſumentem, ſed quo ſydera volant, & quo ſacri torquentur axes inde venire, unde rerum omnium Authorem, parentemque ſpiritum ducimus, nec interire, nec ullo mortalitatis affici fato: ſed quoties humani corporis carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus levi ſe igne luſtraverit, petere ſedes in aſtra.* Martianus Capella inquit, ſeptem planetas omnes calores ſuos derivare in animam, tanquam in filiam ſuam. Sic inter antiquos ſenſerunt Horus Apollo, & Ariſtophanes. Adhoc Prudentius intendit, dum ait: *Oris opus, vigor igneolus.* Legatur in his prolixè admodum Tertullianus *de Anima.* Et Cæſareus Junior inquit: Animam non ſecus ac vas ſphæricum eſſe, clariſſima luce circumdatum, & compoſitum. Prudentius de hoc loquitur Philo, dum in ſcriptis ejus legimus: *Anima expreſſum eſt beatæ naturæ ſimulacrum: decerpta à Deo particula: divinitatis radiatio.* Hæc vivaciſſima flamma per univerſam corporis machinam ſerpit, illamque informat: hæc corpori noſtro activitatem impertit, in operationibus ſuis illuminat, atque idcirco non malè mihi videor ſuperiora illa propoſuiſſe. Hinc Apoſtolus Paulus inquit: *Ipſius & genus ſumus.* Huic ſententiæ ſuffragatur Empedocles & ipſe Philoſophus quamvis paganus, qui etſi immenſum illum Altiſſimi ſpiritum non cognoſceret, ſenſit nihilominus univerſa in mundo naturæ igneæ eſſe: nec id ſine ratione credere videbatur, intuens in activitatem, motumque proprium ignis. Sed de his flammis ſat ratiocinatum ſit.

Dula. 10.

Cap. 9.

Ex Cauſin. ſymb. ad Hieroglyph. 2. l. 1.

DEDICATIONES.

INgenioſa inventio eſt, quam Petrus Crinitus de antiquis ſapientibus refert: qui, ut ſeptem Planetarum Dominium in corpus noſtrum exprimerent: formando circulum ſphæricum illuc hominem nudum collocabant, de cujus membris lineas quasdam ducendo, ad planetam illum derivabant, qui ei corporis parti prædominari credebatur. De corde tangebatur ſimulacrum, vel effigies Martis: volebant enim hanc corporis partem Marti ſacram: quamvis plures inter Aſtronomos ſint, qui cor à capite Draconis, tanquam ſigno præcipuo ſolis, obſervari velint. Utcunque ſit, hi ambo Planetæ calidi ſunt, fervidique progenitores ſangvinis, ac idcirco non improprie cordi aſſignantur, tanquam ſcaturigini ſangvinis. Sed ut verum fateamur, in ſenſu quantumvis myſtico, dogmatico nihilominus, ſi Mars idea valoris eſt, ſi per ſolem divina virtus intelligenda eſt, utrique cor dedicari oportet, non Mercurio furtorum, & mendaciorum Deo: nec Lunari inconſtantiæ: nec Veneri diſſolutionum: & ſic de cæteris Deitatibus malignitatis diſcurrendum. Totum hoc Muſicus meus Armatus inſinuabat: *In toto corde meo exquiſivi eloquia tua, ne repellas me à mandatis tuis.* Et in eodem Pſalmo: *Fiat cor meum immaculatum in juſtificationibus tuis; ut non confundar.* In hoc copioſiſſimi ſunt Patres, Evangelia, & Prophetæ.

Cor dedicatum Marti, & Soli.

Cor dedicatum valori, & virtuti divinæ.

SIGNATURÆ CORDIS
IN PLANTIS.

Plantæ libri ſunt, qui operationem divinæ beneficentiæ exponunt.

IN vaſtiſſimo libro plantarum, & arborum, ubi quot ſunt folia, tot paginæ dici poterunt, quæ ex uno latere nobis omnipotentiam divinam, ex altero affluentiam divinæ bonitatis explanant: Excors omnino, & infirmi ſenſus dicendus eſt, qui in his divinam gratiam, & divinos favores non advertit. Oſvvaldus Crollius vir doctiſſimus ſuper hæc talem doctrinam adfert quæ cum exactitudine tam eximia in lucem hanc veritatem collocat, & mentem perſvadet, ut tanto Authori injuriam feciſſe videar, ſi de pluribus, quæ refert, medullam ego & ſuccum non excerpſero: habet autem ita: *Neceſſe igitur Macrocoſmi, tanquam parentis diſpoſitionem, Microcoſmo, filio ſcilicet accommodare, & mundanam anatomiam, cum microcoſmi anatomia debite conferre. Exterior mundus eſt Theorica anatomia: ſpeculum in quo minor mundus, id eſt homo, videtur: ſiquidem ex ipſo homine mirabilis & præcellentis ſuæ ſtructuræ, & creationis, quantum medico neceſſaria eſt, comprehendi ratio poteſt.* Multum hic memoratus Author diffunditur, demonſtrando, qualiter Archæum ſuperius, huic inferiori uniatur; deſcendendo de ſphæris ad qualitates elementares: & qualiter hæ diverſimode & in plantis, & in herbis, componantur, & copulentur, ratione videlicet ſympathica: ſicque diſponente Dei bonitate (quæ noſtris indigentiis ſemper aſſiſtit) ut male corrigantur, quæ naturæ noſtræ inimica, infeſtare eam non deſinunt.

Ut verò hic ab illa univerſalitate, ad particularitatem materiæ præfatæ cordis deſcendamus, inprimis illud dicendum: fructus Anacardi, qui figuram cordis præſeferunt, eidemque colore omnino correſpondent, virtutem magnam in ſingultibus, & oppreſſionibus cordis habere. Anacardi, juxta Matthiolum gravem Authorem (referente item Serapione) fructus arboris ſunt, non abſimiles cordi, quale in Avicula quadam colore rubea invenitur: tum videlicet cum hi fructus recentes ſunt, tunc enim colore cor adæquant, in quibus liquor eſt, per modum mellis craſſus, ſangvini quam ſimillimus. In medio quaſi anima candida eſt, ſimilis amygdalæ exiguæ. Naſcuntur in Sicilia & in montibus, qui continuis ignibus ſuccenſi ſunt. Calidi & ſicci in tertio gradu ſunt: quodque medicinæ in iis ſervit, prædictus liquor eſt. Valet autem pro ſenſibus corruptis, confert memoriæ, frigidisque infirmitatibus ſenſuum, & nervis, & cerebro medentur. Hæc, inſuperque alia citatus author commemorat, quæ annotatione, & lectu digna ſunt iis, qui *conſervis, & compoſitis* perficiendis ſe applicant.

Antoræ & Nardi montanæ radices bina corda, exigua repræſentant, hinc ejusdem quoque affectibus ſuccurrunt. Naſcitur antora, juxta mentem Theophraſti, aliorumque ſimpliciſtarum omnium, in eodem loco, ubi Napellus: non multum ab eodem remota, corrigens, & emendans mala, quæ venenata, & lethifera Napelli natura infert & imprimit. Hinc facile apparet quantum natura allaboret, ut hominem à tinea mortis præſervet, cujus venenatis radiis antidota opportuna ſuggerit. Naſcitur montana nardus, quæ ab aliquibus Tilacites, & Niris appellatur, in Cilicia, & Syria, ramulos & folia habens ſimilia Iringo. Radices habet binas: quandoque nigriores, & odoriferas, ſimiles amphodylo, ſed ſubtiliores, & minores: Nec culmum producit, nec florem, nec ſemen. Hæc odore, & calore ſuo, omnibus affectibus ſupra memoratis medetur. Parem virtutem habet cortex Cedri: nec ſine myſterio hic fructus fabricatus eſt, qui ab intro radios ſtellares jacere videtur, foris autem in cortice colore auri indutus eſt: vim enim habet, & vitalitatem præcipuam, ut imperfectionibus ventriculi & cordis ſuccurrat. Idem nihilominus operatur, & ſal, & ſuccus, & compoſita meliſſæ, & trifolii, quæ inter herbas acetoſas, vulgares, & noſtrates cenſentur, & hinc ulteriori expoſitione non indigent. Adjungit his doctiſſimus Crollius, apices quosdam in ſummitate cardui ſylveſtris collocatos, quos Alleluja nominare conſveverunt, qui potentes ſint ad refocillandos ſpiritus cordis, ſiquidem defecerint, aut forte oppreſſi fuerint. Denique natura communis omnium parens, in plantis, & gemmis, præcipue in Sapphiris, Smaragdis, Hyacinthis, unionibus, corallis, & ſimilibus virtutem collocavit ad corrigenda, tam nobilis membri ſymptomata: ita ut catervis ſupervenientium malorum propugnacula potentium Alexipharmacorum oppoſuerit, quorum notitia & compoſitio Profeſſores artis non latet. Itaque ut his Magiſtris talium rerum documenta, & operationem, & exercitia relinquamus, ad hoc deſcendo, ut vicinius eſſentiam & proprietatem cordis explorem, præcipua ejusdem Epitheta recenſendo.

EPITHETA.

HÆc materia tantopere neceſſaria eſt, & plauſibilis, quæ videlicet orationis, & periodorum complementum dici poterit, ut magnus ille temporum noſtrorum magiſter (ſic eum nominari poſſe reor) Comes Emanuel Theſaurus in præfato ſuo Canone Ariſtotelico, non contentus iis, quæ ab Authoribus hactenus ad nos pervenerunt, epithetis, laudat & approbat, ut nova inſuper, & peregrina introducantur, ut tanto cultior, tanto curioſior periodus evadat. Sed cum hoc negocium non niſi eorum ſit, qui peritia & doctrina præcellunt, ſecurius erit commune tritumque iter incedere. Opportunam interim æſtimo electionem eſſe meliorum Poëtarum, & Authorum in præſenti volumine. Sunt autem præfati Authoris verba hujuscemodi: E contrario, inquit, Epitheta ingenioſa hæc ſunt, quæ ingenii celeritatem requirunt, ut cum ſubſtantivo ſuo conjungantur, mediante nimirum notione alia, quæ non exprimitur: illa enim vox ingenioſior eſt, quæ eodem nobis intervallo temporis notiones plures repræſentat. *Thus odoratum* Epithetum proprium eſt, & ordinatum: ſed ſi dixeris: *populi odorati*: jam ſaltus fit à populis ad odorem mediante incenſo. Atque in hunc modum Epitheta arguta ſupra quamvis Categoriam ſubjecti, quod præ manibus eſt, deeſſe non poterunt.

Dum ergo ad materiam cordis propius accedo, in campum primus cum buccina ſua majeſtate plenâ procedit Virgilius, qui cor noſtrum manſvetudinis incapax ait: *Neſciaque humanis precibus manſve-* 4. Georg.
ſcere corda. Manilius cor petulans nominat: *Petulantia corda.* Manto plaudum: *Cor plaudum, clemens, mite, piumque gerit.* Eadem martiale: *Mavortia corda.* Adhuc eadem redivivum: *Rediviva caleſcere corda ſentit.* Rurſum eadem ſitibundum: *Cordaque largitus rerum ſitibunda novarum.* Denique eadem incredulum dixit: *Incredula corda.* Hinc Manto adhuc *Cor commiſerans* inflammatum, & tremebundum appellat: *Ille Nurûs animos, & commiſerantia corda.* Item: *Qui corda fide inflammata ferebant.* Item: *Hinc timidæ mentes, tremebundaque corda creantur.* Statius igneum: *Ignea corda.* Idem flexum: *Sic flexa Pelasgum Corda labant.* Idem tenue: *Tenui captabat corde tumultus.* Leviſomne Lucretius: *Et Leviſomna canunt fido ſub pectore corda.* Poſſevinus Sacrum: *Diſſidet, & tardè ſanies ſacra corda capeſſit.* Molle dixit Ovidius: *Molle meum levibus cor eſt violabile telis.* Calens dixit Auſonius alia inſuper Epitheta conjungens: *Palpitat & requies, vegetum, teres, acre, calens cor.* Baptiſta Pius tenerum dixit: *Et tenero rigidus ſtat tibi corde lapis.* Muſæus purpureum nominat: *Tremit autem purpureum cor.* Poterit autem ad imitationem Auſonii vocari Cor juſtum, manſvetum, benevolum, beneficum, patiens, amicum, iracundum, trux, caſtum, ſollicitum, exercitatum, forte, debile, verax, ambitioſum, protervum, æmulum, decorum, deforme, effæminatum, & virile: prout nimirum virtus aut affectus requiſierit, quemcunque deſcripturus es: ſicut forte hujuscemodi adjuncta plura ſuggeret ea, quam hic addimus

DESCRIPTIO.

NOli obſecro, benevole Lector, improperare mihi, in hic annexa Hypotypoſi, ſi videor tibi in Idiomate latino nimium diſtendi, cùm enim liber dogmaticus ſit, & authoritatibus nitatur graviſſimorum virorum, cum hi omnes lingva latina ſcripſerint, ad hanc ipſam lingvam mihi recurrendum fuit. Statueram ego volumen hoc univerſum in eodem idiomate in lucem dare, ſed cùm partim in meditullio propemodum Italiæ ſim, partim etiam anteriori, imò & quotidiana experientia docear, dari publico opera tanti ponderis in vulgato ſermone noſtro, concluſi tandem, ut videlicet curioſitati ſimul & utilitati communi tanto melius prodeſſe poſſim, non niſi ſcriptione hac vulgata uti. In iis autem occaſionibus, ubi citationum traductio, vel verſio plus tolleret, quàm ſignificationi rerum adjungeret, nimium mihi viderer & felicitati, & merito, & virtuti ſcriptorum derogare, qui cum tanta doctrina, & opportunitate lucubrationes ſuas prælo dederunt, ſiquidem in alienum idioma transferrem; unde in memorata deſcriptione eximii viri mei Laurentii, quam tibi Lector expono, videre tibi licebit quodcunque hactenus dictum eſt, nitiditate & elegantia, & doctrina verborum, propemodum totum in compendio hic comprehenſum. Sunt ergo Authoris verba quæ ſequuntur, & quæ ponderoſa ſunt: hinc nolim prolixitatem eorum ſugillari, ſunt enim acuta & ad rem maxime accomodata.

COR.

PRimum pyramidis eſt figura ſenſim gracileſcente, & baſi enim ampliore in turbinatum mucronem deſinit: quia longitudo ad tractum, rotunditas ad robur, amplitudinemque confert. Situm eſt in medio thorace, ut vitalem ſpiritum, & vivificum nectar, ſalutaris inſtar ſyderis in omnia extrema diffundat. Quantitas ejus exigua, ut cæterorum vitæ principiorum, quorum vis maxima in parva mole ſpectabilis emicat. Carne dura & ſolida eſt, quo facilius inditi à Deo caloris flammam contineat, & neceſſaria perpetui motus agitatio diuturnior ſit, ac ſic expeditius in ſuos actus prorumpat. Caro hæc triplici villorum genere intertexta eſt: quorum recti, à baſi ad mucronem extremum producti in cordis diaſtole ſangvinem per venam cavam in dextrum ſinum, aërem per arteriam venoſam in ſiniſtram trahunt. Obliquorum miniſterio attractis perfruitur. Qui vero transverſi orbiculatim cor, ejusque ventriculos ambiunt, ſangvinem in pulmones, vitalem ſpiritum in aortam, & fumidos vapores in venam arterioſam egerunt. Adſunt venæ nutrientes, & ingenitum calorem foventes arteriæ, totam baſim cordis inſtar coronæ cingunt, & ramulos hinc inde explicant. Totum deinde corpus peculiari tunica cingitur, & adipe copioſo tota fere cordis ſuperficies oblinitur, ne ob perennes motus incendio conflagret, & fatiſcat. Quid ejus motum loquar? Quem non minus mirari liceat, quàm cæli labentis converſionem, aut Euripici ſepties interdiu, & noctu reciprocantis æſtus. Hac agitatione fit ſpirituum generatio: & nihil ominò in perfecto animali ferax eſt, niſi vis illa præpotens cordis fœcunditatem largiatur.

Hic fibra intacta non remanet, hic pars nulla in abſcondito latet, ad ultima cordis penetralia pertigimus. Privilegium hoc maximum deſcriptionis eſt, quod objecta ſua penè ante oculos collocet, quamvis difficilia ſint; & quæ longe à conceptione noſtra remota ſunt, præſentia & vicina facit. Magnum privilegium artis oratoriæ, & poëticæ, quippe quæ absque penicillo, & coloribus ad vivum omnia colorat, & depingit. Dulciter hæc animos mulcet, & catenis adſtringit, illuc eos trahens, quo virtute naturali pertingere nunquam potuiſſent. Hæc rerum omnium viſcera maxime abdita & occulta diſcooperit: ultimos terrarum mariumque confines aperit. Felices; qui hoc velo eloquentiæ navem oratoriæ artis norunt per hoc magnum mundanarum negotiationum conducere: hi enimverò non absque ratione dixerint, ſe cum Jaſone ad poſſeſſionem aurei velleris pertigiſſe.

De multis, quæ huc collocare mihi licuiſſet, benevole Lector, hæc pauca pato animo velim acceptes, tibi perſuaſum habens, qualecunque ſit ſincero corde datum eſſe, nec enim ſine corde hæc de corde deſcriptio mea fieri poterat. Hæc pauca ſunt, quæ de omni hoc tractatu meo exprimere potui, quibus utique optarem palatum tuum indulcorari poſſe, ut videlicet, quascunque amaritudines in verſionibus meis priſtinis hauſiſti, hoc dulcore intermixto temperes. Itaque & tu benevolo corde hæc accipe, quæ tibi miniſtrante calamo cor meum proponit. Scio te è volucrium rapacium genere non eſſe, qui veſci cordibus velis: non ignoro econtra te benignitate tua, & benevolentia acceptum habere quidquid ea voluntas conteſtatur, quæ ſinceritate cordis nititur.

Sequitur hic Applauſus ad
Operationes Cordis.

Oh di piu cupo arcano, e piu naſcoſto
Domicilio ſecreto, e di teſori,
Che concepirſi mai non pon maggiori
De piu geloſi affar ſcrigno ripoſto.
Di miſteri ſublimi almo compoſto,
De l' ire micidial ſcopo a i bollori;
Campo oue i dardi lor vibran gli amoni,
Segno del alma ad ogni moto es poſto.
Da te ſol per nutrir ſpirti perfetti
Suggon le vene il piu vitale humore,
Ond' arbitro poi ſei di vari affetti.
Ma de prodigi tuoi queſti e il maggiore,
Che il Creator per olocauſti eletti
Chiede a ſuoi culti in ſacrificio il Core.

STOMACHUS, ET VENTER.

Anatomia.

HÆc pars hominis usque adeo neceſſaria, ſpectabilis, tantique momenti eſt, ut ſi nutrimentum homini, hac parte deficiente, ſubtraheretur, hæc microcoſmi machina tam affabre elaborata & formata brevi collapſura eſſet. Stomachus enim materiam ſubminiſtrat, unde poſtmodum novi indies ſpiritus vitales, & animales in corde & in mente generentur. Hic beneficus Pater eſt, qui quod ei fauces ſuppeditant, rurſum filiis ſuis per alimenta congrua erogat, & diſpenſat. Doctiſſimus Laurentius receptaculum cibi, & potionis, primæque concoctionis officinam appellat. Aliis quoque nominibus appellatur, ut alvi conſtrictæ, liquidæ, perturbatæ, diſtenſæ flatibus, ſuppreſſæ, fœtidæ. Hippocrates item in prognoſticis aphoriſmorum ſæpius cloacam nominat. Quandoque hoc nomen *venter* omnem cavitatem internam denotat, ut ventres cerebri, cordis, thoracis: hæc enim ventriculos ſuos habent: quandoque etiam omnem cavitatem, etiam quæ ſenſum pene fugit, ſignificat. Dignitas ventriculi ex hoc potiſſimum palam fit, quod primaria facultas ſit omnium corporis alterationum & mutationum. Unde non immerito Quintus Serenus illum principem, & regem vocat, qui ſubditis ſuis, hoc eſt reliquis membris alimenta, & nutrimenta ſubminiſtret.

Sect. 4. lib. 6. Epidem.

Qui Stomachum ſalidum habent carne frigidi ſunt.

Curioſum admodum eſt noſſe id, quod Hippocrates memoriæ dedit: ait enim: *qui ventriculo ſunt calido, carnes habent frigidas.* Sunt autem hujuscemodi homines, juxta eundem Authorem venoſi, & iracundi; ventriculus enim calidus chylum fœtentem, & ſemiputridum generat, unde chylificatio non laudabilis provenit: venæ item hoc impuro ſangvine turgidæ redduntur: unde facile iracundia naſcitur: & ab his ſuccis infectis, & putridis tranſpiratio prohibetur. Obſervatu digna eſt ſimilitudo Hippocratis, quam ſuper hæc poſuit, ait enim: *Qualis terra arboribus, talis venter animalibus: unde ſi vel minimum afficiatur, aut diuturna officii vacuitate reddatur ignavior, tota corruit ſtatim, atque labaſcit naturalis œconomia. Propterea ventris ſegnities omnium confuſio eſt, vaſorumque impuritas.*

Sect. 3. l. 6.

Ventriculus organum, aut inſtrumentum cavum eſt, longum, rotundum, & membranoſum; contextum ex omni genere villorum: factum idcirco, ut ciborum receptaculum ſit, & ſinceram chylificationem operetur. Figura ejus oblonga, & rotunda eſt, per modum cucurbitæ, vel cucumeris. Ampliſſimum eum eſſe oportuit, ut videlicet pro recipiendis cibis vas capax ſit; oblongum idcirco, quod ab una parte recipiendis alimentis, ab altera in inteſtina dejiciendis accommodatus ſit. Hujus figura in quadrupedibus magis ſphærica eſt, in homine longior, ſolus enim homo dorſum largius, cæterum animalium genus acutius habet.

Quare Stomachus longus ſit.

Situs Stomachi.

Sedem vel ſitum ſub diaphragmate habet, in medio hepatis, & lienis: ſed potiſſima ejus pars ſiniſtrum hypochondrii latus occupat, idque ut gravitatem hepatis ex altera parte compenſet: hepar enim à dextro latere ſitum eſt. Sic enimvero natura illuc ſtomachum alligavit, ne nimia ciborum abundantia repleretur. In ſuperiore ſui parte diaphragmati cohæret ſuſpenſus, in inferiori inteſtinis, quæ omentum appellantur, annexus eſt: à poſteriori latere dorſo connectitur, verſus dextram duodeno, verſus ſiniſtram lieni.

Stomachus amplitudine quinque palmos habet.

Hoc vas capaciſſimum eſt, unde Hippocrates ſcriptum reliquit in quibusdam animalibus, palmorum quinque eſſe. Imo in quibusdam plures numero ſunt: in volucribus enim triplex eſt, prout quidam memorant. In animalibus, quæ ruminant, quorum alimentum ſiccum eſt, ventriculum ajunt eſſe quadruplicem. Subſtantia illius membranoſa eſt, in primis nimirum duabus tunicis: tertia de minoribus ſurculis venarum & arteriarum pene innumerabilium contexta eſt, admittens nervos ampliſſimos. Tunicarum interior nervoſa communis eſt œſophago, lingvæ, palato, ori; cujus continuationis evidens teſtimonium eſt amaritudo oris, cum ventriculus nimirum bilioſo humore ſuperabundat: unde *Hippocrates: Jamjam vomituris labrum inferius palpitat.*

In prognoſtico.

Oportuit autèm hac ratione eum conſtrui, ne forte quippiam contrarium ventriculo, os reciperet. Inde natum proverbium: *prima digeſtio fit in ore.* Contexitur autem triplici villorum ordine, partim ut ſecundum poſitionem omnem diſtendi, partim ut miniſterio illius alimentum trahere, retinere, & expellere poſſit. Superficies interioris tunicæ cruſta quadam ab excrementis tertiæ concoctionis natæ tegitur, & veſtitur, idque hac de cauſa, ne interna tunica calloſa fieret, ne item venæ in approximatione ſua damnum paterentur, moderatam etiam facultatem retentricem in cibis adduceret. Quod ſi lubrica eſſet, facile cibus dilaberetur. Tunica extera paulò craſſior eſt, & carnoſior: complures transverſas fibras habens, obliquas pauciores. Ultima quæ reliquas omnes operit, & includit, de peritonæo naſcitur, gignens Epiploon, & Anticam.

Plures venas habet ventriculus, quæ à porta ejus diſtenduntur (quarum nomina, & cognitionem verſatioribus remitto, & Anatomicis profundioribus) totidem fere arteriis copulantur. Nervos item complures de ſexta cerebri conjugatione admittit, idque in ſupertori orificio, ubi mutuo complexu implicantur; ſerie nihilominus multiplicata per reliquas partes diſtribuuntur, ubi in ramos tenues & exiguos degenerant.

Continet ventriculos partes diſſimilares, quarum tres ſunt, hoc eſt orificia duo, & fundus. Orificium idem eſt, cum ore uteri, & veſicæ. Hæc ſedes appetentiæ eſt, & famis. Summam cum corde ſympathiam habet, ſicut & cum cerebro, idque ob viciniam utriusque, extremum enim angulum, vel cuſpidem cordis tangit. Communicationem cum cerebro

cerebro habet, propter inſigniores ſtomachi nervos, qui cerebro nectuntur: unde contingit ut ventriculo malè affecto ſymptomata melancholiæ invadant: & ſi quando fame opprimitur, vibrando præfatos nervos, ipſum hepar tormentat.

Fibras gerit circulares, easque in copia ingenti, quæ præmemoratum os ventriculi conſtringunt, ne in œſophagum reſiliat, & regurgitet, & ne cibi pronis nobis, aut ſupinis in gulam relabantur.

Orificium inferius Janitoris nomine appellatur: nec abs re: officium enim illud exequitur, retinendo domi quod cibatum eſt, ne prius quàm digeſtio facta ſit, aut indebito tempore egrediatur. Non vergit deorſum verſus, ut quidam hallucinati ſunt, ſed ſuperiora ſpectat, ne quicquam decidat, niſi bene concoctum. Hæc bina orificia ſitu ſuo differunt: ſuperius enim in ſiniſtram ſpinæ partem contorquetur, circa undecimam thoracis vertebram; inferius ſedem dextram occupat. Superius illud natura paulò latius, & majoris capacitatis efformavit, quandoque enim fame ſollicitati, dura, & inconcocta deglutimus. Hæc ambo orificia ſubſtantia craſſiori, quam reliquum ventriculi corpus conſtant: Ambo rugoſa ſunt, & craſſa, fibris orbicularibus & carnoſis dotata, ad ſimilitudinem ſphyncteris: unde fit, ut dilatari, reſtringi, claudi, & aperiri poſſint.

Aperitur horum alterum ad recipiendos cibos, & ut aditum jam coctis præbeant, qui deinceps diffundi poſſint. Clauditur inferius, ne extra tempus quicquam labatur: ſuperius item, ne fumi perfectionem digeſtionis interturbent. Sic qui rem quandam confeſtim coquere ſatagunt, operculo ollam claudunt. In quibusdam hoc orificium patulum eſt, partim ob commeſſationes continuas, partim ob intemperiem humidam, ita ut reſtringi totum nequeat. Subjecti ſunt hujuscemodi homines vertiginibus, hemicraniis, ſuffuſionibus, aliisque malis. Sunt item alii, quibus ob triſtitiam ita conſtringitur, ut nonnunquam neceſſario quoque alimento tranſitum neget. Hæc autem præmemorati orificii dilatatio, aut reſtrictio non fit pro voluntatis humanæ arbitrio, nec operâ membranarum, aut valvularum, nec miniſterio tuberculorum glanduloſorum, qui per modum annulorum illud conſtringant (prout quondam credidiſſe ſe Laurentius inquit) ſed ſolo naturæ impulſu.

Supereſt, ut tertiam quoque ventriculi partem, fundum, inquam, examinemus, qui in medio Epigaſtrii collocatus eſt; flectitur autem potius verſus ſiniſtram, quàm dextram partem. Hoc ciborum promptuarium eſt, & ſedes alimentorum. Hic Medici ſedem concoctionis primæ collocant: perfecta ſiquidem chylificatio non in orificio ſed in fundo fit. Unde Natura ſagax & provida foco nutritivo, & calore temperato hanc partem dotavit: non ſecus ac caldariam quandam, quæ ad cibos concoquendos, per circumdatas flammas ad ebulliendum excitatur. Ventriculus cum exactitudine ab hepate circumdatur verſus partem dextram: verſus ſiniſtram à liene, prout ſupra relatum eſt.

Connectitur hic idem ventriculus cum genere venoſo, & arterioſo, per complures venas & arterias; cum cerebro præſertim per inſignes nervos: cum œſophago per orificium ſuperius: per pylorum cum inteſtinis, & cum partibus ventris inferioribus, vel peritonæo. Movetur motu non voluntario, hoc eſt naturali, non animali. Duplex ejus uſus eſt: primum, ut receptaculum cibi ſit: deinde ut digeſtioni, & chylificationi inſerviat. Ex una parte operatur, cum ex altera cavus ſit. In hunc modum temperatus, & compoſitus eſt ventriculus.

Itaque apud Sapientes illud inconteſtatum manet, ſtomahcum ſedem eſſe appetentiæ: hæc pars ſenſuum exquiſitiſſima eſt, quæ reliquas partes ſpectat, ne per inediam ad extrema deducantur, atque ita deficiant, & conſumantur. Ad hoc natura provida & ſolers providit: ne videlicet reliqua corporis membra exhauſta, & famelica marceſſerent. Niſi enim horum appetitui, & deſiderio tam prompte venter ſuccurreret, utiq; potentia noſtra deficeret, & brevi temporis lapſu humana ætas conſumeretur: ſic Galenus inquit. Hic ergò ut dictũ eſt, ſedes eſt omnis appetitus, & famis: hic inquam ſenſus eſt condimentorum, & ſuccorum. Porrigunt autem ſenſum hunc, duo nervi inſignes ſtomachici, nati de conjugatione ſexta. Qui autem præter hæc noſſe deſiderat, quomodo appetentia animalis excitetur, Galenum attentè conſulat: cujus doctrina & ratiocinatio nimirum prolixa huic loco futura eſſet, cùm tractatus hic compendioſus & brevis ſit.

3. De locis affectis.

3. de Criſibus Comment. ad ſect. 63. Prognoſt. 1. de ſympt. cauſis.

Curioſum porrò eſt noviſſe, ſi chylificatio, aut chyloides fiat caloris vigore, aut mediante ventriculi forma: Ad quod breviter reſpondeo: utriusque eum concurſu fieri. Certum quidem eſt concoctionem omnem opera & miniſterio facultatis concoctricis fieri; hinc ventriculus ex omni parte calefit, ſicut & calefacit: nihilominus univerſa concoctio non tam calori attribuenda eſt, alioquin febrilis eſſet, & exceſſivus. Dicatur igitur fieri concoctionis principium operante calore, ſed perfectionem ejus à forma vaſis, ejusdemque proprietate ad hoc diſpoſita provenire.

Præterea qua ratione ſe ventriculus nutriat, & alimentet, varia eſt Medicorum opinio. Quidam ajunt, in chylo fieri: alii crudo ſangvine, necdum in parenchymate hepatis elaborato, ſed in ramis inteſtini, qui portinarii dicuntur, initiatum. Avicenna Author eſt tunicam ejus exteriorem nutriri ſangvine, interiorem chylo. Zoar Anticus ſcripto dedit partem ſuperiorem, utpote nervoſam chylo, inferiorem ſangvine alimentari. Denique doctiſſimus vir Laurentius ventriculum, ſicut reliquas quoque corporis partes à chyloſo ſangvine, & elaborato in hepate nutriri exiſtimat: pro cujus ſententiæ corroboratione Galenum adducit.

Scio quidem, quod ſicut aqua vehementius agitata, tanto magis purificatur, & clareſcit, ſic objectiones quoque, & argumenta in opinionum diverſitate tanto apertius, tantoque fortius in campum veritatem producant: ſed cum opus hoc ad diſputandum inſtitutum non ſit, ſufficiet mihi, ſiquidem Lectori, quod utile fuerit, attulero, reliqua in vaſtitate argumentorum, & probationum ſita, quippe quæ ſola jam volumen integrum requirunt, curioſo lectori alibi quærenda ſunt.

Concludo in his duplicem famem eſſe: naturalem unam, alteram animalem: prior illarum absque ſenſu eſt, inſita omni parti: altera ſenſus exquiſitiſſimi eſt, propria ori, & ventriculo. Quietatur prima per ſolam aſſimilationem: Hæc autem non niſi convulſione ceſſante: hinc ſi cibus ſumptus eſt, continuò tormentum famis ſedatur: dum enim ventriculus repletus eſt, ceſſat illa convulſio, & compreſſio. Quietatur & corrigitur fames naturalis, cum tunicæ interiores rigatæ fuerint: idque non confeſtim, ſed per aſſimilationem perfectam; quæ perfectionem ſuam non niſi temporis intervallo debito conſequitur; hæc enim actio tempus requirit, & momentanea eſſe nequit. Unde Galenus arbitratur

 quod

quod chylus à venis ſugatur, ac ſubito in ſangvinem transmutetur: ac deinceps rurſum à ventriculo attrahatur. De quo quid reliquæ ſcholæ ſentiant Profeſſoribus artis, & curioſo Lectori alibi disquirendum relinquo. Sed hæc dixiſſe de his ſufficiat.

HIEROGLYPHICA.

HIC tractatus nec ſententiis, nec ſignificationibus copioſus erit: quamvis enim ſtomachus pars ſit corporis admodum conſiderabilis; cum nihilominus ad alias actiones non diſtendatur, nec aliud objectum obſervet quàm ut recipiat, & nutriat, aditum, per tam pauca non præbuit, ut idea inde debita formaretur, quæ ſcriptioni ſervire poſſet. Hunc nihilominus cum ventre inferiore conjungam, ac ſic ut debitam perfectionem ſuam conſequatur, allaborabo. Proinde hic & in præſenti Hieroglyphico id rurſum mihi repetendum eſt, quod in materia digitorum jam relatum eſt: hoc eſt, quod Ægyptii Sacerdotes per digitum medium, ventriculum figurârint: fortaſſis quod noverant, dum nimium oneratus eſt, ſiquidem digitus hic gulæ, vel faucibus immiſſus fuerit, id quod nimia abundantia aggravat, per vomitum egeri. Hanc picturam Horus Apollo expoſuit.

Stomachus in medio digito intellectus.

Adhuc alia illic ventriculi cum præfato digito analogia eſt, (inquit Valerianus) ſcilicet cum ſtomachus in medio hominis ſitus ſit, ſicut digitus ille in medio manus, hinc antiquos ad comparationem hanc faciendam occaſionem ſumpſiſſe. Adjungitur his quod ſtomachus penè inter maxima corporis membra ſit, pariter digitus ille inter reliquos maximus eſt, ſicut id videri oculis poteſt.

Si ad priorem expoſitionem intendimus, hoc eſt, quod digitus ille aggravatum ventriculum onere ſuo per vomitum liberet: dixerim actionem hanc humanæ prudentiæ admodum inimicam eſſe, nec honeſtati vitæ convenire, ſiquidem intuitu remedii hujus, helluo quispiam ſeſe voracitate nimia ingurgitet, aut vino ſe ad repletionem usque adimpleat. Quis enim neſciat fomitem & ſentinam vitiorum omnium eſſe nimiam ventris repletionem, quæ omni enormitati culparum, & delictorum ſubjecta eſt. Ex hac ſcaturigo iracundiæ ſumitur, inde eſt vindictæ bullientis rabies, inde æſtus libidinis, hinc vertigo ebrietatis, & omnis demum rationis ſanæ diminutio, quæ hominem brutis animalibus æquiparat. *Sic eſt*, inquit Baſilius: *ebrietas non ſuſcipit Dominum, ebrietas Spiritum Sanctum repellit: fumus enim enim apes fugat, crapula vero pellit ſpiritualia dona.* Quæ veritas etiam à paganis intellecta eſt, unde Anacharſis, prout magnum decuit philoſophum, ſic ajebat: *Primum quidem poculum quod infunditur ſanitatis gratia bibitur, alterum voluptatis, tertium injuriæ, & contumeliæ, ultimum inſaniæ.* Volebat Seneca ad remedium mali hujus, ſicut & iræ, præſentari hujuscemodi hominibus ſpeculum, ut intuentes in motus incompoſitos, & inſulſos, intelligant quantum à ſede rationis (qua dotati fuerant) ad ſimilitudinem brutorum animalium degenerarint. Diogenes, qui mordere ſolitus non erat, niſi vulnus ſalutiferum infligeret: interrogatus cur grande poculum vino optimo repletum, quod ei præſentatum fuerat, effuderit: reſpondit: *Si vinum ebibero, non ſolum ipſum perit, ſed me quoque perdit.* Minus damnum eſt muſti, ſed multo majus damnum rationis. Dum enim fortalitium prudentiæ demolitum eſt, ſenſus, tanquam populi rebelles continuo ad eandem deprædandam procurrunt, ſuppellectilem ejus pretioſiſſimam aſportando; ſecreta videlicet cordis. Hinc Menander ajebat: *Moleſtum eſt cum quis præ vino nimis loquitur.* Itaque nemo tam excors ſit, ut ab indomito equo iſto de ſella dejiciatur: quin potius ratione illum refrænet.

Ex Stobeo. — *loc. cit.* — *De Ira.* — *Ex Stobeo.*

Paulò copioſior eſt inferioris ventris materies, ad ſignificationes enim majores in Hieroglyphicis ſuis diſtenditur: nec verò etiam ab umbilico disjunctus eſt, prout loco ſuo patebit. Apud expoſitores ſacros & principii, & originis idea erat: hoc eſt: cum quis ſapere cœpiſſet, vel cum res quæpiam à principiis longinquis petenda eſſet. Sic vir Dei Job inquit: *Ab utero matris meæ crevit mecum miſeratio.* Et David: *In te projectus ſum ex utero: De ventre matris meæ.* Utque ad Job revertar: dixit ille ab utero matris ſuæ creviſſe ſecum miſerationem, eo quod à primis infantiæ ſuæ annis, eam erga pauperes exercuerit.

Principium ſapiendi, & cognitio à principiis remotis. *Iob. c. 18.* *Pſ. 21.*

Venter quoque ſimilitudinem, & ſignificationem maris obtinuit: proportionem autem hanc interpretes ſacri obſervant: quod ſicut Mare omne animal aquatile, flumina quoque in ſe recipit, ſic venter omne id, quod à venis miniſtratur. Optima item ſimilitudo, ad exprimendam voracitatem, & ingluviem ejus. Ebullit, & regurgitat hic per intemperantiam ſuam, non ſecus ac mare, ſemper plenus, ſemper famelicus. Sibi ſolum ſervit, nulli alteri: nec audiens, nec inhians niſi ad propriam utilitatem ſuam. *Liguritor venter* (verba ſunt Sancti Baſilii, quæ mihi cum præfata ſimilitudine correſpondere videntur:) *Semper aliquid poſtulat, nunquam intermittit: hodie accipit, cras obliviſcitur: Cum plenus eſt, de continentia cogitat: vaporibus autem cibi diſcuſſis obliviſcitur eorum, quæ ſtatuerat.* Non tantopere in Mari dixerim tempeſtuoſos fluctus elevari, non tantam ventorum copiam exurgere, quot vapores in ventre ſublevantur, quot humores turgidi ebulliunt, & evaporant.

Venter comparatus mari. — *Ex Stobeo.*

Quemadmodum item mare ſine fundo eſſe dicitur, nec ſatiari unquam devorando, ſic Hieroglyphicum quoque inſatiabilitatis eſt venter: id quod inter alios Horatius dixit:

Inſatiabilitas, & gravitas.

Quidquid quæſierat ventri donabat avaro.

Et paulò infrà.

Scilicet ut ventris lamna candente nepotum
Diceret urendos.

In Ep. lib. 1. Epiſtola 15.

Sic S. Paulus Cretenſes appellabat: *Malas beſtias, ventres pigros.* Lucilius item ait: *Jam & vivite ventres.* Ælius Donatus, commentando Terentium, ubi inquit: *Pugnos in ventrem ingeri*, exponit hæc de toto ventre intelligenda. De hac voracitate, inquit Pierius Valerianus, Rex David locutus videtur, dum ſic habet: *Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem ſuum concluſerunt.* Et alibi: *De abſconditis tuis, adimpletus eſt venter eorum.* Venter igitur ſicut mare, fundum non habet.

Ep. ad Tim. — *Pſ. 16.*

De lege divina, quæ per plura Levitici capita imperat, quandoque ut extra urbem feratur, quandoque ut comburatur, ut in cineres redigatur, quandoque ut ab excrementis & immunditiis purgetur, ſacri interpretes Hieroglyphicum & adæquatam ſimilitudinem deſumpſerunt, mundandos nos eſſe à delictis, & peccatis noſtris, quæ per putredinem & excrementa illa intelligi poſſunt. Pari modo & per fimum, & ſtercus in divinis literis, macula peccati, & reatus intelliguntur: poſſunt autem lavari, & corrigi, & mundari. Hæc extra caſtra portanda ſunt, & in terram defodienda, ne pernitioſa lue ſua vicinos inficiant.

In his præfatus Pierius vir erudiſſimus non tam ſcriptorem Hieroglyphicorum, quam gloſſatorem Scripturæ Sacræ ſe præbuit, cujus præcipuos ſenſus huc

huc adferam. Ait inprimis: Cum in Scripturis Sacris DEO venter attribuitur, illic divinam ejus ſubſtantiam & originem inferri, & prædicari: unde pſalmiſta: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Incomprehenſibilia item judicia Dei figurantur, quorum inveſtigatio, inquit Eucherius, nulli omnino homini data eſt: qui Prophetam Habacuc, ejusque verba: *Venter meus turbatus eſt in me*: intelligi vult de vaſe, & receptaculo rationis. Huic concordat, quod ipſe Redemptor noſter ore ſuo, teſtante Evangeliſta Joanne protulit, ubi ait: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Cum Jeremias repetitis lamentationibus ait: *ventrem meum doleo*: præmemoratus Author totum de ventre vel cognitione mentis potius, quàm de ventre materiali ſumendum inquit. Explicat item legem Leviticam, quam vetamur ſequi ventriloquos, in iis Magos intelligens, qui pythonicum ſpiritum in ventre gerunt, juxta interpretationem ſeptuaginta. Ex his patet, quàm in literis quoque ſacris hic vir expertus fuerit.

Pſalm. 109. — *Cap. 3.* — *Cap. 7.* — *Cap. 4.* — *Lev. c. 20.*

MORALIA ET MYSTICA.

CONſiderabilem in hoc ſtomachum inquit Aldrovandus, quod ſicut ille alimentum recipit, idque dum concoctum fuerit, & ab excrementis ſuis purificatum, ad reliquas partes transmittit, ſic pari modo ſapientem eſſe in doctrinis moralibus, aut qualibuscunque aliis. Recipit ille doctrinarum eſcam, quam proinde rationi transmittit, ad refocillandos nimirum ſpiritus, ſiquidem tepefacti fuerint: ſecernit autem purum ab impuro, hoc expellendo, illud reſervando. Gloſſa item ordinaria, cum in ſacro textu mentio fit ſtomachi, cuſtodiam illic ſenſuum intelligit. Metaphora, & ſymbolum etiam iræ & odii eſſe, inquit eadem gloſſa. In hunc ſenſum Job ait: *Cujus meſſem famelicus comedet, & ipſum rapiet armatus, & bibent ſitientes divitias ejus.* Supra quod Iſidorus Clarus: *Per famelicos & ſitientes intelligit eos, qui rapiendis divitiis inhiant.* Infelices qui talibus cibis ventres ſuos infarciunt, nec enim aliud attendant quam morbos bilioſos, paſſiones cardiacas atroces, putores, cephalalgias, convulſiones, & per conſequens, ſpaſmos, rancores, & mortem. Quem locum jam alibi ſat copioſe, & concludenter diſcuſſimus.

De monſtris. — *Iob. c. 5.*

VENTER.

CUM nomen ventris pluribus rebus conveniat iisque communioribus, copioſior in hoc ſignificatio Sanctorum Patrum invenitur. Imò verò plus debito capitulum hoc extendi oporteret, ſiquidem eorum omnium de his ſententiam huc collocare libuiſſet. Inprimis autem S. Auguſtinus, Athanaſius, Hieronymus, & Ambroſius ſupra Cytharædi ſacri textum doctiſſimam expoſitionem formant, ubi ait: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Cum enim uterus ventris pars præcipua ſit per hunc uterum in Deo patre ſecretam originis illius ſubſtantiam & eſſentiam volunt intelligi, ex quo ineffabiliter ante omnem creaturam, conſubſtantialem ſibi, & coæternum filium progenuit: De hac porro generatione, conſilium & judicium Trinitatis Sacroſanctæ provenit.

De eſſent. Divin. contra Arc. Ad Principia. — *De bono Patriarch.* — *Pſalm. 109.*

Aliter de hoc Eucherius Cyrillus, & Gregorius ratiocinantur: ajunt enim hoc nomen uteri conſilium indicare, & determinationem Patris cæleſtis, quo conſilio & determinatione etiam ante ſæculorum conſtitutionem per prædeſtinationem concepti, & in ſæculis poſterioribus producti ſumus. De hac æternitate Job loquitur. Uterus Dei, quo Judaiſmum portaſſe legitur (ſicut illud Iſaiæ eſt: *Audite me domus Jacob, & omne reſiduum domus Iſraël, qui portamini à meo utero*) alluſionem habet, inquit Iſidorus Clarus, ad id quod Pſalmiſta ait: *De utero matris meæ usque in ſenectam & ſenium ne derelinquas me.* Quod nihilominus aliter à S. Patribus Auguſtino, Hieronymo, & Eucherio exponitur: ajunt enim in hos miſericordiam divinam denotari, qua tam patienter prævaricationes noſtras tolerat. Significat item (ſic illi ajunt) divinam gratiam, in cujus ſinu, tanquam in utero refocillabantur Judæi: ſed cum in Chriſti & Meſſiæ adventu perfidiæ frigore conſtricti, & conſtipati fervorem charitatis amiſerunt, ſicut & fidem, ab hoc ſecreto ſinu rejecti, tanquam ab utero divino deſtituti, & deſolati permanſerunt.

Fortit. Spir. — *In Ioan. 22.* — *12. Moral. 22.* — *Cap. 19.* — *Cap. 49.* — *In hunc loc.* — *De eſſent. div.* — *In Iob. 38.* — *fortit. ſpir. 1.*

Supra locum illum eximium Cantici: *Venter tuus eburneus*, ubi Iſidorus Clarus ſic legit: *Obductus ſaphyris*: Rupertus Abbas non minus expoſitionem conſideratione dignam adfert, dicendo: Indicari hic naturam humanam (conjunctam divinæ) à Redemptore noſtro aſſumptam: volendo fortaſſis in pulchritudine ſaphyri divinitatem figurari, in candore eboris illibatos humanitatis mores. Ad illud Cantici: *Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis*: S. Auguſtinus & Ambroſius inquiunt, de utero ſacratiſſimæ Virginis id explicandum, quæ nobis Chriſtum verum electorum frumentum dedit, panemque vivum Paradiſi. De hoc utero pretioſiſſimo æternus Pater unigenitum filium ſuum, ab æterno prædeſtinatum Chriſtum vocavit, vaticinando per Iſaiam Prophetam: *Dominus ab utero vocavit me, & de ventre Matris meæ recordatus eſt nominis mei.* Ad quod præclarè Iſidorus Clarus: *Secundum noſtros verò ſunt verba Meſſiæ, quem Deus Pater ab utero Matris ſuæ ordinavit, & ad hoc deſtinavit, ut eſſet Servator, ac Redemptor noſter.*

Cant. 5. — *In loc. cit.* — *Cant. 7.* — *Epiſt. 120.* — *De Inſt. Virg.* — *Cap. 49.*

Uterus Rebeccæ, qui geminos includebat, prout in ſacra Geneſi habetur, juxta S. Auguſtinum, Gregorium, & Ambroſium ſignificare poterit Eccleſiam, quæ binos in ſe populos continet; quod item in utero Thamar exprimitur, juxta eosdem Authores. De quo David tale vaticinium dedit: *Erraverunt ab utero locuti ſunt falſa*: ſic rurſus Auguſtinus, & Gregorius ſentiunt. Origenes, & Ambroſius per ventrem quandoque Synagogam intelligunt: de qua ſegregati fuerunt Paulus & Barnabas, prout in actibus Apoſtolicis habetur, ſicut & in Pauli Epiſtolis.

Cap. 25. — *In pſ. 57.* — *In Cant. 7.* — *Ep. 14.* — *Gen. 38.* — *Pſ. 57.* — *Act. 13.*

Supra id quod Job ait: *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc*: citati Authores commentatur, hic Redemptorem noſtrum intelligi poſſe, qui nudus exiit de Synagoga, cum Judaiſmo relicto in incredulitate ſua, ad gentes tranſiit; ſicut caſtus Joſeph, relicto pallio in manibus Dominæ ſuæ infidelis auffugit. Copioſæ ſunt Authoritates, & ponderationes S. Gregorii ſupra ventrem, idque ſparſim in moralibus ejus, ubi mentem nonnullibi, nonnullibi memoriam, alibi cor, quandoque conſcientiam, quandoque interiora animæ vult intelligi. Quod præterea venter (proſequitur S. Gregorius) continens viſcerum eſt, illa virtus quoque, quæ perfectionis capax eſt, hac denominatione ventris appellari poterit. Mens item, dum cibum ſupranaturalem recipit, per modum ventris paſta, reliqua membra regit, & gubernat. Hi ſenſus

Cap. 1. — *In Pſ. 21.* — *2. Moral. 31.* — *In Iſ. hom. 7.* — *In pſ. 118.* — *In Iob. 1.* — *12. 20. 15. 56.* — *4. 21. 23. 11.*

ſus myſtici & figurati exprimuntur potiſſimum in Geneſi, Exodo, Job, in Pſalmis, in Proverbiis, in Iſaia, in Threnis, in Cantico, in Ezechiele, in Habacuc, in S. Joanne, & Apocalypſi. Ejusdem ſententiæ ſunt S. Gregorius, Heſychius, Chryſoſtomus, Beda, & S. Auguſtinus. Hinc ſupra illud, quod Regius Cantor ait: *De abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum:* per hoc ſignificari inquiunt occultam conſcientiam illorum: aut vero (ſic commentantur Arnoldus, Ambroſius, & Gregorius) *adimpletus eſt appetitus eorum in Chriſtum, quando ipſum usque ad crucem ſunt perſecuti.*

30. 13. 3. 15. 17. Pſ. 30. 39 Iſ. 16. Thr. 1. Cant. 1. Ezech. 3. Hab. 3. Ioan. 7. Apoc. 1. In Levit. 3. In Ioan. hom. 10. In Prov. 20. In pſ. 31. In pſ. 16. Ep. 14. in cant. 5. Levit. c. 3.

Per ventrem victimæ, de quo in libro Levitici dicitur: *ventrem atque univerſa vitalia, &c. adolebit ea ſacerdos ſuper altare, in pabulum ignis, & oblationis Domini:* S. Hieronymus appetitum, & deſiderium operandi intelligit: & generaliter (inquit idem) concupiſcentiam carnalem indicat; unde etiam de ſerpente dicitur: *ſuper pectus tuum gradieris.* In fæmina illa Madianitide fornicaria (de qua in Numeris fit mentio) quam zeloſiſſimus Phinees pugione in ventre confodit, Philo, & S. Ambroſius, & Beda, vanas, & fruſtraneas mundanorum hominum occupationes intelligunt: ſicut item momentanea gulæ oblectamenta, ſicut & ſenſuum; quæ ventri mancipantur, demum in excrementa & putredinem convertenda. Ejusdem mentis Arnoldus eſt, & S. Gregorius, qui demonſtrant, mentibus Deo conſecratis, omne id, quodcunque in humanis & terrenis actibus operantur, cadere in ſeceſſum, & putrefieri, relinquendo rationem purificatam, & ad miniſteria divina bene compoſitam. Unde Apoſtolus Paulus inquit: *Eſca ventri, & venter eſcis.* Qui verò luxuriæ dediti ſunt (idem Gregorius in pluribus locis repetit) contrarium agunt, Deum enim ſibi ex ventre ſuo conſtituunt: ad quod verba S. Pauli referenda, dum ait: *quorum Deus venter eſt.* Idem dicitur in Pſalmis, in Jeremia, ad Galatas, in Eccleſiaſtico. Sic Venter Behemot (de quo liber Job) in eundem ſenſum ſumitur, juxta S. Gregorium Nyſſænum.

In Ezech. 7. Num. c. 25. 2. Alleg. De fug. Sæc. 7. In Gen. 3. In Pſ. 30. 11. Moral. 1. Cor. 6. Pſalm. 30. Ierem. 4. Galat. 1. Eccli. 37. Iob. c. 40.

Iſai. c. 44.

Supra illud Iſaiæ Prophetæ, ubi Dominus ſequentibus verbis Jacob ſervum ſuum corroborat: *Et nunc audi Jacob ſerve meus, & Iſraël, quem elegi: Hæc dixit Dominus faciens, & formans te, ab utero auxiliator tuus:* S. Hieronymus ait: animabus electis, ab utero usque, hoc eſt à principio nativitatis Deum cum ſpeciali ſemper adjumento, opitulari, ut ab omni tribulatione & labore eruantur. Prout illud in Patriarcha Jacob manifeſtum fit, eum in ventre materno adhuc pedem nihilominus fratris ſui Eſau retraxit, qui primus ad exeundum proceſſerat. Intelligi item Eccleſia poterit (inquit idem author) cui à primordio ſuo divina tutela indefeſſum præbuit ſubſidium, & fideles ſuos tutata eſt.

Loc. cit.

Apud eundem Iſaiam, poſtquam de comminatione divina contra Moabitas dictum eſt, & deinceps concluditur: *Super hoc venter meus quaſi cythara ſonabit:* Lyranus concludit, & commentatur, hunc actum divinæ bonitatis & compaſſionis eſſe. Supra chymæricam illam Regis Nabuchodonoſor ſtatuam, in myſterio autem veridicam, & realem, gloſſa ordinaria chronologicam, & eruditam reflexionem format, dicendo, in ventre, qui de ære fuſus erat, Regnum indicari Macedonium, quod in militibus ſuis magnum ſonitum excitavit. Dicit item per hoc doctrinam ſignificari ad vanam gloriam directam. S. Auguſtinus contra Adamantium ſcribens, per ventrem omnis belluæ habitaculum inquit hæreticorum intelligi, ubi per erroneas doctrinas opiniones ſuas ſtabiliunt, atque idcirco numerum ſuum augent. Sed hic venter illis vacuus permanet, ut nullum emolumentum ex magiſterio erroris conſequantur. S. Hieronymus in ceto Jonæ figurat limbum tenebroſum, in quem Salvator noſter deſcendit, ut in valle illa miſeriarum detentos liberaret. Poterit item, juxta mentem Ruperti Abbatis, & Lyrani, mors Redemptoris intelligi, aut ſepulchrum ejus: convenit Evangelium Joannis: ſicut & S. Matthæi, qui locum profundum, & abſconditum illud fuiſſe inquiunt. Unde in Eccleſiaſtico legitur: *De altitudine ventris inferi.*

Iſa. c. 16. In Ioan. 1. Eccl. c. 51.

S. Gregorius inquit, in univerſum, ſub nomine ventris humanum genus ſumendo, Paradiſum ſignificari poſſe, in quo genus noſtrum formatum, & compoſitum eſt. Hujus portas præpoſterè, Dæmon aperuit, dum per ſimulatam vafritiem ſuam diſſolvit, & eraſit de humano corde præceptum divinum. Venter item, ſecundum S. Auguſtinum, perfectam legis adimpletionem figurare poterit, de quo Judæos aberraſſe Regius Pſaltes inquit; *Erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa.* In hoc ventre Joannes Baptiſta abſconditus fuit (de quo S. Lucas meminit) dum venturum Meſſiam è deſerto ſuo prædixit, & annunciavit.

2. Moral. 12. De Sanctis Serm. 20. Pſ. 57.

In Iſaïa, ubi Propheta inquit: *Transgreſſorem ex utero vocavi te:* S. Gregorius, & gloſſa interlinealis inquit, hic illud tempus figurari, quo populus ille electus de ſervitute Pharaonis liberatus fuit: In hoc utero præfati authores ſinum Dei intelligunt, in quo portati fuerant. Rurſum apud Job, ubi dicitur: *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc:* præmemoratus Papa Gregorius in eodem loco inquit: *Nudus exire dicitur de utero matris, quando tentatus cognoſcit ſe in fide per primam gratiam, ſine propriis meritis, aut virtutibus gentium. Et nudus revertitur illuc, cùm poſt tentationem cognoſcens infirmitatem ſuam, metuens ne nudatus ſit virtute, per humilitatem, vel gratiam robuſtior redit: tribuens divino adjutorio, quidquid virtutis habet.* Optime hic Sanctus Pater manifeſtat divinæ voluntatis abſolutum, & ab omni alio independens arbitrium, dum ſupra ſuperiora illa Prophetæ Job verba: *Ab utero matris meæ egreſſa eſt mecum miſeratio,* ſic habet: *Ut declaret, non fuiſſe ſui arbitrii, ut cum ipſo exiret, ſed eſſe ex conditoris munere, à quo illam accepit.* Rurſum S. Auguſtinus ex eo, quod Pſalmiſta inquit: *Tu poſſediſti renes meos: ſuſcepiſti me de utero matris meæ:* deducunt, pravam conſvetudinem Babyloniæ impuræ intelligendam, hujus inquam Mundi: unde anima, quæ ſub protectione Dei altiſſimi eſt, ab hoc utero eripitur. Poterit inſuper, ajunt iidem, ipſe mundus hic ſignificari.

Iſ. c. 48. 2. Moral. 4. In loc. cit. Pſ. 138. In loc. cit. De fug. Sæc.

Gloſſa ordinaria myſtice per Benjamin uterinum fratrem caſtiſſimi Joſeph, S. Paulum intelligit, qui ab utero Synagogæ, ad gremium Eccleſiæ transportatus eſt. Origenes, & Heſychius per ventrem rurſum eos figuratos volunt, qui per ſuggeſtionem Spirituum Pythonicorum, & aliorum reſponſa dabant, qui olim ventriloqui, & Pythonici appellabantur. Adhuc iidem eos ajunt figurari, qui ſe gulæ, & concupiſcentiis devoverunt. Concludunt deinceps hoc prudenti documento: *Ventriloqui etiam ſunt, qui quaſi de intelligibili ventre, ſui cordis fabulas quaſdam, id eſt, falſas doctrinas, & prophetias proferentes, decipiunt.* De his in libro Levitici legitur: *Non declinetis ad magos, nec ab hariolis aliquid ſciſcitemini, ut polluamini per eos.* De his hactenus dixiſſe ſufficiat.

In Gen. 43. In Iſa. hom. 7. In Levit. 19. Cap. 19.

PROVERBIA.

NON ſecus ac in epulis, ſi cibus idem, quamvis opiparus, ſemper appoſitus fuerit, vileſcit tandem, nauſeamque toties repetitus parat, ſic proverbia quoque ſi in compoſitione nimia multitudine inculcata fuerint, nimiumque abundaverint, vim ſuam diſperdunt, & diſpendium æſtimationis ſuæ patiuntur. Unde Manutius ſcitè nos admonet: *Meminiſſe oportet, quod Ariſtoteles in commentariis Rhetoricis admonuit de adhibendis epithetis, id nos in uſurpandis adagiis obſervemus, nempe ut illis utamur, non tanquam cibis, ſed tanquam condimentis.* Sicut enim (proſequitur idem Author) ridiculum eſſet margaritam ligno, vel plumbo, vel hujuscemodi viliori materiæ includere velle, ſic proverbium cum nimia profuſione uſurpatum, pretium amittit, & in vilipendium tranſit. Recordor in eodem ſubjecto de calamo meo mihi verſus ſequentes effluxiſſe.

Proverbiis cum moderamine debito utendum.

Teſor, che s'accommuni anco al ſervile,
Stema di pregio, e nella copia e vile.

lib. Inſtitut. 6.

In eundum ſenſum Fabius inquit; *Primò advertendum eſt, ne paroemiâ crebriter nimis utamur: & ut adfert lumen clavus purpuræ in loco inſertus: ita utendum eſt raritate in proverbiis. Accedit ad hoc quoque incommodi, quod crebras captanti captanti parœmias, nonnullas neceſſe eſt admiſcere, vel frigidas, vel coactas: Non enim poteſt eſſe delectus, ubi de numero laboratur. Poſtremò gratiam amittit, quidquid aut immodicum, aut intempeſtivum eſt.* Concludit Manutius licitum eſſe in familiaribus Epiſtolis aliquanto liberalius paroemias adducere, quippe quarum ſtylum popularem eſſe oportet, potius, quàm in oratione quæ elevatiorem & magis ſerium loquendi modum efflagitat. Pauca nihilominus in propoſito ventris puncto proverbia occurrunt: de quibus cum brevitate, ut verum fatear, hic neceſſariâ ratiocinabor.

Proverbia magis familiaribus literis, quam orationi ſeriæ conveniunt.

Jejunus venter non amat prolixitatem verborum.

Nulla unquam lupi cum agno tanta fuiſſe antipathia potuit, ſicut nec columbæ cum ſerpente, quanta eſt ventri famelico, & inani cum prolixitate verborum. De hoc proverbium illud emanavit: *Venter auribus caret:* aut in vulgata magis ſignificatione.

Jejunus venter non audit verba libenter.

Contra famem verba fortitudinem non habent, & nervoſiſſimum vigorem ſuum etiam optime ſolidata ratiocinatio amittit.

Diſcurrebat olim univerſam Græciam ſequens adagium: *Contra famem nulla contradictio eſt.* Hoc proverbio, juxta Plutarchum, & Gellium, Cato ſenatoribus Romanis legem agrariam diſſvaſit: inſinuando neceſſitatem, qua quisque ad ſe cibandum & nutriendum conſtringitur, idque ubicunque paſcua nactus fuerit, ne forte ipſis adeo brutis animantibus pejoris conditionis eſſe videatur, quibus libertas non denegata eſt, ubicunque libuerit, & ubi eos naturæ impetus allectaverit, alimoniam ſuam inquirere. Confirmat hanc ſententiam Seneca, ubi ait: *Venter præcepta non audit, poſcit, appellat.* Hinc rurſus illud proverbium exortum eſt: *Ventre pleno melior conſultatio:* Cùm enim corporali neceſſitati ſatisfactum eſt, utique animus expeditior erit ad proſpiciendum id quod utile & proficuum eſt. Fames, ut verum dicamus, peſſimus omnium inimicorum eſt: nec enim gemitus exaudit, & ſicut ales Titii, nobiliora, & cariora inteſtina noſtra corrodit, & conſumit. Livius nobilis ille Hiſtoriographus ait: *Fames ultimum ſupplicium,* & alibi: *fames & frigus miſerrima mortis genera.*

Ep. 21. lib. 3. Decad. l. 2. Idem lib. 8.

Hinc ut morbo huic medeamur, ut hanc belluam cicuremus, illud proverbium occurrit: *Venter moleſtus interpellator.* Quam ſententiam evidenter manifeſtant, qui ſtimulante calamitate, & neceſſitate hoc rabido dente (ut ſic dixerim) mordentur. Hinc quæ itinera famelici non ingrediuntur? quibus ſe oneribus non ſubſternunt? Quibus æſtibus non ſolvuntur? quibus frigoribus non obrigeſcunt? Deſudant, fatiſcunt, & penè opprimuntur, nec unquam deſiderata quiete, aut bono aliquo perfruuntur. Sic miſerabiliter ſub hoc torculari gemunt. Fami dignitates cedunt, & quidquid honorificum eſt: Id quod Ulyſſes ajebat:

Fames nil non audet.

Non eſt improbior res altera ventre moleſto,
Quippe vel invitum meminiſſe ſui jubet: & ſi
Valde animo crucieris, & angat pectora mœror.

Hinc Quintilianus inquit: *Non habitant ſimul pudor & fames.* Hæc ſæpè nobiles, quos nulla alioquin adverſitas de gradu ſuo dejeciſſet, ad incitas redigens, coëgit ſtipem oſtiatim mendicare.

Declam. 5.

Poſſibile non eſt, ut homo ventri, commeſſationibus, & bibacitati deditus, ad ſublimia ſe levet, & ſubtilia comprehendat, ita ut mentem ſuam ad Ideas principales apprehendendas ſublimare, & ab his terrenis, & fæculentis rebus ſe ipſa defæcata, & purificata poſſit abſtrahere. Dixit hoc Paulus, prout ſupra: *Eſca ventri, & venter eſcis,* quod in proverbium transiit: *Pingvis venter non gignit ſenſum tenuem.* Hoc adagium S. Hieronymus allegat: idque plus à Græcis, quàm Latinis uſurpari: traducitur autem à Græcis ita: *Subtile pectus venter obeſus non parit.* Hunc ſenſum pungentem Galenus contra Thraſybulum vibrat, dum ait: *Et hoc ab omnibus prope hominibus canitur, eo quod omnium veriſſimum eſt: quod venter obeſus non gignit mentem ſubtilem.*

Deditus ventri ſublimia meditari nequit.

Quamvis admodum ſtulta fuerit Lacedæmoniorum condemnatio in eos qui ventre craſſo, & obeſo eſſent: Erat enim apud eos infamis; quaſi verò moles illa corporis offendere ſpiritum poſſit, ut quæ pondere ſuo eundem præpediat, ne volatu ſuper ſidera ſe elevare poſſit: cui tamen quotidiana experientia contrarium demonſtrat. Unde etiam inter noſtros vetus proverbium eſt: homines pertica non menſurari & quod in corpore gracili mens habitare poſſit craſſa, ſtolida, dura, & incapax. Agatharcides apud Athenæum de quodam Anelide meminit, qui cum intemperantiæ & nimiæ luxuriæ in pleno ſenatu incuſatus eſſet, Lyſander Judex videns hominem ventre diſtento, & prominente, accuſatoris partem ſuſtinens, vix non hominem in exilium mandaſſet: Nec tamen obeſus ille acrem & vehementem reprehenſionem evitare potuit: qui proinde cauſa fuit, ut novo edicto promulgato Lacedæmoniis temperantia, & frugalitas vitæ imperaretur. Sic Menander de quodam pingvi ait: *Obeſus ſus promebat os viri.* Ego quoque huic opinioni ſubſcripſerim, quod nimirum venter nimium ſaginatus, & paſtus ineptus ſit ad ea quæ acuta & ſubtilia ſunt, ſpeculanda: ad quod mens libera, & ab omni ciborum vapore caſtigata, ab omni impuritate repletionis depurata requiritur. Hunc ſenſum aperit Horatius, dum ait:

lib. 12.

Venter nimium paſtus libertatem mentis impedit: quo minus alta & ſubtilia contemplari poſſit.

- - - Nam corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoq; prægravat ipſum:
Atque affigit humo, dejiciens particulam auræ.

Demonſtrat Plutarchus, apud Cælium, Adoleſcentulos ad cibos ſolum inclinatos, duriſſimi ad diſcendum ingenii eſſe. Fateamur inquit Sanctus Auguſtinus, *nihil magis arcet a contemplatione veritatis, quàm*

De verb. relig.

luxus vitæ. Quod & ipſis adeo paganis innotuerat: M. Tullius enim ſic declamat: *Tres virtutes, fortitudinem, juſtitiam, prudentiam frugalitas eſt complexa.* Et Vegetius: *Nunquam periclitati ſunt fama, qui frugalitatem inter copiam ſervare cœperunt.*

5. Tuſcul. Lib. 4.

Cum præmemorato proverbio optimè conſonum eſt, quod ſequitur: *Ventrem mihi objicis.* Venter quanto magis repletus eſt, tanto dicitur levior eſſe, quamvis graviorem eſſe oportere ratio dictet. Videtur autem idcirco levior, quod fumos & vapores ad cerebrum transmittat, qui rationem perturbando maturitatem ſenſuum eripiunt, ita ut ſemel de ſede ſua ratione mota, in mille levitates animus prorumpat. Interim cætera membra nimio nutrimento redundantia omni malorum generi expoſita ſunt, longe abeſt ut ullam levitatem conſequantur. Hæ rationes de Collectaneis Græcorum colliguntur; latine ſic ſonat:

Objectas ventrem (quo probum & pulchrius ullum)
Plenus is eſt levior: gravis idem ubi pendet inanis.

Euripides in Iphigenia Aulidis ſic habet: *Mihi approbaſti probum, honeſtum ſcilicet.* Elegantem declarationem adjungit Manutius: *Aut ea in parte, velut agnigmatica levis cum plenus eſt, gravis cùm inanis. Nam reliqua vaſcula cùm pleniora ſunt, hoc ſunt graviora, quò magis inania, hoc leviora. Contra venter quò diſtentior cibo, hoc levior eſt, propter acutos, excitatosque paſtu ſpiritus.*

Graviſſima interim mala ſunt, quæ de bibacitate, & voracitate naſcuntur. Hanc veritatem diſtinctè ob oculos poſuit Seneca, dum ait: *Quemadmodum delicatas res deſiderare luxuria eſt: ita uſitatas, & non magno paratas fugere, dementiæ.* Et ad vivum Plato ad hanc levitatem alludendo, quæ de graviori pondere repletionis provenit, ſic nos admonendo inquit: *Temulentus bis puer.* Itaque qui ſanæ rationis eſt, hoc onus evitet, quod tantæ levitatis principium eſt. Hæc de Proverbiis

HISTORIÆ, RITUS, OBSERVATIONES, ET CONSVETUDINES.

VIvus doctrinæ fons hiſtoria, & conſvetudines ſunt, apta ad perſvadendum tanto efficacius, quanto id quod in exemplo adducitur ponderoſius eſt, quàm quod verbis deſcribitur. Hæc ſecum memoriam redivivam ferunt, quæ ad poſteros usque transmittitur, & quaſi vivum calcar de ſomno pigritantes, & lethargo fatali ſopitos exſuſcitant; quin & improperando objurgant id, quod in ipſis adeo paganis illuſtre apparet. Quod autem ventrem attinet, ſpecialem nobis locum ſubminiſtrat Plutarchus, Ægyptios in functione mortuorum, de cadavere ventrem eximere & ſeparare ſolitos, eumque deinceps ſoli expoſitum ſecaſſe, & interiora effudiſſe, judicantes eum fontem, & ſentinam malorum omnium eſſe, id quod experientia probatur. Hoc de Cœlio ſumptum eſt, qui ſicut in ſuperſtitione rituum ſuorum vanus eſt, ita in moralitate eximius: in quo rectitudo quædam animi eluceſcit, quanta quidem in paganum cadere potuit.

Coelius Rhod. lib. 13. c. 25.

DEDICATIONES.

Condemnantur ni-

NON poſſum, quin quandoque condemnem eos, qui ſolo cortice lectionis ſuæ contenti, ad interiora intelligentiæ ſuæ oculo non penetrant, atque ideo gentilium plerasque actiones improbant, declamando eas vanitate, & ſuperſtitionibus plenas eſſe: non ſolum opere ipſo, ſed & cogitatu. Hi enimvero intelligentiæ ſuæ rationem debitam habuerunt, ponderando in effectibus naturalibus dependentiam, & ſubalternationem, quam inferiora habent per unionem quandam admirabilem cum Archæo ſuperiore: atque ita de his ſiniſtre opinati ſunt, & ratiocinati, ſiniſtre ſcripſerunt. Ego verò in conſiderationibus phyſicis his aſſentior, qui de correlatione hac tam docte ſenſerunt, & concluſerunt.

mis ſeveri paganorum Cenſores.

His conformiter ſenſit doctiſſimus Aldrovandus ſtomachum Lunæ dedicatum eſſe, idque non ſine fundamento. Cum enim Luna humorum Mater ſit, Patrona, & ut ita dixerim Anteſignana aquarum: ſtomachus autem ſemper humidos vapores exhalet, ex hac ſymboleitate creditus fuit dominio Lunæ ſubjacere: meritò inquam: Luna enim pro curſus ſui varietate nunc diminuitur, nunc increſcit, ſic ſtomachus jam perfectæ conſtitutionis eſt, jam verò in defectu eſt, ob alterationem quam ex ciborum genere patitur, & proinde reliquum corpus adverſa valetudine corrumpit. Sunt autem eximii authoris illius verba hæc: *Stomachum magna pituitæ copia redundantem ad dominium Lunæ referebant, cùm hæc humiditatum abundantiam progignere credatur.* Hinc cum ſagacitate quadam & cum erudita moralitate, juxta eundem authorem, ventrem ſigno virginis dedicârunt: volendo fortaſſe indicare per hoc, eum extra ſphæram ſuam eſſe tum, cum cibo nimio adulteratus, & corrupta puritate & ſimplicitate paſcitur. Nihilominus quid non inventavit, quo non penetravit, quæ profunda non recluſit humana ingluvies? In quo ſenſu & ego memini me aliquando abundaſſe, dum luxum ſæculi noſtri his verſibus expoſui:

Ex hiſtoria de monſtris. Stomachus Lunæ dedicatus.

S' entro nappi dorati
Peregrinati humor chio non gorgoglia,
E ſuiſcerati Parti habbino i mari,
Perche in cibi pregiati
Fumin le menſe a ſatiar la voglia,
Sono i favi d'imetto al guſto amari,
Di Nettari piu rari,
Da giove a delibar s' han le bevande,
O nel Cielo ſtemprate atrur vivande.

Non ſic nos docuit Cato, dum ait: *Tantum cibi & potionis adhibendum eſt, ut reficiantur vires, non opprimantur.* Qui vir ſi hodie compareret in præceptis ſuis exſufflaretur, & in tanta adulteratione ciborum dictum Socrati apud Plutarchum verificatum cognoſceret: *Ex carnium numero, dulciores illæ habentur quæ non ſunt carnes, ex piſcibus, qui non ſunt piſces.* Hoc eſt dum carnibus coctionis arte tantam varietatem inducunt, ut carnes non eſſe videantur. Hi ritus ætate illa primæva viguerunt: vigent adhuc hodie apud paraſitos & lurcones: vigebunt non minus in ſæculis venturis. Sic mens per hæc caduca & fugacia oblectamenta penitus obtenebrata, ciborum illorum cæleſtium curam non habet, de quibus Pſaltes Regius: *Guſtate & videte, quoniam ſvavis eſt Dominus:* Et ipſe Redemptor noſter: *Cibus meus eſt, ut faciam voluntatem patris mei, qui eſt in cælis.* De his cibis transeamus ad alios his tamen ſemper inferiores.

Cato major. De tuenda valetudine.

NOTA LITERÆ V. APUD ANTIQUOS.

IN Alphabetico exercitu cum lineis bipartitis hæc litera V. ſe elevat, quam dixeris quaſi unam ex militibus illis eſſe, qui tempore Cadmi Seminatoris in ſemetipſos animati præliabantur: Hoc enim V. tanquam nativo bidente armatum contra reliquos pugiles ſuos opponi videtur: aut verò melius dixeris, ut ſe ſociosque ſuos à venenato morſu, & lethali aſſaltu exitioſi Draconis tueatur, quod propriis ſeſe armis defendat. Egreditur autem hæc litera, prout patet, ore propemodum concluſo: ſed ut tanto clarius ſonitum edat, & evidentius audiatur, in ultimo vocalium loco collocatur: atque illic, tanquam in confinibus periculoſis poſita, ſeveras vigilias habet, duplicique vallo ſtationem ſuam munit & conſervat. Hæc porta & clavis eſt, qua ſpiritus hominis exprimitur: nec enim nomen *Vox* ſine literæ hujus principio, uſurpari poteſt.

Hæc inter alias quoque ſpectabilis eſt, & plurimum obſervata. Ziffratores autem ut eam figurarent, ſibi ventrem tangebant. Simplex itaque V. in notis antiquis hæc ſignificabat: *Vir, victor, vicit, Vitellius.* V. VI. VII. VIII. *quinque, ſex, ſeptem, octo.* V. A. *Veterano aſſignatum.* VA. *Valerius. Valerianus.* VAL. CS. *Valerius Cæſar.* VAT. *Vates.* V. A. XI. *Vixit annis undecim.* V. B. A. *Viri boni arbitratu.* V. B. F. *Vir bonæ fidei.* V. C. *Quinti Conſulis. Vir conſularis. Vir clariſſimus.* V. C. C. F. *Vive conjux clariſſima feliciter.* V. COSS. *Voluerunt Conſules.* V. D. *Vivus dedit.* V. D. A. *Vale dulcis amice.* V. D. N. V. *Vale decus noſtræ urbis.* V. E. *Verum etiam. Viſum eſt.* V. F. *Vivens fecit. Valde feliciter. Uſus fructus. Vir Fortis.* V. F. S. E. S. *Vivens fecit ſibi & ſuis.* V. F. C. *Viam faciendam curavit.* V. J. *Vir juſtus. Vir illuſtris.* VIC. *Victores.* VIR. *Virtutes.* VIR. VES. *Virgo veſtalis.* VI. VIR. *Sextum viri.* VIX. *vel* V. *Vixit.* VIX. AN. III. MENS. XI. DIEB. XV. *Vixit annis tribus, menſibus undecim, diebus quindecim.* VLPS. *Vlpius. Vlpianus.* V. M. M. *Votum merito Minervæ.* V. MVN. *Vias munivit.* V. N. *Quinto Nonas.* V. N. V. *Viro noſtræ urbis.* V. P. *Vivus poſuit. Vrbis Præfectus. Vir probus vel prudens.* VP. IP. *Veſpaſianus Imperator.* V. P. R. *Veteri poſſeſſori redditum.* V. P. *Vir Prætorius.* V. QUÆS. *Vir Quæſtorius.* VR. *Urbs. Urbis. Urbanus.* V. R. *Urbs Roma.* VRB. C. *Urbis Conditæ.* URBI SAL. *Urbi ſalia.* URB. R. *Urbis Romanæ.* V. S. *Vivens ſtatuit. Vir Sacer. Voluit Senatus.* V. S. C. *Voti ſui compotes.* VS. CS. *Veſpaſianus Cæſar.* V. S. L. M. H. D. S. S. *Vivus ſtatuit lege mandati hoc de ſuo ſibi.* V. S. L. M. *Vivens ſibi loco monumenti. Voto ſolemni, libero munere. Vivens ſibi legavit locum monumenti. Votum ſolvit lubens merito.* V. S. L. M. P. *Vivens ſibi locum monumenti poſuit.* V. S. P. *Viri ſibi poſuerunt.* V. V. F. *Vivus vivens fecit.* V. TRIUMPH. *Vir triumphalis.* V. VRB. *Vir urbanus.* V. V. V. *Viros urbis veſtræ.* VV. CC. *Viri clari.* VV. FF. *Viventes fecerunt.* VXO. D. *Uxorem duxit.*

Paucas præter has curioſus Lector, pro opinione mea, notas inventurus eſt, quæ hic compendiatæ non ſint. Siquidem nihilominus, tales ſe fortaſſe ob oculos præſentaverint, reliquum erit, ut acunimi oculorum meorum condoleat, qui longinquius, aut ulterius penetrare non potuerunt. Itaque deſiderium bonæ voluntatis intuendum erit.

SIGNATURÆ HERBARUM.

SIquidem ii, quibus quotidiana conſvetudo eſt onerare ſtomachum, & ventrem flatuoſis & gravibus cibis, aut vero generoſis, & fumoſis vinis, ex altero latere ſibi cordi ducerent digeſtionis difficultatem,

gravedinem, & pondus, quo ventriculum ſuum onerant, ſi dolores, paſſiones Iliacas, cholicas, & varia præter hæc mala, quibus corpus ſuum diverſimodis locis afficiunt: porro & inflammationes inteſtinorum, iſchuriæ, vel ſtranguriæ veſicalis tormina perpenderent, totamque malorum ſeriem, quam ſagaciſſima Anatomicorum & Medicorum profeſſio tum ad cognoſcendum, tum ad medendum inveſtigavit, & expoſuit: utique intemperantiæ ſuæ modum ponerent. Quamvis mala hæc nonnunquam etiam non tam vitio intemperantiæ, quam debilitati naturæ adſcribenda ſint. Unde etiam de Ariſtotele memoria eſt, eum hujuſcemodi præfatis doloribus graviſſimè tormentatum fuiſſe, idque fortaſſis ob indefeſſam ſtudiorum lucubrationem: ex qua demum effecit, ut prodigium ſcientiarū evaſerit, quem Mundus admiratur dum ex monumentis ſcriptorum ejus nomen ejus clareſcit. Hic vir dum cruditabus laboraret, ſolebat uterum repletum oleo calefacto, ventriculo imponere, per quod ſymptomati præfato medebatur. Nec vero Julium Cæſarem tot præliorum feliciter geſtorum parta victoria ab hujusmodi dolorum oppreſſionibus liberare potuit, teſtificante idipſum Svetonio. Sic enimverò infirmitates etiam magnorum virorum veſtibula ingrediuntur, nulla habita ratione gloriæ, beatitudinis, & vitæ eorum ſplendidæ.

Laert. l. 5. Svetonin ejus vita.

Abbas Wilhelmus meminit temperantiſſimum alioquin Abbatem Bernardum, eousque vigiliis & abſtinentia reductum fuiſſe, ut omnem pene digeſtionem amiſerit: ita ut cibos non retinens, continuis vomitibus ſubjectus fuerit. Refert Euſebius Aulum Perſium Scriptorem Satyricum anno ætatis viceſimo & nono è vivis præmature diſceſſiſſe, idque ob graviſſimos ſtomachi affectus. Surius item de Clemente VII. Pontifice Maximo felicis memoriæ refert, eum vitâ functum his iiſdem ſymptomatibus, propter ciborum varietatem, quam ei Medicus impoſuerat.

Porrò quod ad ventris dolores, & paſſiones cholicas pertinet, de villico quodam memorant, dum his malis afficeretur, eum allio ſupra ventrem forinſecus, & ad latus ligato, eòdemque identidem fricatum, tum & allio pani ſuperimpoſito & manducato, nullum præter hunc cibum ſumpſiſſe, & propediem malo ſuo remedium inveniſſe. Hinc eſt quod allium ruſticorum theriaca dicitur. Galenus de ſemetipſo commemorat, cum hac paſſione graviter laboraret, ita ut dicere ſolitus fuerit, ſibi videri ſe tanquam terebro auctiſſimo perforatum in ea corporis parte, quæ à verica ad uretram deſcendit, ſed poſthæc cùm vitioſum humorem ſummo labore iſthinc pepuliſſet (qui humor à Praxagora vitreus appellatur) ceſſiſſe morbum. Humor ille, ut dictum eſt, per frigiditatem ſuam vitro non abſimilis eſt, unde viſcera crudeliter feriuntur.

Allio morbus cholicus curatur. Cæli. l. 4. c. 14. lib. 2. de locis affectis.

Pharmacopola quidam Joannes à S. Germano recenſet, ſe nobilem noviſſe, qui paſſione cholica graviter afflictus, quidquid medicamentorum ſibi à peritiſſimis Artis præſcriberetur, remedium non invenerit. Huic quidam amicorum, in hoc genere morbi verſatus ſuggeſſit, ut ſibi de oleo amygdalarum dulcium ſine foco potionem componeret, adjuncto vino albo, & aqua parietinæ: hanc potionem nobilis ille ſimul cum globo plumbeo deglutivit, quem tamen prius in Mercurio vulgi intinxerat, ac ſic intra paucos dies convaluit.

Cæl. l. 4. c. 21. Ambroſ. Parcus. lib. 16. chyr. c. 19.

Nec tamen omnibus eadem evadendi felicitas fuit: De Antiocho enim dicto Epiphane hiſtoria ſacra meminit, quod cum electum Judæorum populum martyriis afflixiſſet, tandem divina caſtigatione & ultione doloribus ventris oppreſſus,

2. Matth. 5.

& extinctus ſit. Sic Joſephus Hiſtoricus Agrippæ *Antiquit. lib. c. 7.* quoque Regi contigiſſe meminit: quem Angelus *Lib. 14. Imp. occid.* Domini hoc eodem morbo percuſſit. Sic Sigonius refert Sicimero Svevorum Regi accidiſſe, qui cum Romam direptioni dediſſet, ſæviſſimam inteſtinorum, & viſcerum ſuorum lancinationem expertus eſt, qua etiam animam expiravit: homo, qui tot hominum exitium fuit. Hoc genere morbi Eliſabetha *lib. 7. hiſt. Venet.* Hungariæ Regina interiit. Bembus idem aſſerit de Ferdinando Rege Neapolitano.

Tot morbis, & ſymptomatibus magna Mater Natura, cum ſimplicibus, & compoſitis ſuis magnum miniſtravit obſtaculum, cui ars proinde omni nervo, omnique ſtudio, operatrice dextra ſuccurrit. Nec tamen ego hic in artis hujus elaborata myſteria me ingero; ſed in ſolis plantarum, & herbarum ſignaturis, pro conſvetudine mea immorabor.

Cedrus ſingularem admodum cum ventriculo habere dicitur configurationem, cum pellem externam ſat membranoſam, & craſſam habeat: ubi durum item cum tenero per modum vaſis vel urnæ fabricatum eſt: prout nobis illud de ventriculo Anatomici deſcribunt. In hac arbore ego virtutem quandam calefacientem expertus ſum, ſympathicam digerenti ſtomacho. Pomum verò ejus, in effectibus ſuis verè aureum dici poterit, ſicut tale cortex ejus demonſtrare videtur.

Nux myſtica vel *muſcata*, item nux Indica, quæ parvis ventriculis non diſſimiles ſunt, & quæ ex omni parte prominentes dilatantur, concoctionem magnopere adjuvant, ejusdem vitioſos humo- *7. de facult. ſimpl.* res diſſolvendo. Maſtiche (prout Galenus memoriæ dedit) contrariæ facultatis eſt, conſtrictivæ nimirum, & mollitivæ (notetur autem de alba dici) idcirco etiam calefaciendo ſtomacho adhibetur, quippe quæ calorem, & ſiccitatem promovet.

In ſecundo ordine apparet galanga minor (hæc enim perfectiſſima eſt) cujus radix (plena nodulis) intus foriſque rubicunda eſt: & ſpaciis interpoſitis, intra nodum, & nodum retorta, odorifera, & acerrimi ſaporis, ita ut ſi maſticata fuerit, non minus lingvam commordeat, quàm piper, aut gingiber formâ ſuâ cyprum imitatur: unde factum, ut famoſiſſimi inter ſimpliciſtas eam Cyprum Babyloniæ nuncuparint: Eo quod ab hac regione, ſicut & è Syria in Italiam transferatur. Hæc univerſa retulimus mutuata à Botanico induſtrio Andrea Matthiolo: qui ad finem ſic refert: Galanga in tertio gradu calefacit, propter quod & digeſtionem ſtomachi promovet, & ejusdem dolores profligat: qui frigore, & ventoſitate generantur.

Eandem virtutem habet gingiber, ſicut & folia ciclamini: non verò radices, hæ enim qualitatem in ſe habent, quæ paralyſin membris inducit. Idem efficiunt ſuccus abrotani, & oleum anethi: omnes adeo herbæ, quæ calorem in ſe gerunt, & præter hæc qualitatem nullam in ſe continent aut corroſivam, aut ventoſam, aut alio quovis modo nocuam; hæ enim omnes plurimum valent ad repercutiendam & digerendam illam duritiem. Atque ita magna Mater Natura, huic tam eximiæ parti hominis tamque neceſſariæ, abundantia remediorum ſuorum ſuccurrit.

EPITHETA.

Canochial. Ariſt. pag. 356. UT tanto ſemper evidentius Epithetorum neceſſitas pateat, eorumque complementum, imo vero lumen quod orationi inferunt, famoſiſſimum Authorem meum Comitem Emanuelem Theſaurum adduco: qui inter alia hoc præceptum ſuggerit, tractando de Epithetis ingenioſis: Hæc tanto magis conſpicua futura inquit, & judicium acutius demonſtrabunt, ſiquidem eruditionem quandam peregrinam intulerint locorum, vel perſonarum. In hunc modum Claudianus inquit: *Chaonio victu gentes alere:* ubi gentes indicat, quæ glandibus veſcuntur, id quod in provincia Chaonidum fiebat. Sic in locum ut dicatur Ægyptius niger, dicetur Niger Canopus. Erat Canopus urbs famoſa Ægypti, quam qui nominaverit, Ægyptum ſimul, & urbem comprehendit.

Concludit denique, totam Epithetorum figuram, præter deſcriptiones, poëſias, & orationes, illuminare inſcriptiones. Unde ſi antiquas legeris, invenies illic omnem penè ſubſtantiam conſiſtere in Epithetis, in quibus gloria mortui, aut affectus viventis conſervantur. Cum itaque Capitulum hoc tantæ ſit æſtimationis, tantique momenti, ab hac univerſalitate ad particularia progredior: & inprimis Horatium adduco, qui ſtomachum non ſine ratione ruinoſum appellat: *Ingens accedit ſtomacho* *Serm. 2.* *fultura ruenti.* Quintus Serenus, prout diximus, ſtomachum in cæteris corporis partibus Regem nominavit: *Qui ſtomachum Regem totius corporis eſſe contendunt, vera niti ratione videntur.* Laſſum idem Author nominat: *Qualia laſſum pervel-* *Horat. lib. 2. Satyr. 2.* *lunt ſtomachum.* Lyricus eum latrantem dixit: *La-* *Ibid.* *trantem ſtomachum bene leniet.* Idem jejunum: *Jejunus rarò ſtomachus vulgaria temnit.* Ingenioſum admodum eſt, quod Virgilius epithetum dedit, multicolorem utrem appellans: *Tandem poſt epulas, & pocula multicolorem ventriculum ſumpſit.* Poſſevinus capacem appellat: *Ventricu-* *Poſſev. f. 213.* *lusque capax inimico humore redundat.* Sic nos eum vel debilem, vel crudum, vel indigeſtum, vel gravatum, conſtrictum, relaxatum, langvidum, & aliter appellare conſvevimus, prout videlicet occaſio, aut voluntas tulerit.

Quod ventrem attinet, eum Manto fœcundum dixit: *Nunquam fœcundi pondera ventris.* Caſtigatum eadem: *E caſtigato tolerans jejunia ventre.* Exilem eadem: *Clunis, & exilis cava contrahit ilia venter.* Horatius mollem: *Ventreque mollis, &* *lib. 1. Serm.* *femur.* Avarum idem Venuſinus: *Quidquid quæ-* *lib. 1. Ep.* *ſierat, ventri donabat avaro.* Turgidum Politianus: *Mandare terræ turgidi ventris cibos.* Ovidius planum: *Quàm caſtigato planus ſub pectore* *lib. 1. Eleg.* *venter.* Idem gravidum: *Dum labefactat onus* *lib. 2. Eleg.* *gravidi temeraria ventris.* Idem vitiatum: *Jamq;* *In Epiſt. Can.* *tumeſcebant vitiati pondera ventris.* Item plenum *In Epiſt. Par.* idem Ponti incola: *Flammiferam pleno reddere ventre facem.*

Strozzius tumidum vocat: *Et tumidi pingvem ventris aquaticulum.* Rabidum Silius: *Nil temerare piger rabidi jejunia ventris.* Martialis liquidum: *Potabis liquidum ſignina morantia ventrem.* Jejunum Sidonius: *Vel pondera ventris jejuni.* Codrus voracem: *Et ventri dat quæque voraci.* Procacem Pamphylus: *Et ventri qui faveat ſuo, procaci.* Mirandolanus miſerum: *Miſeri pereunt diſpendia ventris.* Pendulum Conradus: *Et laxum cute, pendulumque ventrem.* Idem capacem: *Ut ventrem ſibi faciat capacem.* Magiſtrum artis Perſius: *Magiſter artis, ingeniique largitor venter.* Laxum Politianus: *Laxoque ventre, diſſipato, & fixili.* Hieronymus Balbus ventoſum: *Turgida ventoſo natura ne ventre rigebat?* Rapidum, profuſum, avidum, & vaſtum dixit Manto: *Nunc autem rapidi, diffuſa licentia ventris.* Item: *Vix renes, clunemque tegit ventremque profuſum.*

Item: *Avidique voragine ventris rumperis.* Item: *Non ſatient vaſti ſpacioſa volumina ventris.* Fauſtus turgidum nominat: *Vix ſatura explerunt turgentem ad guttura ventrem.* Perſius artificem: *Venter negatas Artifex ſequi voces.* Idem album: *Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur.* Denique Manto pigrum: *pigroſque ignavia ventres.*

Cum igitur hæc præmemorata gravium Authorum nitantur authoritate, fieri nequit, ut non honorabilem locum æſtimationi præbeant. Tantundem valebunt, quæ ſequuntur adjuncta, ſiquidem cum acumine ingenii uſurpata fuerint; ut ſi venter turgidus dicatur, & elevatus, demiſſus, reſidens, infœcundus, fertilis, agilis, gravis, tenuis, ſiccus, inflatus, & horum ſimilia, quæ Lector ipſe pro libitu ſibi finget.

ANATOMIA VENTRIS.

ELegans admodum & curioſum eſt, quod opere, ut ajunt, Moſaico fit, dum per ſymmetriam colores, & proportio debita obſervantur & diſtingvuntur, ita tamen ut in iisdem lineis in ſe invicem recurrentibus, certoque numero præfixo variegatis, nunc trianguli, nunc quadranguli, nunc figuræ ovales, nunc certa puncta occurrant, quæ ſimul juncta, & prout ſitas poſtulat diſperſa, & plantata quamvis pauca numero ſint, plura videntur, quia ſibi artificiosè correſpondent. In ictu propemodum oculi revertitur viſus ad priora quæ jam reliqueret, ita ut prima cum poſterioribus copulando, multa appareant quæ ſimplicia ſunt, quæ multa ſunt ſimplicia videantur. Idem mihi accidit in opere, quod præ manibus eſt, in ventris nimirum anatomica deſcriptione, quam idcirco ad capituli hujus finem diſtuli, ne forte ſi de ſtomacho poſtremò dictum eſſet, jam eum venter nauſeabundum faceret. Poteris interim mii Lector, ſi ſic libitum fuerit, colores hos anatomicos unire, ſicut ante diximus in Moſaico opere fieri: ad quam deſcriptionem jamjam accingor. Tantus autem illic partium numerus eſt, tam copioſæ quæſtiones, illic potiſſimum ubi viſcerum receptaculum eſt, & inteſtinorum teneriorum ſedes, uti ſi uni ſolum parti pro debito inhærendum mihi eſſet, non ſolum tractatus integer, ſed amplum, copioſumque volumen prodiret. Itaque pro more meo, non tibi menſam inſtructam, ſed bellaria quædam ad oblectamentum in compendio propoſiturus ſum.

Inprimis ergo Venter in anteriorem, & poſteriorem partem dividitur: quarum quæ anterior eſt Xiphoide, quæ inferior oſſibus pubis terminatur, ab Arabibus *mirach*, à latinis *abdomen* vocata. Tot ejus, tamque variæ particulæ inter Authores confuſionem pariunt: Ita ut Doctiſſimus Laurentius ſentiat partem corporis nullam usque adeo confuſam eſſe. Ut verò nos (proſequitur idem Author) hanc obſcuritatem dilucidemus, & tot invicem confuſiones diſtingvamus, ventrem inferiorem in tres regiones partiemur, ſupremam, mediam, & imam. Suprema *Epigaſtrica* nominatur, media *umbilicalis*, inferior *Hypogaſtrica.* Hic hypocondria ſunt: hic regio umbilicalis, de qua loco ſuo dicetur: hic dextræ ſiniſtræque lumborum partes, ſedes concupiſcentiæ, ſicut in tractatu proprio patebit: Hic colon, & inteſtinum cæcum: Hic rete: hic veſica, & canaliculus, & omnes reliquæ partes, quæ à perfectis Anatomicis deſcribuntur. Ultima pars ventris inferioris ſe ab extremitate coſtarum, ad extremitatem oſſis ſacri extendit: quæ pars à quibusdam cinctum, ab aliis lumbi appellantur: quæ tamen rurſum in partem ſuperiorem, & inferiorem ſubdividitur; ſuperior, quia carnoſa eſt, pulpa à palpando dicitur: inferior varias partes habet, dextram, ſiniſtram, & mediam, quarum exactam indaginem profeſſoribus artis derelinquo. Prima inferiorum partium cuticula eſt, de qua pili naſcuntur. Galenus ſuperficiem appellat, alii pelliculam ſuperiorem. Qua ratione hæc ab humore frigido generetur, quomodo à vera cute differat, quomodo conſiſtentiam ſuam propriam habeat, ejusdem uſus varius, hæc univerſa alibi in diffuſioribus tractatibus inquirenda relinquo. Huic ſuccedit cutis, quæ item corium, aluta, & pellis nominatur. Hæc nil aliud quàm membrana eſt, reliquis amplior, & craſſior, ex commixtione ſeminis, & ſangvinis generata, temperiem autem moderatam habet. Organum eſt externi tactus. Hæc propugnaculum, ornamentum, & cooperculum eſt partium inteſtinarum, ſibi ſubjectarum. Candida eſt, ut patet: colore, textura, ſenſu, & uſu craſſior eſt reliquis partibus, quippe quæ ampliſſima corporis moles eſt.

Tegumentum tertium pingvedo eſt, quæ & ſevum appellatur; pars ſangvinea pingvedinis hujus, & maxime aëria, dum per tunicas teneriores vaſorum transſudat, per modum roris, ad frigidiores partes tranſcurrit, videlicet ad membranas, & cum debili earum calore (qui potius à Medicis pro frigore ſumitur) incraſſatur, & unitur. Efficiens igitur cauſa ejus frigus eſt, non ipſo actu tale, ſed potius minus calidum, quàm partes reliquæ. Siquidem hæc cutis denſior fuerit, copioſius quoque hæc pingvedo coagulatur, & naſcitur. Hinc animalia, quæ corium denſius habent, ut porca caſtrata inter terreſtria, inter aquatica delphini, multum pingvedinis progenerant, plus etiam hyemali, quàm æſtivo tempore pingveſcunt.

Hujus pingvedinis varius uſus eſt, inprimis ad tutelam partium ſubjectarum, quas per modum operimenti aut tecti circumfundit: hinc etiam inteſtina ab externis offendiculis defendit. Alter uſus eſt, ut calorem nativum cuſtodiat, viſciditate enim ſua, & infarcimento calorem naturalem, ne effluat, ſub ſe concludit, & prohibet: ita ut congeminetur. Meatus item frigori exteriori reſerat, atque ita non aliter nos calefacit, ac veſtimentum aliquod: Hinc non immerito etiam ad digeſtionem conferre creditur. Rurſum ad facilitatem motus contribuit; certo enim intelligendi modo, inungit partes, quæ movendæ ſunt, & ſiccitatem illarum prohibet: uſum promptiorem reddendo in miniſterio. Loca item vacua adimplet, quibus etiam per modum culcitræ, pulvini, vel cervicalis inſervit. Denique pabulum caloris eſt. Tum verò etiam urgente neceſſitate, & inedia alimenti vicem ſupplet. Hinc Galenus memorat, quandoque hominem gracilem fieri per caloris vehementiam, quam univerſa pingvedo inducit.

Ad hanc pingvedinem ſubintrat membrana quædam craſſiſſima, quæ à capite ad plantas usque corpus univerſum operit. Ab Anatomicis nomine barbaro Panniculus appellatur, qui tamen elegantius membrana dicitur. In animalibus, bubus videlicet, & canibus, & equis, & ſimiis, horumque ſimilibus usque adeo fibris carnoſis intexta eſt, ut inexpertis Anatomicis potius muſculus videatur, quàm membrana. In homine tota nervoſa eſt, & membranoſa. Villis ſuis diverſimode alligatur. Foris, & intro pingvedine cooperta. Unde in quadrupedibus ſpontaneum motum habet. In homine panniculus dici poterit totus nervoſus, & adipoſus. Interius humore quodam lento uncta, & delibuta eſt, non abſimili muco: ne videlicet muſculorum motum præpediat. Senſum habet exquiſitiſſimum, ſicut reliquæ membranæ.

branæ. Unde ſi per cauſas internas puncta, & vellicata fuerit (ſicut per acrimoniam bilis) motum concuſſivum reddit, qui *rigor* appellari conſvevit. Varius ejusdem uſus eſt. Inprimis ut propagines arteriarum, & nervorum, quæ ad cutem feruntur, tanto magis corroborentur, & confirmentur: deinde etiam ut denſitate ſua, & craſſitie vapores ſangvinis retineat, eosque in craſſitiem, & pingvedinem convertat. Denique ut caro muſculorum tegatur, ne à cauſis externis offendantur. Alia hujus cutis miniſteria univerſim in tractatu ejusdem videantur.

Ego interim ſiquidem ſtatuiſſem ratem meam in profundum quæſtionum deducere, & diligentius inquirere, utrum pingvedo hæc faciente frigore, aut calido concreſcat, quæ ejus cauſa ſit efficiens, atque ſuper hæc opiniones utrimque, & objectiones, & reſponſa adducere, ſicut item, an pingvedo hæc pars corporis animata ſit, & vivens, cur ibi candor ſit, qui in præfata pingvedine apparet, aliæque quæſtiones, quæ non vulgarem indaginem habent, utique videri poſſem in Anticyram usque navigare velle. Non enim hic ſcopus meus eſt, ut volumen integrum in profeſſione quadam particulari contexam, ſed de earum quaque principale aliquid in medium proferre, ut inde utilitas, & beneficium proveniat. Idcircò plura deſiderantibus Anatomicorum principalium carthæ lucubrationes præ manibus ſunt, è quibus pro appetitu ſuo abundantiam habere poterunt. Ego verò cum ſolita brevitate mea, ſequens veſtigia doctiſſimi Laurentii, deſcriptionem reliquam ventris inferioris, muſculorum videlicet, abdominis, & peritonæi proſequar.

Muſculi in eo octo ſunt: quatuor congeneri, hoc eſt figura, magnitudine, & robore, & actione pares: quorum quatuor obliqui ſunt, duo recti, & totidem transverſi. Appellationem hanc à ſitu obtinuerunt. A textura villorum, qui intermedii ſunt, primi eorum ad interſecandas coſtas accurrunt. Obliqui exteriores omnes apertiſſimi ſunt; deinceps obliqui interni ſunt: quorum illi aſcendentes, hi verò deſcendentes appellantur ab Anatomicis. Succedunt his duo recti, in quorum partibus internis apparent venæ aſcendentes, & deſcendentes, quæ circa umbilicum uniuntur: quæ rurſum ab aliis transverſis quaſi ſecantur. Succedunt his duo minores ramuli, qui à latinis *ſuccenturiati* dicuntur, quippe quod per modum cinguli formati ſint.

Partium continentium ultima Peritonæum eſt, membrana tenuiſſima, non diſſimilis telis aranearum largiſſimis. Quæ per modum voluminis, aut involucri, viſceribus implicata eſt, vergens ad partes regionis inferioris. Sic ſentit, & memoriæ tradidit famoſiſſimus Hippocrates; *Lib. 2. Epid.* dicitur autem Arabico idiomate *Siphas*. Figura ejus ſphærica eſt, extrinſecus paulo longior, repleta fibris, ut tanto firmius muſculis adhæreat: interius levior eſt, terſa, & quaſi aqueo humore inuncta, ut illic tanto commodius viſcera commorari poſſint. Vulgo creditur naſci hæc membrana à ligamentis illis, quæ lumborum vertebras amplectuntur, & quæ os ſacrum oſſibus laterum annectunt: ſed doctiſſimus Laurentius opinatur partes has, in prima hominis figuratione, tanquam ſpermaticas, provenire. Hinc illud obſervatione dignum, quod hactenus multo tempore phyſicis anatomicis incognitum, memoriæ dedit: nimirum peritonæum cum ad regiones veſicæ pervenerit, tam conſpicuè duplicari, ut amplum inter duas tunicas ſpacium relinquat, quod ſufficiat ad veſicam recipiendam, quæ extra peritonæum non eſt, prout quidam ſenſerunt, ſed inter memoratas duas tunicas ſita eſt.

Perforatur peritonæum in parte ſuperiore, & inferiore. In parte ſuperiore, quæ diaphragmati annectitur, tria continet foramina: ut videlicet arteriæ deſcendenti aditus pateat, & venæ cavæ aſcendenti, & œſophago. Tam autem valide diaphragma connectitur, ut ſi inflammatum fuerit, aut qualitercunque offenſum, inteſtina, & hypochondria interius convellantur, & loco ſuo moveantur.

Quinquepertitus Peritonæi uſus eſt. Primùm enim regionis inferioris partes omnes circumambit & veſtit, & cuique earum tunicam communem porrigit, aliis craſſiorem, aliis magis tenuem, prout uſus, & neceſſitas poſtulaverit. Separat autem, non ſecus ac paries aliquis, ea viſcera, quæ ambit, & à muſculis exterioribus ambientibus coërcet, & diſtingvit, ita ut inteſtina ſic ſeparata in ſuis ſpaciis intermediis defendantur. Expellit citius quàm manu excrementa alimenti ſicci. Conſtringit per modum operculi omnia inteſtina, ea que circum quoque amplectitur: ne forte levi occaſione nec dicta viſcera, nec ventriculus flatibus infeſtentur. Alligat denique univerſa, ut nimirum quodque viſcerum in ſede ſua propria collocetur, & requieſcat. Siquidem etiam hujus continuatio aut violata, aut disjuncta, aut commota fuerit, graviſſima ſymptomata ſuccedunt, & herniarum genera multigena.

Hæ partes continentes ſunt, ſed tot, talesque ſunt contentæ, tamqueprofundis obſervationibus plenæ, tamque neceſſariis doctrinis copioſæ, ut impoſſibile ſit volumen integrum conſarcinare, quod requirunt. Ut tamen his diſcuſſionibus principium formetur, & intelligentia major, dicam earum partium contentarum duo genera eſſe: earum enim quædam ad concoctionem maturandam deſtinatæ ſunt, quædam ad generationem. Miniſtrat chyloidi ventriculus, inteſtina, & Epiploon. Hematoſi, aut ſangvificationi inſerviunt meſenterium, hepar, vena cava, veſica fellis, lien, & renes. Præparant chyluſi venæ meſenterii, cui participat hepar, quod formam, & rabidinem ſangvini præbet, qui per venam cavam diſtribuitur. Veſicula, & ſplen, & renes, omnem immunditiam hepatis, vel regiæ domus expurgant.

Hæ partes ſunt, quæ concoctioni ſubſerviunt. Partium contentarum ſe inter primas præſentat Epiploon, vel omentum (poſt inteſtina, & meſenterium) propagines venæ portæ, quibus detractis, conſpicua ſunt, ventriculus, hepar, veſicula, lien, denique vena cava, renes, & veſica. Partium generationis; aliæ viriles, aliæ muliebres ſunt, de quibus tamen vel pauca admodum, vel omninò nihil dicturus ſum. Omentum, vel Epiploon, quod quaſi ſecus fundum ventriculi, & inteſtina natat, reticulum nominatur, cum plexus ſit venarum, arteriarum, & nervorum pene innumerabilium.

Qui de his deſcriptionem magis exactam deſiderat, cum doctiſſimo viro Laurentio libros Anatomicorum evolvat, & inprimis illic inveniet inteſtinorum, quæ tanti momenti ſunt, ſitum, connexionem, figuram, ortum, ſubſtantiam, compoſitionem, & uſum. Inteſtinorum corpus longum eſt: inveniet illic qua ratione provida natura hæc implicaverit, in gyros contorſerit, & in flexuoſos anfractus, ut nimirum alimentum cum tanta feſtinatione ab ore ad ventriculum translatum, non tam præmature egrediatur. Cognoſcet illic ſubſtantiam eorum membranoſam eſſe, taliterque compoſitam ut vel chylo, vel flatibus, vel excrementis turgida, ſine ruptione extendi, & dilatari poſſit. Intelliget illic qualiter tunicæ duæ inteſtinorum villos habeant quamplures, transverſos, & circulares, quorum miniſterio ea quæ ſibi

ſibi contraria ſunt expellant: quorum item opera inteſtinorum motus promoveatur.

Horum venæ à vena prtoa, & à ramo meſenterico omnes derivant, taliterque divaricatæ ſunt, ut non via recta, & libera, nec apertis oſculis ſuis ad cavitates ſuas ferantur, ſed id faciant viis obliquis, idque in medio binarum tunicarum: ex quo fit, ut chylus colorem ſangvineum non nanciſcatur, quamvis ſangvini proximus, & pene permiſtus ſit. Infinitus proinde fibrarum internarum numerus eſt, quæ ſe venis his, & vaſis interponunt, idque ob rationes adductas. Copioſæ item illic arteriæ ſunt, quæ à ramo cœliaco, & meſenterico derivant. Non minus & nervi multi tanquam parvi ſurculi diſcurrunt, ſuppeditantur autem à ſexta conjugatione cerebri. Longitudo inteſtinorum, *Hippoc. de hom. ſtruct.* juxta mentem peritiſſimi Coi noſtri, tredecim cubitorum eſt.

Hæc aliaque non minoris momenti, & neceſſitatis illic edocebitur, imò verò & officia illorum intelliget, & partes, quarum quædam craſſiores & pingviores ſunt: in univerſum autem inteſtina his nominibus appellantur: Duodenum, jejunum, ileum, cæcum, colon, & rectum. Duodenum quatuor habet ſibi particularia: primùm venam, quæ recta deorſum verſus tendit: alterum eſt, quod nullo irrigetur ramuſculo, qui à meſenterio derivet. Recipit tertio ductum quendam ab inteſtino colon, per quem veſicula bilem expurgat, qua videlicet tardorum inteſtinorum excretio ſtimulatur, pituitamque profligat, quæ membranis interioribus inhæret. Deſcriptionem quoque illic cæterorum inteſtinorum, quæ craſſa dicuntur, inventurus eſt; eo quod craſſities illis quædam naturalis congenita eſt. Intelliget cur inteſtinum cæcum ſit, dictum monoculum, & ſaccus: formatum per modum ventris, quod pingve ſit, unico ductu, & foramine: cujus uſum peritiſſime Galenus deſcripſit. *De uſu part. cap. 14.*

Proximum his inteſtinum colon eſt: quod non raro flatibus, ſicut & cruditate patitur; unde paſſio cholica naſcitur: idque idcirco, quod officina pituitæ crudæ eſt, quæ propter magnitudinem inteſtini illic refrigeratur: & verum fit, eam ſedem eſſe multarum fæcium, ſicut Galenus commentatur. Ab *4. in 6. Epid.* Ariſtotele laxum dicitur, & à Mauritanis cellulatum. Fertur autem à renibus dextris verſus cavum hepatis, deinceps ſubtus fundum ventriculi gyrans, lieni annectitur. Situs ejus tam ſingularis copioſiſſima deſcriptio eſt. Inteſtinum ultimum, rectum appellant, eo quod nullo gyro circumflectitur, & contorquetur, ſed recto itinere ab oſſe ſacro per clunes, vel *5. Epidem.* nates deſcendit: Ab Hippocrate principale, & extraneum, à barbaris Longanon appellatur. Cognoſcet illic ſedulus artis ſtudioſus præter hæc, & meſenterium, & in eo pancreas: eſt autem meſenterium corpus membranoſum, quod inteſtina duabus tunicis alligat, venis, & innumerabilibus arteriis ſimul & copioſa pingvedine abundans. Naſcuntur hæ membranæ à ligamentis, quæ vertebras lumborum connectunt, & oſſi ſacro cum oſſe laterum cohærent. Hæ membranæ duæ taliter conſtructæ ſunt, tam ut robur vaſorum conſervent, quam ut ne inteſtina implicentur, & motibus violentis infeſtentur. Omnes venæ, quæ de vena porta exeunt, illic terminantur: huc item ab inferiori parte arteriæ recidunt: hic rurſum nervi ſextæ conjugationis cerebri obſervantur. Spatia intermedia copioſa pingvedo infarcit, & illic diſſeminata eſt: quibus præterea copioſæ glandulæ includuntur, quæ impediunt, ne vaſorum ductus offendantur, aut comprimantur: denique pro ligamentis vaſorum ſerviunt, ne motu quodam violento rumpantur. In ultima demum regione ventriculi, in inteſtino dicto duodeno certum quoddam corpus glanduloſum extenditur, nominatum pancreas. Amplectitur autem ramos venæ portæ, qui in ventriculo, & duodeno, & liene diſtribuuntur: ſuſtinet hanc ipſam ramorum divaricationem, quo magis ſecura & certa ſit: fortificatur autem per membranam omenti, ipſi ventriculo per modum mollis pulvinaris ſubſtratum.

Cumque has aliasque obſervationes copioſas viderit, incurret in famoſas quæſtiones illas, utrum inteſtina virtutem attractivam habeant: cujus actionem diſtingvet in communem videlicet, & officialem, & privatam, aut particularem, cum exactis earum declarationibus: intelliget opinionem eorum, qui ajunt, in privatis actionibus neceſſarios non eſſe villos, aut pilos, cum attrahant per ſemetipſa, ſicut attrahit magnes ferrum. Penetrabit ulterius inveſtigando, utrum inteſtina facultate retentrice prædita ſint: ubi pro parte affirmante adducitur authoritas Galeni, & Avicennæ, qui ait hanc facultatem in *In Comment. Aphoris. 1. Sect. 6.* pueris remiſſam eſſe, hinc illos ſæpius excrementa ejicere: adducit inſuper rationes alias.

Itaque his difficultatibus occurritur cum Galeno *De ſymptom. cauſ.* præfato, qui eleganter admodum cauſas tardioris *3. De cauſis ſympt.* ejectionis adducit, facultatem inquam expultricem debilitatam, quandoque ſenſum inteſtinorum langvidum, quandoque ipſam digerendæ materiæ craſſitiem, quandoque conſtipationem nativam, ob modicam facultatem nervorum abdominis, ad expellendas fæces, & hujusmodi alia.

Hinc Doctiſſimus Laurentius, retentionem fæcum actionem animalem eſſe inquit, non naturalem: fit enim operâ muſculorum: unde deducit planum, & apertum eſſe inteſtina robur non habere naturale, quo retinere fæces, aut chylum poſſint.

Tranſeundo hinc ad eam quæſtionem ſi inteſtina facultatem concoctricem habeant, tria illic obſervanda occurrunt: hoc eſt præparatio, coctio, & perfectio: quarum trium prima conſiſtit in ore, altera in ventriculo, tertia, nimirum conſummatio in inteſtinis. Hinc Galenus non negat hanc concoquendi *4. De uſu part. & 3. de natural. facult.* facultatem, dum ait: *Inteſtina licet coquendi chyli gratia conſtructa non ſint, ſed continendi, & diſtribuendi tantum: tamen, quia nunquam iners, & otioſa eſt natura, in ipſo per inteſtina tranſitu elaborationem perfectam conſequitur chylus, non ſecus ac in majoribus venis.*

His præſuppoſitis deinceps impoſſibile non videbitur, ut paraſitus quidam aut nepos, vel helluo tantum devoret, tantamque ciborum maſſam deglutiat, cui ferendæ vix jumentum ſuffecerit; intelliget enim ſtomachum totum membranoſum eſſe, & facile in omnem dimenſionem diſtendi. Verum quidem eſt, quod hujus modi voracibus chylus perfecte non concoquatur: ob copiam enim & gravitatem ingeſtorum membranula oſtiaria relaxatur, nec ſat temporis ad integram digeſtionem largitur: unde perſvadebitur coqui cibum in ventriculo, ſed eundem perfectionem ſuam in inteſtinis tenuioribus conſequi. Introducetur cum curioſitate quadam ad intelligendam inteſtinorum facultatem expultricem, quæ eum non ſubterfugiet, niſi forte oculum mentis amiſerit: hoc enim jam manifeſtè ex illorum ſtructura palam fit, eo quod villis circularibus contexta ſit; & transverſis, ad omnem adeo expulſionem aptis, & intenſis.

Hinc noſcet binos motus eſſe, naturalem unum, alterum animalem: Illum inteſtinis reliquis, hunc vero muſculis abdominis proprium. Naturalis voluntarius non eſt: animalis autem econtra voluntarius.

Primus

Primus per villos transverſos & orbiculares formatur, qui inteſtina contrahunt: eſt autem duplex, unus ſecundum naturam, alter præternaturalis. Hi motus quandoque depravantur, idque ttiplici de cauſa, prout Galenus optimè annotat: hoc eſt inflammatione, oppilatione, & quandoque à levi quadam exulceratione. Quarum prima meatus anguſtos reddit: oppilatio eos omnino claudit: unde cum exitus nullus excrementis pateat, facultas expultrix læditur. Hujus item motus depravati cauſa eſt levis exulceratio: dum enim inteſtina dolorem ex contactu fæcum ſentiunt, continuò eas in ſuperiora remittunt, tanquam metuendo offenſionem: ſicque corrupta vellicatione, curſus contra naturam fit, ex quo provenit, ut quod deorſum verſus petere debuerat, ſurſum feratur. Motus hic periſtalticus dicitur, hoc eſt naturæ contrarius. In hoc autem tam calamitoſo affectu iliaca paſſio oritur, in qua conſveta ſedes alvi intercluditur: ita ut nec minima, quæ acumine acûs majora non ſint, præterlabi queant.

Intelliget item diligens Lector alium præter hunc modum eſſe, quo fæces expellantur, animalem videlicet, & voluntarium. Perficitur autem operâ muſculorum abdominis; muſculi enim contracti premunt inteſtina, unde excluſio fit excrementorum. Hunc motum adjuvat diaphragma, & peritonæum. Octo muſculi æqualiter abdomen & inteſtina comprimunt ad quemvis meatuum, hoc eſt ad ſuperiorem, qui in ſtomacho eſt, & ad inferiorem, qui ad ſedem tendit. Unde neceſſarium erat inſtrumentum unùm, quod deorſum urgeret, aliud item quod ad ſuperiora attraheret. Omitto hic de fæcum excretione ratiocinari (miraculo enim ſimile videtur, quomodo in homine ſano hi fœtores inveniri poſſint) nec enim hæc materia auribus, aut oculis grata eſt: progredior itaque ad delibendam cognitionem brevem ſubſtantiæ, & ſitus inteſtinorum.

De uſu part. Galenus refert: *Inteſtina, & ventriculum, quia concoctionis erant organa, carnoſa conſtructa eſſe:* Ad quod graviſſimus vir Hippocrates reſpexiſſe videtur, dum inquit: *A difficultate inteſtinorum habita,* *Aphor. 26. Sect. 4.* *ſi velut carunculæ exeant, lethale.* Nervoſa eſt ſubſtantia inteſtinorum, ſed fibris nihilominus carnoſis interſecata. Sic non immerito eam quis membranam carnoſam dixerit. Sic Galenus uterum jam carnoſum, jam membranoſum appellavit. Quod ſituationem attinet prudens Artis Profeſſor ab accuratiſſimo Laurentio intelliget errorem antiquorum, qui ajebant, inteſtina craſſa ad locum inferiorem tendere, tenuia vero ad loca ſuperiora: Colon enim craſſius cæteris, & plenius per cavitatem jecoris diſcurrit, & ſecus ventriculi fundum. Decepit eos canum, & aliorum quadrupedum inciſio. Errant item quandoque Medici, inquit idem Laurentius, qui dyſſenteriam ab humoribus inteſtini craſſi, & tenuis *Ex Com. in 3. Epidem.* provenientem ita diſtingvunt, ut ſi dolor in ſuperioribus ſit, provenire dicant ab inteſtino, quod gracile eſt, ſi in inferioribus ab inteſtino craſſo.

De ſitu inteſtini *colon* variæ ſunt opiniones. Dicunt plures ferri id ad fundum ventriculi, ut ejus ope, ſicut & contactu partium vicinarum concoctio ejusdem promoveatur. Alii autumant ad cavitatem hepatis elevari, in eam partem, ubi veſica fellis eſt, ut nimirum ejusdem fellis irritamento & abundantiâ, facultas ejus ſopita ſuſcitetur. Credunt alii cedere illud reliquis inteſtinis tenuioribus, & illa quaſi ſepimentum aut vallum quoddam circumdare, non multum vicinum centro meſenterii, atque idcirco ſiniſtram occupare partem. Alii rurſum arbitrantur inteſtinum Colon idcirco ventriculi fundo, & cavitati hepatis alligari, ut per contactum earum partium, reliquiæ alimentorum concoquantur, quæ nimirum in cellulis coli commorantur. Rationes itidem vivas adducunt apertiſſimi ſitus ejus: ne videlicet tam prompte illic contenta elabantur, quo fieret ut humor non tam perfecte exiccaretur, ad quem uſum tot cellulæ, totque involucra concamerata, inteſtinum cæcum, vel monoculum conſtructa ſunt. Eſt autem colon inteſtinum omnium ampliſſimum: dum renes, & lienem tangit paululum anguſtiatur, ne horum corpora comprimat: unde evenit, ut Splenetici, aut Lienoſi, quibus lien inflatur, cum difficultate flatus exhalare poſſint. Quod vero etiam per inteſtina propagines venæ portæ diſtendantur, hic materies ſat ampla diſcurrendi occurreret, niſi alibi jam, quod maxime neceſſarium & medulloſum eſt, tetigiſſemus: Hæc autem huic loco ſufficienter dicta ſint. Concludo autem ſequenti metro, ut ſtomachum tuum, fortaſſe tam prolixa dicacitate mea (quæ tamen his, qui quæ neceſſaria ſunt, intelligere deſideraverint, non nimium prolixa videri debent) nauſeabundum redintegrem.

Laus Stomachi.

Frema co toni il Cielo, e d' ira avampi
Scuota pur Sirio incendioſi ardori
Fra quell' ire funeſte, e fra i furori
Fecondera dolce ruggiada i campi.
Tal ne petto de l' huom bolla, e divampi
Contumare malor, ſtrani bollori;
Miniſtrara l' urna vitali umori,
Onde l' egro mortal da morte ſcampi.
La terra, che di piante, e frutti abonda
Copioſa nutrice apre le vene,
Per cui nutre ogni ſtel, copre ogni ſponda.
Quaſi regio ſignor, ch' a paſcer viene
I ſuoi Vaſſalli, egli ad ognor feconda
Suddite membra, e vita in lor mantiene.

HEPAR ET LIEN.

Anatomia.

QUamvis pauca mihi pro conſveta alioquin capitulorum meorum ſerie, excepta anatomia, de his interni hominis partibus, dicenda reſtent, ne forte videar in his partibus corporis maxime neceſſariis ignorans eſſe, cum jam ſupra de præcipuis viſceribus dixerim, operæ pretium eſſe duxi, de his quoque nonnulla proferre in medium. *Nonnulla*, inquam, cum mihi ſermo ſit de microcoſmo, opificio tam inſigni, quod jam tot folia adimplevit, tot calamos fatigavit, tot diſceptationes innovavit, tot volumina adimplevit. Itaque Epilogo quantum potero majore, deſcendendo ad particulare, aſſero: inter eas partes, quæ in infima regione corporis continentur, hepar potiſſimum eſſe, & penè dixerim unicum maximè neceſſarium: quippe quod poteſtatem ſuam, robore non multum à corde diſpari, exercet. Huic hepati ventriculus ad miniſterium eſt, non ſecus ac mancipium. Hujus ſordes veſica fellis, lien, & renes expurgant, in ſimilitudinem famulorum fidelium, culinam hanc nitidam, ac terſam conſervando.

Eſt jecur, ſecundum Hippocratem, officina ſangvinis, author ſpiritus naturalis, principium venarum, quibus, tanquam rivulis univerſam membrorum rempublicam irrigat, & per modum Principis, propriis expenſis univerſam corporis familiam alimentat. Hippocrates fontem primum, & originem tam ſalutaris humoris appellat: veteres illud terram fructiferam nominant: Plato ſedem concupiſcentiæ, & amorum: unde in apologo Titii refertur: *Cogit amare jecur*. In eo Medici facultatem naturalem collocant: ab hoc enim appetentia illa, quæ facultati nutrici ſervit, & miniſtrat, alteri parti communicatur, & in particulari ori ventriculi: unde contingit, ut qui ſcirrhum habent in jecore, à cibis abhorreant, præſertim carne, & vino. Facultas item generativa ab hoc parenchymate ad genitalia deſcendit. In hoc viſcere item fundamentum, & principatus ad poteſtatem vitalem, & animalem ſitus eſt: ſicut eidem adſcribenda eſt ſuperficies coloris extrinſeci: qualis enim ab interioribus humor eſt, talis color eſt, qui in cute effloreſcit. Situm eſt hepar in hypochondrio dextro. Hunc ſitum à natura tutiſſimum obtinuit, imo verò & honorificum, circumdatur enim coſtis, tanquam munimento, in hoc differens à ſtomacho, & inteſtinis. Caret oſſibus: nec enim diſtendi debuit, ſed ſangvinem in receptaculis vaſorum detinere. Cum partus adhuc tener eſt, primum editus, adhuc hypochondrium ſiniſtrum occupat jecur, eo quod illorum ſtomachus otioſus ſit. Hippocrates præfatum hepar in quinque pinnas diſpertitur, quibus ſingulis Galenus ſua nomina impoſuit.

De oſſium nat. cap. 6. Epid. Corpus jecoris in parte ſui interiore & inferiore profundum, & concavum eſt, in ſuperiore gibboſum & convexum. Certam quandam figuram non habet, hæc enim modice, aut potius omninò nihil ad alterationem contribuit. Sangvificatio enim actio ſimilaris eſt, quæ ſola temperie ſua initium, & perfectionem conſequitur. Hinc pars ejusdem ſuperior lævis eſt, & rotunda, per modum teſtudinis: æqualis item, ne motum diaphragmatis offendat: inferior inæqualis eſt, & aſpera; vel potius dicatur illic multipliciter inæqualis ob varios lobos non ſecus ac rupes, & præcipitia quædam: hinc intelligitur, ſiquidem æquale eſſet, ventriculum utique premendum, hepar enim ſic turgeret prominendo, & non ſolum ventriculum, ſed & ramos venæ portæ impediret. Hinc etiam in dextra parte rotundum eſt, ſed in ſiniſtra attenuatur, & quaſi in angulum acutum terminatur. Magnitudo ejus non eadem in omnibus animantibus eſt, in homine autem, plus cæteris amplum, ſicut & cutis ejus rarior eſt. Hinc etiam effluvium ejus majus, majores enim hominis functiones ſunt, quæ de ſpiritibus exeunt, quorum materia ſangvis eſt. Creditur majus in iis eſſe, qui timidi ſunt, qui potatores, qui ventri dediti.

Organum nobiliſſimum, pluribus compactum particulis, & carne ſibi ſingulariter propria: hoc viſcus item venam cavam recipit, & radices venæ portæ, minimas item arterias, ſurculos item exiguos intus cavos, ut nimirum bilem ad ciſtulam vel folliculum fellis evehant, denique & nervulos. Veſtitur tenui cute, quæ corpus ejus univerſum ambit, quod totum carnoſum eſt; hinc etiam Hippocrates viſcus carnoſum appellat. Prædicta ejus caro concreto ſangvini non abſimilis eſt, quaſi qui igne adustus ſit. Uſus ejus ab antiquis creditus fuit, ut vaſa ſtabiliret, & inteſtina in ſitu ſuo contineret: item ut calore ſangvificationem promoveret: alii etiam concoctionem adjungunt. Sangvinem ita conſummat, & perfectum reddit, propriamque ei temperiem inducit, ut color quoque externus in facie effloreſcat. Non immerito igitur hoc ei lemma, pretioſiſſimæ armaturæ ſubſcriptum debetur: *Utilitati, & decori.*

Ex venis jecoris quædam portionem tenuem ad regiones ejusdem concavas portant, quæ concoquunt, attenuant, & præparant: aliæ item ſangvinem jam concoctum & elaboratum ad truncum venæ cavæ conducunt. Hæ radices venæ cavæ, & portæ per integrum hepatis corpus ſparguntur, & tantopere invicem complicantur, ut ſine comparatione plus hæ radices per regionem cavam intrinſecus circumgyrentur, quàm per convexitatem ejus exterius. Hinc etiam ſangvificatio intrinſecus in cavitate fit, diſtributio foris. Natura autem hos gyros venarum inſtituit, ut tanto perfectius elaboratio ſangvinis fieret, & in anguſtiis vaſorum tamdiu detentus majorem ſui concoctionem acquireret. Cum eodem artificio eadem præparatio fit in inteſtinis, in vaſis ſpermaticis; in hunc uſum ſerviunt arteriæ illæ minimæ, quæ in ventriculo cerebri ſunt, admirabili plexu invicem intricatæ, non ſecus ac claviculi hederæ, quibus illigatur. Per medium autem venarum de quibus diximus, ſurculi quidam cavi ducuntur, dedicati ad purgamentum bilis, qui, velut in quodam nodo collecti omnes ſimul in veſicam fellis derivant.

Totum hepatis corpus, prout dictum eſt, membrana quadam tenuiſſima operitur nata à peritonæo, in qua duo nervi minuti ſparguntur. Hi de ramis conjugationis ſextæ deſcendunt: quorum unus in orificio ventriculi & meſenterii plantatus eſt: alter ab eo qui coſtas tranſcurrit, enaſcitur. Ambo exigui ſunt: actio enim hepatis omnino naturalis eſt, & non animalis: nec enim motu, nec ſenſu ſangvis præparatur. Adjunge, quod exquiſito ſenſu non indigebat: ex omni enim parte expurgandis deſtinatum eſt excrementis inutilibus, bile videlicet, ſucco melancholico, & ſero: quæ ſingula & per veſicam fellis, & per lienem, & per renes perficiuntur.

Temperamentum hepatis calidum, & humidum eſt. Calidum ob concoctionem, & ut calorem nutritivum præbeat: humidum eſſe oportuit, ut in tempore debito corpus univerſum irrigaret: atque idcirco *fons vaporis gratioſi* appellatur. Admirabili item artificio jecur per nervos connectitur cerebro: cordi per arterias: per venam cavam ventriculo, inteſtinis, & ſpleni, mediante ramo ſplenetico, & meſenterico. Denique vix pars in homine eſt, quæ hepati non communicet, aut mediantibus venis, aut ligamentis, quæ nos communia dicimus: unde etiam manifeſtum fit, quàm neceſſaria hæc doctrina, & hic tractatus fuerit. Connectitur ergo diaphragmati, peritonæo, coſtis nothis, Xiphoidi, & umbilico per ligamenta propria. Eſt illic etiam vena umbilicalis nutritiva in Embryonibus. Ariſtoteles arbitratur præparationem ſangvinis fieri in hepate, ſed perfectionem ſuam conſequi in corde. Attribuunt item medici ſangvificationem perfectam hepati, illudque ſedem facultatis naturalis ſtabiliunt. Ex his omnibus inferatur, duplicem eſſe jecoris actionem, alteram officialem, vel communem: hoc eſt ſangvificationem, vel græcè hæmatoſin, quæ ſecunda dicitur concoctio: alteram vero privatam vel particularem, quæ tertia dicitur.

Hæc ſunt officia, ſituatio, ſtatus, figura, & conditio hepatis: ita ut non indebite honorifico titulo Principis à judicioſiſſimis, & ſapientiſſimis medicorum condecoretur: ſicut prudentiſſimus vir Laurentius inde ratiocinatur. Garriant, quantum volunt adverſarii, dicentes, hepar principium venarum non eſſe, nec ſedem facultatis naturalis, nec authorem ullius ſpiritus.

Hepar igitur, utpote Princeps, in functionum ſuarum varietate materiam quæſtionum ampliſſimam præbet; quam ego, qui modicam horum experientiam & praxin habeo, aliis diſcutiendam relinquo, quorum profeſſio eſt de iis latius tractare: ſuffecerit mihi, pro more meo ſolito pauca inde per compendium delibaſſe. Itaque ſe primo loco id mihi offert: utrum hepar naturalem ſpiritum generet: ubi quid ſpiritus ille ſit intelligere non minimi operis eſt: cum in hoc invicem differant Galenus cum Stoicis, quorum ille exhalationem eſſe ſangvinis inquit, hi autem vinculum corporis, & animæ. Definiemus nos (inquit Laurentius) ſpiritum, corpus tenuiſſimum eſſe, perpetuò mobile, generatum à ſangvine, & vapore: qui vehiculum ſit facultatum animæ. Hippocrates non dubitat hunc ſpiritum inter corpora cenſere, numerat enim illum inter ea, quæ corpus conſtituunt: qui præterea ſubinfert, illud actique corporeum eſſe, quod canali indigeat, quo vehatur, quod extenſioni partium inſerviat, quod denique locum occupet. Itaque corpus eſſe non negandum, quamvis inter corpora tenuiſſimum ſit: habet autem robur, & impetum vehementiſſimum, per modum venti.

Galenus docet, ſangvinem tenuem eſſe, vaporem magis tenuem, tenuiſſimum ſpiritum, & perfectiſſimè mobilem. *3. De facult. naturalib.* Hi ſpiritus enim non ſe aliis tantum impellentibus (prout ſunt humores, qui cum tracti, aut propulſi fuerint, ſemper rei alterius impulſu moventur) ſed ſuopte etiam motu, & principio ſibimetipſis innato moventur, & continentur.

Itaque dicendum ſpiritus, tam ſuo, quam alieno motu ferri. Si ſuo, fieri id per flammam, ſurſum deorſumque, & ex utroque latere: ſiquidem hæc commotio præpedita fuerit, corrumpitur ſpiritus. Qui rurſum alieno principio moventur, dum vel impelluntur, vel attrahuntur, naturales quidem à jecore, vitales à corde per ſyſtolem, animales à cerebro compreſſo. Trahuntur naturales à venis, vitales ab omnibus omninò partibus cum ſangvine arterioſo: animales rarius, idque ſolum cum pars quædam affecta fuerit, aut per dolorem, aut per guſtum: ſic nec vehementia objecti facultatem ab officio ſuo vacare permittit, nec calor ad ſemetipſum attrahere ceſſat.

Ex his præmiſſis conſequentia formatur, dici poſſe, quod ſpiritus corpus ſit mobile: generari eum à ſangvine, & vapore tenuiſſimo: unde duplicem ejus materiem eſſe, exhalationem ſangvinis, & aëris, atque idcirco calefieri cum utroque, & ex ambobus eum conſervari, & componi. Hæc ſpirituum univerſalis natura eſt, quorum alii inſiti ſunt, in tanto numero, quot & quanta ſunt genera partium; alii influunt, & à diverſis fontibus egrediuntur, & robur quaſi ſopitum, & abſconditum excitant. Medici eorum numerum diſpertiunt. Argenterius unum ſolum ſpiritum agnoſcit, ſicut unica eſt anima, unicum ejus organum, & ſimile ſibi, ſangvinem, & aërem quem reſpiramus. Antiquitas elegantius triplicatum ſpiritum docuit: in triplici enim ordine eum ſtabilivit, ſicut tres ſunt facultates animæ, naturalis, vitalis, & animalis. Tria item ſunt principia corporis majora: cerebrum, cor, & hepar: totidem vaſa ſunt: venæ, arteriæ, & nervi.

Galenus in plurimis locis dari ſpiritum animalem aſſerit: à nemine ſpiritús vitalis contradicitur: unde nec à Poëtis incognitus fuit: ideoque Ovidius inquit: *Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.* Supereſt Spiritus naturalis, de quo diſceptandum ſit: cujus tamen ductu, ſangvinem inquiunt Arabes, per univerſum corpus transferri. Itaque cum doctiſſimo Laurentio concludo: ſpiritum naturalem vehiculum eſſe ſangvinis craſſioris ab hepate, mediantibus venis in totum corpus diffuſi.

Veſica fellis, quæ his partibus connexa eſt, plurimum anſæ ad diſcurrendum præberet, ſi cui voluntas eſſet in his prolongari: ſed ego ut quaſi in compendio agam, inſtrumentum illud eſſe ajo, fabricatum à natura ad recipiendam bilem. Hic humor amarus eſt, & ſi ſangvini commiſceretur, qui in venis concluditur, eum utique impurum redderet: non minus & cotrodendo carnem acrimonia ſua, membranasque vellicando, ſine intermiſſione ſenſum ulceraret, & præcipitatos motus, ſenſationesque deliras operaretur, ſicut phræneticis contingit. Inde eſt, quod ad humoris tam amari ſeparationem, vas hoc fieri oportuit, ſicut ſplen humorem melancholicum, humorem ſeroſum renes & veſica, inſtituente natura excolant.

Subſtantia hujus folliculi membranoſa eſt, ut ſine difficultate, & dilatari poſſit, & contrahi. Tunicam ſolám habet, eamque ſimplicem, ſed validam, ternoque ordine villorum compoſitam: ab intrò recti, & obliqui ſunt, quibus attrahit, & bilem continet: foris transverſi, & orbiculares, quibus expellit, & rejectat. Certas quaſdam venulas habet, quæ de vena porta proveniunt,

proveniunt, & *cyſticæ* appellantur; quibus nutritur: totidemque arterias minutas, de vena cœliaca, & nervulis dextri coſtalis.

Figura ejus oblonga eſt, & rotunda: ſed paulatim ad apicem usque in acumen deſinit, in ſimilitudinem pyri, quod in fundo largius eſt. Trium obſervatio in veſicula occurrit, fundi, cervicis, & meatuum, qui bilem vehunt. Inter quæ fundus verum bilis receptaculum eſt: cervix anguſtior pars ejus eſt. Ductus choledoci bini ſunt, quorum unus in hepate diſtribuitur, & in radice venæ portæ, & cavæ, per ſurculos numeroſos, quibus bilem ſinceram, nec humoribus cæteris adulteratam attrahit. Alter in inteſtinum duodenum fertur, dum veſica quaſi delectata ob viciniam, & mutuam humoris correſpondentiam, ſe in inteſtina evacuat, humoremque ſuum detrudit, ut videlicet acumine ſuo tardiora inteſtina, quaſi ſtimulo acuto percellat, & ad naturalem excretionem irritet, ciborumque reliquias extergat. Legatur ſuper his eruditus Veſſalius, & harum rerum notitiam non latebit: ſicut nec meatuum intra duas tunicas inteſtinorum, ductu non ſolum obliquo, ſed tortuoſo: illic non minus patebunt valvulæ, in utroque ſitu comprehenſæ: qualiter hi memorati ductus in medio cervicem verſus canalem habeant, per quem veſica bilem attrahat, eandemque in diverſis temporibus rurſum expellat. Idem Author tertium canaliculum, vel ductum manifeſtat, qui nimirum ad ventriculi fundum vergit.

Vaſtiſſima quæſtio eſt, & quæ multum verſatiſſimos, & doctiſſimos Medicorum fatigavit, utrum præmemorata veſica à ſemetipſa bilem attrahat, & ab eadem nutriatur. Ego ſequens Directorem meum Laurentium breviter ſic ſtatuo, clarum eſſe, dictam veſiculam attrahere bilem, ſed nullatenus ad ſui nutrimentum. Galenus autem aſſerit fieri id modo quodam nobis incognito, ſicut magnes ferrum attrahit, *De uſu part. cap. 10.* & ambra paleas: ſic ſympathica quædam virtus unius & alterius eſt, qua fit attractio, & ex cujus præſentia veſicula, ut ita dixerim, ſenſum quendam jucunditatis concipit. In hunc modum evidenter vir ſummæ experientiæ & protophyſicus elocutus eſt: *Trahitur*, inquit, *bilis à veſicula ob qualitatis communionem:* unde apparet, (explicat idem Author) ſæpius aliquanto temporis ſpatio animalium mortuorum veſiculas conſervatas fuiſſe, & in ſe ſibi connaturalem bilem cuſtodiſſe: prout fieri ſolet in iis animalibus, quæ pro domeſtica utilitate quotannis occiduntur.

Folliculus ergo ille humore ſuo delectatur, nec mordaci acrimonia illius, nec contactu offenditur, ſicut ſolent, qui rerum alioquin noxiarum aut venenatarum uſum habent, ex quibus deinceps nullum damnum patiuntur. Qui vero hanc cognationem aut familiaritatem bilis cum veſica non admittunt, cauſam attractionis ad neceſſitatem & providentiam naturæ univerſalem referunt, ut nimirum ſangvis purificationem ſuam conſequatur, & ne inutilis ad nutriendum fiat, quippe qui nimia acrimonia & mordacitate offendat. Nec tamen hic ulterius ad explicandos ductus choledochos diſtendar: horum enim explicatio, alibi (dum de capitibus & viis potioribus mentio fit) occurrit. Id ſolum cum citato authore meo dixero, ab hepate ad veſicam fellis canalem eſſe conſpicuum, & pervium, ſicut item ab hepate ad inteſtina: porro à veſicula ad duodenum alium ductum *Lib. 4. de morbis.* eſſe, & in horum unoquoque valvulas, quæ refluxum bilis prohibeant. Concludatur itaque (ait idem author) à veſica bilem attrahi, & à cavitate jecoris, & in ea aliquantum temporis conſervari, & inde ad

inteſtina transferri. Hæc opinio fuit Hippocratis & Galeni, recepta etiam à modernis ſcholis.

Hæc pauca mihi ſuffecerint, in quantum quidem materia præſens mihi ſuggerere potuit: unde ad alteram propoſiti mei partem deſcendo quæ eſt

LIEN.

MAgna mater natura, provida humani generis alimentatrix, à latere ſiniſtro lienem conſtruxit: ut, ſicut agricolarum mos eſt, antequam bonum ſemen in agrum jaciant, primò eum lupinis fœcundare, quorum amaritudine allectatus, granum vel ſemen dulcius evadat: pari modo hepate noſtro à ſordibus & fæcibus expurgato, ſangvis purior formatur. Hinc Lien riſus organum dicitur. Plato item inquit: lienis officium eſſe, ut quaſi, quod in ſpeculo opacum, & tenebroſum eſt exhibeat, & pars lucida hepatis tanto magis ſplendeſcat, & luceat.

Siquidem ſplen ab hac functione expurgandi ſangvinis vacaverit, lethalia ſymptomata eveniunt: miſcentur enim ſpiritus cum tenebris, eosdemque pars terrea cordi, & cerebro abſcondit, unde lividum, vel pallidum fit univerſum corpus. Hinc Stratonicus ajebat in territorio Carcenſi ſibi videri mortuos obambulare, omnes enim ſplenetici erant.

Lien in ſiniſtro hypochondrio è regione jecoris ſitus eſt: unde quæ pars ejus concava vel ſima eſt, hepar reſpicit, quæ gibboſa extremitates ſpinarum coſtalium. Varia eſt, & multiplex figura ejus: curva, & gibboſa pars illa, quæ verſus diaphragma vergit. Plerumque tamen figura ejus oblonga exhibetur, & quaſi tetragona, lingvæ bubulæ non diſſimilis; unde etiam viſcus lingvoſum appellatur. Hippocrates lienem plantæ pedis comparat. *De corp. Sect.* Nec magnitudo, nec color ejus in omni corpore æqualis eſt: Melius autem eſt ſi modicus fuerit, quam ſi grandior: in iis enim, qui perfecta ſanitate gaudent abbreviatur, & diminuitur. Unde non immerito Trajanus illum Fiſco comparavit, prout infra patebit.

Carnem habet ſibi propriam, ſicut venas quoque, & arterias, easdemque numeroſas: denique nervulos, & tunicam exiguam, quæ corpus integrum veſtit. Parenchyma carnis rarum habet & fungoſum, in ſimilitudinem ſpongiæ firmioris, leve per modum pumicis: attractioni opportunum, ſicut & receptioni fæcum. Venas plures, easdemque inſigniores numerat, quæ per lineam rectam ei inſeruntur, & per totam ejus ſubſtantiam diſperſæ ſunt. Omnes hæ à ramo ſplenico originem ducunt: per hos ductus autem omnem ad ſe ſangvinem craſſum, & lutulentum transvehit: qui ſi ſucco benigno, attenuato, & ſubmiſſo fuerit permixtus, ſimilitudinem ſubſtantiæ prædictæ acquirit. Humoris melancholici pars ſqualida, & maxime craſſa, fæcibus uvarum ſimilis eſt, quam videlicet virtus ſplenis domare non potuit, & quæ expellitur, & foras ejicitur partim per venam portam, partim per inteſtina mediante præfato ramo ſplenico, partim per fundum ventriculi: partim in ſedem emittuntur per venas hæmorrhoidales: partim in renes mediantibus arteriis emungentibus.

Numeroſiſſimæ item arteriæ, & inſignes per medium ſplenis corpus ſparguntur, quarum uſus multiplex, & copioſus eſt: primus ut pulſu ſuo expurgent, & attenuent fæculentum ſangvinem: & ſicut pulmo refrigeratione vehementi opus habet, ſic lien expurgatione inſigni. Secundus eſt, ſollicitare ſangvinem hunc craſſum, ut de venis in ſplenem cadat. Tertius ventilare calorem ſplenis, ne tam fæculento ſucco oppreſſus, langveat. Denique ut ei vitalem facultatem diſpertiat.

Demum ſubſtantia ſplenis tota membrana tenui amicitur, quæ à peritonæo originem trahit: cui nervulus tertiæ conjugationis inſeritur. Parte ſua gibboſa aut convexa diaphragmati connectitur, ſicut & reni ſiniſtro, idque intervenientibus membranis peritonæi: parte ſui ſima ventriculo, partim per venas, quas ei largitur, partim per omentum, aut epiploon. Hæc eſt eſſentia, hæc ſubſtantia, hic ſitus & figura Splenis.

Sect. 2. Problem. lib. 1. de cauſis & Sign. Chiro-mm.

Plurima de uſu ejus dicenda eſſent contra adverſarios, & calumniatores Galeni. Ubi Eraſiſtratus æſtimat, hoc inſtrumentum corporis fruſtraneum eſſe. Alexander Aphrodiſcus, & Aretæus authumant organum quoque ſangvificationis eſſe. Rondelerius ſenſit lienem non eſſe receptaculum humoris melancholici, ſed eum circum oſſa aliasque duriores partes gyrare. Pitravienſis vult præparari in ſplene ſpiritum quendam vitalem, tenuiſſimumque ſangvinem, qui poſtmodum mediantibus arteriis lienis in ſiniſtrum cordis ſinum portetur, ibique commiſceatur, & perfectionetur per aërem, ac perfectus jam univerſo corpori infundatur: non ſecus ac tubuli, vel bullæ aquæ. Hanc opinionem ſuam longiſſima ratiocinatione corroborat, quam tamen adverſarii ejus contrariis argumentis refellunt, ad quæ eruditum & me curioſiorem lectorem transmitto.

1. De ſanitate tuenda. De formatione fœtus. De locis affectis. De natur. facult. De atra bile.

Interim doctiſſimus Author meus concludit, idque cum Galeno in pluribus locis, conſtructum & ſtabilitum ſplenem eſſe ad expurgationem ſangvinis fæculenti: ideoque ad hoc miniſterium deſtinatum, per rationes ſupra memoratas ex adverſo hepatis collocatum eſſe. Succus hic melancholicus facultate quadam admirabili, eaque ſympathica attrahitur, eodem modo quo veſiculam fellis diximus attrahere bilem. Sangvis autem qui taliter per ramum ſpleneticum attractus eſt, per copiam arteriarum attenuatur, & ſubjicitur. Concoquitur ergo, & reliquo ſangvini ſimilis efficitur: de cujus puriſſima portione ipſe deinceps lien nutritur.

Lienis color in omni penè animali ater, & ſublividus eſt, cum ſapore acido: ſiquidem etiam in corporis parte quapiam conſimilis color apparuerit, ſignum erit, illic humorem hunc prædominari. Quodſi ſplen oppilatus, vel obſtructus fuerit, ſangvis fæculentus & turbidus continuo ad hepar transcurrit, omnemque ſangvinem purum inficit: ex quo tota corporis conſtitutio melancholica fit, icterus niger exoritur. Sicut cum veſicæ fellis canalis obſtruitur, & bilis ad hepar recurrit totum corpus flaveſcit, & icterus flavus enaſcitur, qui morbus quoque Regius appellatur: unde etiam diſtichum illud tam celebre, ortum eſt:

Cor ſapit, pulmo loquitur, fel continet iras,
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Non mediocris præterea momenti eſt, ei, qui ſe ad Anatomices, aut Phyſices ſtudium applicat, noſſe, qua ratione, & quibus viis melancholicus ſuccus ad ventriculi fundum feratur, & quem in uſum. De hoc jam ſat copioſe inter antiquos ſcripſerunt Avicenna, & Galenus: quorum doctrinam (ne forte ego præſcriptos mihi limites ultra transgrediar, ſicut jam transgreſſum eſſe me ſentio) curioſo inveſtigatori in ipſis authorum voluminibus quærendam relinquo: id ultimum ſolummodo cum brevitate transcurro, exponendo, qua ratione ſplenetici mediantibus venis ſe ſublevent, & expurgent, & per quos ductus id fiat. Unde cum Hippocrate doctiſſimus Laurentius aſſerit, lienoſos abundare copioſo ſero, & ad hanc ſententiam confirmandam fautricem ſibi experientiam adducunt. Hippocrates ſæpius humorem melancholicum *aqua* nomine appellat. In libro generationum ſic ait: *Humidi quatuor ſunt ſpecies: ſangvis, bilis, aqua, & pituita.* Per aquam plerumque humor melancholicus interpretatur, & hic humor plurimum ſeri habet, cum admodum frigidus ſit. Hinc propter ejus præſentiam nativus lienis calor debilitatur, ſicut & hepatis, & ventriculi, & partium vicinarum. Hinc maſſa cruditatis inſolita oritur, prout quotidiana propemodum experientia docemur: qui enim quartana laborant plus omnibus ſudant, multum urinæ emittunt: Melancholici abundantiam ſputi ejiciunt: ſicut illud ipſum Galenus inter ſigna hypochondriacorum recenſet.

Lib. 4. de morbis.

Humor melancholicus appellatur aqua.

Melancholici multum expuunt.

Itaque hoc certum ſtatuatur ſpleneticos ſuperabundare ſero, ſed expurgari per urinas: ſic Hippocrates, & Raſis, & Avicenna docent. Idem Hippocrates vult medicamenta, quæ ſpleneticis dantur, mediante veſica purgare debere. Moderni ulceribus contractis è ſplene vitiato per medicamenta diuretica medentur, quæ ſudorem provocant. De Bione memoria eſt, eum plurimum urinaſſe, urinam autem ejus conſiſtentiam nullam geſſiſſe, multasque fluxiones paſſum, imò verò hæmoragiam è ſiniſtra narium parte. Hujus rei ratio ab Hippocrate adducitur, quod lien illi nimium gibboſus, elevatus, & durus fuerit. Præcipit Galenus, quartana laborantes in inteſtinis per medicamenta expulſiva partium inferiorum purgandos eſſe. Proprium ſpleneticorum eſt urinam nigricantem emittere, ſicut Hippocrates, & Avicenna tradunt. His convenienter Author meus concludit: *Obſervavimus lienoſos quamplurimos urinarum nigrarum profuſione ſanatos.* Erant urinæ illæ non per generationem (ſic enim ſemper mortiferæ ſunt, denotant enim grave incendium, quod univerſa comburat, aut vero nativi caloris extinctionem) erant ergo nigræ per commixtionem humoris atri, qui per ſplenem purgabatur, & in renes dejectus erat.

De Cord. affect.

Lib. 2. Epid.

2. Ad Glauc.

Epidem. ſin. ..

Per quas porro vias ſuccus melancholicus & ſeroſus ad renes conducatur, non tam exacte declaratur, nec omnibus æque manifeſtum fuit. Sparguntur (ſic Laurentius ratiocinando proſequitur) duo vaſorum genera per ſubſtantiam ſplenis. In primis venæ, quæ videlicet ab ramo ſplenetico naſcuntur, multæ deinceps arteriæ. Rami ſplenetici & venarum emungentium participatio nulla niſi maxima remota eſt: hic enim de trunco venæ portæ emergit, illi reliqui autem de venæ cavæ deſcendentis: harum autem ambarum nulla communicatio eſt, niſi in ſubſtantia hepatis. Hinc Neoterici quasdam anaſtomoſes, & aperturas multas inter utramque venam obſervârunt. Unde ſi per has fit expurgatio, ſangvis melancholicus à liene ad venam portam recidet, ab hac ad cavam, à cava ad venas emungentes, inde ad renes, quod iter utique longiſſimum eſſet. Unde ego opinor (inquit præmemoratus author) talem expurgationem fieri per arterias potius, quam per venas: per viam enim breviorem memoratus humor qui in ſplene eſt per arterias expurgatur. Sic enimverò fæces, quas patiuntur qui empyemate, vel pleuritide laborant, à pulmonibus per arterias & non per venas egrediuntur: in illis etiam plus, quam in his contineri humoris ſeroſi demonſtratio ocularis docet. Ex hac ratione (inquit ille) arteriæ iſtæ emungentes conſtructæ ſunt, non tam ad ſpiritum vitalem conducendum (utpote ad hoc faciendum & pauciores & anguſtiores ſufficerent) quam ad ſerum illud, quod in arteriis continetur, expurgandum, & ſecernendum in renes. Totum hoc Galenus edocuit. Sic ergo ſangvis jam rubicundus; & ab iſta amaritudine, & excremento luteo deterſus cadit in venam majorem, cum eaque diſcurrit, cujus deſcriptio jam aliunde per compendium facta eſt, cum qua & præſens capitulum hic concludo.

MORALIA DE HEPATE.

DOctiſſimus Aldrovandus ſentit per hepar hominis, quod temperamenti calidi eſt, quod item rubicundum, collocatum in hypochondrio dextro, cum in corpore pars præcipua ſit, humanam mentem intelligi poſſe, quam pietate calidam eſſe oportet, rubicundam per ſangvinem Redemptoris pro nobis fuſum, ſituatam eſſe debere à parte dextra, meditando in ſpe vitæ æternæ. Nec ordinaria, nec exigua, ſed magna pars in homine eſt, unde etiam charitatem ingentem, & ardorem ejus ſignificare poterit. Subjicitur nihilominus hepar cordi, & ab eo tanquam primario fonte ſangvinem ſugit & calorem præcipuum. Pari modo decet Principes & Prælatos calorem, hoc eſt charitatem temperatam, ſicut & vitalitatem ſubminiſtrare ſubditis ſuis, quos viciſſim erga præpoſitos ſuos amore ſuccenſos eſſe oportet, juxta tritam parœmiam:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

In concavitate hepatis veſicula fellis abditur, quæ humores acrimonia ſua incidit, & abſtergit; intelligi per hanc poterit (ſicut fuſius alibi patebit) amaritudo pœnitentiæ, quæ humores peccantes incidit: qua metaphora Sacri Eccleſiaſtes ut plurimum uti conſveverunt, dicendo hoc amore pœnitudinis, non ſecus ac felle piſcis, ſubminiſtrato à Raphaële Angelo juniori Tobiæ, oculos mentis noſtræ obſcuratos, & tergendos, & fricandos eſſe.

MYSTICA.

9. Moral. c. 40. In Levit. 3. hom. 3. in Levit. 5. In 4. Reg. Exod. 29. Levit. 1. 1. Proverb.

QUamvis hepar pars occulta, & inteſtinalis ſit, Expoſitoribus Sacris nihilominus in ſignificationibus ſuis occultum non eſt. Inter quos doctiſſimi viri, Gregorius, Heſychius, Origenes, Rupertus, & Gloſſa paucis quidem, ſed nervoſis ſignificationibus conſiderando victimæ, ordinatæ à DEO hepar, quod ſuper altare mittendum erat, dicunt, id deſideria occulta ſignificare poſſe: & præter hæc iram, cujus ardoribus, & accenſione hepar ad actiones valoris inflammatur. Iidem Authores per hæc voluptatem ſenſualem, & deſideria illicita intelligunt: Quorum fomenta extingvuntur, ſiquidem interiora ejus rupta fuerint: ſicut in Propheta Oſee dicitur: *Dirumpam interiora jecoris eorum.* Alludit ad hoc Eccleſia, dum Altiſſimum pro neceſſario ſibi ad ſalutem conſequendam adjutorio divino rogat, his verbis:

Oſee cap. 13.

Jecur adure morbidum,
Ne criminis contagio
Tepeſcat ardor ſpiritus.

Cap. 8. c. 3.

In Ierem. 9. In Matth. hom. 35. In Luc. 23. In pſ. 68. In Habac. 2. 29. 58. 3. 27. 23. 8.

Quod fel attinet, hoc S. Hieronymus quandoque tribulationem figurari exponit, ſicut & caſtigationem divinam: ſic Jeremias inquit: *Potum dedit nobis aquam fellis*: & in Threnis: *Circumdedit me felle, & labore.* Exponunt Origenes, S. Ambroſius, S. Auguſtinus, Rupertus Abbas, ſupra textus ſcripturarum qui particulariter leguntur in Deuteronomio, in Pſalmis, in Threnis, in SS. Evangeliſtis Matthæo, & Luca, in Actibus Apoſtolicis, per *fel* deſignari poſſe vitam perverſam, quæ Chriſto amara eſt, non ſecus ac fel illud, quod ei in cruce agonizanti propinatum fuit. Figurari item amaritudinem verborum, quæ de ore blaſphemo, vel vindicativo progrediuntur. De hoc felle (inquiunt præfati) Redemptor non bibit, nec enim amaritudo cum ſinceritate miſcenda eſt. Demonſtratur item beatitudinem & gloriam Sanctorum ſine omni amaritudine futuram: ſic in Habacuc legitur: *Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians, ut aſpiciat nuditatem ejus.* Iſidorus Clarus hoc de Rege Nabuchodonoſor interpretatur, qui Reges ſibi commenſales inebriare delectabatur, & exinde peſſimos efficiebat. Ait idem Author: alios hoc de eodem Rege, ſed per metaphoram intelligere, illic calicem furoris indicando, quo inebriatus, & deſiderio regnandi ſuccenſus, in reliqua regna fremebat. Rupertus Abbas his verbis Judæos intelligit potantes felle Redemptorem noſtrum. In ſignificatione ſcripturæ præfatæ, præſertim illic, ubi in Job habetur: *Panis in utero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus:* S. Gregorius exponit doctrinam perverſam, & cum hac perſvaſionem diabolicam aut verò hæreſiam intelligi. S. Hieron. ſentit, per hoc Antichriſtum quoque ſignificari poſſe, cujus doctrinæ amaritudine potandi ſint Judæi: ſicut in Jeremia habetur: *Potum dabo eis aquam fellis, & diſpergam eos in gentibus.* Furor, quo piſcis ille agitabatur, quem Angelo jubente Tobias extraxit, denotat, juxta gloſſam ordinariam, furorem, & malitiam dæmonis adverſum genus humanum. Hæc de his dixiſſe ſufficiat.

Hab. c. 2.

In hunc loc.

Cap. 20.

15. Moral. 6.

Cap. 6. in hunc locum.

Cap. 9.

DEDICATIONES.

INter omnia paganorum inſtituta, quæ de eorum ſcholis, ad Chriſtianos usque derivata ſunt, fateor me, cum in adoratione & cultu eorum mentem defigo, illorum pietate ſtupefactum, rubore & pudore confundi; intueor enim, quantum plurimi fidelium, ab iis quibus veræ fidei lumen defuit, ſuperentur. Si in ſacrificiis illorum error, aut defectus deprehenditur, ignoſcendum eſt genti, tam procul à veri Dei notitia remotæ: dum enim mendaci Deitati, & ſpiritibus impuris immolabant, credebant id vero Deo fieri. Ex his nihilominus concludendum eſt, ſacrarum rerum uſum unà cum origine Mundi increviſſe. Sic M. Tullius inquiebat: *Omnes religione moventur, & Deos patrios, quos à majoribus acceperunt colendos ſibi diligenter, & retinendos arbitrantur.* Atque ita demum in hoc cultu & veneratione ardentes erant, ut non ſolum res externas, ſed internas quoque offerrent, & conſecrarent. Plura de his jam ſupra tractata ſunt, & plura tractanda remanent.

Act. 6. in Verrem.

Invenio tamen in materie, quæ præ manibus eſt, doctiſſimos obſervatores Pierium, & Aldrovandum, qui ajunt, in uſu veteres habuiſſe, ut hepar Jovi dedicarent, fel autem Marti: nec id ſine conſideratione matura: hepar enim jam ante diximus, tanquam Principem cæteris membris, utpote ſubditis ſuis, ſubminiſtrare alimenta: eo quod cuique partium debitam ſangvinis portionem transmittit. Itaque illud Jovi dedicandum duxerunt, tanquam Principi & Gubernatori numinum inferiorum, qui tanquam Senatus aliquis Optimatum, ſe regimini ejus ſubſternunt, & inclinant. Fel Martis imperio tradiderunt; cum enim hoc incentivum & fomes iracundiæ ſit, Numini Martis ſangvinario, & cholerico, obſervato naturali ordine non indebite aſſignatum fuit.

Hierog lib. 33. De lingua.

Ab his dedicationibus & proprietatibus non poſſum quin explicationem omnino moralem, & præcepta vitæ inſtituendæ deducam, ſicut eædem partes orga-

organa vitæ naturaliter ducendæ neceſſaria ſunt. Siquidem ergo (prout ſupra indicatum eſt) veſicula fellis nimium onerata, præter ordinarium naturæ curſum bilem ſuam effuderit, univerſitas ſangvinis corrumpitur, unde aurigo in vultu ſpectabilis enaſcitur, de qua graviſſima emergunt mala: ſi excandeſcentiæ impetus non refrenetur, & hic Mars pro libitu ſuo ſe efferaverit, odia excreſcunt, & rixæ, & ſtrages, & homicidia.

Ira eſt res impetuoſiſſima, inquit Ariſtoteles, magnus ille præceptorum inventor. Vult autem, ni fallor, iram focum eſſe, qui de centum ſpiraculis exhalat fulmina, quæ ad exterminium feriunt: ventus eſt, qui montium apices optime comatos decalvat: ignis ſubterraneus eſt, qui regia palatia funditus evertit. Huic deſolatorio torrenti nec muri, nec munimenta, nec vallum eſt quod reſiſtere poſſit. Ideoque Exemplum Senecæ ſemper admirabile erit, qui cum viſus eſſet manu extenta, & flagello vibrato, ſed ſuſpenſo, ſuper denudatum ſervi ſui dorſum, de eaque re interrogatus reſpondit: *Pœnas exigo ab homine iracundo.* Quod argumentum amplificationi fœcundiſſimum eſt.

Hepar ergo, prout diximus, diſpertiens reliquis membris ſangvinem, & Jovi conſignatum, Principem figurat, qui talem populi ſibi ſubditi curam gerit, ut neceſſitati illius provideat. Canis non cibatus latrat, quandoque etiam mordet. Sitiebat David aquas fontis Bethlehemitici, cujus acceſſus ab hoſtibus interceptus erat; ſed cum periculum vitæ, cui ſe viri fortes expoſuerant, animadvertiſſet, hauriendo inde & Regi propinando, guſtare noluit, ſed pro
Tacit. communi ſalute aquam Domino ſacrificavit. Periclitetur vita mea (inquiebat Pompejus, cum inter Maris concitati in fortunia jactaretur navibus onerariis, ad ſuccurrendum Romæ, quæ fame premebatur) dummodo remis, & ventis tanquam alis, ad porrigendam patriæ meæ vitam progrediar, quippe quæ ſub dentibus rabidis & caninis urgentis neceſſitatis & famis anguſtiis, devoranda deliteſcit. Hic
lib. 6. Ethicorum. populi ſcopus eſt, inquit Severinus Boëtius: *Annum bonum, non tam de magnis fructibus, quam de juſte regnantibus æſtimandum.* Latiſſimus campus & utiles ad tractandum: de quo in Davide meo muſico, & armato ſat ratiocinatus ſum. Quemadmodum etiam, ſi hepar ab officio ſuo diſpertiendi ſangvinis vacaret, reliqua membra deficerent, ſic ſubditis quoq; contingit, ſi eis neceſſaria alimenta non ſuppeditentur, ab iis quorum muneris & officii eſt id agere.

SIGNATURÆ IN PLANTIS ET HERBIS.

CONdemnationis omnimodæ reus utique eſſet temerarius, & infidelis ille, cui vel per ſomnium incideret, plenitudinem divinæ beneficentiæ in rebus viſibilibus negare, & in iis, quæ nondum ad certam noſtri notitiam pervenerunt. Inter ea nihilominus, quæ in admirationem noſtram cadunt, poſt gratiam videlicet primo homini datam, dum eum anima & ſenſu dotavit, amplitudinem liberalitatis divinæ (prout ſine errore dicere mihi poſſe videor) admodum manifeſtè demonſtrant, & plantarum & herbarum diverſimoda genera: nam & homo ad ſimilitudinem earum formatus eſt, in quem ſenſum Peripateticus inquit: *Homo eſt arbor inverſa.* Et Pſalmiſta: *Tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Præter hæc terram voluit Deus cum diligentia & activitate quadam ad uſum hominis, multiplicare ramorum luxuriantium fructus. Denique hæc lignorum abundantia propter uſum hominis producta, ad fabricanda domicilia, ad conſtruendas rates, & navigationem inſtituendam ſervire debuit. Ad erigenda inquam ædificia, in quorum umbris requieſceret: atque ita hæc multiplex ubertas ſolatio homini data eſt, & quaſi correctivum remedium, aut Alexipharmacum contra tot mala ei impendentia.

Arbor vitæ, juxta S. Auguſtinum, in medio paradiſi idcirco plantata erat, ut malis omnibus ſubveniret, quæcunque infeſtare creaturam humanam alioquin calamitoſam poſſunt. Sunt autem verba Au-
Ex Cateq. hom. 24. de Euchar. thoris, quæ ſequuntur: *Propterea de ligno vitæ guſtabatur, ne mors undequaque ſubreperet, vel homines ſenectute confecti diverſis temporum ſpatiis interirent.*
In Gen. l. 3. q. 2. His addit eruditus Pierius: *Vitæ arbor ſedulos divinorum mandatorum miniſtros ab æterna morte præſervat, & æternæ vitæ fructibus reſtaurat.*

Sozomenus vir doctiſſimus memoriæ dedit, in Hermopoli caſtello Thebaidis arborem inveniri, cujus fructu, vel ejusdem parte minima à corporibus infirmis omne genus malorum propulſari. De hac item arbore Joſephus Flavius recenſet, cum Redemptor noſter adhuc infantulus, cum matre ſua, & Joſepho putatitio patre, Herodis iram evitando in Ægyptum fugeret, & ad portam prædictæ Hermopolis cæleſtis hæc ſocietas pertigiſſet, hanc arborem ad terram usque ſe inclinaſſe, unde evenerit, ut ſingularis hujus virtutis, & favoris particeps facta ſit.

Montalbanus vir doctiſſimus concludit: maximas eſſe plantarum, & herbarum virtutes: ſicut &
lib. 1. Initio, Ulyſſes Aldrovandus, qui non ſine honore nominari debet, eas ſymboleitatem & ſimilitudinem humanarum partium portare dixit: Ejus verba hæc ſunt: *Suum quoque ſpei plena folia uſum officialem oſtendunt, quæ oculorum, palpebrarum, atque capitis, mentis, cutisque capillorum ad inſtar, floribus venuſtatem, fructibusque ſapiditatem fovent, atque diurna, & annua converſione ad ſolem omnes iisdem perfectiones è cælo pendentes accerſunt.*

Hanc Epitomen reflexionis non ſine ratione mihi feciſſe videor, nunc ut ad particularia deſcendamus, & ne ex hoc volumine *Receptarium* fiat, breviter juxta doctiſſimum Oſwaldum Crollium, & diligentiſſimum virum Joannem Andream Matthiolum, quædam inter potiſſima referam, quæ caliditati hepatis ejusdemque imperfectionibus ſubveniunt.

Matthiol. Lichen, aut Hepatica, ſecundum Authores præmemoratos, in locis ſaxoſis naſcitur, cum folio ſolo, eoque largo verſus radicem, calamum unum, ſubtilem, & parvum producens, de quo oblongæ frondes quædam dependent. Hæ cartilaginoſæ ſunt, & pingves: verſus radicem anguſtæ, in ſummitate largiores, tripliciter inciſæ, aut quadrupliciter, ex quibus inciſuris quædam aquarum guttæ exſudant. In iisdem locis petræis aſplenum naſcitur, ab aliis ſcolopendrium, hemionium, & ceterach nominatum: quod plures frondes de radice, quæ ſcolopendræ venenato animali ſimilis eſt, producit: gaudet locis umbroſis: ſine calamo eſt, ſine floribus, ſine ſemine.

Folia ejus circumcirca inciſa ſunt, non ſecus ac folia polypodii: ſubtus flava, & ſcabra, ſuperius viridia. Quæſtio nihilominus inter Authores eſt, an ceterach verum aſplenum ſit, aut ſcolopendrium: complures enim opinantur loco hujus lingvam cervinam ſumi: id quod à Dioſcoride mutuantur, qui ait: aſplenum frondes producere ſimiles polypodio, quibus frondes ceterach vulgaris correſpondere non videntur. Qualitercunque id ſit, omnes nihilominus herbæ iſtæ plurimum conferunt ad tollendos defectus, &

& infirmitates jecoris, ſicut item eupatorium, & acrimonia tam Meſſuis, quàm Avicennæ: ſerviunt item ad repercutiendos, & refrigerandos nimios calores, qui de copia ſangvinis proveniunt. Omne ſimplex, aut compoſitum hujuscemodi naturæ porrigitur aut in juſculis, aut quintis eſſentiis, in vino, aqua, ſero, decocto aut aliis cibis, & potionibus. Foris ungvento Sandalino uti conſveverunt: eo quod illius proprietas, ſymboleitas, & virtus hepati ſympathica ſit. Inter fructus pyra jecoris ſimilitudinem gerunt, unde etiam eorum uſus moderatus, ejus ſanitati conducit.

In familia fungorum, betulinus, & quercinus ſignaturam particularem hepatis habent, hinc ad ejusdem affectus curandos non modicum valent, & adjuvant, ſicut inter refrigerantia omne genus ſonchorum: deinde endivia, borago, meliſſa, pentaphyllon, præſertim omne compoſitum roſarum, his morbis valide, & proprie medentur. Tam eximiæ igitur humanæ parti providentia naturæ, copulata arti, cum tot ſimplicibus, mixtis & compoſitis invigilat, accurrit, & aſſiſtit. Copioſa in his ſunt Receptaria, ut nominant, & repertoria, & Antidotaria, de quibus hæc pauca adduxiſſe ſuffecerit; transeo nunc ad

EPITHETA. HEPATIS.

SUmmi momenti, & Oratoribus, & Poëtis adjuncta ſunt, quæ non immeritò quis dixerit non ſecus ac regale paludamentum eſſe, ad ornandam filiam Principis, non ſecus ac ſupra holoſericum opere plumario acu depicta: non ſecus ac cortinæ pretioſæ ad ſcenam exornandam: vividi colores ſunt, quo oratio & poëma qualecunque decoratur. Atteſtationi Authorum jam ſupra memoratorum, adjungo authoritatem magni Raviſii, à quo quæ jam tum dicta ſunt, præcipue ſelecta mutuatus ſum, cujus verba
In Præfat. Epithetorum. hæc ſunt: *Si commode uſurpentur epitheta, ita orationi ſplendorem afferunt, adeoque perſpicuam, & leniter fluentem reddunt, ut omnem ejus efficaciam, & vim abſolutam nobis ob oculos ponere videantur.* In
fol. 218. particulari igitur non ſine juſta proportione Poſſevi-
In Epod Od. 5. nus hepar tumidum nominavit: *Nam tumido quan-*
5. Carm. 1. *ti generantur in hepate ſucci.* Corruptum dixit Se-
Oedip. Act. 2. renus: *Corrupti jecoris vitio, vel ſplenis acerbus.*
Satyr. 1. Combuſtum item Poſſevinus: *Nam jecur exuſtum calidos producere ſuccos.* Aridum & ulceratum Horatius. Nigrum Seneca: *Et felle nigro rabidum ſpumat jecur.* Siccum Juvenalis: *Quanta ſiccum jecur ardeat ira.* Calidum Frontinus: *Quum jecur calidum rapuiſſent, & à Rege militi eſſet oſtenſum.* Palpitans Quintus: *Pulmone rupto, palpitans fregit jecur.* Fervens, & ira æſtuans Horatius:
lib. 1. Carm. *Fervens difficili bile tumet jecur.* Transeamus ad

EPITHETA FELLIS.

lib. 8.
5. Triſtium. PRimus inter omnes Mantuanus Homerus tuba ſua ſonora auditur, qui fel atrum appellat: *Hic verò Alcidæ furiis exarſerat atro Felle dolor.* Vipetinum dixit Ovidius: *Telaque vipereo lurida felle gerat.* Noxium Serenus: *Lutea ſi creſcunt, & cunctinoxia fella.* Ovidius rurſum illud dixit mordax:
lib. 3. de Ponto. *Tinctaqae mordaci ſpicula felle gerunt.* Triſte Ti-
lib. 2. bullus: *Omnia nam triſti tempora felle madent.* Auſonius cæruleum: *quàm valida eſt homini, quota portia cæruleum fel.* Nigrum Seneca: *Et felle nigro rabidum ſpumat jecur.* Amarum Pontanus: *Hic acer Venuſinus amaro ſublita felle verba jacit.* Tumidum Politianus: *Et tumido furiatus felle cruentum ſpectat.* Turgidum Quintus: *Cras felle acetum turgido miſtum bibit.* Idem acidum: *Obtexit ſapor adulter acidi poculum fellis.* Pallas Soranus triſte: *Nam mihi felle malo triſtior, & gravior.* Denique Manto aquoſum nominat: *Retulit in lucem fellis medicamen aquoſi.* Hucusque Authores. Sed non deerunt hujuscemodi alia propria aut peregrina, prout loci affectus, aut ſenſus, aut virtus poſtulaverit, quæ ingenium ſapiant, ſicut illa de felle, & jecore: ſeverum, inhumanum, crudele, temperatum, placabile, ſomnolentum, ſangvinolentum, ebrium, tormentatum, mite, & his ſimilia: quæ erudito Compoſitori & Inventori deeſſe non poterunt. Accingamur nunc ad dicendum aliquid de Liene.

DEDICATIONES.

Lien Saturno dedicatus, & quare.

COmmuni omnium Authorum, & obſervatorum conſenſu, regimen, & dominium lienis Saturno tribuitur. Hic Planeta frigidus eſt, & glacialis, qui mœrorem influit; nec enim calore ad activitatem elevatur, aut erigitur. Sic lien quoque, cum ſangvinem ſibi craſſum, & impurum attrahat, prout diximus, (relinquendo hepati, quod depuratum eſt) fieri nequit, ut non materiis tam ponderoſis, frigidis, & excrementoſis prægravetur: atque ita non absque ratione hujuscemodi planetæ aſſignatur. Sed ſi à literali ſignificato ad politicum, & morale tranſierimus, dicetur: quod ſicut Jupiter Saturnum è cælo fugavit, metuens ne ſolio ſuo deturbaretur, aut verò ob ætatem decrepitam eum gubernaculis imperii inutilem & impotentem credens, prout ſenſata mythologia Poëtarum inquit; ſic laudabiliter facturus eſt, quicunque ſe regimini inhabilem agnoſcit, ſi ſe eidem abdicaverit, ne cum majori damno ſuo deinceps pellatur: ſicut non minus Principum prudentum eſt diminuere vires Miniſtris, quos nimium potentes, & jam metuendos animadverterint. Cujus rei exemplum non obſcurum Juſtiniani cum Beliſario eſt Neronis cum Tigellino, & Seneca, Tyberii cum Vibuleno, & aliis.

Curæ nimium mordaces, animũ ſimul, & corpus offendunt.

Occurrit ſuper hæc fabuloſa alius quoque ſenſus moralitatis: quod nimirum, ſi Saturnus in decrepita ætate ſua Empireum gubernâſſet, moribus tetricis, & melancholicis ſuis utique Jovis regiam, in domicilium triſtitiæ, & luctuum convertiſſet: pari modo & lien, ſi nimium intumuerit, & ampliatus fuerit, corpus in phtyſin, & omnimodum exterminium reducit. Sic ergo corpus noſtrum, ſiquidem cogitationibus nimium mœſtis, & importunis repletum fuerit, haud dubie ſe ipſum propediem periculoſa exinanitione proſternet. *Nimiæ vitæ exercitationes ob-*
In Hipp. *ſunt magis, quàm proſunt*, inquit Euripides. Memini ejus, quod jam ſupra Ovidio retuli:

3. Metamorph.

Attenuant vigiles corpus miſerabile curæ.

Ut ab his nos ſollicitudinibus immoderatis arceret,
In Matth. c. 6. mirabiliter inquit S. Chryſoſtomus: *Nequaquam ulterior diei cura te conterat: cujus enim diei ſpacium te viſurum neſcis, quam ob cauam illius ſollicitudine torqueris?* Hujus veritatis momentum Commendator Teſtius intellexit, dum ſic canit:

Beato e quei, che in liberta ſicura
Povero, ma contento i giorni mena,
E che fuor di ſperanza, & fuor di pena
Pompe non cerca, e dignita non cura.

Truncentur itaque pennæ volantibus deſideriis, & ceſſabunt ſollicitudines, & curæ, & vigorem ſuum recupe-

cuperabunt corpora & naturalia, & moralia, & myſtica, & politica: nec lien ille importunus cum tumiditate ſua reliqua corporis membra ſubvertet.

EMBLEMATA.

Splen. Symbolum Fiſci. IN hærendo malis, quæ per ſplenem tumidum & inflatum gignuntur, juxta mentem Trajani Imperatoris, hujuſcemodi viſcus ampliatum comparari Fiſco poterit. Moraliſſimus Alciatus hominem exhibuit, qui lecto incumbens diſtentas, ventrem protendebat admirabiliter tumidum, ſed corpus omnino macilentum & tabidum. Prominentia hæc prodigioſa apparebat: incumbebat autem vultu ſuo ſupra manum ſiniſtram, dextram verſus genu prolongabat, cum ſequenti Epigraphe;



Opulentia tyranni paupertas ſubjectorum. Ad cujus majorem evidentiam verſus hujuſcemodi ſubjunxit.

Humani quod ſplen eſt corporis, in populi re
Hoc Cæſar fiſcum, dixerat eſſe ſuum.
Splene aucto reliqui tabeſcunt corporis artus:
Fiſco aucto arguitur civica pauperies.

Sententiam hanc, vel Apophtegma Trajani fuiſſe, *In vita Conſtantii, ſeu Aureliani.* atteſtantur Eutropius, Sixtus Aurelius Victor. Nec ſine maturitate judicii: quotidiano enim experimento docemur, homines exigui lienis, facilè pingveſcere: ſed quibus increverit præter modum, & intumuerit; cum plurimum vitalis humoris ad ſe trahat, facilè hominem excedit, & macilentum reddit. Tales dicuntur populi Caunii in terra, quæ Caria nominatur, vicina Rhodo. Unde eſt, quod Strabo dictum quoddam facetum de Stratonico Cytharœdo refert, qui cum in confinibus iſtis ambularet, videndo genus hominum in facie ſubflava & viridi, ſæpius verſum Homeri ſuccinebat: *Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorum.* Cumque de hac nimia dicacitate accuſatus eſſet, quod nimirum urbem mollem & enervem diceret, alludendo ad morbum ſpleneticum, pejori accuſatione ſe excuſatum voluit, ait enim: *Ego eam morbidam dicere auſim, ubi mortui ambulant?*

Optima item moralitas eſt, quam ſenſatiſſimus Alciatus prodidit: quod ſicut ſplene in corpore humano increſcente, alimenta debita corpori ſubtrahuntur, ut in phtyſin degeneret, ita Princeps avarus, qui ſugit, emungit, & ad ſe omnia trahit, tollit politico corpori alimentum neceſſarium, & vitæ ſuſtentacula, unde evenit ut macreſcat, & tabidum fiat. Plebs enim ad incitas redacta neceſſitatibus & laboribus, miſere afflicta perit: talis enim princeps, non ſecus ac præfatus lien, ſe de ſubſtantia illorum paſcit, & nutrit, omnem ad ſe ſubjectorum fortitudinem & opulentiam attrahens.

Alterius omninò mentis & ſententiæ erat verſutus ille Tyberius, quamvis poſtea & ipſe his contraria ageret: *Boni*, inquit, *paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere.* Alluſit ad hunc ſenſum generoſus ille Macedo, qui dum nimias ſuorum exactiones intellexiſſet, ajebat: *Odi olitorem, qui radicitus herbas convellit.* Dicere ſolitus eſt Artaxerxes, qui dextram manum ſiniſtra longiorem, & meliorem ſe habere gloriabatur: *Addere, quàm aufferre magis eſt Regum.* Et Ptolemæus: *Ditare, quàm ditem eſſe, convenientius principi.* Hunc loquendi uſum fertur habuiſſe Conſtantius Romanorum Imperator: *Opes publicæ melius à privatis habentur, quàm intra unum principis clauſtrum.* Jam alibi dixi beneficentiam Principum, fortunam illam eſſe, quæ illis coronam ſoli-

Ad Nicoclem. -det in capite. Quod optime Iſocrates expreſſit: *Argumentum hoc tibi ſit imperii recte honeſteque adminiſtrati, ubi videris eos, quibus præes tua diligentia, curaque locupletiores, & ditiores factos.*

Itaque Regali curæ convenit, ut ne morbus ille ſpleneticus, exactionum immitium invaleſcat, ſed ut corpus civile cum redditibus ſuis & ſubſtantiis quietum vivat. Siquidem etiam contigerit, ut hujuſcemodi minima infectio naſcatur, obſervandam ſibi ducat princeps ſententiam Theodorici, qui Advocato ſuo Marcello ſcribendo, ſic ajebat: *Crementa* *lib. 4. Ep. 37.* *fiſcalium tributorum juſtiſſimo ſunt penſanda judicio.* Et paulò infra: *A nobis, qui fiſci utilitatem ſtabili volumus diuturnitate perſiſtere, excludenda eſt diſpendioſa ſemper enormitas, ne argumento ſuo tumens ſumma deficiat, incipiatque magis deeſſe, quia immaniter viſa eſt accreviſſe.*

SIGNATURÆ PLANTARUM ET HERBARUM.

ANtiqui illi & ſenſati ſimpliciſtæ, quibus optime conſtitit plantarum cognitio, & herbarum, dum ſcirent qualibus & prærogativis & virtutibus condecoratæ eſſent, tantopere earum æſtimationem in tractatibus & voluminibus ſuis teſtificatam reliquerunt, ut eas non ſolùm æquiparaverint, ſed auſim dicere prætulerint gemmis Erithræi: Quippe quod ſemina, & privilegia vitæ continerent: atque idcirco earum ſtudioſam indagationem, & neceſſariam, & maxime laudabilem duxerunt, quam etiam, quantum licuit, & non ſecus ac reliqua ſtudia diligentiſſime excoluerunt. Hinc Galenus memoriæ dedit *Diſcurſu Premiali.* (ſunt autem verba verſatiſſimi viri Joannis Andreæ Matthioli) primorum temporum reges, & rerumpublicarum Magiſtratus maxime conſpicuos, quamvis in rebus gerendis occupatiſſimi eſſent, nihilominus eouſque hoc ſtudium, & hanc facultatem ſibi cordi duxiſſe, ut idipſum induſtria ſua magis cultum & illuſtre reddiderint.

Unde ut illis plantarum exoticarum copia eſſet, utque aromatum electorum, & veracium acquiſitionem facerent, in diverſis mundi plagis ſibi de operariis & ſimpliciſtis, omni arte & ſedulitate commendatis, providebant. Inter eos magni nominis eſt Chiron præceptor Achillis, non ſolum quod Heroëm hunc medulla leonum aluerit, ſed quod eum quoque cognitionis plantarum participem fecerit: ex quo factum, ut in tributum debitæ gratitudinis eum ſenſata poſteritas in numerum figurarum & ſignorum Zodiaci cæleſtis tranſtulerit.

Sed ut ab univerſalitate iſta ad particularia, tractatus noſtri deſcendamus, dicendum, ad ea mala, quæ ſplenem concernunt, medicanda, omne quod amarum eſt, ſympathiam habens cum hepate, pari modo & ſpleni prodeſſe. Aſplenum præſertim, & lingva cervina, radix fumariæ, præcipuè item lupinus, cujus folia fructuſque ſignaturæ partis approximant: hæc univerſa in decocto ſumpta, vel infuſione, aut potione, electuario, conſerva, trochiſcis, panaceis, aliiſque modis condita, qualitatem, facultatemque non promiſcuam habent, ad obolenda, & expellanda mala lienis: diminuunt enim maſſam illius: quæ alioquin nimia turgiditate ſua in damnum patientis augetur, & incrementa indebita ſunt.

His aliiſque inſuper judicioſus, & prudens Lector ſibi ad utilitatem propriam conſulat: ego enim calamum aliò transfero, & tractatui tandem finem ſuum impono: nec enim præter hæc obſervatione ſingulari dignum aliquid invenio. Interea rogatum te velim, ne tibi forte hoc tractatu (quamvis de ſplene verba fecerim) eundem tibi mœſta lectura hac augmentârim: nec enim arbitror materiam talem eſſe, quæ ſub ſplene melancholico teneri debeat. Cumque etiam per hæc tibi hepar & ſub ea latens fel apertum fuerit, velim tibi perſvaſum eſſe, me totum hepaticum hoc eſt deſiderio accenſum eſſe, ad ſervitia tibi præſtanda: ex altero autem latere, non ſecus ac columbam omnino ſine ea parte eſſe, ubi fel, & ira ſedem ſuam obtinent. Suſcipe, ergo, non alieno animo, & hoc quidquid tibi de eodem genere muſa mea ſuggerit:

Conſiderationes morales, naturales, & politicæ ſupra hepar, & lienem.

In picciol Mondo a fecondar, oh quali
Spande de l' uno, qual Nilo; ampie le vene,
L' altro impure ad unanze à terger viene;
Onde poſſan ſalir ſpirti vitali.
Sudan ambo in oprar glorie rivali,
E ogni uno il faticar pronto ſoſtiene,
Vivo il ſangve per cor qui ſi mantiene
E il mortale per cor ritolto a i mali.
Queſta di Prence e Idea, che d' vuopo ogni ora
Ha di fido miniſtro, onde con eſſa
I piu ſtabili affar tratta, e elabora.
E del tipo accennato il ſegno e eſpreſſo,
S' egli porpore ognor tinge, e colora,
E a lui ſudditi hauere e pur conceſſo.

RENES, ET LUMBI.

Anatomia.

RENum exercitium & officium principale eſt, in loca debita humorem aqueum & ſeroſum deducere. Ad hanc purgationem faciendam Natura providenter tria organorum, & inſtrumentorum genera inſtituit: quorum prima facultate quadam nobis incognita, nec ſatis penetrata, familiaritate item quadam connaturali cum inteſtinis, humorem illum aqueum & ſeroſum extrahunt. Nec tamen illum omninò depuratum, & impermiſtum, ſed multo ſangvine adulteratum, quem à memorato ſangvine percolant, & cum multa transfuſione ſeparant. Apellantur autem nomine ſibi proprio renes. Reliqua organa aut inſtrumenta humorem jam taliter collectum in vaſa uretheria conducunt. Tertium vaſorum genus ad recipiendum, continendum, & ejiciendum deſtinatum eſt, ut nimirum veſica. Quæ ſingula hic à me, non ad amuſſim usque, aut per modum diſceptationis, ſed cum omni brevitate, & ſuccoſo documento proponentur, & deſcribentur. Accuratiſſima univerſitatis mater Natura renes bipartitos eſſe voluit, ut videlicet uno obſerato, dum ex una parte curſus humori præmemorato interdictus eſſet, ex altera nihilominus hoc ſerum profunderetur, & non ſecus ac ros quidam per loca debita deſcenderet. Itaque unus non ſufficiebat. Nec id ſolum, ſed ſi unus fuiſſet, eum itaque in corporis medio collocari neceſſe erat. Cùm verò ſerum hoc copioſiſſimum ſit, binos ſtatuit, in media corporis longitudine collocatos, ut ad omnem functionem promptiores eſſent, ut proinde æqua ex utroque latere proportione & pondere corpus librarent. Sed in medio ventris ſituari non poterant, venæ enim cavæ deſcendentis tranſitum præpediſſent. Ponuntur paulò infrà jecur ut tanto expeditius humorem aqueum & ſeroſum de hepate, mediantibus vaſis (quæ ampliſſima habent) egerere poſſint.

Incumbunt interim muſculis lumborum, ſupra quos extenti ſunt. Ex utraque parte à lateribus venæ cavæ ſituati ſunt: idque ne ſangvinis curſus, qui deorſum tendit, interrumpatur. Horum renum unus altero ſemper elevatior eſt. Galenus ſcribit id in rene dextro animadverti, qui ſiniſtro altior ſit. Doctiſſimus nihilominus Laurentius obſervat, hanc prominentiam in ſiniſtro dari, pro magnitudine hepatis: contrarium autem ait reperiri in cæteris animalibus. Figura renum non abſimilis eſt parvo cingulo, aut circulo hemisphærico, & ſemilunari. Ubi venam cavam declinant, ſinum formant, & concavi ſunt: verſus latera exteriora incurvati, convexi, vel gibboſi ſunt. *De oſſ. natur.* Hippocrates renibus figuram cordis aſſignat: non equidem pro illorum forma extrinſeca, ſed quod ventriculos ſinibus cordis ſimiles contineant. Qui etiam non niſi duas has cavitates ſenſibiles in viſceribus ſangvificantibus admittit.

Renum ſubſtantia ab Hippocrate inter glandulofas collocatur, & ſimilia corpora: aut propter materiæ ſimilitudinem, aut verò quod per modum glandularum ex multis partibus coagmentati ſint: more etiam glandularum multa humiditate delectentur. Ab Galeno inter viſcera, vel parenchymata numerantur, eo quod ſubſtantia illorum carnoſa ſit, rubicunda, denſa, & ſolida, non multum à ſubſtantia cordis differens, niſi quod villis carent. Sic autem componi eos oportuit, ſi enim aliter facti eſſent, utique propter facilem relaxationem non debito tempore humorem in ſe retentum effunderent. Magnitudo & capacitas eorum tanta eſt, quanta ad præfatum humorem recipiendum & excernendum ſatis eſt. Connectuntur renes lumbis, diaphragmati, colo, peritonæo, & mediantibus vaſis urethericis veſicæ. Proinde & cerebro, & cordi, & hepati per venas, arterias, & nervos.

Admirabilis illorum ſtructura eſt, incognita veteribus: non minus neotericis, qui renes potius animalium, quam hominum deſcripſerunt. Fallopius & Laurentius cum Euſtachio ſtabiliunt, in renibus tam externas, quàm internas partes conſiderandas eſſe, quarum illæ primæ occurrunt, quæ reliquum eorum corpus propemodum involvunt: in quibus & ea vaſa comprehenduntur, quæ intrant, & exeunt. Partes interiores, caro eorum propria eſt, multi ſinus venarum, & arteriarum: pulchra illa, & admiratione digna divaricatio nervorum, in varias item partes & ramos diſtenti canales urinarei: carunculæ item nonnullæ per modum papillarum exſtantes: ultimi eorum rami, qui per modum coperculi plura foramina concludunt.

Duæ eorum membranæ ſunt exterior una, altera externa: ambæ de peritonæo naſcuntur. Quarum illa, quaſi involucrum aliquod circumcirca totum eorum corpus ambit, & operit: unde etiam ex functione ſua ſibi nomen adepta eſt; dicitur enim faſcia circumfuſa. Multa pingvedine oblita eſt: ut nimirum calorem in renibus foveat, ne forte nimia ſeri copia quo redundant, in langvorem deſciſcant: quibus etiam non ſecus ac mollis culcitra inſerviunt. Membrana interior proprium eſt, & tenue operimentum carnis, omni pingvedine deſtitutum, quæ à communi tunica dilatata naſcitur, renes meditantibus vaſis ſubintrans quæ rurſum foras progreſſa, ſubſtantiam unitam tenet, ſuperficiem reddens lubricam, & reflexam: inde etiam intro, ſubiens portas, & ventres, omnibus ſeſe vaſis communicat, cum quibus intrat, & exit.

Vena illic major, multumque conſpicua occurrit, emulgens dicta, quæ de trunco venæ cavæ deſcendentis naſcitur, in parte ſima renum inſerta.

Per

Per hanc renes humorem ſeroſum rejiciunt, non ad nutrimentum, ſed ob certam quandam familiaritatem ipſis communem: unde etiam ad hoc ſympathice incitantur, & commoventur. Continent præterea renes venam, quæ externam tunicam eorum irrigat; nominatur autem adipoſa: in quam ſæpe ramus quidam inſeritur: & quæ de azygo provenit, penetrans diaphragma: unde admirabilis quædam communicatio inter renes, & thoracem naſcitur. Eſt illic & arteria ampliſſima, cujus officium eſt ad partes ejus vitalem ſpiritum transportare, movere ſangvinem, & ſerum, ne computreſcant (ſicut aquæ ſtagnantes) propter calidum & humidum: ut porro ſangvinem arterioſum expurgent, & nimiam ſeri copiam in renes effundant.

Nervi item de ſtomacho nati ad renes feruntur: hinc unius & alterius mira cognatio naſcitur, ita ut in morbo nephritico tanta ſit convulſio, & confuſio ſtomachi, ut ab omni cibo res abhorreat, & ſumptum rejiciat. Hæc ſunt vaſa quæ interiora renum ſubintrant: exeunt autem de iisdem bina, ſat conſpicua, quæ candidi & cavi nomen habent, nervoſa ſunt in ſimilitudinem arteriarum. Uretheres communiter, vel urinaria vocantur.

Non cum minori, imò vero cum plus elaborato artificio fabricatæ ſunt renum partes interiores. Prima eſt eorum pars ſima, quæ tria vaſa admittit, aut quatuor, ſed id rarius: hæc diviſio ſat ampla eſt, & altius penetrat. Curioſiſſima ſimul & pulcherrima eſt ad videndum divaricatio hujuſcemodi venarum; primùm enim in tres, aut quatuor ramos diſpertiuntur: hi rurſum in plures, denique in quamplurimos, donec in capillares, & ſubtiliſſimos deſinant. Terminantur omnes non in unico ſinu, prout plures opinati ſunt, ſed in omnem adeo renum carnem divaricati diſcurrunt, ita ut ad partem quoque gibboſam & convexam usq; pertingant. Hæ tamen fibræ capillares frequentius ad carunculas diſcurrunt, ut per eas tanto facilius ad debita vaſa ſua ſerum transcoletur.

Anatomici volunt duos ſinus dari in renibus, ſecundum longitudinem renum extenſos, id quod Laurentius vix credit: quorum unus de extremitatibus arteriarum & venarum contextus ſit, qui videlicet ſerum à ſangvine ſeparet: alterum inſigniorem eſſe, qui priorem antecedat, formatum de vaſe quod Urether nominatur, qui ſerum ſicut ciſterna depuratum, & ſtillatum recipiat. Nihilominus hi ſinus non tam ampli, aut longi in homine reperiuntur; venæ enim in partes capillares & ſubtiles reſolvuntur, & vaſa uretherica in ductus: atque hoc modo eorum diſtributio in renibus fit. Meatus urinarii intrando in cavitatem renum, primum largiores fiunt, & unam ſolam cavitatem habent, ſed non longè abhinc in varios ramos diſterminantur, in ſimilitudinem venarum & arteriarum complurium, nunc plus, nunc minus. Sed præcipuè in tres conſpicuos, qui rurſum ſubdividuntur in alios: in univerſum autem novem, aut decem fiſtulæ ſunt, aut canales.

Duo hic notatu digna occurrunt: in primis, quod in minutias capillares non deſinunt, in fine enim largiores, & magis aperti ſunt: Alterùm, quod in medio perforati ſunt, & in ſimilitudinem duarum caruncularum compoſiti, quæ figuram papillarum mamillarium referunt. Omnis horum vaſorum extremitas in carunculam terminatur, & fibris ſuis adhæret, nec foramen eſt, quod hac papilla non operiatur. Hæc caruncula breve corpuſculum eſt, formatum de carne renum, quæ de baſi ampla, & capace, in punctum denique acutum deſinit, & per modum mamillæ protenditur. Per hac carunculas transſudat, & transcolatur ſerum ſangvinis, & ſenſim per canales formatos à vaſis urethericis deſtillatur: de quibus demum communis ductus derivatur, qui veſicæ conjungitur, eandemque ſubintrat.

Hoc admirabile artificium palam fiet, ſi de corpore anatomiæ ſubjecto ſtilo quodam in ea parte aliquantum caro ſublata fuerint, atque illic calamus, aut parva canna in fiſtulas illas, arterias, & venas impoſita, & inſufflata fuerit, renes enim quantocyus levabuntur, & quidquid illic de cæteris artificiis continetur. Hæc ex parte ſtructura eſt renum admirabilis, de qua facile illorum actiones, & uſus concludi poſſunt. Præcipuus eſt, ut ſangvinem arterioſum, & venoſum à ſero emundent, quod per vaſa ampliſſima exugunt: retinent autem ſangvinis quantitatem ſibi ad nutrimentum ſuum ſufficientem, & propriam. Per ramos deinceps capillares ſerum deſtillant, primo in prædictas carunculas, hinc in fiſtulas membranoſas, propagines uretherum: denique in vaſa jam ſupra memorata terminantur. Euſtachius ſcriptum reliquit, glandulam grandem in parte ſuperiori renum inveniri, quæ nonnunquam tamen defuiſſe obſervata eſt.

Scripſit Ariſtoteles renes præcipue conſtructos eſſe, ad ſtabiliendas venas: proinde etiam ad divertendos, & excernendos humores ſuperfluos. Sentit Hippocrates, Galenus, & Diocles, & cum iis denique Andreas Laurentius, eos conſtructos & ſtabilitos eſſe, ad expurgandum ſangvinem arterioſum, & venoſum. Cum igitur in hepate tria excrementorum genera redundent, hoc eſt bilioſum, fæculentum, & ſeroſum, prima duo ſine mora, concoctione jam facta expurgantur: ſed tertius ſangvis, tanquam craſſior adhuc; & ad motum ineptus, ulterius deducitur, ut per venas graciles, & anguſtiores ſubitò diſcurrat: itaque neceſſarium fuit ut ſuperfluitas ejus in vaſis propriis excerneretur, & hæc vaſa renes nominantur. Hæc eſt eorum ſubſtantia, excavata multis ſinubus & fiſtulis, ut ita dicam, excolatoriis; unde ſerum quod in homine eſt transſudatur.

In lib. de part. Animal.
1. De Natur. facult.
5. de uſu partium.
lib. de locis affectis.

Qualiter porro hæc expurgatio fiat, ſi per renum attractionem, aut vero per virtutem expultricem venarum, aut proprio ſeri motu, aut verò alio meliori modo: præter hæc unde ſymptomata eorum naſcantur, qui doloribus calculi laborant: qua ratione demum urina in veſica recipiatur, de qua materia hæc veſica formata ſit, qualem fundum, cervicem, quos muſculos habeat, quomodo ſerum ab illa attrahatur, de ejusdem nutritione, & excretione, an opus ſint facultatis naturalis, aut animalis, aliæque indagines, puncta, quæſtiones, & tractatus, cum nil niſi materiam habeant Anatomicam, cumque anagogias, moralitates, & allegorias non admittant, nec ab authoribus, utpote partes ignobiles obſervatæ ſint, Anatomicis, Medicis, & Phyſicis alibi copioſius à ſcriptoribus elucidata & tractata, quærenda relinquo: Ego enim alio ad curioſas, opportunasque conſiderationes tranſeo, inter quas præ manibus ſunt

MORALIA ET MYSTICA.

IN principio tractatus hujus renes cum lumbis copulavi, nec tamen idcirco etiam harum partium materiem diffuſius per anatomicam artem tractare præſumpſi: minutiſſimas enim particulas, quæſtionibus accuratiſſimis velle diſcutere, tam tibi Lectori benevolo, quam mihi, qui ad alias menſas inſtruendas compellor, ſupervacaneum futurum eſſet. Lumbos inquam conjunxi tam propter

conſenſum, quem hæ partes cum renibus habent, quàm ut mihi pateat, ad exponendos Patrum, & Authorum ſenſus, qui de his ſcripſerunt, ſicut jam mihi facere in promptu eſt.

Antequam verò ad id accingar, verba inſignis Anatomiſtæ Laurentii adducam, quæ hujuſcemodi ſunt: *Membranæ oriuntur à ligamentis, quæ lumborum vertebras connectunt, & os ſacrum Ilei oſſibus committunt, aut amplexu illo, & faſciculo nervorum: hinc eſt lumborum, & inteſtinorum conſenſus.* Hinc Hippocrates: *Qui lumbis ſunt queruli, profuſiores ſunt alvo: ob conſenſum muſculi, ut interpretatur Galenus.* Unde patet & ex ſitu, & ex loco, quantum lumbi renibus vicini ſint: ut verò jam ad hujus viciniæ expoſitionem tranſeam, Pater Hieronymus Laurentius ſic ait: *Renes ſunt, qui lumbis adhærent, ſuntque vaſa libidinoſi humoris.* S. Gregorius pro ipſis eos lumbis quandoque ſumi aſſerit, unde Dominus inquit in Exodo: *Renes veſtros accingetis.* Vult idem Author Apoſtolos renes Salvatoris noſtri nominari poſſe, qui nimirum folia, & calamarium portant in renibus, ut actiones Magiſtri ſui deſcribant: ſicut Sancti Evangeliſtæ.

In Anat. de Meſent. & Pancre. — Hipp. Aphor. cap. 9. Comment. ad Aphor. 4. Sect. 4. Epid. — Auctor. Sylv. Alleg. — 22. Moral. 19. — Exod. c. 12.

Talis erat viſio Prophetæ Ezechielis, dum in nono Prophetiæ ejus capite ſic legitur: *Vir unus veſtitus erat lineis, & atramentarium ſcriptoris ad renes ejus.* Gloſſa interlinealis aliam expoſitionem adducit, dicendo: *Cum renes ſint in poſteriori parte corporis, deſignant, quod poſtquam ipſe Dominus mortuus eſt, ſurrexit, & aſcendit in cælum, tunc teſtamentùm novum per ipſos Apoſtolos ſcripſit.* Super illud Pſalmiſtæ: *Increpuerunt me renes mei:* eadem interlinealis exponit; Judæos intelligi poſſe, qui Redemptorem reprehenderunt, & caluminati ſunt. Eadem gloſſa ſuper locos Pſalmorum, Jeremiæ, & Threnorum, ubi mentio renum eſt, abſconditorum quidem, ſed qui àb Altiſſimo ventilantur & diſcooperiuntur, reatum conſcientiæ latrantis inquit poſſe intelligi. Quorum locorum primus inquit: *Scrutans renes & corda*, alter: *Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum*, tertius ita: *Miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ.*

Pſalm. 15. — 7. 12. 3.

Sancti Hieronymus & Ambroſius plerumque in locis ſcripturarum, ubi de renibus tractatur, ſicut diverſimode in Exodo, Levitico, Pſalmis, & Naum, illic humorem ſenſualem, delectationesque impuras, & illicitas intelligi volunt. Hi renes poſſidentur à Deo, inquit S. Gregorius ſuper illud Pſalmiſtæ: *Tu poſſediſti renes meos.* Cum quis in corde ſuo ſtatuit, prout decet in caſtimonia vitam degere, ſuper eum aqua increſcit, juxta illud Ezechielis: *Et ecce aquæ aſcendebant ſubter limen domus ad orientem:* Aſcendit inquam hæc aqua, cum anima devota eousque proceſſerit, ut motus pravos corporis mitigaverit, & repreſſerit.

In Naum. 2. In exhort. ad Virg. 10. 28. 29. 3. 7. 13. 75. 2. 11. Moral. 9. pſ. 138. — Cap. 47.

Supra textum Job: *Baltheum regum diſſolvit, & præcingit fune renes eorum:* Sanctus Auguſtinus, Heſychius, & gloſſa ordinaria devota, & erudita, nobis præcepta ſuggerunt: ajunt enim: Altiſſimum fune renes Regum præcingere, cum ſoluto cingulo caſtitatis, permittunt, ut in membris ſuis delectatio peccati prædominetur: illi etiam, qui clanculum arrogantia elevantur, divina providentia demonſtrat, quàm in publico deteſtabiles ſint. Adjungit his Iſidorus Clarus, quod omne ornamentum gloriæ ab eis auferat, cum ſe viles per culpam reddiderunt: cingens eos fune ſervili, & tradens captivitati. Tales enim perpetias omnis adeo ætas vidit, & admirata eſt.

Iob. c. 11. In Pſ. 7. In Levit. 7. Exod. 12.

Sancti Baſilius, & Hilarius per renes non ſolum partem concupiſcibilem, ſed generatim omnes operationes, & affectus intelligunt. De his copioſa materia eſt in Pſalmis, Proverbiis, & Jeremia: ad quam Lectorem devotè curioſum remitto. Per renes, qui à DEO examinantur, & perſcrutantur, ſicut in loco præmemorato Pſalmiſtæ vidimus, per gloſſam ordinariam opera declarantur, ſicut per cor cogitationes. Supra viſionem Danielis, ubi ait vidiſſe ſe hominem Sacerdotem cinctum verſus renes zona aurea, non improprie gloſſa citata exponit, caſtitatem intelligi poſſe, & honeſtatem Prælatorum. Concludunt Liranus & Heſychius renes victimæ, oblatæ in ſacrificium, ſicut in libro Levitici præcipitur, matrimonium deſignare poſſe contractum, ad progerminandam prolem, eandemque cultui divino dedicandam. Renes duo, quos Altiſſimus offerri cum pingvedine ſua præcipit, Origeni occaſionem præbent ad conſiderationem formandam de Chriſto Redemptore, tanquam victima innocente, & DEO Patri conſecrata, in rogo divini amoris combuſta; quippe qui nec minimum ſenſuum motum habuerit. De his dixiſſe hactenus ſuffecerit: iis enim, qui magis verſati ſunt, profundiores conſiderationes relinquo: ego verò nunc ratiocinaturus ſum

In Pſ. 7. In Pſal. 138. 7. 15. 39. 138. Proverb. 23. Ierem. 11. — Cap. 10. — Cap. 3. — Levit. 3. hom. 1.

DE LUMBIS.

LUmbi ait, cum Anatomicis Pater Hieronymus Lauretus, partes inferiores ſunt ſpinæ dorſi: ſunt autem, & exeunt de regione ventris: quibus renes interius connectuntur; unde etiam nonnunquam pro virtute generativa, & concupiſcentia uſurpantur. In viſione illa Angeli, quam habuit Propheta Ezechiel, ubi ait: *A lumbis ejus uſque deorſum vidi quaſi ſpeciem ignis ſplendentis in circuitu:* Sanctus Gregorius Author eſt, deſignari incarnationem Chriſti, ante quem extrinſecus ignis erat, Spiritus enim Sanctus in pluribus locis Judæam implevit, quamvis cognitio ejus nondum per univerſitatem ſparſa eſſet. Interim tamen focus à lumbis ejus deorſum ſplendet, ad indicandum (proſequitur idem Sanctus) quod poſtquam de puriſſimo ſangvine Mariæ Virginis humanam carnem ſuſcepiſſet, abundantius dona ſua diſpertivit. Ignis autem ille deſuper ardens ſicut in eodem Prophetæ loco dicitur: *Et vidi velut aſpectum ignis intrinſecus ejus per circuitum; à lumbis ejus, & deſuper,* denotat, ſecundum præfatum Authorem, ſplendorem illum, quo cælum univerſum illuminat, & in Angelis ardet. Exhibet autem potiſſimum ſplendorem hunc, cum eum in humanitate aſſumpta diligimus, quamvis adhuc in hac calamitoſa & corruptibili vita degamus. Supra caput decimum ſextum Prophetæ Job, ubi lumborum commemoratio fit, Sanctus Hieronymus commentatur, hic filiationem Apoſtolorum in Redemptore ſubintelligi poſſe; hi enim in fide ab eo generati ſunt. Huc reſpicit, quod S. Paulus inquit: *Filioli mei, quos iterum parturio.*

Ezech. c. 1. Hom. 8. — In Loc. cit. — Ad Galat. 4.

Supra veſtem lumbarem, quam DEUS Prophetæ Jeremiæ pro veſtimento imperat, ut videlicet lumbos ſuos eodem præcingat, inprimis admirabiliter commentatur Iſidorus Clarus, dicendo: *Illud lumbare, ſive ut alii advertunt; ſuccinctorium, ſunt qui intelligunt illud eſſe, quo præcinguntur operarii laboribus; vel potius ea ætate veſtis lumbaris fuit reliquis ornatior: nam vel ex hoc loco videtur honeſtiſſimum quoddam genus veſtimenti fuiſſe: proinde*

aptius baltheum quis verteret. Poterit item hoc, juxta Liranum, Amor Dei adverſus Iſraëliticam gentem intelligi, quam ſibi aſſociavit, & adjunxit. Commemoratio lumborum Jacob in libro Geneſeos legitur, de quibus plures Reges egreſſuri eſſe prænunciantur: ſupra quod gloſſa ordinaria inquit, poſſe in his lumbis principium generationis hujus, & lineæ genealogicæ interpretari. In pluribus locis tam veteris, quàm novi teſtamenti, commemoratio fit lumborum præcinctorum: ſicut in Iſaia, in Proverbiis, libris Regum, & in S. Luca: per hos gloſſa penè ubique pœnitentiam & caſtitatem intelligit. Supra præceptum itidem Salvatoris, ubi ait: *Sint lumbi veſtri præcincti.* S. Gregorius inquit: *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Hujus rei ſymbolum ſignificativum ſunt, cingula, & funes, quibus viri religioſi ordinum & ſervi Altiſſimi Dei præcinguntur. Sed in his cingulis ego quoque ſuccincte præſentes conſiderationes concludo, & ad alia digredior.

Gen. c. 33. — In loc. cit. — 20. 31. 4. Reg. cap. 4. Luc. c. 12. — Hom. 13. in Evang.

OBSERVATIONES SUPRA RENES, ET LUMBOS EX PIERIO VALERIANO.

HIc Author eximius, & multæ peritiæ Vir Renes, tanquam rivos conſiderat, è quibus humorum imperfectorum origo, ſeroſi videlicet, & aquei producitur: ſicut in declaratione Anatomica demonſtratum eſt. Vult prærer hæc (idque non abs re) quod ab his humores ſalaces oriantur, qui ad incontinentiam proliciunt: unde Propheta Regius inquit: *Increpuerunt me renes mei, & lumbi mei impleti ſunt illuſionibus.* Lumbos à renibus non disjungens. Citat item Geneſeos locum illum: *Reges de lumbis tuis egredientur.* S. Paulus de antiquo Levi ſic habet: *Adhuc in lumbis Patris erat, quando factus eſt ei obvius Melchiſedech.*

Gen. c. 35. — Ad Hebræ.

Idem Author inquit, per lumbos quandoque fortitudinem corpoream intelligi: unde eſt, quod de ſevero, & inhumano Rege Roboam legitur, eum ad poſtulata ſubditorum ſuorum, qui mitigationem ſervitutis ſuæ ſuppliciter flagitabant, reſpondiſſe: *Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei:* quo reſponſo miſer populus perterrefactus Regem ſuum deſeruit, ſicut fieri contingit iis, qui ſubditos male habent, à quibus aliud expectare non poterunt. Quandoque lumbi loco laterum uſurpantur, unde author ſæpe memoratus inquit: *Quod ubi lumbi in vulgatis habentur editionibus, ſymmachus vertit, latera.* Uno æquè, ac altero ſignificato pars concupiſcibilis animæ intelligitur: verſus latera enim renes continentur, quos ſuccendi, & in cineres redigi, in oratione illa ſequenti flagitamus: *Ure igne Sancte Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum Domine, ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamur.* Ad hunc finem ajebat Apoſtolus: *State ſuccincti lumbos veſtros.*

3. Reg. 12. — Ad Epheſ. 6.

Victima ſine lumbis, Hieroglyphicum temperantiæ.

Ordinarium erat olim, (quantum pertinet ad conſvetudinem & ritus illarum) ut Nationes maxime morigeratæ, antequam victimas Numinibus ſuis offerrent, ex iisdem demerent lumbos; opinabantur enim ſe tributum defæcatum, & mundum porrigere; nec ſine gravi ratione, ſunt enim vaſa, ubi potiſſimùm humor ſalax generatur, qui ob mordacitatem ſuam, & acrimoniam incentivum & fomes eſt concupiſcentiæ impuræ. Hæc ergo victima tali modo inſtructa & præparata, juxta præmemoratum authorem pro Hieroglyphico, & Symbolo temperantiæ acceptata fuit, Philo hebræus de his teſtimonium præbet: convenit item cum cingulo, à Redemptore ordinato, quod ſuper lumbos portandum ſit, prout paulo antę explicatum eſt.

Hic ſacer uſus (adhuc idem author eſt) inſtituitur, cum de Ægypto ſervitutis egredimur, hoc eſt de diſſolutione voluptatis, & deliciarum: ubi jubemur veſci de agno puritatis, & munditiæ, ſicut in lege veteri gens Iſraëlitica fecit. Hæc virtus tam inclyta eſt, tamque neceſſaria ei, qui rite vitam ſuam inſtituere ſatagit, ut vera bilanx dici poſſit, qua omnes actiones noſtræ ponderari debeant. Unde *ſtateram non tranſiliendam* monebat Pythagorica lex: quæ eadem eſt cum illa: *Nec citra, nec ultra.* Quod à viris prudentibus cum tanta exactitudine obſervatum fuit, ut nunquam hac prægrediente pedem malè collocarint, aut palpando inceſſerint. Hæc à magno viro Apollonio ſvavi harmoniæ comparabatur. Et ut verum fateamur, unica fides, vel chorda in muſicalibus inſtrumentis loco ſuo mota, univerſum contentum diſturbat, & chorum ſubvertit. Denique *temperantia eſt* (inquit Tullius) *quæ in rebus aut fugiendis, aut expetendis, ut rationem ſequamur, monet; quæ animis pacem affert, & eos quaſi quadam concordia lenit, ac placat.* Homo intemperans Polyphemus ille eſt, qui excœcatus de rupe montis decurrens, in dorſum ſuum ingentem illam ſaxorum ruinam trahit. Polydamas ille eſt, qui ſuſtinere & regere volens ultra quam vires ſuppeterent, ſub tanta mole fatiſcit, & conteritur. Sed de hac virtute ſat ratiocinatus ſum in tractatibus ſuperioribus: conſultius ergo erit variegare orationem, & tranſire ad

De finibus.

DEDICATIONES.

De ſpinâ dorſi. — Renes & lumbi dedicati Veneri.

OPinio omnium ſcriptorum eſt, ſive Anatomicorum, ſive Hiſtoricorum, Phyſicorum, Ethicorum, & in particulari Aſtronomorum, quod Veneri renes dicati ſint, ſicut & lumbi: ſic Valerianus præfatus inquit: *Aſtronomi renes, & genituram in Veneris poteſtate conſtituunt: quod verò & lumbi eidem oſſi adjacent, Ægyptii per lumbos Venerem innuebant.* Perſius hunc locum tangit, dum loquens de uſu poëmatum laſcivorum, ait: *Cum carmina lumbum intrant.* Hoc totum propter proprietatem, & conditiones præſuppoſitas. Hinc ad motus hos, comprimendos præceptum dominicum nobis eſt, ſicut ſupra meminimus, ut his lumbis ligatis incedamus: *ſint lumbi veſtri præcincti.* Antiquis item Iſraëlitis, utpote in figura Chriſtianorum, mandatum erat: *Renes veſtros accingetis.* Et ut verum valeat: ſicut ſenſus non eſt, qui hoc ſit contumacior, & magis audax, qui nemini parcit, nec iis quidem qui mappalia inhabitant, & ſacco induuntur: imo verò & minimis animalculis inſertus: hoſtis acerbiſſimus, nunquam à lateribus noſtris diſcedens, & qui in perſecutionibus, vires ſuas redintegrat, ſic in lege quoque copioſæ, & rigoroſiſſimæ inhibitiones ſunt, ita ut delectatio etiam minima, imo verò & cogitata voluntaria ſint ſevere vetita. Nec mirum ſi Authores etiam prophani hæc mala intellexerunt:

Luxuries prædulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitriis hebetat caligine mentes.

Verba ſunt Claudiani. Et Valerius Maximus: *Blandum malum eſt luxuria, & quam accuſare facilius eſt aliquando, quàm vitare.* Hinc Princeps hiſtoriæ & bellicorum eventuum Livius inquit: *Luxuria & otio militaris diſciplina tollitur.* Hinc quotquot ſpeciali fervore Deo ſuo ſervire ſtatuerunt Sancti, ad hunc hoſtem debellandum, mira ſtratagemata excogitaſſe leguntur, ferro, & foco, & ſpinis, & clavis,

4. Decad. lib. 10.

& omni præterea tormentorum genere in ſe ſævientes: ſic lumbos ſuos ſtrinxerunt, renes ligarunt, & Venerem hanc exterminarunt: cujus fugitivæ deliciæ fruitionem bonorum cæleſtium propediunt.

NOTÆ LITERÆ R.

EOusque hæc litera R. obſervabilis, & neceſſaria eſt, ut pauca verba ſint, ubi liquida hæc non intret: ſiquidem etiam nomini cuidam fuerit copulata, magnum illi robur, & vigorem addit, ita ut validiſſimæ efficaciæ, & energiæ, imò & rotunditatis fiat: nervumque orationi addat. Hinc communis poëtarum vulgarium regula eſt, ut hujus literæ ſonoro concentu verſibus ſuis elegantiam & valorem adjungant. Itaque ſapienter antiqui per hanc literam R. ſolam, & ſine additamento poſitam, intellexerunt: *Roma, Romanus, Romanorum, Rex, Regulus, Regnum.* R. C. ſignificat: *Reſcriptum.* R. C. *Romana Civitas, Romani Cives.* R. D. *Regis domus*, vel *donum.* R. D. D. *Res dono data.* REG. *Regio.* RE. ML. *Rei militaris.* REIP. *Reipublicæ.* REST. *Reſtituit.* RET. P. C. *Retro pedes centum.* RET. P. XX. *Retro pedes viginti.* RET. P. *Retro pedem.* R. F. E. D. *Recte factum eſſe dicetur.* RG. F. *Regis filius. Regis familia.* RG. FA. *Regis filia.* RG. RHAV. *Regio Rhavenna.* RG. P. *Regis parentis.* RG. TS. *Regius theſaurus.* R. M. *Regis munus, Rege major, Regis Mundus.* RM. L. *Romanæ leges.* RMS. *Romanus.* R. M. I. *Res materna jacet.* RE. LON. P. X. *Retro longè pedes decem.* RO. *Romani.* ROM. *Roma.* R. R. P. *Reipublicæ Romanæ Principes.* RP. C. *Reipublicæ conſtituto.* R. PCP. *Rei principium.* R. PRI. *Res privata.* R. R. *Rejectis ruderibus. Ruderibus recolligendis.* R. REG. *Rerum. Regentium.* RR. R. *Rurum Romanorum.* R. R. R. F. F. F. *Regnum Romæ ruet, ferro, flamma, famme.* RT. *Refert.* RTD. *Rotundum.* R. V. *Rura venalia.* Itaque taceri non poterant ſignificata literæ hujus, quæ principium donat Urbi, habitæ ſemper pro Capite Orbis terrarum: quæ à primordio fundationis ſuæ ſecum divitias, & potentiam tulit, & quidquid admirabile eſt mœniis ſuis concluſit.

Hæc litera olim ab iis, qui muta loquela ænigmatice loquebantur, tangendo *renes*, quos hucusque deſcripſimus exprimebatur.

SIGNATURÆ IN HERBIS, ET PLANTIS.

ITa verum eſt denique (proſequitur ratiocinando diligentiſſimus obſervator Joannes Andreas Matthiolus) tantam apud antiquos fuiſſe plantarum, herbarumque æſtimationem, ut Reges & Principes fortiſſimi in triumphis ſuis non ſolum ſpolia Regnorum obtentorum, nec ſolum Reges devictos, ante ſe captivos ducerent, & in ſpectaculum exhiberent, quin & varias, peregrinasque plantas portari juſſerunt: De quibus non minorem ſibi gloriam accumulandam (quippe quod in hortis Romanis deinceps plantarentur) quam erectione ſtatuarum, de marmore, vel metallo conſtructarum; ſicut & arcuum triumphalium exhibitione credebant, quibus rebus Romanus populus Heroës ſuos perpetua poſteritatis memoria nobilitabat. Quam plantarum gloriationem utique non prætendiſſent, ſi earum virtutes, & operationes medicinales experti non eſſent.

Portulaca correctivum eſt renum.

Ut autem ad renes deſcendamus, unicam ſolam ſignaturam in his botanici, & Naturales obſervant, *portulacam* nimirum. Hæc igitur herba etiam idiotis jam nota (facile enim in hortis naſcitur, & elevatur) à Plinio bifariam deſcribitur, quarum unam domeſticam, alteram ſylveſtrem nominat. Domeſtica calamum teretem, habet, & elevatum, folio pingvi, lucido, & ſat largo. Altera ſe diſtendit, & per terram ſerpendo vadit, ſine calamo, folio breviori, & minus pingvi. Galenus Author eſt portulacam temperamenti frigidi eſſe, & aquei: hinc eam reſtagnare fluxiones calidas, & cholericas. Etiam undecimo facultatum ciborum: utimur illa (inquit) in cibis, ſed debile corpori nutrimentum præbet. Levat, ſi tanquam medicamentum conſideraveris, ſtuporem dentium: eſt enim viſcoſa ſine mordacitate: Denique dicendum eam ad omne genus morbi calidum valere. Hæc porrò inter plurimas virtutes quibus pollet, (de quibus diffuſe admodum Dioſcorides (per frigiditatem ſuam calores renum inflammatorum temperat: & ad tollendum omnem eorum dolorem & affectus valet: ſicut ſunt ejusdem facultatis aquæ, folia, pulveres, & ungventa refrigerantia: prout eſt *Infrigidans* Galeni oleum, & ungventum roſatum completum, & ſimilia.

6. *De facult. ſimplicium.*

EPITHETA.

AD manifeſtandam naturam, officium, & conditionem adjunctorum, nervoſa verba ſunt Raviſii jam toties citati, & citandi, quæ absque nota erroris omitti à me non debuerunt: *Quemadmodum pictura illa demum gratiſſima eſt, aſpectuque jocundiſſima, quæ variis, & ut ars præſcribit idoneis obducta eſt coloribus: ſic etiam poëmati multis, & decentibus epithetis exculto, ſumma ineſt gratia, miraque ſvavitas. Quod ſecus accidit, ſi nuda duntaxat verborum connexione abſolvitur.* Hæc ſententia tantopere ad vivum rem exprimit, ut ulteriori argumento egere non videatur: unde ut de toto ad partem deſcendamus, quamvis circa renes, nec metaphoram, nec aliud quid invenerim, unde poſſit proprietas quædam deduci, pauciſſima etiam de lumbis repererim, hæc tamen pauca quæ ſequuntur, qualiacunque ſint, cum omni exactitudine collecta velim benevolus Lector boni conſulat. Itaque à Quinto Sereno inprimis lumbi pennati vocantur. *Sævit pennatis hærens injuria lumbis.* Laſcivi à Martiale: *Laſcivos docili tremore lumbos.* Salaces à Fauſto: *Diſſolvas lumbos aliena in Jura ſalaces.* Calidi ab eodem: *Maſcula ſed calidos habitat laſcivia lumbos.* Teneri à Juvenale: *Si tenerum attritos Catinenſi pumice lumbum.*

Hic ego, ne forte te his voluminibus flammarum inflammem, à ſcriptione manum abſtineo, dum animadvertere mihi licuit, cum quanta prudentia & cautela Scriptores hanc materiam parcam eſſe voluerunt, & ſupra eam in conſiderationibus quàm modici ſint. Dixerim me neſcire utrum currus Solis à Phaëtonte ſubverſus plus ardoris, & ignium protulerit, an verò lumbi & renes, qui rotæ, & equi Veneris dici poſſunt. Unde non immeritò hic illud Ovidianum repetere libet:

Quid facies facies Veneris cum veneris ante?
Non ſedeas, ſed eas, ne pereas, per eas.

Poterit igitur benignus Lector ex ſupramemoratis facile concludere, quanti operis ſit dare laudis tributum hujuscemodi parti, quæ detractâ Anatomia, parcè, aut omninò nullibi in chartis invenitur. Cum enim hæc pars corporis tecta ſit, utpote pudendis vicina, de qua propter honeſtatem & ex officio mihi plura ratiocinari interdictum eſt, non ſine judicio verendum mihi erat, ne ulterius me hiſce ingerens, plus lapparum & zizaniorum, quam frugiferæ meſſis,

meſſis, è tam ſterili campo colligerem. Nolui tamen committere, ut non hic æquè, ac mihi alibi conſvetum eſt, penſum meum ſolverem: lege & indulge, nec tibi admirationi ſit imperfectio mea, in hac etenim materie, ut dixi, præter Medicos, pauci ſunt, qui laboraverint.

Reflexiones ſupra renes & lumbos.

Ampie ciſternæ, & aquedotti aperti
Nel humano edificio io vi raviſo:
E perche l' huom non ſia dal duol conquiſo,
Siete con eſſo immobil mente inſerti.

Qual di vario lavor vaghi concerti,
Qui ramo a ramo in ogni parte e intriſo,
E ognuno a l' opra ſua pronto, e diviſo
Quaſi di cupi ardor ſpiragli certi.

Non m' incolpino qui Momo, o Ariſtarcò,
Con additarmi eſſer le reni il telo
Del laſcivo piacer tratto da l' arco.

Che da ſimil compoſto jo pur diſvelo,
Che, formato da pria, da ſimil varco,
Eſce il mortale a vagheggiare il Cielo.

UMBILICUS.

Anatomia.

QUamvis in ventre inferiore poſitus ſit umbilicus, non tamen pars talis eſt, quæ ſilentio prætereunda ſit, tam quod in homine perſpicuè meditullium occupet, quàm ob circumſtantias, & ſignificationes, quas admittit. De origine ejus, & principio multi arbitrantur venas ejus de utero provenire, easdemque tam vicinas umbilico eſſe, ut prius à fœtu divellantur, quàm ab utero. Sic Galenus ſentit, dicendo: *Vaſi, quod in corio eſt, principium, dat finis illius, quod per uterum propagatur, ut duo hæc unum eſſe dicere poſſis.* Sic enimvero unum oſculatur alterum, ut firmiter connectantur, & ſicut vena una trahit ſangvinem ab altera, ſic una arteria ab altera ſpiritum recipit. Hoc ipſum ſcripſit Ariſtoteles: *Umbilicus velut putamen eſt circa venas, quarum origo ab utero eſt: habentibus quidem acetabula, ex acetabulis; non habentibus vero ab ipſa vena.* Cum verò Galenus de continuatione & vicinia vaſorum loquitur (ait Laurentius Galeni commentator) pro vulgi conſvetudine finem unius vaſis principium dicens eſſe alterius, non id de vaſis phyſicis, aut origine intellexit, ſed de mathematicis, &, prout barbari ajunt, *quantitativis.*

Lib. de diſſect. uteri.

Lib. 7. c. 8. de Hiſt. animal.

Sunt præterea alii, qui arbitrantur primùm omnium venas, & arterias umbilicales generari, & de his deinceps omnes venarum prædictarum radices propagari: venas enim de hepate, arterias à corde derivari. Prius autem formari venam umbilicalem, quàm hepar: parenchymata enim absque ſangvine non coagmentari, nec ſangvinem niſi per canales ferri: itaque primum umbilicalem venam formari oportuiſſe, quam hepar. Hæc opinio ab aliquanto tempore probabilis viſa fuit Laurentio, ſed eam ex rationibus hic pone ſequentibus deinceps rejecit. Impoſſibile ei videtur de tam exiguo ramuſculo radices tam numeroſas progerminari, tot venarum, tamque inſignium, quæ per omnem jecoris ſubſtantiam ſparguntur. Partes ſiquidem, quæ aliunde naſcuntur, inde continuari debent: ſed quæ ad umbilicum pertinent, cum cavæ ſint, continuationem, aut viciniam non admittunt, niſi per aperturam, aut anaſtomoſin radicum venæ portæ. Abſurdum enim, & omninò improprium eſt credere (inquit idem author) de præfato ramo prius efformari hepatis parenchyma, & proinde omnes adeo venarum radices ab eodem oriri.

Delineantur primùm in parte carnoſa partes ſpermaticæ: & quis eſt, qui dixerit arterias propagari à vaſis umbilicalibus? Non enim hæ recta via ad cor feruntur, ſed rami Iliaci. Oeconomum laude dignum non dixeris, qui prius cogitet muros, quam fundamentum conſtruere. Novi quidem (ait præmemoratus) multos aſſerere, hæc vaſa radices eſſe, quibus embryo nutriatur: & eadem ipſa non ſecus ac plantam aliquam ante cætera omnia formari. Sed velim noverint hi, fœtum non prius nutriri, quam formatæ, aut ſaltem delineatæ fuerint partes ſpermaticæ: nec enim tum temporis adhuc neceſſaria eſt nutritio.

Itaque illud firmum maneat (proſequitur Author noſter) prædicta vaſa principium ſuum habere cum reliquis, venamque umbilicalem propaginem eſſe à vena porta, cui vicina eſt, duas autem arterias rivulos eſſe aortæ in ramo Iliaco deſcendente: primumque perfectionari venam, & arteriam umbilicalem quàm cætera vaſa; illic enim major neceſſitas eſt coagmentandæ carnis.

Quandoquidem porro intra duas peritonæi tunicas hæc vaſa aperiuntur, ab antiquis umbilicalia nominata, ordo ratiocinationis noſtræ exigit, ut de his prius, quàm de illo demonſtremus. Dicuntur umbilicalia, circum illa enim gyrant, & uniuntur. Hæc vaſa quadrifariam ſolùm diſtingvuntur: in venam, arterias binas, & dictum *Urachum.* Naſcitur vena de radicibus venæ portæ, & ab hepate: propago eſt non minus dictæ portæ, quam venæ azygos: exeuns inde per rimam, vel ſciſſuram jecoris, per duas deinceps tunicas peritonæi lata, ad umbilicum conducitur. Qui noſſe deſiderat, qua ratione divaricetur, & viſibiliter cum chorio jungatur, neceſſarium eſt, ut ad formationem fœtus, ad modum & deſcriptionem illius recurrat.

Rurſum duæ arteriæ exeundo de ramis iliacis, & ſuſtentatæ à membranis peritonæi, ad umbilicum aſcendunt, & proſerpunt. Sunt autem propagines arteriæ Iliacæ, potius quàm radices. Vena interim embryonalis *nutricula* vocatur, per illam enim novem menſium ſpacio, quibus in utero fœtus continetur, alimentum ſuum recipit: Refundit illa maternum ſangvinem, eundemque puriſſimum, in radices venæ portæ, & inde per admirabilem fiſſuram in venam cavam embryonis. Hæ arteriæ à peritis ſpiritus vocantur, mediantibus enim his fœtus ſpirat, aut ut proprie loquamur, reſpirat. Hujus reſpirationis via præfatæ arteriæ vocantur, harum etenim miniſterio reſpiratio fit, & per eas fœtus tranſpirat: & prædictæ venæ idcirco umbilicus vocantur, &

radix

radix ventris. Id quod famoſus Hippocrates expreſſit, ſicut Medici referunt: *Antiquius alimentum per abdomen umbilicus.* Reſtat declaratio quarti vaſis, quod de fundo veſicæ naſcitur, & mediantibus tunicis peritonæi ad umbilicum fertur, vocatum *Urachus.* Canalis cavus eſt, palam ad hoc factus, ut urinam ferat, non ſolum in brutis animantibus, ſed in homine quoque: id quod manifeſtæ patet in iis, qui, dum obſtructa, & occluſa illis cervix veſicæ eſſet, per plures menſes urinam per umbilicum emiſerunt, quo illa regurgitavit: prout illud diffuſius in libro Anatomiæ octavo refert Laurentius.

Hæc quatuor vaſa, quæ in umbilico uniuntur, cum primum ab alvo materna fœtus prodierit, in veracia, & emerita ligamenta degenerant, veſicam & hepar ſuſpendunt: taliſque hujus partis dignitas eſt, obſervata ab Ægyptiis, ut ſi quidem in ſuppliciis publicis, à carnifice, itinerum publicorum prædatoribus ipſa pellis à capite ad calcem usque decorticaretur umbilicus nihilominus intactus permaneret: hoc enim dempto, ligamentis ſuis orbata veſica, non ſecus ac hepate, ipſe decorticatus ſine mora interiret. Sed de his ſatis dictum ſit, dum Lectorem, qui plura his deſiderat, ad copioſiores Anatomicorum tractatus remitto: tranſeamus ad

HIEROGLYPHICA.

IS qui mentem ſuam ſublimius ſenſu literali non levat, facile arbitrari poterit rem præpoſteram, & omninò incongruam eſſe, ſi deorum immortalium inter paganos maximum vel ſculptum, vel pictum in figura & forma umbilici viderit. Jupiter olim omnium deorum maxime decorus, & bene diſpoſitus, omnium perfectiſſimus exhibebatur, nihilominus etiam in hac forma ignobili, & obſcura, ita ut Cyclopis oculus videatur, ſine luce, ſine pupilla apparuit. Adeone deſunt majeſtoſa corpora, exotica, & excelſa, quæ majeſtatem cælorum maximam exprimant? Ita ut neceſſe fuerit ad partem tam imperfectam, tam abditam deſcendere, quæ in ſemetipſa perfectionem nullam admittit.

Hæc nimirum objecerit, qui præter internas rationes quidvis aliud menſurare, & comprehendere voluerit. Sed aliter de his ſentiunt, qui vetus illud Poëtæ maturiori judicio conſiderant. *Jovis omnia plena*: Intelligunt per hanc Deitatem providentiam illam, cui in orbe terrarum, & in cælis ad beneficium univerſale invigilanti, nil tam occultum & obſtruſum eſt, quod non conſideret, & penetret. Quia verò umbilicus centrum hominis æſtimabatur, hinc quod centrum mundi, idem & umbilicus Mundi dicebatur, ubi melius ſummus Jupiter collocari poterit, quam in hoc eodem centro? Hic locus ei proprius eſt, ad quem lineæ omnes tam inviſibilium, quàm viſibilium rerum omnium, creatarum, & increatarum tendunt, tanquam in ſpecificum ſibi, & determinatum locum: in quo centro multi prudentiſſimè Creatorem cæli reſidere authumant.

Providentia divina.

Lib. 4. Refert Curtius ſe in tabula quadam, vel exquiſitiſſimo Smaragdo, interſecato ab aliis gemmis, hoc ipſum exſculptum vidiſſe. Valerianus item recenſet vidiſſe ſe idipſum in numiſmate quodam Clariſſimi Senatoris Veneti Stephani Tiepoli. Sed, meo arbitratu id melius ab Eccleſia deſcribitur, ubi ait: *Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur.* Hæc item ait: *Ne ſolliciti ſitis corpori veſtro quid induamini.* Hæc eſt, quæ nos foras ad campeſtria egredi jubet, & illic minimos flores contemplari, multo elegantius veſtitos, quàm non erat in omni gloria ſua, & paludamentis regalibus, in byſſo, & purpura ſua Salomon. Hæc materia, non ſolum pulpito apta eſt, ſed etiam talis, quæ ad volumina adimplenda ſufficeret: Ex quo nimirum divinæ erga nos bonitatis & munificentiæ amplitudo omni temporis momento dignoſcitur.

Matth. 6.

Rurſum ex eo, quod umbilicus in medio hominis, vel parvi mundi ſitus eſt, Hieroglyphicum majoris mundi habitus eſt: nec minus tamen etiam cujusque patriæ: quisque enim de patria ſua, ubi natus eſt, & ubi commoratur in omnes partes menſurat, & à ſemetipſo exordiens totum mundi gyrum deſcribit: ab eo nimirum terræ puncto, ubi collocatus eſt, principium menſurationis ſuæ formans. Unde Pierius Valerianus inquit: *Et quoquo verſum iter arripuerit, patriam ſemper quaſi centrum ſibi conſtituit.* Marcus Tullius in actione quadam contra Verrem, per umbilicum, locum medium intelligit; ſic ſitus ille, unde Proſerpina rapta fuit à phyſicis, & mythologis umbilicus Siciliæ appellatus fuit. Quandoquidem vero patriæ Hieroglyphicum jam allatum eſt, propter amorem innatum ad eandem, juxta Proverbium: *Dulce videre ſuos*: memini me id aliquando in Ode quadam ſat prolixa expoſuiſſe, de quo illud, ut reor, minus imperfectum eſt quod huc refero:

Umbilicus Hieroglyphicum mundi, vel patriæ.

Dolce libar ſu' matutini albori
Sotto cielo nativo aure ſerene,
Dolce ſtretto vederſi in fra catene
De l' Amor de Parenti, e Genitori.
Poco giova, che imbiondi il Tago ondoſo
Di maſſe d' or le rinomate ſponde,
Se, fatto poi per lor gioco de l' Onde
Avido il peregrin non trae ripoſo.
Vatene pure a conquiſtar di Collo
Fortunato Giaſon lapelle d' oro,
Che non ti cede iu pallido lavoro
Dal ſuo campo nativo il vil bifolco.
La done ſpuma arene d' oro il Gange,
Sertorio approdi, il vincitor Romano,
Ch' a lui porge i teſor fortuna in vano,
Se lungi al patrio ſuol s' affige, e ange.

Patriæ memoria dulcis, ajebat Livius: Et Seneca: *Grave eſt patriam perdere, gravius timere, graviſſimum utrumque.* Hoc ut verum ſit, quanto ſatius erit patriam communem paradiſi cogitare? Utque hoc nobis curæ ſit, inter complures ſanctos nos verbis admodum efficacibus monet Sanctus Bernardus: *Quousque adoramus, & non guſtamus proſpicientes patriam, & non apprehendentes: ſuſpirantes, & de longe clamantes?* Ad hanc vociferabantur, ad hanc aſpirabant per repetita intervalla S. Paulus, & Propheta Regius, ille quidem: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*: alter: *Quis dabit mihi pennas, & volabo, & requieſcam?* Hæc anagogia ſummi momenti eſt, & argumentum non minus, quam ſuperius illud, fœcundum, & dives.

Lib. 5. Decad. *Serm. 30. in Cantic.*

Umbilicus præterea ſicut eſt Hieroglyphicum *medii*, ſic *finis* quoque eſt, prout paulo diffuſius in Proverbiis patebit. Unde Martialis videns ſe adfinem libri pertigiſſe, ajebat: *pervenimus ad umbilicum.* Hic multi decipiuntur: Quidam, inquit Pierius, arbitrantur umbilicum libri, eſſe extremitates ejus ornatas vel argento, vel alio metallo, aut verò etiam ære, prout mos antiquorum erat. Quidam dicunt inſignia autoris in medio tegumenti eſſe impreſſa. Rurſum alii opinati ſunt, umbilicos ſigilla quædam eſſe, quibus libri obſignabantur, & clauſi erant, unde Porphirionem quendam citant, qui ait: *Deus, Deus, nam me vetat inceptum celeres promiſſum carmen*

Finis rei, umbilicus dicitur.

carmen Jambos, ad umbilicum ducere. Alii rurſum diverſas ab his ſignificationes trahunt, intendentes ad id quod M. Tullius ait: *Sed tum ita ſolet narrare Scævola conchas eos, & umbilicos ad Cajetam, & Lucrinum legere conſveviſſe.*

In 30. de Oratore.

Quidam per umbilicos lapillos quosdam lotos, & mundos intelligebant, qui formam gerebant teſtudinem, quæ buccinæ dicuntur, vel limacum, aut muricum, de quibus color ille purpureus ſumitur, quorum figura in volumen acuminatum deſinit, & ſimilitudinem habent cum umbilici involucro. Hoc igitur nomine librorum ſuorum fines appellabant & Horatius, & Martialis, & Ovidius: libri enim antiquitus non niſi una pagina conſtabant, ſed longa, larga, & capace. Unde etiam, quæcunque lucubrati fuerant, poëmata in his ſignabant, non more noſtro eadem in paginas dividendo, & in chartas. Præfata verò pagina circa lignum quoddam volvebatur rotundum, quod in libri extremitate cernebatur: hoc autem lignum umbilicus nominatum fuit. Erat autem vel de cedro, vel buxo vel cypreſſo vel ebore formatum. Summitates ejus variè adornatæ erant, ſæpe coperculis argenteis, vel aureis, imò & gemmatis: aut verò illic folia, vel figuræ depictæ erant, pro voluntate videlicet vel Scriptoris, aut Poſſeſſoris. Vocabantur item cornua libri: hinc Ovidius:

Candida nec nigræ cornua fronte geras.

Hoc eſt, nec de ebore ſint, nec de gemmis, aut quovis alio ornamento pretioſo. Hinc item Martialis:

Explicitum nobis usque ad ſua cornua librum.

Hic libri finis, juxta Horatium, etiam libri principium indicat, quia per hunc intentio Authoris dignoſcitur. Hujuscemodi libri de papyro contexti erant, à Regibus primum, tanquam res admiratione digna, de Nilo Ægypti portata, poſthæc in Græciam translati ſunt, & ſic ſenſim hoc ſcribendi genus invaluit, cum prius non niſi ſtylo ſcriberetur in tabulis cerâ oblitis. De ſæculis illis deplorabilibus, ubi cum labore tanto affectus cordis exprimebantur, erudite ſvaviſſima Muſa Commendatoris Teſtii cantabat:

Di lor corteccie ignude
Fe mille piante in ſilue, arò le cere,
E ne lor ſolchi i ſuoi penſier diſtinſe:
Da l' Egizia palude
Con bel furto involò frondi ſtraniere,
E di foſco color note vi pinſe,
Lanoſa greggia eſtinſe,
E con penna ſagace in varie guiſe
Segnò le ſpoglie dell' Agnelle anciſe.

Recordor me quoque ſuper hanc materiem admodum prolixam orationem texuiſſe.

Valerianus doctiſſimus vir refert, vidiſſe ſe complura volumina de eadem materia compoſita: ſicut inter alia Romæ in Rupe Eliæ, inter theſauros loci illius: ubi præter cætera volumen Archetypum ſit, ex dono Imperatoris Conſtantini, Originale doctiſſimarum Sanctionum, & Decretorum, quæ in papyro ſcripta ſunt, compacta per tenaciſſimum gluten, & proinde lævigata, vel dente canino, aut vero per vitrum expolita: ita ut quidquid intus ſcriptum eſt, omnino lucidum ſit, & applanatum. Non diſſimile involucrum & ego me vidiſſe memini in famoſiſſima bibliotheca auguſtiſſimæ Religionis Patrum Salvatoris Bononiæ.

Sic enimvero in omni adeo ætate ad Prædeceſſorum memoriam æternitati conſecrandam, ars ſemper operoſa fuit: ſed, liceat dicere, nunquam usque adeo fœcunde, ſicut hodierna ſunt tempora, quæ vix habent unde complementum perfectioni ſuæ majus acquirant. Habes ergo hic librorum umbilicos deſcriptos.

Quod autem ad verum & materialem umbilicum attinet, dixerim eum, ſi illic erat concupiſcentiæ, hic, utpote truncatum à victima (ſic enim lex divina in Levitico imperabat) Hieroglyphicum eſſe caſtitatis, & pudicitiæ. Et ſicut circumciſio inſtituta eſt, ut doceremur à nobis peccatum omne recidere, & omne vitium; ſic in fæminis hæc pars reſciſſa, utpote Veneri olim dedicata, animum demonſtrat pudicum, & ab omni concupiſcentia alienum. Hoc vitium reprehendebat Propheta Ezechiel in Civitate Hieroſolyma, dicendo: *Qando nata es, in die ortus tui, non eſt præciſus umbilicus tuus.* Et Job ait: *Virtus illius in umbilico ventris.* Supra quod Eucherius habet: *Ut per hoc fæminæ ſignificet genitalia, ſicut in viro lumbos dicimus. Nam umbilicus eſt concupiſcentiæ ſignum.* Caſtitas flos ille eſt amœniſſimus, & gratiſſimus naribus divinis: candidiſſima byſſus eſt, qua agnus immaculatus veſtitur: margarita eſt, quæ de cæli rore puriſſimo nata, commiſtionem non novit. Nec igitur mirum ſi poëta de corrupta Virgine inquit:

Ezech. c. 16. *Iob. 40.*

Cum caſtum amiſit polluto è corpore florem,
Nec pueris jocunda manet, nec cara puellis.

Unum itaque fugiatur, & alteri inhæreatur. Atque hic finem faciamus Hieroglyphicis.

MORALIA, & MYSTICA.

EZechieli Prophetæ in viſione quondam Dominus apparuit, ei intimans, ut certum populum quendam habitatorem Sabææ exterminaret, ſic eum alloquens: *Super populum, qui eſt congregatus ex gentibus, qui poſſidere cœpit, & eſſe habitator umbilici terræ.* Super quem umbilicum Iſidorus Clarus inquit: *Terra Iſraël in meditullio terræ ſita eſt, ſicut in medio corpore umbilicus: de quo alibi ſcriptum eſt, operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Hanc item ſcripturam commentantur SS. Hieronymus, Ambroſius, & Gregorius, dicendo: Umbilicum terræ ſignificare Eccleſiam, quæ medium tenet, & dignitate, & officio, habens Mediatorem Chriſtum. Supra elegantem metaphoram illam qua Sponſus in Sacro Cantico utitur, dum Sunamitidem ſuam ſpecioſam alloquitur: *Umbilicus tuus crater tornatilis*, ajunt Beda & Origenes: Hic uterum B. Virginis intelligi, qui totus tornatilis, & per divinam ſapientiam quam in ſe concluſam habuit, illuſtris fuit: Indicat etiam juxta eosdem Patres, divini verbi prædicatores.

Cap. 38. *L. o.* *Hieron. In Ezech. 38.* *Gregor. in Cant. 7.* *Ambr. Inſt. Virg.* *In Prov. 5.* *In Pſ. 37.* *hom. 1. & In Ezech. 16.*

Salutaria, ſummique ponderis ſunt præcepta, quæ Spiritus Sanctus in proverbiis præbet: volens, ut ea ſemper nobiſcum permaneant: ait autem: *Time Dominum, recede à malo: ſanitas quippe erit umbilico tuo.* Digna lectu eſt ſuper hunc locum ſententia & reflexio Iſidori Clari, qui ait: *Dicit autem umbilico tuo, quod homo prima fomenta recipiat per umbilicum.* Longe diverſam ab hac ſententiam adducit Hieronymus, qui arbitratur actionem hic ſignificari infirmitatis, & imperfectionis: ſicut umbilicus in parte corporis infirma, & debili ſitus eſt. Scriptura illa Prophetæ Job, quæ ſic habet: *Fortitudo ejus in lumbis, ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus:* Secundum S. Gregorium indicat, in fæminis incentivum & fomitem libidinis: umbilicus item non præciſus civitati Jeruſalem in die ortus ſui, juxta eundem, proclivitatem concupiſcenticiæ, & libidinis denotat. Denique de hac parte tractari vix poterit, ut in materia tam peccaminoſa non impingatur, quippe quæ non ſecus ac ſerpentis morſus fugienda eſt, animam ſimul & corpus veneficio ſuo infeſtans: præterquam, quod in hac ipſa parte interim alia explicando non occurrunt.

Prov. c. 3. *In loc. cit.* *In Ezech. 16.* *Iob. c. 40.* *32. Moral. 11.* *Ezech. 16.*

PROVERBIA.

IN omni adeo ætate, & tempore, cum tanta ſingularitate æſtimationem ſuam conſecuta ſunt proverbia, apud omnes nationes, & provincias, ut magnus Ariſtoteles (& hic ſolus quidem, prout Aldi Manutius ait, pro teſtimonio ſufficeret) integrum volumen adagiorum, atteſtante Laërtio, Chryſippo reliquerit, Zenodotus bina dedit: dedit item proverbia Cleantes: pauca inſuper collectanea Plutarchus. Eorum aliqua à Diſomnophiſta Athenæo citantur: De his ratiocinati ſunt Clearchus Solenſis, Auditor Ariſtotelis, Ariſtides, & Zenodotus: qui in compendium redegit Parœmias Didymi, & Tarræi. In quibusdam brevibus, ſed ſuccoſis Commentariis Demoſthenis citantur proverbia Theophraſti, ſicut & collectanea Diogeniani, & Heſychii: Et Suidas, quem in numero horum collocare decet, Theethetum adducit, qui plura ſuper his ſcripſerit. Plutarchus alioquin ſat ſeverus, & exactus Author, his adornare quandoquè opera ſua non dedignatur. Et inter Latinos copioſus in hoc eſt Marcus Varro, qui pluribus ſatyrarum, quas Menippeas appellavit, titulos proverbiales præpoſuit. Romani non minoris eſſe gloriæ opinati ſunt, ſiquidem in conſultis ſuis proverbio reſponderent, quam ſi id facerent ſententia vel dicto famoſi ſcriptoris cujuspiam. De his aliisque inſuper atteſtationibus apparet, in quanta veneratione apud omnes Nationes, & famoſiſſimos obſervatores ſemper fuerit parœmia. Dicta ſint hæc per digreſſionem dogmaticam, & neceſſariam, quamvis in præſenti materia umbilici, non niſi hoc ſolum proverbium invenerim: Idem nimirum, de quo ſupra ratiocinati ſumus: *Ad umbilicum ducere*: Hoc eſt, actionem aliquam ad finem ſuum promovere: quod tamen ſingulariter de lectione librorum intelligitur, qui, prout diximus, umbilicos ſuos habent. Supra quod clarius hic, quàm ſupra, ratiocinatur Phorphyrion: *Sunt umbilici librorum ornamenta quædam oſſea, aut lignea, corneaque umbilici noſtri formam imitantia, quæ voluminibus jam abſolutis addebantur.* Juvat autem huc collocare teſtimonia ſat ponderoſa Martialis, qui in libro quarto ſic ait:

O he jam ſatis eſt, o he libelle,
Jam pervenimus usque ad umbilicos,
Tu procedere adhuc, & ire quæris.

Et rurſum in libro quinto:

Quæ cedro decorata, purpuraque
Nigris pagina crevit umbilicis.

Iterum in tertio:

Cedro nunc licet ambules perunctus,
Et frontes gemino decoros honore
Pictis luxurieris umbilicis.

Adhuc idem in undecimo:

Explicitum nobis usque ad ſua cornua librum,
Et quaſi perfectum Septimiane refers.

Et ſic ad quamvis rem, prout arbitror, hoc dictum applicari poterit: & ſicut umbilicus duo viſcera potiſſimum ligata tenet, hepar nimirum, & veſicam, ſic finem cujusque rei meliorem eſſe oportet: ſecundum parœmiam illam vulgarem: *Finis habet rationem optimi*: Et S. Ambroſius: *In rebus non laudantur initia, ſed fines: Judas bene incœpit, & malè finivit: Paulus malè incœpit, & bene finivit.* Itaque ſedulò procurandum nobis erit, ut umbilicus (finis inquam) tanquam nodus reliquas partes omnes conſtringens, perfectus ſit, & melior cæteris. *De Virginit. c. 19.*

OBSERVATIONES.

PAuſanias, cum erudita reflexione ſcriptum reliquit, Delphos civitatem Phocidem à Græcis conſtructam eſſe, non ſecus ac miraculum Mundi, totam puriſſimo, & candidiſſimo marmore. Ibi fabricæ ad cælum usque porrectæ, & candorem nivium imitatæ, ipſis ſideribus tot ſimulacra puritatis erigebant, quot erant ædificia, quæ à ſolo illo, in altum ſurgebant. Animi mortalium ab his candidis molibus pudicitiam docebantur, quæ tanto magis prodigio ſimiles erant, quod maculam nullam contrahere poterant, nec caducitatem albedini ſuæ metuebant. Quorum marmor candore tanto fulgebat, ut nec purior ſit lacti, nec intactis nivibus, aut plenæ Lunæ, aut auroræ ſplẽdidiſſimæ, aut liliis, aut hyacinthis. Illuc ducebantur commeatus in abundantia. Prout Srtabo vult, nunc Caſtri vocatur: Sophianus eam Theſſalonicam vocat. Deniq; feliciſſimum illic cælum erat, fertiliſſimum clima, omnium rerum ubertate celeberrimum. Tale autem ſtudium, & exactitudinem Græci in his ædificiis collocarunt, quod crederent hoc univerſæ terræ centrum eſſe, unde illud umbilicum nominârunt.

De hoc umbilico, qui in Judæa poſitus ſit, præter teſtimonia jam producta, doctiſſimus Eucherius, rationem quærens, cur ab Altiſſimo dictum ſit: *Operatus eſt ſalutem in medio terræ*; ſic ſcribit: *Judæam dixit, in qua Chriſtus liberavit per crucem mundum, quam aliqui umbilicum terræ appellandum arbitrantur.* Hæ regiones non multum à ſe invicem diſtant: unde ex hoc patet, quam placuerit Altiſſimo de centro terræ radios beneficentiæ ſuæ emittere, & ſtillas pretioſiſſimi ſangvinis ſui, ad beneficium & ſalutem orbis terrarum, diſpergere. His atteſtationibus prædocte Pater Pintus Ramirez adjungit: *Umbilicus ex humani corporis ſymmetria apud philoſophos, & anatomicos, humani corporis centrum habetur, ut noſti, inde centrum alicujus rei vocatur umbilicus.* Et hic ego quoque de centro ad circumferentiam progrediendo, ad curandos ejusdem morbos conſiderationem verto. *Apud Card. Advent. 115. cap. num. 95.* *Spicil. Sacr. 117. num. 1.*

SIGNATURÆ IN HERBIS.

BOtanici & Simpliciſtæ herbam quandam norunt, & annotant, quæ per Hetruriam univerſam creſcit: invenitur autem in ruderibus murorum, & ædificiorum tectis, quæ vulgò ab Italis *copeſtoie*, hoc eſt opercula dicuntur, eo quod ſimilitudinem operculorum præſeferant, quibus cacabi teguntur, hæc igitur herba verus umbilicus eſt Veneris, ſic nominatus, quod figura umbilicum repræſentet. Hujus meminit Galenus in ſeptimo facultatis ſimplicium, ubi ait: Umbilicum Veneris compoſitum eſſe facultate mixta, hoc eſt humiditate frigeſcente, inſuper & aliquantum amara: idcirco refrigerare, repercutere, abſtergere, & reſolvere. Si in Emplaſtrum redactus fuerit, ardoribus ſtomachi conferre. Creditur, ſi folia ejus comeſta fuerint, inde calculum ſolvi, & urinam provocari.

Dioſcorides tradit radicem ejus rotundam eſſe, ſicut olivam. Medetur & igni ſacro (qui & Eryſipelas) item inflammationibus, & ſtrumis. Rurſum alia ejusdem ſpecies invenitur, quam quidam *cymbalium* appellant, cujus folia largiora, & ſpiſſiora ſunt, lingvarum inſtar: formam habet ut ambitus oculi, ſicut eſt ſempervivum majus. Producit florem ſubtilem, qui flos, ſicut & ſemen ejus, hyperico non diſſimilis eſt: radix major eſt, & ad omnia valet, ad quæ ſempervivum. Itaq; hæc herba in affectibus umbilici applicata, opportunum remedium eſt: qualitatem enim conſtringentem habet: Imo verò complures ſunt, qui eam in amatoriis valere aſſerunt: id quod non crediderim: nec enim arbitror in quoquam vulgari ſimplici tantã activitatem ſympathicam inveniri: ſicut & ob frigiditatem ejus, & humiditatem. Cumq; amor affectus animæ ſit, non video qua ratione herba ſimplex, cum eadem habere commercium, & ad motum in ea procurandum virtutem habere poſſit, aut ad hoc valere, ut per ſympathicam influxionem ſuam morbis animæ medeatur. In omnibus autem Sæculis, & mundi curſu, valentiſſimi ſcriptores extiterunt, qui de facultatibus plantarum, & herbarum plura tradiderunt. Quos viros omnes propemodum Nationes, præſertim autem Romana, in tanta veneratione & culta habuerunt, ut Joannes Andreas Matthiolus memoriæ dederit, cum iisdem Romani Carthaginem deviciſſent, eos confœderatis Principibus, & Regibus, quoslibet libros dono dediſſe, nec aliud Romam tuliſſe, niſi duo & triginta volumina de facultatibus plantarum, in latinum Idioma transferenda, adjungendo opera Maganis Carthaginenſis de Agricultura. Sed de his dixiſſe hactenus ſuffecerit.

SOMNIA.

VIx in mundo, ut reor, mania magis inſenſata eſt, quàm opinari, ut maximè oculi clauſi fuerint, tanto clarius eos videre poſſe: & quanto fortius obſcurati & ſopiti fuerint humani ſenſus, tanto eos maxime vigiles eſſe, ita ut in futurum proſpicere & providere poſſint. Qua ratione enim phantaſia, oppreſſa à fumidis vaporibus ciborum, & muſti, libere pervagari poterit ea ſpacia, ad quæ ipſa adeo hominis cogitatio, quamvis alioquin velociſſima, pertingere nequit? *Somnus ex quarundam laſſitudinum genere prodit.* Verba ſunt Peripatetici noſtri. Et Plutarchus: *Hoſtis*, inquit, *diſciplinarum labor & ſomnus.* Nihilominus Onirocriti iſti, & ſomniatores, homines ſimpliciſſimi, gloriari non verentur, ſe omne id, quodcunque nocturnis deliriis apprehenderunt, in vaticinium futurorum deducere. Itaque apud eruditiſſimum Pierium legitur, quod hujuscemodi divinatores tradant: ſiquidem peregrinus quispiam ſomniaverit ſe umbilicos duos habere, brevi eum eventus patriæ ſuæ varios & novos intellecturum: quod præterea brevi ad patrios lares reverſurus ſit, plenus æſtimatione, & applauſu, ex quo ei honorum gradus accreſcant. Quod mendacium tanto magis apertum, & inſolens eſt, quantum per naturæ curſum ordinarium impoſſibile eſt, duos gerere umbilicos; quod ſi factum fuerit, natura videlicet degenerante, ejusdem vitium monſtruoſum eſt, raro accidens. Sic enimvero illud verificatur, quod de potiori naſcitur minus, imo maximum redundat in nihilum. Voluit hoc regius Cantor exponere, dum ait: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt in manibus ſuis.* Et idcircò paulò poſt ait: *Imaginem illorum ad nihilum rediges.* Pondus hujus veritatis optime Commendator Teſtius intellexit, qui de Amantibus ſic loquitur: *Ariſt. De ſomno & vigilia. Plut. De educ. liberis.*

Chi tra l' auree catene
Di creſpa chioma accolto,
Sogna mille d' amore inſanie, e folle:
Vinto dalle Sereni
Pupille d' un bel volto
Giura che va mortificato il Sole,
E che l' Indiche vene
Spogliando laſtricò l' eterno fabro
Di perle un ſeno, e di rubini un labro.

Pro concluſione S. Auguſtinus inquit: *Somnia non ſunt obſervanda.* *In ſpeculo.*

Interim te mi lector oro, ut hanc particulam de umbilico non rejiciendam putes, quam penna mea tanquam parens ejus produxit: memoria tenens, umbilicum dedicatum Veneri, ideoque amoris & dilectionis ſanctæ memineris: recordare item, quod ad *umbilicum usque pervenerimus*, hoc eſt ad tractatus finem, qui cum fuerit de rebus non omnino imperfectis, juſtum erit eum non vilipendere lege, & ignoſce.

Alluſiones.

Ad id, quod umbilicus centrum eſt hominis, & quod per eum in utero materno partus nutriatur, & augmentetur.

Ite Argonauti, e con roſtrati pini
De ſalſi flutti le campagne arate,
Tutti del mondo i lidi circondate
Per trouar poli, e miſurar confini.
Nel picciol Mondo mio queſti hò vicini,
Se del tutto le parti iui adunate,
Qual da nodo natio ſtretto, e legate
Riconoſcono inſieme, e centri, e fini.
Quante per queſto varco auuien, che adune
La natura ne l' aluo anco celato
Prodiga al parto ſuo ſorti, e fortune.
Non anche uſcito a reſpirar il fiato,
Retto e coſì da l' accennata fune;
Ch' indi ſi nutre, e pargoleggia il nato.

GENU.

Anatomia.

OBſervabilis, conſideratione digna, & inſignis eſt, non minus ſuperioribus, materia, & tractatus de genibus. Genu enim eſt, quod erigit, quod ſuſtinet, quod incurvat hominem, uniens ſuram & pedem cum femore. Unde apparebit pedem in tres partes dividi. Genu eſt, quod flectione ſua, inclinando corpus, nos adoratores ſummi Dei repræſentat: ſicut idem genu reverentiam Magnatibus, & Principibus exhibet. Atque ut hinc exordiamur, pes in tria dividitur, infemur, tibiam, & extremum pedem. Os femoris longiſſimum eſt in corpore humano. Figura ejus rotunda eſt, & recta, ſed non omnimodo: partes enim ejus externæ curvæ ſunt, & gibboſæ: & poſteriores internæ ſimæ ſunt: idque ut agilitatem, & promptitudinem ad ambulandum, vel currendum præbeant.

Obſervantur illic pars ſuperior, & inferior, anterior, poſtrema, interior, externa. Pars ſuperior articulatur, vel conjungitur cum oſſibus Iſchii per cavitatem, vel enarthroſin. Unde etiam affectiones vel pathemata ſunt, quæ Iſchias appellantur: Parte ſui inferiore per commiſſuram, nominatam ginglymus, tibiæ inſeritur. In parte ſuperiori tres apophyſes ſunt, hoc eſt partes externæ, vel protuberantiæ: caput nimirum femoris, & bini trochanteres, vel rotatores, vel etiam proceſſus oſſis majoris.

Caput prædictum ab Hippocrate Articulus maximus nominatur: rotundum eſt, formatum ab epiphyſi, aut vero ex una parte oſſis majoris enatum. Inſeritur autem in acetabulum oſſis ilii, cui per validiſſimum & illuſtre vinculum connectitur: ideoque in medio ſinuatum, & incurvatum eſt. Duo trochanteres (ſic dicti, quod per eos femorum motus & curſus, promoveatur, propter muſculos, qui his apophyſibus inſeruntur) ab hoc capite exeunt, & in partem inferiorem cervicis deducuntur, tanquam nodi: quorum unus Rotator major dicitur, ob ſimilitudinem natium, hujus enim muſculi præfato rotatori uniuntur. Alteri nomen eſt: Trochanter minor: cujus uſus eſt, ut ei inſerti ſint, ab eodemque naſcatur proceſſus, vel progreſſio muſculorum ad prædictas partes.

Hi tres proceſſus vere Epiphyſes dici poterunt, in teneris enim pueris facile disjunguntur, & relaxantur. Pars inferior femoris per ginglymum, ſeu cardinem, aut commiſſuram quandam deſcendendo cum tibia articulatur: nec tamen hæc connexio fit, niſi intercedentibus ſinubus, mediis, & capitibus. Itaque in prædicta inferiori parte, & capita duo, & totidem ſinus ſunt. Horum capitum unum externum, alterum internum eſt: hoc craſſius eſt, illud largius, apertius, & depreſſius, ne motus ab eo obliquus impediretur. Aliæ partes oſſis anticæ, porticæ, internæ, externæ, & inæquales ſunt, & multis proceſſibus exaſperantur, per inſertionem & productionem muſculorum. Totum hoc os notabiliter cavum eſt: unde medullam pro nutrimento ſibi proprio habet.

Tibia duobus oſſibus conſtat, quorum majus nomen totius tenet, ab Arabibus focile majus appellatur. Hujus pars ſuperior per ginglymum ſuum cum oſſe femoris jungitur: inferior ſenſim attenuatur, & in fine ſuo in ſubtilitatem degenerat: in quo appendix quædam cernitur prominens, admodum curva, & gibboſa: atque hæc malleolus internus dicitur. Anterior pars ſpina appellatur, in angulum acutum, & longum protuberans.

Eſt illic os item aliud, fibula appellatum: quæ cum non tangat genu parte ſui ſuperiore, parte inferiore proceſſum emittit, vel ramum, aut prominentiam quandam, quæ malleoli externi nomen adepta eſt. Hæc bina oſſa in ſimilitudinem radii, vel cubiti, in extremitatibus vicina ſunt, & contigua. Dilatantur autem, & à ſe invicem recedunt in medio. Adjumentum item, & operationem tibiæ, & oſſi femoris os quoddam ſphæricum tribuit, quod utrique connectitur articulatione quadam. Incumbit autem genui, à quo genu formatur, appellatum à latinis *rotula genu*. Etiam vulgò *patella* dicitur. Hujus uſus eſt, ut tanto magis articulum alioquin apertum femoris cum tibia confirmet, & claudat: ne forte per continuam deſcenſionem, aut genuflexiones luxatio contingat, aut vero diſparatio in partibus anterioribus: proinde ut genu flecti, & inclinari in angulo recto poſſit.

Tria ligamenta ſunt, quibus tibia cum femore colligatur: valida, & rotunda: quorum primum minus, & rotundum, de canali quodam per medium oſſis condyli egreditur, & in partem acutiſſimam terminatur: alterum cartilaginoſum eſt propter aſperitatem canalis reſidui, in media apophyſi aliis eminentiori, & foras ſpectanti deſinens. Ultimum denique rurſus cartilaginoſum eſt, circumdans cavitatem unius, & alterius tibiæ: inſeritur autem in canalis medium, qui inter duos condylos femoris invenitur, totumque articulum in binas partes dividit, colligans, tanquam vinculum commune, tibiam cum calcaneo. Motus tibiarum iidem cum femore ſunt: curvantur enim & extenduntur, & producuntur, & reducuntur. Quatuor muſculi appellati poſtici munus ſuum habent ut inflectant; quorum tres de tuberculo Iſchii naſcuntur: duo interni, unus exterior: horum primus ſeminervoſus appellatur, alter gracilis: tertius ſemimembranoſus: quartus biceps eſt, cujus caput unum de commiſſura oſſis, quod pubes dicitur, alterum de exteriori femoris parte naſcitur: utrumque robuſto tendine inferius tibiæ adhæret, quam intro flectit, & conducit.

Quatuor itidem ſunt muſculi, qui tibiam extendunt: unus eorum rectus, duo vaſti, & poſtremus ſuralis vel gaſtroenemius. Primus eorum de ſpina externa naſcitur, ſubtus ilium: duo vaſti, ob molem, & quantitatem ſuam ſic appellati, unus externus de tota radice trochanteris, qui oſſi majori femoris ſubjectus eſt; internus de trochantere minori progignitur, qui trochanter minor & ipſe quoque ſicut major eidem oſſi ſubjicitur. Suralis oſſi ſuræ affixus eſt, ſicut brachialis oſſi brachii. Hi muſculi omnes in tendinem deſinunt, aut ligamentum. Is qui molam vel patellam largius amplectitur, in principium anticum tibiæ inſeritur, & in genu ipſum; & in hac parte pro ligamine conſtituitur: Conducunt autem tibiam introrſum verſus eam flectendo, duo muſculi invicem illigati, alter longus, poplitæus alter, quorum ille primus plus cæteris abundans, & longus eſt, natus de ſpina Ilei, deſcendens oblique in tibiam internam, & anticam. Poplitæus natus ab inferiore, & externo tuberculo femoris, inſeritut in partem interiorem tibiæ, & quadratus eſt: reducitur verò & revertitur tibia per miniſterium unius muſculi, qui membranoſus cum ſit, faſcia lata, & aperta dicitur. Naſcitur hic cum principio carnoſo, de ſpina oſſis femoris, & oblique in tibiam externam fertur, & latiſſimo tendine, omnes propemodum femoris muſculos veſtit, ad extremitatem ejus usque diſcurrens.

Sufficiat hæc cum Anteſignano meo Laurentio, de particulari materia iſta ratiocinatum me eſſe. Qui his fuſiora deſiderant, petere poterunt, ſi placuerit, apud Falopium, in hoc diffuſiſſimum: ſicut & ab Anatomicis modernis, quorum lucubrationes quotidie noviter Reipublicæ literariæ, & communi hominum beneficio dantur. Ego enim aliis materiis alligatus, deſcendo ad conſideranda

HIEROGLIPHYCA.

PEdes noſtri, non dubitandum eſt, quin monſtra exoſa, & horribilia futura eſſent, imo verò & membra inutilia, niſi ſuſtentati, & adjuti eſſent à genibus. Sicut enim cubitus manum ſimul ſuſtinet, & brachium, ſic in pede idem operantur genua, tanquam vitalia inſtrumenta. Hæc foras pedem producunt, hæc pedem referunt: unde jure merito non minimi ponderis apud nos eſſe debet pars hæc motrix, quam prudentiſſimi Anteceſſores noſtri non negligendam, nec vilipendendam eſſe judicarunt. Itaque inprimis genu pro Hieroglyphico miſericordiæ ſtatuerunt: inde eſt, quod imaginem hominis referebant, tangentis genua alterius. Crates Thebanus nihilominus hunc ritum exploſit, tanquam infidelem inter ipſos adeo infideles, quippe qui, vituperare religionis cultum videbatur. Irriſit ergò hanc obſervationem, idque adeo, ut cum Gymnaſii cujusdam neſcio quis Magiſter ſupplicandus ei eſſet, pro eo, quod conſveto patriæ more contingere hominis genua debebat, femur tetigit, hac ridicula geſticulatione conſvetudinem loci exſibilans. Magiſter autem præmemoratus, utpote homo elatus, indigne ferens improperium & ſupplicantem rejiciens reſpondit: *Quid? an non hæc tua ſunt ac genua?* Quod tantundem eſt, ni fallor, ac ſi dixiſſet: Nunquid tu quoque hac ratione irrideri te velles? Marcus Tullius Lucium Piſonem objurgat, quod cognatorum ſuorum, & familiarium quempiam indignè à ſe rejeciſſet. Verba Tullii hæc ſunt: *Tu meum generum, propinquum tuum; tu affinem tuam, filiam meam ſuperbiſſimis, & crudeliſſimis verbis à genibus tuis repuliſti.*

Typus miſericordiæ olim erat genu tangere.

Orat. poſt Reditum.

Ut verum fateamur, ſicut virtus non eſt, nec plauſibilior, nec præſtantior miſericordià, & placabilitate, ſic è contra vitium non eſt magis deteſtabile, & inviſum, ſuperbia, ambitione, & faſtu. Quarum

prima arcus dici poterit, qui quanto magis incurvatus fuerit, tantò fortius ſagittam amoris ejàculatur: altera vero globus igneus eſt, qui quanto magis fumigat, tanto pejus, & immitius ictus lehales emittit. Prior illa verus Orpheus eſt, qui lyra ſua optime inſtructa, moribus nimirum optime compoſitis, ſibi lemma illud viri cujuſdam ingenioſi meretur, quod typo illo ludentis Orphei ſubſcriptum eſſe voluit: *Carmine docet ire.* Altera tygris eſt, quæ ad hunc muſicalem concentum ſibi viſcera dilaniat. Illa Deo univoca & propria eſt: arrogantia vero de Luciferi viſceribus naſcitur, per quam etiam cælo dejectus eſt. De priori inquit S. Gregorius: *Lex Dei miſericordia eſt:* De altera: *Superbia ſape contrarium quod optat, conſequitur.* De miſericordia affirmat Chryſoſtomus: *Miſericordia eſt ſalutis præſidium.* De arrogantia S. Anſelmus: *Superbia initium eſt omnis peccati.* De ſuperbia item S. Gregorius: *Superbia ſemper à veritate aliena.* De clementia rurſum S. Chryſoſtomus: *Miſericors magnus homo, & honorabilis vir.* Una earum Zephyrus eſt, quæ navem ſvaviter in portum deducit: altera verò turbo, qui tabulata navium disjicit, mare tempeſtuoſum irritat, & naufragiis quaſſatam ratem illidit. Itaque non ad femora, ſed ad genua curvemur.

Super 9. Pſal. De miſericordia hom. in Ep. ad Timoth. Pauli. 24. Moral. De pœnit. hom. 7.

Negare non auſim paganos hos, quamvis alioquin ſcientiis excultos quandoque ſuperſtitioſis ritibus, pauperculos deluſos, & faſcinatos fuiſſe: quippe qui veræ fidei lumine deſtituti, in tenebris palpando ambulabant. Tale erat Hieroglyphicum eorum, quod jam adducturus ſum. Experimento didicerant, fæminas quaſdam magas, murmurando verba quædam abſcondita, intra genu poſuiſſe pedis pollicem, ac ſic parturientem quam volebant, hoc maleficio ligatam tenebant, ne partum ſuum ederet: ex hac igitur occaſione antiqui hominem maturæ ætatis collocabant, cum hoc videlicet ſigno, in detruncata per medium arbore conſiſtentem, cum hac Epigraphe: *Impedimentum.* Quod Hieroglyphicum in omni hujuſcemodi negotio valere voluerunt. Plinius Author eſt: antiquos lege adeo ſanxiſſe, ut talis actus, vel à Judice, vel à Principe uſurpatus, in locum decretorii inhibitorii valeret: quod verbis pariter vel quovis alio ſigno expreſſus, tantundem Authoritatis habeat. Sic enimvero ſeductor Spiritus, per quaſcunque vias ſimplicitati credulorum illudere ſatagit, ut eos per itinera perditionis abducat. Qui vero inimici hujus artibus deluduntur ejusdem verſutias non comprehendunt: qui tam impius tam ſceleratus eſt, ut juxta S. Gregorium, *ſub virtutum ſpecie iniqua nobis opponat:* denique (proſequitur idem Papa) *primò opera noſtra, deinde verba, & cogitationes accuſat.*

Impedimenta magica.

11. Moral. Idem 2. Moralium.



Homo proſtratus, habens genu humi flexum, & brachia extenſa, pro Idea animæ reſignatæ, & omnimodo humiliatæ, & de ſemetipſa humiliter ſentientis ſumitur. Hinc illud Horatii eſt:

> - - - *Jus, imperiumque Phraotes*
> *Cæſaris accepit genibus minor* - - -

De hac conſvetudine Regius Propheta inquit: *Coram illo procident Æthiopes.* Majus aliquid eſt, in terram omnino procidere, eandemque oſculari: unde præfatus Pſalmiſta de his inquit: *Inimici ejus terram lingent.* Hæc virtus ſola eſt, quæ animum Altiſſimi commovet, qui tantundem humilitate electorum ſuorum delectatur, quantum elevatiſſima oratione. Hæc illa virtus eſt, quæ juxta S. Bernardum: *Caſum neſcit, ſcit aſcenſum.* Hæc de profundiſſimis fundamentis ſuis, ſublime ædificium ad cælum

Super miſſus eſt.

cælum usque erigit. *Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.* Verba ſunt S. Auguſtini. Vaſtiſſimus hic campus eſt, arrogantiam & ambitionem humanam reprehendi.

Inter humanos caſus nulla boni ſpecies eſt, imo nec ipſa, ut ita dixerim, bonitas ſat firma, & ſtabilis eſt, ut non malitia ſe inſinuare & ingerere in eam poſſit. Sic primo homini in conſtitutione ſæculorum contigit, qui dulcedine vetiti fructus guſtata, vitam prodegit, & generi ſuo propaginem mortis inflixit. Hoc totum attuli, ut ſcalam mihi ſtruerem ad explicandum id, quod Pierius de proclivitate vitiorum diſſerit. Homo (inquit ille) genuflexus, ſi ex uno latere humilitatem repræſentat, ſiquidem ad terram usque inclinatus fuerit: ex altero hæc eadem inclinatio, & vicinia terræ, quod commodum, aut quod beneficium morale deſignare poterit? Terra enim non raro habitus noxios profert, ſiquidem dura, gravis & fuſca fuerit, producens lappas, urticas, zizania, & ſemina lethalia. Hinc, ſi humilitatis ſignificatum detraxeris, parum admodum, aut nihil omninò utilitatis inde figurari poterit. Propter quod præfatus Author inquit: *Neque alicubi flectere genua eſſe Hieroglyphicum, ad terram, hoc eſt ad vitia declinantium, & humanæ cedentium fragilitati, impuriſq; affectibus inſervientium: Adverſus quos niſi ſteterimus, nullam ex hoſte victoriam ſperare poſſumus.* Itaq; neceſſe eſt ut macte animo ſimus, & magna virtute & generoſitate huic proclivitati, primisque ejus incentivis reſiſtamus, alioquin:

Proclivitas ad vitia.

- - - Serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre moras.

Ex Aldrov. de Crocod.

Verba Ovidii ſunt. Phyſiographi recenſent de Jchneumone, parvo animalculo, quod inſtinctu naturali ſe involvere terræ ſoleat, ac ſic à crocodilo abſorptum & deglutitum viſcera ejusdem corrodere, & dilanіare. Quam exigua inter piſces remora eſt? & nihilominus vis remorandi in curſu ſuo triremes, & ingentia maris navigia? Ædificia non minus à minutiſſimis rimis, & fiſſuris principium ruinæ ſuæ faciunt.

Prov. 23. v. 31.

Peccatum (inquit ſapientia æterna) *Ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit, ut coluber.* Argumentum ad hoc valet, ut doceamur, quantum ſæpe damnum de minimis rebus, & de ſolis mali principiis naſcatur. Unde S. Chryſoſtomus inquit: *Parva, parva non ſunt, ſi ab his maxima proveniunt.*

De doloribus partus.

Eſſe nequit quin dolores parturientium, periculoſiſſimi, & lethales ſint, ad partum enim ſuum edendum omnium viſcerum commotio, & pene ruptio fit. Horum dolorum Hieroglyphicum olim in tribus ſtatuis figurabatur (quarum typus in Capitolio ſpectabilis erat) ante altare Minervæ collocatis, quæ ſupplicantibus ſimiles, genuflectebant. Appellabantur Nixiades: quæ eousque inclinatæ erant, ut ſatis appareret eas genibus ſuis incumbere. Situs & poſitura quæ miſeris parturientibus maxime convenit.

Nixidiæ appellabantur: omnis enim violentia *niſus* dicitur, unde nomen Nixidiæ. Complures ſunt, inquit Pierius, qui ſtatuas has Romam à M. Attilio Conſule translatas arbitrantur, cum Antiochum Regem Syriæ deviciſſet. Alii Corintho eas transportatas authumant. Grave documentum hoc eſt, non ſolum gravidis & parturientibus, ſed quicunque ſub labore, & afflictione gemunt, ut videlicet ad Deum ſuum proni recurrant: ille enim ſolus eſt, qui ſedare tempeſtatem novit, & poſt nubila ſerenum adducere. *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, & exaudivit me,* inquit David. Hinc Deus ipſe: *Quoniam in me ſperavit liberabo eum.* Hæc materia vaſta pro pulpito eſt: quam idcirco hic terminamus.

MORALIA ET MYSTICA.

HIeronymus inprimis, & Origenes Chriſtianos bene morigeratos, & inſtitutos adhortantur: *Deo eſt genu flectendum, quia ab hominibus eſt ipſe adorandus.* Iidem ajunt adorationem quam totus populus, caſto Joſeph exhibuit, cum eum Rex Pharao univerſæ terræ Ægypti præpoſuit, figuram & ſymbolum ejus adorationis eſſe, quam Chriſto debemus. Supra textum item Jeremiæ: *Mihi curvabitur omne genu:* quod idem à S. Paulo ad Epheſios, & Philippenſes aſſeritur: iidem Authores nos docent, hoc de ſubjectione mentis, inclinatione animi, & obſequio cordis intelligendum. In eundem adorationis ſenſum coincidit Iſidorus Clarus, qui ait: *Quod de Chriſto intelligendum Paulus ad Romanos ſcribens, docuit. Illud juravit, hoc eſt, per me. Tollantur enim Idola, & omnes agnoſcent verum Deum, & per illum ſolum jurabunt.*

Gen. 3.
Cap. 45.
3. 2.
In hunc loc.

In multis præterea Scripturæ Sacræ locis admonemur fortificare genua: ſicut in libro Judicum, in Iſaia, Ezechiele, & Oſee: ſupra quos paraphraſin ſuam dederunt, S. Ambroſius, & Gregorius, exponendo fortitudinem operativam animæ hic figurari, quam roborare oportet, proficiendo in operibus bonis. Origenes ſentit, eos milites, qui in libro Judicum bibiſſe flexibus genibus de aqua fluminis dicuntur, ex eo, quod omnipotenti Deo parum accepti fuerint, figuraſſe homines imperfectos, nec in operatione ſua robuſtos. Hoc robur deſiderabat in Epheſiis ſuis Paulus, dum ajebat: *ſtate ſuccincti:* & ad Philippenſes: *State in Domino.* Vult Rupertus Abbas his intelligi poſſe, tam robur animi, quàm corporis. Unde cum genua diſſoluta vocantur, id de pigritia, vel timore dici. De hoc in ſenſu literali Propheta Naum inquit: *Diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus.* Et Paulus in Epiſtola ad Hebræos: *Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite.*

7. 35. 47.
De fuga ſu. 22. Moral.
Orig. In loc. cit. hom. 9. Iud. cap. 7.
Cap. 2.
Cap. 12. D.

S. Hieronymus animas devotas, quæ in oratione promptæ ſunt ad curvanda coram Deo genua ſua, impenſe conſolatur: Exemplo matrum refrigerium divinum nobis deſcribendo, quæ curandos, & linteis involvendos infantulos ſuper genua collocare conſveverunt. De hoc in Sacra Geneſi de Rachel infœcunda habetur: *Habeo famulam Balam, ingredere ad illam, ut pariat ſuper genua mea.* Hinc item in Iſaia: *Ad ubera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis.*

Cap. 40.
Cap. 66.

S. Hieronymus ſentit: quod ſicut iii, qui Domino Salvatori devoti ſunt, pro adoratoribus ejus habentur, cum reverentia eidem genua ſua incurvando, ſic ii, qui ſe ſervos peccati proſtituunt, cum eádem animi inclinatione eidem peccato ſe tanquam vile mancipium ſubjiciunt. Quam aſſertionem ſuam in illo ſcripturæ textu fundat, ubi in tertio Regum dicitur: *Dereliqui mihi, ait Dominus, ſeptem millia virorum; qui non curvaverunt genua ſua ante Baal:* cui Hieronymus adjungit: *Idolo ſcilicet, atque peccato.* Unde non immeritò infert: typum fortitudinis eſſe, & valoris, ad hos impuros, prophanosque Idolorum cultus animum non inclinaſſe, aut deperdidiſſe:

In Ep. Paul. ad Eph. 3.

S. Gregorius ſupra Job, ubi ait: *Cur egreſſus ab utero, non ſtatim perii? Quare exceptus genibus?* & illud Eccleſiaſtici: *Manus debiles, & genua diſſoluta mulier, quæ non beatificat virum ſuum:* Et ſupra

S. Greg. 4. Moral. 58.
Iob. c. 3.
Eccl. c. 25.

ſupra illud Iſaiæ: jam ante memoratum: *Super genua blandientur vobis:* ſic commentatur, & concludit: *Genibus excipitur peccator, cum jam de iniquitate ſua non confunditur, ſed etiam in ea adminiculis peſſimæ conſvetudinis roboratur.* Sic etiam ſuper illa dicta Rachelis, *ut pariat ſuper genua mea,* affirmat inſinuari hic quæ ſuperius tractata ſunt. Ego verò, cum præter memorata, uberior mihi materia in hoc genere tractanda non occurrat, interim de particulari iſto divertar, transeundo, mi Lector, ad alias diffuſiores expoſitiones, in quibus exactiſſimi & expertiſſimi ſcriptores avari non erunt. Itaque progredior ad

PROVERBIA.

DOctrina proverbiorum tanto plus lucubratione & ſtudio indefeſſo digna eſt, quanto magis in omni adeo natione, in omni antiquitate uſus ejus applauſum, & æſtimationem habuiſſe legitur. Sententia Aldi eſt: *Nullum,* inquit, *doctrinæ genus antiquius eſſe videtur, quàm parœmiarum:* proſequitur autem: in his, tanquam in ſymbolo, univerſam veterum philoſophiam concluſam fuiſſe. Et quid aliud dixerimus oracula veterum ſapientum fuiſſe, quam proverbia? quæ tantam venerationem, & obſervationem habuerunt, ut dicerentur, non humanum inventum eſſe, ſed de cælo veniſſe.

Hinc illud vetus: *Noſce teipſum,* Juvenalis aſſerit non aliunde, quàm illò deſcendiſſe: id quod etiam in Delo literis aureis in veſtibulo Phani deſcriptum cernebatur: Quod deinceps etiam in marmoribus, & columnis fieri cæpit. Proverbia autem tanto pretioſiora, & majori æſtimatione digna viſa ſunt, quanto compendioſius proferebantur, & ſub exigua verborum periodo, vel Laconiſmo, majora tegebant myſteria. Quis eſt, niſi omnino demens ſit, qui non pluris æſtimet gemmam, quantumvis parvam, quam ingentem vilioris metalli maſſam? Sic in campo literario plus quandoque fructificat exiguum ſemen figuræ, aut proverbii, quod in tempore ſuo diſpenſatum fuerit, quam diffuſa aliqua, & prolixa dicacitas, quæ ſicut inquit Comes Emmanuel Theſaurus, & Maſcardus, longiſſimis & inutilibus Anabolibus, & digreſſionibus ſcatet.

Canoch. Ariſtotelic. Art. hiſt.

Ut autem horum aliqua in medium proferamus, de genere ad ſpeciem deſcendendo, occurrit illud de genu: *Genu ſura propius.* Hoc proverbium originem ſuam debet viro cuidam; qui cum videret binos cognatione proxima ſibi conjunctos (quorum unus ei frater erat) acerbiſſimè invicem decertare: nec locum inter litigia hæc, & inter verbera habere verba, & perſvaſiones, cum ergo eos in hunc modum exacerbatos vidiſſet, nec à pugna divelli poſſe, niſi morte alterutra ſubſequente, partes fratris ſuſcepit, nec à certamine deſtitit, donec alter occubuit, quamvis & ipſe eum cognatione proxima attingeret. Totum hoc expreſſit Ariſtoteles, ubi ait: *Accedunt & proverbia univerſa, ut: anima una, &: Amicorum omnia ſunt communia: &: Amicitia eſt æqualitas: &: Tibia genu propinquior.*

Defenſio earum perſonarum fieri ſolet, quæ maxime nobis ſangvine propinquæ ſunt.
lib. Moral. 9.

Theocritus in Chariſto de homine tenaci loquens, qui nimirum ſibi ſoli vivat, nec minimo ſuo commodo ſe privare pro utilitate proximi velit, ſequens adagium refert:

Verum quisque ſinu occludit dextram: illud & unum
Cogitat, unde ſibi congeſta pecunia creſcat:
Nec cuiquam abſterſa rubigine donet amico:
Imo ſtatim hoc mihi: ſura genu longinquior inquit.

De hoc Plautus illud intulit: *Tunica pallio propior.* Id quod noſtri de plebe Itali, ſic vulgo ajunt: *Stringe piu la camiſcia, che non fà il gipone.* Hoc proverbium ſententiæ Heſiodi affine eſt:

Sed nec germano quisquam eſt æquandus amicus.

Nec vero hoc adagium apud eos locum invenit, qui chriſtianam charitatem perfectam profitentur, quippe quod nimium ſui amorem ſapiat: à quo longe S. Paulus recedit, dum ait: *Alter alterius onera portate.* Et alibi: *Æmulamini chariſmata meliora: hoſpitales invicem ſine murmuratione.* Digniores quippe ſunt laude, quàm vituperio, qui ſequenti proverbio adhærent: *Diligere tota virtute, eſt fortiter pro juſtitia ſuſtinere.* Verba ſunt S. Bernardi.

De diligendo Deo.

Ei qui ſanus, & robuſtus eſt viribus, res modici laboris, & momenti eſt genu flectere. Hæc actio autem, prout memoratum eſt, humiliationem, & obſequium indicat. His itaque cognitis, cum Antiqui demonſtrare vellent, quempiam nec in minimo quidem cedere velle, ſic illud enuntiabant: *Ne genu quidem flexo.* Hoc eſt nec minimum quidem humiliationis actum exhiberem, ne genu quidem flecterem. Dictum hoc adauxit Philoſtratus, magnus Philoſophus, & Academicus, qui in Anthæo ſic habet: *Ne genu quidem curvato adverſus Anthæum, exuitur.* Idem Author alibi ante Herodem ſic ait: *Hic genu flectamus.*

Ne in minimo quidem cedere.

Metaphora item ab hoc traducta eſt, quod cum ſeſſuri ſumus, primo genu inflectimus: ſic inveteratum illud Italorum proverbium ſonat: *Non mi levarei da ſedere.* Majorem huic dicto authoritatem tribuit Comicus Æſchylus, cum in Prometheo ſuo Vulcanum introducit, tali modo loquentem: *Ideo petram ſervabis hanc inamabilem in ſomnis aſtans, nec genu unquam flexeris.* Omne hoc ab Homero Iliade confirmatur, ubi ſic de Hectore Menelaus loquitur:

Ille lubens genua inflectet, puto, ſi modo triſti
Fugerit e bello.

Hic actus interim in iis rebus non improbandus erit, quæ reflexionem, aut conſiderationem non habent: quamvis indecens ſit in iis ubi rei gravitas, aut veneratio contrarium exigit.

Improprium illud videtur eſſe: *Dum virent genua.* Nec enim genu herba, aut planta, aut arbor eſt, quæ virere poſſit, & florere: nihilominus id uſu tritum erat apud antiquos: ſicut riſus pratis attribuitur, quamvis nihil humani in ſe prata contineant. Comes Theſaurus utique hic dicturus eſſet, has metaphoras propter rerum analogiam & proportionem, ſicut homo & planta ſunt, introductas eſſe. Hoc verbum virere ætati juvenili datum fuit: ſicut de eadem ætate dicitur, quod florida ſit. Cum igitur indicare vellent, operandum eſſe, dum tempus exigit, & ætas permittit, proverbium ſequens inventum fuit: *Dum ferrum candet, cudendum eſt.* Hinc Poëta quidam ajebat: *Dum licet, & fluunt venti Navis eat.* His conſonat Ovidius:

Operandum cum tempus eſt.

Dum licitum eſt, annique ſinunt tolerare labores,
Aut mare navigiis, aut vomere findite terram:
Aut fera belligeras fundite in arma manus.

Ego quoque, occaſione prægnanti oborta, ſic ceciniſſe me recordor:

Roverſciata ſul fronte
Se nudata ſi ſcopre, e calva a tergo,
Favorevol fortuna ha chioma errante;
Perche, ſe mani ha pronte
A verſar l'urne d'or ſul noſtro albergo
Preſta, ne giri ſuoi fatta inconſtante;
Muove da noi le piante;
Onde, o ſaggio mortal, ſin che vicine
De la ſorte hai le gratie, afferra il crine.

Oppor-

Opportunitas quidem non obſervata, cùm in omnibus occaſionibus ingens affert malum, tum verò maximè in admonendo detrahit virtutem: Sententia Plutarchi eſt. Et rurſum Ovidius.

1. De Amore.

Temporibus medicina valet: data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Cautela quæ in qualicunque negotio maximi momenti eſt. Hæc de proverbiis ſufficiant.

HISTORIÆ, RITUS, OBSERVATIONES, ET CONSVETUDINES.

Gentes incultæ religionis ſuæ confundunt Chriſtianos tepidos. *Spic. Sacram. c. 22.*

PLuries fit, ut gentilium pietas documento ſit Chriſtianis, eorumque directioni inſerviat: imò verò non dubitaverim aſſerere, noſtrum plurimos, in cultu religionis, & ritibus quàm longiſſime à paganis vinci. Inter varios religionis ejusdem actus, quos legiſſe memini, illud conſideratione & obſervantia dignum videtur, quod Pater Pintus refert, cujus Authorem primum ait Homerum in Odyſſea: antiquos nimirum in rebus dubiis nunc in hoc, nunc in illud planum ſe contuliſſe, & illic humi lacrymis irrigatos procubuiſſe, oſculantes genua Numinum ſuorum: Id certò ſtatuentes, illic ſedem miſericordiæ, & aſylum clementiæ eſſe: nec verò à genibus divelli poterant, donec à malis, unde premebantur, liberati eſſent. Propter quod inter eos proverbium illud ubique uſurpatum fuit: *Deorum provolvi genibus.*

Uſus Polonorum & Gallorum, ut genua Magnatum oſculentur. Fortaſſis ex radice hac deinceps mos increvit, ut Imperatoribus, & Regibus, & Principibus à populo genua petantur oſculis. Quam conſvetudinem vigere inter Polonos & Gallos diligenter obſervare potui, tum videlicet, cum coram Principibus ſuis agerent.

Antiquitus in Græcia idipſum viguiſſe, Author eſt *lib. 1. c. 45.* Plinius, ut ſupplices quicunque coram genibus Judicum provolverentur, & ſe proſternerent; ſicut & coram Principibus, à quibus abſolutionem commiſſorum, vel Juſtitiæ impetrationem expectabant. Fa- *lib. 15. c. 18. antiquarum lectionum.* ciebant hoc, refert Cœlius Rhodiginus: *Ut oſtenderent in amplexandis genibus ſuam humilitatem, & miſeriam auxilio, & ope aliena egentem.* Hunc mo- *lib. 1. c. 45.* rem Plinius diſertè admodum his verbis expreſſit: *Hominis genibus ineſt quædam religio, obſervatione gentium. Hæc ſupplices attingunt: ad hæc manus tendunt: Hæc ad aras adorant. Fortaſſis quia ineſt in his vitalitas: quippe quorum inanitate perfoſſa, ceu jugulo ſpiritus fugiat.*

Diogenes nihilominus diverſo fine operabatur (ſic referente Laërtio) Hic enim conſveverat etiam rigidiſſimis Decembris & Januarii temporibus, oſculari genua ſtatuarum, quæ ære fuſa erant: à quibus nullum ei reſponſum reddebatur: ajebat autem ſe hoc genere agendi, aſſvefieri, ut repulſam divitum æquanimiter ferat. Sed canem hunc moroſum relinquamus, qui omnium pene viventium oblatrare moribus ſolebat, nil proferens, niſi quod mordacitate plenum eſſet: hic enim uſus, etiam inter nationes alias obſervatus fuit.

Crantius inter plura exempla alia recenſet: Cum *lib. 5. ſue. cap. 22.* Attila, flagellum illud Dei, quaſi torrens inundans ad excidium Romæ armata manu prorumperet, Pelagium, qui ea tempeſtate claves Petri geſtabat, demiſſo vultu, obviam tyranno proceſſiſſe, & genua ei curvaſſe. Obſtupefecit actio hæc Principem, & prima quidem fronte, imperioſe admodum, & animo iraſcente ajebat: *Tandem venis ô Pelagi ſupplicatum?* Cui ille imperteritè reſpondit: *Quando ſuperna majeſtas te mihi Dominum impoſuit, ſupplicare pro hoc grege populi non erubeſco: Parce: miſerere.* Placavit arrogantem actio tam humilis: unde etiam in vaginas condi gladios continuò præcepit, occiſiones inhibuit, & populo æque ac militibus libertatem debitam indulſit.

Jam verò ſi eousque etiam inter mortales humilitas, & reſignatio accepta eſt, nunquidnam cauſæ cur credamus, eam non potius Altiſſimo placituram eſſe, qui Pater eſt miſerationum, & clementiæ? Ob quam cauſam igitur in templis, imagines Sanctorum, & Patronorum expoſitæ ſunt, niſi ut manus noſtras ad illorum genua protendamus; & ſiquidem illud materialiter factum non fuerit, ſaltem animo fiat, & remiſſionem culparum cernui deprecemur? De hoc paulò infrà argumenta majora adducentur.

Interim hic ego ab Nonio in Dionyſiacis authoritatem mutuor, quæ Græcorum conſvetudinem corroborat, de qua ſupra jam relatum eſt: ait enim de 6. ſupplice quodam: *Siniſtra quidem manu tetigit, & orans.* Nec enim ambabus manibus genu amplectebantur, ſed caput manu dextra tangebant, vel mentum, vel barbam Judicis, ſiniſtra genu. Expreſſit hoc clarè admodum Euripides, ubi ſoror ad *In Tauris.* fratrem fatur: *Sed te per dexteram, teque precor: te per charas genas, & genua.* Et ſupra citatus Nonius, poſtquam illud, *orans*, dixiſſet, ſubjunxit: *Dextera tetigit bene crinitam barbam.* Præſumebant, ſicut Plinius commentatur, ut ſupra hic tres ſymbolicas res indicari, hoc eſt conſenſum, actionem, & progreſſum rerum, quas poſtulabant: quæ tria exprimuntur inprimis manu, quæ tangit, capite quod annuit, genu quod ſuſtentat, & motum præbet ad ambulandum. Unde *lib. 1. c. 45.* Plinius rurſum de Euripide hoc ſumit: *Mentum dextera, genua ſiniſtra tenebat Patris:* Idem Euripides alibi: *Per barbam, ò chare, ò præſtantiſſimè in Græcia precor, procidens ad tua genua.* Idem in Medea, *In ſupplicationibus.* ubi ad Ægeum ſic illa ſcribit: *Sed rogo per hanc tuam barbam, genuaque tua:* confirmatur idem in Hecuba: *Agamemnoném oro te per tua genua, perq; tuam barbam.* Denique in precibus Andromachi: *Sed obſecro te, ô ſenex, ad tua genua procidens. Manu enim non datur mihi attingere tuam clariſſimam barbam.* Quod ultimum hoc concernit, quamvis hodie pro irriſione, & vituperio ſumeretur, olim cultus erat, & veneratio, & obſequium. Sic enimvero ſæcula viciſſitudines ſuas patiuntur, dum rituum, & cæremoniarum ſibi invicem ſuccedentium variegatio continua eſt.

Revertor ad uſum antiquum, jam Hieroglyphicis annotatum, magas videlicet intra genua vel femora collocare manuum digitos ſolitas, ſicut & pedum, ut ſic parturientium labores protraherent, & partum præpedirent: ſupra quod ſcriptura in libro Judicum eſt, de ritu hoc diabolico reminiſcens. Eſt autem in capite ejusdem decimo quinto, ubi dicitur (ſit autem mentio Samſone contra Philiſthæos) *Percuſſit eos ingenti plaga; ita ut ſtupentes, ſuram femori imponerent.* Doctiſſimus Delrio ejusdem conſvetudinis mentionem habet. Pauſanias item ait: æſti- *Tom. 1. Adag. 64.* maſſe Thebanos Junonem ſic voluiſſe partum Herculis impedire, mandando Lamiis, & ſagis, ut miſeram Alcumenam his præſtigiis impedirent: verba Authoris ſunt: *Pharmacidas Thebani à Junone miſ- In Boetiis.* *ſas ajunt, ut parturienti Alcumenæ impedimento eſſent: ſed eas, dum Alcumenæ partum inhiberent, à Tireſiæ filia Hiſtoride tali commento deluſas: Ex eo namque loco, unde illæ facile audire poſſent, exclamavit peperiſſe jam Alcumenam: illas ea voce deceptas ſtatim abiiſſe, Alcumenam ilicò puerum enixam.* Memoratæ ſagæ digitos invicem concatenabant, more pectinum, quorum dentes interſecati, & ordine conjuncti ſunt: digitos autem pedum femori appli-

applicabant, ſedendo ſupra portam quandam, & blaſphemis verbis immurmurando: hac ratione parturientes miſeras differebant. Hunc morem infernalem Ovidius manifeſte exponit, ubi Alcmenam præfatam ſic conquerentem inducit:

Metamor. 9.

Utque meos audit gemitus, ſubſedit in illa
Ante fores ara, dextroque eſt poplite lævum
Preſſa genu, digitisque inter ſe pectine junctis
Suſtinuit partus.

lib. 28. c. 6. De hoc genere connectendi digitos Plinius amplè tractat, adducendo idipſum pro veneficio impedimenti, his conjungens cæteras quoque actiones in hoc præſtigio conſvetas: verba Authoris hæc ſunt: *Item poplites alternis genibus imponi: ideo hæc in conciliis Ducum, poteſtatumque fieri vetuere majores, velut omnem actum impedientia. Vetuêre & ſacris, votisve ſimili modo intereſſe.* Juſtiſſimè hoc vetitum olim fuit, nec enim decet quemquam hominum, inimico generis humani quoquam pacto adhærere, aut ſuggeſtionibus ejus locum dare, qui ad aliud non aſpirat, quàm ad humanæ creaturæ omnimodam deſtructionem.

Quidam Sanctorum ex diuturna ſtatione & genuflexione petras cavarunt. Longe ab his diverſimode viri Sancti ſenſerunt, qui magiſterio amantiſſimi Præceptoris ſui inſtituti, de quo verè dicitur, quod *erat pernoctans in oratione*, longiſſimis vigiliis intenti, tantopere ab aurora diei, ad alterius diei diluculum in oratione perdurabant, ut genuflectionibus reiteratis ipſa adeo ſaxa excavarint, in quibus flexi fuerant. In inclyta Bononienſi Patria mea, inſignis Baſilica S. Stephani eſt, in qua petra monſtratur conſervans impreſſiones, & veſtigia duorum genuum, quas longiſſimis, & prolixiſſimis orationibus ſuis, de illuſtriſſima familia Banziorum S. Juliana formavit: quippe quæ continuatis toties orationibus in eadem petra, genuflectionum ſuarum indicia poſt ſe reliquit.

In vita S. Pauli Eremit. S. Paulus Eremitarum primus usqueadeo oratoni aſſveverat, ut referente S. Hieronymo, etiam poſt mortem inventus fuerit, quamvis anima jam diſceſſiſſet, corpore nihilominus erecto, manibus junctis, genibus in terra fixis: id quod ſine miraculo fieri non poterat. Unde præfatus Hieronymus, infert S. Antonium videndo hunc geſtum: *Intellexiſſe, quod etiam cadaver Sancti Deum, cui omnia vivunt, officioſo ge-* *Sur. Tom. 6. 16. Novemb.* *ſtu precaretur.* De S. Edmundo Cantuarienſi Epiſcopo Surius illud pietatis exemplum commemorat, quod ita in oratione indefeſſus fuerit, ut in nuda terra genuflexus, ibidem poſt ſe genuum, & ſangvinis ſigna reliquerit: Uno enim genu callum obduxerat, altero ſangvinem emittebat, & ſic fieri non poterat, ut non veſtigia quædam imprimeret.

Curioſa ſimul, & religioſa ratio eſt, quam Tertullianus adducit, cur Chriſtiani genibus flexis adorent, *Apud Juſtinum.* & preces ſuas inſtituant, ſic enim ait: *Genuum inclinatio in precationibus magis precatores DEO commendat, quàm ſi ſtantes orent: magisque ea res divinam promovet miſericordiam. Deinde utriusque jugem nos oportuit obtinere memoriam: & ipſius per peccatum lapſus noſtri, & gratiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quam à lapſu reſurreximus.* Elegantior hac obſervatio dari non potuit, ut mihi quidem videtur: dum enim genuflectimus, fragilitatis noſtræ meminimus, dum rurſum levamur, tanquam de peccato reſurgentes, ad gratiam ſupernam attolli- *Baron. Tom. 13. Annal. Eccleſiaſt.* mur. S. Gregorius Papa recenſet Abbatem Apollonium in uſu habuiſſe, ut centies de die genuflecteret; & Thraſillam virginem cognatam ſuam duritiem calloſam in genibus contraxiſſe, ut portento ſimile fuerit: nec id aliter evenerat, quam quod diuturnirate orationis in terra genua ſua fatigaverat.

Sic enimvero rerum divinarum ſcientiam ſublimiorem hi famuli Dei, & præceptum illud Evangelicum fideli corde conceperant: *Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine:* Norant enim non his dictis portam Paradiſi patere: ſed non niſi oratione aſſidua, genibusque inflexis hanc elevatiſſimam petram conſcendi. *Vim patitur, & violenti rapiunt illud.* De ritibus, & conſvetudinibus terminum hic tandem ſtatuamus.

SIGNATURÆ HERBARUM.

Volganſi ormai tra le foreſte il piede
E de le piante grate in ſuo ſtelo
Detiſi quel furor, che l' ciel ne diede.
Creſceran poi, ſe non le tarda il gelo
E queſte almen con un' auguſta ſede
Inalzeran le noſtre rime al cielo.

Verba ſunt doctiſſimi Claudii Achilini: ex quibus patet, quod præter virtutes, quas plantæ, herbæque ad curandos corporis morbos continent (prout vidimus) etiam ad ſublenandum animum ſerviant, cum à curis oppreſſus eſt, aut alioquin afflictus. *Solatium animæ inter plantas & herbas.* Hæc erant olim Accademicorum, & Platonis ſolatia, ut inter platanos, & lauros ſcholas ſuas collocarent, & illic regale ſolium ſuum conſtruerent. Diffuſius in hoc genere ratiocinatus ſum in *Stoico meo chriſtiano, & ſolitario felici*, ſicut etiam in *ſapienti voluptate Epicuri.*

Sed ut ad id, quod maxime præ manibus eſt, convertar, ſcilicet ut in præſenti tractatu diligentius indagemus remedia medendis corporis malis idonea, quibus illa ſignaturis, & ſignificationibus indicentur: Galenum invenio, non tam philoſophiæ, & medicinæ peritia, in tantam excreviſſe æſtimationis gloriam, quàm lumine illo, quod poſteritati dedit de virtutibus, & qualitatibus ſimplicium. Nil eum abſterruit (ſic Joannes Andreas Matthiolus ratioci- *Diſcurs. Proœmial.* natur) inſuperabilis propemodum labor navigationum, in Lemnum, Cyprum & Syriam, nec aliæ item peregrinationes, in alias mundi plagas, procul diſſitas ſuſceptæ: idque ut ad ungvem usque vera & legitima medicamenta, à falſis & adulterinis noſſet diſcernere. Unde invigilandum eſt Medicis, ut favente ætate, & ſpe vivida ſeipſos ad talem notitiam acquirendam exſtimulent.

Interim hic, ut à generalitate illa, ad particulare genuum deſcendamus, illud dixerim, quod pars hæc corporis ſingulari cuidam generi morborum ſubjecta non ſit, ſed communibus uniatur, ita ut malo nullo ſupprimatur, quo non etiam reliqua membra pati poſſint, nec ſignaturam quandam particularem in plantis, aut herbis habeat. Nihilominus cùm pars ejus oſſea ſit, cum doctiſſimo Crollio illud dicendum, ad oſſium imperfectiones corrigendas, ſicut præſertim tibiarum, quibus genu conjunctum eſt, multum valere geranium, vulgo dictam *Gratiam Dei.* Id quod apertius explicavero, ſi dixerim, plurimos opinatos fuiſſe, herbam hanc, parum Medicis notam, quamvis efficaciſſima ſit, & obſervatu digniſſima (quam quidam etiam *Gratiolam* nominant, alii, ut ſupra *Gratiam DEI*, Foro Julienſes Italice *Stanco Cavallo* appellant) Hyſſopum montanam eſſe. Creſcit autem (prout Matthiolus paulò ante citatus teſtificatur, de quo Authore hæc univerſa ſumpſimus) *lib. 3.* in locis humidis, maxime in pratis paludoſis, ſpithama longior, fronde aliquantum altior hyſſopo: florem album producit, carni ſimilem: folia pene omnia deſuper è calamo ejicit. Itaque hæc *Gratia DEI*, ſive eam hyſſopum appellaris, vel gratiolam,

vel geranium, in ungventum redacta plurimum valet ad rupturas, vel infirmitates, vel imperfectiones oſſium corrigendas. Idipſum operatur, inquit idem Crollius, petra quædam, aut vero compoſitum *Sabdiæ*, quod in territorio Spirenſi & Darmſtadienſi invenitur: verba authoris hæc ſunt: *Lapis hic vocatus oſſiſana miraculoſus in conglutinandis oſſibus ruptis, idque propter ſignaturam magicam.*

EPITHETA.

Adjunctum vel Epitheton fines poëtarum explanat, & ornamentum oratorum eſt.

NIhil eſt (proſequitur denique ratiocinando Raviſius) quod magis propalet, & exponat intentionem, artificia, & arcana poëtarum, quàm adjunctum vel Epithetum, non ſecus ac lux aliqua, quæ per ſpeculum, aut feneſtras radios ſuos trajicit, & ſcintillat: ſic per Epitheta gratiæ, lepores, & concinnitas troporum figurarum & metaphorarum apparent. Hæc intelligentiam ſententiarum dilucidant quæ alioquin turgidæ eſſent, & involutæ, & obſcuræ: ac ſic lucubratio omnis, & vigiliæ fruſtraneæ eſſent. Oedipi ſunt, qui Ænygmata ſolvunt: claves ſunt, quæ ſcrinia ad doctrinas aperiunt, alioquin clauſas, turbidas, & contortas. Ex his igitur facile concluditur quantæ neceſſitatis ſint, ad ſermones, & orationes inſtituendas. Parca nihilominus Epitheta ſuper genu ſunt, ſicut paucæ item ſignificationes: nec enim aliud operantur, quam flectiones, & rurſum erectiones. Ovidius nihilominus genua prona nominat: *Et genibus pronis ſupplex, ſimiliſque roganti.* (3. Metam. Germ.) Submiſſa Manto: *Genua humi ſubmiſſa.* Succidua Cæſar: *O ſuccedenti ſucciduis genibus lapſum, & miſerabile!* Procidua Baptiſta Pius: *Vade, & prociduo dic bona verba genu.* Infirma, vel feſſa fame Neſſus: *Feſſa fame genua ægra labant.* Homini erudito interim vetitum non eſt ingenioſa alia inventare, ut: faſtuoſa, ambitioſa, obſtinata, dura, & intractabilia, flexibilia: humilia item, obſequioſa, ſubmiſſa, obedientia: rurſum fortia, gracilia, tumida, ſevera, inclementia, & hujuſcemodi alia: juxta materiem, quæ occurrere poterit.

Hic verò ut more meo tractatum hunc de genibus poëſi terminem, oden ſubſequentem acceptam habe.

Alluſio ad Hieroglyphica.

Non per che a l'opre ſue m'aggiri il piede
Di parti inferior gruppo tenace:
Non perche aſilo, di clemenza, o pace,
O di ſanta humiltà ſia ſcorra, e ſede;
Non, perche di fortezza unico herede,
Congiunto al fianco il vincolo mi piace;
Onde reſo il mortal per te piu audace
E piu ſpedito al facitor ei riede.
Ben, perche vario il faticar divino
Per te il moto m'infonde, e a l'eſſer mio
Porge alterno ſembiante hor alto, hor chino.
L'opra rauviſo, ma vie piu il deſio
Scopre coſe maggior, qualora in chino,
A *ginocchia* piegate, il grande *Iddio*.

TIBIA, ET PES.

Eorum uſus, & officium.

TAndem aliquando poſt operoſam navigationem, per vaſtum humanarum partium mare, in quod me, neſcio quo eventu, commiſi, ad litus pertingo, pedem in terra colocans, & ultimo pedis tractatu, partis nimirum in homine præcipuæ, finem operi impono. Pes enim baſis eſt, quæ ſubtiliſſimum ſimulacrum illud ſuſtentat: ſtructuram videlicet humani corporis: opus, inter materialia, perfectiſſimum, & ſpecioſiſſimum, inter ea, quæ de manu Architectrice Creatoris unquam foras prodierunt. Hinc compoſitum illud, utpote inter animalia ſapientiſſimum, cum duabus manibus dotatum ſit, ut facultas ei ad operandum libera ſit, ſic inter pedeſtria quoque duobus

duobus pedibus provideri oportuit, ne in quavis alia, quàm figura elevata, & erecta appareret: tam quod ei ſuper cætera animantia ſuperioritas data ſit, nec non dominium divino imperio attributum, quam ut operationibus ſibi propriis vacari poſſet, ad quos comparatum eſſe facile patet. Nec enim homo ſi in terram pronus incederet jugales equos, aut currus inſtrueret, & regeret, nec gubernacula triremium dirigeret, nec altaria elevaret, nec telis jaciendis, aut aliis functionibus exercendis idoneus eſſet, quæ certo quodam modo ob ſublimitatem intelligentiæ, ſtatum ſuum tranſcendunt, & ſupereminent. Figura quadrupedum inutilis futura fuiſſet homini, & omnino impropria: quem Anaxagoras dixit idcirco natum, ut cælum intueatur: nec, ſi alterius formæ eſſet, componere ſe, & ſedem figere poſſet, ad contemplandum, ad meditandum, ad ſcribendum: ſicut proverbium tritum eſt: *Anima ſedendo fit ſapientior.*

Porro ſi præter binos pedes alios habuiſſet, non tam ei facile fuiſſet, ſchalas vel gradus conſcendere, inculta loca pervadere: ſurſum & deorſum progredi, ædificare, & horum ſimilia. Cum igitur in hac forma conſtructus ſit, ſolus ſedet, ſolus pedibus ſuis inſiſtit. Proprium pedum officium eſt, ambulare: quæ vera eorundem actio eſt; unde pes inſtrumentum ambulatorium vulgo dicitur. Hæc deambulatio fit, uno pede in terram fixo, altero ſe movente: quæ actio toti ſimul tibiæ & pedi attribuitur: unde eis ad miniſterium hoc exequendum hujuſcemodi forma, quam videmus, & de qua paulo infra dicendum erit, indita eſt. Diviſi ſunt in articulos varios, longos, & largos & eorum ſtructuræ digiti pedum accedunt, tam ad partis hujus complementum, quam præcipue ad curſum dirigendum: hi enim terram fortiter premendo, mirum eſt quantum promoveant, roburque curſui attribuant.

Cavi in medio ſunt, ut quaquaverſum agilitate prævaleant, & impedimenta evitare noverint. Sic autem compoſiti offenſam non habent, etiam cum exiguum ſaxum, aut gibboſum aliquid, aut rotundum occurrerit. Rectis autem digitis pedum, id quod obliquum, aut declive, aut in fruſta contuſum fuerit, facile ſine læſione contingitur, & contrectatur. Imo & ego vidiſſe memini hominem, cui ambæ manus truncatæ erant, qui nihilominus pedum digitis operabatur ea, quæ alii manu. Ita quidem, ut filum in foramen acus immitteret. Magnam habent pedes, cum manibus ſimilitudinem, quod infra latius exponetur: utque ad rem propius accedam, occurit in loco primo conſideranda

ANATOMIA.

TOtus itaque pes tres extremitates, vel partes continet, ſicut manus quoque ſcilicet Tarſum, metatarſum, & digitos. Oſſa Tarſi ſeptem ſunt, quorum quatuor nominibus ſibi propriis appellantur: tria anonyma ſunt. Primum à latino dicitur Talus, vel aſtragalus: item baliſta: connecta ultimo proceſſui tibiæ, vel perſonæ. Pars tarſi ſuperior in medio concava eſt: ex omni parte ſupercilioſa, trochleæ, vel rotulæ non abſimilis. In parte inferiore inæqualis eſt, trina vice incurvatus, & gibboſus: bis cavatus. Alterum dicitur os calcanei; cæteris omnibus grandius, & craſſius, in quod tres muſculorum tendines inſeruntur, qui quaſi chordam unicam formant. Tertium os naviculare vel cymbiforme dicitur, à ſimilitudine cymbæ, aut naviculæ, & in parte ſui gibboſa tres ſuperficies gerit; proximas planitiei. Quartum à menſura & forma cubi, cubiforme dicitur. Reliqua oſſa apud plures artis peritos anonyma ſunt; quamvis à Fallopio ob figuram cuneiformia nominentur. Metatarſus, vel planta pedis, oſſibus quinque componitur, quorum appendix extima, cartilagine cooperta eſt: ſtructura ejus ſimilitudinem metacarpi habet. Oſſa digitorum quatuordena ſunt, in eodem ordine compoſita, quo digiti manuum, excepto pollice, qui ſolum oſſibus duobus conſtat, pollex manuum trium articulorum eſt.

Connectuntur per ginglymum, aut fiſſuram: & internodia breviora ſunt, quàm manuum, ob exiguitatem digitorum. Oſſa ſeſamoidea, quæ tam ad pedum, quàm manuum compoſitionem ſerviunt (utrimque etiam idem nomen ſortita ſunt) cum ſolida ſint, rotunda, & aliquantum depreſſa, cum tendinibus ſuis digitos & inflectunt, & rurſum erigunt, aliiſque functionibus miniſtrant; quandoquidem vero de his jam in tractatu manuum diffuſe diximus, hic non niſi per compendium loquemur: inprimis illud ob oculos ponendo, utrimque compoſitionem quàm ſimillimam: utrimque oſſa conſimilibus vinculis alligata eſſe. Continentur & firmantur à muſculis. Oſſa autem tarſo vicina ligamentis communibus, ſicut & particularibus quibuſdam vinculis ſimul connectuntur. Sunt illic quoque ligamenta tranſverſa interna: alia item externa, quæ ad digitos flectendos, & extendendos ibidem continentur.

Quiſque horum digitorum vinculum membranoſum habet, quod tendinem conſolidat. Denique ſubtus plantam pedis, levata cute, & pingvedine, ligamentum deprehenditur largum, & validum, quod de ultima pterna in primam phalangem ſeſamoidorum extenditur.

Pedem inflectunt duo muſculi, quorum unus nomen habet, tibialis anticus, alter peronæus. Tibialis tibiæ affixus, naſcitur de ſuperiori tibiæ proceſſu: non niſi unicum habens tendinem, qui nihilominus in fine ſuo diſpertitus, inſeritur in os pedis, quod pollicem antecedit. Peronæus biceps eſt: caput unum de epiphyſi fibulæ ſupernæ progignitur: alterum de medio peronæi, duos tendines emittit, quorum qui major eſt, oblique ſubtus plantam vergit, & verſus pollicis regionem inſeritur in os pedii: minor autem in os digiti medii tranſit.

Pedis extenſores muſculi quatuor ſunt, duo gemini, unus ſoleus, & unus plantaris. Soleus, qui naſcitur. Gemelli de interno femoris capite naſcuntur: internus rurſum, & externus, de externo ejuſdem capite. Hi tres in unum tendinem ſolum finiunt, qui craſſiſſimus & validiſſimus eſt, inſertus in principium calcanei. Hic ab Hippocrate chorda appellatur. Ubi etiam de calcanei fractura naſci febrem ait, cum ſingultu mortali, quia convulſivus ſit. Ultimus plantaris dicitur, palmari correſpondens: gracilis eſt, & prælongus, & per latera pternæ extenditur, receptus in cutem pedis, aut plantæ ejuſdem.

Digiti pedum, non ſecus ac manuum flectuntur, & extenduntur, foras prominent, & retrorſum trahuntur: idque per duos muſculos, majorem, & minorem, qui ſibi invicem correſpondent. Major perforans dictus, naſcitur de ſuperna epiphyſi tibiæ, & in quatuor tendines ſubtus plantam finditur, qui minoris muſculi tendines perforando, inſeritur in tertiam quatuor digitorum articulationem. Minor primo correſpondens, ſitus in medio plantæ pedis, naſcitur de pterna inferiore, perforatus quatuor ſupra memoratis

ratis tendinibus majoris, in ſecundum articulum quatuor digitorum defertur.

Extenduntur quatuor digiti per muſculum natum de extima & ſumma parte tibiæ, in quatuor tendines infra diſparatum. Præter hunc alius minor eſt, ſubtus hunc abſconditus, qui digitos per obliquum tendit. De tarſo ſuperiori naſcitur, totus carnoſus: finitur autem in quatuor tendines, quandoque in quinque, ſimiles vermicularibus vel lumbricalibus: quamvis craſſiores, & pleniores ſint; in quatuor digitos inſeritur, medicum, medium, indicem, & pollicem: in minimum tendo non mittitur. Hos digitos antrorſum ducunt quatuor muſculi, dicti lumbricales, à lumbricum ſimilitudine. Naſcuntur autem à tendinibus digiti majoris profundi, & plicabilis. Retrahuntur, & flectuntur mediantibus octo interoſſeis, natis de oſſe pedii: flectunt autem, & ad implent ſpatia metapedii.

Pollex muſculos ſibi proprios habet, flexores, & extenſores, qui adducunt, & reducunt. Flectitur à muſculo, qui de tibia naſcitur, extenditur per medium alterius, natum de fibulæ item medio. Sæpius autem in duos tendines dividitur. Conducitur per miniſterium muſculi, qui oſſi pedio majori affixus eſt. Retrahitur idem pollex mediante opera alterius muſculi, qui ortus in calcanei interna parte, in fine ſuo inſeritur in os pollicis primum. Eſt illic muſculus particularis, qui minimum digitum abducit: naſcitur autem de calcaneo.

Hæc brevis & compendioſa eſt deſcriptio pedis, quantum quidem ad chyrurgum & medicum attinet.

Reſtant dicenda de partibus pedis ſimilaribus: quæ ab oſſe Iſchii protenduntur, ad ultimum uſque digitorum pedis. Pes enimvero dividitur in partes continentes, & contentas, æque ac in manibus fit. Continentes ſunt: cuticula, cutis, pingvedo, & membrana nervoſa: Contentæ autem, vaſa, caro, & oſſa. Vaſorum tria genera ſunt: venæ, arteria, & nervi. Venæ omnes originem ſumunt à ramo cruxali. Hic ramus plures ramulos, vel canaliculos transmittit tam per ipſum femur, quàm per tibiam, & per extrema pedis, ſparſos per numeroſam ſeriem. Hæ autem propagines eorum ſunt: vena ſaphena, Iſchias minor, venæ muſculæ, poplitææ, ſurales, aut crurales, Iſchias major. Saphena, aut verò vena malleoli, nata circa glandulas angvinalium, & per interiora femoris lata, inter cutem, & membranam carnoſam, deſcendit ad malleolum externum, & finitur in cute pedis ſuperioris. Iſchias minor de regione ſaphenæ in cute interiore Iſchii diſtribuitur. Vena muſcula in duos ramos finditur: quorum minor rivos diffundit, qui in muſculis tibiæ extenditur. Major autem profundius divaricatur, quaſi per univerſos femoris muſculos. Poplitæa de duobus ramis egreditur, qui in crurali uniuntur, quibusdam ſurculis deorſum vergens, in poſtica femoris cute per medium poplitis ſpargitur; in cute demum pulpæ perditur, cum ad calcaneum usque deſcendit, & per totum malleolum fertur. Suralis, diſſeminata per univerſos pulpæ muſculos, & cutem tibiæ internæ, reflexa circa malleolum internum, ad latus internum pedis defertur, item ad pollicis cutem, & raro per reliquos digitos transit. Iſchias major cum portione ſua, per muſculos pulpæ portata, in decem ſurculos degenerat, & hi bini per digitos dividuntur: ex quibus ſurculis qui minor eſt finitur inter peronam, & calcaneum.

Arteria cruralis quaſi iisdem ramis diſtenditur, ita ut venam arteria ubique comitetur. Quatuor nervi præcipui ſunt, qui per pedem totum diſſeminantur, naſcuntur autem à tribus partibus inferioribus lumborum, & quatuor ſuperioribus oſſis ſacri. Primus, & principalis ſubtus peritonuæm, deſcendens ad trochanterum minorem, terminatur in muſculis femoris, & in cute ejusdem interna, & externa, antequam genu contingat. Secundus & inferior, deſcendendo per angvinalia cum vena, & arteria crurali in femur ramum inſignem cum vena malleoli per latus internum usque ad pedem transmittit. Tertius, huic inferior adhuc, quosdam ſurculos ad muſculos membri genitalis transmittit, ſicut & ad femur, & ad cutem angvinalis, terminando in muſculis propinquis, verſus medium cruris. Quartus craſſior, & ſiccior cæteris nervis, totus, tanquam validior de quatuor partibus ſuperioribus oſſis ſacri natus, deſcendens, & diſtentus inter hoc ipſum os ſacrum, & inter femur, ramuſculos ſuos ad vicinas partes emittit; nimirum ad cutem natium, & femoris. Dehinc in duos ramos ſciſſus deſcendit cum horum minore in peronam, transjiciens ad usque digitos ſurculos ſuos: cum majore autem in ramos multiplicatus per tibiam, & per pedem, duos pariter ramos cuique digitorum diſpertit. Intexunt, capita muſculorum, eademque velut inquirunt, ſicut & cutem tibiæ, duo rami. Hæc deſcriptio vaſorum compendioſa eſt.

Muſculi pedis varii ſunt: alii eorum femora flectunt, extendunt, adducunt, reducunt, & circumdant: rurſum alii ipſum pedem flectunt, alii tibiam, alii denique digitos. Multa ſunt pedis oſſa, prout vidimus. Cruris unicum os eſt, duo tibiæ: illic tibia eſt, perona, & rotula. Septem oſſa pedii ſunt, quinque metapedii: quatuordecim digitorum, quibus adjungi poſſunt ſeſamoidea, ſicut in tractatu manuum ratiocinati ſumus.

Partes diſſimilares pedis, ſicut manuum, in tria dividuntur, in femur, tibiam, & minorem pedem. Femur dicitur à *ferendo:* animal enim femore pondus carnoſarum, & pulpoſarum partium ſuſtinet. Sic Hippocrates memoriæ dedit. Altera pars pedis majoris à genibus ad calcaneum vergit: partes ejus anticæ dicuntur, & poſticæ: appellatur autem *ſura exterior* Ultima pars, pes minor appellatur, cui univerſa hominis ſtructura innititur, in quo argumentum, vel thema tractatus hujus verſatur. Hic rurſum in in tres partes dividitur, hoc eſt pedium, conſtans oſſibus ſeptem, quorum quatuor nominibus propriis inſignita ſunt, tria anonyma. Una horum pars rotunda eſt, calcaneus inquam. In tertia parte digiti ſunt, cum adhærentiis ſuis, prout dictum eſt. Articulantur per ginglymum, aut texturam: ſicut per ſe ſamoidea, & per firmiores articulationes. Hæc enim oſſa operantur in nobis, ut pes, etiam dum per inculta, & difficilia incedimus, ſemper firmus ſit, nec relaxetur. Et hæc ſunt, quæ delibare breviter volui. Qui autem ſecurius in hoc pede ambulare contenderit, volumina virorum verſatiorum in hoc genere, & copioſiorum conſulat: illic campum majorem proficiendi inveniet. Interim ego ad alias ſignificationes avocatus, convertor ad conſideranda

FACTA.

PLurimum Reverendus Abbas, Pater Philippus Picinellus, olim Con-Canonicus meus in nobiliſſima Congregatione Lateranenſi, in Mundo ſuo Symbolico, opere vere digno, quod mundus univerſus amplectatur, pedem pro Symbolo ponit ſub quo ſerpens comprimitur, adjuncta Epigraphe: *Premat ne perimat.* Volens ſignificare, tentationem in primis ſuggeſtionibus ſuis Tentatio.



conculcandam eſſe, ne forte prævaleat ad nos præcipitandos, & necandos. Aptiſſimum pro eadem ſententia ſua idem Author de S. Gregorio locum citat, ubi ait: *Prima* 11. Moral. c. 16.
ſerpentis ſuggeſtio mollis, ac tenera eſt, & facile virtutis pede conterenda, ſed ſi hæc invaleſcere negligenter permittitur, eique ad Cor aditus licenter præbetur, tanta ſe virtute exaggerat, ut captam mentem deprimens, usque ad intolerabile robur increſcat. Applicat hunc eundem ſenſum ad animam tribulatam, quæ his eisdem verbis (inquit) uti prudenter poterit (recurrendo ad Deum) & ſe ſupremæ diſpoſitioni conformans dicere: *premat, ne perimat.* Confirmat hoc S. Bernardus: *Premi magis, quàm perimi utilius.*

Virtutis acquiſitio difficilis. Ad demonſtrandum quantopere arduum ſit, virtutem adipiſci (quippe quæ nec luxu menſarum, nec mollitie plumarum acquiritur, quin potius corpus conſvetudine laborum, & afflictionum callo obdurandum eſt) montem figurarim, ad cujus radicem collo-



catus ſit pes, aſcendenti ſimilis, adjuncto lemmate: *Per ardua virtus*, Qui ſenſus & ex Ovidio, & ex Horatio mutuatus eſt: qui
Ad Cæſarem de Rep. Ord. Ep. 13, ambo in eundem concurrunt. *Virtutis iter arduum eſt:* inquit Salluſtius, Seneca ad Lucilium ſuum ſic habet: *Quemadmodum virtutes retentæ exire non poſſunt, facilisque earum tutela eſt, ita initium ad illas eundi, arduum.* Ego quoque in exercitiis meis Poëticis ad ejusdem virtutis poſſeſſionem me incitando, oden quandam ſic terminaviſſe memini:

Molle campion non uſa a mieter palme.
Che il Trojano guerrier non ha diadema
Fatto Amator, ma atterrator di ſalme.
Scacci nobile ardir dunque ogni tema,
E, laſciando i piaceri a piu vil' alme
Di ſudato valor freggi ogni ſtema.

Lauri enim gloriæ noſtræ tum maxime excreſcent, ſi ſudoribus frontis irrigatæ fuerint. *Non decet redimitos floribus corona, ſed pulverulentos,* inquit S. Ambroſius:

Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum.

Venuſius Poëta inquit. Et Silius Italicus:

Virtus ſibimet pulcherrima merces.

Sufficit hæc polaris ſtella ad ſulcanda maria alioquin impervia: hac ego quoque velificatione, & navigatione transferor ad

HIEROGLIPHYCA.

Diſcurſum proëmialem huic Hieroglyphicorum materiæ non præmitto (nec enim argumentum ejus tam dilatatum, & apertum eſt) cum jam in primis hujus libri partibus, ſat ſuperque de his ratiocinatus ſim. Hic nihilominus ut ad fundamenta ipſa progrediamur, in primo loco ſe nobis vir eruditiſſimus Pierius offert, qui pedem repræſentat imprimentem veſtigium ſuper aquas fluminis, ſubjungendo lemma: *Irritum.*

Hac



Hac ratione Veteres ſapientes rem omninò fruſtraneam, aut vanam expreſſerunt: & ſicut veſtigium pedis, in aquam impreſſum facile diſſipatur, & quanto magis hæc impreſſio repetita, & inculcata fuerit, tanto minus, ob mobilitatem elementi hujus
Operatio & ſtudium irritum. veſtigium ſuum relinquit, ſic omne ſtudium collocatum in re non congrua, facile in nihilum abit. Ut vero Hieroglyphicum hoc venerationem ſuam, & æſtimationem majorem conſequeretur, quotiescunque res vana, aut inutilis occurreret, ſacerdotem jubebant actum illum imprimere, unde poſt impreſſionem, judicando rem propoſitam irritam, & evanidam eſſe, omninò ab eadem deinceps abſtinebant, nec ultra indagabant. Corpus aquæ lubricum eſt, & tranſitorium; itaque ſicut pes ibi conſolidari nequit, pari ratione cùm actio quædam factu impoſſibilis eſt, eandem tentare temeritate non caret. Aqua pedis centrum non eſt: potius terra. Sic omne quod præter centrum ſuum eſt, operationem ejus nunquam non irritam reddet. Hinc ubi activitas non eſt, contra torrentem niti non oportet, ut vulgò dicitur. Nihilominus veriſſimum eſt Naſonis adagium:

Nitimur in vetitum ſemper, cupimusque negata.

Et: quod privatio deſiderium & appetitum adauget. Suſpirabat, & gemebat, & quaſi fremebat Rex David, antequam ei de fonte qui ſecus portam Bethlehemiticiam ſcaturiebat, aqua portaretur, quæ à ſtatione inimicorum occupabatur: ſed poſtquam ei cum periculo vitæ, tres fortiſſimi viri de eadem aqua tuliſſent, habens eam in poteſtate, bibere abnuit, viſus eam non æſtimare. Sic eſt, inquit S. Gregorius: *Cum non poſſidentur in deſiderio ſunt, cum autem habentur in faſtidio.*

Supra pedem hunc impoſitum aquæ, ſacri expoſitores etiam obſervationem deduxerunt, quam piiſſimus vir Pierius loco Hieroglyphici proponit, ſicut ejus monumenta docent. Vult ergo pedem hunc taliter expoſitum, ſignificare vacillationem, & tremorem: idque non ſine gravi ratione: nec enim unquam aqua ita conſiſtit, ut non aliquantum tremula
ſit. Ad minimum venti flatum, & commotionem Vacillatio,
auræ, inhorreſcit, & fluctuat. Hanc eandem men- & timor.
tem ſuam corroborat, eo quod armatus Cantor
meus David inquit: *Mei autem pene moti ſunt pedes.* *Pſal. 73.*
Ubi lectiò græca transportata in latinum ſic habet: *Vacillarunt, ſive potius fluctuarunt.* Ponuntur tamen hic pedes, pro cogitationibus. Timor, ſi verum fateamur, ad certum usque limitem fortem virum non dedecet, ſed timor talis, qui in puſillanimitatem non degeneret. Timor ille prior providentiam acuit, non temeritatem: prudenter pericula ponde-
rat, ut auſus ſecuritate plenus ſit: *Sapiens non omni-* *Lib. 8.*
nò perturbationibus caret, verùm perturbatur modice: ajebat Diogenes: *Natura docet quæ timenda ſunt:* ait Plinius & Seneca. Nunquam non providus eſt, qui ſapienter timet: quem timorem non immerito temonem dixerim, vel gubernaculum navium, quo nauclerus circumſpectus, tempeſtatibus obviat, & ſine offendiculo ad portum ſuum provehitur.

Econtrario autem pes in terra firmatus totum ho- Oportet in
minem ſine vacillatione, aut timore ſuſtinet & ſecu- omni actio-
ritatem præbet; ex hac ratione pro Hieroglyphico ne ſua fun-
ſumptus fuit actionis ejus, quæ ſolido fundamento damento
innititur. niti. Significatio hæc de legali illa aſſertione inprimis ſumpta eſt, quâ *pedem ponere* idem eſt, ac fundamenta jacere. Quod magis corroboratur per

Marcum

Lib. 4. de finibus. Marcum Tullium qui ait: Quid enim? *Sapientia ubi pedem poneret, non habebat, ſublatis officiis omnibus.* Per hanc poſitionem pedum rurſum alii (proſequitur ratiocinando Valerianus) occupationem ſacii intelligunt. Nomen tamen hoc *pedis*, ſicut in pmyſticis diffuſius patebit, in Deo ſoliditatem incomparabilis, & firmiſſimæ virtutis denotat.

Purificatio. Siquidem pes ſupra aquam poſitus, copioſus in ſignificatione ſua eſt, non minus pes in aquam immerſus ſignificationibus fœcundus eſt: Erat enim Hieroglyphicum hominis, qui ſpretis terrenis ſordibus, ad purificationem ſuam invigilat: alibi enim aqua, & ignis purificationis, & munditiæ ſymbola erant. Intelligenda nihilominus hæc de expurgatione culpæ levioris: ſicut noſtro Catholico more pro detergendo errore veniali, manum luſtrali aquæ intingimus, eademque frontem ſignamus. Horus Apollo, ad hoc myſterium exponendum, lotorem linteorum deſcribit (cujus officium eſt, ejusdem lintei vel panni maculas eluere) quem repræſentabat pannum in aquam immergentem. Idipſum eſt, quod in pluribus locis per Prophetas, præſertim Iſaiam, & *Iſai. 1. v. 16.* Jeremiam profertur: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum. Lava à mali-* *Ierem. 4. v. 14.* *tia cor tuum Jeruſalem, ut ſalva fias.* Ut de pede ad manum tranſeamus, David inquit: *Lavabo inter innocentes manus meas.* Memoratæ purificationes omnibus neceſſariæ ſunt, præſertim iis, qui ad miniſterium Altaris accedunt.

Figura Tantali, ſubmerſi in aquis, & cui abundantia fructuum, de ramis arborum ſupra os pendet, Dives avarus. pro Idea divitis avari uſurpata eſt. Tantalus ille fame & ſiti exagitatus, & miſer in abyſſo gulæ ſuæ immerſus, non ſolum pedibus, ſed corpore toto, nec tamen ſitim reſtingvit: & quamvis fructus præ oculis habeat, tamen non propellit: ſic omninò Avarus quamvis divitiarum ſuarum undis innatet, & auratos fructus præ oculis ſuis dependentes intueatur, nunquam tamen ſaturitatem obtinet. Dixit hoc Spiritus Sanctus: *Avarus non implebitur pecunia*; Cui *Eccle. 5.* conformiter S. Ambroſius: *Avarus nullum hominem eſſe vellet, ut omnia ſurriperet.* Stymphalides Aves non tam recurvas ungves gerebant, Orcæ non tàm guloſæ erant, canis non tanta fame agigatur, nec vultures tam adunci ſunt roſtris ſuis, quàm eſt avari hominis voluntas avida, rapax, & inſatiabilis. Hunc ſenſum eleganter Petronius Arbiter, ſequentibus verbis expreſſit:

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit
Tantalus infelix, quem ſua vota premunt.
Divitis hic magni facies erit: omnia latè
Qui tenet, & ſicco concoquit ore famem.

Ampliſſima Oratori materia ad tam deteſtabile vitium reprimendum. Ad manifeſtandam potentiam, gloriam, & faſtum hominis triumphantis, ſapienter antiqui caput præſentabant pede calcatum, impoſita Triumphator. hac Epigraphe: *Triumphator.*



Conſvetudo olim Principum triumphantium erat, ut corpora devictorum pede calcarent, per hoc Dominium ſupra eosdem abſolutum demonſtrando. Plures hujuscemodi figuræ in monetis antiquioribus occurrunt, præſertim in Numiſmatibus Romanorum, prout præmemoratus Pierius refert. Sic feciſſe Legitur Darius cum Sapore: ſic Magnus Tamerlan, cum Bajazeth, & alii. Hoc factum palam tangit Pſalmiſta: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Qui *Pſal. 66.* faſtus nihilominus, Thraces, & Scyhthas & Barbaros

decet,

decet, quàm Principes Chriſtianos, quibus ſola victoria ſuffecerit, nec enim ruinis, & vaſtationibus, aut extorſionibus delectari debent. Sic Plutarchus *De educ.* ſuos admonet: *Non ſolùm vincere, ſed & ſcire vincere ſpecioſum eſt, in iis præſertim, in quibus victoria parit detrimentum.*

De officio pedum, progrediendi nimirum, & ambulandi, Græci occaſionem nacti ſunt, ſicut & Latini, ut Hieroglyphicum memorabile formarent, ſignificando ambulationem, vel iter aliquorſum. Iter verſus cælum. Hunc ſenſum habent in iis ſtatuis, aut ſimulacris, tam ſacris, quàm prophanis, quæ vel aſcendunt, aut potius dixerimus ſe aſcendere demonſtrant, ponentes caput in nubibus: pedibus nihilominus apertis: indicando, quod eò verſus viam ſuam inſtituant. Hinc ille Davidis apertiſſimus ſenſus eſt: *Pes meus ſtetit in via recta.* Pedes illi, vel plantæ duæ de nubibus exeunt. Documentum morale illuſtriſſimum ſunt, (iis videlicet, qui fideles dici poſſunt) in ſymbolo enim exhibent, ut dictum eſt, quòd illac nobis via inſtituenda ſit. Intellexit hoc S. Ignatius, cum ajebat: *Quàm ſordet mihi tellus, dum cælum aſpicio?* Qui illuc intentos oculos habet, non vereatur ne in incertum ambulet, nec pedem male collocet. Quod argumentum quisque ſibi in corde ſuo deſcribat, qui ſalutem ſuam, ſperat, & deſiderat.

Curioſum admodum, & prima ſui fronte ſat involutum, ſed non tale ei, qui idipſum diligentius conſideraverit, ſimulacrum illud erat, quod Ægyptii Sacerdotes exponebant. Duo pedes erant genibus invicem connexis, ſed multò fortius compedibus binis alligati. Volebant viri illi eruditi hac figura ſolſtitium hyemale intelligi, tardum ejus- Solſtitium hyemale dem motum exprimendo, brevemque curſum, idcirco quod hi pedes compedibus vincti, quamvis lente admodum, gradum nihilominus promoverent. Conſimilis figura ab Horo Apolline in duabus tibiis, invicem ligatis expoſita fuit, tarditatem greſſus figurando. Vere enim Sol ea tempeſtate anni, caliginibus involutus, in pruinis, & nivibus, modicam utilitatem terræ adfert: quamvis & tarditate ſua, & velocitate nunquam non fecunditatem, & nutrimentum ſuum, ſeminibus æque, ac animantibus ſuggerat. Poterit hoc quoque pro ſymbolo morali eſſe, eorum, qui (juxta illud Davidis: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*) peccatorum ſuorum vinculis, ſummo ſoli Juſtitiæ pedes, ut ita dixerim illigant, ita ut ad calorem gratiæ illis communicandum dirigere curſum ſuum nequeat. Doctrinæ fuſiores ſupra hoc ipſum in Expoſitoribus ſacris non deſunt.



In Capitulo Anatomico jam demonſtratum eſt, quod nervus quidam à calcaneo pedis ſurſum verſus per aſtragalum ad radices usque angvinalium feratur, pertingens ad genitale membrum usque. Unde fieri, ut in venereis affectibus, hæ partes ſibi invicem correſpondeant. Ob hanc cauſam, tum verò etiam idcirco, quod pedes in inferiori hominis parte ſituati ſunt, Philoſophi veteres de hoc deduci poſſe rati ſunt Hieroglyphi- Voluptas ſenſualis. cum ſat expreſſivum voluptatis carnalis, vel ſenſualis: nec ſine ratione: imò verò convenientiſſime: hic enim vitioſiſſimus ſenſualitis affectus ſedem ſuam in parte inferiore fixit. Illud ipſum, credo, coronatus Pſaltes diſtinctiſſime his verbis expoſuit: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* *Pſ. 48.*

Hunc ſenſum præmemorati Philoſophi, inquit Pierius, per fabulam Achyllis expoſuerunt, cum eum in quavis corporis ſui parte invulnerabilem finxerunt, exceptis pedibus, eo quod in aquis ſtygis hi loti non fuerant: idque contigiſſe, dum eum mater hac corporis parte tenuit, ne mergeretur. Nihilominus ab Hectore in hac eadem parte mirabiliter læſus, ex dolore & convulſione miſerè animam reddidit. Ex qua narratione fabuloſa ſenſum mythologicum deducunt, dicendo: Eſſe homines in omni vitæ ſuæ genere alioquin inclytos, in dubiis, & adverſis caſibus imperterritos, conſtantiſſimos in omni fortunæ ſiniſtræ aſſaltu, quos tamen vitium illud deplorabile humi ſternat, & vituperabiles faciat.

In hunc ſcopulum David impegit, & Samſon, & Amnon, & Salomon: totque inſuper alii in divinis literis memorati. Inter prophanos autem Henricus aliquis Angliæ Rex, & Reinaldus, & Hannibal, & & Demetrius, & Ariſtippus, & Alexander. Hoc vitio ſe proſtituiſſe leguntur & Principes, & Dictatores, Conſules, Cenſores, Pontifices, & Quæſtores. Hic vitioſus pes non regit, ſed dejicit hominem, offendendo ſimul cum capite & mentem. Idcirco in cœna ſacra lotio pedum inſtituta eſt, ſicut in obſervationibus ſacris latius patebit. Sic in partu patriarchæ Jacob, & Eſau dictum fuit: quod in utero materno invicem luctati ſint, uno tenente calcaneum alterius. Supra quod eruditè Philo commentatur: *Firmiſſimæ mentis*, inquit, *& optimi luctatoris opus eſt tenere calcaneum: nam id animum indicat, quod vitio dominetur. Calcaneum enim infirmæ, vitioſæq; naturæ indicium eſt.*

Conclusio rei cujusdam.

Quod item pes, ſicut diximus, poſtrema pars hominis eſt, pro Idea, vel Hieroglyphico Concluſionis in oratione, vel pro fine cujuscunque operis ſumebatur. Inde Proverbium exortum, (ſicut ſuo loco diffuſius elucidabitur) *pervenimus ad calcem.* Hic finis tamen, ſi abſque perfectione contingat, irritus eſt: unde illud alterum evulgatum eſt: *Finis habet rationem optimi.* Et S. Ambroſius: *In rebus non laudantur initia, ſed fines.* Id quod Peripateticus de Scholis ſuis nos docet: *Cujus finis*, inquit, *eſt melior, ipſum quoque eſt melius.* Et alibi: *Finis non ſolùm eſt ultimum rei, ſed & optimum.* Inter ſacros S. Auguſtinus: *Finis eſt ad quem cuncta referuntur, & reddit opus laudabile.* Itaque ad hunc finem quisque reſpiciat.

Topic. 3. Phyſic. 200. De morib. Manich.

Iniquitas, vel vitium.

Figura Gigantum nec chymerica, nec vana, nec præter rationem, nec fabuloſa eſt (quamvis ſic videri poſſit) quam veteres in ſculpturis, & picturis, cum pedibus ſerpentinis, & tibiis contortis expoſuerunt. Hac enim expreſſione monſtruoſe vitium, vel iniquitatem, tanquam deforme prodigium intellectum voluerunt. Erant autem iis membra inferiora enormiter relaxata, & exotice dilatata. Talis forma peccati eſt: quod per modum ſerpentis in ſpinas monſtruoſas, & in circulos ſuos horridos convolvitur, & à vero tramite (inquit Pierius) eos divertit, qui à calle virtutis aberrantes per inculta & horrida iniquitatis circumgyrantur: id quod Spiritus S. præmonet: *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis. Et quorum viæ perverſæ, & infames greſſus eorum.*

Prov. 1. v. 10. Prov. 2.

Pedes eorum animalium, quæ Prophetæ Ezechie-



li in viſione apparuerunt, pedes recti erant, & ritè compoſiti: ſed maleficorum pedes intorti, & claudi-

can-

Ex Pierio ut ſupra.

cantes ſunt. Ad hunc ſenſum S. Ambroſius alludit, dicendo. *Non rectè pedes dirigunt, qui poſtea quam ſemel in viam redière, ad ſcelera mox, & iniquitatem revertuntur.* Non ſecus ac porca immunda, in volutabrum ſuum & limum, quem deſeruerat, ſe rurſum immergendo. Juxta illud Lucretii.

Inſatiabiliter toti volvuntur ibidem.

Opinandum non eſt veterum ſculptorum inventionem ſolam fuiſſe, quod in ſtatuis exſculpendis plerumque pedem protendebant ſiniſtrum; quo fortaſſis demonſtrare volebant, ſicut in reliquis humanis actibus, ſic in hoc figurari hominem qui in procinctu ſit ad ambulandum: ſed cum alia ſignificatione potius ſic fieri ſapientes Iconologici, & Hieroglyphicorum inventores præcipiebant, indicando quod ſiniſter pes ſic protenſus manifeſtum aggreſſoris: vel invaſoris ſignum ſit. Hic enim motus à natura inditus eſt, ut ſi quis alterum invaſurus ſit, hunc ſiniſtrum pedem præmittat: hæc enim agilitatis commotio nervoſa, aditum majorem ad alterum obliquum & transverſum totius perſonæ motum præbet, quo motu adverſarium ſuum invadit, & aſſalit. In hac forma Martis ſtatua in pluribus numiſmatibus antiquis fuſa apparet: ſicut ſuo loco latius exponetur. Doctiſſimus Pierius item ejuſcemodi ſe vidiſſe memorat complura Romæ in palatio famoſo Sereniſſimi Archiducis Hetruriæ.

Invaſores.

Magiſtri artis, qua jaculari tela & miſſilia inſtruunt, id obſervandum ajunt, ad hunc actum cum majori robore exercendum, pedem ſiniſtrum prælocandum eſſe: ſed contrarium in digladiando fit: idque ut pes dexter tanto vicinior ſit dextræ manui ad feriendum, & ferrum vibrandum. Dexter item pes proſtans, retrogreſſionem indicat: Naturale enim eſt, ut qui retrogredi velit, prius pedem ſiniſtrum removeat. Sic illi, (inquit Pierius) qui fortunam in domum ſuam revertentem pingere voluerunt, in numiſmatibus ſuis hanc pedum poſitionem impreſſerunt. Itàque ſi de continuatione virtutis, & felicitatis quæſtio eſt, hanc actionem laudaverim. In Aggreſſoribus autem, & piratis, & graſſatoribus, & ſpoliatoribus, qui præter jus & fas inſiliunt, & produnt Innocentes, & viatores, actio omnino infamis eſt, & omni vituperio digna.

Scena prius mater virtutum poſthæc vitiorum fuit.

Scenæ Comœdorum, & Actorum, in primitiva inſtitutione ſua matres erant, & nutrices virtutum (idcirco enim Comœdia inventa fuit, ut Majorum defectus reprehenderentur, inquit Paccius, & Robortellus, & Caſabon, aliique) poſthæc degenerarunt, & fomentum præbuerunt ſceleribus, & incentivum laſciviæ; magiſterium dando ad omne genus actionum indignarum, & ad omnem proſtitutam lubricitatem. Unde non ſine cauſa factum, ut tanquam minus honeſti, hiſtriones, & comœdi, à viris prudentibus exploderentur & reprobarentur. Hæ ſcenæ, inquam, ſicut aditum aperuerunt ad proverbia quamplura, ſic per eaſdem Hieroglyphica multa inventa ſunt: inter quæ, pedem ſupra pedem collocare, ſignificatum erat deſidiæ, otii, aut verò etiam quietis: ſicut illud in villicis & agricolis videre licet, qui pedem ſuper baculum inclinant: id quod fieri ſolet, dum adventum alterius exſpectant: quæ actio in theatris non rarò repræſentatur.

Otium, deſidia, requies.

Ad demonſtrandam requiem in ſepulchro poſt exactum laborioſæ vitæ decurſum, quidam ſepulchrales lapides pedem ſupra pedem inſculptum repræſentant. Ariſtophanes Comicus volens Euripidem depingere, qui Tragœdiæ compoſitionem meditaretur, à ſervo interrogatus, num domi ſit: reſpondit: *Ipſe intus, pede ſupra pedem poſito, Tragœdiam meditatur.*

Scarlatini Hominis Symbolici Tom. I.

Et Plato Mercurium introducit de ſemetipſo ſic ratiocinantem: *Nunc eſuriens pede ſupra pedem poſito altum requieſco.* Tale otium, fateor, deſidia, & ſocordia peſſima dici poterit, vitium omni pacto evitandum: ſed ſi vacante corpore, animus in operatione interna vividus eſt, hoc otium omnino neceſſarium & utiliſſimum eſt, quippe quo animus in diſciplinis honeſtiſſimis exercetur, juxta Philoſophicum axioma: *Animus ſedendo fit ſapientior.* Et M. Tullius: *Plus nimis ſapio ſedens.*

Excuſatio peccati.

Porro ratiocinatio de pede debita fieri nequit, quin & mentio de calcaneo fiat: qui binas obſervationes Hieroglyphicas admittit. Cum enim pars poſtrema ſit, & quaſi in poſterioribus pedis, excuſationem illam figurat, qua quis mendaciter errores & vitia ſua defendere, & palliare nititur. Præpoſtera, frivola, & falſa agendi ratio. Sic divina ſapientia in prima mundi conſtitutione ad ſerpentem ajebat, mulieri ſtructurum eſſe inſidias, ſed malo ſuo id eum facturum: *Tu inſidiaberis calcaneo ejus, & ipſa conteret caput tuum.* Per hunc calcaneum debilitas mentis intelligenda eſt, quæ facili ſeductioni & fraudibus patet. Hinc Philo Hebræus inquit: *Calcaneum ea pars animi eſt, quæ terrenæ adhæret naturæ, in ſenſum, & voluptates prona, & labilis.* Unde factum, quod Redemptor diſcipulorum ſuorum lavare pedes voluit, per hoc Mundo inſinuans, jam omnem reatum, & culpam, & ſententiam mortis ablutam, & deterſam eſſe. Apoſtolis itidem poteſtas data ad fugandos de habitationibus & locis ſerpentes: *In nomine meo ſerpentes tollent.* Magna perfectorum prærogativa.

Gen. 2. Ex Pierio.

Terminus rerum.

Denique calcaneus pro termino, ſeu fine actionis ſumitur, vel quod ipſe quoque terminus pedis eſt: ſicut pes terminus eſt hominis: aut vero quia ſaltatores, ultimam veſtigii partem ſignant, ubi calcaneus terminatus eſt. Ad hunc ſenſum reſpexit Pſalmiſta: dum ait: *Ipſi calcaneum meum obſervabunt*, hoc eſt finem, & terminum cujusque actionis. Hic finis, prout ſupra monuimus, diligentiſſime obſervandus: cum ab ipſo potiſſimum dependeat, quidquid agitur. Sic Hugo de S. Victore, magnus ille Commentator inquit: *Exitus manifeſtat, quod à principio celabatur; & quæ dubia ſunt in origine, probantur in fine.* Et Quintilianus: *Quoties exitus rei ſatis oſtendit principia, debemus eſſe contenti, quia reliqua intelliguntur.* Hiſce tandem, ad ea me refero, quæ jam ſuperius memorata ſunt, & præſenti capitulo finem impono, transeundo ad materiam non minus ſuccoſam, quàm prolixam, nimirum ad

De meditat. lib. 4.

MORALIA ET MYSTICA.

LEctio nulla eſt (meo quidem arbitratu) quæ tam neceſſaria ſit, tantæ utilitatis, tamque ſalutaris, ac illa Codicum Sacrorum, eorundemque expoſitio: ubi manifeſtè fontium illorum ſcaturigo eſt, ex quibus gratiarum divinarum latices hauriri poſſunt. Hæ ſacræ expoſitiones gemmæ dici poſſunt, ditiſſimæ, & copioſiſſimæ, quarum pretio & ſumptu per compendium regna cælorum comparari poſſunt. Cum enim illic apex non ſit, inquit S. Auguſtinus, qui myſterio careat, quicunque non omnino ſine ſenſu, & judicio eſt, ſcripturam illam venerabitur, & appetet. Hic divinus ille Pſaltes reiterare poterit, ob tam varias tot ſacrorum, doctiſſimorumque interpretum, tam variarum ſignificationum,

Scriptura Sacra cælum ſicut pellis extentum, variis modis.

&

& myſteriorum expoſitiones: *Extendens cælum ſicut pellem.* Quis enim neſciat in quot modos pellis plicari poſſit? Sed nunquam deſinit cælum eſſe, auratis maculis interpunctum, ſemper ſtellatum. Itaque quid in hac parte Sancti Patres & Doctores, in moralibus, & myſticis doceant, videre libeat, idque lectione ſat prolixa.

[31. Fort. Spir. 1.] Eucherius inprimis in illo Deuteronomii: *Qui appropinquavit pedibus ejus:* præſentiam materialem [Contra Julianum.] ejus perſonæ intelligit, de qua mentio fit. S. Cyrillus opportune admodum ad defectus humanos hoc applicat, deducendo à Pſalmiſtæ verbis: *Comprehenſus* [De eſſentia divina.] *eſt pes eorum.* S. Auguſtinus pro imperio ſumendum putat, aut pro dominio, reſpiciendo ad id, quod Heroina Judith de Aſſiriis militibus prædixit: *Do-* [Jud cap. 14.] *minus conteret eos ſub pedibus veſtris.* Vult Origenes, [Orig. hom. 1. in Geneſim.] pedes Dei, de quibus plurima mentio eſt in Pſalmis, [Pſal. 17. 98.] libro Paralipomenon, & Iſaia, & alibi, ſignificare [1. Paral. 28.] poſſe naturam divinam, firmitatem, & ſtabilitatem [Iſa. 66.] æternitatis ejus: ſub quibus caligo eſſe dicitur: *Et caligo ſub pedibus ejus:* verba ſunt Pſalmiſtæ. Figura- [In Ep. & factum eſt.] tur item, ſicut S. Hieronymus commentatur, per pedes fortitudo illa, qua Altiſſimus hæc ſublunaria di- [Serm. 5. de verbis Iſaiæ.] rigit, & gubernat. S. Bernardus in his profunditatem judiciorum Domini intelligit, & abyſſum in- [In Geneſ. 28.] ſcrutabilem myſteriorum cæleſtium. Beda in iiſdem ſtabilimentum virtutum divinarum, & præceptorum, ultimamque partem providentiæ ejus: ſicut item ultimas Orbis terrarum regiones. De his ex- [18. 19. 14.] preſſiones figuratæ occurrunt in Geneſi, Exodo, in [1. Reg. 22.] ſecundo libro Regum, & in Iſaia. Non minus hu- [Iſa. 6.] manitatem quoque Redemptoris noſtri per pedes [De eſſent. divina.] ſignificari, inquit S. Auguſtinus: quæ item in pedibus Agni, quos Evangeliſta Joannes ſe in Apocalypſi ſua vidiſſe inquit, figuratur. De his mentio fit in [12. 24. 6. 14.] Exodo per plura capita, in Iſaia, & Zacharia. Con- [Lib. 1. c. 7.] cordant Sancti Damaſcenus, & Bernardus, quod ubi [De verb. Iſ. 4.] in Levitico, & S. Luca pedum recordatio eſt, illic ſa- [Levit. 8.] [Luc. 7.] crum Incarnationis divinæ myſterium indicari. Idem [In Exod. 12.] ſentiunt Beda, & Origenes, loquendo de pedibus [In Iſa. hom. 1.] Arietis, quem immolari ſcriptura, in præfato Levitici loco præcipit.

[Apocal. 1.] Supra viſionem illam magnam, quam S. Evangeliſta Joannes ſe vidiſſe ait, figuram inquam hominis, de quo inter cæteras prærogativas dicitur: *pedes ejus* [In Pſal. 67.] *ſimiles aurichalco,* Arnoldus commentatur, ſicut & [83. hom. 2.] S. Auguſtinus, & Gregorius: *Quia ſicut aurichal-* [21. & 23.] *cum multis ignium impendiis ex ære perducitur ad colorem auri, ita & illa humanitas per multas tribulationes, paſſiones, & mortes perducta eſt, ad gloriam divinitatis.*

[Euch. fort. ſpir. 1.] Eucherius, & S. Bernardus inquiunt, pedes Salvatoris, quas lacrymis ſuis Maria Magdalena, lavit, [S. Bern. Serm. de Mar. Mag.] deterſit, & oſculata eſt, indicare poſſe divinam cle- [Luc. 7.] mentiam, in commiſerando, & abſolvendis peccatis noſtris: ſicut item perfectionem judiciorum divino- [Orig. in Gen.] rum. Origenes inquit per pedes illos, de quibus Re- [hom. 178.] gius Propheta: *Ad dirigendos pedes noſtros in viam* [In Matt. c. 15.] *pacis:* ſicut alibi per pedes Salvatoris inſinuari pau- [Deut. 33.] peres, & infirmos in Eccleſia. Præter ſcripturam [Pſ. 37. 67. 131.] jam citatam alii loci ſunt in Deuteronomio, Pſalmis, [Iſa. 52.] [Matt. 15.] Iſaia, Matthæo, Luca, & S. Joanne. Per pedes item [Luc. 7.] Chriſti, qui ungvento odorifero inunguntur, S. Am- [Ioan. 12.] broſius, Apoſtolos intelligit, delibutos Prophetiis, [S. Amb. De Tobia.] & Sacræ unctionis Spiritus Sancti participes. Ejuſ- [Hieronym.] dem ſententiæ Solitarius noſter Hieronymus eſt.

[In Iſa. cap. 52.] S. Auguſtinus ſupra illud ſcripturæ; *Adorabimus* [S. Aug.] *in loco, ubi ſteterunt pedes ejus:* ſic commentatur; [Serm. 53.] *Hoc eſt: quò pedes ejus, Apoſtoli, pervenerunt, per quos prædicatio devenit ad fines terræ.* Hi pedes *butyro lavantur* (ſicut in libro Job habetur) per quod cæleſtem doctrinam in Apoſtolis idem Auctor intelli- [S. Aug. quæ. 68. Et de eſſent. divina.] git. Supra viſionem illam, Angeli quam in Apocalypſi S. Joannes habuit, de quo dicitur: *pedes ejus* [Apocal. c. 10.] *columnæ ignis.* S. Gregorius Apoſtolos intelligit, [10. Moral. 11. 12.] ſicut & Prædicatores, qui fortes in doctrina, hunc ignem per univerſum terrarum orbem dilatant. Hic idem Sanctus actum illum præfatæ Mariæ Magda- [Hom. 31.] lenæ non intactum reliquit, quo pedes Salvatoris inunxiſſe legitur, dicendo: per odorem hunc doctrinam Chriſti intelligi, quæ cum inſigni gloria per orbem terrarum diffuſa eſt, adimplens ſcripturam: *In omnem terram exivit ſonus eorum.* [2. Pedia. 8.]

Ut autem ad ignitos pedes revertamur, de quibus ſupra, Sancti Clemens Alexandrinus, & Hieronymus affirmant, Eccleſiam ultimis temporibus ſuis purgandam eſſe, & tribulationibus multis luſtrandam, tanquam per ignem. Supra ſcripturas libri Job, [28. 30. 14.] Pſalmorum, & Prophetæ Zachariæ, ubi commemo- [Hom. 14.] ratio pedum fit, S. Auguſtinus, & Rupertus Abbas [In Zachar. 13.] inquiunt, hic pedes Chriſti intelligendos, qui à Judaiſmo ſubverſi, & ſupplantati ſunt: hos autem pedes Apoſtolos, & prædicatores eſſe, qui pedes Redemptoris portant, juxta Prophetiam illam à Beato Apoſtolo Paulo citatam: *Quàm ſpecioſi ſunt pedes* [Ad Rom. 10.] *Evangelizantium pacem, evangelizantium bona?* Pedes item *butyro loti*, ſicut ſupra de Job Propheta [10. Moral. 11. 20.] expoſuimus, juxta S. Gregorium, & Gloſſam, & Ec- [Interlinearis.] cleſiam ſanctam, pingvedinem bonorum operum effuſam figurant. Eadem Gloſſa ſupra Threnos: *Sor-* [Thren. 1. ibi.] *des ejus, nec recordata eſt finis ſui:* aſſerit hic figurari Prædicatores, & Doctores, cum vitiis, & paſſionibus malis ſordidati ſunt. Idem dicendum de Satrapis, & Synagogæ Doctoribus: hi enim verè dici poterant ejuſdem Synagogæ pedes.

In eodem loco libri Job de pedibus claudis com- [Cap. 29.] memoratio fit: ubi Origenes de iis Pſeudodocto- [In Matt. hom. 5.] ribus, imo ſeductoribus typum eſſe docet, qui fraudulentia ſua, & corruptis doctrinis, alios deſtruunt, & claudicare faciunt incautos. S. Gregorius ſupra [3. Moral. 14.] locos Matthæi, & Iſaiæ aliter commentatur, docen- [Matt. 18.] do, quod ſicut pedes in infima hominis parte collo- [Iſaia. 60.] cati ſunt, ſic per pedes in Eccleſia, minimos ejuſdem, & homines infimos intelligi poſſe. Idem Gregorius [20. Moral. 21.] ſentit, in textu illo Job: *A planita pedis, usque ad* [Iob. cap. 2.] *verticem Sathan percuſſit Job ulcere peſſimo:* concipi poſſe, & conſiderari perſecutiones illas immenſas, quibus Eccleſia per longiſſimum tempus infeſtata fuit: idque adeo, ut à promiſcua plebe tanquam pede, ad verticem Chriſtum hæc ſævities aſcenderit.

Volatum ſuum egregie, vel potius curſum ſuum (dum de pedibus ſermo eſt) ad cæleſtes usque Hie- [Cæleſt. Hierar. 15.] rarchias dirigit S. Dionyſius, aſſerendo, quod in libro [Exod. cap. 4.] Exodi pedes Angelorum agilitatem, & promptitudinem figurent, propter quod alati quoque exprimuntur hi miniſtri, & igniti in exequendis divinis impe- [S. Baſil. in Exod. Orig. in Matt. hom. 5.] riis. S. Baſilius, & Origenes, ſupra locos Geneſeos, Exodi, Regum, Pſalmorum: ſupra plures locos Proverbiorum, Cantici, Iſaiæ, Jeremiæ, S. Lucæ, & Mat- [Gen. 41. 47.] thæi commentantur, per pedes animæ potentias, in- [Exod. 3. 21. 30. 40.] tellectum, & voluntatem intelligi, & hanc præſer- [1. Reg. 2.] tim cum affectibus ſuis. S. Ambroſius devotiſſimam [Pſal. 9. 17. 25. 37. 38.] illam Redemptoris noſtri actionem præterire non vult, qua Diſcipulorum ſuorum pedes lavit: etiam [Prov. 3. Cant. 5. Iſa. 20.] actum illum materialem extollens, nobis quoque imitabilem: ait autem: *Pedes lavare eſt à voluntate* [Ierem. 14.] *terrenos affectus amovere, & ad cæleſtia avolare.* Ad- [Luc. 9. Matt. 4.] jungit Heſychius: *Eſt etiam actiones mundare, quæ* [In Pſal. 37.] *ita pedes dicuntur, ut præſens ſeculum viam appellare* [De Virg. & prol. de Spir. Sancto.] *Prophetæ conſveverunt.* Per illud Lazari, quo S. Evan-

S. Evangeliſta Matthæus de illo inquit, quod ad vo- [Ioan. c. 11.] cem Redemptoris: *Lazare veni foras, ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitit:* S. Hieronymus potentias impeditas intelligit. [Matt. c. 14.] Turbæ illæ, quæ teſtificante S. Matthæo, Salvatorem [4. Moral. 40.] noſtrum pedeſtres ſecutæ ſunt, S. Gregorio occaſionem dicendi præbent, illic eos intelligendos, qui corde & animo, & tota virtute ſua Redemptorem [Ezech. 29.] ſuum ſequuntur. In Ezechiele, & in Job Prophetia [Iob. 18.] quædam involuta eſt, ſcilicet quod pes hominis, aut jumenti non tranſeat per Ægyptum, ubi S. Gregorius ſupra memoratus exponit id quod ante dubioſum videbatur, dicendo, hic affectus intelligendos, quos non oporteat tangere Ægyptum corruptelæ & vitiorum.

[In Pſ. 33. 34. 24. & 39.] S. Auguſtinus rurſum ſupra pedes animæ, de quibus in Pſalmis dicitur, vult (ſic annotante gloſſa ordinaria) his pedibus animæ binam charitatem ſignificari, hoc eſt Dei, & Proximi. Eadem gloſſa ſupra id reflectens, quod de Virgine Deipara dicitur: *Et Luna ſub pedibus ejus*, ait, hic omnem terrenum affectum generoſiſſimis Mariæ pedibus proſtratum figurari. Supra id quod in libro Exodi de viſione illa dicitur, qua Moyſes rubum vidit ardentem, & incombuſtum, ubi tonitru auditum fuit, & vox eum admonens, ut ſiquidem accederet, *ſolveret calcea-* [In Exod. hom. 12.] *menta de pedibus ſuis:* Origenes commentatur, hic ultima Synagogæ tempora ſignari, cum à lege abſoluta fuit, ad recipiendam legem Chriſti. S. Hiero- [Iſa. c. 32.] nymus pedes illos bovis & aſini, in Iſaia memoratos [Contra Iul. 5.] ſignificare, inquit, homines ſimplices, & Idiotas. Vult S. Cyrillus pedes quandoque pro operibus ſumi, & ipſo operandi principio. Hinc pedes veſtiti, & calceati, opera ſunt bona (inquit) cum omnibus adhærentiis & circumſtantiis eorundem. Hi pedes [11. Moral. 25.] juxta Heſychium, & S. Gregorium à nuditate prohibendi ſunt, ut videlicet opera noſtra & rectitudinem & firmitatem habeant, de quo non obſcuri ſenſus in [31. Moral. 1.] Jeremia ſunt. Idem S. Gregorius alibi aſſerit, pedes [Paſtoral.] Sponſæ in Cantico, de quibus dicitur: *Quam pul-* [Cant. 7.] *chri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* indicare opera bona: ejuſdem interpretationis eſſe pedes Aaronis & filiorum ejus, idem Author ait, prout liber Levitici meminit. Pedes recti, obſervati ab Ezechiele Propheta in animalibus à ſe viſis, [Idem in Ezech. hom. 5.] opera perfecta ſignificant (juxta eundem Gregorium) quæ extorta non ſint, nec ulla ratione conſtricta, aut obliqua.

[Levit. 4. In hunc locum.] Supra cæremoniam illam, memoratam in Levitico, ubi præcipitur oblatio pedum Vituli, Gloſſa ordinaria declarat, in operationibus bonis ad extremum usque vitæ noſtræ perdurandum eſſe. Ubi [Thren. 1.] rurſum in Threnis Jeremiæ dicitur: *Sordes ejus in* [In Ps. 25.] *pedibus ejus, nec recordata eſt finis ſui:* S. Joannes [In Levit. hom. 8.] Chryſoſtomus, & Origenes inquiunt, intelligendum hoc de actionibus ſiniſtris, vitioſis, & immundis; Et præfatus Origenes de dicto illo Pſalmiſtæ: *Pes meus ſtetit in directo:* ſic habet: *Pes ſtans in directo, eſt fides rectè incedens inter proſpera & adverſa.*

[Levit. 8.] In Levitico præceptum erat, ut pes Pontificis [3. De Vita Moyſis.] dexter unctus & delibutus eſſet: ſignificari hoc inquit Philo Hebræus, directionem operationum in bono, & curſum vitæ noſtræ purgatum, & rectum eſſe oportere. S. Hieronymus inobſervatam non reliquit viſionem illam Ezechielis, ubi in plantis rectis animalium, quæ viderat, acceſſum velocem intelligit de terrenis rebus ad cæleſtia.

[In 1. Reg. 2.] Pedes Sanctorum, quorum mentio crebra fit in variis ſcripturæ locis, juxta S. Gregorium, fortitudinem, & humilitatem deſignant, per hanc in adverſis, ſalvamur, per illam in proſperis allevamur & ſuſtinemur. Poteſt per hos item ſignificari Fides, & Amor (ſic S. Bernardus exponit) ſicut & meditatio, & ora- [Serm. 1. de SS. Angelis] tio: de quibus in primo Regum dicitur: *Pedes ſan-* [1. Reg. c. 2.] *ctorum ſuorum ſervabit.* Meditatio docet, quid nobis deſit, oratio hoc ipſum obtinet.

Per ſangvinem victimæ, quo leproſi pes dexter aſpergendus erat, ſicut Lex Levitica imperat, ulti- [Levit. 13.] mum legis præceptum intelligi poterit. In Angelis illis, quos ad pedem ſepulchri Dominici S. Joannes [Ioan. c. 20.] memorat apparuiſſe S. Mariæ Magdalenæ, Origenes [In loc. cit.] ait vitam deſignari activam, quæ in operando conſiſtit, ſicut in ambulando. Pedes illi, de quibus mentionem habet Epiſtola ad Romanos, & Pſalmi, juxta [Epiſt. ad Rom. cap. 10.] commentationem Origenis, conſilium figurant, in [Pſal. 3. & 23.] quo per vitæ noſtræ decurſum incedimus. Tranſ- [In diverſ. hom.] vadatio fluminis, quæ pede fit, ſicut Pſalmiſta inquit: *In flumine pertranſibunt pede:* juxta Gloſſam ordi- [Pſal. 65.] nariam, virtutem humilitatis indicat, qua torrentem [In hunc loc.] tribulationum tranſimus; de qua rurſum idem Coronatus Propheta inquit: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ, usque ad animam meam.*

Gloſſa ordinaria, & Richardus de S. Victore conſiderationes ſuas formant ſupra pedes ſtatuæ, quam Nabuchodonoſor in ſomnio vidit, ſicut Daniel Pro- [Rich. de Somn. Nabuch. 25.] pheta refert: & his pedibus poſtremum vitæ terminum, aut neceſſitatem, ſignificari inquiunt. Pedem autem partim ferreum partim teſtaceum, monſtratum & deſcriptum fuiſſe in figura *mentis*, quæ in odio induratur apud eos, qui deſideriis ſuis captivati, tandem cum eorum cupiditas adimpleta fuerit, in eandem omnino diſſolvuntur. Pedes victimæ, quos lavari lex Levitica præcipit, ſecundum Philonem, [Leviti. c. 1.] ſuſtentacula voluptatis mundanda eſſe, aut fomenta [2. Allegor.] ſenſuum inhibenda denotant.

Venerabilis Beda in menſa illa ordinata in libro [Exod. c. 25.] Exodi, & in quatuor ejuſdem pedibus, quibus ſu- [Beda in loc. cit.] ſtentabatur, quaternos Sacræ Scripturæ ſenſus intel- [De ſomn. Nabuc.] ligit. Richardus de S. Victore conſiderans verſiculum illum Pſalmi 130. *Pedes habent, & non ambulabunt*, præclariſſimis verbis ſic ait: *Pedes habet, & non ambulat, qui novit profectuum ſcientiam, & novit quomodo ad anteriora ſe extendere oporteat, nec tamen ad profectum tendere curat.* Varietas ſignificationum, qua pedes in ſcripturis hinc & inde nominantur, maturam cognitionem nobis ſuggerunt (inquit Heſychius) variarum doctrinarum, & ſcientia- [In Levit. 11.] rum, quibus ſe complures ſperant, poſthabita doctrina Evangelica, ſalutem ſuam conſecuturos: diverſitatem item ſpei, his pedibus ait figurari. Quatuor etiam pedes volucrium, aliorumque animalium immundorum, quorum mentio in Levitico fit, ſignificant Evangeliorum quatuor abuſum, ſicut Gloſſa [In Levit. 11.] ordinaria devotiſſimè exponit.

Richardus de S. Victore aſſerit, pedem Sacerdotis inveſtigationem profundorum Dei myſteriorum denotare. Mittere pedem in Jordanis aquas, prout liber Joſue narrat, juxta mentem Bedæ, eſt profunda [Ioſue. cap. 3.] rerum, & occulta inveſtigare. In libro Exodi de [De exterminatione mali. 13.] veſte Sacerdotali diſſeritur, ubi Chroniſta ſacer ejuſdem veſtimenti extremitates indicando, hac phraſi utitur: *Pedes tunicæ Sacerdotis*, per quod Beda mor- [In Exod. 28.] talitatem Chriſti nos doceri, inquit: hoc eſt cum ſe mortalitati voluntariè ſubjecit. In extremitatibus veſtis hujus tintinnabula quædam, vel campanulæ erant, in ſimilitudinem pomorum granatorum: hæc tintinnabula tum ſonuerunt, cum Redemptor noſter (ſic Rupertus Abbas inquit) in fine vitæ ſuæ plus quàm unquam alias pretioſiſſimam amoris ſui purpuram erga electos ſuos expandit, ſicut S. Evangeliſta

Joannes

Joannes docuit: *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.*

Jam ſupra citatus Beda, in columbæ illius, quæ de Arca Noë emiſſa fuit, pede, non inveniente ubi requieſſeret, acutiſſimum & elegantiſſimum ſenſum eruit, dum ait: *Senſus ſanctorum ſignificat, qui non requieſcunt in terra.* Paulo ſupra memoratus Richardus Victorinus ſupra textum Iſaiæ, ubi hominis illius calamitoſi ſtatus deſcribitur: *A planta pedis, usque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas:* in his verbis deſiderium carnale intelligit. Quod ſicut pes in ima hominis parte eſt, & finis ejusdem, ſic ſenſualis appetitus rebus inferioribus, & ſenſualibus adhæret, nec ultra pruritum animalem & brutalem elevatur. Patriarcha Jacob ſæpius claudicare viſus eſt, ſicut nos hiſtoria ſacra docet. Hæc claudicatio autem ſicut S. Ambroſius inquit, amorem ſæculi, & infidelitatem, præſertim in Judaiſmo indicat. Pes rectus contrarium inſinuat, ſicut S. Chryſoſtomus commentatur: Amorem ſcilicet Dei, & rectitudinem fidei.

De ſtatu interioris hominis.
Iſa. cap. 1.
Gen. cap. 32.
De Iacob. 7.
In Ps. 93.

Origenes optime ponderat Prophetæ Balaam factum, qui à jumento ſuo compreſſus, illud claudicare fecit (ſicut liber Numerorum recenſet) quod ad infidelitatem Scribarum, & Phariſæorum applicat. S. Ambroſius ſupra verſiculum Pſalmi ſexageſimi ſeptimi: *Ut intingatur pes tuus in ſangvine:* concludit, hic carnem ejusdemque maculas intelligi, quam oporteat in paſſione Chriſti, intingi, & colorari. Supra illum item Scripturæ verſum: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ:* infert S. Auguſtinus, hic peccatum arrogantiæ intelligendum, eam nimirum pede omnipotentiæ divinæ conculcari, juxta Prophetiam Iſaiæ: *pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ Ephraim.* Supra quod citatus Auguſtinus inquit, hunc pedem contemptibile, & vile quippiam figurare: rem, inquam, talem quæ conculcatione pedum digna ſit.

Num. c. 22.
In Luc. 7.
Ps. 35.
De Muſic. 16.
Iſa. c. 48.

Refert Ezechiel, & Propheta Regius de Pharaone, quod aquam turbulentam fecerit, commovendo eam pedibus ſuis: Per hoc S. Hieronymus ait deſignari ſuperbiam & contumaciam hæreticorum, qui turbidam divinarum doctrinarum ſatagunt aquam reddere, alioqin limpidam, & cryſtallinam. Velocitas item pedis, cujus meminit Propheta Amos, acumen ingenii eſt, quo hæretici per divinarum literarum teſtimonia diſcurrunt, & evagantur. Sententia S. Auguſtini eſt. Figurat item (ſic Rupertus Abbas ait) eloquentiam, Oratorum, & Dialecticorum ſophiſmata, quibus veritatem quærunt opprimere. Sunt hi (inquit idem Auctor) urſi, ob malitiam, & fatuitatem, ſicut in Apocalypſi habetur. Per hos pedes Urſorum S. Gregorius miniſtros Regni Perſarum, & Ammonitarum intelligit, quando ſe ad Judæorum ſangvinem effundendum ſollicitabant.

Ezech. c. 32.
In Amos. 2.
In Apoc. hom 10.
Cap. 13.
11. Moral. 25.

Supra illud Job: *Poſuiſti in nervo pedem meum, & omnes ſemitas meas conſideraſti:* S. Gregorius inquit: *Pes hominis ponitur in nervo, quando pravitatem illius Deus forti diſtrictionis ſuæ ſententia ligavit.* De dicto illo ſapientiæ Evangelicæ: *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te:* Sancti Hieronymus & Bernardus inquiunt, per pedem hunc ſcandalizantem, indicari poſſe filios, aut inferiores, quorum affectus ſiquidem Deo præpoſitus fuerit, poſſeſſionem nobis cæleſtis patriæ interdicit, unde reſcindendus & reprobandus eſt. Poſſe hic item puſillanimitatem, & negligentiam intelligi, inquit Beda, quæ obſtaculo nobis eſt, ne de bono in melius feramur, & de virtute in virtutem, juxta præceptum Spiritus Sancti in Proverbiis: *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando ſatiatus oderit te.* Concludit venerabilis Beda: *Pedi laſſo comparatur, qui ſperat in homine in die anguſtiæ.* Cum his ego anguſtiis præſens caput finio, admonendo te, mi Lector, ut ſiquidem his delectaris, & fuſiora deſideras, ſupereſſe copiam expoſitionum aliarum in Authoribus, qui ex profeſſione propria hanc materiem tractando quotidie de his nova volumina in lucem edunt. Tranſeamus ad

Cap. 13.
Matt. c. 18.
In loc. cit.
S. Bern. Serm. de Angelis.
Cap. 25.
In loc. cit.

PROVERBIA.

HOc capitulum breve non erit: nec enim parva ſuper his antiqui obſervarunt: nec absque ratione magna: de baſi enim, & fundamento totius ſimu'acri humani tractatur. Unde cum in ſuperioribus jam abunde ratiocinatus ſim de origine, progreſſu, neceſſitate, decore, & æſtimatione pedum, hic oportunum mihi videtur quantocyus ad proverbia ipſa deſcendere. Ubi ſe inprimis mihi illud offert: *Dii laneos habent pedes.* Intelligitur hic divina clementia, tarda in caſtigando, & vindicando culpas, & malefacta. Sed quanto magis procraſtinat, & retardat ultionem, tanto ſeverior deinceps, & inexorabilis eſt. Dum verificatur quod Jacobus Apoſtolus inquit: *Superexaltat miſericordia judicium.* Macrobius hoc proverbium refert ad Saturnum, de quo etiam materialiter dicitur, quod tanquam Planeta glacialis tardi motus ſit: in cujus rei teſtimonium Apollodorum adducit, qui hanc fabulam recenſet: Saturnum totius anni tempore vinculo laneo ligatum, in fine tandem anni diſſolvi, idque menſe Decembri, quod tempus ei feſtivum ſit. Rurſum hoc proverbio inſinuatur: partum jam in utero matris conceptum menſe decimo motum, & incrementum debitum adipiſci: qui antequam egreſſus fuerit, molli membrana in utero matris continetur.

Clementia divina tarda quidem in caſtigando, ſed ſevera in fine.
Iacob. 2. v. 13.
Saturnal. 6.
Saturnus ligatus per annum, ſolo menſe Decembri ſolutus:
Partus menſe decimo incrementa ſua maturat.

Lucianus aliter ſentit: opinatur enim non abs re, per hæc cælum primum intelligi, hac proportionata ſimilitudine ductus, quod cum Saturnus planetarum primus ſit, tanquam magis remotus à nobis, tardius moveatur, & non niſi parca in hemiſphærium noſtrum influat: idem de cælo illo primo dicendum. Propius ad rem Plutarchus accedit, qui conſvetudinem Veterum Idololatrarum fuiſſe Author eſt, quod cum divinam imploraturi eſſent clementiam: & verè caſtigationem ſupernam vererentur, continuo ſe ad Idola ſua conferebant, ligando eis plantas. Hunc ſenſum tangit Horatius, ubi ait:

Carm. 3. Ode 2.

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſervit pede pœna claudo.

Materia ad tractandum utiliſſima, & vaſtiſſima, niſi me varietas aliarum, & præſertim abundantia proverbiorum aliorſum avocaret.

Priſcis temporibus cum quempiam de periculo evitando, admonere vellent, in uſu poſitum habebant his verbis uti: *Procul à pedibus equinis:* nil enim, arbitror, tam inter ea, quæ quotidiana ſunt, cautione indiget, tamque periculoſum eſt, quam equorum recalcitratio. Frequentiſſimi caſus, quibus funera inopina in ludis equeſtribus, & curulibus, aliisque hujuscemodi contigerunt, ſat cauſæ ad memoratum proverbium ſuggeſſerunt. Temeritatis eſt, inquit Spiritus Sanctus periculis ſe ultro offerre: *Qui amat periculum in illo peribit.* Summæ prudentiæ eſt elevare oculos cum primum gladius micare cœperit: *Quidquid tutum eſt, id ſolum laudatur: quod verò cum periculo fit, id etiam cum admiratione proſequitur:* inquit Plutarchus.

Pericula fugienda.
Eccl. 3.
De educan. Cebin.

Homo pauper, & calamitoſus, cui, quamvis terra univerſa patria dici poſſit, non habens nihilominus ſedem fixam, & ſecuram, ubi commorari, & degere poſſit, hoc ſequenti proverbio, ſat proprio, & efficaci declaratur: *Pedem ubi ponat non habet.* Hæc hyperbole proverbialis eſt, inquit Manutius, admodum frequens Marco Tullio, præſertim illic ubi filii Ariobarzanis fit mentio, qui gloriari non verebatur, ſe ab Cæſare Regnum comparaturum eſſe: cui Cicero ſic inſultat: *Quomodo nunc ibi eſt? ſi pedem in ſuo non habet, ubi ponat?* Sic in Philippis ait: *Quid eras in terris, ubi in tuo pedem poneres?* Rurſum ad Attiaum: *pedem in Italia nullum eſſe, ubi non in iſtius ſit poteſtate.* Item de finibus: *Quid enim ſapientia? Pedem ubi poneret non habebat.* Dura enimverò conditio, & inter deploranda maxime calamitoſa: quippe cui ingens miſeriarum faſciculus adhæret: Juxta illud Sapientiæ: *Venit tanquam vir armatus egeſtas.* Sed faxit Deus, ut quisque ab inimici hujus invaſione præſervetur.

Nec locum nec focum poſſidere.

Porro cum curſus pedem concernat, operæ pretium erit & de hoc nonnulla adducere. Itaque priſci, dum hominem figurare vellent, in negocio quodam profundè abſorptum, quod videlicet & magni momenti ſit, & celeritate indigeat, hoc adagium uſurpabant: *Duobus pedibus currere,* alii legunt, *fugere.* Huic ſententiæ vigorem addit Ariſtides, gravis Philoſophus, & homo opulentus, qui ſic ait: *Atqui primum illud ipſum, quod quibuscunque opus eſſet auxilio, ad hanc confugerent Civitatem: planè tanquam duobus pedibus, neque ad ullam aliam reliquarum Civitatum fugerent.* Adagium item de navibus aſſumptum eſt, quæ plenis velis procurrunt, & ſicut Itali ajunt: *à voga arancata:* Et ſicut expoſitum fuit: *Duobus clavis.* Hæc celeritas in iis negociis, quæ dilationem non patiuntur, plurimæ utilitatis eſt: quandoque autem hæc maturatio, dum circumſpectione debita caret, ſummo nocumento eſt. Ego verò inter utramque vitioſam extremitatem hanc inſcriptionem collocarim: *maturandum,* quam Alciatus invenit, exhibens in Symbolo papilionem inſidentem cancro.

In Orat. Panat.

Tuo te pede metire: Hæc parœmia non obſcura eſt: docens quemque finibus ſuis ſe tenere, nec eos transgredi ullatenus præſumere. Eſt autem antiquum illud: *Noſce teipſum.* Sic obſervatum fuit Athenis nullum domicilium fuiſſe, quod inſcriptionem iſtam non haberet inſculptam; quæ propemodum eadem eſt cum ſequenti illa: *Intra tuam pelliculam te contine. In tuum ipſius ſinum inſpice.* De priori inquiebat Horatius:

Cuique in ſtatu ſuo permanendum eſſe.

Metiri ſe quemque ſuo modulo, ac pede verum eſt.

Hunc ſenſum Lucianus ad vivum expreſſit, dicendo: *Verum dijudices, dimetiarisque propria utrumque menſura.* Et Pindarus in latinum translatus ſic habet: *Oportet juxta ſuam quemque conditionem uniuscujusque rei ſpectare modum.* Proverbium hoc ab iis deductum eſt, qui materialiter de pede perſonam menſurant. Et Martialis ait:

Qui ſua metitur pondera, ferre poteſt.

Idem apud Italos vulgo dicitur: *far il paſſo, conforme alla gamba.* Lumen eſſe dixerim, quo conducente non impingemus, ſed ſecuri progrediemur.

Homo ſceleratus, qui faſciculum omnium iniquitatum colligit, in ſexcenta vitia diſſolutus, hoc proverbio olim ſignabatur: *Bipedum nequiſſimus:* hoc eſt, qui ſceleribus ſuis non ſolum homines, ſed & omnium quadrupedum feritatem exuperat: inter quæ urſi ſunt, & tygres, & lupi, & leones: qui infenſiſſimi, & crudeliſſimi ſunt. Hoc ipſum Plinius vivaciori colore Rhetorices de Regulo quodam expreſſit, qui ſine regula, & humanis legibus contemptis gradiebatur. Sic Marcus Tullius de Clodio ajebat: *Hoc tu proſcriptore, hoc conſiliario, hoc miniſtro omnium non bipedum, ſed etiam quadrupedum impuriſſimo Rempublicam perdidiſti.* Sic Alexander Imperator: *Nuper certe Patres meminiſtis cum ille omnium non ſolum bipedum, ſed etiam quadrupedum ſpurciſſimus Antonini nomen præferret.* De Heliogabalo loquitur: homine, inquam, digniſſimo, quem non ſolum homines, ſed & feræ ſylveſtres evitarent, & fugerent.

Homo impiiſſimus.
Apud Æl. Lampr.

Deo eo, qui pro deſiderio ſuo, id quod ſperaverat, totum obtinuit, nec deinceps circa aliud quippiam angitur, aut ſollicitus eſt, Proverbium illud breve quidem, ſed medulla plenum reſultavit: *Porrectis dormire pedibus.* Quamvis pro humorum diverſitate æque commodum ſit dormire in ſemetipſum collecto corpore, quàm diſtentis pedibus. Proverbium autem memoratum convenit cum illo: *In aurem dextram dormire.* Sic eſt: porrectis pedibus dormire licet, cum nulla nos anxietas premit, nec ulla adverſitate tribulamur, quæ nos à quiete noſtrà interturbet.

Figura hominis repleti conſolatione.

Etiam inter noſtros vulgare dictum increbuit, quod ſic habet: *Hà fatto la robbà, or fa la perſona.* Lucianus de ſervo quodam manumiſſo, & in libertatem vindicato, inquit: *Jam tandem, quod optari ſolet, obtigit, ut porrectis pedibus dormias.* Sic Ariſtophanes Comicus Mercurium loquentem inducit: *ſublatis pedibus requieſco.* Sed hæc quies, & nimia commoditas inconveniens eſt, quippe quæ otii, & proinde omnium vitiorum mater eſt. De hoc non pauca dicenda occurrerent, niſi me cæterarum materiarum abundantia coërceret, & alio compelleret: aut verò ſi contra hoc vitium doctrinæ, aut invectivæ deeſſent.

In Pluto.

Contrarium eſt huic ſuperiori, id quod ſequitur. Volendo enim indicare hominem, qui de omni omnino ſpe ſua decidiſſet, nec deinceps ſibi rerum ſuarum promittere eventum felicem poſſit, proſtratum robore, & ſine omni recuperatione; his verbis uti conſveverunt: *Animus ad pedes decidit.* Sic & Itali ajunt: *Mi è caduto il cuore.* Hunc ſenſum literaliter Homerus expreſſit:

Animus deſperatus.
Ilyad.

- - - pavor ingruit ingens
Omnibus, inque pedes animus mox decidit imos.

Sed hoc animi abjecti eſt, & mentis plebejæ, à qua qui fortitudinem & magnanimitatem profitentur, jure merito abhorrent. *Fortuna corporis, & animi comitatur fortitudinem,* ajebat Xenophon: Et Peripateticus: *Fortitudo virtus eſt animoſæ partis, per quam mortis impetus non facile ingruit.*

Apud Stobeum de Virtute & vitio.

Ingredi in negotium quoddam, cujus nec experientiam quis habeat, nec conſvetudinem, nec uſum, & quod debitis circumſtantiis careat, iisque rebus quæ ad complementum ejus neceſſariæ ſunt, his verbis ſignificabatur: *Illotis pedibus ingredi:* Hoc eſt, audere aliquid ſine debita peritia: quod tantundem eſt, ac prophanum eſſe, & immodeſtum, & irreligioſum. Hanc ſignificationem Manutius translatam eſſe inquit à cæremoniis ſacris: in quibus illud potiſſimum obſervabatur, ut quæque res pura, & illibata, & munda eſſet. Lucianus in vita Democratis ajebat: *Handquaquam illotis, ut ajunt, manibus ad iſta venerat.* Hoc eſt, ut inquit Manutius, cùm multa experientia, & præcautione. Authoritatem proverbio huic addit Æneas Sophiſta, cum dicit: *Plerumque quidem, quidam illotis pedibus irrumpunt ad ſacra.* Et Aulus Gellius: *Illotis, quod ajunt, pedibus, & verbis reprehendit doctiſſimi hominis orationem.* Macrobius in Saturnalibus de hominibus literatis loquendo, quod ad Virgilii doctrinam reconditam non atten-

Aggredi negotium aliquod ſine cognitione & experientia.
Aulus Gellius in Ep. quadam noctium Atticarum. lib. 1.

attendant, hac phraſi utitur: *illotis pedibus prætereunt:* quod idem eſt cum illo: *illotis manibus.* Res omninò fugienda ab iis, qui ſenſu, & prudentia dotati ſunt, nec committendum, ut proverbium illud noſtratum in nobis verificetur: *Metter ſi in barca, ſenza biſcotto*: id eſt pelago ſe vel triremi committere ſine commeatu. Poterit autem præceptum hoc conformari cum illo altero: *Tuis te metire pedibus*: quod jam ſupra relatum, una cum circumſtantiis aliis. Optima in rebus praxis eſt, quæcunque ad perfectionem adducit.

Obſtinatio opinionis.

Durities, & pertinacia in opinione, à qua divelli quis nequeat, etiam ſi ipſe Oratorum Princeps fortitudine eloquentiæ ſuæ accederet, his verbis exprimebatur: *Ne altero quidem pede.* Poterit hoc æquiparari cum illo: *Ne genu quidem flecto.* Hominem præterea indicat, qui nunquam pedem extra patrios lares poſuit. Unde Lucianus ajebat: *Qui ex Æthiopia nunquam vel alterum promoveret pedem.* De illo priori motivo, jam memorato Manutius inquit: *Vel conſenſus opinionum, vel aſſiduitas ſtudii ſignificatur.* Et Titus Livius: *Alii in caſtris, ſive ſtationibus per ſomnum, vinumque diem noctibus æquabant.* Obſcœna & horribilis hæc durities eſt: ſicut econtra perſeverantia in bono laudabilis, & imitatione digna.

Operari in abſcondito:

Operari clanculum, & in abſcondito, ita ut nemo opus noſtrum deprehendat, hoc dicto exprimebatur: *Tacitò pede.* Qui ambulando audiri nolunt, conſvevergnt ſummis pedibus incedere, idque cum tanta cautela, ut ne minimus quidem ſtrepitus excitetur. Unde non immeritò quis dixerit pedem in commotione ſua, & ipſum habere vocem ſuam.

& furtim.

Interpres Rhetoricæ Ariſtotelis, quiſcunque ille ſit (eſt enim anonymus) prout Manutius de illo refert, ſic habet: *Tacito, ſeu lento pede, cum cautim & pedetentim ad rem accedimus.* Hæc abſcondita agendi ratio furtiva dici poterit: fures enim in hunc modum incedunt. Hinc Ovidius volens nobis ante oculos collocare Tempus, quo anni noſtri furtim auferantur ſic ait:

Tempora labuntur, tacitiſque ſeneſcimus annis.

Alluſit ad hoc Columella, dicens:

- - - tacito nam tempora greſſu
Diffugiunt, nulloque ſono convertitur annus.

Ultima hominis ætas.

His furtis nemo ſe ſubtrahit: niſi qui præclaris facinoribus, injuriam temporum, ruinam mortis, & oblivionem poſteritatis exuperat. De homine jam ad uſque decriptam ætatem, & ultimum vitæ terminum accedente (de quo noſtri, *hà il piè ſu la foſſa:* id eſt: *pedem in ſepulchro habet*) antiqui ſic ajebant: *alterum pedem in cymba Charontis habere.* Huic ſententia illa Luciani concordat: *Qui jam ſit Æaco ipſi vicinus: quique jam tantum non alterum pedem in cymba Charontis habeat.* Cauſidicus Pomponius apud Julianum ait: *Ego diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam, in octavum & ſeptuageſimum annum ætatis duxi, memor ſum hujus ſententiæ, quam refert Julianus: Etſi alterum pedem in ſepulchro haberem, adhuc diſcere aliquid vellem.*

In Apologia.

Pandectarum 40. Titulo de Fidei-Com. De inſt, lib.

Senes repueraſcunt.

Refert Plutarchus vetulos vulgato illo proverbio, vel improperio ſugillari: *Quod jam ætate deſipiant, & foſſæ confines ſint: magiſque beſtiariæ larvæ, quàm homines.* Plautus Senem *Acheruntium* appellat, Terentius *ſilicernium*, hoc eſt cernentem ſilices. Siquidem hæc præ oculis noſtris verſarentur ſine intermiſſione, ò cum quanta ſollicitudine ab offenſa altiſſimi præcaveremus: *Nihil eſt, quod magis revocet hominem à peccatis, quàm frequens meditatio mortis*: ſententia eſt S. Gregorii Papæ. Sed de his alibi.

Moral. 10, 6.

Vanitas eorum qui ſibi onera majora viribus imponunt.

Qui res arduas, & negocia momenti magni, deficiente experientia, exequi non audet, conſultum ei erit, mediocribus, rebuſque non magni ponderis immorari. Univerſalis omnium Mater natura & anates, & aquilas creavit: & cum utriſque alas tribuerit, anates via vallem transvolant, aquilæ etiam ſuper ſumma montium feruntur. Hic ſenſus ſequenti proverbio olim exprimebatur: *Pedibus ingredior, natare non didici.* Submerſionis periculum non evitabit, qui ſine arte natandi voraginoſa vada, & profunda tentare non veretur: unde ei conſultius erit, tum potiſſimum ſe vado committere, cum aquæ jam decreverint. Legitur apud Ariſtophanem excuſatio hominis ſtolidi, qui ſic ait: *Quid, quæſo, faciam, quando fodere neſcio?* Eâdem loquendi formâ villicus iniquitatis uſus eſt in Evangelio, cum à Patrefamilias reprehenſus eſſet: *fodere non valeo, mendicare erubeſco.* Convenit hoc cum illo ſuperiori: *Tuo te pede metire.* Dixit Horatius:

In Poëtica.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent
Quid valeant humeri.

Optimum eſt alienis ſe non immiſcere negociis, ſed ſua curare.

Dici ſolet: Ne intres, quò vocatus non es. Aliorum facta diſcutere: & iis ſe negociis ingerere, quæ ad nos non ſpectant, his verbis exprimitur: *In alieno choro pedem ponere.* Similitudo à feſtivitate chorearum ducta eſt: quo ſi quis non appellatus intraret, omnium riſui ſe proſtitueret. Hoc eorum eſt, qui alioquin turpiter otioſi, ad aliud non vacant, quàm ut aliena indagent, omnia ad ſe non pertinentia norint; qui tamen poſthinc omnium rerum ignari ſunt, & Idiotæ. Corroborat hoc proverbium Plutarchus, qui ait: *Cum, qui in alieno choro pedem ponit, curioſum ac ridiculum eſſe proverbium declaratur.* Idem alibi: *Ego vero tametſi pedem in alienum chorum inferens dicebam: hoc eſt reſpondens de re, quæ ad philoſophi profeſſionem non pertinebat.* Sapientiſſima animadverſio, ut extra noſmetipſos nil magnopere quæramus, nec foras evagemur. Hoc punctum Commentator Teſtius tangit, ubi ait:

- - - e mentre cerca
Quel, ch'e fuori di ſe, doglie a ſe merca.

Inde illud Apellis proverbium reſultavit, qui ſutorem picturam ſuam præpoſtere judicantem ſic increpavit: *Ne ſutor ultra crepidam. Attende tibi*: Inquit Poëta: *Et noris, quàm tibi ſit curta ſupellex.* Itaque illa negocia occipienda ſunt, quæ viribus noſtris congruunt. Unde rurſus proverbium illud exortum eſt: *Ne ſupra pedem calceus:* quod & vulgo dicitur: *Non voler far la ſcarpa piu grande del piede.* Expreſſit hoc Lucianus: *Neque major pede ſit calceus.* Idem alibi: *Hæc tibi viſa ſunt immodica, & quàm pro menſura pedis majora.* Rurſum alibi: *Et haudquaquam juxta pedis rationem.* Referri hoc dictum poterit ad eos, qui ultra ſtatum & conditionem ſuam ſe elevant: contra quos ſapientia Evangelica inquit: *Quis poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?* Et alibi: *Non eſt ſervus major domino ſuo.*

Iuven.

In Imag.

In Dialog.

In Gallo.

Aliorum opinioni ſuffragari, hac notabili ſententia exprimebatur: *Pedibus in ſententiam ducere:* aut vero: *pedaria ſententia.* Traductum hoc ab antiqua illa conſvetudine eorum qui vel ſedendo per motionem pedis annuebant ſe conſentire, aut de ſiniſtra ad dextram partem tranſibant. Hanc actionem Aulus Gellius ad longum deſcribit, cujus poſtrema verba huc colloco: *Id ſi transferatur, ad quamlibet alienæ ſententiæ comprobationem attinet: veluti ſi quis dicat: Non eſt viri prudentis, quidquid Uxori placuerit, protinus in illius ſententiam pedibus diſcedere. Ego vero in tuam ſententiam manibus, pedibuſque diſcedo.*

Lib. 13. cap. 18.

Titus Livius hunc locum amplificat, dum in libro ſeptimo Decadis primæ ſic monet: *Ubi ſententiam meam vobis peregero, tum quibus eadem placebunt, in dextram partem taciti tranſibitis.* Et paulo poſt: *Quibus hæc ſalutaria videntur, agite dum in dextram partem pedibus.* Sic Decius ajebat, cujus ſententiæ omnes adhærendo, de ſiniſtra ad dextram tranſierunt. De hoc loci frequentes in M. Tullio ſunt. Plinius item ait: *Sed cùm fieret diſceſſio, qui ſellis curulibus adſtiterant, in Cornuti ſententiam ire ceperunt.* Etiam libertas dabatur ab una in alteram opinionem rurſum repedandi: ſic enimvero illic erat varietas eundi & redeundi, prout eos rationes perſvadebant, quibus aſſenſum tribuebant. Unde Manutius inquit: *Qui ſententias interrumpebat, intercedere dicebatur.* Quod univerſum Livius præmemoratus confirmat, ubi ait: *Cum omnes laudibus modo proſequentes virum, in ſententiam ejus pedibus irent, tentata pauliſper interceſſio eſt.* Quod Saluſtius item authoritate ſua magis conſolidat; *Sillanum*, inquit, *poſtea, permotum Cai Cæſaris oratione, pedibus in ſententiam Tiberii Neronis iturum ſe dixiſſe.* Et Quintilianus: *Manibus, pedibuſque in ſententiam diſcedere:* ubi etiam ad morem illum alludit, quo plaudere manibus, vel palmis conſveverunt.

Lib. ab Vrb. Cond. 9. In Bello Catil.

Modernis verò temporibus omiſſo ſtrepitoſo illo & incompoſito genere conſenſus, quietiori, magiſque modeſta methodo utimur ad conſenſum demonſtrandum, inquit Manutius, ſubſcriptione nimirum. Ex hoc fit, ut opinio, judicium, & voluntas cujuſque, ingenioſa hac ratione ſuffragii patefiat, occulantur paſſiones, & judex nihilominus intentum ſuum obtineat: dum videlicet votum ſine votante apparet, rancor omnis, & amaritudo animorum conflictantium diſſipatur: quæ in ſententiis illis pedariis evitari nullatenus poterant. Authoritatem verò majorem addunt chartis, & Inſtrumentis hujuſcemodi, eadem tangendo, imo & pectus ſibi pari modo contingendo, ad veram cordis ſententiam demonſtrandam.

Laudabilis uſus celandi vota.

Vivere pro temporis, & occaſionis neceſſitate.

Prudentia, optimaque diſpoſitio, qua quis ſe accommodare eventibus, & tempori, & occaſioni novit, ſequenti proverbio olim exponebatur: *Ad pedem.* Metaphora hæc à calceo derivatur, qui ſe pedi curſu temporis adaptat. Volunt hoc adagium à Suida inventum fuiſſe, illic ubi ait: *Dextrum in calceolo, lævum vero in podoniptro.* Ad quod dictum majorem anſam Paulus Æmilius præbuit, qui detracto ſibi calceo, eundemque exercitui monſtrando, ſic perorabat: *Vos videtis bellum, ac novum eſſe calceum, verùm qua parte pedem torqueat meum id ego demum ſentio:* volens hoc indicare, ſe uxorem poſſidere, quæ genio ſuo, & voluntati malè obtemperet. Suidas Platonem citat, hoc modo ratiocinantem: *Ut hoc meo negotium quadrat pedi!* Atque hoc ipſum eſt, quod Tullius inquit: *Tempori parcere; id eſt, opportunitatis locum expectare.*

Ex Manutio.

Echinus hanc proprietatem habet, ut oſtium ſubterranei cuniculi ſui illic aperiat, ubi ventus non ſpirat: Id quod etiam in minutis Prati animalibus obſervatum fuit, juxta tritum illud adagium:

Si fueris Romæ, Romano vivito more:
Cum fueris alibi, vivito ſicut ibi.

Omiſſis majoribus rebus, non niſi minutis occupari.

Si quis hominum, omiſſis urgentioribus negociis, & magis arduis, in minutis tantum, & minoris momenti ſeſe occupaverit illud proverbium ſibi vendicat: *hippagine, pedem inſequeris.* Hæc ſententia de nauticis uſurpata eſt, & de navigandi arte: indicantur enim improvidi nautæ, qui poſthabita cura, qua lignum contineant, ne forte à procellis abſorbeatur, & omittendo rudentem, necquicquam pedem gubernaculi attrectant. Sed quæ vis demum eſt in minima trabe ad reprimendam tempeſtatem, à qua ſæpe etiam ſolidiſſima navigia peſſumdantur? Suidas hos adagium citat, referens ad Philoſophum Hyperidem. Contra hujus generis homines lex Evangelica ſonat: *Væ vobis, qui decimatis mentham, anethan, & cyminum, & reliquiſtis, quæ graviora ſunt legis.* Hæ vices Hypocritarum ſunt, qui clamant cum paſſer offenditur, & bovem negligunt. Nocivæ herbæ radicitus evellendæ ſunt, nec circa ramos, aut folia laborandum.

Matt. 23. Luc. 11.

Socium ſuum ſtudio perfectionis exſuperare.

Cum quis ſocium ſuum in profeſſione quadam, præſertim in arte oratoria ſuperaret, hac loquendi forma olim exprimebant: *Sexdecim pedibus ſuperavit.* Qui modus ratiocinandi à ſtadio deſumptus eſt, per quod equi decurrebant, & quod ſedecim paraſangarum erat: ſicut in tractatu digitorum monſtravimus. Cum ergo per hoc ſtadium, vel curriculum equi decurrerent (prout inter nos quoque uſus eſt) qui primus erat, bravium conſequebatur. Ad hanc metam Pericles orator famoſiſſimus pertigit, de quo Authores inquiunt, quod emphatica eloquentia ſua videretur ſcintillas de vultu emittere: De hoc igitur Pericle Ariſtides, vir tantæ authoritatis, commemorat, quod *ſexdecim pedibus vicerit Rhetores dicendo: & in unius labiis inſediſſe ſvadelam cunctorum.* Idipſum confirmavit Ariſtophanes, ad Acarnenſes. Et M. Tullius inquit: *Dea illa* (loquens de eloquentia) *in Periclis labiis ſeſſitavit.* Ennius hanc loquendi methodum imitatus eſt, Marcum Cethegam *ſvadelæ medullam* vocans. Quam formam item Ariſtophanes alibi ſecutus eſt, dicendo: *Ut Grajorum dicar gentem ſtadiis præcedere centum.* Felices qui plenis buccis de hoc beato torrente bibunt, ſemper enim verum eſt, quod *eloquentia fortitudine præſtantior ſit*, ſicut doctiſſimus Alciatus inquit.

Apud Ciceronem in Catone majore.

Vicina, aut præſentia rei cujuſpiam.

Objectum qaoddam vel jam vicinum habere, aut quod arbitremur propediem nobis præſtò futurum, his verbis exprimebatur: *Ante pedem.* Terentius huic ſententiæ pondus addidit, dum ait: *Si tunc eſt ſapere non quod ante pedes modo eſt videre, ſed etiam quæ futura ſunt proſpicere.* Sic Pindarus: *Quidquid ante pedes, ſemper eſt melius.* Lucianus, & Philoſtratus: *Quò vadis autem ſublimi vultu, cuncta deſpiciens, quæ ſunt ante pedes.* Sic in pluribus locis Plato: *Ante pedes provolvi, quod veluti expoſitum eſt.* Sed in particulari de Republica: *Jam dudum, ò beate, videtur rurſus ante pedes volvi. Nec vidimus illud, ſed fuimus ridiculi.* Unius cujuſque igitur officii eſſet, antequam de re quapiam ratiocinaturus ſit, eam præſentem habere.

In hymn. ultimo. In Pſeudolog. in Phem.

Paupertas tormentata.

Cum hic nobis de pede tractatus ſit, proverbium occurrit, quod jam de manu allegatum eſt: *Macilenta manu, pingvem pedem.* Significatio eſt paupertatis, & brevis deſcriptio hominis egeni. Talis enim lacer omnino, pannoſus, & nudipes, per plateas ambulare cogitur & pulverulentas, & ſilicibus ſtratas: qui gelu, qui æſtum tolerat; & humores pedibus ſuis, ob continuas paſſiones attrahit: unde cum inflati videantur, eos pingve fieri non immerito quis crediderit: ſed manus ob inediam macilentæ ſunt, & quaſi excarnatæ. In hunc locum Heſiodus præcipuè hæc inquit: *Gracili manu pingvem pedem premas.* Et ſicut Manutius adjungit: *Manus graciléſcunt fame, pedes intumeſcunt frigore.* Hic ſenſus paulò elegantius ſequenti verſu exprimitur:

Ne deprĕndant in opem mala tempora brumæ,
Atque pedem premat ut manus arida pinguem.

3. Carminum. De Amore parentum erga liberos.

Infelix, quicunque ad infortunium tam ſordidi ſtatus perigerit; *magnum pauperies opprobrium, jubet quidvis facere, & pati:* Venuſinus Poëta canit. Et Plutarchus: *Cùm paupertatem malorum omnium maximum cenſeamus, hanc non aliter, ac gravem, & difficilem morbum liberis tradere formidamus.* Quisque ergò caveat, ne his compedibus vinciatur.

Huic præmemorato proverbio illud affine eſt: *ſuum rodit pedem:* quod ad polypum marinum alludit, qui teſte Plinio, piſcis eſt, ſine oſſibus, naturâ edaciſſimus: ita ut, cum alimenta deſunt, ſemetipſum rodat & conſumat. Sic miſera egeſtas ſemetipſam corrodit: ſicut ſæpè in obſidione urbium viſæ ſunt matres proprios infantes conſumpſiſſe. Hinc optime Cato habitatores Civitatum, colere agros perſvaſit, ne hac lethali febre corriperentur, quæ & ipſa viſcera depaſcitur.

Ex Athenæo lib. 7.

Quando pedes edit ipſe ſuos is qui caret oſſe.

Simili modo Comicus Poëta Alcæus lamentatur: *Comedo meipſum more Polypi.* Sic eſt, inquit Livius: *fames, & frigus ultimum ſupplicium.*

Decad. lib. 1.

Divitiæ ſuperfluæ.

His proverbiis contrarium eſt, cum victus, & divitiæ ſuperabundant, ubi illud uſurpatur: *Ad pedes, ad caput.* Quod tantundem eſt, ac ſi diceres: à capite ad calcem usque coopertus eſt. Hanc ſententiam ſequitur Theocritus, dicendo:

In Paſtoribus.

Ad caput atque pedes quarum me vellera cingunt.

Sic ratiocinatur paſtorum quidam introductus à Comico illo, qui videlicet numeroſiſſimo grege abundabat. Hæc affluentia interim à nemine omnino deſiderari debet: *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere,* inquit Pſalmiſta, ubi Xantes Pagninus ſic legit: *Divitiæ ſi fluant:* congrua verſione, bona enim fortunæ, per modum aquarum fluida ſunt. Hinc Peripateticus: *Divitiæ venientes fucata ſpecie blandiuntur, abeuntes autem poſt ſe pœnitentiam, & dolorem relinquunt.* Optima materies ad dilatandum.

Propria perſona ſua adeſſe utilitatibus ſuis, & bona ſua inviſere.

Cum quis bona ſua, & fundos, & redditus longe à ſe diſſitos habet, ita ut in perſona propria, ad evitandum evidens damnum, eadem viſitare neceſſe habeat, ſuisque utilitatibus invigilare, hoc dicto exprimebatur: *Pecuniæ pedibus compenſantur.* Hoc nonnulli attribuunt Catoni, nonnulli Marco Tullio. Sed cuique Patrifamilias documento eſſe poterit, ut nimirum ſollicitudinem ſuam præſentes exhibeant: præſentia enim rerum anima eſt: id quod vulgo Italus ſic exprimit: *Chi vuol vada, chi non vuol mandi. Omnia quæ abſunt vehementius homines perturbant;* ajebat Cæſar.

De bello Gallico.

Audire nova accepta.

Cum quis nova audierit, quæ accepta ſunt, aures ſuas cum promptitudine erigit: contrarium huic accidit ſi triſtia audita fuerint. Ex hoc proverbium enatum eſt: *In hoc calceamento pedem habet.* Similitudine ſumpta à pede, qui gaudere videtur, cum calceo eleganti circumdatus eſt: & quo commode incedere poſſit. Sic lætamur & nos, aut encomiis nôſtris, aut cum res nobis ex voto ſucceſſerunt. Olim calceamenta colorata & picta in uſu erant, ſicut hodie fibulis argenteis ornantur. Sic delectamur oratione, quæ blanditur, & nos palpat: *Non eſt auditio laude ſvavior,* inquit Xenophon. *Honos alit artes, omnesque incendimur ad ſtudia gloriæ; jacentque ea ſemper, quæ apud quosque improbantur:* ſic M. Tullius inquit. His motivis auſim dicere, non ſemper vituperio dignum eſſe, laudes proprias audire.

Apud Plat. in Tuſcul.

Negocium involutum & difficile.

Implicatum eſſe negocio, quod exitum difficilem habeat, & intricatum, his verbis dicitur: *Nec caput, nec pedes.* Difficilis enimverò labyrinthus eſt, in quo operoſum ſit & introitum & exitum reperire. Compoſita illa aliud nomen, quam monſtrorum, ſortiri nequeunt, quæ & capite & pedibus deſtituta ſunt. Quis adeo excors eſt, ut ſe immiſcere qualicunque negocio auſit, quod nec principium, nec finem habeat; Sic M. Tullius Amicum ſuum Curionem vellicat, dicendo: *Sulpitii tibi operâ intelligo ex tuis literis non multum tibi opus fuiſſe, propter res tuas ita contractas: ut, quemadmodum ſcribis, nec caput, nec pedes. Equidem vellem pedes haberent, ut aliquando redires.* Conſonat hoc proverbium cum illo altero: *ſine capite fabula:* à Platone citatum.

De his qui moderationem excedunt.

De his, qui contineri finibus ſtatûs, & conditionis ſuæ nequeunt, proverbium illud uſurpatum fuit: *Ultra pedem.* Quod proprie de illis dictum eſt, qui nimio luxui & voluptatibus dediti ſunt. Idem ſic ni fallor, dici poſſet, paſſum longiorem facere, quàm femur aut pes ſit: ubi neceſſe erit eundem luxari, aut præcipitem cadere. Convenit autem cum dogmate illo contrario, & præmemorato proverbio: *Tuo te pede metire.* Infelix Beliſarius, Tigellinus, & Sejanus, eo quod plus viribus ſuis præſumpſerunt, idcirco etiam præcipitati. Qui aquilinis oculis dotatus non eſt, ſolem non contempletur: oculos enim deſtruet. Hoc peccatum Luciferi eſt, hoc progenitorum noſtrorum. *Arrogans nemini amicus,* inquit Diogenes.

Præſumptio ſemper deteſtabilis.

Ex Stobeo.

Manibus pedibusque laborare.

Siquidem in negocio quodam extremas vires quis, ad illud terminandum impendat, ſic olim exprimebatur: *Manibus, pedibusque.* Quod & inter noſtros conſvetum eſt: *Far di mani, e di piedi:* hoc eſt, omnem operam, & ſedulitatem omnem adhibere. *Nam per manus* (adjungit Manutius) *declaratur induſtria conficiendi negocii, per pedes maturandi celeritas.* In eundem ſenſum loquens introducitur in ſcenam apud Terentium Davus: *Ego hoc, Pamphile, tibi pro ſervitio debeo conari manibus, pedibusque.* Quo loquendi modo Æſchynes contra Demoſthenem ſæpè utitur. Et Homerus: *Imo quidquid poſſum manibus, pedibusque:* quod idem eſt cum illo: *omnibus nervis, velis, equisque: remis, ac velis: navibus atque quadrigis:* &c. Sed ut his proverbiis convenienter loquar: Et ego quoque manibus hactenus laboravi, & deinceps in ſervitium tuum, mi Lector, laboraturus ſum: Hic autem de adagiis pauliſper divertendo (utpote quorum pauca in materie hac ſupererunt) progrediamur ad

In Andria.

Elyad. 11.

HISTORIAS, RITUS, OBSERVATIONES, ET CONSVETUDINES.

OBſervabile hoc Capitulum futurum eſt, ſi non aliunde, ſaltem in hoc, quod primitivum illum uſum ab origine ſua continebit, & exponet: illum inquam, quo Redemptor noſter ante paſſionem ſuam diſcipulis ſuis laviſſe pedes legitur, inſtituens poſt hæc cænam dominicam: ubi nimirum paulò vicinius teneritudinem amoris ſui demonſtravit, ſemetipſum offerens in cibum, & potionem. Antequam autem ad narrationem hanc procedam, viam mihi floribus ſternam. Ubi inprimis obſervare mihi licuit, non omninò fabuloſum eſſe, nec ſoli inventioni Poëticæ attribuendum, quod ingenioſiſſimus Vir, & Compatriota meus, Hieronymus Preti prælo dedit, illic

illic nimirum ubi in Idylio Salamacis (quod opus in ſtuporem vertit etiam maximè canoros univerſitatis cygnos) hæc ſequentia de Nympha illa loquitur:

E ſe raccoglie un fiore,
Per baciarle il bel piede un' altro ſpunta,
E veder non ſi puo quai ſian maggiori,
I doni, ò pur le prede,
Mentre fura la mano, e dona il piede.

Invenio hac phraſi ſanctum aliquem uſum eſſe. Eſt autem S. Gregorius Nazianzenus, qui ait: *Pedibus flores adnaſcantur.* Hinc Perſius, quamvis Satyricus:

In Cam. ad Nicob.

Satyra. 2.

Hunc optent generum Rex & Regina puellæ:
Hunc rapiant: quidquid calcaverit hic roſa fiet.

De laudibus Seren.

In hunc ſenſum coincidit Claudianus:

- - - Quocunque per herbam
Reptares, fluxêre roſæ, candentia naſci
Lilia. - - -

Ecloga. 4.

Et Virgilius:

Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores.

Spicil. Sacr. cap. 13. Tract. 1.

Hinc Pater Pintus hoc ipſum explicat, dicendo: *Sternebant ergò ramos virentes, & flores iis, quos glorioſius volebant exceptos, quaſi blandè terram increpantes, quod ingrata & tarda tantis greſſibus virentes herbas, & flores denegaret.* Hujuscemodi triumphum Salvator noſter exhiberi ſibi volvit, dum ad ſumblime paſſionis opus, & crucis trophæum jam paratus eſſet, ubi hæc leguntur: *Cedebant ramos de arboribus, & ſternebant in via:* Unde mirandum non eſt, quod S. Baſiliſſus martyr florere fecit & virideſcere arborem, cui alligatus fuit, & quæ prius arida erat: Si idem ipſum S. Gregorius Thaumaturgus effecit in baculo ſicco; ſi S. Brigitta in receptione ſacrati veli, altaris gradum ligneum revireſcere fecit, qui antiquitate jam centenos annos ſuperabat: Si ſub manu putativi Patris Salvatoris noſtri virga ſicca germinavit: & horum ſimilia portenta, & viſiones ſparſim in hiſtoriis inveniuntur.

Lippoman.

Utque ad pedes revertar: Ad hunc uſum reſpexerunt (proſequitur narrando præmemoratus Ramirez) quidam vanitate pleni, qui ferramenta quædam ad hoc elaborata ſubtus plantam pedis collocabant, atque ita ubi veſtigium imprimebant ambulando, illic ſtellæ formabantur: vaniſſimi homines, qui ſubjicere plantis ſuis non verebantur ſtellas illas, quæ tot millibus miliarium à capitibus eorum diſtant. Nec his ſolis contenti florum quoque figuras adhibebant. Sic juventus indomita, non tantum in veracibus, ſed fictis quoque floribus delirabat, & miſere perditionem ſuam accelerabat. Ulterius adhuc evagatur quarundam mulierculam parum modeſtarum conſvetudo, de quibus Clemens Alexandrinus ait: *Multæ fœminarum ſoleis quandoque amatoriis ſalutationes imprimunt, ut vel terram numeroſe incedentes, meretricios ſpiritus in inceſſu inſculpant.* Supra quod commentator inquit: *Ego hic (ſi divinare libet) roſas dicatas Veneri, & amoribus inſculptas augurarer.* Hujus omnino ſententiæ Nonius eſt, dum ait: *Et oſculatus eſt innumeris oſculis, occultè repens, locum, ubi pedem poneret, & quem calcavit pulverem virguncula, roſeo ſplendens calceamento.* Hinc ut demonſtretur, (idque ſvadente vanitate) de pedibus flores prodire, adhuc hodie apud nos conſvetudo eſt figuram florum in tibialiis exhibere, quibus pedem adornamus, præſertim circa talos, qui vicini pedum ſunt. Hunc antiquorum ritum authoritate ſua confirmat Cephiſodorus Comicus, qui de Amica ſua ſic conqueritur: *Sandalia minutim inciſa, in quibus aurei flores inſunt.*

Pædag. 2. c. 11.

Dionyſiac. lib. 42.

Sic enimvero hæc juventutis ætas, vitam ſuam inter flores, & cum floribus evanidam peſſundat, qui vix ab ortu Solis, ad occaſum durant. Nec mirum illud, inquit Job: *Quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Sic anima ſancta in Cantico vocem ſuam elevat dicendo: Vix *flores apparuerunt in terra noſtra,* & continuo: *tempus putationis advenit.* Iſaiæ illud veriſſimum eſt: *Omnis caro fœnum, & gloria ejus, tanquam flos agri:* & illud ejusdem: *Erit flos decidens gloriæ exultationis ejus, qui eſt ſuper verticem vallis pinguium.* Homo enim juxta Pſalmiſtam: *Mane ſicut herba tranſit: veſpere decidit, indurat, & areſcit:* De hoc item S. Auguſtinus: *Fructuum, qui ſperabantur, flos & afflictio.* Naſcantur ergo flores in pedibus, propediem unà cum capite emarceſcent.

Iſai. c. 28. v. 4.

Nihilominus non omninò vanum, quamvis alioquin impoſſibile erat, imo verò moralitate plenum, quod ſtellas plantis ſuis ſubjiciebant; Hoc enim faciendo, ſicut Pater Pintus exponit, figuram exhibere volebant, qua noſſemus ſuper aſtra, & ad cælum conſcendendum nobis eſſe. Quam conſiderationem ſiquidem fideles Chriſtiani diligenter & ante pedes, & oculos collocarent, utique cautius iter vitæ ſuæ inſtituerent, & gradus ſuos collocarent. Sic ergo Veteres imprimere veſtigia ſua præſumebant: unde etiam præfatus Author diverſas hujus rei ſignificationes adducit: *Ire ad aſtra: aſtra petere: aſtra mereri: Ire polò: calcare ſidera.* Itaque per ſtellas ferreas ſtellas aureas quærebant: cum his inferioribus illas ſuperiores indagabant. Sic Virgilius inquit:

Tract. 2. c. 14.

Antiqui figuram exhibent, qualiter in cælum conſcendere oporteat.

Stellæ ferreæ ſubtus calceos collocatæ.

Macte nova virtute puer: ſic itur ad aſtra.

Et Seneca in furente:

Non eſt ad aſtra mollis è terris via.

Et Lucianus:

- - - tu cum ſtatione peracta
Aſtra petes.

Rurſum Seneca:

Aſtra gnatus laudibus meruit ſuis.

Propertius maxime ad rem accommodate:

Nunc mihi ſumma licet contingere ſidera plantis.

Item Virgilius:

Sub pedibus videt & nubes, & ſidera Daphnis.

Arbitrabantur enim antiqui, veram eſſe cujusdam ſententiam, nec id ſine ratione, Animas noſtras à ſtellis oriundas, eo rurſum redire. Porrò præmemorati Ramirez expoſitiones prætereundæ non ſunt, quas ſupra obſcurum & involutum locum illum Prophetæ Ezechielis adducit, ubi de fornicaria muliere ſic habet: *Diviſiſti pedes tuos omni tranſeunti, & multiplicaſti fornicationes tuas.* Id quod Latini inquiunt *tollere pedes,* Græci ajunt; *tollere crura.* Concordant his Prophani Authores: ſicut Satyricus ille Petronius Arbiter: *An ut matrona onerata phaliris Pelagiis tollat pedes indomita in ſtrato extraneo.* Martialis quoque in hunc ſenſum ait:

Protinus accedunt medici, medicaque recedunt,
Tolluntur que pedes. O Medicina gravis!

In eundem ſenſum Ariſtophanes inquit: *Illud verò non curavimus, quonam modo manus tollere tunc recordaremur, quæ aſſvetæ potius ſumus crura tollere.* Sed qui ſenſu, & ratione non omninò deſtituti ſunt, ab his actionibus omnino illicitis, & inhoneſtis ſibi abſtinendum noverint: nec quisquam tam excors ſit, ut nefandis illecebris his capiatur.

OSCULUM OFFICIOSUM.

HÆc materia plauſibilis eſt, quippe quæ de oſculo tractat, Amoris pignore non tantum honeſto, ſed honeſtiſſimo: per hoc ipſum enim veneramur & debito obſequio magnum Chriſti in tetris Vicarium colimus, cui Redemptor noſter ipſe, in perſona Petri, & legitimis ejuſdem ſucceſſoribus claves conſignare voluit, & ſub his authoritatem in quibuscunque rebus ſpiritualibus. Hæc pedum oſculatio in omni hominum ætate, profundæ humilitatis ſignum fuit: cui ſe olim Mardochæus quoque, pro ſalute populi ſui ſubjicere non dedignatus eſſet, juxta *Eſther. c. 13.* illud, quod in libro Eſther hiſtoria inquit: *Libenter pro ſalute Iſraël etiam veſtigia pedum ejus deoſculari paratus ſum:* reſpicit autem hæc Mardochæi expreſſio arrogantem illum, & faſtuoſum Draconem Amon.

Conſvetudo Perſarum oſculandi pedes.

Conſvetudo Perſarum erat olim (prout eruditus vir Sanchez meminit) tum cum ſupplicare vellent, oſculari pedes non ſolum Magnatum, & Principum, ſed & hominum plebejorum. Hinc Martialis: *Mart. l. 10. Epig. 62.*

Ad Parthos proculi te pileatos:
Et turpes, humileſque, ſupplicesque
Pictorum ſola *baſiate regum.*

Sola pedis, cur ſic dicta.

Sola inquit, intelligendo infimam pedis partem, quæ nomen *ſolæ* adepta eſt, quod *ſola* terram tangat, & calcet. Ad hunc oſculandi morem alludit Sanchez præfatus, eundemque clarius exponit, dicendo, quod non ſolum pedes, ſed ipſum adeo ſolum, quo veſtigia ſua impreſſerant Reges, & Magnates, oſculari olim conſveverint. Hunc venerationis modum ſceleratus Heliogabalus exigebat: qui quanto vilius more beſtiarum, humi reptabat, ad omne genus vitiorum proſtratus, tanto ſublimius ſe ſupra ſibi ſubjectos elevare contendebat. Deteſtatus eſt hanc conſvetudinem, apud Lampridium, Alexander Se- *Ad Iſai. c. 9.* verus, dum, juxta verba prædicti Authoris: *ipſe adorari ſe vetuit, cùm jam cœpiſſet Heliogabalus adorari, Regum more Perſarum.*

Primus Author oſculi quod in pedibus fiebat.

Primus Author ſic imprimendi oſcula (quæ tanto indigniora ſunt, quanto magis perſonæ quibus fiunt, & loca ubi fiunt, & merito & honore carent) Caligula fuiſſe dicitur, ambitioſus ille, & crudelis: qui & ipſo nomine *caligarum*, ſe non niſi calceis dignum, & ad pedes abjectum demonſtravit; nos inſtruendo, ambitionem hominum, tum potiſſimum humi procumbere, cum ſe maxime in ſublime tollere conata fuerit. De hoc homine curioſe admodum, & ſenſatè Seneca: quod cùm Pompeum Pennum à ſupplicio mortis abſolviſſet, eum nihilominus ad pe- *Lib. de benef. cap. 7.* des ſuos provolutum videre voluit: *Deinde abſoluto,* inquit, *& gratias agenti porrexit oſculandum ſiniſtrum pedem.* Sed memoratu dignum eſt, quod deinceps Seneca adjungit, ad ſuperbiam illam hominis inflati redarguendam: hæc ejus verba ſunt: *Qui excuſant, dùm negant id inſolentiæ cauſa factum. Ajunt ſocculum auratum, imò aureum, margaritis diſtinctum, oſtendere eum voluiſſe. Ita prorſus, quid hic contumelioſum eſt, ſi vir Conſularis aurum & margaritas oſculatus eſt, & alioqui nullam partem in corpore ejus electurus, quam purius oſcularetur? Homo natus in hoc, ut mores liberæ Civitatis Perſica ſervitute mutaret. Parum judicavit, ſi Senator ſenex ſummis uſus honoribus in conſpectu principum ſupplex ſibi eo munere jacuiſſet, quo victi hoſtes victoribus jacuêre. Invenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet. Non eſt hoc Rempub. calcare? Et quidem dicet aliquis (nam poteſt ad rem pertinere) ſiniſtro pede?* Cenſura hæc digniſſima eſt, & verba ſat pungentia contra ambitionem tam affectatam, & ſuperbiam tam odioſam: erat enim, prout dictum eſt, primitus conſvetudo Regum Perſarum.

Sic Cyrus Rex, & magnus ille Monarcha, alioquin in ſacris literis ob moderationem tam celebratus, nihilominus ad hunc abuſum tam addictus erat, ut de eo Xenophon dicat: *Deoſculabantur Cyro manus pedeſque.* Sic Nonius & alibi inter gentes uſita- *Lib. 4. Dionyſ.* tum fuiſſe inquit: idcirco dicitur: *Electræ oſculantur manum, oculos, pedeſque.* Ita apud Silium Italicum habetur, quod volendo Pater refractarii filii ſui actio- *Lib. 11.* nes iniquas corripere, eumque à deteſtabili vivendi modo dehortari, tandem etiam in genua provolutus ei pedes oſculatus fuerit. Verba ejus hæc ſunt:

Pater oſculatur pedes filii ſui.

Cum ſenior tanti pondus conaminis ægra
Jam dudum vix aure ferens: tremebundus ibidem
Sternitur, & pedibus crebrò pavida oſcula figens:
Per ſi quid ſupereſt vitæ, per Jura Parentis,
Perque tuam noſtra potiorem nate ſalutem,
Abſiſte inceptis oro.

Julius Capitolinus de ſuperbiſſimo Maximino hæc refert: *In ſalutationibus ſuperbiſſimus erat: & manum porrigebat, & genua oſculari ſibi patiebatur, nonnunquam etiam pedes, quod nunquam paſſus eſt Senior Maximus, qui dicebat: Dii prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat.* Maximinus multo arrogantior erat (quamvis nomine diminutivo vilitatem ſuam præferret) quàm Maximus Caligula: qui cum minori ambitione ſoccum aureum oſculandum dedit. Sceleratiores nihilominus fuerunt Judices illi, qui etiam pedibus ſuis luto ſpurcatis non refugerunt à reo ſupplice oſculationem recipere. Id quod Valerius Maximus memoriæ dedit, loquens de *Lib. 8. c. 1.* Lucio Piſone his verbis: *Per idipſum tempus, quo triſtes de eo ferebantur ſententiæ, repentina vis nimbi incidit. Cumque proſtratus humi pedes judicum oſcularetur, os ſuum cœno replevit: quo conſpecto totam quæſtionem à ſeveritate ad clementiam, & manſvetudinem tranſtulit.*

Oſcula veſtigiis pedum data.

Tantopere autem faſtuoſa erat illa Idololatrarum gens (ipſi adeo divinæ majeſtati cultum latriæ debitum uſurpando) ut non ſolum oſcula manuum pedumque exigerent, ſed id fieri quoque in veſtigiis pedum ſuorum vellent. Hos verò actus humiliationis, & demiſſionis ſoli Deo convenire inter alios Iſaias Propheta teſtificatus, (juxta commentationem Patris Sanchez) illic nimirum ubi ait: *Et erunt Re-* *Iſai. c. 49. v. 23.* *ges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum tingent.* Idem alibi ſic habet: *De terra vox tua.* *Iſai. c. 29.* Et alibi clarius: *Adorabunt veſtigia pedum tuorum.* *Idem. c. 60.* His conſonat verſiculus Pſalmiſtæ: *Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus.* *Pſal. 131.*

Hic mos adorandi, & oſculandi veſtigia communis admodum apud Græcos, & Hebræos fuit, non minus & apud Latinos. Joſephus Flavius, author hebræus præmemoratum Mardochæi dictum declarare uberius voluit, illic nimirum ubi ſe paratum ait pro ſalute populi ſui etiam ſuperbiſſimi Ammonis pedés oſculari, ſupra quod præfatus author inquit: *Fuiſſem paratus lingere calceos, qui in ejus pedibus ſunt, & pulverem, quem ipſe calcaſſet.* De Græcis Nonius, ſicut ſupra meminimus, hæc verba habet: *Et oſculatus eſt innumeris oſculis, occultè repens, lo-* *Dionyſ. lib. 41.* *cum, ubi pedem poneret, & quem calcavit pulverem.* Inter Latinos huc alluſit Statius, dum ait: *Lib. ult. ad ſuam Theb.*

- - Vive precor nec fidam Æneida tenta,
Sed longè ſequere, & veſtigia ſemper adora.

Plinius, ni fallor, majori utique æſtimatione dignus *In Panegyri ad Trajan.* haberetur, in laude videlicet Trajani, niſi in hac ipſa

panegyri

panegyri ſua vehementer excedendo, & à vento affectionis tranſportatus, eundem extra ſphæras humanas collocare voluiſſet, dum ait: *Veniet ergo tempus, quo poſteri viſere, viſendum tradere minoribus ſuis geſtient, quis ſudores tuos hauſerit campus, quæ ſaxa ſomnum prætexerint, quod denique tectum magnus hoſpes impleverit: ut tunc ipſi tibi ingentium Ducum ſacra veſtigia eiſdem in locis monſtrabantur.* Hoc punctum admirabiliter Claudianus tangit, loquendo de avibus quæ obſequium Phœnici præbent:

Nec quiſquam tantis è millibus obvius audet
Ire Duci, ſed regis iter fragrantis adorat.
Talis barbaricas fluvio de Tygride turmas
Ductor Parthus agit.

Ubi Pater Pintus commentatur: *Iter adorare, id eſt veſtigia colere.* Hanc conſvetudinem Silius quoque Italicus confirmat, ubi nimirum de nemoribus, quæ Diis ſacrata erant, ſic habet:

lib. 5. *Has umbras nemorum, & convexa cacumina cæli,*
Calcatoſque Jovis lucos, prece Boſtar adora.

Hinc altiſſimus quoque Moyſi in ſummitate montis præcepit, ubi ſe vicinum rubo ardenti vidit, tanquam in loco Sacroſancto, calceamenta ſua deponere: *Solve,* inquit, *calceamenta de pedibus tuis locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Elegantiſſimum dubium eſt, quod Iſidorus ſuper hoc format, nec minus acuminoſa eſt concluſio, quàm eſt inventio. *In Ioſ. 5. v. 15.* *Quomodo Jericho terra ſancta eſt, quæ ab hoſtibus detinetur? Sed forte quocunque venerit Princeps virtutum Domini, ſanctificat locum.* Hinc illa lex *Ioſ. 4.* de ore Dei in Joſue libro emanavit: *Præcipe eis, ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi ſteterunt pedes Sacerdotis, duodecim duriſſimos lapides.* De hoc igitur manifeſtè patet, quod non ſolum oſculatio manuum pedumque uſitata fuerit, non ſolum veſtigiorum, ſed eorum quoque locorum, ubi quis aliquando pedem collocaverat.

Hoc obſequio condebitum venerationis & reverentiæ tributum majori totius Mundi Monarchæ exhibemus, dum videlicet pedem ſummo Pontifici oſculamur. Nec enim aliter decet ſe coram ſummo Chriſti Vicario inclinare, cujus manibus Redemptor Mundi gubernaculum Eccleſiæ concredidit. Summo, inquam, cordis affectu pes ille ſacer, reverenti oſculo honorandus eſt, qui nobis viam ad cæleſtem patriam fideliter aperit, & indicat.

Cum hic tractatum de Amore, & vigilantia habeamus, qua clementiſſimus Deus, ſine intermiſſione ſupra genus humanum invigilat, gravem videar huic materiæ, & volumini, & mihi injuriam feciſſe, ſi prætereundum ſilentio æſtimaverim locum Scripturæ inſignem, accommodatum apprime ad materiam pedis, & pro documento noſtro neceſſarium. De viſio- *Apocal. 12.* ne prædilecti Evangeliſtæ Joannis loquor: qui Angelum vidit, inter myſterioſa alia, idcirco non allata, quod huic loco neceſſaria non ſunt, pedem unum collocantem in terra, alterum in mari. *Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper* *Tract. 1. c. 44.* *terram.* Hunc locum Pater Pintus admodum aptè, ut reor, interpretatus eſt, dum ait: *Putant Patres ſignificari curam illam, & ſollicitudinem, qua Chriſtus utrique tunc populo, Judæo, & Gentili (quos in mari terraque repræſentari volunt) in unam fidem eum jungendo, aſſiſtebat: aut qua juſtis, peccatoribusq; illos juſtificans, iſtos vocans, intendit. Sic omnibus, licet inter ſe longinquis, ad remedium, & rerum notitiam, cura & affectu, quaſi corpore utrobique præſens eſt.*

Vigilantia Dei ubique præſtò eſt.

Hæc eſt illa amplitudo charitatis Dei, & vigilantia clementiſſimi Domini, ita ut locus tam profundus non ſit, ubi hæc non aſſiſtat, & non invigilet. Dilatat illa greſſus ſuos, ut ad neceſſitates noſtras præſto ſit: id quod nobis per Pſalmiſtam ſuum inſinuat: *Cùm ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Hujuſcemodi ſibi pedes Paulus deſiderabat, cum deplorando miſerias humanas, ſic loquebatur: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Et alibi: *Omnia omnibus factus ſum.*

Qui hæc ad moralem ſenſum traducere vellet (ſubjungit Pater Pintus) inter humana & quotidiana negotia hominem denotare poſſet, qui in quibuscunque ſe occaſionibus, & actionibus, tam forenſibus, quàm domeſticis, tam privatis, quàm publicis impendat, cui proverbium illud Italorum conveniat: *E un facendone coſtui, che vuol da per tutto trovarſi.* Hanc loquendi methodum vel phraſin Ariſtophanes Comicus uſurpavit, cum de equitibus loqueretur, ait enim: *Non poteſt fieri ut Paphlagonem aliquid lateat, qui videt cuncta: habet enim alterum pedem in pylo, alterum verò hic in concione.*

Idem ſic diceretur: pedem unum in gyro habet, alterum in centro, ſicut circinnus. Dicitur item de homine inepto, pedem in pluribus calceis habet. Utque ad ſenſum ſpiritualem regrediamur: Rex David, loquens de adjutorio divino, ſic habet: *Ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus. Intellige* (inquit præfatus Commentator) *ſiniſtram* *L. c.* *apprehendentem mare, & dexteram terræ flumina: ut terræ mariſque imperium denotet.* Videatur ſuper hæc diffuſius Lorinus.

Nec ſolum hic loquendi modus inter ſacros Authores uſitatus fuit, quin & inter Paganos conſvetus erat. Hujus rei teſtis eſt Legatus quidam Scytharum ad Alexandrum Macedonem miſſus: Inter cæteros enim venerationis & obſequii actus, quos Regi illi exhibuit, hæc ſubjunxit: *Si Dii habitum corporis* *Q. Curtius.* *tui, aviditati animi parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet. Altero pede Orientem, altero Occidentem contingeres: & aſſecutus ſcire velles ubi tanti Numinis fulgor conderetur.* Hac eadem forma Redemptor noſter, non tam corporali ſtatura, quàm majeſtate divinitatis à Propheta decantatur, & declaratur. Hic ego quoque occaſionem nactus, pedem unum in aquas collocando, loquar

DE LOTIONE PEDUM.

PRiſcis temporibus hoc officium Mulieribus attributum erat, ut balneis aſſiſterent: & ad hoc negotii diſpoſitæ erant. Vivum ejus rei teſtimonium in libro primo Regum habetur, ubi David peregri- *Cap. 25.* nus divertens in Hoſpitium Nabal, quantò incivilius ab homine inhumano rejectus, tantò benevolentius ab Abigail muliere honeſtiſſima ſuſceptus fuit, quæ eum ſic allocuta eſt: *Ecce famula tua ſit in ancillam, quæ lavet pedes ſervorum Domini mei: Quaſi dicat* (verba ſunt Commentatoris) *puella nobilis,* *Pintus Tract. 1. cap. 9.* *& decora: tuos ego ancilla ſervorum tuorum pedes lavatura.* Paulus Apoſtolus veras viduas examinando, indagat an in miniſterio tali exercitatæ ſint, unde ait: *Si hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit.* Hinc *1. Timot. 5.* famulatus ille pietate plenus eſſe recognoſcitur, & omni acceptione digniſſimus. Sed ut morem illum ab altiori antiquitate repetamus: Apud Homerum Penelope uni puellarum ſuarum præcipit lavare peregrino marito ſuo pedes, qui ex improviſo domum reverſus fuerat, ſed nondum agnitus. Verba autem ejus è Græco in Latinum tranſlata, quibus ſe huic cæremoniæ accommodare recuſavit, hæc ſunt: *Neq; fœmina tangat pedes meos, niſi aliqua vetula antiqua.*

 Citat

lib. 11. c. 30. *lib. 13. c. 17.*
Citat hunc uſum Antiphanes in Zazyntho apud Athenæum. Et idem Athenæus, de Dephilo Comico, vel hiſtrione hæc refert: *Cum igitur ex theatro aliquando eum inter certandum efferri contigiſſet, quam conveniebat ad Gnatenam nihilominus acceſſit: cùm Delphicus Gnatenam lavare ſibi pedes juſſiſſet: quid enim, hæc reſpondit, nonne elatus accedis?*

Hæc conſvetudo intra domeſticos lares etiam ab honeſtis mulieribus obſervabatur. Sed in publico non niſi meretricum erat, quæ pedes amaſiis ſuis lavabant: Sic Heliodorus teſtificatur.
lib. 5. Hiſt. Æthiop.
Unde non omnino extra propoſitum erat, quod Phariſæus judicium illud ſiniſtrum formavit, dum Magdalenam in publico convivio vidit Salvatoris pedes lavantem. Quamvis in ſubſtantia rei error eſſet: nec enim excors homo, in actu tàm eximio pœnitentis apertam confeſſionem contemplari potuit, in Salvatore autem teneritudinem Sancti Amoris, quem pœnitentia tam profunda ſuſcitaverat. Unde ſupra hoc factum Petrus Chryſologus inquit:
Serm. de Magd.
Ad pedes recurrit, quia citam veniam requirit. Utque hanc lavandi conſvetudinem tanto magis confirmemus, ſicut & ungendorum pedum in publico, Athenæus de continentia Socratis diſcurrendo, hac eum loquendi forma laudat:
lib. 15. c. 3.
Socrates verò à tibicinis, & puero eo, qui cytharam pulſabat, ac tripudiabat, abſtinuit fæminæq; parum decorè in caput ſaltantis unguentum abnuit. Nec ſolum lotio pedum in uſu erat, ſed & unctio, ſicut præfata S. Magdalena in pedibus Salvatoris fecit.
lib. 11. c. 30. *lib. 15. c. 25.* *Iob. c. 29. v. 6.* *In Append. ad Tricl.*
Copioſus in his eſt inter Modernos Maldonatus, inter veteres Athenæus. Legatur ſuper hæc Petrus Ciacconius, ſicut & Pinedas, qui probabile eſſe authumat, illic ubi Job de pedibus unctis butyro, loquitur, id de ungvento intelligendum. Hinc Cephiſodorus Apud Athenæum inquit, *quod ungvento modo unxit pedes Calliſtrati.*

Una cum ungvento oſculum uſitatum erat. Unde Ariſtophanes de honeſtiſſima filiola loquens, quæ tali modo Patri ſuo obſequium & ſervitium exhibebat, ad vivum videri poſſet Mariam Magdalenam expreſſiſſe. Ait enim:
lib. 13. c. 3.
Lavat, & pedes ungit, & inclinata oſculatur. Plinius hunc uſum ab Aſiaticis ad Romanos translatum fuiſſe memorat, loquens de nimium libero, & profuſo ungventorum luxu. Verba ejus hæc ſunt: *Vidimus etiam veſtigia pedum tingi. Quod Marcum Ottonem monſtraſſe Neroni Principi ferebant. Quæſo ut qualiter ſentiretur, juvaretque ab ea parte corporis?* Concludit exinde Ramirez: *Nil itaque novum excogitavit Maria in ungendis Chriſti pedibus: licet puriſſimum pœnitentiæ genus innovaret:* Nec denique inuſitatum erat, quod capillis eosdem pedes deterſit. Sed cum in his videam me à pedibus ad caput reverti, benevolum Lectorem ad copioſam, & eruditam Lectionem Patris Pinti ablego, quem in loco præmemorato citavimus.

Ut igitur à propoſito themate non digrediar, illud porrò ſciendum, ad demonſtrandam innocentiam, & puritatem cordis, non ſolum manus olim ſicut in tractatu earundem explicitum fuit, ſed & pedes lotos fuiſſe. Eruitur hoc inprimis de verſione quadam Hebraica ſupra ſenſum Davidicum, ubi in pſalmo quinquageſimo ſexto dicitur: *Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam: manus ſuas lavabit in ſangvine peccatoris:* hic Hebræi *pedes*, in loco *manuum*, juxta vulgatam, legunt. Hujus etiam opinionis Pater Pintus eſt, qui in ſacris Deuteronomii cæremoniis, ubi cum exactitudine lotio manuum præcipitur, intelligendam illic non minus & pedum lotionem & purificationem opinatur. Ut videlicet ſine omni im-
In Exodo.
munditie eſſet, qui ſacrificaturus erat. Quam conſiderationem ab altera illa cæremonia deſumit; ubi circumciſio mandatur, quæ circa ſolum præputium erat: & nihilominus dicitur, ad accuſandos eos, qui ubique maculati erant. *Labia incircumciſa, aures incircumciſæ, cordis præputium, & incircumciſa corda:* quæ ſæpius in Prophetis reperiuntur. Hinc ſupra id, quod anima ſancta in Cantico inquit:
Cant. 5.
Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Paraphraſtes Chaldæus ſic exponit:
Cap. 43. 8. l.
Ego ſanctificavi pedes meos ab immunditiis veſtris, quomodo inquinabo illos inter te, & operibus tuis malis? De quo Author citatus deducit: *Quaſi nota gentis ſuæ phraſi: ut inquinati pedes dicebantur in via peccatorum, ſic etiam ad ſanctificationem lavari dicerentur.* Ergo, ut dictum eſt, ad declarandam innocentiam non ſolum lotio manuum, ſed & pedum fiebat. Unde etiam, prout memoratum eſt, Pilatus ſibi pelvim ad lavandum apportari juſſit, ut ſe ab injuſta Salvatoris morte, & condemnationis ejusdem culpa eximeret.

Hac itaque ratione Redemptor noſter, peracta jam cœna, in actum profundiſſimæ humilitatis ſe inclinans, cinctus candido linteo, lavare pedes, & tergere cuique Apoſtolorum ſuorum voluit: Id quod ſtimulante affectus ſui immenſitate operatus eſt, qui affectus in his aquis abſit ut dilueretur, & extingveretur, quin potius in catino Amor divinus pullulabat, qui tanquam fons Paradiſi, Animas illas ad ſalutem potabat. Plures rationes ſunt, quæ ad hoc faciendum eum impulerunt, quarum aliquas breviter adducturus ſum, ut univerſali, ad quod accingor, ſatisfaciam. Inprimis autem, ſi tempus, quo hæc functio celebrata eſt, conſiderare placuerit, ante inſtitutionem enim diviniſſimi Altaris Sacramenti factum eſt (ubi Jeſus Redemptor noſter una cum Apoſtolis, univerſum terrarum orbem ſemetipſo cibare voluit) hoc lotionis ſymbolo demonſtravit, cum quanta puritate & munditie cordis ad tantum ſacramentum accedere nos oporteat.
Mundities animæ qua ad altaris ſacramentum accedendum eſt.
Unde idem ipſe ajebat: *Qui eſt lotus, non indiget, niſi ut pedes lavet.* Hæc opinio S. Bernardi eſt, ſumpta ab eo, quod ad Petrum Salvator inquit: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.*

Metaphoram autem de literali lotione balneorum, ubi corpus mundatur, ad ſpiritualem animæ traducit. S. Auguſtinus in hac lotione profundiſſimum humilitatis actum recognoſcit,
Humilitas.
in quem ſe æternus Deus demiſit, usque adeo ut & proditori Judæ ad pedes inclinare ſe dedignatus non ſit. Ejus efficacia verba, hæc ſunt:
Ex theatro lit. E.
Siquidem Chriſtus veſtimenta gloriæ ſuæ poſuit, dum in forma Dei exiſtens ſeipſum exinanivit, & velut linteo ſe præcinxit, dum formam ſervi inducit: deinde velut aquam miſit in pelvim, qua pedes noſtros abluit, quando ſangvinem ſuum in terram effudit, & lavacrum inſtituit, quo immunditia noſtrorum deleretur peccatorum; denique linteo, quo accinctus erat, pedes ablutos terſit, cum carne, qua erat indutus, fidelium veſtigia confortavit. Tanta enim eſt humanæ utilitas humilitatis, ut eam ſuo commendarit exemplo divina ſublimitas: quia homo ſuperbus in æternum periret, niſi illum humilis Deus inveniret. Sic Auguſtinus, ſemper quidem optimè, ſed hic, ut mihi videtur, præſertim in hoc puncto ſemetipſum exceſſit.

Ad has rationes S. Cyrillus adjungit, Clementiſſimum Deum hanc actionem feciſſe, ut ſuorum arrogantiam reprimeret, ſciendo inter illos unum eſſe, cui vitium hoc adhæreret: idque egit exemplo incomparabili. Unde Petrus Bleſenſis inquit:
Serm. 17.
Humiliatæ ſunt ad pedes ſervorum manus Salvatoris, ut hujus humilitatis exemplo à cordibus humanis abſtergeretur tumor

tumor elationis. Voluit præter hæc benigniſſimus Dominus docere nos, alterum alteri mutuis officiis inſervire debere, quamvis id etiam viliſſima & abjectiſſima miniſteria concernat. Quod totum evidenter per doctrinam Chriſti proponitur: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis: ſum & enim. Si ergo ego lavi pedes veſtros* (ecce emphaſim) *& vos debetis alter alterius lavare pedes.* Sic vobis faciendum eſt, cum & confratres & condiſcipuli ſitis, omnes uno charitatis vinculo alligati & uniti.

Hic ritus, teſte Auguſtino, deinceps poſteritati traditus eſt: in domibus enim religioſis, primitus hoſpitum pedes lavabantur & extraneorum, quotquot illuc confluxerant. Quem hodie morem in laudabiliſſimis Conventibus religioſi viri imitantur: apud Capuzinos præſertim, ubi illud cum magna ædificatione mea videre mihi licuit. Nec tamen hæc conſvetudo charitatis mutuæ, & hæc functio tam laudabilis inter Chriſtianos ſolummodo nota eſt: quin & primitivis temporibus inter Patriarchas viguit. Sicut liber Geneſeos id duplici in loco recenſet. Inprimis illic de Abrahamo dicitur, poſtquam ei Angeli apparuiſſent: *Tres vidit, & unum adoravit*, iidem & Loth in Sodomis apparuerunt, uterque autem eos ad lotionem pedum invitavit: Abraham his verbis: *Declinate in domum pueri veſtri, & laventur pedes veſtri:* Loth ſequentibus: *Ne transeatis domum meam, & lavabo pedes veſtros.* Copioſi
lib. 9. in Ioan. c. 5. in libello de triplici cœna 7. & 8.
in hac materia ſunt S. Cyrillus Alexandrinus, & Joannes Volterus, ad quorum fuſiores tractatus Lectorem transmitto, ſiquidem in his uberius paſci, & fundari deſiderat. Ego interim ad alios ritus & ceremonias me transfero: dicturus

DE AMBULATIONE ET CURSU.

HÆ proprietates inſeparabiles ſunt à pede. Unde non immerito mihi videar multum aberrare, ſi hac occaſione commoda, & cum materies ipſa ſe offerat, non inde aliqua huc adducerem: loquendo de ambulatione ſuperba, affectata, inflata, & vana præſertim fæminarum priſci temporis: unde ab earundem diſſolutione tanto clarior evadet modeſtia, & diſciplina modernarum.
Ambulatio incompoſita & affectata fæminarum antiquarum.
Hinc alludendo ad pedum agilitatem in celebratiſſima fæmina quadam Illuſtris Dominus Joannes Ciampolus, neſcio an per phraſin poëticam, an verò, cum fundamento veritatis de his motibus ſcribendo, & elegantiam verborum inde mutuando, ſic in ſimilitudine pulchra, & eleganti hyperbole inquit:

Tal d' Eurora in fra gli Allori
Move Cintia il pie di Neve,
E non piega il capo a i fiori.
Tant' e lieve.

Iſa c. 3.
De hoc tam pompoſo inceſſu Iſaias Propheta cu florida eloquentia inquit: *Pro eo, quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant.*

Tract. 1. q. 35.
Nec ſolum fæminis hæc incedendi arrogantia conſveta fuit, ſed Pater Pintus memorat: *Inprimis ad illorum mentem, qui putant reprehenſos in hoc loco principes, & Dynaſtas Hebræos, qui evirati mollitie, & in fæmineum luxum declinantes, ad eorundem infamiam, filiarum hic nomine appellantur.* Julius Firmicus hunc ambulandi ignominioſum mo-
Aſtron. 8. c. 7.
dum ſequentibus verbis deteſtatur: *Eorum veſtes ad muliebris cultûs ſimilitudinem excolentur: hi & molliter ambulantes veſtigia ſua delicata moderatione ſuſpendent.* Apulejus ad punctum ambulationis propius accedit:
lib. 2. Metam.
Alius ſocchis ſubauratis inductus, ſerica veſte, mundoque pretioſo, & attextis capite crinibus, inceſſu perfluo fæminam mentiebatur. Nec minus proprie Phædrus Comicus, qui irridendo
lib. 6. c. 22.
Menandrum quendam eviratum, conſimili forma ambulantem, ſic ajebat: *Ungvento delibutus, veſtitu affluens, veniebat greſſu delicato, & langvido.*

Inter Patres Lactantius Firmianus, & ipſe hanc incedendi petulantiam arguens, tali verborum phraſi utitur:
lib. 7. de Provident.
Quorum enervata corpora in muliebrem inceſſum, habitumque emollita. His convenienter Salvianus, *cùm enim*, inquit, *muliebrem habitum viri ſumerent, & magis quàm mulieris gradum fingerent.* Hæc mollities ad majorem faſtum ambulationis exprimendum, talis eſt, qualem Amator Lauræ ſuæ deſcribit, dicens de eadem, quod *paſſu tardo & lento* in Templum proceſſerit.
Petrarch. in Poeſiis.
Hæc denique inceſſus forma ab erudito Pontano reprehenditur, illic ubi ſupra Textum Ovidii (in quo de Gigantibus ſic loquitur:
Ad 1. Georg. faſt. 5.

Terra feros partus, immania monſtra Gygantes
Edidit, auſuros in Jovis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angves.

Hæc refert: *Quod autem ait habuiſſe angves pro cruribus, hoc nempe eſt, quod inceſſu quodam ſuperbo, tanquam angvium ſpiras imitati ſunt: videlicet non ſine faſtu in ſemicirculo, contortis pedibus, ſeu veſtigiis. Idque Thraſonibus, popularisque auræ captatoribus in conſvetudine eſt.*

Nihilominus quod de Iſaia ſuperius relatum eſt, de fæminis literaliter intelligendis loquitur. Hinc non abs re in hac ſignificatione ſumendum eſſe conjecturare poſſumus. Ut verò hanc propoſitionem etiam inter antiquos Authores ſtabiliamus, primò ſe nobis Euripides offert, qui in Medea ſua, de regia quadam puella loquens ait:
Euripid. in Medea.
Inde, relicto throno, ſurgens perambulat ædes, molliter incedens, pede candido, donis exultans, & multum ſæpe erecto collo, oculis circumſpiciens. Dixerit quis non immerito memoratum Prophetam originale eſſe qui primus hos mores deſcripſerit, quem deinceps Euripides copiaverit. Sed nec Petronius Arbiter minus propriè ad rem, dum ait:
In Satyr.
Quò enim ſpectant flexæ pectine comæ, quò facies medicamine attrita, & oculorum quoque mobilis petulantia? quò inceſſus arte compoſitus, & ne veſtigia quidem pedum extra menſuram aberrantia? Niſi quod formam proſtituis, ut vendas? Aperitur hic ampliſſimum argumentum, ad deformandam invectivam longiſſimam contra choreas, contra quas antiqui Patres tam diffuſe tam ſeverè ſcripſerunt.

De teneritudine, & levitate prædicta locus Deuteronomii inſignis eſt, qui ait:
Deut. c. 28. v. 56.
Teneramulier, & delicata, quæ ſupra terram ingredi non valebat, nec pedis veſtigium figere propter mollitiem, & teneritudinem ſuam. Idem de Regina Eſther legitur:
lib. Eſt. c. 15. v. 6.
Aſſumpſit duas famulas, & ſuper unam innitebatur quidem, quaſi pro deliciis, & nimia teneritudine corpus ſuum ferre non ſuſtinens. Admirabile eſt, quod ſupra hunc locum P. Pintus ait:
Loc. cit.
Niſi quod puriſſima Regina non tam vitii affectu, quàm liberandi populi cauſa, captandis Aſſueri oculis, hanc inceſſus mollitiem inculpabiliter ſimulabat. Hanc ambulandi formam Ponti incola intellexit, dum binis verbis totum ſuccinctè concludit:

Eſt & in inceſſu pars non temnenda decoris.
3. de Art. Amand.

Hunc laſciviendi modum, & affectatam ambulandi mollitiem Vatablus, commentando ſcripturam ſuperiorem ſic demonſtrat: *Quandoquidem faſtuoſæ ſunt*

ſunt filiæ Sion, & porrecto collo incedunt, ac fallaci oſculorum nutu incedendo, molliter ac fractè eunt, & pedibus ſuis ornamenta adhibent.

Sic enimvero paſſus quaſi fracti ſunt, & infantiles, hinc à ſenſatis non immerito deridentur, de quibus Petronius Author Satyricus inquit:

- - - omnibus ergo
Scorta placent, fractique, & enervi corpore greſſus,
Et laxi crines.

Non minus eleganter Propertius:

Quæ caput, & digitos, & lumina nigra puellæ,
Et canit, ut ſoleant molliter ire pedes.

Hinc Ovidius cum his:

Sed ſit & in multis modus: hic quoque ruſticus alter
Motus in inceſſu, mollior alter erit.

Legantur de his Catullus, Lucanus, Statius, Claudianus, Lucretius, & alii inter poëtas meliores, qui meliorem quoque Italis poëtis dicendi formam, & phraſin ſuggeſſerunt. Quos motus interim magnus ille Ethicus Seneca, tanquam pueriles deteſtatur,
lib. 7. cauſ. ant. c. 31.
dum inquit: *Tenero & molli inceſſu non ambulamus, ſed repimus.* Videtur hæc methodus, ipſam ambulationem excedere, & ſaltui, vel reputationi ſimilior eſſe.

Sic Euripides matrem introducit admonentem, & corrigentem filiam ſuam, quæ quaſi pedibus plaudebat, & quaſi exilire ſupra currum videbatur: verba ejus hæc ſunt: *Tu verò filia mea, relinque equeſtres currus, tenerum ponens pedem, infirmumque.*
In Aulide.
Omnis hæc ambulandi ars, qua fœminæ ſibi decorem & gratiam affingebant, in hoc conſiſtebat potiſſimum, ut agilitate, & levitate, quaſi ſummitate pedis pavimentum tangere viderentur. De hoc diffuſius præmemoratus Satyricus Author Petronius tractat, his verbis concludens:

Planta decens modicos neſcit calcare lapillos:
Et dura lædi ſcelus eſt veſtigia terra
Ipſe tuos cum ferre velis per lilia greſſus,
Nullo ſternuntur leviori pondere flores.

Hi ſenſus ergo poëtarum non vulgarium ſunt, quorum ſupra meminimus.

Nec ſolo intuitu elegantiæ, aut luxus fœminei, hic paſſus lentus tardusque in conſvetudinem abiit, ſed Pater Pintus aſſerit, hoc propter pompam & majeſtatem factum eſſe: unde gradum hunc pompaticum, & paſſum gravem appellat, Authorem adducens Patrem Sanchez qui quaſi cum admiratione ſic ait: *Ecquis gradus pompaticus? Ego illum capio, qui non merum faſtum, & arrogantiam involvit: Sed ſimul decorem, & quodammodo rhytmicam menſuram adhibet gradienti.* Eſt autem umbra quædam choræarum, quæ *cromaticæ*, vel graves dicuntur. De his Catullus ſic habet: *Quam videtis turpe incedere rhytmicè, ac moleſtè.* Et Propertius:
Paſſus pompaticus & gravis.
Spicil. Sacram. Tract. 1. c. 36.

Ibat & expanſo planta morata gradu.

Hic inceſſus proprius eſt perſonis inſignibus, magnæque authoritatis in hujus rei teſtimonium Pater Ramirez quendam incognitum authorem, nomine Ruthg adducit, qui de Polyxene ſic ratiocinatur:
Var. lect. lib. 5.

- - - pede fulta brevi procera venuſtas,
Poplitis erecto vibrans veſtigia greſſu.

Pariter de Helena:

Pes brevis inceſſu terram librante ſupino,
Laſcivum ſuſpendit iter, currumque decora
Mobilitas compto libramine ponderat artus.

A Latinis paſſus, vel gradus Junonis nominatur, à Græcis mutuato nomine. Appellatur item paſſus complicatus: fiebat enim veſtibus propemodum plicatis. Tantopere ad compoſitionem perſonæ externæ attendebant, forte cum interna plena incompoſitione eſſet. Junonis dicitur, Virgilius enim fabulatur, tali modo eam loqui ſolitam, utpote Numinum Reginam: *Atque ego Divum Regina incedo.* In hunc modum (inquit Livius) virgines eidem dedicatæ incedebant: *pulſu pedum modulantium inceſſerunt.*

Quidam hunc pompoſum, & decorum inceſſum transcendendo, eum in arrogantem, & faſtuoſum convertunt: huc reſpiciunt, juxta omnes commentatores, dicta Spiritus Sancti, jam alibi memorata: *Annuit oculo terit pede.* Ubi cùm expreſſione ſingulari verſio Tigurina ſic legit: *Indecorè pedes ſuos ſuccutit:* quaſi rumorem pede excitans. Cui Pater Salazarus ſubſcribit, dicendo: *Solent enim, qui pompaticè gradiuntur, pede ſupplodere, ut pede ipſo ſe inſtare teſtentur.* Tumultum excitant, & hoc ipſo adventum ſuum annunciant. Hæc pompoſa ambulatio per Prophetam Amos deteſtationem ſuam habet, ait enim: *Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraël.* Marcus Tullius prudenter ab hac ſtolida, & affectata incedendi pompa nos præcavare docet, illic ubi inquit: *Cavendum eſt, ne tarditatibus utamur in inceſſu, mollioribus ut pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur.* Caſtigationem ſeveriſſimam, & vindictam minitatur Altiſſimus, in eos, qui cum hujuſcemodi pompa gradiuntur, idque apud Sophoniam: *Et viſitabo ſuper omnes, qui arroganter ingrediuntur limen in illa die.* Terribilis dies, in qua & ipſa pedum commotio ſub ſcrutinium Judicis cadet.
Prov. 6.
Cap. 6.
lib. 1. offic.
Cap. 1.

Præter hos gradus jam ſupra adductos, alii rurſum ſunt, quos dixeris his contrarios, qui omnino incompoſiti, & extra omnem menſuram ſunt: quorum uſus in Orgiis Bacchi exordium ſuum ſumpſit. In quibus ludis ſupra utres oleo repletos confertim ſaltando, diverſimode incompoſitis geſticulationibus & intorſionibus corporis retrorſum latebantur. Hinc Poëta: *Unctos ſalire per utres.*

De actibus tam nefandis, tamque alienis ab omni honeſtate, & quos mens bene morata refugit, ulterius penna mea hiſtoriam proſequi abhorret. Lectorem itaque curioſum ad eos Authores transmitto, qui diſertiores me de materia choræarum ſcripſerunt. Id ſolum hic dixerim hunc motum tam incompoſitum apdellari à Seneca, motum fullonicum: A fullonibus ducta ſimilitudine, qui cum mira membrorum jactatione & inflexione, pedibus ſuis pannos conculcant, quos tali modo lavant, & tingunt. Huic rei authoritatem impertit Nonius, dum ait: *Et propè in urbe erat ibi in elegantibus puteis cunctorum ſquallens multitudo velorum, pedibus peragilibus calcans tunicas, pedibus inter ſe contendentibus.* Idem confirmat Titimus: *Terra hæc nova eſt, quaſi ubi tu ſolitus pedibus argutarier, dum compeſcis cretam, & veſtimenta eluis.*
Dian. l. 1.
De fullonibus.

Omittere hic nequeo quin recenſeam id, quod ad majorem condemnationem eorum hominum tendit, qui cum irreverentia, & ſacrilegio conſecrata vero Deo templa tam parum in honore habent, ut ubi eis patrocinium impetrandum erat, magis peccatorum culpas aggravent: Itaque tacere non poſſum motum quendam ſuperſtitioſum, quem antiquitas *paſſum trepidationis, & timoris* appellavit, quo veteres ad delubra Deorum ſuorum progrediebantur. Verificatur traditio hæc inprimis per Lucanum poëtam, qui quendam reprehendit, quod cum nimio reſpectu, & ultra quam conveniat ſubmiſco, tumulum Pompei hominis turbulenti veneratus ſit, his verbis:
Motus trepidationis, & timoris in locis ſacris.

omnia

- - - omnia Lagi
Rura tenere poteſt, ſi nullo ceſpite nomen
Hæſerit. Erremus populi, cinerumque tuorum,
Magne, metu nullas Nili calcemus arenas.

Hic timor in populo Philiſthæorum impreſſus erat, illic nimirum ubi Idolum Dagon, truncato capite, & mutilatis manibus, proſtratum viderunt. Vix enim ad reſciſſum caput approximare auſi ſunt: cum reverentia enim, & tremore fragmenta illa recomponebant, prout liber primus Regum commemorat. Atque ita Veterator ille, hoſtis animarum, cultum & latriam ſoli Deo debitam ſibi attribuendo, ficta & falſa hac religione, à vera & perfecta abſtrahere nititur.

Non minus ſuperſtitioſum eſt, quod Cornelius Tacitus refert, ubi de Senonibus loquens, ſic ait: *Eſt alia luco reverentia: Nemo niſi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, & poteſtatem numinis præſeferens. Si fortè prolapſus eſſet, attolli, & inſurgere, haud licitum: per humum evolvitur.* Sic enimvero luci obſervabantur, in quibus religioni erat cecidiſſe: itaque cavebant, ne humi rependo dici poſſet (ſic tradebant) in quadrupedem tranſiiſſe. Sed quot inter Chriſtianos ſunt, qui turpiter in Eccleſiis cadunt, quibus ſi ruina ad interitum eſſet, plures utique mortui, quam viventes illic reperirentur.

Paſſus item, qui ad perterrendum formatur, quo umbræ prædeceſſorum noſtrorum (ſic ille inquit) moventur, tum cum poſteris ſuis apparent, ſic ab Ovidio deſcribitur:

Metam.
- - - vidi procedere longam
Ante pedes umbram (niſi quod timor illa videbat)
Sed certè ſonituque pedum terrebar &c.

2. Æneid.
Et Virgilius:

Nunc omnes terrent auræ: ſonus excitat omnis
Suſpenſum.

Et paulò infrà:

- - - Subitò cum creber ad aures
Viſus adeſſe pedum ſonitus.

Spicil. Sacr. Tract. 1. c. 36.
Videtur ipſe Creator orbis (ſic P. Pintus ait) pro capacitate noſtra, in paradiſo poſt peccatum inobedientiæ primo Parenti noſtro ad terrorem, & metum ita ſe moviſſe: juxta illud Scripturæ: *Cùm audiſſet vocem Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiem*, ubi concludit præfatus Author: *Ego puto, vocem deambulantis, eſſe deambulantis ſtrepitum, & graviorem quendam pedum pulſum, quaſi ipſi gradus grandiores, & ſonantes iram, tantum non prolatis verbis, teſtarentur.* Huic opinioni ſuffragatur S. Leontius, qui Adamum ſic cum Deo loquentem introducit: *Vocem tuam audivi ambulantis, & abſcondi me: & cur timerem ſatis erat vel pedum tuorum ſtrepitus. Tanti enim Judicis omnia clamant membra.* Hæc igitur quæ dicta ſunt, non modica nec parca mihi videntur, dum de motu & officio pedum, gravi, lento, decoro, eleganti, pompatico, tremebundo, & terribili locuti ſumus. Reſtant dicenda
Gen. 3.
Apud Phot. Codic. 272.

DE CURSU.

HÆC actio item propria pedis eſt; unde ſi prætermittere hoc in genere quæ memoratu digna ſunt, voluerimus, tollemus, ut opinor, proprietatem quandam, quæ ad hoc valet, ut neceſſitati urgenti ſuccurramus, ut pericula effugiamus, & ad metam deſideratam velociter pertingamus. Sic ergo in nobiliſſimo quodam conſeſſu venerabilium virorum ego quoque memini peroratione quadam ad perſvadendum exercitium, & operationem, me de uſu, & cæremonia dixiſſe, quam hic allaturus ſum. Exhortatio mea hujuſcemodi erat: Dirigite oculos veſtros, auditores mei, ad ſeptum, ſtadia, vel curriculum, & illic conſiderate velim, cum quanta velocitate ad propoſitam ſibi coronam & metam equi decurrant. Sed ille curſus qui ſequitur, non irrationabilium animalium, ſed hominum ratione præditorum, & ſenſatorum erat, juxta Herodotum, Platonem, Pauſaniam & Eraſmum. Antiquus Athenienſium mos erat, ut ſi quando in vicinia illa ludi Vulcanii celebrarentur, robuſtior juventus ſtrictiſſimo veſtimento præcincta, ab ara Promethei, unde ſignum excurſionis dabatur, ad conſequendum, & obtinendum bravium infatigabiliter usque in Portam Athenienſem decurreret: idque hac exotica methodo, ut primus in manu facem ſuccenſam gereret, quam ſubſequenti porrigeret, ſiquidem vel laſſitudine, vel quovis caſu alio à curſu ſuo declinare vellet, & ſic deinceps ſecundus tertio, usque ad eorum poſtremum: ſed infortunatus erat, in cujus manu extingvi facem contingebat: inter umbras enim omne gloriæ ſuæ lumen amittebat. De hac conſvetudine ego anſam accipiens adhortabar auditorium meum, uſurpando dictum illud Evangelicum: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Nec aliud quàm ſtadium eſt vita noſtra, juxta Apoſtolum Paulum, ubi: *Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium.* In hanc itaque ſententiam Oratorum Princeps, volendo indicare quantùm deceat Principem eſſe aſſiduum in labore, & exercitio, ſic ait: *Non enim, quemadmodum in palæſtra, qui tædas accipit, celerior eſt in curſu continuo, quàm ille qui tradit, ita melior Imperator novus, qui tradit exercitium, quàm ille, qui diſcedit.* Alludendo ad hoc, quod glorioſius ſit ſuſcipere, quàm tradere officia, non ſecus ac facem illam.
Exercitium
Herod.
In Vrania.
Plat. lib. de Repub.
Pauſ. in Attic.
Eraſm. Adag. 38.
fax data in manus curſorum.
Vita noſtra ſtadium eſt.
Ad Herennium.

Herodotus aſſerit hanc conſvetudinem à Perſis inventam, qui taliter in ordinem redigebant, tam equos, quàm equites, ut viciſſim ſibi facem tradere ordinatò poſſent. Pauſanias in deſcriptione ludorum hujuſcemodi admodum copioſus eſt. De quibus omnes conveniunt, quod in honorem Promethei inſtituti ſint, quippe qui face, qua radios Solis furatus fuerat, deſcendit ad animandum Epimetum ſuum: prætendendo per hoc ſignum; ſe vividos, & animatos eſſe in curſu ſuo. Conſvetudinis hujus mentionem habet Plato, aſſerens idipſum fieri ſolitum in honorem Minervæ. Volunt nihilominus Authorem, & Inventorem ludi Prometheum ipſum fuiſſe. Per quæ omnia eorum hominum ignavia redarguitur, qui ad operandum aliquid adduci nullo pacto poſſunt.

Actus item ille, quo fax alteri porrigitur, ad hominem refertur, qui ſe à negotio quodam expediendo, aut ab officio, vel legatione, ejusdem adminiſtrationem alteri reſignat; & eum in munere illo impendit. Hinc univerſale proverbium, non tam per Græciam, quàm per totum terrarum orbem enatum eſt: *Curſu lampam trado.* Propter quod Lucretius, qui multum in arcanis naturæ penetrandis deſudavit, loquens de continua naſcentium ſucceſſione, qua alter alterum impellit, ſic ait: *Curſores vitæ lampam tradunt.* Marcus Varro ſucceſſiones officiorum deſcribendo (quippe quæ de una ad alteram manum deſcendunt) ſic loquitur: *Sed ô Merule! Axius noſter, ne dum hoc audit, phyſicam addiſcat: quo de fructu nihil dixi: curſu lampadam tibi trado.* Hoc Punctum Plato ad vivum tangit, dum ſic habet:
De re Ruſtica. 3. c. 15.

Civis

Cives oportere liberis generandis atque educandis operam dare, ut vitam, quam ipſi à majoribus accepiſſent, viciſſim quaſi tædam ardentem poſteris tradant. De hoc illud Perſii, ſemper alioquin obſcuri, intelligitur:

Qui priores, cur me indecurſu lampada poſcis?

His verbis Ariſtophanes uſus eſt: *Jam nemo queat geſtare facem, quod non curant exerceri.* Tali modo ſocordiam, & ſegnitiem ſuorum concivium coarguit. Ecce quàm aptis ſimilitudinibus, proportionibus, & doctrinis prudentiſſimi viri Antenati noſtri ſemetipſos ad operandum exſtimulabant, & juventutem à turpi otio divertebant: quod omnium vitiorum parentem dixeris, æruginem ferrum conſumentem, imo viros quoque robuſtiſſimos, & fortiſſimos. Interim ego hic calamum in hiſtoriis, ritibus, & conſvetudinibus tantiſper otioſum relinquo, ut eum tamen quantocyus reſumam ad explicandas

DEDICATIONES.

QUanta compaſſione digni ſunt, quanta item admiratione Pagani, gens miſera; quippe cum Altiſſimi Dei cognitionem veram non haberent, nihilominus in ſuperſtitioſo cultu, & ſeveriſſimis religionis ſuæ legibus ſine utilitate & fructu conſumebantur, & peſſum ibant. Hi obſequium Numinibus ſuis præſtabant, quibus utique majores & meliores erant: dotati enim erant motrice facultatum ſuarum anima, cum illa ſine ſenſu & anima ſint. Velificabant igitur pauperculi, ſed non ad portam: currebant, ſed non ad metam: ſagittabant, ſed punctum non attingebant. Plato contemplativus rationem indagat, quare ab antiquis maxime prudentibus, hiſtoria pigmæorum tanquam fabuloſa ſit habita: & concludit: quod ſibi impoſſibile videatur, in tam brevibus corpuſculis, contineri poſſe animas rationales, quæ intelligentias ſuas tam minutis particulis diſpertirent, globis, inquam qui animabus ſolum vegetativis animati ſint. Religio homini non ſecus ac anima indita eſt, à qua nunquam divelli poteſt, ſicut nec umbra à corpore, nec lux à radiis, nec radius à ſole. Hinc eſt, quod Albertus Magnus ſupra Platonis ſententiam illam, qua Pygmæos inveniri negat, ſic ad informationem noſtram loquitur: *Hac ratione forte munitus Sueſſanus pygmæos homines non eſſe faſſus eſt, quia perfectum rationis uſum non participent: idque magis adſtruit, quoniam religione careant: Cùm tamen, juxta Platonis mentem, religio ſoli & omni homini propriè conveniat.*

Religio indita homini à natura.

Quare Pygmæi non dentur.

Religio propria ſoli homini.

Hinc mirum non eſt ſi ad conſervationem partium corporis, ab omni oppreſſione, & periculo, quamque earum aut ſigno cæleſti, aut Numini, aut Deitati aſſignarunt, & in tutelam dederunt: prout ſupra jam memoratum eſt, & infra memorabitur. Porrò cum reliquarum partium enumeratio jam facta ſit, reſtat nunc videre dedicationem pedum: de quibus illud, Authorum unanimi conſenſu aſſeritur, eos apud Veteres inprimis dedicatos fuiſſe Mercurio, ſicut & libræ, & piſcibus. Id quod non ſine magno myſterio factum crediderim, ſi ad finem moralem harum dedicationum intendere voluerimus, non minus etiam ſi ad ſenſum literalem. Igitur non ſine profundo & myſtico intellectu, prout diximus, id factum eſt. Mercurius enim cum Legatus Jovis ordinatus ſit, depingitur pedibus alatus: unde etiam

Pedes dedicati Mercurio, libræ, & piſcibus.

ſuaviſſimus Concivis meus Hieronymus Preti, de Hermaphrodito, filio præfati Mercurii ſic ait: Salmac.

Bramò d'aver ſouente
I veloci taleri
Del ſuo gran Genitor pennuto arneſſe.

Hic ſenſus docet proprium pedis velocitatem eſſe. Sed ſi Cylenius Jovis Nuncius erat, nunquam tam velociter movendi ſunt, quam cum divinæ voluntatis imperium exequendum eſt. Hoc ipſum eſt quod Regius Cantor expreſſit: *Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum:* Et alibi: *Dirigantur viæ meæ ad faciendas juſtificationes tuas.*

Non ſolum manibus, ſed & pedibus & corpore toto inquirere ſolemus quod perditum eſt. In quærendo Deo, inquit S. Auguſtinus, ſimus Mercurii, toti pedibus conſtemus, toti vigilantia: hinc decet nos alis inſtructos eſſe. *Quæramus inveniendum, quæramus inventum: ut inveniendus quæratur occultus, & ut inventus quæratur immenſus.* Dedicandi ſunt item pedes noſtri, & libræ, & piſcibus. Sidus piſcium, juxta Aſtronomos, domus Jovis eſt, & libra ſignum juſtitiæ. Itaque pes hic dedicandus eſt, id eſt eum ambulare oportet juxta normam humanarum, & divinarum legum. Id quod primo loco Pſaltes Regius inquit: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Et Spiritus Sanctus alibi, ut nos de peccatorum blandimentis retrahat, ſic ait: *Fili mi, ſi te lactaverint peccatores, ne acquieſcas eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum.* Euripides elegantiſſimè: *Juſtia,* inquit, *harmonia, & concordia eſt totius animæ cum concinnitate.* Itaque ab hac declinare velle, tædioſiſſimæ, & inimiciſſiæ diſſonantiæ cauſa eſſet, qua ipſius animæ harmonia tam decora interrumperetur. Idcirco Plinius eleganter ait: *Egregium imprimis eſt, ut foris, ita domi, ut in magnis, ita in parvis, ut in alienis, ita in ſuis agitare juſtitiam.* Quæ materia vaſtiſſima pro iis eſt, qui in eadem exerceri deſiderant.

In Joannem. Prov. 2. Ap. Stobæum. Plin. Junior. lib. 7.

SIGNATURÆ HERBARUM, ET PLANTARUM.

CUM qualitates, affectiones, & ſymptomata pedum, eadem ſint cum manibus, (utrique enim fluxionibus ſubjecti ſunt, hæ quidem chyragricis, illi podagricis) curioſum lectorem ad ea remitto remedia, quæ jam ſupra in tractatu manuum relata ſunt; quæ hic recapitulare velle, cum eadem ſint, non niſi ſuperfluum, & fruſtraneum eſſet. Utræque partes, utpote in extremitatibus ſitæ, eandem ſimilitudinem habent, inſtructæ digitis, partibus concavis, & convexis fortificatæ, munitæ nervis, & muſculis, aliiſque partibus ſimilaribus, prout Anatomia docet. Hinc natura æqualiter compoſuit, ordinavitque, tam ſimplicia, quàm mixta, tam manibus, quàm pedibus expedientia, ex quibus proinde ſine intermiſſione divinæ largitatis munificentiam cognoſcimus.

Simplicia ſimul & mixta æqualiter manibus & pedibus medentur.

NOTÆ ANTIQUORUM SUPRA LITERAM P.

NON eſt quod viatori tantopere moleſtum ſit, quàm iter hiulcum, ſcabroſum, & incertum. Quot elegantiſſima monumenta Artificum negliguntur, & per incuriam in obſcuro latent, eo quod eorum inſcriptiones ignorantur: quæ nihilominus ſi nil aliud, certè memoriam defuncti exhibent: digna utiq; ut à poſteris legantur, & relegantur. Plerumque autem iis

iis in vilipendio ſunt, quia myſteriorum abdita non comprehenduntur, nec abbreviaturæ, vel characteres explicari poſſunt. Unde cum plura ego in hunc librum contulerim, ſpero me Lectori non modicum utilitatis procuraſſe. Cum ergo hactenus zifram literalem illam expoſuerim, quæ cujusque humanæ partis nomenclaturam inchoat, ut eidem conſvetudini meæ inhæream, literam quoque P. pro concluſione exponam.

Exprimebatur autem hæc per contactum pedis, pes enim hanc in capite literam gerit. P. autem ſolum apud veteres in notis ſignificabat: *pupillus, poſuit, pes, publicus.* P. A. *Pluviæ arcendæ.* PACE. P. R. *Pace populi Romani.* P. ÆL. AUG. LIB. *Publius Ælius Auguſti Libertus.* PAL. *Palmenſi.* PAR. *Parentum.* PARTH. *Parthicus.* PAT. *Patritius.* PA. DIG. *Patritiatûs dignitas.* P. C. *Pactum confectum. Patres conſcripti. Pecunia conſtituta. Præfectus caſtrorum.* P. D. *Publice dedit.* PCP. *Principem.* P. E. *Poteſt eſſe.* PEC. *Peculium. Pecunia.* PERT. *Pertinax.* P. F. *Publii filius. Patris filius. Poteſt fieri.* P. E. *Poſitus eſt.* PE. F. *Publice fecit.* P. H. C. *Publicus honor curandus.* P. H. *Poſitus hic.* PFM. *Paterfamilias.* PICEN. *Piceni.* PIENT. *Pientiſſimus.* P. IR. *Populus, vel Publius irrogavit.* P. I. R. *Populum Jure rogavi.* P. JU. *Principi Juventutis.* PD. DC. *Pondera duodecim.* P. L. *Publii Libertus.* PLB. vel PL. *Plebis.* PLEBS. URB. & HON. V. *Plebs Urbana & honore uſi.* P. M. *Principi militum. Pontifex Maximus.* PO. RO. *Populi Romani.* POMP. *Pompejus.* PON. M. *Pontifex Maximus.* POP. *Populus.* POSTH. *Poſthumus.* POT. *Poteſtas.* P. P. *Pater Patriæ. Pater Patratus.* P. P. P. P. E. S. S. S. E. V. V. V. V. V. V. V. F. F. F. F. *Primus Pater Patriæ profectus eſt ſecum: ſalus ſublata eſt: venit victor validus, vincens viris urbis veſtræ, ferro, fame, flamma, frigore.* P. P. HIS. C. *Præſes Provinciæ Hiſpaniæ citerioris.* PQ. *Poſtquam.* P. P. C. *vel* P. C. *Patres conſcripti.* P. P. P. B. M. *Pietatis plenus poſuit bene merenti.* P. P. R. *Pace populi Romani.* P. R. *Populus Romanus.* PR. *Prætor.* PRÆ. VIGIL. *Prætor vigilantiſſimus.* PRÆ. URB. *Præfectus urbis.* PRÆ. PRS. *Præfectus Præſidii.* P. EX. R. *Poſt exactos Reges.* PRID. NON. APR. *Pridiè nonas Aprilis.* PRINC. JUVENT. *Princeps Juventutis.* PRID. KAL. vel K. *Pridie Kalendas.* PROC. *Proconſul.* PROCC. *Proconſules.* PRON. *Pronepos. Proneptis.* PROPRÆ. *Proprætor.* PR. S. *Prætoris ſententia.* PR. UR. *Prætor Urbanus.* PRS. *Præſes.* PRSS. *Præſides.* PRS. P. *Præſes Provinciæ.* PR. PR. *Præfectus Prætorii.* P. S. *Poſuit ſibi.* PS. *Plebiſcitum.* P. S. F. *Publice ſibi fecit.* P. S. F. C. *Publicæ ſaluti faciendum curavit. vel ita: Proprio ſumptu faciendum curavit.* PSC. *Plebiſcita.* P. S. E. S. *Poſuit ſibi & ſuis.* P. S. TQ. H. *Præcipito, ſumito, tibique habeto.* PV. *Pupilla.* PUB. *Publicus.* P. V. D. *Pro voto dedit.* P. V. E. *Populo viſum eſt.* P. X. *Pedes decem.* Poterit Lector æſtimare de his quanti momenti hæc litera ſit: amplior enim in ſignificatione ſua eſt, quàm reliquæ. Si vero his fuſiora deſideras, mi Lector, poteris ingenioſiſſima indagine tua ulteriora rimari in iis Authoribus, qui hanc materiam prolixius tractarunt: Ego enim jam progredior ad conſideranda pedis

EPITHETA.

NEc inter Poëtas, nec inter Oratores ullus eſt, qui non fateatur in deſcriptionibus tam adæquatam eſſe ſimilitudinem oportere cum objecto quod deſcribitur, ut deſcriptio objecti deſcripti imago dici poſſit: Jam vero hæc imago non aliunde melius exprimitur, quam Epitheto, vel adjuncto. Dici poterunt Actioni motum impertire, quamvis inanima ſint: & non ſecus ac lumina quædam de umbris mortuis orationis, alioquin exangvis, colorem vitæ educere. Duobus verſibus, Poëta Lyricus Venuſinus affectationes humanas, ejusdemque actiones expreſſit, dicendo:

In Arte.

- - - triſtia mœſtum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem laſciva, ſeverum ſeria dicta.

Ingenioſa inventione Poëtica ſuaviſſimus Comes Fulvius Teſtius mala, quæ de vaſe Pandoræ Deæ effuſa ſunt exprimit, inter alia hæc referens:

L' afflitta pouertá, l' egra vecchiezza,
E' l veſtito di brun lutto funebre.

Ubi ad vivum deſcriptus apparet ſenex ſemper infirmus, ſemper dolens, veſtitu lugubri, portans umbram ſepulchralem. In alio loco amœniori ſic habet:

Battea nèl ſen di Teti
Zeffiro, adulator, placide piume.

Alludens ad hujus venti naturalem blanditiem, qua velut adulabundus & deoſculans, leni aura afflare ſolet. Itaque id inconteſtatum eſt, Epithetum ea quæ alioquin promiſcua ſunt, & confuſa, declarare, & ſagaci partitione rem unam ab altera disjungere, ita ut quaſi viciniori oculo videri poſſint, ſine corruptione tamen, & deterioratione compoſiti, imò vero hac diſtinctione tanto venuſtius, & perfectius evadere.

Ut ergo pedem, velut terminum, & finem materialem hominis debito ornamento ſuo non defraudem, accingor ad hoc ut eum cothurno, aut calceamentis ſuis induam per Epitheta illuſtrium authorum, qui cum tanta eruditione & eloquentia poſteritati lucubrationes ſuas tradiderunt.

Itaque ſuaviſſima Ovidii Clio pedes teneros appellat: *Impediunt teneros vincula nulla pedes:* Apulejus pedes ambroſios vocat: *Pedes ambroſios tegebant ſoleæ.* Vagos rurſum Ovidius: *Erramusque vago per loca ſacra pede.* Idem fugaces: *Fluxêre interea pede tempora laxa fugaci.* Candidos Pontanus: *Albentemque pedem, nudasque ad flumina ſuras.* Idem nitidos: *Gauderem nitidis ipſe premi pedibus.* Niveos idem: *Laxa fluat niveos veſtis ad usque pedes.* Tenellos Pamphylus: *Pectus candidulum, pedem tenellum.* Candentes Baptiſta Pius: *Candentem noſtro contulit illa pedem.* Idem agiles: *Temperat atque agilis fert amor ipſe pedes.* Idem facetos: *Vincula ſandalii baccata, pedesque faceti.* Argenteos Juvenalis: *Nam pes argenteus illis, Annulus in digito.* Supplices Seneca: *Ut ſacra Phœbi ſupplici intravi pede.* Albos Juvenalis: *Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.* Bifidos rurſum Ovidius: *Bifidosque reliquit rima pedes.* Idem biſulcos: *Pulvereumque ſolum pede palſavêre biſulco.* Fauſtos Horatius: *I bone, quo virtus tua te vocat, I pede fauſto.* Veros Perſius: *Cum fallit pede regula vero.* Manto pudicos dixit: *Pedibus calcata pudicis.* Eadem eburnos: *Læva viro diffuſa pedes velabat eburnos.* Aureolos Catullus: *Transfer omine cum bono limen aureolos pedes.* Idem molles: *Quo mea ſe molli candida Diva pede.* Formoſos Propertius: *Limine formoſos intulit illa pedes.* Idem celeres: *In celeres gloria nata pedes.*

Lib. 1. Faſtor. In Ep. Loc. cit. Satyr. 11. Oedip. Act. 2. 4. Metamorph. 2. Epiſt. Satyr. 4. Lib. 1. 3.

Interim Lector, his ingenioſiora, veſtigiis ſuperiorum inhærens, invenire poterit, ad quæ deinceps deſcribenda accingatur: Ego enim his ultra non immoror, ſufficiunt enim quæ jam allata ſunt.

PHYSIOGNOMIÆ.

NOn modico temporis ſpatio dubius ſteti, cum cogitationibus meis conflictatus, dum ſtatueram de materia hac Phyſiognomica nil referre, utpote quam ſemper opinatus ſum parum in ſe emolumenti continere, ſicut & Aſtronomicam: Cujus ſtudia ut vir moraliſſimus Alciatus percelleret, Phaëtontem repræſentabat, de curru ſolis præcipitatum, jungendo ſententiam: *Qui alta contemplantur, cadunt.* Sic uxor Philoſophi cujusdam, qui hujuſcemodi applicationibus delectabatur, eidem improperavit (cum pede in foſſam cadere intuita eſſet) dicendo: *Quæ ſupra nos, nihil ad nos.* Adhuc vehementius me abſterrebant prædilecti Diſcipuli verba, quæ ex ore divini Magiſtri ſui ſumpſit, & ſic habent: *Nolite judicare ſecundum faciem, ſed rectum judicium judicate.*

Joan. c. 7.

Phyſiognomiam non vituperandam ſiquidem ej9 ſtudium qualitatibus elementaribus inhæreat.

Rurſum in contrarium (ne videlicet omnino ſtudium hoc negligendum cenſerem, maximè in quantum qualitates elementares conſiderantur, de quarum exuperantia, aut decrementis, varietas paſſionum, & affectuum erui poteſt) doctiſſimus Aldrovandus perſvaſit, qui inter alia ſic refert: *Itaque hominum aſpectus, licet ſpecie eſſentiali non diſcrepent, accidentalis tamen differentia ſervanda eſt: quoniam hæc pro morum diſcrimine nobis ſummopere famulatur. Quamobrem ſi breviter omnes humani corporis partes meditemur, ex illarum varia diſpoſitione, & figura diverſi etiam hominum mores eliciuntur.*

In hiſt. monſtr. pag. 89.

Hoc ergo duce deſcendendo ad partem ſuræ, & pedis (quod ſi de ſura in ſuperioribus nil retuli, idcirco factum eſt, quia nihil notatu dignum invenire mihi licuit) hoc dicendum eſt, opinionem eorum, qui de materia hac tractârunt, eam eſſe, nempe qui ſuras, vel tibias piloſas gerant hoc eodem ſigno, moribus diſſolutos, & luxurioſos eſſe coargui: idque idcircò fortaſſe, quod piloſitas caloris abundantiam innuat.

Tibiæ craſſæ, & turgentes, fortitudinem denotant, & robur complexionis: eo quod ſuccus vel ſangvis eis benè temperatus, & vigor unitus ſit. Pedes vel tibiæ nervoſæ, & ſubtiles, ſicut ſunt avium, ſalaciam indicant, & mollitiem: ſicut item ſuræ craſſæ animum effeminatum, & laſciviam demonſtrant: Porrò ſi eædem debita proportione dotatæ ſunt, argumentum ſunt ingenii benè diſpoſiti, non minus & complexionis moderatæ, & temperiei, quæ in nullo excedat.

In fine tibiæ, malleoli ſunt, qui in homine robuſto largi & aperti ſunt: in feminis, & hominibus delicatis, carnoſi & pingves. Si horum partes longiores, & carnoſæ ſunt, ſignum ſunt ingenii ſimplicis: ſicut ſi calcaneus pedis in eundem modum formatus eſt, eandem ſignificationem habet.

Quod pedem ipſum concernit Martialis Zoilum ſuum, hominem fraudulentum & veteratorem ſic deſcribit: *Brevis pede.* Unde etiam pes grandis, & rite articulatus, indicium præbet roboris & vigoris. Anguſti econtra, & exiles, ſicut ſunt pedes fæminarum, muliebrem animum, & mollem, & laſcivum denotant. Planta pedis non concava, ſed usque adeo explicata, ut terram tota contingat (quantum quidem Peripateticus noſter docet) fraudulentiam, & verſutiam præſefert: & huc, ni fallor, præfata Martialis verba (*brevis pede*) reſpiciunt: Zoilum, inquam, inceſſus, & veſtigii brevis eſſe.

Homines tardi ingenii, & judicii, pedem plerumque craſſum habent: debiles autem complexione ſua, eundem brevem ſortiuntur: Maligni gracilem, & brevem. Hic terminatur, quod de Poëta ſumpſimus. Duri ingenio pedem carnoſum habent, & durum: in fornicariis parvus, & pulcher deprehenditur. Digiti præterea, & ungves curvi, ſicut volucrium, proprii ſunt hominum impudentium, & qui ſine fronte ſunt. Ungves ſubtiles, & bene colorati, nativitatem nobilem, & illuſtrem: ſicut ſi pedum digiti quaſi vinculati, & involuti apparuerint, more coturnicum, timiditatem, & ex levi cauſa pavorem portendunt: fortaſſe quod cor talibus involutum ſit, defectu ſpirituum, aut vaſorum confuſione, quæ rectè nec diſtincta, nec extenſa ſint, id quod in humano compoſita confuſionem, & perturbationem generat. Quemadmodum autem ordo corporis, & juſta diſtributio membrorum, ordinatum & compoſitum hominis greſſum efficit, ſic ſi judicio noſtro bene ordinati inceſſerimus, caſus Phaëtontis pertimeſcendus non erit.

Sed hic velim lector non admiretur, quod nil de digitis, vel ungvibus in tractatu hoc inventurus ſit: nec enim latere eum debet, jam in ſuperioribus eadem ſat explicata eſſe, dum de manu mentio fieret. Igitur ſi illuc tibi referre pedem placuerit, occurrent & doctrinæ, & intelligentiæ, & ſignificationes tam amplæ, tamque univerſales, ut hic plura jungere ſuperfluum ſit, nec vero etiam plura dicenda invenio: ſiquidem invenero deinceps, calamo non parcam: ſicut nec te, mi lector, parcum eſſe oportebit auribus tuis.

Hæc ſunt, quæ de his mihi obſervatu digna occurrerunt. Porrò reflectionem ponderoſam, dignamque conſideratione, obſervationem, quæ attentione, & ſedula diſcuſſione virorum ſenſatorum indigeat, Doctiſſimus inter imperfectos alioquin Phyſionomos, Petrus Bercorius, in famoſiſſimis Dictionariis, & Reductoriis ſuis adducit: De qua, ſi delibanda nonnulla curioſo Lectori, pro coronide operis hujus in medium proferam, non arbitror me importunum videri poſſe. De multis inquam, quæ gravis Author ille, in uno alterove Tomorum ſuorum commemorat, per compendium pauca decerpam.

Convenienter ergò ſententiæ S. Auguſtini pedem pro affectu ſumit, juxta illud quod Doctor ille magnus inquit: *Pes meus, affectus meus, illô feror, quocunque feror.* *In Pſal. 59.* Idem innuit Iſaias Propheta: *Ducent eum pedes ſui longe ad peregrinandum*: *Iſ. c. 23.* quadratiſſima ſimilitudine: nec enim pes unquam moveretur, ſi eum vel affectus, vel voluntas non impelleret. Proſequitur ille: ſicut aves binis alis inſtructæ ſunt ad volandum, ſic homo binis potentiis dotatus, tanquam pedibus binis, ad ſublevandum ſe, & volandum ad contemplationem cælorum, & earum rerum, quæ hanc patriam noſtram concernunt. Harum unâ meditanda ſunt bona, alterâ verò pœnæ ſempiternæ. Priori illa Deum amat, tanquam, ſummum bonum, & unicum objectum amoris noſtri: ſiniſtra verò proximum, velut imaginem, & ſimilitudinem ſuam. Denique uno horum pedum in terris ambulat, altero in Paradiſo. Pes affectus quò in paradiſum gradiendum eſt, oportet ut calceatus ſit, & apertus, ut cum omni vivacitate deſiderii illuc portemur, & jam mente beata illa ſpacia præoccupemus, ad quæ totis viſceribus pertingere aliquando contendimus. Hic nobis omnis induſtria adhibenda eſt, memoria recolentibus, quod Sapientia increata edocuit: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

De his pedibus verificari poterunt verba illa & attributa, data animalibus, ab Eziechele Propheta viſis: *Ezech. c. 1.* *Pedes eorum, pedes recti, & planta pedis eorum, tanquam pedis vituli.* Hos pedes *rectos* eſſe oportet per

juſtitiam: *plantatos* in fortitudine, & tolerantia: *vitulinos* per moderationem, & prudentiam: & ſic ſibi verſum illum Davidicum aſſumere quisque non verebitur: *Perfecit pedes meos quaſi cervorum, ſuper excelſa ſtatuit me.* Hos pedes diſponi oportet per ſanctitatem moralem, id quod innuitur per verbum illud *perfecit*, complementum ſignificans, & terminum. Ut ſicut pedes perfecti dici poſſunt, cum nil eis nec forinſecus, nec intrinſecus deeſt; ſic affectus noſtri tum veraciter ad terminum ſuum perveniſſe dicendi ſint, ſi virtutibus adornentur, & conditionibus neceſſariis præmuniti & fortificati fuerint. Hinc non immeritò edicendi ſumus, quod ſicut ad perfectionem pedum naturalium requiritur, ut primò nudi ſint, loti, uncti, & poſthæc veſtiti; ſic ad perfectam compoſitionem pedis myſtici, affectûs nimirum, neceſſarium ſit, ut laventur compunctione, nudentur confeſſione, ungantur devotione, & diſcretione veſtiantur.

Contrahunt pedes faciliter pulveres, & lutum, & omne immundum quod tetigerint: hinc ſæpius lavandi ſunt, ut condignè purgentur. Idcirco olim factum, ut hoſpitibus pedes lavarentur, ſicut de Loth, & Abraham hiſtoria ſacra meminit. *Neceſſe eſt igitur* (inquit citatus Author) *quod per compunctionem lacrymarum & irrigationem ſæpe laventur, ut ab omni immunditia tueantur.* Atque hic ſenſus eſt, quem Dilecta in Cantico expreſſit (& quem jam ſupra retulimus) *Cant. 5.* *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Hinc in lege Levitica præcipiebatur, non ſolùm caput victimæ & inteſtina lavanda eſſe, ſed pedes quoque: ſic enimverò nec ſolum caput intentionis, nec ſola inteſtina delectationis, ſed pedes omnium affectuum, de corde procedentium, lavandi, & ab omni immunditia, & peccati labe purificandi ſunt. Hoc erat præceptum morale, quod Salvator noſter Diſcipulis ſuis, imò & univerſo mundo in ſacra cœna reliquit.

Refertur de Camelo, quod à natura tenerrimos pedes adeptus ſit, atque idcirco, ne offendantur, calceatus & veſtitus incedere ſoleat: cumque maculati, aut ſordidati fuerint, conſvetudinem animali eſſe, ut eos ex ſemetipſo lavet. Pariter & noſtri affectus corio mortuorum animalium, de quo ſoleæ formantur, hoc eſt memoria mortis, muniendi, & cooperiendi; aqua deinceps compunctionis, purgandi, & mundandi ſunt.

2. Reg. 19. In ſecundo Regum libro evenit claudo Miphiboſeth, ut cum ſe Regi David, intonſa barba, non lotis pedibus præſentâſſet, hæreditatem paternam amiſerit, quam jam acquiſierat. Doctrinam nobis moralem ſuper hoc Propheta Regius ſuggeſſit, de quo in aſſignato ſecundo Regum dicitur, quod cum in afflictione ſumma eſſet, *aperto capite flens, & plorans, nudis pedibus inceſſerit.* Quærit dæmon, quomodo nuditatem illam cooperiat, moras confeſſioni & obſtacula fabricando. Unde illud Jeremiæ eſt: *Jerem. c. 2.* *Cuſtodi pedem tuum à nuditate, & guttur tuum à ſiti.* Sed præcipua pedum nuditas hæc eſt, ut omni terreno affectu ſpolientur, idque ut præceptum divinum adimpleatur: *Matth. 10.* *Excutite pulverem de pedibus veſtris.* Cumque hi pedes loti fuerint, etiam ungendi ſunt devotione, flexibili, & molli. Unde huc referenda ſunt verba patientis, jam alibi citata: *Iob. c. 29.* *Lavabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei.* Non ſic illi, qui linimentum hoc refugiunt, quin potius pedes gerunt avaritia inflammatos, & combuſtos. Horum pedum figura in illa beſtia Apocalyptica habetur, de *Apoc. c. 13.* qua dicitur, quod de abyſſo egrediens, *habebat urſi pedes*: ſupra quod commentator ait: *Qui eſt Animal avidum, & guloſum in tantum, quod cibos, quos comedit, nulli condividere, imò ſolus vult illos conſumere, & vorare.* Et ſicut pedes hominum plani ſunt, & recti, & pedes ferarum, rapaces, adunci, & acuti: ſic pedes affectuum in perſona rationabili plani ſunt, & ſvaves, quia miſericordes ſunt, & benigni: Cum econtra feræ beſtiæ, hoc eſt homines avidi, rapaces, & crudeles, curvitatem pedibus, & tenacitatem, & acumen inducant. Inde fit, quod homo rectus aliena non rapiat, ſed propria quoque dividat, & diſpertiatur. Mali enim ſicut facile rapiunt, ſic facile rapta retinent, nec cuiquam diſtribuunt: Hinc threni de his ita loquuntur: *Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata eſt finis ſui.* *Thren. 1.* Hi laquei ſunt, de quibus Job: *Immiſit in rete pedes ſuos, & tenebitur planta illius laqueo.* *Iob. c. 18.* Hujuscemodi homines pedes rectos non habent, aut nudos, ſed conduplicatos, & involutos, de quibus in eodem loco refertur: *Undique terrebunt eum formidines, & involvent pedes ejus: attenuetur fame robur ejus, & inedia invadat coſtas illius.* *Iob. loc. cit.* Aliter ſuccedit bonis, de quibus in Deuteronomio dicitur: *Tingat in oleo pedem ſuum; ferrum, & æs calceamentum ejus.* *Deut. 33.*

Plura animalium inepta, & vilia reperiuntur, polypodia, quamvis cum hac pedum multitudine nil valeant. Gradiuntur enim pectore diſtenſo, ſicut vermes, erucæ, & ſimilia. Sic ſunt homines impii, qui innumerabilibus affectuum ſuorum pedibus innituntur: nunc huic nunc illi incumbendo, ſemper pectore terram tangentes: nec enim à terrenis cupiditatibus divelli queunt. Hujusmodi inſecta, ut ſunt vermes & erucæ, non ſine gravi ratione, tanquam immunda, ab altari Dei & ſacrificiis antiquis arcebantur. *Levit. 11.* *Deut. 14.* Horum aliqui pedem gerunt arrogantiæ, de quibus Coronatus Propheta: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* Ingrediuntur paſſu turbulento, & pleno diſcordiis, de quo Ezechiel inquit: *Ezech. c. 32.* *Conturbas aquas pedibus tuis:* Per itinera fallaciarum, & deceptionis, ſicut Job ait: *Iob. c. 31.* *Feſtinavit in dolo pes meus.* Cum omnî crudelitate, & ferocitate beſtiarum aſſiliunt: hinc in Daniele: *Dan. c. 7.* *Beſtia quatuor dentes ferreos habebat, comedens, & comminuens, & reliqua pedibus conculcans.* His pedibus non deſunt itinera libidinis, & immunditiæ, ſicut illud Jeremiæ eſt: *Jerem. c. 38.* *Viri pacifici tui demerſerunt in cœno, & in lubrico pedes tuos.* Inter montes & colles mobilitatis, & inconſtantiæ incedunt. *Jerem. c. 14.* *Dilexit movere pedes ſuos, & non quievit, & Domino non placuit:* ſic præfatus Jeremias ait. Sæpius in ſpinas deſideriorum, & avaritiæ impingunt, unde Iſaias: *Iſai. c. 37. v. 25.* *Exiccavi veſtigio pedis mei omnes rivos aggerum.* Atque ita in copioſiſſima hac ſenſuum farragine concludit citatus Bercorius: *Sic igitur patet, quomodo pes ſumitur in ſcriptura, tam in bono, quàm in malo.* Ego verò hic ultra non procedo, videor enim mihi ſat diffuſè de moralibus & myſticis tractaſſe.

Interim ex eo quod à principio memoratus Author inquit, pedem eſſe *ſicut finem & complementum, ſicut baſim & fundamentum, ſicut axem & apodiamentum*, concludere hac ſequenti ode mihi viſum fuit:

O D E.

SE di vagar per queſta terrea mole
M' invoglio, e di cercar ſtranio confine,
Metto l' ali a le piante, e pellegrine
Le porto a miſurar le vie de l ſole:
Per ſoccorſo de l piè ſia, che m' involo
De perigli maggiori a le ruine;
E, ſe piante pur ſon, da loro al fine,
Queſte del verdeggiar ſperanze ho ſole,
Sudare, o Fidii, e accio più ſian venuſte
L' opre famoſe de ſcalpelli voſtri,
Ite a locarle in ſu le baſi auguſte;
Che maggiore il mortal ſia, cheſi moſtri,
Se diede il Creator forti, e robuſte
BASI animate a' SIMOLACRI noſtri.

FINIS LIBRI PRIMI.

INDEX.

INDEX UNIVERSALIS ET COPIOSISSIMUS

Supra materias præcipuas, quæ primo hoc Volumine continentur.

In quo ſtudioſus Lector obſervet, quod ſi quandoque ſub uno Nomine, quæ ſequuntur Alphabeto non reſpondent, id propterea factum, ne materiæ ſibi cohærentes dividantur: id quod pro meliori commoditate inquirentium factum eſt, ne in varios locos disjecta ſint, quæ ad eundem ſenſum ſpectant. Obſervet præterea benevolus Lector, quod ea quæ in Diſcurſu Proœmiali continentur, Romanis numeris notata inveniet.

A.

ABDOMEN quid ſit. Paginâ 286
Abraham anno vitæ ſuæ centeſimo, omni benedictione cœleſti repletur, & prolem obtinet. 250
Abrotanus, & anethum, valent pro capillis. 37
Item contra vitia ſtomachi. 283
Item, unà cum ſuis oleis ad promovendum incrementum barbæ. 157
Abſalom, quare cum diſſimulatione, venientes ad ſe manu prehenderit. 207
Abſentia, Dei quantùm noceat. 28
Abſoluto, peccatorum per capillos intelligitur. 35
Abundantia, fortificationum. 18
Miniſtrorum & ſervorum qualiter ſignificata. 201
Abuſus Evangelii figuratus in pedibus contortis. 325
Academia inſtituta ad prohibendum riſum. 134
Academus Rex quantum in hortis ſuis delectamentum habuerit. 313
Acedia quàm deteſtabilis. 238
Acquiſitio virtutis quàm operoſa ſit. 318
Actio, & finis ejus, quomodo intelligatur. 239
Publicata, quomodo deſcripta. 116.203.204.
Quando fit ſine ſufficienti cognitione & praxi. 327
Actiones, figuratæ in pedibus. 241
Maturandæ ſunt. 86
Gentilium non omnes reprobandæ. 282
Factu impoſſibiles relinquendæ. 204
Actionibus, propriis invigilandum, non alienis. 175
Actus, generoſitatis Chriſtianæ deſcriptus. 188
Reconciliationis divinæ, olim per impoſitionem manuum demonſtrabatur. 207
Religionis, in quanta obſervantia apud Gentiles fuerint. 312
Submiſſionis erat, tetigiſſe barbam. 155
Supplicantium quomodo expreſſus, & repræſentatus. 196
Actus menſura eſt, centum & viginti pedibus conſtans. 234
Acumen ingenii intelligitur in humeris largis. 205
Adam, ejuſque peccatum expreſſum in facie. 107
Quomodo per peccatum perterrefactus. 337
Adianthus prodeſt capillis. 37
Adjumentum, quamvis exiguum, quandoque magnæ utilitatis eſt. 31
Deorum, aut Genii intelligitur per oculum. 57
Humanum, quantum valeat, & quomodo explicatum. 193
Quod datur animabus in purgatorio. 41
Adjuncta, vel Epitheta, quàm neceſſaria ſint. 25
Quas vires orationi addant. 339
Eadem fines Poëtarum palam faciunt, & orationem exornant. 314
Adjutorium verum, nonniſi à Deo, & cœlitùs provenit. 192
Reciprocum, in manibus intellectum. 202
Adjutorium divinum, in tergo intellectum. 174
Dextra Dei nominatur. 206
Quàm neceſſarium ad actiones noſtras. 193. 202
Idem tantopere neceſſarium, ut ſine illo reliqua irrita ſint: quomodo hoc figuratum ſit. 189
Quantam ſecuritatem præbeat iis, qui in eo confidunt. 191
Adoratio in numero octuageſimo intellecta. 242
Quomodo facta fuerit per oſculum manûs. 194
Dei, figurata in genu. 310
Adorationes tribus rebus factæ, & cur. 244
Adulatio, quantùm fugienda. 91
Nonnunquam in oſculo manûs intelligitur. 206
Adulatores in auribus figurati. 89
Adulteris nares truncabantur. 102
Ægineti populi, quibus pollex amputabatur, ut geſtare haſtam non poſſent. 221
Ægyptii principium menſurandi trahebant à digitis. 231
Ægyptus ſcripta & intel lecta pro imagine cœli 265

Æqua

Æqualitas rerum, altercationes ſedat, & pondera æqualiter dividit. 188
Quantopere conveniat, & proſit. ibid.
Æquitas verum fundamentum prædictionis. 41
Æſculapius, filius Apollinis cur depictus barbatus, pater verò imberbis. 152
Ætas hominis, quomodo diſtributa & diſtincta in annis. 240
Quomodo apud Pythagoram intellecta. ibid.
Quo potiſſimum anno conſolidetur, & quando plenos ſenſus nanciſcatur. 247
Æthiopes quare dentes candidos habeant. 119
Æthna mons pro umbilico Siciliæ ſumptus. 04
Affectus, inordinatus patrum erga filios in pedibus expreſſus. 326
Dei, erga animas, intelligitur in manu dextera. 208
Animi, deſignati in pedibus. 340
Ageſilaus, ejuſdemque diſſimulatio, ne famam cujuſdam militis laceraret. 153
Agon, quid apud antiquos fuerit. 234
Agricultura, quàm nobilis & laude digna. 118
Ejus libri, quantùm æſtimati. 307
Agrimonia medetur hepaticis. 295
Ala, vel penna in aure, quem effectum operetur. 80.
Ala narium quot, & quare illic poſitæ. 99
Alce, grande animal: ejuſdem eſſentia, conditio, & qualitates. 257
Quomodo capiatur; ejuſdem viſio & poſitura. ibid.
Ejus dominatio; morbi, & curatio. 258
Ejuſdem pellis, quæ annuè mutatur. Cornua incredibilis gravitatis. Quomodo moriatur. 259
Pugna ejus & virtus contra morbos varios. 259
Ungula ejus, confortativum cordis; & quomodo operetur. ibid.
Alciati familia nobiliſſima. ibid.
Alcibiades aſpectu decorus, deformis moribus. 12
Alexandri Magni dictum memorabile. 296
Alevamentum in ſtudio herbarum. 313
Allium contra colicam paſſionem ſervit. 283
Alphabetum unde venerit. 121
Altare, ad illud non admittebantur, qui naribus tortis, & quare. 100
Cum quanta puritate accedendum. 301
Altaria, quare in ſummitatibus montium erecta. 93
Amalezunta Regina polyglottis. 146
Ambitio, per oculum exteriorem indicatur. 62
Intellecta in pede. 341
Quantùm fugienda. 308
Ambulare cum affectatione, quàm abominabile. 335
Ambulandum eſſe in divinis præceptis. 338
Ambulandi mos præpoſterus in fœminis olim. 335
Ambulatio cum nimia lentitudine improbatur. ib.
Item meretricia & mollis. 336
Item pompoſa. ibid.
Amici, qui lingua tales ſunt, hoc eſt, cæremonioſi quomodo figurentur. 142
Ficti deteſtabiles. 134
Olim ſe publicè oſculabantur. 128
Amicus verus. 206
Amicitia cum quanta cautela, & advertentia eligenda ſit. 200
Quomodo probetur. 189
Ficta in oculo læſo intelligitur. 61
Vera. 12. hæc per patentes oculos commonſtratur. 62
Amor, ligatos habens oculos, indicat, virum ſapientem noſſe, quæ videnda, quæ non videnda ſint. ibid.
Non niſi fuga vincendus. 174
Sedem habet in oculis. 60
Dei, & proximi figuratus in pedibus. 240
Amor divinus, erga genus humanum ſignificatus in lumbis. 300
Amor patriæ, quid poſſit in homine. 265
Idem deſcriptus in Ode quadam. 304
Amphorides, inſtrumenta, quibus pugiles ad muniendas aures ſuas utebantur. 92
Amygdala dulces, earumque oleum, ſymptomatibus ſtomachi conducunt. 284
Anacardus & Anthora, inſignia cordis remedia. 274
Anacarſes Philoſophus nunquam riſit, niſi ſimiâ viſâ, & quare. 153
Anatomia humani corporis breviter deſcripta. VI.
Capitis.
Capillorum. 27
Anaxagoras nunquam riſiſſe legitur. 134
Andream Laurentium in Anatomicis Author ſecutus eſt. 1
Angelus viſus à S. Joanne pedem habens in terra, & alterum in mari, quid ſignificet. 333
Angeli, qui precum noſtrarum curam habent, per aures figurantur. 86
In dentibus denotati. 116
Eorum dorſum, ſeu robur in ſuſtinendo mundo. 175
Eorum virtutes in pectore figuratæ. 168
Angeli & Apoſtoli in manibus intellecti. 197
Angelis lavantur pedes. 335
Angerona Dea Silentii in magna æſtimatione apud Romanos. 222
ANIMA interiùs conſiderata. VII.
Comparatur propitiatorio Templi. ibid.
In potentiis ſuis ſimilis eſt ſanctiſſimæ Trinitati. VIII.
Officia ejuſdem & Epitheta. IX.
Dignitas ejus. IX. 30
Humana, cui rei comparetur. V.
Ubi ſedem præcipuam habeat. 260
Ejus aſpectus internus in genis apparens. 106
In octo partibus deſcripta. 124
In oſculando datur, redditur, & levatur. 130
Per modum vaſis ſphærici circumdata luce. 272
Rationalis, intellecta per genium. 46
Expreſſa in dentibus. 116
Mundities illius per cor intellecta. 267
In ſtomacho figurata. 279
Inclinationes ejus operativæ, & robur in operando, intellecta in genu. 310
Cum ſuis potentiis, in pedibus expreſſa. 240
Animalia, quæ cor grande habent, cæteris timidiora ſunt. 261
Animalis ſpiritus, quid ſit, & quomodo fiat. 206
ANIMUS in perfectione ſua compoſitus, quomodo expreſſus. 191
Cognoſcitur ex facie. 105
In auribus habitat. 92
Ejus ſenſus intelligebatur in naribus. 101
Ignis eſt, qui de cœlo deſcendit. 272
Deſperatus, quomodo ſignificatus. 327
Effœminatus & dejectus, repræſentatur per eos, qui inaures portant. 94
Sincerus, integer & rectus, quomodo figuratus & deſcriptus. 263

Superbus, in cervice erecta expreſſus. 160
Quid proficiat ſedendo. 239
Quàm purgatus & mundus eſſe debeat. 319
Quâ ratione ternario gaudeat. 238
Debet habere Religionem in meditullio viſcerum. 337
Annuere, & demonſtrare, cum digitis fiebat. 226
Annus, ejuſdem curſus, & providentia divina. 190
Septimus dedicatus Saturno: & quare. 246
Ejus tempora, comparata quatuor hominis ætatibus. 240
Anni, quomodo notati à Romanis. 244
Vitæ hominis, quomodo diſtincti. 240
Annularis digitus, cur ſic dictus. 219
Cur dicatur cordis digitus; ejuſque uſus & ſignificatio. 223
Abbreviatus cum fuerit, denotat deeſſe unciam legitimationis in prole: ſi autem ſupra palmam extenſus, numerum ſeptenarium indicat. 224
Annulares digiti plicati, unitatem opinionum denotabant. 237
Antenati, eorumq; umbræ poſteris comparuerunt. 336
Anthemus, Abrotanus, Aſtrum Atticum, & Argemon, herbæ ſunt, quæ oculis medentur. 74
Antichriſtus in undecimo cornu deſcriptus à S. Joanne Evangeliſta. 249
Cum ſuis affeclis in facie expreſſus. 109
In oculo figuratus. 66
Item in ore. 126
Item in felle. 208
Potentia & deſtructio ejus quomodo explicata. 196
Antimonio, olim fœminæ ſibi inferiores oculo partes pingebant, ut decorem inducerent. 71
Antipathia & Sympathia, in oculis apparet. 60
Antiqui, illorumque cæremoniæ in curſu. 337
Cur linguas combuſſerint. 146
Antirrhinum ſylveſtre doloribus capitis medetur. 20
Aphoſides quid ſint. 233
Apollo, ejus imago cum quatuor auribus, & totidem manibus. 84
Pythius, & lingua ejus: pulchra eruditio. 140
Pater Æſculapii, quare ſine barba depictus, & filius barbatus. 152
Apoplexia quomodo intelligatur in linea naturali manûs. 215
Apoſtoli, propter filiationem divinam expreſſi in lumbis. 300
Iidem in lingua intellecti. 142
Item in barba. 152
Item in renibus, & quare. 300
Item in pedibus. 324
Apoſtoli, & Martyres intellecti per frontem. 45
Applauſus, quomodo oratoribus olim factus. 193
Quomodo explicatus, & intellectus. 221
Notatus & intellectus per digitos. 228
Applicatio in rebus. 66
Aquæ luſtrales quid olim fuerint. 40
Aqueus humor in oculis. 54
Ara, haſta, & ſtellæ quid ſint. 36
Aratrum, ſic os quoddam maxillarum appellatum. 105
Arbitrium proprium ſequendum non eſſe. 204
Arbor, inclinans ſe Chriſto Jeſu in Ægyptum fugienti. 294
Regis Nabuchodonoſor quid portenderit. 33
Curva difficulter erigitur: Eruditio ſuper hoc. 145
Ejus eloquentia. 19
Capillaris Romæ. 39
Mirabiliter ad refloreſcentiam perducta. 330
Quenam omnibus malis medeatur. 294
Arbores, libri ſunt, è quibus beneficentia divina legitur. 274
Arcana ſacra, quomodo cuſtodita, quam obſcura, & involuta. 265
Architecturam anima mutuata eſt à menſuris. 231
Arcus Gog quid ſignificet. 200
Argentum, purgatũ ſeptuplum perfectiſſimum. 224
Olim in veſicis conſervatum. 68
Homines, quibus ſolutio argenti non facta. ib.
Argivi capillos ſibi truncabant. 155
Argus fabuloſus, & mythologicus, quid apud antiquos ſignificaverit. 74
Quare in pavonem mutatus. 75
Ariſtippus dives & ſapiens procidit ad pedes Dionyſii, dicens, illic eum aures habere. 96
Spuit in faciem Dionyſii, & quare. 156
Ariſtoxenus nunquam inventus ridere. 134
Arithmetica, ejuſque encomium. 235
Arrogantia, quã olim oſculum in pedibus ſuis permittebant, reprobatur. 332
In oculo exprimitur. 66
Item in digitis figurata. 223
In ſymbolo cordis expreſſa. 268
Condemnata. 227
Ars, operoſa ad conſequendam memoriam immortalem. 305
Oratoria, exercitatione indiget. 229
Artaxerxis dictum mirabile. 296
Arteria, aſpera, quid ſit, ubi collocata, & ad quem uſum. 159
Coronaria, & intercoſtales. 166
Magna, naſcens, ejuſdem uſus. ibid.
Artificium in ingreſſu mulierum quàm deteſtabile. 335
Aſarus, vel nardus ſylveſtris auribus medetur. 95
Aſinus manducans ficus, ita riſum philoſopho cuidam movit, ut mortem ei intulerit. 135
Quare dicatur Principi aures formare. 97
Aſplenium remedium pro morbis hepatis. 294
Spleni medetur. 297
Aſſaltus cum extorſione & barbarie quomodo ſignificetur. 204
Inimici fugiendi ſunt. 15
Quomodo expreſſus & deſcriptus. 323
Aſſis, quod ſignum, & quæ menſura ſit. 231
Aſtrologia condemnata. 48
Aſtrologi rejiciuntur. 69
Aſtutia in rebus agendis, in duobus vultibus qui de una cervice prodibant, figurabatur. 112
Atrium Tabernaculi ſymbolum centeſimi. 250
Avaritia, quomodo intellecta & condemnata. 195
Per recurvos digitos figurata. 229
Intelligitur in manu occultata. 208
Reprehenſa. 205. 311
Avarus dives deſcriptus. 319
Audacia, per phyſicos in corde hirſuto & piloſo intellecta. 270
Expreſſa in cervice. 161
Militaris deſcripta. 272
Cum temeritate reprobatur. 318
Audax, an ſemper ferox ſit. 161
Audientia facilè danda à Principibus. 97
Audire multa, quàm neceſſarium. 91
Audire nolle obſtinationem repræſentat. 92
Audire cum quanta attentione oporteat. 94
Auditus læſus per truncationem auricularum. 98

Averſio de qualicunq; re quomodo exponatur. 134
Auguria ſumpta de capite. 23
Aurea mediocritas, quomodo expreſſa. 169
AURIS, Quàm neceſſaria ſit ad hauriendas diſciplinas. 80
Manus Sacerdotis in conferendo ſacramento baptiſmi, aperit ſenſum aurium. ibid.
Aurium ſubſtantia. ibid.
Aures internæ, & externæ quid ſint. ibid.
Aves, & Serpentes auriculas exteriores cur non habeant. ibid.
Quare aurium figura ſemicircularis. ibid.
Truncatæ aures, quem effectum faciant. ibid.
Auris interna in quo conſiſtat. Habet malleolum, incudem, & triangulum. ibid.
Quod objectum auditûs ſit. 81
Quam ſympathiam auris habeat cum labro, linguâ, & arteriâ aſperâ. 82
Auris ſubulâ perforata, quid ſignificet. 83
Aures quatuor datæ Apollini, ſapientiam divinam ſignificant. 84
Aures ſanguine conſperſæ, obedientiam ſignificabant. ibid.
Auris occluſa inobedientiam; truncata, hominem malum denotat. 85
Auris elevata ad audiendum, hominem jam pręparatum ad occipiendum aliquid ſignificat. ibid.
Aures promptiſſimas habent, Tauri, cervi, & capri. ibid.
Utraque auris interpoſita capiti, rectum judicium denotat. ibid.
Auris externa & interna intellectum figurat. 86
Auris dextra dedicata Saturno, ſiniſtra, Jovi. 94
Aures dedicatæ memoriæ. ibid.
Cur ſæpe tangantur digitis. ibid.
Aures perforatæ ad inferendas gemmas. ibid.
Aures commotæ pro libitu. 95
Nardus ſylveſtris, cochleæ & alia auribus medentur. ibid.

IN MYSTICIS.

Auris potentiam Dei denotat: Item familiaritatem, quam beati cum Deo habent, ſicut & Angeli, qui preces noſtras acceptant. Aures perforatæ, inſinuant compunctionem; promptitudinem in penetrandis myſteriis divinis: Intentionem ad Paradiſum: Tinnitus aurium, ruinam hominum potentum: Aures obtuſæ, hominem tentationi reſiſtentem. 86. 88
Auris ſiniſtra inobedientiam figurat. 87
Secretarius auricularis, quid ſibi velit. ibid.
Aures vellicatæ, quid ſibi velint. ibid.
Aures purgatæ ſinceritatem animæ deſignant. 88
Auris in proverbiis indicat res privatas, & publicas; fraudem; celeritatem animi: Surditatem: Auſcultare in tranſitu: Loqui in ſecreto: Hominem oppreſſum negotiis: Temperantiam, ſinceritatem, paraſitos, indolem plicabilem, manſuetudinem, diſcurſum ineptum, adulatores, ſeveritatem, vigilantiam, laborem inutilem, loquacitatem, præſumptionem, ſtupiditatem, negotium ambiguum: audire multa: dormire ſub alterius fide. 88. 89. 90
Aures claudendæ ſunt detractoribus. 90
Aures repræſentant animum. 92
Non auſcultare velle, obſtinati cordis eſt. ibid.
Auris Regis quid ſit. ibid.
Aures fricare, quid ſignificet. Sepiendæ ſpinis, prout Spiritus Sanctus nos inſtruit. 93
Auris dextra apud Circaſſos truncabatur in morte parentum, vel amicorum. Item truncabatur furibus. ibid.
Flacci dicebantur, quibus aures ingentes erant. Horatius Poëta idcirco ſic dictus. 94
Auris magna fabricata à Dionyſio tyranno ſupra carcerem, ad excipiendas voces lugubres damnatorum ad ſupplicium. ibid.
Aures molles, vel duræ diſtinguebant plebem promiſcuam à nobilitate. ibid.
Aures infantibus oſculo exceptæ in ſignum documenti. 128

PHISIOGNOMIA AURIUM.

Parvulæ denotant ſcurrilitatem & levitatem: grandes ſtoliditatem: rotundæ indocibilitatem: longæ, ſed arctæ invidiam: quæ ſe capiti adſtringunt, malevolentiam, & duplicitatem: ſicut, quæ curtæ ſunt, & opertæ pilis, ut vulpecularum, bonā complexionem. 96
Aures cur habere dictus fuerit in pedibus Dionyſius tyrannus. ibid.
Aures grandes cur Midas habuiſſe dicatur. Item cur aures aſininas. 97
Aures truncatæ Malcho, Hircano, Menelao, Smerdæ, Patarbemi. 98
Auribus reſciſſis ſacci implentur. ibid.
Auris laudatur per oden. ibid.
Auſcultare cum fervore verbum Dei, in aure perforata ſignificabatur. 83
Auſteritas notatur in ſuperciliis piloſis. 61
Authoritas intellecta per manum levatam, 192
Auxilium humanum adjutorio divino indiget. 168
Quęſitum, indicatum per manus. 199

B.

B*Acchus*, ejuſque orgia, unde cœperint, & qualia fuerint. 336
Baptiſmus. 126
Fit cum impoſitione manuum. 207
BARBA, reſidet potiſſimum in mento: Hieroglyphicum eſt valoris virilis. Barba nunquam raſa, ſignum fortitudinis. Judicium non ſemper cum barba increſcit. Cur Apollo Pater Æſculapii depictus imberbis, cum tamen filius barbatus ſit: Mira eruditio. 152
Myſtica. Per barbam intelligitur Chriſtus, & ſacratiſſima virgo, & Apoſtoli: Virtus â Græcis naturaliter aquiſita; ſicut & fortitudo paganorum: Poteſtas Principum temporalium: Poſiti in ſinu Abrahæ: virtutes in univerſum. Barba raſa falſam doctrinam denotat: Item peccata tollenda eſſe ab anima. ibid.
Barbam evellere vituperium indicat, 153
Eam nutrire reprehenſionem meretur. ibid.
Nutriebant Ægyptii ad imitationem Oſiridis. 154
Barba Pronomi, quid ſignificet. ibid.
Barba virum non facit. ibid.
Barbati, quinam laudati, qui vituperati. ibid.
Barba longa quid ſignificet. ibid
Barbam promiſſiam portabant Romani, ex harum contactu damnum ingens ſubſecutum. 155
Barbâ prolixâ lætati ſunt Otto & Hadrianus Imperatores. ibid.
Barbæ militibus ante prælium raduntur; & quare. ibid.
Barba ſignum dignitatis. ibid.
Barba raſa ad inferendam ignominiam. ibid.
Barba evulſa & quare. 156
Barbam tangere actus ſubmiſſionis erat. ibid.

Eam

Eam tangebant, qui pro quadam gratia intercederent. Per eam & rogabatur olim. *ibid.*
In barbam ſputum projectum & quare *ibid.*
Barba nonnullos à committendis erroribus detinuit. *ibid.*
Barba decorem homini auget, terrorem inimicis. *ibid.*
Barbæ item raſæ militibus. *ibid.*
Barba in campo robur non præbet. *ibid.*
Barba dedicata Apollini & Jovi Feretrio. 157
Item Minervæ, & quare. *ibid.*
Barbæ Epitheta, ejusque laus per Oden. 158
Barbitonſor primus à Publ. Ticinio Mena in Siciliam inductus. 154
Beati in barba ſignificati. 152
Beatitudines octo, quare. 248
Bellum improbatum à gravi Oratore. 148
Beneficentia, divina, in plantis eluceſcens, ſicut & in rebus viliſſimis. 294
In Principe, quàm illuſtris ſit, & quantum ei amorem conciliet. 296
Quomodo figurata. 59
Beneficium reciprocum, quomodo intellectum, obſervatum, & deſcriptum. 200
Benevolentia quantum neceſſaria ſit Principi. 272
Benignitas intellecta in dentibus. 116
Beta ſylveſtris pro Gargariſmis inſervit. 163
Betonica medetur Cephalalgiis. 20
Bibliotheca PP. Salvatoris Bononiæ, quàm famoſa. 305
Binarius numerus imperfectus, quia ſine medio eſt. 244
Bio Poeta maledicus. 117
Blaſphemia quomodo expreſſa. 142
Blaſphemus in felle expreſſus. 293
Bona, quæ de oculo proveniunt. 55
Senectutis. 29
Temporalia per capillos intellecta. 35
Fortunæ cum juſtitiâ diſpenſanda. 192
Eadem, quàm ſint volubilia. 330
Bona & mala in ungvibus judicantur. 253
Eadem in vultu cognoſcuntur. 24
Bonum principium. 13
Bos, impreſſus monetis. 144
Hieroglyphicum ſubmiſſionis. 161
Loquens, quid ſignificet. 144

BRACHIUM.

ANATOMICA.

Quomodo unico oſſe conſtet, eoque validiſſimo: dividitur in brachium, cubitum, & manum. Quomodo ſituatum ſit in partibus ſuis. Quare cavitatem habeat. Quare plicetur in cubito. Quid nomine radii intelligatur. Trochlea, vel Rotula, quæ brachium cum cubito ligat. Cubitus quibus conſtet: nomina oſſium illius. Quomodo ſupra bina oſſa erectus ſit. 179
Tendo validiſſimus, quo brachium medietati humerorum alligatur. Motus brachiorum quomodo fiat. Varias fibras habet: cui rei inſerviant. De muſculis ejus. Quid Deltoides, quid Biceps, & alii, & ad quid ſerviant. Quomodo brachium portetur ab apophyſi externa. Quomodo carpus obliquè ſe torqueat. *ibid.*
Ejus muſculi & oſſa quomodo moveantur. Præter partes communes omnibus membris, brachia partes quaſdam ſingulares habent, ſcilicet venam Baſilicam, Cephalicam, Medianam, Subcutaneam &c. Quid ſit Cephalica, in quibus malis incidenda ſit; Alia ejusdem nomina; quem curſum teneat. Arteria manûs & brachii. 180

MORALIA ET MYSTICA DE BRACHIO.

Denotant brachia juxta præcipuos interpretes ſacros, virtutes Dei inennarrabiles, ſicut & divinitatem Jeſu Chriſti. Brachium Dilecti, ſupra quod Anima ſancta ſe inclinat, dona indicat Spiritus Sanctus & virtutem miraculorum. Item adjumentum Sanctorum aſſiſtentium Jeſu Chriſto. Item electos in extremo judicio. Item Eccleſiam Dei. 196
Repræſentant item brachia Prædicatores: Virtutem operandi: holocauſtum Sacerdotis: facultatem ſacrificandi, quia victima à Sacerdotibus levatur. *ibid.*
Item Dignitatem Eccleſiaſticam & Temporalem: præterea Tyrannidem, ejusque violentiam: Potentiam, & deſtructionem Anti-Chriſti: Dæmonem item, ac ejus fortitudinem: conſolationes gratiæ divinæ: divinam vindictam: poteſtatem Chriſti: & alia. *ibid.*
Qui fuerint brachiis domiti. 197
Brachium arefactum caſtigatione divina. 209
Braſilienſes, capite ex dimidia ſui tantum parte raſo incedere, pro ornamento reputant. 111
Brevitas vitæ quomodo expreſſa. 225. 317
Briaræus, quare centum manibus dotatus. 217
Brio quid ſit, & unde veniat. 37
Buccinæ, genus limacum, quæ & umbilici vocantur. 305

C.

C, litera notata. 25
Cabaliſtica condemnata. 244
Cadaver non permiſſum ſpoliari, & quare. 153
Cadmus dentes draconis ſeminavit, de quibus animati milites prodierunt. 121
Cæcitas, & ejusdem laus. 60
Significat ignorantiam Dei. 61
Exprimit Amorem. *ibid.*
Cæcitas Pontificum figurata in oculo. 65
Cæcus videns homines, ut arbores ambulantes. 31
Cæremonia, quâ olim ſubtus arborem reſciſſas ungves reponebant, quàm impia ſit. 256
Imponendi manus victimæ divinitùs inſtituta. 206
Cæremoniæ, fictæ deteſtabiles. 143
In curſu obſervari ſolitæ. 337
Cajus Votienus truncari digitos jubet filiis ſuis, ne caſtra ſequi teneantur. 222
Calcaneus, ſignificat finem cujusque actionis. 323
Eſt typus vitiorum. *ibid.*
Ejus officium deſcriptum. *ibid.*
Quid præterea ſignificet. 322
Irritò impreſſus, quid ſignificet. 339
Calceus major pede, quodnam proverbium. 328
Calcei colorati, & depicti olim. 330
Calculus in homine quomodo curetur. 258
Caligula, dictus à caligis, vel calceamentis, eò quod oſcula in pedibus ſuis reſpiciebat. 127

 Idem

Idem Author oſculandorum pedum. 332
Caminus deſcriptus. 321
Campos colendos. 330
Cancer quomodo curetur. 250
Canis prehendi naribus non vult: hoc eſt, ſuperiores offendendos non eſſe. 101
Cani producti in octavodecimo ætatis anno. 155
Canities hieroglyphicum ſenectutis. 29
Cannæ produnt, Midam aures aſininas gerere: ad docendum, quod nec minima quidem latere, aut occultari poſſint. 97
Capacitas in qualicunque profeſſione quomodo ſignificata. 204
CAPILLI. Eorum Anatomia. 27
Nominibus diverſis appellantur. Cauſæ concurrentes ad eorum generationem. Eorum color ſimilis humori prædominanti. *ibid.*
Reſcindebantur iis qui damnati erant ad mortem. *ibid.*
Item captivis in prælio factis. 28
Item ſervis. *ibid.*
Producuntur per exhalationes fumidas. 34
Erecti verſus cœlum quid demonſtrent. 29
Per eos intelligitur curſus cœlorum. *ibid.*
Sub iis intelligitur divina providentia. 27
Sunt ſymbolum fortitudinis. 31
Item Symbola flammarum. 38
Capilli diſperſi, ſignum doloris. 39
Cineribus aſperſi, ſignum pœnitentiæ. *ibid.*
Capilli in fronte ſpiſſi ſymbolum occaſionis. 32
Qui per genas defluunt, juventutem indicant, qui per cervicem & collum, ſenectutem. 33
Capilli omnes tonſi quid ſignificent. 32
Capillis trahi, quid ſignificet. 31
Capilli & barba canuta indicant Patrem æternum. 26
Eorum color varius quid ſignificet. 35
Quare comburebantur ſuper altare. 38
Capilli c. . pi, longi, mediocres, duri, molles & nigri quid ſignificent. 41
Capilli projecti ſuper pectus mortui. 40
Item affixi portæ. *ibid.*
Nutriti in luxu, & raſi ex eadem cauſa. *ibid.*
Capillus ſervilis quid ſignificet. 31
Capillus ſignificat Chriſtum: Virtutem Spiritus Sancti: Doctores: Populum: Neophytos: Fideles: Humilitatem Mariæ: Res conſervatu dignas: Peccatores: Orationem: Robur: Ornamentum: Pulchritudinem: Favorem Dei pro gente Hebræa: Diſputationes Sacras: Bona temporalia: Dignitatem ſæcularem: Abſolutionem à peccatis: Rationem obfuſcatam: Res inutiles: Infidelitatem: Idololatriam. 34
Capilli, ſeu Comæ dedicatæ Hippolyto. 39
Item dedicati Soli, item Marti, præterea fluminibus. 38
Capilli ſuper caput piſcis. 36
Capilli flavi Germanorum. 28
Capilli evulſi, & quare 156
Capilli à Turcis per modum crucis compoſiti, factum memorabile. 155
Capilli ſuperflui condemnantur. 29
Item poſticii ſeu ficti, quantum damnum adrerant; & quantâ reprehenſione digni. 33
Capillorum pretium ingens. 28
Capillorum Epitheta. 42
Eorum laus per Oden. 28
CAPUT, hominis, ejusdemque Anatomia. 1
Ejus Dignitas. 2, 8
Cur orbiculare ſit. 2
Ejusdem Epithetha. 25
Idem laudatum. 26
Ejus conſtitutio quomodo cognoſcatur per lineam naturalem manûs. 215
Caput aliis nominibus dictum, quid ſignificet. 12
Caput, hoc eſt Principium cujusque rei. 13
Denotat rem præcipuam. Item Principem poſitum ſuper altare quid ſignificet. *ibid.*
Pede calcatum, ſignum Triumphantium. 320
Inane caput quid ſignificet, tale inventum fuit à vulpecula. 12
Caput defenſum à manibus quid indicet. Mulieris quid denotet. Maris & fœminæ conjunctum, quid exprimat. 15
Tria capita ſimul, quid ſignificent. *ibid.*
Quinque ſimul, quid ſignificent. 17
Caput Vulneratum verſus altare poſitum, quid ſibi velit. 10
Caput cum binis ſecuribus quid portendat. 19
Caput nudatum & calvum, quid ſignificet. 28
Caput, cum ſcabitur. 12
Caput coronatum lauro: item turribus. 18
Item radiis in medio fani quadrati. 19
Capitis nomine Chriſtus denotatur. 12
Caput Adami in monte Calvariæ. 18
Caput longum ſignum magni judicii. Monſtrosè magnum in infante quid indicet. 21
Caput pueri ſubito caneſcens. 15
Caput deauratum, pro poculo in ſacrificiis mortuorum uſurpabatur. 16
Capita humana ſacrificata. *ibid.*
Caput Meduſæ ſupra ſepulchrum, & quare 17
Quodnam caput defenſum à corvo. 10
Caput viſum in ſomno. 24
Servorum caput onuſtum. 22
Caput raſum ſed barba prolixa. 155
Caput ſemiraſum & ſemicomatum pro ornamento habitum, & à quo 110
Caput dedicatum, Jovi, Soli, & Arieti. 20
Capita impreſſa monetis. 18
Capite diſcooperto incedere, num conducat. 23
Caput in tempeſtate de cælo delapſum. 16
Cardanus de cura dentium optimè ſcripſit. 118
Cardinalis numerus, quid ſit. 243
Carnalitas, quàm deteſtabilis. 182
Cartilagines narium quot 99
Caſtaneto Hiſpanicum verbum, quid ſit. 229
Caſtigatio, Populi rebellis. 222
Divina erga eos, qui feſtivos dies vilipenderunt 209
Caſtitas laudatur. 305
Quàm neceſſaria ad vitam ritè inſtituendam. 301
Intellecta in genis. 106
Significata in lumbis. 300
Item in renibus. *ibid.*
Caſus militares felicis eventûs. 19
Catellus, nominatus dextra Dominæ. 205
Catenæ aureæ, quæ de ore Herculis prodeunt, indicant robur eloquentiæ. 58
Cato ſemel riſiſſe legitur, idque non ſine ratione, & ſtudio. 135
Cava manus pro poculo ſerviens. 208
Caunii, Populus omnino pallidus, & quare 296

Cauſam perdere, aut negotium aliquod, quomodo expreſſum. 227
Cauſidici quibus armis utantur. 143
Cenſores, improbantur. 69
Antiqui, cum quanto rigore reprehenderint. 255
Cenſuræ publicæ, quæcunque exponenda ſunt, cum quanta cura examinare oporteat. *ibid.*
Centenarius numerus, quomodo ſignificatus. 236. 237
Idem ex omni parte perfectus, & plenus. 238
Hic in manu ſiniſtra Hieroglyphicum eſt mulieris maritatæ, & viduæ honeſtæ: In dextra Virginitatem & puritatem corporis denotat. 237
Quomodo ſit compoſitus. Eſt duplex quinquageſimi. In quanta æſtimatione in Sacris literis ſit. Symbolum ejus erat atrium tabernaculi. Noë totidem annis arcam fabricavit. Eodem anno, Abrahamo naſcitur dilectiſſimus filius Iſaac. Aliæ inſuper res conſideratu dignæ. 250
Centrum, hominis eſt umbilicus. 303
Terræ, creditum fuit eſſe in Phocide. 306
Centuriones figurati in numero ſeptimo. 239
Cephalica vena in manu & brachio, quando, & in quibus morbis incidenda. 180
CEREBRUM. Ejus Sinus. 2
Ejus ſubſtantia, & ſtructura. 3
Officium illius in refrigerando corde. 3. 5
Quomodo dilatetur & contrahatur in ſua diaſtole, ac ſyſtole. Cur in tot ſinus diviſum. 3
Quomodo odores recipiat. Quomodo pituita ab eo defluat. 4
Quomodo inſeratur in calvariem. *ibid.*
Quod ſit ſedes omnium facultatum. Ejus qualitas & temperamentum. 5
Quomodo à ſuis excrementis depuretur. 6
Conſiderationes ſupra ejus ventriculos. 7
In illo generantur ſpiritus animales. 8
Cerebrum longum quid ſit, & quod officium ejus. 4
Cerebellum diverſum à cerebro, quid ſit. *ibid.*
Cervi, vel capreoli acutiſſimi auditûs. 85
Cervicaria & vulvaria herbæ, utiles pro morbis colli. 163
Cetherach confert ſtomacho. 294
Charitas, omnium virtutum maxima, per oculos intellecta. 62
In ore expreſſa. 124
Intellecta in labiis. 126
Proximi, intellecta per cor. 268
Item amplitudo ejus per cor figurata. *ibid.*
Figurata in jecore. 292
In pedibus expreſſa. 325
Quomodo rurſum expreſſa. 335
Chelidonia herba conducens oculis. 74
Chiragra quomodo curetur. 213
Chiromantia, Phyſica, Aſtrologia, quomodo diſci debeant, & quousque æſtimandæ. *ibid.*
Quot ſequaces & Scriptores habeant: Lex Corinthiorum contra Chiromanticos, & Ægyptios; & horum origo. 217
Chiron, quàm ſpectata perſona, quantæque intelligentiæ fuerit. 297
Choreæ vituperantur. 335
Inhoneſtæ condemnantur. 135
CHRISTUS. Ejus divinitas, & redemptio 63. 64.
Ejus Humanitas, Doctrina, Divinitas, Sapientia, & alia attributa intellecta per nares & odoratum. 101
Ejus Sanctiſſimum corpus, & Chriſtus ipſe figuratus in lingva. 141
Ejus Incarnatio figurata in collo & cervice. 162
Eadem ſignificata in lumbis. 300
Item Humanitas, Incarnatio, paſſio, mors repræſentata in pedibus. 324
Binæ ejus Naturæ, humana & divina, intellectæ in ſtomacho. 279
Ejus virtus figurata in corde. 268
Chriſtus intellectus in maxillis. 106
In pluribus locis intellectus per faciem; prout & ejusdem prædicatio, humanitas, & myſteria. 107. 108
Intelligitur in dentibus, ſicut & judicium ejus. 116
Item in ore. 123. 124
Item in barba figuratus. 152
Intelligitur per pectus. 167
In pluribus locis figuratus per dorſum. 173. 174
Ejus incarnatio. 124
Ejus judicium & prædicatio. 125
Ejusdem Paſſio. 126
Hæc indicatur in pedibus. 325
Eadem figuratur in dorſo in hiſtoria Noë. 157
Ejus crucifixio. 197
Ejusdem mors & ſepultura. 280
Reſurrectio & Aſcenſio in renibus figurata. 300
Ejus amor erga Apoſtolos in cœna noviſſima. 127
Indignatio ejus erga peccatores. 141
Ejus fortitudo, virtus & ſubſidium, quod juſtis præbebit in die judicii, figurata in brachio. 196
Ejus Patrocinium: Principatus ſupra Judæos: Virtus, quâ Judaiſmum illuminavit. 177
Potentia illius etiam à Turcis agnita. 155
Ejus ſplendor, quo cœlum illuminat. 300
Ejus Glorificatio in Sanctis Martyribus. 197
Chriſtus ſine opera humana formatus in utero Virginis. 199
Quare in ſeptima generatione mundi naſci voluerit. 246
Quid operatus ſit cum impoſitione manuum. 207
Cur ad pedes ejus properaverit Maria Magdalena. 334
Cur laverit pedes Apoſtolorum. 323. 334
Cur ante paſſionem, ſibi veſtimenta, & ramos olivarum ſubſterni voluerit. 330
Quomodo ſe in manus perſecutorum dederit, & Judæorum poteſtas in eum. 198
Cur ſeptem horis crucifigi voluerit. 246
Cur fel abnuerit bibere. 293
Patri ſuo ſacrificatus, intellectus in renibus. 300
Cur in Aſcenſione manus ſuas elevaverit. 207
Adoratur in perſona Joſeph Patriarchæ. 310

Mediator eſt Eccleſiæ ſuæ, idcirco umbilico comparatus. 284
Chriſtus Sol. 20
Chriſtus Vita & Salus. 17
Chriſtus verus Genius. 46
Chriſtiani olim obviam facti ſe mutò oſculabantur. 129
Chriſtianorum quidam, in cultu religionis minùs exacti, quàm gentiles. 312
Chylus & chylificatio quid ſint. 286
Quomodo fiant in ſtomacho. 277
Cibus, quo digito deguſtatus. 223
Cibi abominabiles, quomodo intellecti. 132
Cibi tantâ copiâ devorati, ut fidem excedat. 286
Cingulum, inter alia indicat quantâ puritate ad altare accedendum. Quare à Redemptore noſtro ad præcingendos lumbos præſcriptum. 301
Circaſſi ſibi aures dextras detruncabant, in morte Amicorum vel Parentum. 93
Ciſta pro corde ſumitur. 267
Citreum, Calamintha Cinnamomum, & Chamomilla doloribus ſtomachi medentur. 283
Citreum & Corallia ſymptomatibus cordis medentur. 274
Cives, quomodo oporteat eſſe erga extraneos. 115
Civitas, & habitatores ejus figurata in dentibus. *ibid.*
Claritas facti cujusdam, quomodo deſcripta. 204
Claudius Imperator de inſolita fortitudine digitorum ſuorum gloriabatur. 228
Clauſtrales, cum quanta cautela ſe videntium oculis, aut converſationi credere debeant. 144
Clavus, ad quem uſum adhibitus à Romanis. 43
Clementia, quàm neceſſaria. 308
Divina, tarda in caſtigando, ſed rigoroſa. 326
Cleomenes Orator Samius, ejusque ſententia. 147
Cleopatra Regina polyglottis erat: Sicuti & Carolus Quintus. 146
Clibanus quid ſit. 266
Cloaca appellatur ſtomachus. 276
Cneus Pompejus, quia in loquendo manus movebat, effœminatus habebatur. 220
Coacti manibus & pedibus. 105
Cœli, cur numero ſeptem admiſſi. Cur ſeptem ſtellæ præcipuæ, aliæque conſiderationes. 246
Cœlum, Civitas poſita in quadro. 244
Quomodo influat in orbem terræ. V.
Quomodo hieroglyphicè explicatum & intellectum. 265
Ad hoc conduci, quomodo in typo expreſſum. 331
Cogitabundus. 12
Cogitata non ſecus ac capilli ardere debent, ſuper altare Dei. 38
Cogitationes, de corde exeunt. 264
Bonæ nutriendæ. 43
Deo dedicandæ ſunt. 27
Figuratæ in pectore. 168
Item figuratæ per pedem. 319
Cognati ad incitas redacti, reliquis cognatis contemptui ſunt. 254
Cognitio, rerum, figurata in ſtomocho. 279
Boni & mali, ex ungvibus. 254
Creaturarum, intellecta per frontem. 45
Scientiarum & lingvarum, quanti momenti ſit. 146
Matura. 13
Perfecta. 67
Quàm neceſſaria ſit ad bene operandum. 253
Sui ipſius figurata in oculo. 65
Quàm neceſſaria ſit. 176
Colica paſſio quomodo curata. 283
Colles bini in Phrygia, dicti aures aſininæ. 97
COLLUM & CERVIX. Fabricata ſunt in gratiam thoracis & pulmonum. Unde Collum ſuam appellationem ſortitum ſit. Partes ejus externæ & internæ, & alia. Cervix quid ſit; Partes ejus ſuperiores & inferiores: Si lædatur, in quanto periculo hominem collocet. Aſpera arteria unita collo, ſicut & Larynx: Quid hæc utraque ſint. Quid cartilagines colli; quod earum officium, nomina, & alia conſideratione digna. 159

MORALIA ET MYSTICA.

Collum & cervix indicare poſſunt Sapientiam, per quam jugum ſervitutis Evangelicæ leviter portamus: Item Confeſſionem ſinceram: Beatiſſimam Virginem: Eloquia divina: Item Thraſones, & magniloquos. 162
Significant item Obedientiam, Prædicatores, Perfectos in Eccleſia, Humilitatem, Incarnatioem, Prudentiam, Contemplationem, Caſtigationem divinam, Ambitionem, Jactantiam, & faſtum. ibid.
Cervix elevata, Hieroglyphicum animi ſuperbi. Item ferociæ & crudelitatis, ſicut & magnanimitatis. Cervix demiſſa ſubmiſſionem indicat. 160
Epitheta Colli & Cervicis. 163

PHYSIOGNOMIA COLLI.

Craſſum & carnoſum temperamentum forte indicat: collum breve, fraudulentum & vafritiem. 164
Colli Laus in Ode. ibid.
Color faciei ab hepate. 289
Columbæ, earumque proprietates in oculo. 64
Cometæ, ſtellæ crinitæ, comatæ, barbatæ: earum natura & influxus. 36
Divinæ admonitiones ſunt, quibus aurem præbere oportet. ibid.
Comici, repræſentantes actiones indecoras & inhoneſtas ſupra ſcenas, reprobati. 228
Comitialis morbus, quomodo curandus. 257
Commenſales decem invitati, & quare 249
Commoditas, quomodo expreſſa. 327
Commoratio brevis deſcripta. 204
Comœdi reprobati. 323
Comparatio inter Hominem & Mundum. V.
Complementum actionis, quomodo intellectum. 200
Compoſitiones viles & abjectæ quantopere rejiciendæ 256
Compoſitum hominis circulare & quadratum. 10
Comptuli, & ſtibio picti à quo reprehenſi. 110
Compunctio, vel promptitudo, in penetrandis divinis arcanis. 86

Compunctio peccatorum. 126
Conatus ultimus in re quapiam, quomodo ſignificatus. 201
Idem, deſcriptus. 330
Conchæ, vel cavitates in auribus, quos effectus producant. 80
Concordia figurata in binis cordibus ſimul unitis. 267
Quàm neceſſaria mundo. 267. 272
Quantùm valeat. 11
Illius bona. 192
Concupiſcentia, deteſtata. 322
Quàm contumax, quàm audax. 301
Figurata in facie. 108
Item in ſtomacho. 279
Item in umbilico. 305
Item in pede. 326
Intellecta in renibns, & condemnata. 300
Sedem principalem habet in hepate. 289
Concupiſcibile intellectum per pectus. 168
Conditio humana, non ſupra quod poſſibile eſt, levari debet. 328
Conditiones humanæ, quanto ludibrio & riſu exceptæ. 135
Confeſſio per frontem intelligitur. 45
Ritè facta, per os figuratur. 125
Sincera, figurata in collo & cervice. 162
Confirmatio, aut Unctio Sacramentalis, datur per impoſitionem manuum. 207
Confortativum cordis eſt Ungula Alcis. 259
Conjecturæ fallaces. 46
Quomodo nonnunquam de eventu negotiorum præſagire poſſint. 255
Conſcientia, vel Syntereſis. 76
Figuratur in pectore. 168
Intelligitur in ſtomacho. 279
Munda, quomodo intellecta. 266
Depravata, figurata in renibus. 300
Conſenſus in elevatione manuum dabatur. 194
Conſervationi propriæ omnia ſtudent. 281
Conſideratio rerum, quàm neceſſaria. 57
Conſiliarius bonus, vel malus intellectus in oculo. 64
Conſilium, in manibus figuratum. 199
Figuratum per cor. 264. 268
Idem in pedibus expreſſum. 325
Conſolatio figurata. 327
Conſolatio divinæ gratiæ quomodo explicata. 196
Conſortia mala in manibus figurata. 198
Conſortium malorum quantopere fugiendum. 254
Conſtantia & firmitudo in actionibus. 311
Conſtantini Imperatoris charitas, dum Epiſcopos curari fecit, eosdemque oſculabatur. 129
Conſtantius Imperator, ejusque dictum memorabile. 296
Conſvetudo, oſculandi manus in ſignum adorationis. 180
Claudendi oculos moribundis. 71
A pueris usque imbuta, quomodo figurata. 255
Conſvetudinem tondendi ſe, vide ad longum. 155
Conſvetudines malæ quomodo condemnatæ. 255
Conſulatus, quomodo ab antiquis expreſſus. 237
Conſules, in ſtatuis ſuis quot digitos plicatos monſtrabant, toties ſe Conſulatum geſſiſſe oſtendebant. 238
Contemplatio, Paradiſi. 14
Item gloriæ figurata in oculo. 65
Item per oculum. 64
Contemplatio & prudentia ſunt invicem connexæ. 162
Contemptus & irriſio figurata in digito medio. 223
Item per digitos expreſſus. 229
Quomodo fiebat contemptus. 227
Contineri finibus ſtatûs ſui. 327
Contumelia facta per motionem digitorum. 227
Conventiones mutuæ manu ratificatæ. 180
Converſio peccatoris. 310
Convictus ex tribus commenſalibus conſtans, & quare. 244
Convivium. In hoc olim circumferebatur infans, quem omnes in ſignum pacis oſculabantur. 126
Platonicum, cur ex 28. commenſalibus inſtitutum. 248

COR.

ANATOMICA.

Eſt primus Author reſpirationis & pulſuum. 165
Sedes principalis eſt animæ: Item alia cordis attributa, & Epitheta: Eſt vas exiguum, quod tamen rerum immenſitatem continet. Cur in medio pectoris humani collocatum. Situm eſt in cavitate Thoracis. Quomodo claviculis circumdatum. Quid ſit pericardium, ejus figura. Quomodo humor aqueus illud ambiat. Capſula cordis. Eſt figuræ pyramidialis. Cujus ſubſtantiæ ſit. Continet in ſe omnis generis fibras, rectas, & tranſverſas. De qua vena alimentnm recipiat, ſicut & ſangvinem. Animalia, quæ magnum cor habent, timida ſunt. 260
Calidiſſimum eſt ex ſui natura. Ejus ventriculi & ſinus ubinam ſiti. Spiritus vitalis unde ſit, & ubi formetur. Quatuor vaſa ejus deſcripta. Vena coronaria. Nervi ejus, ſunt tertii paris. Parenchyma cordis. Quomodo circumdatum. Ejus ſuperficies, ex quo compoſita. Quàm copioſum ſit examen ejus. Valvulæ ejus quid ſint. Fibræ cordis innumerabiles & lacertoſæ. Quomodo aperiantur valvulæ in vena arterioſa, & cava: quomodo extendantur in diaſtole cordis. 261
Syſtole quid ſit. Quomodo motus cordis fiat: quæſtiones variæ agitantur. Quomodo contractio ejus fiat. Quomodo dilatato corde dilatentur arteriæ. Diverſæ opiniones de temperamento cordis. Quomodo fiat ejus nutritio. De ejusdem ventriculis, eorumque numero. Quomodo ſyncopen patiatur. Cor in magnitudine excreſcens, quomodo mortem inferat: caſus portentoſus. 262
Eſt fons ſangvinis vitalis, & purioris. *ibid.*
Eſt baſis vitæ: ſine illo nihil vivit. 264
Ejus conſtitutio ex linea vitali manûs colligitur. 214
In medio pectoris cur ſitum. 270
Examinandum in quam partem propendeat. 271
Cordi medentur, fructus Anacardi, cum radicibus Anthoræ, & nardi montanæ. 274
Item cortex citri, meliſſa, triphyllum, Gemmæ, Sapphyrus, Smaragdus, hyacinthus, uniones, corallia, uti & carduus. *ibid.*

MORALIA ET MYSTICA.

Per Cor intelligitur Chriſtus: Judicium Altiſſimi, & Charitas proximi. Significat præterea ſepulchrum, vel ſcrinium. Cor ſupra craticulam, eſt idea pœnitentis. Duo corda unita, imago concordiæ. 267

Cor in medio habens figuram lingvæ, erat typus fluminis Nili. Item cor ſupra carbones ardentes, figura fluminis Nili: videantur de hoc Allegoriæ. 264

Accenſum & fumigans, idea cœli. Comparatum thuribulo clauſo, & quare. 265

Cor durum myſticè in humeris figuratum. 262

Per cor intelligitur Scriptura Sacra. Obſervator divinorum præceptorum. Operandum eſſe juxta cor Dei. Eccleſia. Idea divinæ pulchritudinis. Animum purgandum eſſe. Fortitudo rationis. Vigilantia Dei pro noſtra ſalute. Oratio jaculatoria. Conſilium. Homo deditus ſenſui. Defectus rectitudinis, & fidei. Obſtinatus in malitia. Deditus negotiis ſecularibus. Perfidia Judaica. Arrogantia. Superbia. Peccator. Rebellis. Mens abſtracta à ſæculi curis, & corruptelis ejusdem. 268

Item operationes, quæ Deo dedicantur, cum ſui ipſius contemptu. Amplitudo charitatis, Sapientiæ. Unio fidelium. Fortitudo Spiritus. Denotat item Gentiles in vitiis poſitos. Perſvadet eos, qui infideles ſunt, ut convertantur. Eſt ſepulchrum Chriſti. Cor ſuum mordere, quid ſit. *ibid.*

De Corde quare pauciſſima proverbia ſint. *ibid.*

Cor hiſtrionicum quid ſit. Cor grande indicium puſillanimitatis: Hirſutum & piloſum ſignum audaciæ. 269

In corde S. Claræ de monte Falco imago Crucifixi apparuit, & tres globuli æqualis ponderis. In corde S. Ignatii Martyris, literis aureis inſculptum nomen JESU apparuit. 271

Cor S. Martyris cujusdam inventum cum ſtigmatibus. In oſſe quod cordi vicinum, crux impreſſa. Cor evulſum, in quo imago Redemptoris noſtri. Cor vulneratum imago S. Auguſtini, & S. Franciſci. Cor incombuſtibile. *ibid.*

Cor in victima, quam C. Cæſar ſacrificabat, non inventum, anſam præbuit, variè de hoc judicandi. 264

Cordis Synteresis quomodo repræſentata. 220

Idque mediante digito annulari. 224

Cordis deſcriptio. 275

Ejus durities deteſtabilis. 327

Cor mediante riſu demonſtratum. 133

Cor per frontem intelligitur. 46

Item per ſtomachum. 279

Cor dedicatum Marti & Soli. 273

Item valori & virtuti divinæ. *ibid.*

Corium, quo caſſides olim ligabantur, ſignum bellicum erat. 176

Cornu undecimum deſcriptum à S. Joanne Evangeliſta, quid ſibi velit. 249

Cornu Alcis, incredibilis ponderis. 258

Cornua, inſigne honoris. 18

Correctio, quàm neceſſaria. 185

Privata. 12

Mitis, & Severa. 142

Fraterna in manibus expreſſa. 198

Corybantes, quid fuerint. 131

Coſtæ, quomodo formatæ ſint in homine. 165

Crates Thebanus, ejusque dictum memorabile. 147

Craticula, figurans pœnitentiam. 266

Creator, ejusque perfectio unde maximè cognoſcatur. 181

Credulitas nimia vituperabilis, ſicut & nimia incredulitas. 182

Cribroſa pars narium, & quare. 99

Crines recollecti à Lacedæmoniis, & quare. 48

Crines muſci, laricis, cedri, ulmi, algæ, & ſimilium, incrementum capillorum promovent, ſicut etiam capillus Veneris. 37

Critica, & critici condemnantur. 169. 226

Crocodili pingvedo morſuram ejus ſanat. 259

Crudelitas, condemnatur. 161

Tyrannorum, quomodo depicta, & quàm abominabilis. 188

Per oſculationem genuum manſuefacta. 312

Crux Sancta. 49

Cryſtallinus humor oculorum. 54

Cubitus, & menſura ejus, quæ ſit. 233

Cultura animi, quàm neceſſaria ſit. 87

Cultus ſuperſtitioſi & deteſtabiles. 39

Curæ, quantùm affligant. 269

Nimium mordaces, Animam & corpus offendunt. 295

Currere ambobus pedibus quid figuret. 326

Curſus quandoque neceſſarius. 337

Curſus anni, & providentia divina. 190

Cuſtodia, ſui ipſius. 15

Angelica, per oculos figurata. 63

Cydoneum, & citrinum pomum cephalalgiis medentur. 20

Cyperus Babilonica doloribus ſtomachi medetur. 283

Cyrus Rex ſibi pedes oſculari permittebat. 127

D.

Dæmon, figuratus in ore. 126

Ejus fortitudo expreſſa. 197

Ejus potentia. 200

Senſus ejusdem. 65

Ejus ſuggeſtio repræſentata in facie. 109

Qui in dæmone ſperant. 66

Decadorus, quæ menſura ſit, vide ad longum. 233

Decas, quomodo per digitos formetur: hæc dux omnium numerorum eſt: inde ducenta ſunt, decem millia, & myriades, quomodo hæc in decem punctis formentur, &c. 240

Declamatores contra vultus pigmentatos. 110

Declarationes datæ à Senatoribus. 89

Decrepita ætas deſcribitur. 328

Eſt incapax regiminis. 295

Decreta originalia Imperatoris Conſtantini, ubi, & quomodo poſita. 305

Decretum Principis inhibitorium, figurabatur manu inter genua collocata. 310

Dedicatio, quæ Deo fit, intellecta per Cor. 192

Defectus non teguntur per barbam, teſte Martiali. 155

Defectus corporis notati in facie. 110

Defectibus propriis, non alienis intendendum eſſe. 175

Defendenda ſunt ea, quæ magni momenti ſunt. 311

Deglutire, an ſit opus animæ, aut naturæ, quare facilius dura deglutiamus, quàm liquida. 160

Delatio rei gratæ dicebatur oculus Regis. 92

Delectationes, vanæ, earumque incentiva declinanda. 191

Inhoneſtæ, quomodo expreſſæ. 240

Inhoneſtæ in hepate intellectæ. 293

Deliciæ ſpirituales, quomodo amplectendæ ſint. 269

Delicta, & peccata emundanda ſunt, ut decet. 278

Puniuntur mutilatione narium. 102

Democritus ſemper ridens reprobatus. 134

Demoſthenes laude delectatur. 228

Denarius numerus, quare appellatus circularis: Decem commenſales olim, & non plures ordinati: Quænam res numero denario conſtent. Decimæ, quare ſic appellatæ. Qui de hoc numero ſcripſerint. 240

DENTES, Quare ſic vocentur: Oſſa duriſſima, & cava. Dentium temperies: combuſtioni reſiſtunt: ferrum rejiciunt: non putreſcunt, illuſtrati radio ſpiritûs animalis. Durant quandoque ad extremam ſenectam uſque. Laxantur, cum prima eorum compages relaxata fuerit, ſicut ſolent clavi in cithara. Non omnes ſimul excidunt. Concurrunt ad formationem vocis. 113

Sunt triplicis ordinis: molares, inciſorii, canini. Eorum officium & uſus varius. Complementum dant voci & faciei. Eorum numerus uniformis non eſt. Rari vitam brevem indicant. Dolor dentium, ſi totum corpus pervadat. 114

Eorum generatio, alimentum; in maxillis pingvedo abundantior, quàm alibi. Corroſi cum fuerint, cur nequeant curari: fracti, reuniri non poſſint. 115

MORALIA & MYSTICA.

Per hos figurantur Prædicatores Evangelici. Chriſtus. Familiares & judices Principum. Benignitas, benevolentia. Detractio, cujus hieroglyphicum ſunt. Item Angeli. Monachi intra Eccleſiam & clauſtrum ſuum. Item Anima. 116

Significant præterea Ratiocinationem infrugiferam: Blaſphemias: Dæmonia: perſecutiones, palam factas, & inſidioſas: Prædicatores: perverſos inimicos, & eorum ferociam: Tyrannidem: Fraudes: Famam laceratam. Dens Theoninus quid ſit. 117

Dentes enati poſt centeſimum & quartum ætatis annum: quod in fœmina quadam contigiſſe legitur. 114

Marcus Curius, & Cneus Papyrius, appellabantur dentati, nati enim ſunt cum dentibus. Sicut Rex Ludovicus hujus nominis Decimus quartus, adhuc hodie regnans. *ibid.*

Dentes aſſignati ad reprimendum garrulitatem. Indicant pugnam. De iis qui non niſi unicum dentem habuerunt. *ibid.*

Habitatores urbium in dentibus figurati ſunt: in parte ſuperiore cives, in inferiore extranei. 115

Dentes in ætate octuagenaria enati. Cur Æthiopibus albi. Quinam nati ſint cum dentibus. Dens cum ſputamento rejectus. 119

Dens reſtitutus in locum excavati, quàm mirabiliter hæſerit. Dentes ex fœtore prolapſi; Item pugno excuſſi. Dentium curatio. *ibid.*

Dentibus conducunt, decoctum pomi granati, dens equinus, perſicaria, nuces pineæ, radices ſcrophulariæ, Vulcaniæ, Vulvariæ, cervicariæ, & herba parietariæ. *ibid.*

Dentes ſeminati quid produxerint. 121

Deſcripti in Ode. *ibid.*

Quatuor dentes, locus in Svecia, unde dictus. 119

Deprædari aliorum labores, & lucubrationes turpe & periculoſum. 33

Deſcriptio, oculi. 77

Digitorum. 230

Cordis. 274. 275

Deſideria occulta figurata in felle. 293

Deſiderium habendi nimium, deſcribitur. 204

Sciendi. 68

Rerum vetitarum. 320

Deſperatio, quomodo ſignificata. 327

Detractiones audiendæ non ſunt. 90

Detractio, reprehenditur. 21. 153. 169

Maligna, quàm abominabilis. 100

Eſt vitium nefandum. 116. 153

Vilipenditur ab Innocentia. 117

In digitis exprimitur. 225

DEUS. Qualibus literis ſignatus. 120

Ejus doctrina in aure intellecta. 86

Similiter & potentia illius. *ibid.*

Figuratur Deus per faciem: Ejusdem ira, & imago. 107. 108

Figuratur in ore. 124

Item in numero ſeptenario. 239

Trinus in perſonis, expreſſus in tribus digitis, auriculari, annulari, & medio. 238

Ejus omnipotentia, & Spiritus ejus intellectus in digitis. 219

Mundi oculus nominatur. 56

Ejus Dominium, æternitas, immenſitas, perfectio, doctrina, & alia attributa, repræſentata in pedibus. 324

Ejus virtus in brachio expreſſa. 196

Ejus potentia per menſuras adumbrata. 233

Ejus præſentia, & vigilantia, quibus quaquaverſum hominibus aſſiſtit. 333

Item vigilantia ejus ſupra orbem terrarum. 268

Omnipotentia illius ſeptem literis ſcripta. 247

Operibus ſuis in ſeptenario perfectionem donat. 246

Ejus judicia, quomodo expreſſa. 126

Deus, in forma Scribæ. 21

Expreſſus tetragrammate, id eſt nomine quatuor literarum. 244

Placatur humilitate. 312

Clemens eſt, & juſtus. 326

Quomodo Adamum perterrefecerit ambulando. 337

Deus aſſiduè & ubique quærendus. 338

Debet operum noſtrorum eſſe director. 192

Eſt omnium operationum director. 201

Quidquid ad cultum ejus ſpectat, odor vocari poterit. 102

Pater generans, quomodo figuratus. Laus ejus. 142

Dextra manus, ſymbolum gloriæ & honoris: Affectionis item Dei erga animam: Item prælationis ſeu præcedentiæ. 207
Eadem elevata, indicium authoritatis majoris. 206
Viſa in ſomnio, portendit actionem quandam incipiendam eſſe. 213
Dextra Dei nominatur homo juſtus. 205
Diadema regale, quàm ſapienter ſpretum. 187
Dialectices ſcientia, quomodo figurata. 195
Ejus Sophiſmata; figurata in pedibus. 326
Diaphragma in homine, quid ſit. 165
Ejus mirabilis Sympathia cum cerebro: quomodo ventrem medium dividat ab inferiore: Ejus membranæ, quibus integitur. Uſus ejusdem. 166
Dictum morionis cujusdam ſupra naſum Rudolphi Imperatoris. 102
Aliud item ejusdem naturæ. *ibid.*
Dicta factis correlativa ſunto. 148. 204
Dies, quo tonderi Princeps ſolebat, inter feſtos numeratus. 39
Feſtivi, quantopere à Paganis obſervati. 240
Novendiales, quid apud Romanos fuerint, quinam ritus in iis obſervati. 249
Dies anni, cur tot numero ſint. 238
Difficultas, in negotiis. 13. 201
Acquirendi, quomodo expreſſa. 203

DIGITI.

ANATOMICA.

Quomodo manus in digitos ſuos diſtingvatur. Quæ conformatio oſſium: Unde dicantur acies & agmina: Eorum ſitus: cur dicta ſint ſeſamoidea. Quis uſus, & officium digitorum. Quàm eis neceſſarius & utilis ſit motus. Nomina digitorum. Quot eorum muſculi: & quomodo in unum terminentur, juxta mentem Sylvii. Muſculus tenſor, ut quadripertitus ſit. Quomodo moveantur, flectantur, & extendantur. Quare lumbricati, & vermiculares appellentur: & alia. 218
Significationes digitorum. 219

MORALIA ET MYSTICA.

Digitus in hieroglyphicis pro Spiritu Sancto ſumitur. Significat item Prophetas. Digitus ori appoſitus, hominem indicat cogitabundum & malignum. *ibid.*
Per digitos ſignificantur virtutes divinæ; ſicut & Spiritus Sanctus, ejusque inſpirationes. Tres item perſonæ divinæ. Opera eminentia & ſublimia. Virtutes operativæ, morales & Theologicæ. Item falſæ peccatorum rationes. 225.
Digiti Statuæ Regis Nabuchodonoſor, regnum Romanum deſignabant. Exprimunt item gratiam Spiritûs Sancti: Prudentiam, quâ ſermocinari nos oportet: Item arrogantiam, tumiditatem & detractionem. *ibid.*
Digiti invicem concatenati Hieroglyphicum ſunt fidei. Digitus in ſculptura lapidea exhibitus, quid notet. 220
Digiti Etymologia. 227. 228
Pollex, typus pacis, & pacificatoris. 220
Item Hieroglyphicum eſt applauſus & voti: Incurvatus Tyrannidem ſignificat: Elevatus, reliquis compreſſis, typus fortitudinis. 221
Index digitus cur ſic nominetur. 219
Item Genealogia ejus fuſius explicatur. 222
Digitus medius qualis ſit, ejus nomina. *ibid.*
Pro hieroglyphico ſtomachi ſumitur. 278
Annularis, olim gemma inſigniebatur. Eſt imago cordis. Hieroglyphicum matrimonii. Illo os tangebatur, ad implorandam veniam negligentiarum in oratione. 224
Auricularis, nimium abbreviatus, indicabat unciam legitimationis deeſſe proli: extenſus autem ſupra palmam, indicabat numerum ſeptenarium. *ibid.*
Digiti incatenati impedimentum dabant partui, quo veneficio ſagæ utebantur. 312
Digiti variè plicati, varias numerorum figuras indicabant. 236
Idem variè compoſiti varias menſurationes formant. 232
Hinc ad omnes menſuras exprimendas uſurpati. 231
Quinam de hoc ſcripſerint. *ibid.*
Digiti truncati filiis, ne cogerentur militare. 222
Digiti elevati contemptum figurabant. 227
Incurvati, quid ſibi velint. 229
Rodere aut manducare ſibi digitos, unde derivet. *ibid.*
Digitis, quomodo olim locuti ſint. 228
His antiquitus numerabant ab unitate ad myriades usque. 236
Digitis incedere ante oculos ad injuriandum. 229
Digito laudare olim conſveverant. 228
Digitis ſortiri, deſcriptum in Elogio. 250
In digitis incredibile robur. 228
Digitorum ſymptomatibus conducentes herbæ. 230
Digiti aſſignati Deæ Minervæ. *ibid.*
Dignitas, & potentia figurata in facie. 108
Symboliſata in barba. 155
Temporalis, figurata per capillos. 35
Terrena. 14
Quantum ea reprobetur. 337
Eccleſiaſtica, & temporalis quomodo explicata. 197
Dignitas magni cujusdam negotii, & officium ejus. 181
Numerorum quanta. 244
Animæ. IX. X.
Capitis. 4
Oculi. 55
Visûs. 9
Digreſſiones damnantur. 256
Dii cœleſtes dicti ridere. 134
Diis gentilium olim genua oſculabantur. 310
Diligentia, nimia quandoque nocet. 200
In inſtruendo, qualis eſſe debeat. 331
Diogenes cur ſæpius ſibi barbam palparit. 151
Quomodo irridentes ſe, deteſtatus fuerit. 135
Hunc Demoſthenes medio digito erecto ſignificabat per ſubſannationem. 223
Hyemali tempore genua ſtatuarum, ex ære fuſarum oſculabatur. 312

Dionyſius, Tyrannus fabricari in aula quadam aurem ingentem fecit, quæ terminum ſuum in carcere habebat, inde clamores captivorum excipiens. 93
Inſpuitur ab Ariſtippo, & quare. 156
Diſceſſûs amici ab altero, per oſculum intelligebatur. 129
Diſcordia, ejuſque mala. 192
Diſcurſus, quomodo figuratus. 195
Quàm ſit homini neceſſarius. 168
Ineptus, figuratus in auribus. 89
Diſplicentia, quomodo expreſſa. 255
Ejus deſcriptio. 132
Diſputatio Saturnalis ſupra riſum. 133
Diſputationes & doctrinæ Sanctorum. 35
Diſſimulatio expreſſa per Amorem, qui ligatis oculis eſt. 61
Ejus bona. 222
Diſtractio in negotiis. 13
Diverſitas officiorum expreſſa in diſtributione digitorum. 183
Dives avarus deſcribitur. 320
Divina, myſteria. 12
Eſſentia. 14
Principia incomprehenſibilia. ibid.
Inſpiratio. 23
Voluntas, figurata in ſtomacho. 280
Providentia, etiam intimos cordis affectus penetrat. 27
Divinitas Altiſſimi intellecta per oculum. 57
Divitiæ, conſiſtebant in poſſeſſione pecudum, & quando. 143
Nimiæ moderandæ ſunt. 330
Divi, vel Genii, apud Chriſtianos Angeli ſunt. 58
Dochme, figura quatuor digitorum. 233
Doctores intelliguntur in renibus, & quare. 300
Doctrina, falſa, ex animo reſcindenda, velut barba à mento. 152
Bona & mala, figurata in bono, vel malo odore. 2
Evangelica figurata in pectore. 168
Quæ ſine charitate eſt. ibid.
Doctrinæ, in quibus homo ſapiens exercendus eſt, in ſtomacho figurantur. 279
Doctrina Patrum, quod lumen Scripturæ ſacræ adferant. 252
Dolichius, quæ menſura ſit. 232
Dolor, expreſſus, dũ manus ſupra caput mittitur. 206
Propter hunc olim lacerabantur & ſcindebantur brachia, & manus. 205
Dolor & gaudium. 17
Dolores partûs mitigati. 310
Dolus, figuratus per capillos ſparſos. 39
Item per os coloratum. 132
Idem in dentibus intellectus. 117
Domine labia mea aperies, explicatum. 125
Dominium intellectum per nares. 99
Hominis in mundo. III.
Dominium & fides, figurata in manibus. 210
Domûs, quam virtus & fortuna nobilitat, quomodo figurata. 323
Dona, danda ſunt iis, qui bona nuntia adferunt. 144
Gratiæ, quomodo acquirenda. 37
Spiritûs Sancti, juxta ſacras literas diverſimodè diverſis hominibus diſtribuuntur. 248
Eadem in oculo intelliguntur. 62
Item in bracchio. 196
Donum à Briante Regi cuidam factum, in lingua victimæ, & quare. 145
Dormire ſub alterius fide. 91
Dormire pedibus extenſis, quid ſibi velit. 327

DORSUM.

ANATOMICA.

Ejuſdem nomina propria, & officia. Baſis humerorum. Quomodo extendatur. Coſtæ illius ſuperiores & inferiores. Pars ejus gibboſa, appellatur Teſtudo. Quid ſit apophyſis. Quare Trapezius muſculus, dictus ſit cucullaris. Quomodo ſpina oſſea ſit. Quare dorſum aſſimiletur carinæ navis. Articulatinnes vertebrarum; quomodo hæ compoſitæ ſint. Spinalis medulla, quibus & quot nominibus appellata, & alia huc ſpectantia. 172. 173

MORALIA & MYSTICA.

Dorſum alatum, adjutorium Dei figurat. Poſt dorſum Dei ambulare, peccatores indicat, qui Deo humeros obvertunt: quinam hoc fecerint. Significat præterea iram Dei accenſam. Item Judæos crucifigentes Chriſtum. Dorſum columbæ conſtantiam fidei exprimit, & ſtabilitatem dogmatum: Converſionem ultimam Judæorum; & ultima Novi Teſtamenti tempora: puram conſcientiam. Dorſum obverſum à filiis Noë, paſſionem Chriſti denotat, & populum Judaicum, ejuſque ſuſtentaculum. Dorſum Angelorum, eſt eorum fortitudo in ſuſtinendo orbe terrarum. Tergum ſignificat res futuras, & idcirco per id Chriſtus exprimitur: Tergum Tabernaculi, finis mundi, & exitus bonorum operum. 175
Fortitudo ſpiritualis contra impetus mundi affligentis in dorſo figurata. Item vita anteacta in vitiis. Cor durum. Judæi, qui doctrinæ Chriſti reſiſtere nequierunt. Pœnitentia. Punitio peccatorum. Bona temporalia. Humeri læſi caſtigandos eſſe malos denotant. ibid.
Dorſum eſt indicium fugæ: item roboris. 173
Dorſo incurvato qui eſſent, cur à ſacro altaris miniſterio repulſi fuerint. ibid.
Dorſum in metaphreno, & interſcapilio non admodum craſſum, aut plenum arguit fortitudinem: Parvum & deforme, effœminatum & mollem animum: Curvum, mores corruptos: Supinum homines modicè ſenſatos: Magnæ ſcapulæ in mulieribus fortitudinem indicant: Humeri elevati, denotant inſidioſos: Scapulæ apertæ portendunt acumen ingenii: Parvæ foſſulæ in ſcapulis, peſſimam indolem. 178
Dorſi Encomium. ibid.
Ejuſdem Epitheta. 177
Dorus, & dodecamorion. 232
Draco occiſus, ejusque dentes ſeminati, quid ſignificet. 121
Habens ſeptem capita, viſus à S. Joanne, quid portendat. 246
Dualis numerus hieroglyphicum naturæ corporeæ. 238
Duellum Amoris, & Palladis. 157
Duodenarius numerus. Quare ſub hoc numero portæ Paradiſi numerentur: Collegium Apoſtolicum duodenarium: Alia item hoc numero contenta. 249
Duplicitas, figurata in collo brevi, ut Lupi. 164
Quomodo item figurata. 202
In operando, quàm deteſtabilis. 133

Iterum reprehenditur. 50.62
Duritiea mentis deteſtabilis. 327
Dyalus,& Dolichus menſuræ. 235

E.

EBrietas,ejuſdemque damna & mala. 278
Quàm deteſtabilis. 70.282
Eccleſia ſancta figurata per faciem. 108
Eadem in corde figurata. 267
Item in umbilico. 305
Item repræſentata in pede. 324
Echinus terreſtris, & proprietas ejus vivendi pro temporis conſtitutione. 329
Edicta populis publicata, ut mentum raſum portent, & quare. 155
Educatio, res maximi ponderis, quantopere commendanda. 145
Effœminata, laſcivia, quomodo expreſſa, & quàm abominabilis. 220
Effœminati animo deſcribuntur, & eorum deteſtatio. 234
Effœminati & molles reprehenduntur. 227
Effrons & inverecundus quomodo expreſſus. 123
Electi Dei, ſignati in fronte. 49
Electio nationum, quomodo antiquitus facta. 222
Elegia S. Gregorii Nazianzeni de lingua. 146
Elementa, eorumque qualitates expreſſæ in facie. 107
Elementa: Item Sol & Luna ſumpta pro Geniis. 46
Elementa Alphabetalia unde originem ducant. 121
Elevare manus, ſymbolum orationis. 107
Eloquentia, intellecta per linguam, oculum, & manum ſimul. 138
Item per manum indicata. 195
Ejus vires exprimuntur in ſtatua Herculis apud Gallos. 139
Ejus vigor iterum. 140
Figuratur in pectore. 168
Item in pedibus. 326
Falſa, quomodo intellecta. 142
Græca, intellecta in labiis. 126
Laus eloquentiæ. 329
Eloquia divina repræſentata per collum & cervicem 162
Emendatio, verborum. 68
Propriæ compoſitionis, qualis eſſe debeat. 255
Enthuſiaſmus, vel ratiocinatio phanatica quomodo explicata. 131
Ethmoides os in naribus, quaſi earum baſis. 99
Epicurus, in quanta æſtimatione fuerit, dum imaginem ejus in tabulis, ſcyphis & annulis portabant. 224
Epiglottis & Oeſophagus, partes ſunt, altera colli, altera Laryngis. 160
Epiglottis quàm facilè opprimatur, & oppreſſa quantum angat. ibid.
Epigramma in ſurditatem. 98
Epilepſia quomodo curetur. 258
S. Epiphanius polyglottis erat. 146
Epitheta, ordinem rerum exponunt. 42
Quantæ utilitatis ſint, & quantam orationi claritatem contribuant. 85
Epitheta Animæ. VIII.
Capitis. 25
Capillorum. 42
Frontis. 51
Oculorum. 75
Genarum, & faciei. 112
Supra barbam. 158
Supra riſum. 136
Colli & cervicis. 163
Mammillarum. 171
Pectoris. ibid.
Dorſi. 177
Renum. 302
Genuum. 314
Equi & oves fugantur tympano facto ex pelle lupi vel urſi. 259
Equi raſi in funeralibus. 40
Equus in ungula ſua quid portendat. 253
Errores refrænati per contactum barbæ, & à quo. 156
Eruditio, & ſtudium, quantum adjumentum, utilitatemque adferant. 252
Eſau piloſus, intentus ad lucrum. 35
Eſſentia divina, in tribus digitis, annulati, auriculari, & medio indicata. 238
Eadem in ſtomacho intelligitur. 279
Evagatio oculorum, quàm nocua ſit: & in hoc Scripturæ ſacræ teſtimonium. 73
Evangeliſta intellecti in renibus. 300
Evangelium, & declaratio illius intellecta in unguibus. 253
Ejus prædicatio explicata in facie, ejuſdemq; ſuavitate. 108
Euchariſtia, cum quanta animi puritate ſumenda. 334
Eufragia remedium pro oculis. 74
Eupatorium & Hepatica conferunt hepati. 294
Euripides, digna lectu de ea hiſtoria. 323
Exactio Principum nimium ſevera condemnatur. 296
Excuſatio in peccatis, quomodo expreſſa. 323
Executio operum quomodo figurata. 201
Exemplum Patrum figuratum in labiis. 126
Exercitium, laudatur. 337
In eo capacitas, quomodo expreſſa. 204
Exercitus ſolo viſu diſſipati. 76
Exitus operationum figuratus in tergo. 174
Exitus rerum, quomodo figuratus. 323
Experientia, quàm neceſſaria, & utilis. 182
Extendere manus ſignum reconciliationis. 207
Exteriora de interioribus indicium certum non dant. 24
Externa tamen ſæpe de internis judicant. 109
Extorſio, & barbaries, quomodo ſignificata. 204
Extranei, quomodo cum civibus converſari teneantur. 116
Extrema, quàm vitioſa. 88
Extremitas omnis reprobatur. 134

F.

FAbula, eſt Naturæ parallela. 120
Quantæ utilitatis ſit. 74.120
Item, quàm utilis ſit ad diſcooperiendam veritatem. 217
Faciamus, cur Deus in creatione hominis dixerit, & non, *fiat*. II.
FACIES.
Decorem habet à maxillis. 104
Hæc nos ab irrationabilibus diſtinguit. Imago eſt animi, & ſedes virtutum. Indicium vitæ & mortis. Ejus membrana carnoſa.
Quare facies à facie diſcrepet. 105
Facies deſcribitur. 110
Laudatur in Ode. 113

MORALIA & MYSTICA.

Per faciem figuratur Furor: Judicium: Superficies rerum: Vindicta: Judices: DEUS in actu incarnationis ſuæ; Divinitas ejus; Lux & revelatio divina: Intelligentia & præſentia Chriſti: Ea quę facta ſunt ante conſtitutionem mundi. 106

Repræſentatur item Spiritus Sanctus: Ira Dei peccatum Adami: manifeſtatio ſecretorum divinorum. Adventus Redemptoris: Humanitas Chriſti: Prophetæ: Virtutes Cardinales: Elementa, & eorum qualitates: Mens ſapiens: Ornamentum internum, & externum. 107
Item imago Dei: Mens recta: Ignorantia: Prædicatio Chriſti: Eccleſia: Pulchritudo animæ. Tranſitus de vitiis ad virtutem: Dignitas: Potentia: Evangelium, ejuſque prædicatio: Impedimenta cognoſcendi veritatem: Favor mundanus: Concupiſcentia: Suavitas Evangelicæ Doctrinæ: Via ad mortem. 108
Figurat item ſimulationem Religionis: Humiliationem: Reverentiam: Pudorem: pervicaciam in peccando: Reminiſcentiam peccatorum: Suggeſtionem dæmonis: Potentiam reſtitutam: Superbiam impiorum: Diſcipulos Antichriſti. 108.109
Facies per exteriora ſua demonſtrat, quod interius eſt. 109
Figurat item honorem ſpretum. ibid.
Monſtrat defectus corporis, ſicut & virtutes ejuſdem. Per hanc agnitus Ulyſſes etiam inter exteras nationes: ſicut Trajanus quoque, & Conſtantinus. Quæ ſignata notis. Perforata pro ornamento habita. Fucata reprehenditur. 110
Facies lota in tribulatione. Cooperta ſignum perfidiæ & hoſtilitatis. Item cooperta ex arrogantia, & per quem. 112
Duæ facies, quæ de una cervice prodeunt, providentiam in rebus denotant. ibid.
Facies ornamentum habet à dentibus. 114
Facies indicat de internis hominis. 11
Oſculo ob civilitatem excipitur. 128
Color illius ab hepate procedit. 289
Facies abſque ore indicat hominem effrontem, & præſumptuoſum. 123
Facies diverſa ab opere. 12
Faciles dare audientias, virtus eſt, neceſſaria Principibus. 84.96.
Facta verbis congrua ſint. 132.203
Facta aliorum obſervanda non eſſe. 62
Item propria attendenda, non aliena. 328
Factum ritè completum, quomodo figuretur. 200
Idem ultimatum, quomodo expreſſum. 255
Facultas ſacrificandi ablata ſacerdotibus, intellecta in brachio. 196
Facundia, quomodo intellecta. 130
Fallaciæ in quanto horrore habendæ ſint. 253
Fama nullius laceranda eſt: hîc plures eruditiones occurrunt. 153
Fama lacerata intellecta in dentibus: & quomodo hæc à melioribus Authoribus appelletur. 117
Fames tarnationem non admittit. 99
Neque multiloquium. 281
Faſtus deteſtabilis. 227
Favores divini præſtiti Hebræis. 35
Fax data in manus currentium. 336
Febris quartana, à liene provenit. 292
Fel, cur in homine ſit. 291
Ejus Epitheta. 295
Felicitas, ſtatûs & negotiorum quomodo expreſſa. 226
Mundana, quàm tranſitoria ſit. 133
Eadem ſecuritatem non habet. 189
Eadem in binis ſimulacris intelligitur; quæ ſibi invicem manus porrigunt, & conjungunt. 194
FEMUR. ANATOMICA.
Extenditur ab oſſe Iſchio ad ultimos uſque pedis digitos. Quænam femoris partes ſint, & quibus nominibus vocentur. Qualiter à ramo femorali, vel crurali, originem venæ illius habeant. Quid ſit Iſchium: Unde Iſchias: Quid ſit poplitæus muſculus. Quomodo quatuor nervi, qui exinde oriuntur, per pedem ſeminentur. &c. 316
Nervi, qui de tribus lumborum inferiorum partibus naſcuntur, quò terminentur. Quinam muſculi pedis ſint. Quod ſeptem ſint oſſa pedii. De femore item & tibia, & minori pede. Quare femur ſit appellatum. 316
Femur pinguæ aut macilentum, nervoſum, ſubtile, & aliæ illius qualitates, quid indicent. 339
Femora cum vanitate adornata. 335
Ferramenta poſita in plantis pedum, quæ ſtellas repræſentabant. 330
Ferrum cudendum dum calet: Unde hoc adagiū 311
Feſtivi dies quomodo obſervandi ſint, & pœnæ contra delinquentes. 208
Quomodo obſervati à Paganis. 240
Fictio amantum, quàm deteſtabilis. 133
Fictio ſexûs muliebris in inceſſu. 335
Ficus, ejuſque folia medentur manibus. 213
Fidere nimium, quæ mala inferat; eandem rationem habet nimium diffidere. 182
Fides, in Chriſtum figurata in Capite. 19
Integritas fidei, quomodo intellecta. 125
Ejus defectus indicatus in oculo. 65
Ejus conſtantia, intellecta per dorſum columbæ, cum pennis argenteis. 175
In manibus fides intellecta. 180
Eadem in corde expreſſa. 268
Item per conjunctionem digitorum. 220
Eadem aliter expreſſa. 125
Fides amiſſa, error deteſtabilis. 143
Fides, figurabatur per datam manum. Eidem ſupra altare manus conſecrata erat. 207
Fidei primum templum erectum & conſecratum eſt. 194
Fides & Amor in pedibus expreſſi. 325
Fides & Virginitas in oculo. 64
Fides & dominium, intellectum in manibus. 210
Fides & integritas, quàm bene invicem colligentur. 187
Fidei remuneratio, quomodo intellecta. 191
Fidius Deus Sabinorum, in numero ternario intellectus, quomodo à Phidia ſculptus. 238
A quibus in veneratione habitus, & quare adumbraverit myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, & fidei. 112
Fiducia in Deo quantum valeat. 10
Figura, longa & diviſa in manibus, quare. 181
Cordis humani, pyramidalis. 261
Hominis conſolati, quomodo expreſſa. 327
Filiæ olim funus patrum ſuorum comitabantur ſolutis capillis. 39
Filii, affectusque erga eoſdem inordinatus, expreſſus in pedibus. 326
Finis ultimus Mundi myſticè intellectus in unguibus. 253
Finis rerum deſcriptus & intellectus per pedem. 311
Idem in umbilico figuratus. 304

Finis cujuſdam rei, quomodo olim expreſſus. 305. 323
Firmum oportet eſſe hominem in operationibus ſuis. VII.
Fiſco comparatur Lien, & quare 296
Fiſtula ſpiritualis quid ſit. 159
Flacci, ſic nominati ab auriculis pendentibus & magnis. 94
Flagellandi uſus, qualis fuerit apud Hebræos 241
Flamma, de cœlo deſcendens combuſſit manus mulieris irreverentis. 209
Immiſta linguæ, quid ſibi velit. 140
Flammæ repræſentatæ per capillos. 38
Flos ætatis, quid per hunc intelligatur. 240
Flori aſſimilatur vita humana. 331
Flores poſiti præ pedibus. ibid.
Flumina, quæ Paradiſum inundant, quare numero quatuor ſint. 244
Fluminibus dedicabantur capilli. 38
Fœmina, inſidias â ſerpente patitur. 323
Prudens & Sagax quomodo intelligatur 156. 157.
Cui picta ſtibio facies, ſudore deformatur. 111
Fœminæ, antiquæ, cum quanta vanitate diſcoopertæ inceſſerint. 325
Barbatæ. 154
Conjugatæ incedebant coopertæ, virgines autem diſcoopertæ. 112
Mauræ vel Africanæ, antimonio ſeu ſtibio ſe pingebant. 71
Fœminarum levitas & mollities. 335
Fœtor nonnullibi prolapſionem dentium excitavit. 119
[F]œtus, quomodo per venam umbilicalem nutriatur. 119
Item quomodo per eam reſpiret. Quomodo ea divaricetur. 303
[F]omes peccati in umbilico expreſſus. 305
[F]omes ſenſualis deteſtabilis. 322
Fons, ora habens duodecim, eloquentiam indicat 130
Formare ſibi legem pro libitu. 204
Fortitudo, Alicanti in occidendo Leone. 139
Animi, per cor intellecta. 268
Emblema ſuper eandem fortitudinem animi 270
Animi virilis, quomodo deſcripta. 189
Hæc vana eſt ſine adjumento divino. ibid.
Corporis, expreſſa in barba. 151
Eloquentiæ quomodo expreſſa. 58
Manuum, quid portenderit. 206
Quinàm ea neceſſaria ſit pro jactu teli. 323
Spiritualis contra aſſaltus Mundi, intellecta in humeris 175
Fortitudo, per humeros latos arguitur, tam in viris, quàm mulieribus, 178
Huic manus dextra dedicabatur. 211
Exprimitur in capillis. 28
Item in pollice elevato aliis digitis compreſſis. 221
Operativa hominis intellecta in unguibus. 254
Operativa animæ intellecta in genu. 310
Inutilis quomodo deſcripta, & quomodo evitanda ſit. 118
Fortitudo conſiſtendi in ſtatione ſua, quomodo figurata. 176
Fortuna, ſignificata in oculo. 69
Ejus bona, quomodo rectè uſurpanda ſint. 192
Quàm variabilis. 10
De faſtigio ejuſdem ad infimas miſerias uſq; prolabi, quomodo expreſſum ſit. 225
Fortuna, & felicitas in familia quadam 323
Fortuna cum Amore, quid ſibi velit. 62
Fraudulentia deteſtabilis. 202
Fraus repræſentata in aure. 87
Frigida affectibus renum medentur. 302
FRONS. Speculum eſt faciei, vel ſignum. Quare ſurſum ſpectet. Oſſa illius. Eſt indicium pudoris. Figura ejus ſemicircularis, & quare duplicatos ſinus habet. Tacta per indicem digitum, quid ſignificet 43
Eſt ſpeculum cordis. Indicatur per literam F. 44
Frons indicat providentiam divinam. Hieroglyphicum eſt libertatis. Exprimit ſervitutem Dei. Proſpectus eſt virtutis, & vitii. Idea Apoſtolorum & Martyrum eſt. 45
Frons eſt Idea notitiæ utriuſque Teſtamenti Sacri. Item Idea Miraculorum: Operum: Cognitionis Creaturarum: Cordis: Confeſſionis: Rebellium: Hæreticorum, & reorum. 46
Frons inſcripta dedicata Genio. Infirmitas & mores per frontem cognoſcuntur. Ibid.
Frons demonſtrat ignorantiam; indocilitatem, obtuſum ingenium, pigritiam, inconſtantiam, ineptiam: prudentiam: adulationem, audaciam: liberalitatem: fatuitatem fictam, & deſiderium habendi. In fronte præterea ſeptem Planetæ intelliguntur. 47
Frons ſignata literis ferreis, iisque candentibus. 48
Supra illam ſignabatur olim litera Tau. Electi Dei ſignati in fronte. 49
Frons præterea ſignificabat idem quod *Prima facies*, aut occurſus negotii cujuſdam. Eadem ſignificabatur rectitudo & bonitas actionis: Negotium factum præſente domino: Oculus domini: Homo magnæ intelligentiæ, qui punctum rei tangit: Operari apertè: Sicarii, eorumque fautores, & conſcii: Duplicitas; Inverecundia: hilaritas, & mœſtitia. 50
Frons offuſcata capillis, rationem offuſcatam denotat. 35
Frontes quatuor, quid ſibi velint. 44
Frugalitas laudatur. 132
Fugere, quomodo deſcriptum & intellectum. Item fuga bona & mala. 174
Fugitivus repræſentabatur manibus demiſſis. 208
Fullonicus motus, qualis. 336
Fumaria conducit lieni. 297
Functiones ſacræ, earumque miniſterium expreſſum in manibus. 199
Fundamentum, Urbis Romæ. 15
Fundamentum operationum, quomodo ſtabilitum, & intellectum. 319
Funeralibus intererant olim equi tonſi. 40
Funiculus, quæ menſura ſit. 232. 234. 335
Funis argenteus â Spiritu S. vocatur ſpinalis medulla. 173
Furacitas intellecta in manu ſiniſtra. 192

Furari alterius lucubrationes, quàm abſurdum. 33
Fures, quomodo incedant. 328
His aures abſcindebantur. 93
Furor hominis, quomodo cognoſcatur per lineam, dictam, mediam naturalem, 215
Repræſentatur in facie. 107
Furtum expreſſum in manu ſiniſtra. 192
Quomodo ſignificatum, & condemnatum. 203

G.

GAleatius Sfortia, quomodo occiſus. 10
Galenus, quantopere in Medicinæ ſtudio deſudaverit, 313
Garrulitas reprimitur per dentes. 114
Gaudium, & dolor. 17
Gavii, vel compages quid ſint. 232
GENA. MYSTICA.
Indicant Sanctos Martyres, Virgines, Sacerdotes, Prædicatores, & Superiores populorum; Aſpectum internum animæ; Caſtitatem, & planctum. 106
Genæ exhibebantur ad oſculum excipiendum, in ſignum ſalutationis. Diſcoopertæ, ſignum erant honeſtatis. 112
Generoſitas Chriſtiana quomodo figurata. 188
Genius, quantum homini placeat, & quantùm ei blandiatur. 330
Contra hunc agere, quàm operoſum ſit. 145
Idem, quàm nocivum ſit. 32
Doctrinæ multæ de genio. 46
Chriſtus verus Genius. ibid.
Genii intellecti per frontem. ibid.
Gentiles, in cultu religionis ſæpe Chriſtianos exuperant. 293
Eorum nonnulli obſervantiores in cultu divino, quàm præpoſteri quidam Chriſtianorum. 312
Eorum actiones, quæ moralitatem concernunt, rejiciendæ non ſunt. 282
Feriebant ſibi pectus, ob pœnitentiam errorum. 169
Gentiliſmus ad fidem converſus, figuratus in oculo. 65
GENU. ANATOMICA.
Eſt pars corporis ſat conſiderabilis, quæ ſuſtinet & flectit hominem: unit femur pedi: ſicut & oſſi Iſchio junctum eſt. Quomodo pes ab eo deſcendens dividatur. Qua ratione figura ejus orbicularis. Quomodo cum partibus ſuperioribus copuletur; Item cum anterioribus, & poſterioribus. Quænam ejus apophyſes. Quomodo trochanteres exeant, & caput rotundum. Quomodo in epiphyſi ſua & in proceſſibus formatum ſit. Quod facilè in pueris luxetur. Tibia, quomodo compoſita ſit, focile majus ab Arabibus, nominatur. Quid fibula ſit, & Malleoli. Quomodo adjumentum tibi adferat præmemorata fibula. Qualia ſint lingamenta tibiæ, quis motus, & inflexio. 307
Ratiocinatio de muſculis, quot eorum ſint, qui motus: quomodo femoralis affixus ſit, non ſecus ac brachialis. Quomodo quidam eorum de vena laterali naſcantur. 308

MORALIA ET MYSTICA.

Genua ſignificant adorationem, quæ Deo fit: Item animæ inclinationem, & obſequium cordis: Robur operativum animæ: Firmitatem in operando: Robur corporis: Orationem fervidam: Miſericordiam, & converſionem. 310
Genu item typus miſericordiæ erat. 308
Manus infra genu ſignum erat decreti inhibitorii. ibid.
Homo genuflexus ſignum animi reſignati, & humiliati. 309
Genua oſculis petita in ſignum humiliationis. 312
Genuflexiones de die ſæpius repetitæ. 313
Genuum Epitheta, eorumque laudes. 314
Genuenſes Legatis Græcorum barbam radi faciunt. 155
Gerarium, vel Gratia Dei, Gratiola, & Hyſſopus montana herbæ, ſalubres pro genuum affectibus. 313
Germani, Cor incombuſtum. 272
Flavis comis ſunt. 28
Geryon Rex, triceps, quid ſignificet. 13
Dictus fuit tria corpora habere, cognitionem enim plurium ſcientiarum & linguarum poſſidebat. 146
Geſticulatio in loquendo improbatur. 220
Geſticulationes in ſcenis non ſatis honeſtæ reprobantur. 239
Geſtire manibus, Oratores novelli, accuratè docentur. 229
Geſtus corporis de internis indicat. 340
Gigantes, quibus loco pedum ſerpentes erant, quid ſibi velint. 322
Gingivæ quid ſint. 122
Glandulæ, vel parotides in auribus ad quid ſerviant. 156
Gloria Mundi vana. 188
Gloriatio externa deteſtabilis. 142
Thraſonica quantopere fugienda. ibid
Godefridus Pius, plures linguas callebat. 146
Gradus hominis, vel paſſus quid ſit. 234
Gradus pompaticus, quid ſit. 336
Græca lingua reprobata â Carthaginenſibus, â Cajo Mario, Marco Tullio, Catone, Tiberio, Iſocrate, & aliis. 146
Gramen digitale herba, eſt remedium bonum pro affectibus digitorum. 230
Grana frumenti, quomodo principium dederint ad menſurandum. 232
Granum, ſpecies ponderis, â grano frumenti ſumptum. 240
Gratia divina in ſtomacho expreſſa. 279
Eadem implet univerſa. 31
Gratia & peccatum ſimul morari nequeunt. 272
Gratiæ, cur tres numero. 244
Gratiæ, & ſupplicium intellecta in oculo. 65
Gravitas in inceſſu. 336

Grypi nominabantur, quibus naſus aduncus erat 102
Gula, figurata in ſtomacho. 280
Vitium contrarium ſpeculationi. 281
Quàm deteſtabilis ſit. ibid.
Ejus inſatiabilitas condemnata. 278
Ejus Mala, atque remedia. 282
Gurgulio, idem quod plectrum. 122
Guſtare primis labris, quid ſit. 133
Guſtus, quomodo intellectus ab antiquis. 141
Gyges, cur centimanus dictus. 217

H.

Habitatores primi Hollandiæ. 89
Habitus non facit Monachum. 154
Hadrianus Imperator barbam ſuam nutriebat, & quare. ibid
Hæreſis deſcripta; defenſa per quem. 200
Eadem in felle intellecta. 293
Hæretici, ſignificati in ore. 125
Eorum prædicatio figurata in labiis. 126
Eorum conventus expreſſi in ſtomacho. 280
Eorum perſuaſiones. 142
Hæretici, & malefici intellecti in fronte ærea. 46
Hannibal, videns exercitum ſuum in prælio cæſum, videre viſus, & quare. 135
Harpocrates, Numen, vel Idolum ſilentii, uſurpatum in ſympoſiis. 223
Ejuſdem imago. 230
Hebræi primi Authores oſculandi terram. 128
Heliogabalus Imperator adorationem expoſuit. 332
Idem in riſu immoderatus. 135
Heliotropium, remedium oculorum. 74
HEPAR. ANATOMICA.
Eſt pars corporis vicina cordi: Neceſſaria ad vitam hominis. Quomodo excrementa ſua expurget. Officina eſt ſanguinis: Alia item attributa ejus. Quomodo corpus nutriat. Nomina Jecoris, quibus ab Hippocrate nominatum fuit. Sedes eſt concupiſcentiæ. Quomodo cum ventriculo comunicet. Scirrhus in hepate, quem effectum habeat. Facultas generativa, ortum habet ex hepate. Fundamentum eſt potentiæ Vitalis, & Animalis; ſicut & caloris extrinſeci. Situm eſt in hypochondrio dextro; Situs ejus tutiſſimus. Quomodo circumdatum; ejuſque repartitio. Corpus ejus qualem diſpoſitionem habeat, & quem ſitum. De ſanguificatione, ejuſque actione propria. Inæqualis magnitudinis in animali eſt. Quomodo carne tibi propria conſtet. Quomodo infarcitum tunicis. Quam ſimilitudinem habeat mortui ejus. Quomodo ab hepate ſanguis in corpus univerſum redundet. Vaſa ejus quomodo diſtribuantur, & quem circuitum habeant. 289
Inteſtina, & vaſa ſpermatica ab hepate mittuntur. Quomodo tegatur: Ejuſq; temperamentum. Omnes partes corporis cum eo communicant. Quomodo ſanguis in eo præparetur. Quàm honorifico titulo honoretur. Origo Spiritus naturalis 290
Ab hepate Spiritus animalis formatur. Veſica fellis, quomodo collocata; quem humorem contineat, quare cum ſanguine non miſceatur: Ordo & providentia in ſeparatione: Quomodo hîc venæ conjungantur: & quomodo ſinceram bilem attrahat. 291

MORALIA DE HEPATE.

Per hepar intelligitur mens hominis: Item affectio, & ardor charitatis. Hepar ſicut Princeps eſt, miniſtrans vitam ſubditis ſuis. 292
Exprimit amarorem Pœnitentiæ, qui humores peccantes incidit 293

MYSTICA DE HEPATE.

Poterit ſignificare deſideria occulta: Item iram quæ per calorem hepatis inflammatur: Sicut & voluptatem, & deſideria illicita. ibid.

MYSTICA FELLIS.

Indicat vitam perverſam; verba amara, quæ de ore blaſphemo, vel vindictam ſpirante procedunt. Cur Chriſtus bibere fel abnuerit. Judæi Chriſtum felle potârunt, ſignificat fel perſuaſiones diabolicas, Hæreſim & Antichriſtum. ibid.
Hepar dedicatur Jovi, & fel Marti. 293. 294
Eorum morbis medentur, Hepatica Aſplendum, Scolopendricum, Hemionium, Cetherach, Eupatorium, Agrimonia, & Unguentem Santalinum. 294
Inter fructus conducunt pyra; inter fungos Betulinus, & Quercinus: inter refrigerantia omne genus Sonchorum: è conſervis, Roſata, & ſimilia. ibid.
Epitheta hepatis. 294
Hepar canis rabidi à morſura ejuſdem ſanat. 259
Hepatica linea in manu hominis, ſignificat qualitatem & conditionem hepatis, quod eſt fons ſanguinis. Ideóque Secundùm variam ſituationem ſuam, varios effectus demonſtrat. 216
Heraclitus ſemper plorans reprobatur. 134
Herba dicta Umbilicus veneris, umbilico medetur ſcrophulis & ſtomacho. 306
Herbæ, ob virtutem ſuam æquiparantur, imò anteponuntur gemmis. 297
Tantopere ab antiquis æſtimatæ, ut ipſi Imperatores, eas olim in triumphis portarent. 302
In paluſtribus locis enaſcentes, quæ ſimilitudinem comarum habent, pro incremento capillorum ſerviunt. 37
Quod allevamentum animus in herbis habeat. 313
Hercules, Anteſignanus Oratorum: ei dedicatæ ſunt linguæ. 148
Ejus ſtatura, quomodo expoſita. 255
Hermodactyli medentur Chiragræ. 213
Heroës naribus elevatis. 102
Hieroglyphica quid ſint. 13
An illorum uſus vetuſtior ſit, quàm eorum, quæ vulgò dicuntur Impreſſæ, ſeu facta illuſtria. 192
Hilaritas, & mœſtitia collecta ex fronte. 50
Hippicus, vel hippaſſus, quæ menſura ſit. 232
Hiſtoria, quantæ utilitatis ſit. 21
Hiſtriones, dicti Pantomimi, qui ſint, & qualiter geſtibus ſuis loquantur. 228
Quomodo reprobentur. 323
Holocauſtum ſacerdotis intellectum in fortitudine brachii. 196

HOMO. Templum animatum. I. 1
Dominum ejus in mundo III.
Quomodo in operando concordet cum Spiritu aſtrali V.
Comparatur mundo. Anima cui aſſimiletur. Ibid.
Anatomia hominis breviter deſcripta. VI.
Homo in potentiis ſuis comparatur ſanctiſſimæ Trinitati VIII.
Quantæ dignitatis propter animam ſit. IX.
Quod in compoſito ſuo circularis, & quadratus ſit. XI.
Quantæ dignitatis ſit caput humanum. 2
Hominis ætas, quomodo diſtinguatur. 240
In qua potiſſimum ætate matrimonio jungere ſe debeat. 241
Cur quadratus dicatur. 245
Quanto tempore in ventre matris organizetur. 247
Cur nullo nomine vocatus, niſi ſeptimo die: ſicut ſeptimo menſe ei dentes naſcuntur; qui ſeptimo anno excidere ſolent. ibid.
In qua ætate ei pubes naſcatur. Quando robur, & maturitatem complexionis nanciſcatur. Ibid
Quare figuram quadrupedis non habeat. 315
Quot & quales in homine humores ſint. 292
Vivere nequit ſine corde. 264
Suſtentatur genibus. 307
Ejus centum umbilicus eſt. 303
Omnes lineæ corporis in umbilico terminantur. 304
Cur oculos virgatos habeat homo, cum in anima ejus reliquis contrarium appareat. 52
Homo eſt arbor inverſa. 30
Qui raris dentibus eſt, vitam longam non promittit. 114
Homo quibus præſidiis manuum, brachiorúmque armatus ſit. 180
Ejus fortitudo operativa intellecta in unguibus. 253
Homines eximiæ fortitudinis in digitis. 228
Item, qui pro libitu aures movebant. 96
Item quibus non niſi dens unicus fuit. 114
Item quibus non niſi anno octuageſimo dentes nati. 118
Qui pugno dentes excuſſerint. 119
Homines inſolitæ fortitudinis. 174
Homo, quamvis in terra degens, cæleſtia nihilominus contemplari debet. 29
Quantopere ei animus excolendus ſit. 87
Quantum exercitatus eſſe debeat: item quod Religio ei cordi eſſe debeat. 337
Qui diverſus in geſtu, diverſus eſt moribus. 340
Myſticè intelligitur homo umbilico. 305
Ejus conſtitutio deſignatur & notatur, in quatuor manus ſuæ lineis. 214
Quomodo ex lineamentis manuum cognoſcatur, placidus, vel econtra rigidus ſit homo. 215
Homo indiviſione membrorũ ſuorum, cur materiam parcam antiquis præbuerit, ad Symbola; vel *Impreſas* formandas. 181
Homo in menſura compoſitus, quantum debeat digitis. 231
Homo temperamenti robuſti cognoſcitur ex phyſiognomia. 164
Cholericus homo quomodo deſcriptus. 228
Homo caducus eſt. 152
Homines magni cordis. 270
Deditus ſenſui exprimitur in corde bulliente. 268
Homo ſincerus quomodo deſcriptus 263
Homo fallax reprobatur. 202
Homo nequam intelliguntnt in aure truncata. 85
Homo iniquiſſimus deſcribitur. 327
Homines mali deſcribuntur. 341
Homo inverecundus quomodo expreſſus. 122
Homo gregarius & vilis. 31. 32
Homo ſine diſcurſu, quàm imperfectus. 168
Homo genuflexus expanſis brachiis, ſignum eſt animi humilis & demiſſi. 309
Non ſe negotiis immiſceat, quæ vires ſuas excedunt. Item ſuis propriis & non alienis invigilet. 328
Homo, qui ſe omnibus negotiis immiſcet. 333
Quod quemque deceat, ſe in finibus ſtatûs ſui continere. Quod ſeipſum quinque debeat menſurare. 327
Homo demonſtratur in ultima ſua ætate. 328
Hominis ſpes in pede figuratur. 326
Homo magni ingenii repræſentatus in fronte. 50
Homo juſtus dextra Dei nominatur. 205
Homo ſupra lectum vel ſcamnum inclinatus, quid ſignificet. 234
Item devorans horas, quid ſibi velit. 122
Hominibus gravis Authoritatis, olim riſus interdictus. 134
Homicidis, cum lapidandi eſſent, manus ſuper caput collocabantur. 206
Honeſtate, quiſque contentus eſſe debet. 203
Honor Vilipenſus, quantum damnum inferat. 109
Horæ Germanicæ, quomodo intelligantur. 235
Horatii Cœlitis peroratio de naribus magnis. 102
Hordeum efficax remedium in ſymptomatibus gulæ. 163
Hoſpites, & peregrinos, olim publicè oſculabantur. 129
Humilitas, quàm pretioſa ſit. 309
Eam Chriſtus docuit. 334
Exprimitur per cervicem demiſſam. 162
Item per oſculationem genium exhibita. 312
Humilitas Mariæ per Capillos figurata. 35
Hyacinthi, correctivum cordis ſunt. 274
Hyoſciamus, optimus pro dentibus. 119
Hypſus, de menſuris agit. 231
Hyſſopus, gratioſa, vel Geraniũ, herbæ admirabiles in oſſium defectibus, conferunt & genibus. 313

I.

Jactantia rejicitur. 147
Jactantia & faſtus in collo & cervice figurantur. 162
Jactatores & arrogantes in iiſdem figurati. Ibid
Janus Rex. 15
Hieroglyphicum erat Principis, Centurionis, & Miniſtri. 44
Cur quatuor frontes habuerit. ibid.
Cur ſine manibus ſculptus. 195
Cur tam ſapiens habitus ſit. 138
Quantùm apud veteres æſtimatus. 44
Januarius menſis, unde originem ſumpſerit ibid.
Ichneumon, quodnam animal ſit, quomodo ſe terræ involvat, & crocodilum introëat, ad eum necandum. 310
Idea humana repræſentata in herbis. 37

Idioma & nativum, & varium repreſentatum in lingua. 142
Idololatræ nunquam in Sacrificiis ſuis ridebant. 135
Idololatria quomodo exprimatur. 142
Idolis, genua orantes oſculabantur. 312
His olim nemora conſecrata ſunt. 337
Iis in aurem loquebantur, ſtantes ſuper tabulata quædam, præſertim, qui præcipui erant in populo. 93
Hinc mulieres ſacerdotio fungentes, per ſcalam quandam ad aures Bachi locuturæ aſcendebant. ibid.
Jecur hominis, ejusque conſtitutio, quomodo per lineam hepaticam manûs cognoſcatur. 216
Jejunium quadraginta dierũ, quare inſtitutum. 241
Jejunus venter non admittit ſermocinationes longas. 281
JESUS, qualibus literis, & numeris, hoc ſacratiſſimum nomen formatum ſit. 249
Ignavia quomodo reprobetur. 337
Ignis ſacer, huic morbo umbilicus Veneris medetur. 306
Ignis de cœlo veniens, item ignis, Idea Animæ. 272
Ignominia aperta deſcribitur. 140
Ignorantes, qui ſe literatos glorianțur, & interim in aliorum labores involant, quomodo deteſtandi ſint. 193
Ignorantia expreſſa per faciem. 108
Affectata. 203
Ignorantia Dei figuratur in cæcitate. 61
Impedimenta in negotiis. 309
Impedimentum cognoſcendi veritatem in digitis expreſſum. 108
Impedimentum partûs, olim ſuperſtitioſè in manu contracta fieri crediderunt. 193
Imperium. 12
Idem per naſum expreſſum. 102
Impoſſibilia tentari non debent. 328
Impoſſibilitas habendi. 68
Impoſſibilitas in negotiis, abſterrere quemq; ab eorum incepto debet. 204
Impoſſibilitas rerum temerarios reddit eos, qui talibus ſe ingerunt. 319
IMPRESA deſcripta, ejúſque dignitas. Hoc nomen *IMPRESA* quid ſit, quid per illud repræſentetur: quomodo, quæ longè abſunt in memoriam revocet, & inanima ipſa penè animata reddat; aliæque conſiderationes. 181
Ejus executio ſecuritati juncta, quomodo exprimatur. 204
Item quid ſit *IMPRESA*, & quomodo primitùs introducta. 272
Imprudentia in adminiſtrandis negotiis quantopere fugienda. 327
Imprudentia eorum, qui neglectis magni momenti negotiis, in frivolis occupantur. 329
Incedere palpando, quid ſit. 69
Incentiva libidinis profliganda. 191
Incepta difficilia, & factu impoſſibilia, non proſequenda, nec tentanda. 154
Indicia mortis & vitæ, per oculos ſumpta. 56
Indi, æmulationem inter ſe fovent, quis eorum majores gemmas portet in auribus, quæ in aures juga appellabantur. 94
Pulchritudo Indorum. 110
Indoles, ſubmiſſa figuratur in aure. 89
Mala, in humeris anguſtis colligitur; ſicut & homo doloſus. 178
Infantibus in publico oſcula dabantur, & quare. 128
Infidelitas, & Idololatria per capillos expreſſa. 35
Infirmitas ægrotantis, quomodo per lineas manûs cognoſcatur. 215
Infirmitas, & mores cognoſcuntur ex fronte. 47
Inflexibilitas, & rectitudo. 140
Mentis, intellecta per genu rectum. 311
Influxiones cometarum, univerſales ſunt. 37
Quorundam opinio; quod non influant. ibid.
Infortunia per lineam Saturninam manûs cognoſcuntur. 216
Infortuniis audacter obviandum. 20
Ingenium durum ad diſcendum, quàm ineptũ ſit. 33
Inimicorum fortitudo expreſſa per dentes. 117
Iniquitas deſcribitur, & condemnatur. 322
Iniquitas humana demonſtratur. 327
Injuria nemini placet, & quàm inconveniens ſit in ore hominis qualiſcunque. 144
Innocentes, ſicut & Idiotæ expreſſi in pedibus. 324
Innocentia deſcribitur. 192
Ridet ſuper detractione. 117
Monſtratur in lotione manuum & pedum. 334
Hos lavit Chriſtus, illos Pilatus; hic autem irritò. ibid.
Inobedientia figurata in aure ſerata. 87
Inordinatio ſæpe ordinem producit. 143
Inſidiæ ſerpentis adverſùs fœminam. 323
Inſpiratio, figurata in naribus. 101
Dei, figurata per os. 124
Spiritûs Sancti, expreſſa in manibus. 199
Inſtabilitas linguæ quantorum malorum cauſa. 144
Integritas animi, deſcribitur. 263
Quam neceſſaria ſit cuique hominum, ſed præcipuè his, qui regimini populorum præſunt. 182
Integritas & fides, quàm bene invicem unita ſint. 187
Intellectus repræſentatus per oculum internum, & externum. 86
Intemperantia, omni modo fugienda. 204
Linguæ, plus nocet quàm corporis. 147
Intentio obſervatur in oculo: Item ſi bona vel mala. 64
Intentio diſcendi arcana divina. 86
Intereſſatus homo expreſſus in oculo. 64
Interna per externa colliguntur. 109
Inteſtina capitis quid ſint, quomodo vocentur, & quomodo ſituata ſint. 286. 287
Intrepiditas virilis quomodo expreſſa. 189
Quàm utilis, & neceſſaria. 183
Intuitus ſolus, quo exercitus fugati. 76
Intuitus Dei Paradiſum donat. 59
Inventores linguarum, qui primi fuerint. 146
Inverecundia intellecta per frontem. 50
Invidia erga vicinos, in oculo figurata. 66
Invidia nulla de iis rebus habenda eſt, quæ obtineri nequeunt. 118
S. Joannes, cur in Sacra cœna, ſuper pectus Domini, vel ſuprà cor ejus procubuerit. 167. 264
Ioci ſeu Ludi Vulcanii quid fuerint. 337
Iodocus Marchio Brandeburgicus, cur dictus fuerit barbatus. 154
Ionici populi, petulantes, & molles. 136
Ira, quomodo expreſſa & deſcripta. 293. 294
Ejus deſcriptio iterum. 228
Quantùm noceat. 266
In pectore figurata. 168
In hepate expreſſa. 293
Ejus

Ejus effectus. 266
In homine per lineam menſalem manûs cognoſcitur. 216
Ira Dei expreſſa in manibus. 197
Intellecta in dorſo. 174
Eſt inevitabilis. 10
Iracundia, quàm deteſtabilis. 133
Iracundis ſolebat ſpeculũ monſtrari; vide cur. 278
Ire redire Senatorũ olim in Comitiis, & quare. 329
Irregularitas vitæ, quomodo â ſapientibus deteſtata. 330
Irriſio, quod damna inferat, & quod homine bene morigerato indigna ſit. 201
Intellecta per capillorum tonſionem. 32
Item quàm periculoſa. ibid.
Irriſio & contemptus in medio digito exprimitur. 223
Irriſio cum fictione, idem eſt, quod naſum intorquere. 100
Irritare crabrones, hoc eſt Potentes offendere. ibid.
Irritus conatus quantopere fugiendus. 319
Iſis, quid fuerit. 75
Jubilæum quinquageſimo anno conceſſum, & quare. 241
Judæa æſtimata fuit centrum Mundi. 306
Judæi, intelliguntur per humeros. 175
Item in renibus. 300
Abjurantes Chriſtum expreſſi in felle. 293
Crucifigentes Redemptorem intelliguntur in dorſo. 175
Eorum vox. 142
Illorum perfidia figurata in corde. 268
Eorum maledicentia ſignificata per os. 125
Non poſſunt doctrinæ Chriſti reſiſtere. 175
Eorum converſio in fine ſæculorum. ibid.
Judaiſmus figuratus in pedibus. 326
Judas traditor. 142
Judex incorruptus. 69. Figuratur in aure. 85
Exactus intelligitur in oculo. 57
Inviolabilis repræſentatur ſine oculis & manibus. 195
Judices, & Prælati intellecti in oculo. 64
Judicia Dei. 63
Judicium, repræſentatur in facie. 170
Temerarium deteſtabile. 182
Solidum fieri debet, ponderando maturè reſolutiones ſuas. 176
JUGERUM dimenſio eſt ducentorum quadraginta pedum, idemque, quod TORNATURA. 234
Jugum portare, quid ſit. 162
Jugum, nomen eſt, quod ab Indis auri datur. 94
S. Juliana de illuſtriſſima domo Bancia, laudatur ob perſeverantiam in oratione. 313
Julius Cæſar, ob riſum exortum, in perorando interrumpitur. 135
Juno, & inceſſus ejus. 336
Jupiter depictus in forma Umbilici. 303
Quomodo hæc eadem figura â Curtio, & Valeriano viſa fuerit. 304
Quare dicatur Saturnum cœlo expuliſſe. 295
Ejus ſtatua ſine auribus in Inſula Creta, quid ſibi velit. 84
Ejusdem ſatellites, qui fuerint. 216
Eidem hepar dedicatum. 293
Per Genium intellectus Jupiter. 46
Item per Solem. 75
Juſtitia in pluribus locis intelligitur in manibus. 197
Item in pedibus rectis expreſſa. 340
Quàm neceſſaria ſit Mundo. 185
Dei, quantò plus tardat, tantò ſecurior in caſtigando. 326
Juſtitia & miſericordia figurata in oculo. 63
Juvenculus ſedecim annorum, condemnatus ad mortem, totus incanuit, barbamque, non ſecus ac ſeptuagenarius, promiſit. 155
Juventutis gubernationi fidere, quàm anceps ſit. 33

L.

L. Quare hâc literâ numerus quinquagenarius ſignetur. 241
LABIA. Superioris & inferioris labii officium. Deſcriptio & officium muſculi buccinatoris, fabricati ad ſimilitudinem circuli interſecati. 122

MYSTICA.

Exprimunt labia utrumque Teſtamentum; Judicia Dei; Chriſtum judicantem; ejus prædicationem; vel Prædicatores: Confeſſionem ſinceram: Baptiſmum, & compunctionem peccatorum. 125
Significant item Paſſionem Chriſti; Sacram Scripturam; Exempla Patrum: Charitatem: Mentem acceptam Altiſſimo: Potentiam Magnatum: Eloquentiam Græcam: Scribas & Phariſæos adverſantes Salvatori: Prædicationes Hæreticorum: Legem Moſaicam. 126
Labia quæ mordentur, quid ſignificent. 132
Intra calicem & labrum, quale proverbium ſit. 133
Primis labris deguſtare. ibid.
Labium, riſu, non ſecus ac torrente quodam inundatur. 135
Labor, ſine reſolutione, quàm irritus. 168
Immixtus otio. Pulchra illic eruditio eſt. 140
Quomodo remunerandus. 143
Vanus, quomodo deſcriptus. 177
Labores irriti figurati in Stomacho. 279
Lac, juxta mentem Ariſtotelis, generari item poterit in viro. 165
Ejus attractio, quomodo ab infante fiat. ibid.
Laceratio pectoris quomodo, & à quo facta. 169
Lacerta ſuffocata in oleo, optimum remedium pro capillis. 37
Laconiſmus laudatur. 156
Elegans in Diogene. 208
Lacryma non improbandæ in homine prudente, ſed ad certum terminum. 78
Lætitia per inopinum eventum quendam, deſcripta. 269
Intelligitur per manuum applauſum. 139
Nimia, fuit cauſa mortis. 135
Lapilli mundi, dicebantur umbilici. 305
Lapis, qui digitum erectum exprimebat, quid ſignificârit. 120
Lapides ſepulchrales, qui duos pedes inſculptos habent, unum videlicet ſupra alterum, quid ſignificent. 323
Languor in orando, quàm deteſtabilis. 202
Lanugo pomi Cydonei promovet incrementum capillorum. 37
Larynx in homine quid ſit. 159
Quales muſculos habeat. 160
Laſcivia deteſtabilis. 222
Quantopere fugienda. 182
Lavabant olim faciem in tribulatione. 112
Lavacri motus, qualis. 336
Laurentius Author Anatomicus laudatur. 274
Laudes

Laudes Dei. 142
Laus, indicata digito. 228
Quàm accepta ſit. ibid.
Propriæ nunquam adſciſcenda. 156
Quantum eadem nobis blandiatur. 336
Laus Concordiæ. 267
Laus ſuccedens vituperio, quomodo expreſſa. 227
Lectio ſacrorum Codicum, quàm neceſſaria. 323
Legatis oſcula data in publico, & quare. 128
Leges paucæ neceſſariæ, pauca ratiocinanti. 147
Legibus toto corde obtemperandum. 329
Legis obſcuritas, quomodo expreſſa. 125
Leo occiditur ab Alcathoo. 139
Leo ex ungue cognoſcitur, hoc eſt de minimis judicantur majora. Unde natum Proverbium. 355
Leoni barbam vellere quid ſibi velit. 153
Lex Moſaica intellecta in læbris. 126
Duodecim tabularum qualis fuerit. 234
Lex, pro Authoribus librorum. 180
Liber, quem S. Joannes ſeptem ſigillis ſignatum vidit. 246
Libri quomodo antiquitus formati. 304
Liberalitas in manu ſiniſtra expreſſa: hæc virtus unumquemque hominum decet. 193
Libertas intellecta in fronte ſpatioſa. 45
Item in manu expreſſa 211
Qualiter olim ſervis data fuerit. 206
Libido expreſſa in renibus, & condemnata. 300
Libidinoſus per palpebras intellectus. 60
Libidinoſi præmaturè ſeneſcunt. 157
Libræ, ſigno cœleſti, pedes dedicati. 338
Licentia dabatur olim manu erectâ. 207
Lichen herba hepati conducit. 294
LIEN. ANATOMICA.
Quare compoſitus, & ordinatus. Organum eſt riſûs. Splenetici quem colorem habeant. Cujus figuræ ſit lien. Non in omnibus ejuſdem eſt magnitudinis, nec coloris. Quid magis conducat, ſi magnus aut parvus ſit. Officia & functiones ejus. Quomodo purgatione indigeat. Quali membrana circumdatus. Quæ damna pariat, ſi obſtruatur. 291
Quomodo purgetur. Humor melancholicus, ei proprius quis ſit. Quod Melancholici plurimùm exſpuant. Quomodo ulcera lienis curentur. Sedes eſt quartanarum febrium. Per quas vias ſuccus Melancholicus vendat. 292
Lien ſedes riſûs eſt: hinc qui in eo læſi ſunt, difficulter rident. 133
Qui morbo lienis laborant, & eundem obſtructum habent, ſemper macilenti ſunt. 296
Remedia contra hoc malum. 297
Lien dedicatus Saturno, propter melancholicos humores, qui huic ſideri attribuuntur. 295
Lien laudatus per Oderi. 297
Limaces vocantur umbilici. 305
Limax aurium, quem effectum habeat. 90
Lineæ univerſi corporis, in umbilico, tanquam in centro ſuo terminantur. 304
Lineæ denarium numerum formantes exponuntur. 240
LINGUA. Ejus nomina: Quare facta ſit: Ejus figura. 137
Dicitur lingua, quia ligat, & ligata eſt. 138
Vel à lingendo, aut levando. 145
De forma ejus, figura. De carne ejuſdem & Subſtautia. Quare caro ejus laxa ſit. Nervi ejus judices ſaporum ſunt, & conteſtibilium. Muſculi ejus, tam loquelæ, quàm guſtui inſerviunt. De ejuſdem venis, Arteriis, & ligamento. Differentia linguarum. Quare in homine contrahatur, producatur, & prolongetur. 138
Lingua nec nimium ſicca, nec nimium humida, & coloris rubicundi, ſanitatem portendit. Siquidem ab hac conſtitutione defecerit, corpus defectuoſum, denotat, & infirmum. Eſt enim prænuntia febrium. Lingua coloris ſubviridis phreneſim denotat. 150

MORALIA & MYSTICA.

Lingua ſignificat virtutem generativam Patris. 141
Item Coguitionem ſacratiſſimi Corporis Chriſti: Iram ejus adverſùm Peccatores; Prophetas: Prædicatores: Apoſtolos obmuteſcentes: Chriſtum: Correctionē peccati: Voces Judæorum: Laudem Dei. Adventum Chriſti: Idioma nativum: Manifeſtationem divinorū myſteriorum: Opera bona, & mala. Falſa eloquentiæ dogmata: Blaſphemias: Idololatriam Ægyptiorum: Scientiam divinam, obfuſcatam ſcientiâ ſæculari: Cor Chriſti, & Mariæ. 141
Lingua mala exprimit traditionem Judæ: ſuggeſtiones Sathanæ: Perſuaſiones hæreticorum: Fraudulentiam: Superbiam: Commixtionem rerum ſacrarum & prophanarum: Tentationem Diaboli, hæreticorum & Magnatum, qui ad operandū malum conſpirant. 142
Lingua celat, & revelat pro libitu ſecreta cordis. Appellatur organum dialethicum, quia per modum gladii in ſummitate acuminata eſt. 138
Lingua, oculi, manus, ſymbolum ſunt eloquentiæ. ibid.
Statuæ ejus. Linguæ poſitæ ſuper altare ad comburendum, & quare. Lingua reſciſſa indicium ſilentii: a faucibus revulſa, hieroglyphicum eſt ignominiæ apertæ. 139
Linguæ flammis immiſtæ, quid ſignificent: Quomodo ſuper capita Apoſtolorum deſcenderint in die Pentecoſtes. Lingua ſuper incudem, ſignum inflexibilis rectitudinis. Lingua excedens dentes, quid ſibi velit. 140
Lingua ſapores explorans. 142
Amicus linguæ, quid ſit. Item pugnare linguâ, quàm deteſtabile ſit. Cauſidici linguâ pro armis utuntur. 142
Vana loquacitas, vel garrulitas. Jurare linguâ quid ſit. Lingua bovis quid ſignificet. 143
Lingua non repreſſa obſtinationem ſignificat. Aſſalire linguâ, idem eſt, quod calumniari. Id quod in linguam venerit, loqui, eſt caſû loqui. De Libertate linguæ. Nuntiis dabatur lingua. De Victima pars melior, & peſſima eſt lingua. Bona & Mala linguæ. 144
Lingua, quam difficulter in ſenibus mutari poſſit. Clavis in lingua, quid ſibi velit. Lingua ſeparata, & diviſa. 145
Linguæ quare antiquitus combuſtæ. 146
Linguæ, à quibus inventæ: illarum confuſio: De veritate illarum cognoſcitur omnipotentia divina. Peregrinis quantæ utilitatis ſit, plures lingvas noviſſe. In qua ſcientia excelluiſſe legitur, Rex Geryon, Erichtonius, Mithridates, Q. Ennius Poëta, Cleopatra, & S. Epiphanius. Item in linguis peregrinis verſati erant, Carolus Magnus, Godefridus Pius, Carolus Quintus, Matthias Corvinus, Maximilianus primus Imperator. ibid.
Alii item, omnes linguas, præter patriam dedignati ſunt: ſicut Carthaginenſes, Cajus Marius, Marcus Tullius, Tyberius Imperatores, Marcus Cato Cenſorius, & complures alii. 147
Lingua in orando; quàm compoſita eſſe debeat. ibid.
Lingua duabus venis dotata dicitur, quarum una ad cerebrum, altera tendat ad cor, ad inſinuandum, dicta factis unienda eſſe. 148
Lingua dedicata Herculi, & Mercurio. ibid.
Lingua poſita ſuper altare, hieroglyphicum erat ſomni. 150
Ejus laus in ode quadam. 151
Ejuſdem Epitheta. 149
Linguæ combuſtæ, & portatæ Principibus, ad augurandum eis felicem rerum exitum. 51
Lingua & manus unitæ, Idea ſunt hominis, qui dictis opera conjungit. 184
Lingua oculo unita Symbolum diſcurſûs. 58
Lingua cervi, & lupi valent ad curandos affectus lienis. 297
Liquiritia, ſeu Glycyrrhiza pro aſthmate, & tuſſi conducit. 170
Literæ, quæ numeros conſtituunt. 243
Literarum concluſioni adjungebatur olim deoculatione manuum. Vide cauſam. 208
Lixivia facta â Germanis, ut capilli flaveſcerant. 28
Locum ſtabilem non habere, quomodo expreſſum fuerit. 327
Locus medius quomodo intellectus. 304
Logica quomodo expreſſa. 195
Loquacitatis vituperium. 90
Loqui caſu fortuito, quomodo intellectum, quàm periculoſum ſit, & quantopere in hoc circumſpectum quemque eſſe oporteat. 132
Idem, quàm malè conveniat, & quantorum malorum cauſa ſit. 145
Loqui in ſecreto, quomodo intellectum. 88
Lotio pedum, quare facienda. 34
Quomodo olim facta. 330. 333
Luci conſecrati idolis. 337
Lucrum illicitum, expreſſum in manibus vitiatis. 199
Ludere verbis extra tempus quàm inſulſum. 136
Ludovicus Rex Hungariæ, Ephemeris & præcox, magni ingenii, barbam produxit, & in ætate annorum octodecim canitiem habuit. 155
LUMBI. Quomodo renibus conjungantur. Vide ſuper hæc Anatomiam renum. 299

MYSTICA.

Significare poſſunt Incarnationem Chriſti: Splendorem, quo cœlum & Sanctos illuminat. Filiationem Apoſtolorum in eodem Salvatore noſtro: Item operarios Evangelicos: Amorem Dei erga populos: Principium generationis in Jacob Patriarcha. Exprimunt & virtutem: Inſinuant item pœnitentiam & caſtitatem; id quod etiam in funibus & cingulis, quibus religioſi clauſtrales cincti ſunt repræſentatur. 300
Sedes ſunt humoris ſalacis. 301
Hinc Veneri ſunt dedicati. ibid.
Luna & Sol, monſtrantur eſſe cauſa generationum. Cur luna dicta fuerit olim â Sole ſuprà currum igneum rapta: quare item Sol ſæpius dicatur ſulcare maria, conjunctus lunæ. 264
Curſus Lunæ, 75
Eidem ſtomachus dedicabatur. 282
Lupi, quomodo cum Alce pugnent. 258
Luſus dictus della Mora; qui conſiſtit in ſortitione digitorum, deſcriptus. 250
Lux Evangelii intellecta in oculo. 65
Luxuria, morbus contumax, quantùm fugienda. 301
Luxus & ebrietas deteſtatione digna ſunt. 282
Luxus immoderatus; quomodo à Sapientibus in horrore habitus. 330
Lycurgus, ejuſque dictum elegans. 147

M.

Macedoniæ Regnum figuratum in ſtatua Nabuchodonoſor Regis. 280
Macrocephalus Scytha, quis fuerit. 21
Magia originem à riſu trahens. 135
Magi habentes pythonicum ſpiritum, intellecti in ſtomacho. 279
Magiſtratus contra ebrietatem ordinatus. 70
Magnanimitas colligitur, ex naſu aquilino. 102
Majeſtas Regia intellecta in impoſitione manuum 106
Majores irritandi non ſunt. 100
Malleolus auris, quod officium faciat. 156
Malum imminens ſollicitè evitandum, vel levandum. 176
Mala, & bona linguæ. 145
Mala provenientia ex vino. 278
MAMMILLÆ, & earum officium. 165
Cur diverſimodæ ſint in viris: Quod viris glandulæ deſint: Cur in gravidis intumeſcant, in vetulis flaccidæ ſint ibid.
Remedia quibus adjuvantur mammillæ. 170
Earum Epitheta. 171
Mammillæ monſtruoſæ, quæ ad ſcapulas uſque torqueri poſſunt, apud Indos pulchritudinis ſignum habentur. 110
Manifeſtatio ſecretorum divinorum intellecta in vultu. 107
Manſvetudo, quantum æſtimanda: quæ in auribus figuratur. 89
MANUS. ANATOMICA.
Quomodo â ſcapula elongetur. Quomodo, & unde muſculi ejus deſcendant, qui carpum manûs extendunt. Conſideratio digitorum & tendinum, qui eos movent; unde hi oriantur. Summa vel extrema manus dividitur in tres partes; carpum, metacarpum, & digitos. Conſideratur figura ejus, & cavitas, & medulla. 178
Secunda pars manûs ulna dicitur, & quare. Quomodo compoſita ſit; quomodo à radio flectatur & extendatur. 179
Præter partes communes, habent inſuper ſuas particulares, manus. Quid per nomen vaſorum

 ſorum

Meatus aurium quot ſint, & cui rei inſerviant. 156
Mediocritas rerum, quàm neceſſaria. 169
Quomodo intellecta, explicata, & deſcripta. 188
Meditatio, ritè facta, quam perfectionem pariat. 252
Figuratur in pedibus. 325
Item utilitas, quæ ex bonis cogitationibus naſcitur. 253
Medius digitus, cur ita dicatur. 219
Ejuſdem nomina. 223
Megaricus riſus, quid ſit. 136
Melancholia, & effectus ejus cognoſcuntur per lineam Saturninam manûs. 215
Memoria figurata in ſtomacho. 279
Memoria mortis, & illic convivia. 17
Memoria cur aures dedicatæ. 94
Mendacium quàm deteſtabile. 202. 253. 323
Menelao capto â Deiphobo nates abſcinduntur, ſicut aures quoque & brachia, & ſic ludibrium ſuis relictus. 98
Menia lex, quæ interdicebat filiis, claudere oculos patribus moribundis. 72
Meninx dura, quid ſit, & quomodo calvariæ juncta. 1
Item meninx pia, quid ſit. 2
Mens repoſitorium eſt negotiorum. 267
Acuta in oculis intellecta. 64
Grata Altiſſimo, intellecta in labris. 126
Sincera intellecta in vultu. 108
Humana, meditans vitam æternam, repræſentata in hepate. 292
Quæ ab omni partialitate eſt libera. 11
Inflexibilitas mentis. 311
Ejusdem infirmitas. 323
Menſura antiqua conſtans pedibus X. 234
Menſuræ encomia. 231
Menſurarum nomina varia, digna lectu. ibid.
Mentha aquatica, valet ad revocandum odoratum. 103
MENTUM, Extremitas eſt faciei; in parte ejus inferiore conſiſtens. 151
Mercurius, Orator Paradiſi dictus: Laus illius. 148
Intelligitur in lingua. 139
Ei, dedicatæ linguæ, tanquam Oratorum Anteſignano. 148
Eidem pedes dedicati. 338
Meretrices Amatoribus ſuis pedes lavant. 334
Earum ſuperſtitiones. 331
Meſenterium quid ſit. 236
Microcoſmus. 14
Midas, cur magnas aures habeat. 97
Rex ditiſſimus. ibid.
Arundines, aures ejus aſininas produnt, ad demonſtrandum, nil occultum remanere poſſe. ibid.
Milites pugnaturi ſibi barbam radebant. 155
Item raſi in mento, & quare. 156
Nati de ſeminatis dentibus quid ſignificent. 121
Gedeonis, quomodo probati ab Altiſſimo. 208
Millenarii numeri, & myriades, quomodo in digitis expreſſi. 236. 237
Millenarius item numerus, in ſpica frumenti figuratus. 239
Milliaria Gallica explicantur. 235
Minæ intentandæ non ſunt, ubi offenſa in manibus non eſt. 204
Minervæ Deæ, cur oculi dedicati. 72
Eidem digiti aſſignati. 230
Eidem olim Ludi inſtituti. 337
Minimi digiti conſideratio. 219
Miniſter optimus intellectus in palpebris. 63
Principum qualis eſſe debeat. 205
Miniſtri Principum nobiles, ſed avari, quantopere fugiendi. 255
Iidem in pedibus exprimuntur. 326
Illis, ad quem terminum uſque, Principes fidere debeant. 183
Miniſtri publici, cum quanta circumſpectione agere debeant. 21
Miniſtri Prælatorum & Principum, intellecti in manibus. 198. 199
Minor ſi majorem inſtruat, quomodo expreſſum fuerit. 154
Minutiæ, quandoque grave damnum inferunt. 310
Ad rem non pertinentes, quomodo evitandæ. 255
Minutiarum narratio, qualis. 132
Miracula intellecta per frontem. 45
Eorum virtus intellecta in brachiis. 196
Miſeria Hebræorum. 35
Miſericordia, expreſſa in oculo. 65
Ejus typus ſunt genua. 308
Divina laudatur. 125
Eadem in ſtomacho repræſentatur. 279
Mithridates Rex Ponti multas linguas callebat. 146
Moderatio quàm in ambulando deceat. 335
Hac opus eſt in omni actione. 330
Hæc, cum modeſtia, quàm utilis & neceſſaria. 226
Modus obſervandus in rebus. 204
Mollities aurium diſtinguebat ab infima plebe eos, qui paululum eminebant. 94
Momus, cur feneſtram fieri in pectore humano voluerit, ad cordis intima penetranda. 263
Monachi clauſtro ſuo incluſi, figurantur in dentibus. 117
Monetæ, quibus caput impreſſum. 19
Monoculi dicti, Obſervatores Meteororum. 61
Monſtra unde ſint, & quid ſint. 16
Monſtrare ſolemus digitis. 228
Morbus comitialis, quomodo curetur. 258
Mordacitas curarum quantùm noceat. 268
Mores depravati, cognoſcibiles per phyſiognomiam humerorum, cui anguſti & mutili ſunt. 178
Mores varii ex variis corporis diſpoſitionibus arguuntur. 340
Moribundis oſcula dabantur, & quare. 130
Mors adæquat omnia. 10
Ejus memoria ex contactu pectoris. 267
Ejus crebra recordatio, quàm utilis. 191
Exprimitur impoſitione manuum ſupra caput. 206
Sententia mortis abolita, per lotionem pedum, quam Chriſtus in Apoſtolis fecit. 323
Mors & vita colliguntur ex facie. 108
Mortuis oſcula data, & quare. 130
Motus, lavacri quis fuerit. 336
Inhoneſtus monſtratus in oculis. 70
Moyſes, cum ad ſacrum rubum admittendus

eſſet, cur calceamenta ſua deponere juſſus. 33
Mulier etiam in inceſſu ſuo fictitia. 335
Ejus teneritudo, & levitas. 336
Mulieres conjugatæ in publico oſculis exceptæ, & quare. 128
Olim ſparſis crinibus, funeralia maritorum ſuorum comitabantur. 39
Mulieribus Romanis, à viris ſuis publicè oſcula dantur, ad experiendum, num vinum bibiſſent, quod eis vetitum erat. 128
Multiloquium â Theocrito, & Anaximene reprobatum. 147
Damnoſum eſt in menſa. 143
Mundani, & eorum occupationes in corde figurati. Indicat item cor, mentem ab his negotiis alienatam. 268
Mundana felicitas ſecuritatem non habet. 189
Mundities, animæ intellecta per cor. 268
Conſcientiæ, quomodo expreſſa. 266
Quantâ munditie ad ſacrum altare accedendum. 334
Mundus, univerſus ſubmittitur manibus. 180
Templum myſticum eſt, & elementare. IV.
Regitur ſecundùm influentias cœli. V.
A Pythagora æſtimabatur numeris compoſitus. 244
Idem naturæ igneæ æſtimatus. 273
Ejus gloria, quàm vana. 188
Ejus felicitas, quàm fallax, & deteſtabilis. 133
Ejus Dominium quinq; ſtellis aſſignatum. 238
Illius medium quomodo intellectum & deſcriptum. 304
Ejusdem finis figuratus in tergo. 175
Illius creatio, cur ſex diebus abſoluta, & cur ſex ejus ætates ſint. 245
Murmuratio erga mortuos, quàm nocua. 17
Muſæ, conjunctæ ſomno, & quare. 140
Quare novem numero. 239
Muſcus adjuvans incrementum capillorum. 37
Mutatio Regiminis. 16
Mutii Scævolæ audacia. 204
Mutilati auribus, Malchus, Hircanus Rex & Pontifex Judæorum, Menelaus, Smerdas, & Patarbemus 98
Mutuum officium quomodo præſtandum. 193
Myſteria divina manifeſtata. 142
Myſteria ſæpe in rebus minimis occultantur. 304

N.

N litera: ſuper eam Notæ. 177
N, *Naaman* Syrus, ſanatus â lepra per manuum impoſitionem. 207
Nabuchodonoſor commenſales ſuos inebriabat, ut eos captivos faceret. 293
Nardus montana, qualis herba ſit, & quod cordi medeatur. 274

NASUS. ANATOMICA.

In medio faciei, tanquam Princeps in throno ſuo conſiſtit. Signum eſt dominii: Item ſedes odorum. Nares cur bipertitæ ſint. Earum cartilagines, venæ, arteriæ, nervi, & muſculi. Nares internæ, & earum deſcriptio 99

MYSTICA.

Indicant nares inſpirationem, vel præſcientiam divinam: timorem peccatorum: ſpem gloriæ: ſenſus animæ. Nares reſciſſæ, fœtorem peccatorum: Diſcretionem: Providentiam: perſpicaciam dæmonis. 101
Nares item ſignificant vitam humanam. Odoratu ſignificatur, Humanitas Chriſti: Ejus Doctrina, Divinitas, Sapientia, Juſtitia: Sanctificatio & Redemptio. ibid.
Item fragrantia bonorum operum: Humilitas animæ; Suavitas boni operis: Doctrina: Inſtitutio Angelorum: Sanctitas; Religio, & exempla: Odor ſanguinis Sanctorum Martyrum: Opera hominis juſti: Bona opinio ſui ipſius: Cognitio, & Scientia, quam de Deo habemus: Odoratus in Angelis: Doctrina bona & mala. 102
Item intrepiditas optimi Concionatoris: Res bonæ, quibus in malam partem abutimur. Omnia item, quæ ad cultum Dei pertinent, odor vocari poſſunt. ibidem.

PHYSIOGNOMIA.

Naſus aquilinus à ſummo ad infimum uſque, ſtoliditatem indicat. 104
Item naſus aquilinus ſignum magnanimitatis. 102
Naſus aduncus à Perſis, pro ſigno Imperii obſervatus fuit. ibid.
Nares plenæ & pingues abundantiam ſanguinis, & copiam humoris indicant: prominentes & acutæ, iram ſubitam, & motum velocem: rotundæ & graciles, inconſtantiam & levitatem: Naſus recurvus ad ſummitatem frontis, inverecundiam apertam: Naſus planus vel ſimus, concupiſcentiam: longus probitatem, magnanimitatem, audaciam. Si quis in ſomnio ſibi viſus fuerit habere naſum ingentem, ſagacitatem futuram indicat. Si quis ægrotus ſomniaverit, ſe ſine naſo eſſe, mortem portendit. 104
Naſutus, idem quod ſagax. 100
Qui naſo intorto ſunt, arcentur ab altari. ibid.
Tentare naſum fumantem urſi, idem eſt, quod offendere homines potentes. ibid.
Nares mutilatæ in punitionem delicti. Item truncatæ contumacibus in populo. 102. 103
Naſus formoſæ mulieris laudatur. 104
Naſus dedicatus Marti, & Veneri. 103
Nationes, quomodo ab antiquis electæ, vel reprobatæ fuerint. 221
Nativitas Verbi Incarnati, cùr ſeptimâ generatione mundi facta. 246
Natura, quaſi pictrix, remedia in floribus & herbis depingit. 37
Corporea, expreſſa in numero duali. 238
Humana deſcribitur. IV.
Humana, & divina, intellecta in ſtomacho. 280
Oculorum, quænam ſit natura. 73
Natura ſimul poſita facilis eſt. 120

Naturalis linea manûs, quomodo capitis affectus declaret. 215
Navis, hujus ſignum ferro candido in frontem ſervorum inuſtum. 49
Neceßitas Epithetorum. 25
Neceſſitas currendi. 337
Negligentia ſpontanea in opere. 200
Negligentia in oratione, expreſſa in manibus relaxatis. 199
Negotium ambiguum. 90
Difficile, & intricatum, quomodo ſignificatum. 330
Quod difficilem exitum habeat, quomodo intelligatur. 145
Urgens, quomodo intellectum. 326
Indigens maturatione, quomodo expreſſum. ibid.
Vires noſtras non excedat negotium. 228
Negotia quandoque celeritate indigent. 259
Quantopere celanda quandoque ſint. 267
Propria, in perſona propria exequenda eſſe. 330
Potiora omittere, & minutis intentum eſſe, magnæ imprudentiæ eſt. 329
Impoſſibilis, & irriti eventûs, relinquenda. 269
Cum quali ſcientia practica ea deducenda. 327
Eorum felix executio praxi indiget. ibid.
In his potiſſimum ſpectandum id, quod maximi momenti eſt. 311
Illorum finis in umbilico figuratus. 304
Illorum tarda, vel prompta expeditio. 201. 226
Illis non nimium implicari oportet. 88
Illis implicitus, qualiter intelligatur. ibid
Propriis invigilandum eſſe non alienis. 328
Ne me tondeas, quodnam Proverbium fuerit 32
Nemeſis Dea caſtigationis, quomodo intellecta. 233
Neophyti expreſſi per Capillos. 35
Neptuno dedicabatur pectus. Vide cauſam. 170
Nervi, qui de ſpinali medulla prodeunt. 13
Nilus flumen adorationem habuit, & victimas. 264
Exprimebatur per cor, portans in medio ſui linguam. ibid.
Deſignabatur item per figuram cordis, poſiti ſuper carbones accenſos. ibid.
Niſiades quid fuerint. 310
Noë centum annis arcam ſuam fabricat, centeſimo perficit. 250
Nomen numeri, quid ſignificet, & quomodo dividatur. 243
Nomina, Capillorum diverſa. 27
Item nervorum ad oculos pertinentium. 52
Notæ impreſſæ faciei rebellium. 110
Notitia legis divinæ & humanæ, intellecta in pectore. 168
Nova proſpera, quomodo delectent. 330
Novemdiales, quomodo olim celebrati. 22
Numa Pompilius, manus conſecravit fidei. 180
In Regem initiatur per impoſitionem manuum. 207
Numerandi origo. 236
Numeri, à minimo ad maximum, quomodo expreſſi. 237
Quomodo olim notati fuerint. 241
A quo inventi, & eorum dignitas. 244
Originem ſuam traxerunt à punctis, idcirco etiam in tabulas diſtincti ſunt. Utilitas numerorum. 243
Numerus, perfectus conſtat principio, medio, & fine. ibid.
Quinarius, quomodo per formam ſtellæ expreſſus. 238
Septenarius laudatur. 234
Octavus perfectus eſt, & quare. 248
Nonarius, Hieroglyphicum eſt plurium rerum: Huic attribuuntur Muſæ; Item Hierarchiæ: Obſervatur in partu, & in morte. Novendiales quid fuerint, & qui ritus in eis obſervati fuerint. 249
Novenarii dignitas, perfectio, & figura: hinc nongenti, & novem millia. 239
Nonagenarius, quomodo olim notatus. 242
Millenarius, & Nonageſimus Quintus, quomodo diverſimodè per manus expreſſus: erat autem indicium taciturnitatis & ſilentii. ibid.
Nuncius remuneratus linguâ 144
Nuptiæ intellectæ in numero duali. 238
Item per numerum tercenteſimum ſignificantur. 241
Nutus, cum argutia. 157
Nutus manuum in ſalutando prohibiti. 208
Nux medetur ſymptomatibus capitis, cujus etiam ſignaturam habet. 20
Nuces moſchatæ, & Indicæ paſſionibus ſtomachi medentur. 284

O.

O, litera, ejusque ſignificationes apud antiquos. 74. 149
Obedientia figurata in collo ſubmiſſo. 162
Quàm accepta hæc virtus Deo ſit. 84
Obſcuritas myſteriorum intellecta in manu. 197
Obſequium demonſtratum in oſculo pectoris. 170
Obſervantia, legis expreſſa in manu. 199
Divinorum præceptorum. 338
Obſervationes prolixæ de numeris. 242
Obſervatores divinorum præceptorum. 268
Obſtinatio deteſtabilis. 328
Item aperta, quàm deteſtabilis. 144
In peccato. 15
Item in peccato, quàm nefanda. 174
Obſtinatio tuendi ſtationem ſuam, quomodo deſcripta & intellecta. 176
Occaſio habens capillitium in fronte. 32
Occaſioni ſe accommodare, viri ſapientis eſt. 329
Occaſionem, quàm utile ſit, non negligere. 311
Occipitium decalvatum denotat ſenectutem. 29
Occiſio facta, velatâ facie. 112
Occupatio inepta reprobatur. 89

Octavæ in feſtivitatibus quibuſdam, cur fiant. 239
Octavus numerus, quomodo per digitos formetur, pariter & octogenarius, & octingenteſimus, & milleſimus. Indicium, vel Hieroglyphicum eſt adorationis. 242
Numeri octavi dignitas, ſignificatio, hieroglyphica, & alia; indè ſunt octuaginta, & octingenta. 239
Item quomodo componatur: inter numeros perfectos cenſetur: Nomen ſalutis eſt: hoc numero conſtant literæ ſacratiſſimi nominis JESU. Convivium Platonis formatũ ex 28. commenſalibus, & quare. *Omnia octo*, cur dicatur: Cur octo beatitudines ſint. 248
OCULUS. ANATOMICA. Eſt Sol corporis. 78
Appellatur natura magna. Quot res in ſe cõcludat. Nomina ejus, etymologica & figura. 52
Cur in homine virgati ſint oculi. Quomodo nervi ejus appellentur. Quot ſint muſculi ejus. Officium tunicarum. Humor eorum Cryſtallinus aqueus, item Chriſtallinus glacialis, & vitreus. Palpebræ cur creatæ. 53. 54
Cilia & ſupercilia ejus, quàm diverſimodè vocentur. Viſio an fiat per transmiſſionem, vel receptionem. 55
De beneficiis oculi. Indicium morum in oculo. 56

MORALIA & MYSTICA.

Per oculum Deus intelligitur, ejuſdemque Divinitas. 56
Exprimunt oculi adjumentum Angelorum 58
Oculus ſuper ſoleam pedis, indicat contemptum religionis. Oculus ſignificat beneficentiam & favorem. Oculi Dei quid ſint, & quàm benefici ſint. 59
Palpebræ oculorum quid figurent. Oculi officina amoris ſunt: Indicant Antipathiam, & Sympathiam: Item mortem, & vitam. 60
Per oculos inſinuatur providentia divina. 61
Oculus læſus, amicitiam fictam portendit. Oculi ligati, diſſimulationem figurant. ibid.
Oculi aperti, veram amicitiam denotant. 62
Oculi ſunt Idea Charitatis: Concavi indicant hominem perfectum, & ſolitarium: Prominentes ambitionem; Idcircò quod oculi videre ſe invicem nequeant, indicant, aliorum facta obſervanda non eſſe. Indicant item oculi Deum, Juſtitiam, Miſericordiam, Præcepta divina, Judicia Dei, iram ejus: Item cuſtodiam Angelicam: Glorificationem Chriſti, & benignitatẽ ejus; Item Divinitatem, & Redemptionem: Dona Spiritus Sancti: Doctores, Sacerdotes; Prælatos; Prædicatores: Virtutes intellectivas; Mentem acutam, & penetrantem: Paſſionem: Fidem: Virginitatem; Sanctam contemplationem: Intentionem rectam, ſicut & perverſam; Lucrum: avaritiam: Conſilium bonum, & malum: Contemplationem gloriæ: affectum ſenſuum: Gratiam: Supplicium: Miſericordiam iterum: Synagogam: Principes: Prophetas: Cæcitatem Pontificum: Gentiliſmum ad fidem converſum: Cognitionem ſui ipſius: Experientiam: Defectum fidei, & religionis: Petulantiam: Salutem operatam per Chriſtum: Lucem Evangelii: Senſum dæmonis: Arrogantiam: Antichriſtum: Superbiam: Mancipium peccati carnalis: Dæmonium; Viſionem beatificam, & alia. à pagina 62. usque ad 66.
Significant porrò in Proverbiis, invidiam vicini: Res pernitioſas: Vigilantiam: Applicationem in rebus: Ruinam relaxationis in operando: occultare res manifeſtas: Cognitionem perfectam rei cujuſdam: Tranquillitatem, & pacem: Deſiderium audiendi, quæ jucunda ſunt: Res delectabiles, ſed quæ utilitate carent: Pecuniam in veſicis aſſervatam: Severitatem: Promiſſa ſervata: Solutionem argenti non factam: Impoſſibilitatem habendi: Judicium incorruptum 67. 68
Per oculos prætereà ſignificatur, ambulare inconſideratè: Præſentia perſonalis quantopere adjuvet: Emendationem verborum: Fortunam: Aſtrologos: Superbiam: Humilitatem Cenſores. 69. 70
Exprimit item oculus in hiſtoriis & ritibus, figuras motûs inhoneſti. Vide illic de Magiſtratu ordinato contra ebrietatem. 70
Item de Principibus, Pontificibus, & Cardinalibus. 71
Oculi clauduntur moribundis. Item lex huic conſuetudini contraria. 71. 72
Oculos noſtros ad bonum directos eſſe oportet. 72
Cujus Deitatis filios eſſe fabula referat. 73
Oculi centum cur Argo dati ſint, & quid hic Argus ſignificet. 74
Oculus ſuprà ſceptrum collocatus, quid ſibi velit. 56
Oculi ſuper caput, quid ſignificent. 57
Oculi & lingua, Idea ſunt diſcurſûs ritè formati. 58
Oculi & manus quid indicent. 203
Oculus exprimit Judicem exactum. 57
Oculus Domini paſcit equum. 50

PHYSIOGNOMIA
Oculorum.

Oculi exactè obſervandi à Medicis ægrotantibus 76
Oculi ardentes & ſcintillantes, animum ſimiliter ardentem indicant, ſicut & ſanguinis abundantiam, Iracundiam, & Imprudentiam. Oculi humidi, ebrioſum: qui coloris demortui & rubicundi ſunt, Intemperantiam oris: flavi ſummam caliditatem: qui caprini ſunt, mores denotant benè compoſitos: Si protuberant, inconſtantiam: Si profundè lateant, hominem conſiderabundum; nimium fixi ſtupiditatem

tatem mentis modicè concentrati, animum herilem & magnanimum: Si in longum diſtenti, impoſtorem, duplicem, & adulatorem ſignificant: Veloces & acuti fraudulentiam & infidelitatem: Si videantur naribus uniti, hominem omni genere vitiorum contaminatum. De colore oculorũ illud obſervatur. Niger oculis timiditatem arguit: niger, ſed virgatus, temperatam complexionem, & morum bonitatem: Fulvus magnanimitatem: Igneus inverecundiam: Lucidus & ſubflavus mollitiem. 76
DE SOMNIIS. Vani conjectatores dixerunt, quod qui tres oculos habere ſomniaverit, ei prolium copiam portendi: Qui ſe oculis privatum ſomniaverit, eum filiis, vel fratribus vel parentibus orbandum: Si oculos ſe in auribus habere, viſus fuerit, cæcitatem indicare: ſi ſuprà digitorum extremitates, infortunium. 77
Dignitas oculi expreſſa in motu animi 55
Epitheta oculi. 75
Ejusdem deſcriptiones, & paralella. 77
Oculus per Solem intelligitur. 57
Oculi, ſunt nobiliſſima pars corporis. 73
Sunt naturæ igneæ. ibid.
Eorum compoſitio debita, quàm utilis. ibid.
Oculi ab occluſione dicti. ibid.
Dedicantur Minervæ. 72
Oculi depicti ſtibio. 71
Oculi rurſum aperti in rogo. 72
O*culus* vagabundus & laſcivus, quantorum malorum cauſa. 78
O*de* Pindarica ſuprà oculos cæruleos formoſæ mulieris. ibid.
O*culis* conducunt, Heliotropium, Anthemus, Buphthalmus, Abrotanus, Aconitum, Helenium, Aſtrum Atticum, Argemon, Euphragia, Chelidonia, Oculus gallinæ, Sempervivum, grana nigra. &c. 74
O*de* ſuprà brevitatem vitæ. 60
Suprà Caput. 26
In laudem capillorum. 28
Suprà aurem. 98
Suprà faciem. 113
Super frontem. 51
Suprà oculos. 78. 79
Suprà naſum formoſæ mulieris. 104
Suprà barbam. 158
In laudem oris. 137
Suprà dentes. 121
Suprà linguam. 151
Suprà collum. 164
Suprà humeros. 178
Suprà manus. 217
Suprà digitos. 152
Suprà ungues 260
Suprà pectus & thoracem. 171
Suprà cor. 275
Suprà hepar & lienem. 297
Suprà ſtomachum. 288
Suprà renes, & lumbos. 303
Suprà umbilicum. 307
Suprà genua. 314
Suprà pedes. 342
In formoſam mulierem, quæ ſudando fucum faciei amittit.
Odium odoratum, ſignificatum in pedibus. 325
Oenopota, id eſt, Magiſtratus erectus contra ebrietatem. 69
Officium manuum quod ſit. 108
Animæ. VIII.
Spinalis medullæ. 4
Officium reciprocum, quomodo deſcriptum, & intellectum, quantùm valeat, ad vitam jucundè in ſocietate tranſigendam. 193
Officia reciproca à bene morigeratis non negligenda. 335
Officia diverſa, quomodo intellecta. 183
Oleum roſatum adjuvat renes. 302
Omnipotentia Dei, in digitis intellecta. 219
Hæc in varietate linguarum cognoſcitur. 146
Operari in abſcondito, & furtim. 328
Item apertæ, intelligitur per frontem. 49
Operatio, & virtus illius, ſignificata in brachio. 196
Difficilis, quomodo figurata. 201
Quæ ſit ſine reſpectu. 201. 202
Operationes, quantopere ponderandæ ſint. 176
Debent eſſe apertæ. 337
Factu impoſſibiles evitandæ. 204
Rectæ, vel contortæ, vel ardentes, vel remiſſæ, exprimuntur in pedibus. 325
Exprimuntur in odoratu. 101
Manuum, quomodo diviſæ & intellectæ. 181
Operationum omnium directorem Deum eſſe opportet. 192. 201
Opinio vulgi quantùm æſtimanda. 223
Dea, cur ſic nominata. 211
Opus ipſum plus convincit, quàm verba. 182
Demonſtratur, quam ſit proficuum opera verbis copulare. 185
Opus hominis, de qualitate ejus contemplatur. 188
Opera, indifferenter deſcripta. 192
Eorum fundamenta quomodo intellecta. 319
Eorum executio, quomodo expreſſa. 201
Cum moderatione ſunt peragenda. 203
Intelliguntur per frontem. 46
Eadem in renibus ſignificata. 300
Sunt verbis conjungenda. 203
Tyrannica, quàm abominabilia. 202
Bona, quaſi cogunt Deum ad remunerationem. 272
Bona & mala. 142
Bona, mala, varia, otioſa, relaxata, & tepida, expreſſa in manu. 198. 199
Eminentia, vel ſublimia, intellecta in digitis. 224
Oratio, expreſſa in capillis. 35
In odoratu figurata. 100
Intellecta per manum; cum quanta efficacia fieri debeat. 181
Eadem ſignificata per elevationem manuum. 207
Item in pedibus expreſſa. 325
Iaculatoria figurata per cor. 268
Cum antiqui orationem Diis ſuis facturi eſſent, in primordio, annulari digito ſibi os tangebant, ad exprimendam veritatem, & flagitandam remiſſionem. 224
Ejus negligentia figurata in manu. 199
Oratio, quantum ornamentum, & complementum nanciſcatur ab actione, vel geſtu manuum. 229
Ejuſdem robur. 140

Deſtituta Epithetis, quàm enervis & indecora ſit. 339
Oratores, olim manum ſub pallio abſcondebant, & quare. 196
Eorum Sophiſmata in pedibus deſignata. 326
Langvidi, quam inepti ſint. 202
Oratoria ars, quantum exercitata à Juvenibus ſub Quintiliano. 229
Ordinalis numerus, quid ſit. 243
Ordines ſacri expreſſi per impoſitionem manuum 206
Oreſtis tumulus quomodo repræſentatus: explicantur furiæ & inſaniæ illius. 220
Orgia, quæ menſura ſit. 232. 234
Orgia Bacchi, quomodo cœperint, & qualia fuerint. 336
Ornamenta ſuperflua rejicienda. 154 156
Superflua in femoribus, & pedibus. 335
Ornamentum externum & internum expreſſum in facie. 107
Quantæ æſtimationis ſit. 111
O S. Laudes oris; ejusdem uſus. Per os portatur aër ad pulmones. Gingivæ, Uvula, palatum, guttur, fauces, & aliæ partes. 122
MYSTICA ORIS.
Deus quandoque per os intelligitur: item inſpiratio divina: Verbum Dei: Charitas: Incarnatio verbi: laudes miſericordiæ divinæ: Suavitas præceptorum divinorum: Piſcis habens in ore monetam, integritatem fidei ſignificat. Sicut os Sacci in Benjamin bonum Prædicatorem indicat. 124
Os putei clauſum, obſcuritatem legis denotat. Os clauſum item maledicentiam Judæorum deſignat. Os item Antichriſtum, Hæreticos, & dæmonem figurat. 125
Si os ſublatum fuerit à vultu, vel, ſi ſpuere videatur, quid ſignificet. 122. 123
Item os ſpuens quid ſignificet. 132
Os devorans ora, quid ſibi velit. 124
Os lupi quid ſit. Os magnum anni quid ſit. Os depictum dormientibus, quid ſibi velit. Os ſublimatum quid ſit. Os coloratum, deceptionem figurat. 132
Os vicinum cordi habens impreſſam crucis imaginem. 271
De ore humeros facere, quid ſignificet. 67
Os in Oratione tangebatur digito annulari, ad exprimendam veritatem, & obtinendam remiſſionem. 224
OSCULUM. Pignus amoris. 332
Conſiderationes de illo. Differentiæ. 127
Infans in gyrum portatus in conviviis, quem convivæ oſculabantur. Simili modo & calicem in conviviis per gyrum oſculabantur, in ſignum concordię. ibid.
Oſculum actus Amoris demonſtratus Apoſtolis. ibid.
Item Petro in ſignum obſequii datum. 169
Oſcula, quæ fiebant veſtigiis pedum in ſignum venerationis. Item pedes Sanctorum in ſignum venerationis oſculo honorabantur, ſicut & veſtigia eorum. 127
Mos Perſarum oſculantium plantas Regum ſuorum, de quo & uſus provenit, oſculandi pedes Summorum Pontificum. Item ſolum oſculabantur, ubi Reges veſtigium pedum ſuorum fixerant: Romani hunc uſum affectârunt, dum in Tyrannidem degenerârunt. ibid.
Caligula dictus à caligis, eò quod ſibi calceamenta ſua oſculari jubebat. ibid.
Cyrus ſibi manus oſculandas dabat, & pedes Maximinus. ibid.
Oſculari pedes, ritus antiquorum, primus ejus Author Caligula. 332
Oſculabantur olim veſtigia pedum. ibid.
Quare pedes Summo Pontifici oſculemur. ibid.
Conſuetudo oſculandi manum. 181.
Oſculari manum, ſignum adorationis. 194
Idem quandoque adulationis ſignum. 206
Oſculari manum in fine Epiſtolarum dicebatur ex civilitate, & quare. 208
Ab hebræis originem ſumpſit conſuetudo oſculandi terram. 127
Faciei oſculum dabatur, in ſignum civilitatis; auribus verò in infantibus: manui in ſignum augurii. 128
Dabatur oſculum Regibus, Legatis, filiis, uxoribus in publico: fœminis Romanis: quæ conſuetudo à Trojanis defluxerat:) Oſculabantur ſe hoſpites, Peregrini, Patres, & Matres, Chriſtiani invicem, & qui unius profeſſionis erant. Oſculabuntur item Veſtibula templorum. Oſculum dabatur in *Pace* danda in Sacrificio Miſſæ. A Sacerdote miniſtris ſuis ante communionem ex motivo charitatis. Amici ſe publicè oſculabantur. Senes oſculo excipiebantur. Oſculum ollæ. Quid oſculum ſignificet. Eſt ſignum congratulationis. 129
Signum erat diſceſſus: Item Religionis: Genua placata, & quare moribundis oſculum dabatur. Cur in oſculo anima intellecta; cur elevata fuerit. ibid.
Mortuos olim oſculabantur, & quare. 130
De cauda ad os, quid ſibi velit. ibid.
Oſſa narium quot. 99.
Oſtentatio facta digitis. 227.
Oſvvaldus Crollius Author laudatur. 274
Otium mixtum occupationibus. Elegans eruditio. 140
Otium deſcriptum, intellectum, & condemnatum. 192
Quàm deteſtabile. 202. 323
Quantopere fugiendum. 337
Otto Imperator barbam prolixam nutriebat. 154
Ovum Horomazeni, quid ſit. 124

P.

P litera: ſuper eam Notæ. 338
P, *Pacta* confirmata per manum datam, & digitos concatenatos. 207
Palatum, quomodo aliter nominetur. 122
Pallas Dea Sapientiæ, quomodo Cadmo ſuccurrerit ad occidendum draconem. 121
Pallas, id eſt, Sapientia, per numerum ſeptenarium figurata. 239
Palma Chriſti, remedium pro palma manuum. 213
Palpebræ oculorum cur creatæ. 54
Quid porrò ſignificent. 60
Panis loco manutergii ſerviebat, eoque tergebantur manus commenſalium. 208
Pantomimi quid ſint, & quomodo geſtibus loquantur. 229
Papyrus, olim quanto in pretio, & quàm nobilis habita fuerit. 306
Paradinus Author Symbolorum præcipuus laudatur. 101
Paraſanga, juxta Poëtas, in triginta ſtadia dividitur. 235

Paraſanga item, & pes, quæ menſuræ ſint. 232
Paraſiti, & epulones. 88
Parmentiſcus Metapontinus, quomodo riſum amiſerit, eundemque recuperaverit. 134
Partes corporis humani communes omni membro. 180
Partus felicitas, quomodo intellecta. 211
Olim per Sagas impeditus. 313
Ejuſdem dolores mitigati. 310
Fœtus quomodo menſe decimo creſcat. 326
Paſſio Chriſti, intellecta in labris. 126
Paſſiones, & ſenſuales delectationes refrænandæ. 103
Paſſiones propriæ deteſtandæ. 204
Paſſus, vel greſſus hominis, quæ menſura ſit. 234
Paſſus pompaticus, qualis fuerit. 336
Quomodo hic greſſus deteſtabilis. *ibid.*
Patarbemi aures truncavit Aprias Rex Ægyti. 98
Pater oſculans filio pedes, ut eum ab iniqua actione retraheret. 332
Pater æternus, repræſentatus in perſona ſenis caneſcentis. 30
Patris æterni conſilium, & determinatio intellecta in ſtomacho. 279
Patientia intellecta in maxillis. 106
Ejus bona, quanta, & qualia. 222
Patriæ amor, quomodo cordi infixus. 265
Patrocinium Principis, quàm neceſſarium. 186
191
Paucis quandoque multa colliguntur. 255
Pavonis formam Argus accepit. 75
Pauper non habens ſedem manentem, quomodo expreſſus. 326
Pauperes repræſentati in pedibus. 324
Paupertas deſcripta & figurata. 202
Quàm afflicta, & calamitoſa. 226
Quàm tormentata: ejus damna. 329
Pax quantum ametur in conviviis. 127
Pax, & pacta quomodo ſtabilita. 194
Pax, & Pacificator intellecti per pollicem, & quomodo. 220
Pax tecum in Sacrificio Miſſæ cur dicatur. 129
Peccator, quantum à Deo recedat. 174
Exprimitur in corde elevato. 268
In pluribus locis per tergum intelligitur. 175
Ejus converſio. 310
Peccatores, non imitandi, id quod in manibus figuratum. 199
Quomodo ſint illigati. 321
Eorum fraudes intellectæ in digitis. 224
Eorum metus, & fœtor. 101
Peccatum Adami expreſſum in facie. 107
Quomodo Adamo terrorem incuſſerit. 337
Idem jam confeſſione deletum, exprimitur per capillos abſciſſos. 35
Gratia & peccatum ſimul eſſe nequeunt. 271
Peccati pondus quantùm deprimat. 174
Peccata ab anima auferenda exprimitur in barba raſa. 152
Senſualia fugienda. 321
Pectines à quo rejecti. 156
PECTUS. Situs illius, & diſpoſitio anatomicè deſcripta. 164.
Ab antiquis literatis non multa hujus mentio facta. Intelligebatur nihilominus pro domo Sapientiæ. Tangere ſibi pectus, & idipſum tueri, quid ſignificârit. 167

MORALIA ET MYSTICA.

Pectus ſignificat Chriſtum: Cur S. Joannes in pectore illius recubuerit. Indicat virtutem Angelorum. Pectus Aaronis inſignitum lapidibus pretioſis, ſignificabat Apoſtolos, Sapientiam, varias mundi cogitationes, & notitiam Legis. Faſcia pectoralis exprimebat doctrinam Evangelicam. Indicat item conſcientiam bonam: Eloquentiam: doctrinam, ſed ſive charitate: iram, vel concupiſcibile: Adjumenta humana auxilio Dei indigere. 168
Pectus ſine capite indicat hominem in diſcurrendo ineptum. *ibid.*
Cur in principio Miſſæ percutiatur à Sacerdote. 169
Pectus nudatum cur deteſtabile habitum. Oſculatum in ſignum obſequii. Dedicatum Cancro, & Neptuno. 170
Cui veraciter dedicandum. *ibid.*
Pectus ſuum tangere, figura erat hominis in ſemetipſum ingredientis. 167

PHYSIOGNOMIA.

Nævus ſupra illud, & tuberculum carnis, arguit honores & divitias. Pectus grande, & bene formatum fortitudinem: Sine pilis, timidum & mollem: nimis carnoſum, deſidiam, & indocilitatem: Mammillæ pingues, & pendulæ ſenſualitatem. 171
Epitheta pectoris. *ibid.*
Laus ejus in Ode. *ibid.*
Pecunia, nomen à pecudibus mutuatur. 144
Quomodo taciturnitatem procuret. *ibid.*
Pellis in Alce, juxta temporum varietatem, & ipſa variat. 258
Pennæ pavonum adjuvant mammillás. 170
Pentagonum, & Trilaterum eadem figura eſt. 238
Pentecoſte Sacratiſſima, quam ſingularitatem in linguis igneis habuerit. 140
Peregrinantibus quàm utile linguarum notitiam habere. 146
Peregrinatio eſt vita hominis. 29.
Peregrini, qualiter in urbe degere, & gubernare ſe debeant. 115
Peregrinus, quantùm itineris peragere uno die poſſit. 235
Perfectio & complementum actionis cujuſdam quomodo intelligenda. 255
Perfectio rei in numero octavo figurata. 239
Pericardium quid ſit, ejus figura, & ſubſtantia. 261
Pericles grandis Orator & Philoſophus, caput longum habebat. 21
In perorando quantopere deſiderarit lingvam habere compoſitam. 147
Pericula fugienda. 326
Perlæ, ſeu uniones confortant cor. 274
Peritonæum deſcriptum. 286
Perſæ, quomodo in epulis ſuis manus lavarint. 208
Eorum conſvetudo. 337
Perſecutiones occultæ & apertæ figuratæ in dentibus. 117

Perſeverantia in Ungula expreſſa. 154
Eadem deſcripta. 322
In oratione quomodo & qualis eſſe debeat. 181
Perſona conſolata deſcribitur. 327
Perſonæ otioſæ condemnantur. 192
Perſonæ ſacrarum literarum, quibus dona Spiritus Sancti diſpertita fuerunt. 248
Perverſi in dentibus figurati. 117

PES.

ANATOMICA.

Pars principalis eſt hominis baſis, quæ totum ædificium corporis ſuſtentat. Cur inter pedeſtria ſolus homo bipes ſit. Cur digiti pedum taliter formati. Tres extremitates continet, ſicut & manus: Quid iſtæ extremitates ſint; quomodo diſpoſitæ. Os calcanei quid ſit, & ſic de cæteris. De planta pedis, de Metatarſo; quomodo hic conſtitutus ſit: Oſſa digitorum quatuordecim, & quare; eademque oſſium hîc conſtitutio eſt, quæ in manibus. De ligatura pedis. Habet item oſſa ſeſamoidea, ſicut manus, &c. 315
Sub planta pedis ligamentum largum, & validum eſt. Item de plicatura pedis, quomodo fiat. Item de cæteris ligaminibus: Sicut & de horum muſculis, dictis lumbricis, aut vermicularibus. Retrahuntur autem, vel flectuntur pedes per interoſſea. Denique, quære hîc totam deſcriptionem pedis, quæ Medicos concernit, vel Chirurgos. Deſcribuntur poſthæc partes ſimilares pedis hoc eſt, Os femoris. &c. 315. 316
Quomodo pes tripertitus ſit. 317

MORALIA ET MYSTICA PEDIS.

Pedes repræſentant præ entiam perſonæ ſpectabilis: Imperium: Dominium: Æternitatem: Naturam Dei; ejus fortitudinem, quâ mundum gubernat; profunditatatem judiciorum ejus: Item præcepta Dei: Virtutem: Chriſtum, ejuſque humanitatem & incarnationem, paſſionem, & mortem: ſignificant item clementiam: Pauperes: i ſi mos in Eccleſia: doctrinam Chriſti: Prophetias: Apoſtolos: Prædicatores: Eccleſiam ſanctam: Concionatores, & Doctores vitioſos. 323
Exprimunt item ſeductores: perſecutiones Eccleſiæ: Agilitatem, & celeritatem Angelorum: Animam, ejuſque potentias: quandoque agilitatem, quandoque impedimentum: Charitatem: Amorem Dei, & proximi: Synagogam, ejuſque noviſſima tempora: Mentem ſimplicium, & Idiotarum: Opera: Item operationem non extortam, nec defectuoſam, ſed rectam: receſſum à terrenis ad cæleſtia: Fidem: Amorem: Meditationem, & Orationem. 324
Significant præter hæc vitam activam: Conſilium inceſſum per iter tribulationis: mentem induratam in odio: Senſum Sacræ Scripturæ: abuſum quatuor Evangeliorum: Paſſionem Chriſti: Deſiderium carnale: Infidelitatem Judaiſmi: Amorem Dei iterum: Rectitudinem fidei: Infidelitatem Phariſæorum: Superbiam: Eloquentiam Oratorum: Sophiſmata Dialecticorum: Miniſtros Perſarum, & Ammonitarum. 325
Item affectum in ordinatum erga filios & ſpem humanam. 326
Pes conterens ſerpentem, alludit ad fortitudinem, quâ tentationes vincendæ ſunt. 317
Pes, qui conſcendit montem, monſtrat, quàm arduum ſit virtutem acquirere. 318
Pes, qui videtur veſtigium aquis velle imprimere eum figurat, qui quæ impoſſibilia ſunt, audet. *ibid.*
Pes in aqua ſignum purgationis. 320
Pes caput calcans, ſignum eſt triumphantis. *ibid.*
Pedes ſignum ſunt voluptatis ſenſualis. 321
Pes, utpote pars hominis ultima, indicat finem cujuſque rei. 322
Pedum locò ſerpentes poſiti, quid indicent. *ibid.*
Pedes recti, viſi ab Ezechiele, quid indicent. 323
Pes ſiniſter, porrectus antrorſum, ſignificat aſſaltum. Pes ſupra pedem, inſigne eſt acediæ. In quibus monmentis lapidum, hoc ſignum ſpectetur. *ibid.*
Pedes cur Chriſtus laverit. *ibid.*
Pedes lanei quid inferant. 326
Pes claudus, cur ſic dictus. *ibid.*
Pedes extenſi quid ſignificent. 327
Pes tacitus, quid ſibi velit. 328
Pes in navi, quid denotet. *ibid.*
Pedaria ſententia quænam fuerit. *ibid.*
Pedes elevati quid figurent. 331
Pedes loti: ritus & conſvetudo lavandi pedes. 330
Item pedum lotio per antiquam conſvetudinem. 333. 334.
Pedes floridi, quid ſignificent. 331
Pedes vanè ornati. 335
Pedum greſſus incompoſitus in mulieribus. *ibid.*
Pedes Dei Adamum perterrefaciunt. 337
Pedes dedicati Mercurio, Libræ, Piſcibus: & ad quem finem eos movere oporteat. 338
Pedis Epithera. 339
Phyſiognomia pedis. 340
Pedum laus in Ode. 342
Petra projecta in medium armatorum, quid allegoricè ſignificet. 121
Petræ excavatæ, per crebas genuflexiones Sanctorum. 313
S. Petri imago in diplomatibus Pontificum, in ſiniſtra. S. Pauli, qua de cauſa. 208
Petulantia & laſcivia expreſſa in digito. 65
Pharao, ejuſque potentia expreſſa in manibus. 198
Phariſæi, eorumque infidelitas figurata in pedibus. 326
Philemon Philoſophus immoderato riſu interiit. 135
Philippides Comicus nimio riſu mortuus. *ibid.*
Philippus Junior Imperator, nunquam riſit. *ibid.*
Philiſtæi, & eorum pavor. 337
Phocidis ædificia, quàm ſplendida & decora: Hæc regio umbilicus terræ habita. 306
Phrenetici quomodo fiant. 291
Phthiſin facile contrahunt, qui brevis gutturis ſunt. 122
Phyſiognomia partim laudata, partim vituperata. 23
Phyſiognomia capillorum. 41
Naſi. 101. 102. 104
Pectoris. 171
Pedis. 340
Phyſiognomiæ ſtudium non vituperandum, ſiquidem à qualitatibus elementaribus fundamenta ſua mutuetur. *ibid.*
Pietas quomodo expreſſa ab Antonino Pio. 211
Pigritia deteſtabilis eſt. 222

Pili non facio, quale proverbium. 154
Piſcis, habens in ore monetam, quid ſignificet. 125
Item cum capite humano capillato. 35
Piſces pulmonibus carent. 159
Pituita, quomodo de cerebro deſtillet. 4
Placentæ, apud quos olim in pretio fuerint. 133
Planetæ, deſcripti in fronte. 47
Eorum domus quomodo intellectæ, & numeratæ. 232
Calorem & influxiones ſuas in animam profundunt. 273
Planta vitæ, cur in medio Paradiſi collocata. 294
Plantatio arborum quali lege facta. 233
Plebejus homo per quid ſignificatus. 32
Plebs diſtincta à nobilibus per mollitiem auricularum. 94
Plethrum, menſura centum pedum. 234
Pœnitentia in craticula figurata; pretium & valor illius. 266
Eadem ſignificata in lumbis præcinctis. 301
Item in Ungvula figurata. 253
Ejus amaritudo, quomodo intellecta. 292
Eadem reſumpta. 109
Pœnitentia, & caſtigatio peccati, intellecta in ſcapulis. 175
Poetæ. 14
Coronati floribus, & fructibus: item ungventis delibuti. 22
Politica nimium exacta reprobatur. 256
Pollex digitus, cur ſic dictus. 218
Incurvatus, Tyrannidis typus. 221
Diverſimodè plicatus, diverſos numeros figurat. 236. 237
Polypus piſcis, ejusque proprietas, rodendi proprios pedes, ſi fames exegerit. 330
Pompejus quantum ſtuduerit conſervare, & manutenere popu'um. 294
Pomum Adami, in homine quid ſit. 159
Pomum aureum excitans diſſidium inter tres Deas. 244
Pomorum granatorum decoctio, utilis pro affectibus dentium. 119
Pontifici ſummo, quare pedes oſculemur: origo conſvetudinis hujus. 127
Item Pontifici, cur in pede oſculum detur: De uſu, quo Principibus olim in pedibus oſculum dabatur. 332
Popularis applauſus, quomodo explicatus. 221
Populi, expreſſi per capillos, ſicut & peccatores. 35
Quinam riſum in veneratione habuerint. 134
Populorum Meridionalium, quidam lingvas diviſas, & quaſi demembratas habent. 145
Populus de ſervitute Ægyptiaca liberatus, figuratur in ſtomacho. 280
Porcus, ungulam habens bifidam, bina argumentationum membra repræſentabat. 253
Portis crines mortuorum appendebantur. 41
Potentia, demonſtrata in actu manûs extenſæ. 207
Magnatum, expreſſa in labris. 126
Principis, ejusque diſſimulatio, quomodo ſignificata. 206
Potentiæ ſignificatæ in oculo. 65
Unitæ, vel conſpirantes in malum. 142
Potentiæ Animæ, Sacratiſſimæ Trinitati comparantur. VIII.
Poteſtas, per manum levatam figurata. 192
Potio, ad pulmones deſcendit, & quomodo. 167
Potiones triplices antiquorum, in quem uſum, & quibus nominibus vocatæ. 278
Præcedentia, & prælatio intellecta in manu dextra. 207
Præceptores Scientiarum, quales eſſe debeant. 131
Prædicatio expreſſa in facie. 108
Prædicator eximius, quomodo intellectus. 125
Quomodo rurſum in labiis figuretur. 126
Idem, ſeu Miſſionarius figuratus in naſo. 102
Prædicatores, figurati in collo, & cervice. 162
Evangelici intellecti in dentibus. 117
Iidem ſignificati in brachiis. 196
Boni, & vitioſi per pedes ſignificati. 324
Eorum virtus intellecta in ungula. 253
Prælati, & Prædicatores intellecti in oculo. 64
Præmium, eſt anima laborum. 144
Præſcientia divina in naſo figurata. 101
Præſentia perſonæ ſpectatæ. 324
Objecti deſcripta. 329
Perſonalis, quantum adjuvet. 69
In negotiis quantùm proſit. 49
Divina quantùm valeat. 29
Item divina quantopere æſtimanda. 235
Quantùm eadem reos exterreat. 84
Dei præſentia ubique. 333
Præſidia data homini. 180
Præſumptio. 17
Quàm vana ſit, & periculoſa. 35
Quantùm damnum adferat. 109
Intelligitur in figura aurium. 90
Eadem reprehenditur. 227
Eſt ſemper deteſtabilis. 330
Praxis, quàm in omni genere actionis neceſſaria. 327
Prehendere manibus, quâ de cauſa dictum. 207
Princeps, curare debet, ut populi manuteneantur; curare ſubditos, non emungere, decet. Ejus peccata figurata in renibus. 294. 296. 300
Debet Miniſtris eſſe proviſus: ideo in exemplo adducitur Briaræus centimanus. 217
Quousque Miniſtris ſuis fidere debeat. 182
Quantùm in negotiis exercitatum eum eſſe oporteat. 337
Univerſalis ad omnes eſſe debet. 84
Principes, Secretarios ab auriculis habent, hoc eſt, maximè intimos. 86
Quomodo à proditoribus cavere debeant. 135
Eorum Miniſtri in manibus figurati. 178
Eorundem actiones laudabiles. 11
Item Clementia. 18
Eorum Scripta, quantopere cuſtodienda. 148
Eorum familiares & judices expreſſi in dentibus. 116
Quanta his reverentia debeatur. 14. 101
Iis in publico oſcula dabantur. 128
Iisdem olim ſubditi genua oſculabantur. 312
Principes Capitanei, vel Miniſtri, per Regem Janum demonſtrantur. 44
Principes, & Pontifices intellecti in oculo. 65
Principes, & Prælati vitam ſubditis ſuis miniſtrant. 293
Principatuum onus, quantarum afflictionum cauſa. 187
Principium rei cujusdam per ſtomachum intelligitur. 278

Proceſſus mamillares ſpinalis medullæ. 4
Proclivitas ad vitium quantopere refrænanda. 310
Prodigalitas vitioſa. 33
Proditio condemnatur. 187
Proditio, & hoſtilitas intelliguntur in facie tecta. 112
Proditores, quomodo deteſtandi. 135
Prolixitas in ſermocinando quàm odioſa. 147
Prometheo honores, & ludi inſtituti. 337
Promiſſa ſervanda ſunt: Quantùm noceat, quàmque deteſtabile ſit, promiſſis non ſtare. 143
Promptitudo auſcultandi. 85
Prophetæ & Prædicatores in lingva expreſſi. 141
Item Prophetæ, expreſſi in facie. 107
Propitiatorium templi Salomonis deſcriptum. VII.
Erat formæ trigonæ. 238
Comparatur cum Anima humana. VII.
Proſperitas Imperiorum. 14
Protectio Mariæ Virginis. 11
Proverbia in omni tempore, & hominum ætate ſemper obſervata & exculta fuerunt; de quibus etiam plura volumina adimpleta ſunt. 306
Inventata ſunt in ſcena. 323
Sunt lepóres orationis. 153
Eorum antiquitas, quippe in quibus Philoſophia vetus continetur. 311
Eorum uſus, & æſtimatio. 87
Eorundem lectio quàm proficua. 117
Eorum uſus diſcooperit occulta, ideoque neceſſarius. 176
Pro magno argumento ſerviunt. 254
Potenter ſerviunt ad ornandam, & exprimendam Philoſophiam, & Orationem; aperiunt item obſcuritatem Authorum. 225
Quomodo ad utilitatem tam propriam, quàm aliorum inſerviant. 200
Quomodo iis utendum. 281
Quomodo in literis familiaribus, & oratione malè applicentur. *ibid.*
Providentia divina. 44
Eadem deſcripta: quàm opportuna ſit. 190
Inſinuatur per oculos. 61
Eadem quomodo figurata. 238
Item, quomodo intellecta. 304
Prudentia, figurata in capite Jani. 15
Intellecta in binis faciebus, quæ de una cervice prodeunt. 112
Item in digitis expreſſa. 225
Quàm laudabilis, & neceſſaria in homine. 168
Muliebris deſcribitur. 157
Prudentia videndi, juxta datam occaſionem. 329
Prudentia, & contemplatio invicem copulata. 162
Prudentiam, non ſemper verum eſt prodire cum barba. 151. 156
Pruritus peccandi, intellectus per pruritum aurium. 9
Pſeudophiloſophi, non ſecus ac gangræna abominabiles fuerunt. 253
Ptolemæi Regis dictum mirabile. 296
Pubes in qua ætate prodeat. 247
Pudor, expreſſus in facie. 109
Pueritia hominis quousque duret. 240
Ejusdem mores deſcripti. 255
Pugna intimata in monſtratione dentium. 114
Pulchritudo intellecta in naſo. 102
Divina, in corde figurata. 268
Pulmones ſemper ſeſe ventilantes, & commoventes, cui comparentur. 168
Hi aërem à naribus hauriunt. 99
Pulſus in regione cordis ſentitur. 271
Pulveres in oculum injicere, quid ſignificet. 67
Puncta, origo ſunt numerorum. 243
Purificatio, quomodo intellecta. 320
Puritas virginalis per centenarium numerum expreſſa. 237
Pygmæi unde derivent. 233
Pyra conducunt hepati. 294

Q.

Qualitates in homine elementares, & myſticæ. V.
Qualitates externæ de internis indicant. 178
Quadragenarius numerus, quomodo repræſentatus. 241
Hieroglyphicum eſt Redemptionis, & ſalutis. Quomodo in hac ætate homo facilè onus matrimonii ferat. Quare jejunium quadrageſimale inſtitutum. *ibid.*
Quadringenteſimus numerus, quomodo in Scripturis divinis obſervatus. Totidem militibus, David ſe defendit: Tot fuerunt Pſeudoprophetæ, quos Elias Propheta Domini occidi juſſit: Totidem erant, qui Regem Balac ſeduxerunt. Videantur ſuper hæc Authores, & alia huc ſpectantia. 250
Quaternarius numerus, quàm obſervabilis; de quo quadratus venit, & quadringenteſimus, & quater milleſimus. Numerus poſitus in ſtatuis Conſulum. 238
Laus Quaternarii. 244
Quatuor dentes, locus eſt in Svecia ſic appellatus. 119
Quercinus fungus confert hepati. 295
Quies animi quomodo laudata. 269
Quinarius numerus expreſſus in ſtella. Quomodo mundus creditus olim fuerit, à quinque ſtellis in gubernatione ſua dependere. De divina providentia. Exprimuntur in hoc numero quinque ſenſus corporis: Condemnatio eorum, qui quinquies in errorem inciderunt. Quinque drachmæ oblatæ Deo à filiis. 238
Laus Quinarii in quo conſiſtat. 245
Quinquagenarius numerus, quomodo deſcriptus, & intellectus. Numerus conſecratus Remiſſioni, & Indulgentiæ: Jubilæum anno quinquageſimo conceſſum. Hieroglyphicum eſt corporis infecti, & pluralitatis rerum. Quali literâ hic numerus ſignatus fuerit, & quare. 241
Aliæ obſervationes de Quinquagenario. Salus proveniens ex hoc numero tempore Abrahami. 250
Quintilianus quantùm allaboraverit, ut juvenculi in arte oratoria in geſtu excellerent. 229
Quintus Ennius Poëta mu'tarum lingvarum peritiam habebat. 146

R.

R, litera, & antiquorum ſuper eam Notæ. 302
Ratio, ejusque robur, intellecta per Cor. 268
Ratione omnia ſuſtinenda, id quod in manibus figuratur. 199

Ratiocinatio infructuoſa expreſſa in dentibus. 117
Rebellio, quomodo caſtigata. 222
Rebellis Deo, intelligitur per cor elevatum. 268
Rebelles ſignati notis in facie. 110
Figurantur per frontem æream. 46
Receſſio à terrenis ad cæleſtia per pedem figuratur. 320
Reciprocum adjutorium intellectum in manu. 202
Reconciliatio demonſtratur per actum manûs dextræ elevatæ. 208
Rectitudo expreſſa in corde. 268
Rectitudo, & bonitas animi per frontem ſignificata.
Rectitudo cordis, quomodo expreſſa. 140
Rectitudo hominis, quomodo in linea media naturali conſiderata. 215
Redemptio intellecta in numero quadragenario. 241
Redhibitio gratiæ. 19
Refutare rem quampiam, quomodo intellectum. 123
Reges poculum præſentabant invitatis ad oſculandum. 128
Reges Indorum leges dabant, dum ſe pecterent. 42
Regimen Alexandri Magni, quàm acceptum. 14
Regimen domûs. 17
Populorum, quàm grave ſit. 187
Ad hoc inhabilis eſt ſenectus decrepita. 296
Qui tali præeſſe nequit, conſultius aget, ſi maturè idipſum reſignaverit. *ibid.*
Reginæ inceſſus qualis. 336
Regiones temperamenti humidi, & calidi quomodo intellectæ. 264
Regredi de itinere, vel quavis actione quomodo intellectum. 323
Regula vivendi, quomodo præſcripta. 124
Relaxatio in operando quàm nociva. 67
Religio. 14
Intellecta in oſculo. 129
Quantopere laudata, & obſervata. 211
Quantùm obſervata à Paganis. 312
In quali æſtimatione ſemper habita. 72
Quomodo obſervanda ſit. 59
Simulata. 108
Contempta, quomodo intellecta. 59
Inviſcerata debet eſſe in homine. 338
Religioſi Clauſtrales ſignificati in lumbis præcinctis. 301
Remedium contra Chiragram. 213
Rememoratio rerum præteritarum figurata in oculo. 75
Reminiſcentia peccati. 109
Remiſſio intellecta in quinquagenario. 241
Remuneratio manus aureæ, data pro amiſſione manûs. 208
Remuneratio operum, quàm neceſſaria. 191

RENES.

ANATOMICA.

Actiones eorum, & officia: quomodo humorem aqueum & ſeroſum eliciant, & in vaſa ureterica transportent: Cur in forma hujuſcemodi ſiti ſint, & compoſiti: Cur inferiores ſint hepate: Cur ad latus venæ cavæ collocati: Dextrum eorum latus elevatius eſt ſiniſtro: figura eorum hemiſphærica eſt, & quare: Aſſumunt item figuram cordis: Materia eorum glanduloſa; ſubſtantia rubra, carnoſa, denſa: Quomodo converſi ad lumbos, ad diaphragma, & alia: Divaricatio eorum, carunculæ rami papillæ: eorum membranæ externæ, & internæ: quomodo pingvedo eorum naſcatur de tunica dilatata: quomodo venæ eorum ſymptomaticæ, quamvis diſtantes, moveantur. 298
Analogia eorum mirabilis cum thorace: eorum arteria, cujus officium eſt movere ſanguinem & ſerum: Conjunctio eorum cum nervis ſtomachi: pars illorum interna cum admirabili artificio fabricata: quomodo eorum fibræ capillares ad carunculas diſcurrant: De duobus eorum ſinibus; quantæ longitudinis hi ſinus ſint: quomodo ſerum, non ſecus ac deſtillatæ aquæ, decidat; quomodo terminentur: aperitur eximium artificium, nimirum in corpore mortuo, Anatomiæ expoſito, per calamum inſufflatur in renes, unde apertiſſimè patet, cur eorum ſtructura facta ſit. 299

MORALIA ET MYSTICA.

Renes & lumbi indicant homines libidinoſos: ſed ad meliorem ſenſum traducti, per eos intelliguntur Apoſtoli, Doctores, & Evangeliſtæ: ſicut item Reſurrectio, & Aſcenſio Chriſti: exprimunt item Judæos calumniantes Chriſtum; reatum item conſcientiæ: peccata Principum manifeſtata: rurſum pro parte concupiſcibili ſumuntur. Per renes item opera intelliguntur, Zona aurea in renibus, caſtitatem ſignificat; Renes item matrimonium contractum indicant: Sicut & Chriſtum ſacrificatum Patri cœleſti. 300
Renes quaſi rivi dicti. 301
Sunt ſedes humoris ſalacis. *ibid.*
Dedicantur Veneri. *ibid.*
Renum ſymptomatibus conducunt portulaca, & omnia frigida; ſicut eſt, infrigidans Galeni, oleum & ungventum roſatum completum, & ſimilia. 302
Epitheta Renum. *ibid.*
Renes laudati in Ode. 303
Requies deſcribitur. 323
Item, quomodo intellecta. 327
Res, & impedimenta earum. 309
Res ante conſtitutionem mundi factæ, repræſentatæ in facie. 107
Res caſu inventa, quomodo intelligatur. 132
Res, quæ abſque reſpectu fiunt, condemnantur. 201
Res, quantò magis vetitæ, tantò plus deſideratæ. 320
Res bono pretiô emptæ. 67
Res bonæ, ſed quibus in malam partem abutimur, odores vocari poſſunt, converſi in fœtores. 102
Res, abominabiles, quomodo intellectæ, & declaratæ. 132
Impoſſibiles non tentandæ. 319
Futuræ, ſignificatæ in humeris. 174
Jucundæ, ſed quæ lucrum non adferunt. 68.
Manifeſtæ, quæ occultantur. 67
Quæ haberi nequeunt, invidere aliis non oportet. 118
Minutæ æſtimandæ. 254
Minutæ, magno quandoque damno ſunt. 310

Parvæ quandoque de majoribus judicium præbent. 256
Publicæ & privatæ. 87
Pernicioſæ figuratæ in oculo. 66
Ridiculæ, quantum vilipendium adducant eis, qui talibus recenſendis aſſveſcunt. 136
Superflue reprobandæ. 208
Rempublicam portare in humeris, quid ſignificet. 174
Reſolutio tuendi ſtationem ſuam. Antequam ad id procedatur, maturè omnia ponderanda. 176
Reſpectus in omni re obſervandus. 201
Reſpiratio ſitne actio naturalis, aut animalis. 167
Retributio reciproca, quomodo figurata. 203
Revelatio divina expreſſa in facie. 107
Reverentia. 108
Revocare ad malleum, quale proverbium ſit. 141
Reus, ſi quidem plus quadraginta plagis flagellaretur, infamis erat. 241
Non per ſupplicia, ſed per actiones judicandus eſt. 188
Rigor quantum detrimentum quandoque inferat. 226
Hinc temperandus eſt, ex quo magnum bonum provenit. 227
RISUS. Proprium inſeparabile hominis. Indicium eſt affectionum cordis. Riſus obſcœnus deteſtabilis. Definitio riſus. Objecta, quæ movent hominem ad ridendum facilem, unde proveniant. Dii in cœlis ridere dicti. Templum erectum riſui. Imago illius. Populi qui eundem in veneratione habuerunt. Riſus amiſſus, & rurſum recuperatus. 133
Riſus immoderatus, quomodo condemnatus. Homines, qui ſemper, item, qui nunquam riſiſſe leguntur. Academia inſtituta ad prohibendum riſum. Prohibitus antiquitus coram perſonis gravibus. Zoroaſter natus ridendo. Sardonici populi ridebant moriendo. Ridebant Martyres in tormentis. Idololatræ nunquam in ſacrificiis ſuis ridebant. 134
Riſus proditoris cujuſdam. Riſus inundans ſuper labra non ſecus ac flumen quoddam. Imperatorem in perorando impedit. Riſus ſapientum. Qui res ridiculas ſemper proponit, quantum reputationi ſuæ officiat. Conditiones humanæ quantum deriſæ. Riſus Jonius, quid fuerit. Ridere & explodere, in tempore non ſuo, quàm deteſtabile ſit. Riſus Megaricus. 135
Riſus Sardonicus, ejuſque origo. 136
Epitheta riſus. *ibid.*
Ritus Eccleſiæ, quo Sacerdotes ſibi pectus in Miſſæ principio percutiunt. 169
Ritus imponendi manus ſuper caput, quantorum bonorum cauſa. 207
Roboam Regis durum reſponſum ad Legatos populi ſui. 227
Quare digitorum Metaphora uſus fuerit, in quibus magnum robur habebat. *ibid.*
Robur expreſſum per capillos. 34
Neceſſarium ad jacienda tela. 323
Spiritus & corporis intellectum in genu. 310
Roma triumphans, quomodo expreſſa. 19
Romæ fundatio. 15
Romani in ætate virili raſi incedebant. 154
Idem faciebant Rhodii. 155
Item Sacerdotes Ægyptii radebantur. *ibid.*
Romanum imperium, ſignificatum in digitis. 225
Roſæ medentur malis jecinoris. 294
Roſarum figuræ affixæ calceamentorum plantis. 331
Rotæ menſura exponitur. 232
Rotula quid ſit in pede. 317
Ruina hominum grandium, intellecta in auribus earumque tinnitu. 86
Ruſtici pede calcantes baculum, quid ſignificent. 323

S.

S*Abæa* terra expreſſa in umbilico. 305
Saccharum ſepties decoctum, in petram convertitur, quæ magnam perfectionum habet. 224
Sacci impleti reſciſſis auribus. 98
Sacci vel manticæ, quorum pars in tergo, pars in pectore erat. 176
Sacerdos cur in Sacrificio Miſſæ miniſtros oſculetur. 129
Sacerdos idololatra per ſcalam aſcendebat locutura in aures ſtatuæ Bacchi. 93
Sacerdotes initiati per impoſitionem manuum. 206
Eorum facultas mutilata, quomodo ſignificata. 196
Ægyptii radebantur, & quare. 155
Sacerdotes & Prædicatores intellecti per genas. 106
Sacerdotiſſa Palladis olim barbata erat. 154
Sacramenta quomodo expreſſa in manibus. 197
SS. Sacramentum Altaris, & plures conſiderationes ſupra illud. 186
Sagacitas intellecta in naſo. 100
Sagacitas & vigilantia in omni re, quantopere neceſſaria. 87
Salus vitæ. 14
Salus augurabatur manu erecta. 207
Salutem Chriſtus in orbe terrarum operatus eſt. 65
Salutem Mundi Chriſtus in medio terræ operatus eſt. 305
Salutatio, quàm neceſſaria. 23
Cum denudatione capitis unde ortum habeat. *ibid.*
Reciproca, quomodo explicata: hæc ſocietatem humanam promovet. 193
Samena quid ſit. 49
Sanctionum Conſtantini, originale ubi poſitum. 305
Sancti, oculos habent aquilinos. 64
Qui ſaxa ipſa excavarunt, ob toties repetitas genuflexiones. 313
Sanguis olim è manibus tractus, ad ſolidanda pacta. 193. 194
Sanitas cognoſcitur in lingua. 150
Sapientia intellecta in collo, & cervice. 162
Ejus amplitudo intellecta per cor. 269
Dicta habitare in pectore. 167
Quàm utilis, & neceſſaria. 230
Divina expreſſa in umbilico. 305
Divina intellecta per Apollinem, habentem aures quatuor, & quatuor manus. 88
Sapores explorat lingua. 141
Sardi populi, ſacrificabant ſenes ſuos Diis ridentes, unde riſus Sardonicus. 136
Sardonici populi ridendo moriebantur. 135
Sathanæ tentationes. 142

Saturnina linea, ejuſdemque affectus, qui notantur in manu. 214. 216
Saturnus docens agriculturam. 19
Superaſtans auri dextræ. 94
Quare anno integro ligatus, & cur Planeta glacialis dictus. 326
Cur à Jove cœlo expulſus ſit. 295
Eli lien dedicatur, & quare. *ibid.*
Scelerati de congreſſu bonorum ſeparati. 140
Sceleton humanum in ſympoſiis uſurpatum, & quare. 191
Scena primùm genitrices virtutum, poſtea vitiorum. 323
Inventrices pvoverbiorum & Hierogliphicorum. *ibid.*
Sceptrum cum oculo in ſummitate, quid ſignificet. 56
Scientia Legis figurata in manibus. 199
Scientiæ obfuſcatæ. 142
Earum cognitio quantùm proſit. 146
Scintilla Solis à Prometheo ſurrepta, quid ſibi velit. II.
Scipioni manus dextra cum publica ſatisfactione oſculo excepta. 209
Scolopendria, ſantalum, &c. conducunt hepati. 294
Scorpionum puncturis remedia dautur. 259
Scrinium nomine cordis appellatum 267
Scriptura Sacra intellecta in labris. 126
Item intellecta per cor. 267
Item in pedibus expreſſa. 325
Ejus lectio quàm neceſſaria. 323
Secretum arcanorum ſacrorum. 265
Secreta Principum religioſè celanda. 148
Securis cum binis capitibus, quid ſignificet. 19
Sedes odorum naſus. 99
Seductorum doli. 324
Selymus Imperator Turcarum barbam nutriri nolebat, ſicut & Bajazet Pater ejus, ne in prælio mento prehenderentur. 155
Senarius numerus perfectionem indicat. 245
Senatores olim quomodo in dandis ſententiis ierint, & redierint. 329
Senatores olim Delationes portabant. 89
Senatores Thebani. 73
Senectus ſenſata. 34
Quomodo ſignificata. 29
Ejuſdem bona. 30
Senes difficulter loquelam ſuam mutant. 145
Simplices ſunt, & repueraſcunt. 328
Sacrificati ridentes. 136
His oſcula dabantur olim in publico. 129
Senſualis homo figuratus per cor bulliens. 268
Senſualis voluptas quomodo fugienda. 321
Senſuales intelliguntur per riſum Jonium. 135
Senſus intellectus in oculo. 65
Senſus corporis quomodo expreſſi. 238
Sententia pedaria quid ſit. 43
Qomodo olim facta. 328
Sepes unde originem ducant. 235
Septenarius numerus: Ejus enconomium. 224
Ejuſdem origo, valor, & alia: Erat Hieroglyphicum Centurionis: Item Hieroglyphicum Palladis, & Sapientiæ: Prærogativa hujus numeri. 239
Eſt nodus & ligamentum mundi: Numerus dedicatus Palladi: Numerus ſacer eſt, in eo enim complentur dona Spiritus Sancti: In eo Deus opera creationis perfecit: In eodem quievit. Septimana cur in hoc numero terminetur: Item aliæ obſervationes. 245
Eſt menſura temporis, ordinis, quietis, & totius rerum univerſitatis. Septem ſunt ætates hominis, ſeptem nervi, ſeptem oſſa majora. 247
Septem dona Spiritus Sancti, cui collata ſint: Septem mortui reſuſcitati. Scriptores copioſiſſimi ſupra hunc numerum: Item aliæ conſiderationis ſupra eundem. 248
Septuagenarius numerus quomodo expreſſus, & intellectus: exprimit item ſeptem millia. 242
Sepulchrum intellectum per cor. 267
Poſitum in fronte hominis. 43
Eſt antidotum pro peccatis. 11
Serpens inſidias collocans mulieri. 323
Serpentes, qui gigantum pedes efformant, quid ſignificent. 322
Servi incedebant raſo capite. 27
Notam navis gerentes in fronte. 49
Manumittendi ducebantur in publicum, & à Patronis manus eis ſuper caput collocabantur. 206
Servilis capillus quid ſignificet. 31
Servitia integrè præſtita, quomodo figurata. 201
Servitus libera quomodo intellecta. 83
Servitus Deo per Chriſtianos præſtita, quàm accepta, & ſuavis. *ibid.*
Servitus Dei figurata per frontem ſpatioſam. 45
Severitas intellecta in auribus. 89
Sextans, vel Sextarius, quæ menſura ſit. 232
Sicarii, eorumque fautores, quàm deteſtabiles, & vani. 50
Siclus qualis moneta fuerit, & quis uſus ejus. 241
Signum animi effœminati portare inaures. 94
Silentium quomodo expreſſum & laudatum. 139
Iterum laudatur 147. 222. 230
In digito Indice expreſſum. 222
Iterum in numero milleſimo expreſſum. 242
In tempore quàm utile. 145
Quam aliquando neceſſarium & opportunum. 267
Quandoque bonum, quandoque verò malum. 328
Idem largitione obtentum. 144
Simiæ barbatæ quid ſint. 153
Sunt figura Bardonum. *ibid.*
Simplicia quàm neceſſaria. 313
Simplicitas ſenum deſcripta. 328
Simulacra duo conjungentia manus, hieroglyphicum erant felicitatis publicæ. 194
Sinceritas animi. 43
Intellecta in aure purgata. 88
Siniſtra manus olim honoratior. 207
Sinus cerebri, quomodo diſpoſiti. 2
Mammillares narium, quid officii præſtent. 99
Sinus in fronte quare. 43
Sinus dedicatus ſpei, & quare. 170
Situs in medio, quomodo expreſſus. 304
Smaragdi corrigunt morbos cordis. 274
Sodalis ſuperatus, quomodo figuretur. 329
Solea pedis cur vocata. 332
Solitaria vita in oculo concavo figuratur. 62
Solitudo voluntaria quomodo intellecta, & quàm utilis. 168
Solitudinis laus. 313
Sol quomodo intellectus. 18
Intellectus per oculum. 57
Cur ſub nomine Horomazeni appelletur. 124
Elevatis in cœlum manibus adoratus. 208
Ejus incorruptibilitas quando expreſſa. 152
Ejusdem robur quomodo intellectum. 193
Ei cor dedicatum. 273
Sol & Luna, Parentes generationum æſtimantur. 264
Solſtitium hyemale quomodo expreſſum. 321
Somnia quomodo contemnenda, & illorum interpretes rejiciendi. 307
Somnus, quare imago mortis. 139
Quàm neceſſarius ſit vitæ hominum. *ibid.*
Exprimitur in lingva poſita ſupra altare 150
Intelligitur item in digitis. 219
Sophiſmata deteſtanda. 253
In pedibus expreſſa. 326
Sortiri digitis ludus deſcriptus. 250
Speculatio non convenit deditis ventri. 281
Speculum faciei frons. 43
Spes hominum intellecta in pedibus. 326
Boni eventuri intellecta per nares. 100
Gloriæ intellecta in naſo. *ibid.*
Præmii. 22
Rerum futurarum. 132
Laudabilis & utilis. 184
Vana. 22
Item vana, plus damni, quàm commodi infert, ideoque evitanda. 195
Sphenoides, & Ethmoides, oſſa quid ſint. 43
Spica frumenti originem dedit numeris. 240
Spina Pontica ad curandam Chiragram. 213
Spinalis medulla, vel cerebrum longum. 4
Quot nominibus appellata. 172
De hac ſunt proceſſus mamillares & fœcunditas nervorum, & alia huc pertinentia. 4. 173
Spiritus naturalis quid ſit, & quomodo generetur. 290
Quomodo in ternum ordinem diviſus ſit. 306
Animalis, quomodo fiat. *ibid.*
Animales formantur in ventriculis cerebri. 7
Aſtralis, quomodo cum operatione hominis concurrat. VI.

SPIRITUS SANCTUS.

Cur Apoſtolis apparuerit in forma lingvæ igneæ. Cur inflammati fuerint Apoſtoli ad ſeminandam fidem: Cur hæ lingvæ indicent communicationem, & abundantiam donorum illius: Igneæ erant ad indicandum fervorem, quem eſſe oportet in Oratoribus Evangelicis: Plures lingvæ apparuerunt, eò quod ovile Chriſti diſperſum in plura, in unitate nihilominus recolligendum eſt; & ad indicandum, Spiritum Sanctum cor eſſe Eccleſiæ: His ſacris lingvis condemnavit lingvas maledicas: his lingvis mundus correctus & reformatus à peccatis. 150
Spiritus Sanctus figuratus in facie. 107
Ejusdem dona, gratiæ, virtutes intellectæ in digitis. 224
Sponſi cum lectis genialibus. 47
Spuere in ſinum, quid ſibi velit. 169
Sputum projectum in faciem. 156
Stadium, quæ menſura ſit. 232. 234
Stadium, aut paraſanga, quid ſit. 329
Stadio comparatur vita hominum. 337
Stathmus quæ menſura ſit. 235
Statua Regis Nabuchodonoſor quid ſignificet. 196
Statuæ, ſine oculis. 73
Æreæ & marmoreæ Romæ, in iis ordo menſurarum apparens. 332
Lingvæ, in Roma. 138
Item Herculis exprimentes eloquentiam. ibid.
Statuis olim in aures loquebantur. 93
Statura Herculis, per quem cognita. 255
Statu ſuo, quemque contentum eſſe oportet. 130. 327
Stellæ figura numerum quinarium formabat. 238
Stellæ ferreæ affixæ calceis. 331
Sternum in pectore quid ſit. 165
Stibium, quo circumferentia oculorum pingebatur, ſicut & ceruſſa. 71
Stœchas medetur capiti. 19
Stoliditas quantum damnum adferat. 68

STOMACHUS.

ANATOMICA.

Pars principalis eſt hominis, receptaculum ciborum, officina concoctionis: Appellatur cloaca, & quare: Ejus impuritas, fabrica, & compoſitio: Quare concavus & oblongus: Quare in quadrupedibus magis ſphæricus, & per modum cucurbitæ: Membranoſus, & villis repletus: Situs ejus; quomodo ſuſpenſus ſit, ſuperius diaphragmati annexus, inferius inteſtinis: Medius inter hepar & lienem:

Triplex in animalibus : In iis, quæ ruminant, quadruplex : Tunica ejus exterior craſſa eſt , & carnoſa , ortum habens à peritonæo : Multas venas habet, quæ de porta ejus extenduntur. 276
Item in quâ proportione & figura fabricatus ſit. 284
Sedes eſt appetentiæ & famis : Sympathiam habet cum corde, capite & cerebro : Quomodo orificium ejus inferius pylorus dicatur, quomodo aperiatur, & rurſum referretur : Quomodo per eum oſcitatio fiat : Pars corporis eſt habens ſenſum exquiſitiſſimum : Doctrina Galeni ſuper his : Quomodo in eo chylificatio fiat : Quomodo nutrimentum ſuum hauriat à ſangvine. 277

MORALIA & MYSTICA.

Intelligitur in ſtomacho divina ſubſtantia : Cognitio rerum mentalium, non materialium : Magi habentes ſpiritum Pythonicum. Denotat Sapientem in Doctrinis moralibus exercitatum : Significat uterum divinum ; principalem originem ſubſtantiæ, & eſſentiæ Paternæ : Indicat conſilium, & determinationem ejus. 279
Item miſericordiam, quâ culpas noſtras tolerat : ſicut & gratiam divinam : naturam humanam & divinam. Per eum intelligitur Maria Virgo : Item Synagoga : Significat aliquando ventrem, aliquando memoriam, Item Cor, Conſcientiam, Animam, Concupiſcentiam carnalem, labores fruſtraneos ; blandimenta gulæ & ſenſuum. ibid.
Exprimitur item per ſtomachum habitaculum hæreticorum , & eorum doctrina : Item mors Redemptoris, ejus ſepulchrum, & Paradiſus terreſtris : Item exitus Iſraëlitici populi de ſervitute Ægyptiaca : Deſcribitur hic divina voluntas. 280
Stomachus Idea originis & principii 278
Aſſimilatur mari, & quare. ibid.
Stomachus, per Hieroglyphicum, in digito medio repræſentatus. 223. 278
Stomachi concoctio bona, vel vitiata, quomodo ex lineamentis manuum cognita. 216
Mala ſtomachi quomodo ſanentur : Ariſtoteles eum utre ſanavit, quem oleo repleverat. Allium ei conducit : item oleum amygdalarum dulcium, aqua parietariæ, palla plumbi intincta in Mercurio, Citrium, & cortex illius ; Nux moſchata & Indica ; maſtyx, galanga : Item aromata omnia , cyclaminum, oleum abrotani, & ſuccus anethi. 283
Item ſtomacho & ſcrophulis, umbilicus Veneris herba conducit. 306
Mortui ex debilitate ſtomachi. 283
Stomachus dedicatus Lunæ. 282
Stupiditas intellecta in auribus. 90
Sublimitates humanæ terminantur in ſepulchro. 10
Submiſſio intellecta in cervice demiſſa. 161
Submiſſionis actus in contactu barbæ. 156
Suggeſtiones. 12
Indecentes, quomodo vincendæ. 318
Summa roboris in capillis. 28
Superare ſocium ſuum, quomodo figuratum. 329
Superbia. 142
Figurata in oculo. 66
Intellecta in cervice elevata. 160
Expreſſa in corde. 268
Indicata in pedibus. 326. 314
Quantùm noceat. 69
Impiorum quanta. 108
Quàm deteſtabilis. 309. 328
Supercilium. Conjectatores ajebant, ſomniare de ſupercilio tincto colore, indicium eſſe libertatis : glabrum, vel ſine pilo, ſignum eſſe luctus. 77
Supercilia, eorum officium & deſcriptio. 55
Piloſa, auſteritatem denotant. 61
Superficies rerum intellecta in facie. 107
Superfluitas rerum condemnatur. 29
Divitiarum moderanda. 330
Doctrinarum in Paganis per ungves figurata. 254
Superſtitio, ejusque deſcriptio. 193
Ea damnatur, quâ reſciſſi ungves ſubtus arborem collocabantur per Flaminem. 256
Superſtitiones deteſtandæ. 309
Meretricum quales. 330
Supplex in quali actione repræſentatus. 196
In extenſione manuum expreſſus. 207. 208
Orator ſupplex quomodo expreſſus. 193
Surdi naturales & affectati. 90. 203
Surditas multis profuit. 98
A Chriſto, & quibusdam Sanctis ſanata. *ibid.*
Voluntaria quantum adjuvet, & quantopere aliquando noceat. 88
Surditati Epigramma factum. 98
Sycophantæ, dum aliis decipulam ponunt, ſemetipſos ſæpe decipiunt. 153
Cur Simiis comparentur. *ibid.*
Symbolum compoſitum corpore ſuo, & lemmate, quid ſit. 185
Sympathia oculorum, cum palato, lingva, & arteria aſpera. 82
Sympathicæ virtutes quamplures ſunt. V.
Sympoſia. In iis Harpocrates numen ſilentii collocabatur. 223
Synagoga deficiens expreſſa in oculo. 65
Syntereſis. 17
In corde quomodo explicata. 220

T.

Taciturnitas expreſſa in numero milleſimo. 242
Pedum, quid ſignificet. 328
Tactus, & guſtus, ſimpliciter neceſſaria ſunt ad vitam humanam degendam. 9
Tarditas in dando , quomodo expreſſa. 169
Tau, ſignum Sanctæ Crucis. 49
Taurus aurem acutiſſimam habet. 85
Temperamentum hominis forte, unde à Phyſiognomis cognoſcatur. 164
Temperantia laudatur. 204. 274
Quomodo deſcripta & intellecta. 234
Intellecta per victimam lumborum. 301
Ejus fructus deſcribuntur. 188
Virtus eſt, maximè neceſſaria ad bene vivendum : cui comparetur. 301
Quàm laudabilis, quàm neceſſaria ad bene vivendum. 169. 226
Quantopere in omni loco utilis. 88
Damna ex intemperantia nata. 301
Templum cachinno erectum , & à quo. 134
Primum omnium erectum Fidei. 194
Salomonis. III.
Idem templum comparatum homini. IV.
Idem quare fuerit tripertitum. 244
Templum Dei animatum eſt homo. I.
Templi portas oſculabantur olim, idque publicè in ſignum pacis. 129
Templa deſcripta. X.
Quomodo colenda ſint. 336
Quantam à Paganis venerationem habuerint. 312
Quare olim in ſummitatibus montium erecta. 93
Quadrata Jano erecta, & quare. 44
Tempus : in eo operari oportet , dum licet. 311
Quanti interſit huic inſervire. 329
Ejus brevitas deſcripta. 204
Tempora. 15
Tenacitas reprehenditur. 195. 311
Tentare, quod impoſſibile eſt, quantæ vanitatis ſit. 33
Tentatio intellecta in maxillis. 106
Dæmonis, ſignificata in digitis. 262
Tentationes, quomodo exuperandæ. 317
Tentativum cum ſecuritate in actione aliqua quomodo expreſſum. 204
Tercenteſimus numerus Hieroglyphicum nuptiarum. 241
Ternarius numerus , quare perfectus. 244
Ejus qualitas , ſignificatio & laus. 237
Terra quomodo expreſſa. 7
Quàm nocuos habitus evaporet. 310
Cadmia, quid fuerit. 121
Terræ data oſcula in ſignum venerationis & amoris. Qui mos originem ſumpſit ab Hebræis. 128
Terrena ſordes quantùm vilipendendæ. 320
Terror. 15
Teſtamenta expreſſa per frontem. 46
Item in labris. 125
Theſaurus ſpretus à quodam ſene. 30
Theſeus nunquam radi ſibi barbam permiſit. 152
Theſſali inventores menſurarum. 234
Thorax quid ſit in homine : ſitus ejus, figura, & partes Anatomicæ. 165
Thraſones quàm abominabiles ſint. 143
Tiberii dictum memorabile. 296
Timor quomodo intellectus & deſcriptus : Item timidus in prælio. 176
Quantopere adjuvet, & quantum ſæpe noceat. 310
In loquendo. 144
Verberum quomodo deſcriptus & intellectus. 176
Dei, quantùm adjuvet. 34
Tolerantia paſſionum. 17
Tolerantia quàm utilis & neceſſaria. 183
Tolerantia Caji Mutii Scævolæ in comburenda manu. 20
Tondere ſe ſæpius periculum infirmitatis habet. 29
Tormenta exulceratæ conſcientiæ. 220
Trabes ſtella , vapor vel meteorum quid portendat. 36

Trajanus Imperator laudatus in Apophtegmate. 296
Tranquillitas & Pax. 68
Tranquillitas animi laudatur. 30
  Intellecta in riſu. 134
Trepidatio & timor, quomodo intelligantur. 176
  Ubi locum habeant. 336
Tres oculi ſupra altare indicant providentiam divinam. 61
Tribulatio repræſentata in pedibus. 325
  In ea veri amici probantur. 190
Tribulationes, quàm utiles ſint. 183
  His Deus electos ſuos probat. *ibid.*
Tribunale erectum è regione ſolis, à quo, & qua de cauſa. 57
Tricliniis immittebatur imago Harpocratis, qui Numen erat ſilentii. 223
Trilaterum, numerus, & baſis Arithmeticæ. 238
Trinitas Sacro Sancta laudatur. 244
  Adumbrata in ſimulacro DEI Filii. 112
  Eadem in digitis expreſſa. 224
Trinitates rerum multæ hîc adunantur. 244
Triumphans, & triumphati deſcribuntur. 320
Trivultii domus illuſtriſſima, portans in armis ſuis tres vultus: quid hi ſignificent. 11
Tunicæ oculorum quales, & quot. 53
Turcæ in actione quadam ſingulari, potentiam Chriſti recognoſcunt. 155
Turcois lapis pretioſus cordis affectibus medetur. 274
Tuſſis unde derivet. 167
Tutela divina, quanto nobis ſubſidio ſit. 9
  In ſe confidentibus ſecuritatem præbet. 190
Tyrannis deteſtabilis. 202. 296
  Intellecta & explicata per incurvationem pollicis. 221
  Ejus fortitudo expreſſa in ungvibus. 254
  Ejusdem violentia exprimitur. 202
Tyrannus ipſas adeo ſalutationes, quæ nutu corporis fiebant prohibens. 208
Tyrannus per miraculum converſus ad fidem 271
Tyranni expreſſi in dentibus. 117

V.

V, litera, quomodo ab antiquis notata. 282
Vanitas, mundi deſcribitur. 188
  Pompoſa in ambulando deteſtabilis. 336
Vanitas eorum, qui aliorum facta diſcutiunt 328
Ubique præſentem eſſe, quomodo intellectum. 333
Velocitas, pedum propria. 338
Venæ, narium quot. 99
  Manuum, quomodo divaricentur. 180
  Totius humani corporis recenſentur. 291

VENTER.

ANATOMICA.

Anterior & poſterior pars ejus: quomodo regiones ejus terminentur: quomodo appellentur: quod confinium habeat: Cuticula quas partes habeat: quomodo aliàs appelletur: Tertium argumentum quomodo expreſſum; ejusdem materia ſangvinea. Qualia animalium pingviora generent: Cur hæc pingvedo calorem cuſtodiat: quomodo conferat ad facilem motum: quomodo panniculus carnoſus ſuccedat pingvedini: quomodo delibuta ſit muco; quomodo ab eodem propaginem ſumant arteriæ. 285
Quomodo hæc pingvedo creſcat & decreſcat frigore & calore: deſcriptiones breves muſculorum, abdominis peritonæi; quomodo præparet & accommodet omnia interna viſcera. 286. 287
Ventres victimarum portabantur extra civitatem, & quâ de cauſa. 278
Ventiloqui & Pythonici quid fuerint. 280
Venter jejunus non curat verba. *ibid.*
Venter inſatiabilis damnatur & deſcribitur. 278
Venter deditus epulis ineptus eſt ad meditandum: Item obeſus condemnatur. 281
Venter poſt obitum à reliquo corpore ſeparatus & qua de cauſa. 282
Venter æreus chimæricæ ſtatuæ, quam Nabuchodonoſor Rex vidit, Regnum Macedoniæ figuravit. 280
Ventri medio correſpondent organa vitalia, & reſpiratio, & pulſus. 166
Ventriculus, quare cavus & oblongus. 276
  Quomodo fundus ejus appellatus Epigaſtrum: Plus ad ſiniſtram vergit, quàm ad dextram: Quod ſedes ſit primæ concoctionis: Quomodo generi venoſo connectatur: quomodo motu voluntario moveatur, non animali, ſed naturali. 277
Ventriculi cerebri conſiderantur. 7
Venus barbata, & quare. 157
  Eadem haſtata, & quare 157
  Eidem nares dedicatæ. 103
Ver, ejusque effectus quomodo expreſſi. 193
Verbum Dei intellectum per nomen oris: de hoc in pluribus locis. 124
Verba operibus copulanda. 203
Veritas caſu accidens. 143

Veſica hepatis quomodo collocata ſit. 290
Veſpaſianus ob vigilantiam laudatur. 44
Veſtigia pedum in ſignum amoris, & venerationis oſculo excepta. 332
Veſtigia Regis Perſarum oſculo honorata; ſicut idem fiebat veſtigiis Martyrum à Chriſtianis. 127
Veſtigia ad cœlum dirigentia quomodo demonſtrata. 331
Vetula depicta per Zeuxim, eum ſic ridere fecit, ut inde ſibi mortem conſciverit. 135
Via monſtrata, quomodo deſcribatur. 321
Viceſimus numerus, quomodo ab antiquis obſervatus. 240
Vicinia objecti. 329
Vicinus malus, malum magnum. 31
  Idem magnum incommodum. *ibid.*
Viciſſitudo temporaria, quomodo intellecta. 203
Victoria quomodo à M. Catone explicata. 211
  Hoſti relicta, quomodo expreſſa. 221
  Ejus imago quomodo repræſentata. 19
Victorioſus deſcribitur. 320
Vidua in centeſimo numero intellecta. 237
Viduæ Sanctorum pedes lavabant. 333
Viduitas, & vita cœlebs in ſexagenario expreſſæ. 237
Vigilantia. 18. 44
  In oculo expreſſa. 67
  Figuratur in ſceptro, cujus ſummitas oculum habet. 56
  Principis, expreſſa in auribus. 89
  Quàm neceſſaria Principi. 182
  Ejus neceſſitas in gubernando. 187
  Dei vigilantia ſupra mundum intellecta in corde. 268
Vigor enervatus, quo typo expreſſus. 222
Vindicativus repræſentatur in felle. 293
Vindicta intellecta in facie. 107
  Divina, & poteſtas Chriſti exponuntur. 196
Vinum occîdens inventores ſuos. 45
Virgo Sacratiſſima intellecta per barbam. 152
  Eadem in ſtomacho repræſentata. 279
Virgines olim incedebant facie velata. 112
Virginitas & fides in oculis ſignificantur. 64
Vipera in fruſta diſcerpta, & vulneri applicata extingit virus. 259
Viri juxta mentem Ariſtotelis, non ſecus ac mulieres, lac generare poſſunt. 165
Virilitas, & ſenectus hominis quousq; duret. 240
Virtus tempori coaptanda. 189
  Omne obſtaculum vincit. 190
  Heroica ab exilio liberavit. 139
  In quapiam re quomodo expreſſa. 323
  Quàm difficulter acquiri poſſit. 318
  Græcorum vel gentilium manifeſtata per barbam. 152
  Divina quomodo olim manifeſtata. 195
  Item divina in manibus explicata. 188. 197
  Iterum divina his digitis, annulari, auriculari, & medio intelligitur. 238
  Spiritûs Sancti, & Chriſti, per capillos intellecta. 35
  Intellectiva expreſſa in oculo. 64
  Cardinalis in facie. 107
  Item virtus in facie manifeſtatur. 106
  Eadem in lumbis expreſſa. 301
Virtutes divinæ, tam morales, quàm Theologicæ, quomodo intellectæ. 225
Viſcera hominis, eorumque conſtitutio, quomodo cognoſcantur per lineam naturalem manûs. 215
Viſcus quercinus remedium pro pulmonibus. 170
Viſio, tranſmiſſione, an receptione fiat. 54
  Beatifica in oculo figurata. 66
Viſus præſtat auditu. 67
  Comparatur ſtellis. 9
Vita, uniuscujusque genium habet ſibi ſocium. 46
  Malè exacta, in humeris figurata. 175
  Activa, ſignificata in pedibus. 325
  Humana, expreſſa in fabula Argi. 75
  Item humana, repræſentata in flore. 331
  Ejus brevitas deſcripta. 225. 232
  Brevitas hæc, quomodo per lineam nanaturalem manûs cognoſcatur. 215
Vitæ curſus. 337
Vitæ ſignum eſt poſitio manuum ſuper caput. 206
Vita & mors intellecta in oculis. 60
  Ode ſuper hoc. *ibid.*
Vitii deſcriptio, & condemnatio. 322
  Ejusdem excuſatio, quomodo expreſſa. 323
Vitia deteſtanda. 310
Vitreus humor oculorum. 54
Vituperium & laus exceſſiva, utraque explicata. 227
Vivere cum moderatione oportet. 330
Vivere juxta occaſionem Sapientis, vel Prudentis eſt. 329
Ulna quæ menſura ſit. 232. 233
Ultima ætas hominis deſcribitur. 328
Ultimus conatus, quomodo intellectus. 330
Ulyſſes agnitus in facie inter exteros. 110

UMBILICUS.

ANATOMICA.

Conſtituit centrum hominis: De hoc vaſa uteri derivant; hæc primùm generantur, tanquam aliarum venarum radices: quæ opinio nihilominus rejecta, hæ venæ ad ramos Iliacos portantur: Sunt autem radices, quibus fœtus nutritur: quare præmemorata vaſa vocentur umbilicalia, quomodo diſtin-

diſtincta: quomodo rurſum divaricentur. De formatione fœtus. Quomodo vena embryonalis vocetur nutricula: mediantibus his arteriis ſpirat, vel reſpirat embryo. 303
Sunt autem emerita, ligamenta, quæ veſicam & hepar ſuſpendunt. Umbilicus ab Ægyptiis tantopere obſervatus, ut etiam prædonibus ſupplicio traditis, & excoriatis, hæc pars non auferretur: nec carnifex poteſtatem ſuper illam haberet. 304

MORALIA & MYSTICA.

In hujus ſignificatione exprimitur terra Sabæa; item Eccleſia, quæ medium obtinet dignitate & officio: Item Uterus Sacratiſſimæ Virginis: Sapientia divina: homo: Incentivum & fomes: & alia. 305
Umbilicus typus concupiſcentiæ. *ibid.*
Præſciſſus indicat caſtimoniam. *ibid.*
In figura Umbilici Jupiter intelligebatur, & quare: ubi plures eruditiones occurrunt. 304
Umbilicus laudatur. 307
Umbilicus librorum quid ſit. 305
Umbræ demortuorum apparuerunt poſteris. 337
Uncia quomodo in pollice menſurari poſſit. 232
Uncia pondus unde venerit. 238
Unio intellecta per duo corda unita. 267
Unitas in digitis annularibus plicatis intellecta. 237
Ungventum, quo pedes ungvebantur. 334
UNGVES. Cur formati ſint: Quomodo contrectationem corporum adjuvent, manusque tueantur, & confirment: Quare mediocriter duri: Quid ſint maculæ in ungvibus. 252

MORALIA ET MYSTICA.

Ungves Imago ſunt hominis cogitabundi; in qua figura talis repræſentetur. Dant materiam Sanctis, ad indicandum præordinationes divinas; Item quantopere Sophiſmata, & mendacia fugienda. *ibid.*
Significant item perfectionem Prædicatorum pœnitentiam: Figurant ultimum mundi finem: Diſcretionem boni & mali in operando: Declarationem quatuor Evangeliorum: Robur operativum hominis: Cognitionem ſenſuum: Robur tyrannidis: Tentationes dæmonum: Superfluitatem ſcientiarum gentilium: Perſeverantiam in opere: Finem æternum: crudelitatem, & alia. 253. 254
Ungves quare in manibus ſint. 181
Ungves pedum diverſimodè diſpoſiti, vanam qualitatem indicant. 340
Ungves corroſi ſignum magnæ applicationis. 256
Ungves rapaces quid ſint. 254
Ad ungvem, proverbium memorabile. 255
Ex ungve leonem, quid ſignificet: Origo hujus proverbii. *ibid.*
Ungves nunquam reſciſſi, hiſtoria. 256

PHYSIOGNOMIA UNGVIUM.

Ungves largi, candidi, ſubruſi, denotant optimam virtutem digeſtivam, abundantiam ſangvinis, hominem apertum, & magnanimum. Ungves anguſti & longi ſeveritatem, & crudelitatem, abundantiam iræ, hominem inflexibilem: obliqui & contorti rapacitatem. 256
Solùm candidi, paucam facultatem vegetativam: lividi & ſubtiles, ſubtilitatem ingenii: rotundi & aſperi, hominem delicatum, luxum, malignitatem & duplicitatem. Maculæ candidæ denotant nobilitatem. Largi & aperti ungves, optimum ingenium: Anguſti ſtoliditatem, & infirmitatem: Curvi, imprudentiam & furtum: Pallidi, nigri, & aſperi, incontinentiam, & ſenſualitatem. *ib.*
Ungvula Alcis, quàm ſalutaris. 32. 259
Ungvulæ beſtiæ magnæ ſeu Alcis, eorum virtus & qualitas. 257
Votum aut votans quomodo intelligantur. 329
Volumen Conſtantini, quomodo compoſitum. 305
Volumina antiqua, quomodo compoſita. *ibid.*
Volupia, quid apud Romanos fuerit. 222
Voluptas & ſenſualis delectatio quantopere fugienda 191. 301
Venerea unde. 240
Vox, unde naſcatur, & unde fiat. 159
Sonum & reſonantiam ſuam habet à dentibus. 114
Uſus flagellandi delinquentes, apud Hebræos. 241
Uſus reponendi nummos in veſicis. 68
Uſus rationis denegatur Pygmæis, ideo negatur tales fuiſſe, aut dari. 338
Uterinæ paſſiones quòmodo ſanentur. 259
Utile proprium plus ſtimulat, quàm appellativum. 311
Illud obſervandum, & non curioſè alienis intendendum. 328
Item proprium, in perſona propria, & non per alios procurandum. 330
Utile vilipenſum, & homines negligenter ſe negotiis applicantes. 200
Vulgi exiſtimatio, quomodo æſtimanda. 223
Vulnus ab enſe tolerabilius, quàm quod à lingva perverſa infligitur. 147
Vultus ſcripti. 48
Vultus Index boni & mali. 24
Uvula quid ſit. 122

X.

X, ſignificat numerum denarium: plura ſuper hoc, vide *fol.* 239
Item quomodo aliis numeris copuletur. 244

Z.

Zeuxes depictâ vetulâ, in cachinnum talem ſolutus eſt, ut riſu interierit. 135
Zifra numerica, quare ſic dicta, & cujus utilitatis ſit. 244
Zifra, quàm neceſſaria, & quantæ æſtimationis ſit. 24
Zingari, vel ſic dicti *Ægyptii*, unde originem ducant. 217
Zoroaſter natus ridendo. 135

FINIS INDICIS UNIVERSALIS
LIBRI PRIMI.

HOMO
INDIVISUS ET INTEGER
FIGURATUS & SYMBOLICUS,
ANATOMICUS, RATIONALIS, MORALIS, MYSTICUS, POLITICUS, & LEGALIS,
COLLECTUS ET EXPLICATUS
CUM FIGURIS, SYMBOLIS, ANATOMIIS,
Factis, Emblematibus, Moralibus, Myſticis, Proverbiis, Hieroglyphicis, Prodigiis, Simulacris, Statuis, Hiſtoriis, Ritibus, Obſervationibus, Moribus, Numiſmatibus, Dedicationibus, Signaturis, Significationibus Literarum, Epithetis, Fabulis, Miris, Phyſiognomicis, & Somniis;
REFLEXIONIBUS ET DECLARATIONIBUS
tam ex Sacris, quàm profanis Auctoribus deſumptis,

OPERA & STUDIO
R. D. OCTAVII SCARLATINI
OLIM EX NOBILISSIMO CANONICORUM REGULARIUM Lateranenſium Ordine, SS. Theologiæ Doctoris, Prædicatoris, & Scripturæ Sacræ Lectoris, & nunc Archipresbyteri Eccleſiæ Majoris Caſtelli S. Petri.

OPUS
UTILE PRÆDICATORIBUS, ORATORIBUS, POETIS, ANATOMICIS, Philoſophis, Academicis, Sculptoribus, Pictoribus, Emblematum, ac Inſcriptionum Inventoribus, &c.

TOMUS SECUNDUS.
CUM ADDITIONIBUS & INDICIBUS COPIOSISSIMIS;
Nunc primùm ex Italico Idiomate Latinitati datus

à R. D. MATTHIA HONCAMP
Canonico Capitulari ad Gradus B.M.V. Moguntiæ, Directore Congregationis, & Prædicatore Eccleſiæ ejusdem B.M.V. Ordinario.



Cum Gratia & Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis,
Et facultate Superiorum.
AUGUSTÆ Vindelicorum, & DILINGÆ,
Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ.
ANNO M DC XCV.

COMPENDIUM EMBLEMATUM HEROICORUM *SECUNDI VOLUMINIS.*

ALEXANDER & NODUS GORDIUS.

SUb figura nodi hujus Comes Theſaurus lemma collocavit : *Extremis malis ultima remedia adhibenda.* Ad indicandum correctiones ſeveras & aſperas adhibendas eſſe, ubi lenitas ſine effectu eſt. *fol.* 24.

In brachio, quod arrepto gladio nodum ferit, intelligitur ſagax expeditio negociorum, per dexteritatem hominum prudentium, quod ſequenti ſententia declaratur : *Nodos virtute reſolvo.* *ibid.*

Sub eodem Nodo, qui jamjam truncandus fit, ad demonſtrandam intrepiditatem cordis, Heros quidam magnanimus, ad confundendam Aſtronomi cujusdam ſuperſtitionem, qui ſibi prædixerat, ſe ſub infeſtis ſtare ſideribus, hanc ſententiam collocavit : *Nihil intereſt quomodo ſolvatur.* *ibid.*

Eundem ingenii vigorem, & fortitudinem ſub conſimili figura Jacobus Zabarella ſequenti lemmate expreſsit : *Aut ingenio, aut vi.* *ibid.*

Prompta executio animi infracti, pro eleganti ſymbolo præfatum nodum habet, & pro ſui complemento ſequentem ſententiam ſat acutam : *Quoquo modo reſolvam.* 25

AMOR.

Sub figura amoris Abbas Joan. Ferrus hoc lemma collocavit : *Unit, fovetque* : indicans amoris reciproci viciſſitudinem. 14.

Amor repræſentatus cum arcu in ſiniſtra, face in dextra, ad demonſtrandam amicitiam tam eorum qui procul ſunt, quàm qui vicini : adjuncta Epigraphe : *Et propè, & longè.* *ibid.*

Imago amoris hoc item lemma obtinuit : *Nec timor, nec pudor* : indicatur autem in amore hæc vilipendi. 14.

Robur amoris, repræſentatum in imagine ejusdem qui arcu ſuo in cœlum directo, ſagittam illuc jaculari intendit, cum lemmate : *Ultra gigantes* : demonſtrans id, quod nec viribus gigantum fieri potuerit, factum amore. *ibid.*

ATLAS.

Figura Atlantis, portans mundum humeris ſuis, cum lemmate : *Portantem omnia porto*, hominem demonſtrat, in omni ſcientiarum genere verſatum. *ibid.*

CHIMÆRA.

Hæc in cineres redacta, cum Epigraphe : *Suomet igne periit* : juxta quendam Authorem, hominem ſignificat, qui proprii infortunii ſui faber eſt, cadens in foſſam, quam effodit. *ibid.*

DÆDALUS.

Hæc figura ſuperimpoſito lemmate : *Inter utrumque ſecurus* : nos docet, in quavis re mediocritatem colendam. 15.

Eidem illud inſcriptum eſt : *Ars naturam ſuperans* : quo declaratur artifex ingenio, & ſubtilitate excellens, & clarus. *ibid.*

FAMA.

Ad demonſtrandum, quantopere fama ſpem ſimul & timorem ingerat, eo quod bonorum æquè ac malorum publicationem ipſa promoveat, quidam ei ſubſcripſit : *Mobilitate viget.* In quo magnum nobis documentum ſuggeritur. *ibid.*

Ei non minus illud lemma tribuitur : *Auget & minuit* : In famæ enim poteſtate eſt, augmentare, & diminuere. Quæ reflexio non minimi momenti eſt. *ibid.*

Cumque illa ſemper vigilet, hoc ei lemma adjunxi : *Vigilare juvat* : ut doceamur, quantum noſtra interſit famam æſtimare, & quantopere in omni actione noſtra cum omni ſolertia nos vigiles eſſe deceat. *ibid.*

FORTUNA.

Pro iis, qui in actionibus ſuis fortuna adjuvante ſe operari confidunt, illud dictum eſt : *Audaces juvo* : id quod uſurpatum de Virgilio : *Audaces fortuna juvat.* 16.

Duabus ſtatuis, alteri virtutis, alteri fortunæ,

næ, quæ ſibi invicem obviam procedunt, dictum illud inſcriptum eſt: *Raro conveniunt.* Diſcurritur de fortuna Epicuri. *ibid.*

Item lemma ſequens ab Abbate Ferro fortunæ datum eſt: *Vultus tuus felices & lætos reddit:* alludendo ad faciem Principis placatam. *ibid.*

Contrarium ſenſum ego attuli, dicendo *Serenitati ne credas:* adulatur enim decipiendo promiſſis ſuis. *ibid.*

GERYON.

Hoc monſtrum triceps anſam dedit ſequenti lemmati: *Concordia inſeparabilis.* Ad indicanda bona, quæ ex concordia & unanimitate naſcuntur. 17.

HERCULES.

Hic Heros, qui infans adhuc ſerpentes jugulavit, hanc Epigraphen habet: *Fortes creantur fortibus.* Ex quo intelligitur, quantum interſit, nobili, & generoſa proſapia ortum eſſe. *ibid.*

Ad demonſtrandum quantopere ad gloriam promoveant heroicus labor, & induſtria, fuit, qui huic magnanimo viro dum Hydram mactabat, verba ſequentia ſubſcripſit: *Quo difficilius, & præclarius.* 18.

Eadem de cauſa, ad demonſtrandam intrepiditatem viri fortis, eidem Herculi Æneæ Verſus ſubſcriptus fuit: *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.* *ibid.*

Domini Academici Ferrarienſes dicti *Elevati*, ſub figura Anthei, qui ab Hercule, dum è terra levaretur, ſuperatus fuit, hoc lemma ſtatuerunt: *Superata tellus ſidera donat.* Poterit hæc ſententia Sancto cuidam attribui, qui de tentationibus victor evaſit. *ibid.*

Ad demonſtrandum quod Principes, & magnates plus laboribus ſubjecti ſint, quam qui de plebe ſunt, ſub Hercule portante cælum illud legitur: *Novit paucos ſecura quies.* *ibid.*

Ob renunciationem Regni, quod Carolus V. Imperator in Philippum Secundum tranſtulit, quidam hoc lemma dedit: *Ut quieſcat Atlas:* expoſuerat autem Herculem, qui ſolus mundum portabat. *ibid.*

Herculi in rogo ardenti hæc verba aſſignantur: *Combuſto quod mortale eſt, quod immortale eſt in cælum avolat:* Idea veraciſſima glorioſiſſimi martyris Laurentii. *ibid.*

A Comite Emmanuele Theſauro binæ figuræ erectæ ſunt, una Atlantis, altera Herculis, ad demonſtrandum ad magna negotia opus eſſe, ut humeri robuſti ſint, & valentes, magnum item ingenium, ſuperaddidit Epigraphen: *Magna negocia, magnis adjutoribus indigent.* *ibid.*

Diego Savedra Herculem clave, & reliquis armis ſuis inſtructum exhibuit, ad indicandum ſpolia inimico rapta exacuere militem ad ſtrenuè belligerandum, cui ſubſcriptum fuit: *Fortior ſpoliis.* 19.

Ad demonſtrandum, quod ex ſignis illuſtribus virtus palam fiat, ego quoque Herculem figuravi, in eadem armorum præſentatione, adjuncta declaratione, *Per ſpolia virtus exponitur.* *ibid.*

JANUS.

Ad repræſentandam Ideam hominis Sapientis, quidam figuræ Jani hanc Epigraphen dedit: *Hinc inde.* Magna virtus & prævidere, & providere poſſe. *ibid.*

Huic item illa verba inſcripta: *Recondita pando:* in quo idea datur extremi Judicii. *ibid.*

Eidem figuræ ego ſubſcripſi: *Ubique tutus;* ad indicandum hominem verè prudentem, qui quaquaverſum ſibi provideat, & cavere noverit. *ibid.*

JUSTITIA.

Hæc virtus, qua mundus regitur, figuratur in homine adoleſcente, ſed pleno majeſtate, & decore, qui cum bilance gladium gerit, adjunctâ ſententiâ: *Cuique ſuum:* ad eſſentiam juſtitiæ exprimendam. *ibid.*

Alii ad rectitudinem, & inflexibilitatem ejusdem exprimendam hoc lemma eidem aſsignarunt: *Nullo flectitur obſequio.* Quod munus Judicis præcipuum eſt. *ibid.*

Ego quoque oculis velatis eandem introduxi, ſed cui bilanx, ſimul & gladius de manu labebantur, his verbis ſuperadditis: *Exoculata ruit,* alludendo ad confuſionem, quæ contingit, cum Judicis oculi velati, & obtenebrati ſunt. *ibid.*

ICARUS.

Idea hic eſt hominis elevati, & faſtuoſi, qui nimium robori ſuo fiſus, ſemetipſum præcipitat. Eundem præcipitem quidam repræſentavit, cum lemmate: *Qui nimium ſe elevat, non procul à præcipitio eſt.* *ibid.*

Non abſimilis eſt altera ſententia, quæ huic ruinæ adjungitur: *Gloria pœna major;* alluditur ad præcipitum magnatum: ejusmodi caſus erat primorum parentum, qui cum falſam ſibi divinitatem adſciviſſent: *Cognoverunt ſe eſſe nudos.* *ib.*

Ad condemnandam ambitionem, & faſtum, qui nimium de ſe præſumit, figura Icari expreſſa fuit, cui pennæ decidentes, caſum maturabant; declarabatur lemmate quod ſequitur: *Alæ deſiderio ingenti non correſpondent.* *ibid.*

Reverendiſsimus Abbas Picinellus formans

mans Ideam hominis, qui in finibus mediocritatis commoratur, inter ſpem & metum fluctuans, figuræ Icari hoc monitum ſaluberrimum ſuppoſuit: Quod Phœbus filio Phaëtonti dedit: *Inter utrumque ſecurus.* *ibid.*

IXION.

Super commentum Ixionis, qui ſine intermiſſione rotam ſuam circumvolvit, perpetuo hoc tormento afflictus, quo mundanorum inquietudo indicatur, idem Author Ixionem repræſentavit flammis circumdatum, qui cum ſudore grave inſtrumentum illud rotabat, adjuncto lemmate: *In damnum meum hæc circumgyratio ſempiterna eſt.* 20.

MINERVA & MEDUSA.

Minerva ſapiens horrendo incantatricis Meduſæ capite uſa eſt, ad cujus aſpectum quiſque viventium lapideſcebat: ſubtus hanc figuram, ad demonſtrandam utilitatem, quæ in hoſtili exercitu ex tenore armorum ſumitur, quidam hæc ſubſcripſit: *Terrore & armis:* Emblema viſu dignum. *ibid.*

Sub hujus capitis Idea, quod omnibus pavori erat, omniumque corda in lapides tranſmutabat, omnem ictum inimicorum eludens, magnanimitas generoſi militis exprimitur, cum ſequenti ſententia: *Tela omnia contra.* *ibid.*

Ad ſignificandum, quàm admirabiles effectus, eosdemque perverſos pulchritudo corpori producat, non ſecus ac Meduſæ ſcutum in ſaxa convertens, Abbas Ferrus lemma quod ſequitur impreſſit. *Exanimat viſa.* *ibid.*

In eo, quod Poëtæ commentantur, quamdiu Palladium Trojæ conſervatum fuerit, tamdiu Urbem ſalvam ſtetiſſe, Patrocinium Principum intelligitur: Unde præfatæ urbis incolæ ſub Palladio ſuo hæc verba facere introducuntur: *Servatâ ſervabimur ipſi.* Inventio elegans. 21.

Poterit hæc eadem figura nobis Patrocinium glorioſiſſimæ Virginis Mariæ exprimere. *ibid.*

Quantum arma, quantum valeat ſapientia ad protegendum & defendendum Civitatem, his verbis exprimitur: *Viribus, & ſapientia:* quæ ſubſcripta ſint ſimulacro Minervæ, portantis ſcutum ſupra memoratum. *ibid.*

MORS.

Ad exponendam pervicaciam, & perfidiam cordis obſtinati, ſub mortis imagine hæc Epigraphe à quodam collocata eſt: *Nullo flectitur obſequio.* Videatur cum quanta hic elegantia à S. Bernardo tale cor deſcribatur. *ibid.*

Quomodo mors, quaſi per faſciculos magnatum funera colligat, æque ac plebejorum, his verbis exponitur: *Nemini parco.* Quæ ſententia ad vivum etiam linguam maledicorum exprimit: quod vitium inter cætera maxime deteſtandum. *ibid.*

De Principe non ſeducto, nec paſſionibus in tranſverſum acto, qui pro merito præmia & pœnas diſpenſat, quidam hæc figuravit, exprimens mortem falce armatam in actu ferientis, cum lemmate Horatiano: *Omnia æquat.* *ibid.*

Imagini mortis illud ſubſcriptum legitur: *Simillima ſomno:* ad demonſtrandum quam ſuavis ſit ſanctorum mors, quæ ſomni ſimilitudinem habet. *ibid.*

Ut exprimatur, memoriam mortis vilipendium rerum omnium adducere, quidam ſubtus calvariam horridam, & deformem hæc collocavit: *Cogitanti vileſcunt omnia.* Hoc ſi profundius corda hominum penetraret, utique mundus in meliori eſſet. 22.

PHAETON.

Ut demonſtretur, quantopere profit puniri vitia, & eadem via quâ vitioſus deliquit, quidam Phaëtontem exhibuit de curru ſuo præcipitem, cum lemmate: *Quæ ſpargit, recipit.* Quæ conſideratio magni momenti eſt. 15.

Ut rurſum aurea mediocritas exprimatur, tam orbi neceſſaria, ſub curru, ubi Phaëton ſublimis ſedebat, inſcripta Epigraphe erat: *Medio tutiſſimus.* O quantum in omni occaſione, & actione hoc dictum, & hoc factum obſervatu dignum eſt! 16.

Ad deſcribendum, quàm operoſum ſit currum Principatus & regiminis ſine offenſa conducere, hic idem Phaëton adoleſcentulus rudis & inexpertus repræſentatur, jamjam præcipitandus, cum lemmate: *Ad tam ingens opus invalidus eſt, qui arte caret:* Documentum maximè neceſſarium. *ibid.*

Abbas Ferrus ut juventutem demonſtraret ad gubernacula regni adminiſtranda ineptam eſſe, Phaëtonti hoc lemma ſuppoſuit: *Indomitum equum infans non reget.* Ubi multa præcepta inveniuntur. *ibid.*

Eidem Phaëtonti ad condemnandam nimiam arrogantiam, & reprimendam temeritatem illud ſubſcriptum fuit: *Sæpè præpoſtera audacia damna maxima intulit.* *ibid.*

SILENUS.

Domini Brixienſes, dicti *Occulti*, conſiderando, quot qualeſque virtutes ſub informi Satyrorum & Silenorum figura concludantur, quos antiquitas in tanta veneratione habuit, quippe quæ norat, ſub hac larvata figura virtutem abſconditam ſignificari, illis lemma hoc ſubſcripſerunt, *Intus, non extra.* 22.

SIRENES.

Non arbitror Ideam meliorem fraudum, & deceptionum, quibus pulchritudo, vel forma faciei quandoque amatores ſuos in abrupta trahit, deſignari poſſe, quam Sirenum, de quibus dictum, quod blandimentis ſuis ad interitum perducant: unde & choris ſuis tripudiantibus, & concentu muſicalium inſtrumentorum ſecus navem aliquam cernuntur, cum Epigraphe: *Mortem dabit ipſa voluptas.* ibid.

Sirene Idea mulieris libidinoſæ eſt. Id quod Joan. Orozocus, author Hiſpanus ſequenti inſcriptione expreſſit: *Comple con dar diſguſto ii Amagura.* ibid.

Ad demonſtrandam apparentiam mundanam, Sirene expoſita fuit, à mamillis uſque emergens ex aquis, cum lemmate: *formoſa ſupernè*: ex Horatio deſumpto. ibid.

Sirene navigio vicina, habens cytharam in manu, pro Idea fortis, & floridæ eloquentiæ ſumpta eſt; hæc ei ſubſcriptio juncta erat: *Figit vox una rates.* ibid.

Intrepiditas animi verè generoſi, & virilis, quæ tam decora in viris eſt, monſtrum plenum miraculo in fæminis, repræſentatur in Sirene fluctuanti in maris undis, adjuncto lemmate: *Contemnit tutò* procellas. 23.

Sirene quoq; Idea eſſe poterit allectamenti, quo virtus allicit, depingitur autem cum muſicali inſtrumento in manibus, ſuperaddito lemmate: *Dulcedine capio.* Nulla dulcedo huic comparanda eſt. *ib.*

SISYPHUS.

Hic in pœnam, & ſupplicium ſuum, ad hoc condemnatus eſt, ut in faſtigium montis ingentem petram magno luctamine impellat, quæ deinceps è manibus ejus elapſa, ad novos eum labores cogit. Itaque ad hoc elucidandum, ego calamo meo, quamvis debili, hoc lemma adjunxi: *Culpa omni pondere gravior.* Quæ veritas per plura capita deducitur. *ibid.*

TANTALUS.

Nulla imago eſt, quæ evidentius avaros repræſentat, aſſidentes menſis, quibus ſaturari, & poculis quibus ſitim inexplebilem nequeunt reſtinguere: introducitur autem hæc loqui: *Inopem me copia fecit.* ibid.

Deſeri ab amiciſſimis, cum maximè neceſſitas præ foribus eſt, per menſas Tantali exprimitur, fugientibus cibis, & potu ſemper deſcendente, cum Epigraphe: *Proxima eludunt.* More mundanorum. *ibid.*

Hic mos item fictæ amicitiæ eſt, quam eadem figura deſignat adjuncta ſententia: *Hic inter cibos vitales, ego fame morior.* *ibid.*

TITIUS.

In Titio qui à vulturibus laceratur, curæ & ſollicitudines exprimuntur eorum hominum, qui volucrium nimio ſtudio diſtenti, & inſtruendis caveis occupatiſſimi ſunt. In hac figura vel ſculpta, vel depicta Virgilii dictum exprimitur: *Nec requies ulla.* 24.

Vulnera Titii, quæ quotidie renovantur, plurium literatorum expoſitione, perſonas libidinoſas, & avaras repræſentant: Quæ conſideratio Epigraphen habet: *Nec gula, nec eſca.* *ibid.*

ULYSSES.

De eo, quod antiquitas nobis de hoc viro recenſet, qui videlicet ad Sirenum cantus aures obſtruxit, concluditur, mundanis oblectamentis ſenſus occludendos eſſe: hinc Ulyſſi lemma ſequens junxerunt: *Obſeratis auribus.* 25.

Quantopere à blandimentis doloſæ mulieris fugiendum ſit, Ulyſſes repræſentatus eſt, navigio inſidens, cum Sirenis cantantibus, juncto lemmate: *Surditate ſecurus.* *ibid.*

Subtus figuram Ulyſſis, excæcantis Polyphemum, Abbas Theſaurus Emblematicum applicuit: *Mens una ſapiens plurium vincit manus.* *ibid.*

Ad demonſtrandum quantopere per ſanctam crucem defendamur, ego Ulyſſem exhibui alligatum navigii malo, cum Epigraphe: *Ita ſecurus*: Quo exprimitur, hoc ſubſidio nos à procellis mundanis in ſecuritate futuros. *ibid.*

COM-

COMPENDIUM SYMBOLORUM.

IMago Cæſaris, qui dextra gladium gerit ſiniſtrâ librum, robur armorum, ſimul & literarum demonſtrat, cum inſcriptione: *Ex utroque Cæſar.* 26.

Homo larvatus, quem alius in eandem larvam percutit, demonſtrat, quantopere ſimulata amicitia deteſtanda ſit. *ib.*

Homo, qui gladio focum removet, cum lemmate: *Ignis gladio non fodiendus*, motum iracundiæ repræſentat. *ibid.*

Steteræ ordo non tranſiliendus. Sub figura ſenis, qui bilancem geſtet effractam, indicat modum ubique obſervandum. *ibid.*

Equiti, qui barbaricum equum inſidens ad bravium una cum plurimis properat, idque obtinet, hæc Epigraphe adjuncta eſt: *Solus pro meritis initiatus*, victoriam indicat, quam quis de facinoribus inclytis reportat. *ibid.*

Figura Cæſaris ſtantis, qui folium chartæ repletum *Zeris*, id eſt arithmeticis ſignis qui nihilum indicant, in altera mundum tenens, cum lemmate; *aut Cæſar, aut nihil*: actiones magnanimitate plenas figurat. *ibid.*

Homo, qui piſtillo facem eupatorii herbæ contundit, cum lemmate: *vireſcit vulnere virtus*, indicat, virtutem perſecutionibus refloreſcere. 27.

Homo gladio ſuccinctus, & manum porrigens mendico, qui opem efflagitat, cum his verbis: *Bis dat, qui tempeſtive donat*: beneficium indicat cum promptitudine præſtitum. *ibid.*

Inflexibilitas truculenti animi, & pectoris intractabilis, repræſentatur per hominem ſtantem coram mortis imagine, adjuncto lemmate: *Improbus nullo flectitur obſequio.* *ibid.*

Auceps pugno falconem tenens, à quo non procul abſit volucrum multitudo, quæ demiſſis alis ligno inſideat, capite in terram prono, cum lemmate: *Sic majora cedunt*: obedientiam ſubditorum demonſtrat, aut virtutem, quæ nobilitati præponderat. *ibid.*

Iuſtitia corrupta per hominem repræſentatur, qui cytharam pulſat, ante vas repletum fabis, cum his verbis: *Dorica Muſa.* *ibid.*

Ad demonſtrandum, non veſtimento, ſed operibus comprobari hominem, quidam veſtitus malè repræſentatur, ſed qui perſonam præſeferat ſpectabilem, cum ſententiâ: *Hominem oratio probat, non veſtis.* 28.

Coſtalius hominem repræſentat, qui binas faces fonti admovet, adjungens quod ſequitur: *In ſibi præſidentes*: condemnans in hoc agendi temeritatem. *ibid.*

Sadlerus item hominem æri inſculpſit, qui dextra bilancem, ſiniſtrâ cornucopiæ gerebat, illud ſubſcribens: *Bona ſpes*; his declarans juſtitiæ & pacis bona. *ibid.*

Ad indicandum, quomodo quæq; res juſte menſuranda ſit, Coſtalius hominem finxit, qui dextrâ bilancem geſtat, cum lemmate: *Nil virtute melius, nil præſtantius.* *ibid.*

Homo in terra ſedens, & manum libro imponens, cui conjunctum ſit cornucopiæ, & falx cum lemmate: *Conſilium*: robur & virtutem conſilii denotat. *ibid.*

Achilles Bocchius, ut prudentiæ utilitatem ob oculos poneret, funambulonem repræſentavit, qui pertica tanquam regula libratus in fune ſaltabat, adjuncta Epigraphe: *Tenere medium ſemper eſt prudentiæ.* *ibid.*

Sadlerus in honorem Caroli Borbonii Noni Magni Navarræ Regis, hominem delineavit, portantem dextra gladium, altera manu palmam cum inſcriptione: *requies hæc certa laborum.* *ibid.*

Idem Sadlerus Carolo Nono Valeſio vigeſimo Sexto Regi Franciæ applauſum alium dedit: imaginem hominis ſculpſit, tenentis dextra binas columnas, ſiniſtrâ haſtam, ſubſcribens hæc: *Mira fides lapſas relevet manus una columnas*, alludens ad Regis fortitudinem, & fidem. *ibid.*

Moderatio Principis, intelligitur in figura item Principis, qui brachio ſuo oviculam geſtat, & cum moderatione lanam ei tondet, cum lemmate: *Moderatio in ſubditos.* *ibid.*

Diſcretio item in exigendis tributis, repræſentatur in homine, qui de mortuo neſcio quid tollere ſatagit, cum inſcriptione: *Moderatio in vectigalibus.* *ibid.*

ARGUTIÆ SYMBOLICÆ.

Inſenſata brutalitas, & turpitudo laſcivi hominis, repræſentatur in homine, qui porcæ cuidam in aurem loqui videtur. 29.

Operis cujuſdam impoſſibilitas demonſtratur per hominem, qui in aures lupi ſuſurrare aliquid intendit. *ibid.*

Spes rerum futurarum, in ovo gallinaceo figuratur, quod quidam manu tenet, dum pullus excluditur. *ibid.*

Opportunitas rerum futurarum in homine qui ſerpentem pelle veteri exuit. *ibid.*

Alexander M. armatus fulmine, apparet, quò fortitudo ejus demonſtratur; quanquam

quam

quam Lyſippus eum modeſtius haſta armatum depinxerit, quàm Apelles, qui Jovis, vel Dei formam illi attribuit. *ibid.*

Labor aſſiduus exprimitur in homine fodiente terram. *ibid.*

Ad indicandum Judicem venalem, homo monoculus prodit. *ibid.*

Figura hominis, qui dentibus nuces confringit, cultello autem panem ſecat, pravam conſuetudinem indicat. *ibid.*

Homo in flumen jaciens fruſtum ligni quercini, demonſtrat: cuncta ſecundum naturam rerum accommodanda eſſe. *ibid.*

Amicus ſimulatus, cujus facta dictis non correſpondent, figuratur in homine, qui ſe in ſpeculo intuetur, cui fundamentum plumbi, vel *folium* (prout nominatur) deeſt. *ibid.*

Belli Dux quem Lictor præcedit, truncans caput ſcelerato, indicat rigorem militarem. *ibid.*

Mors Crœſi figurata eſt in hominibus quibuſdam, qui monetas quaſdam aureas, in os mortui jacere videntur. *ibid.*

Ad monſtrandum quantæ vanitatis ſit ludis & jocis intendere, plures hominum repræſentantur, qui pila ludunt. *ibid.*

Quidam hominum veſtiti paludamentis Judicum, in quorum medio puer apparet, pampinis redimitus, demonſtrant quanta corruptio ſit in vinolento Judice. 30.

Iidem homines pari modo veſtiti, quibus multitudo luporum circa pedes ſit, ſignificat quantopere paſſionibus integritas judicis ac rectitudine moveatur. *ibid.*

Imago mulieris, quæ ſpongiam premit, repletam aqua, indicat, fiſcum in mulctando non debere avaritiæ ſtudio impelli. *ibid.*

Ad demonſtrandam item amicitiam fucatam, & vanam, duo Juvenes demonſtrantur, qui invicem manu dextra ſibi panem porrigunt, ſiniſtra petras geſtando. *ibid.*

Aſpectus hominis, qui ſub terra tegat, dum alter ciſtæ includit, benignitatem & clementiam repræſentat. *ibid.*

Figura militis abjicientis gladium, villici ligonem, Mercatoris argentum, demonſtrat, quàm nemo ſorte ſua contentus ſit. *ibid.*

Quidam in cote cultrum acuens, duo item qui cadaver ſpectant, ſapientiam demonſtrant, quæ ignorantiam detegit.

Sagittæ, & tela ab arcu emiſſa acumen orationis indicant. *ibid.*

Symbola nunquam ſine lemmate ſunt. *ibid.*

Serpens ſimul & Taurus, uterque ad pedes hominis vigilans, ſignificant induſtria & labore indefeſſo cuncta ſuperari. *ibid.*

Tempus, prout ſolet, depictum cum falce, alis, & clepſydra, demonſtrat, quantopere virtus ipſum tempus exuperet. *ibid.*

Vetulus qui Juveni ſpeculum præbet, demonſtrat, virtutis pulchritudinem ſpectandam eſſe. 31.

Imago Lucretiæ, ſemetipſam occidentis, zelotypiam inter coniugatos indicat. *ibid.*

Otium vel ſocordia in figura hominis ſoporati, & alterius ſeminudi, cumbentis humi, item in figura mulieris macilentæ repræſentantur. *ibid.*

Judex in tribunali ſedens, qui digito ſibi aurem obturat, alteram manum porrigens Clienti ſuo, rectitudinem ejuſdem exprimit. *ibid.*

Bini homines, quorum unus ferro indutus, alter auro, demonſtrant, quàm ſæpè auro pax redimatur. *ibid.*

Navigium in medio mari, depictum cum multitudine hominum, quorum quidam evadunt, quidam ſubmerguntur, ſtatum Eccleſiæ demonſtrat, ejuſdemq; perſecutiones præteritas. *ibid.*

Ad demonſtrandum, quantum in poteſtate ſit Principis ſublevare, aut opprimere ſubditos ſuos, Mercurius demonſtratur, qui jacenti in litore caduceum porrigit. *ibid.*

COMPENDIUM HIEROGLYPHICORUM.

ÆGyptiorum natio olim ſtudioſiſſima Hieroglyphicorum erat; in qua ſcientia & Moyſes inſtitutus fuit. In hac item forma prophetæ olim & virtutes, & vitia & paſſiones hominum figurabant. Inventores primi Hieroglyphicorum fuiſſe feruntur Teurus, & Taantus. Hæc lectio conſiderabilis admodum eſt. 32.

Figura hominis, ſibi ungues dentibus rodentis, Hieroglyphicum eſt animi ſpeculativi. *ibid.*

Firmitas & conſtantia per hominem figuratur, in terram intuentem, qui firmiter & immotus pedibus ſuis innititur. *ibid.*

Vera idea cordis, cum devotione demiſſi figuratur in homine genuflexo. *ibid.*

Bini milites ferro invicem ad ultimam uſque ſanguinis effuſionem dimicantes vilipendium mortis denotant. 33.

Simulacrum Mercurii coram homine qui ſago veſtitus ſit, vel togâ doctorali, barba prolixa, crine caneſcente, fortitudinem indicat, conjunctam ſapientiæ. *ibid.*

Dignitas præceptoris ſapientis, in figura Promethei exhibetur, Qui facem à ſole furto aufert, qua ſtatuam animat. *ibid.*

Quare Prometheus inventor ignis dicatur. *ibid.*

Hercules ſpoliis onuſtus leonis, in medio ſpoliorum obtentorum, demonſtrat quantopere *labor omnia vincit.* *ibid.*

Impietas aperta in figura hominis exprimitur, compoſito membris inæqualibus, & malè ordinatis. *ibid.*

Imago hominis dextra panem porrigentis qui ſiniſtra ſaxum abſcondit, hominem proditorem indicat. 34.

Injuſtitia vel infamia per hominem figurantur, qui urnam bajulat in capite, aut vas aliquod diverſis in locis perforatum. *ibid.*

Indumenta Comici, qui in ſcena varietatem plurium perſonarum repræſentat, fictionem Hypocriſis, & mendacium ſignificant. *ibid.*

Venenata iracundiæ paſſio per hominem depingitur, qui cataſtæ aut ſtrui lignorum, ignem admovere vel injicere videtur. *ibid.*

Imago hominis ſibi cultro ferire frontem minitantis verus typus iraſcentis eſt. *ibid.*

Figura curioſi exprimitur in homine, qui onus bajulat, quod diſcooperire intendit, ſed rurſum timore præpeditur. *ibid.*

Marſias contendens cum Apolline, ob oculos nobis collocat hominem ſtultè obſtinatum, & indiſcretè litigantem, qui quamvis errare ſe agnoſcat, præpoſtera tamen pervicacia eum, qui rectè ſentit, injuſto litigio perſequitur. *ibid.*

Inſigne Alcibiadis eſt, Cupido confringens fulmen; eſt autem imago imprudentiæ. *ibid.*

Imbellis miles, ejuſque mollities in muliere repræſentatur, quæ coram filio ſuo anteriora veſtimenta levat. Figura admodum nervoſa, ſed parum honeſta. 35.

Loquacitas, ſimul & fatuitas repræſentatur per hominem, cui multum aures ſupereminent, & longa ſunt. *ibid.*

Sirene ſpecioſiſſimo vultu, ſed à pectore deorſum verſus in piſcem deſinens, turpitudinem culpæ indicat, ejuſdemque remorſum, vel pœnitudinem. *ibid.*

Effæminata diſſolutio exprimitur per hominem, qui digito videtur ſibi caput pruriens ſcalpere, aut verò per hominem ſe pectentem. *ibid.*

Velocitas temporis in ſeniculo devorante proprios filios exprimitur: imò & ejusdem Voracitas in conſumendis ſæculis, & monumentis. *ibid.*

Homo volens lunam de terra auferre, perpetuitatem rerum indicat. *ibid.*

Adminiſtratio œconomica rei familiaris, & domeſtica cura, in homine exprimitur, qui in fronte ſimul & occipitio oculatus eſt. 36.

Filius illegitimus, vel ſpurius, figuratur in puero, qui lapillos jacit, in multitudinem virorum. *ibid.*

Elegans Hieroglyphicum mulieris continentis, & fidelis imago eſt Veneris, calcantis in veſtibulo domus ſuæ teſtudinem. *ibid.*

Figura hominis alteri dexteram porrigentis, hominem indicat in conflictu juſti prælii ſuperatum. *ibid.*

Vultus ſemper ſeverus lanionis, qui in actione ſtet occidendarum ovium ſicarium illum ſignificat, qui intuitu lucri, homicidiis faciendis invigilat. *ibid.*

Integritas incorrupti judicis repræſentatur in Imagine Apollinis, qui in dextra Gratias portat, in ſiniſtra arcum & ſagittas. *ibid.*

Mercurius proximus gallo gallinaceo, Negotiatorem, vel Mercatorem denotat, cauſam vide. *ibid.*

Vultus Narciſſi ſe in fonte ſpeculantis Hieroglyphicum eſt repræſentans ſtatum hominis, ad culmen infelicitatis evecti. *ibid.*

Vulgatum Hieroglyphicum fortunæ eſt fæmina cæca, cum alis à tergo, quæ videtur in actu volantis eſſe. 37.

Ad ſignificandum intellectum, qui oculis videri nequit, Figura adoleſcentis exhibetur, qui ſupra caput vexillum portat, aut ſignum, quod continuis motibus agitatur. *ibid.*

Homo dextra ſua ſcyphum portans, ſiniſtrâ ſpicam, & papaver, indicium proſperi in negotiis eventus eſt. *ibid.*

Exitus infelix per hominem exprimitur qui digito pedis ſibi genu alterius pedis contingit. *ibid.*

Matrona aſpectus gravis, quæ cubum una manu gerit, altera frænum, ſignificat in omni vitæ noſtræ genere moderationem ſemper colendam. *ibid.*

Affectus utilitatis, & honeſtatis in tribus perſonis exponuntur: in muliere, quæ fingit virum auferre, altera

ab eodem fugiente, & ſignum faciente fugæ hujus. *ibid.*

Italia in Imagine perſonæ gravis, & decoræ figuratur, quæ ſumptuoſum diadema gerit in capite, ſceptrum aureum dextra regens, in ſiniſtra cornucopiæ repletum floribus, & fructibus, una cum aliis figuris ſymbolicis. *ibid.*

De Authoribus variis, qui de Hieroglyphicis ſcripſerunt, lectio curioſa & utilis. *ibid.*

COMPENDIUM EMBLEMATUM.

UTilis, elegans, & neceſſaria doctrina emblematum eſt, quæ virtutem commendant, vitium deteſtantur. Cum adagiis, ſententiis, ænigmatibus, ſymbolis, in quo conveniant, in quo rurſum diſtinguantur. Alciatus in his eruditiſſimus Auctor; ſicut & Comes Emanuel Theſaurus. Ornamenta ſunt parietum, & vaſorum: De authoribus eorundem primis: Reprehenſio Marci Tullii in hac materia. Vocantur ornamenta exemptionis: horum definitio, & qualitas. Quod Emblemata in omni genere dictionis, & alibi locum habeant. Vide fol. 44.

Ad exprimendam celeritatem cum maturitate, Delphinus ſuper anchoram repræſentatur. *ibid.*

Quidam infantes, qui ob nuces, & quisquilias inutiles in diſſenſionem labuntur, cum inſcriptione: *Semper pueri*: litigia figurant, quæ in rebus nihili exurgunt. 45.

Puer nudus tenens gladium evaginatum in actu feriendi, cum lemmate: *Vix temerè ante tempus venit ſapientia* malum regimen Juventutis indicat. *ibid.*

Adoleſcens alatus de cœlo ruens, cum Epigraphe: *Altum ſapere periculoſum*: figura eſt hominis, prætendentis quæ impoſſibilia ſunt. *ibid.*

Ut demonſtretur quantopere ſalubris ſit mediocritas, fingitur Juvenculus, de arbore labens, cum lemmate: *Medio tutiſſimus ibis.* *ibid.*

Eadem figura eſt in funambulone. *ibid.*

Figura adoleſcentis, cui à latere dextro ſimulacrum virtutis ſedet, à ſiniſtro voluptatis, cum Epigraphe: *Lubricum Juventutis*: docet virtutem ſectandam, voluptatem evitandam. *ibid.*

Juvenis manum levans, qua quid videatur de fortunæ arbore tollere, cum inſcriptione: *Nihil ignavis votis*: denotat quemque fortunæ ſuæ fabrum eſſe. 46.

Caducus & fragilis ſtatus hominum, per imaginem colligentis ſub arbore poma quædam, cum inſcriptione: *Homo pomo ſimilis*, repræſentatur. *ibid.*

Amor meretricius ſub figura hominis egeni monſtratur, cujus collum dipſade cinctum eſt, cum his verbis: *In amatores meretricum.* *ibid.*

Apud doctiſſimum Camerarium Lucius piſcis invenitur, qui propriam prolem ſuam devorat, adjuncto lemmate: *Propriis non parcit alumnis*: crudelitatem homicidarum repræſentans. *ibid.*

Cum virtus in omni loco, & omni tempore applauſum ſuum mereatur, figuratur hoc ipſum in homine, triumphali curru vecto, cum inſcriptione: *Honor debitus viro docto.* *ibid.*

Quantæ utilitatis frequens ſit memoria mortis, in Juvene monſtratur, qui pro cervicali calvariæ incumbit; cujus item expoſitio ſequentibus verbis indicatur: *Vive memor Lethi.* *ibid.*

Figura peccatoris eſt homo inſidens puteo, cui ſupra caput gladius evaginatus imminet, quinque gladii ad latus ſunt, adjunctâ ſententiâ: *Hominis peccantis ſymbolum.* 47.

Tyrannus ejuſque infelicitas, demonſtratur hiſtoriâ Demadis, cui ſupra caput gladius filo tenui appenſus cernitur, aſſidentis ad opiparam menſam, cum lemmate: *Miſerrima tyrannorum vita.* *ibid.*

Utilitas maturæ conſiderationis, qua quis cuncta judicio ponderat, per imaginem repræſentatur hominis, piſcantis in igne: cum ſignificatione: *Moroſis cedendum.* *ibid.*

Ad ſignificandum quantopere veritas & doctrina operoſæ in indagine ſua ſint, exponitur homo, qui in puteo piſcatur, cui adſcribitur: *Veritas in puteum demerſa.* O quàm hoc verum eſt. *ibid.*

Experientia artis quantum proſit, & exaltet naturam, demonſtratur in homine, qui arborem inoculat, cum lemmate: *Ars naturam adjuvans.* *ibid.*

Ad denotandum, quod durities hominum, ab ipſis adeo inſenſibilibus plantis vincitur, homo depingitur, qui corticem arboris diſſecat, de qua ſciſſura balſamum effluit. *ibid.*

Educatio liberorum per hominem figuratur, qui quercum radicitus evellere intendit, adjunctâ ſententiâ: *à teneris aſſueſcendum.* *ibid.*

Judex incorruptus per hominem figuratur, qui menſura Lesbia ſaxum quoddam menſurat, cum inſcriptione: *Bonus Judex.* 48.

Inuti-

Inutilis ſudor fumigoſorum Alchimiſtarum exprimitur per hominem macilentum, qui folle in flammas inſufflat, cum lemmate: *In Alchimiſtas.* *ibid.*

Fragilitas humanæ vitæ demonſtratur per hominem, cuſtodientem fœni maſſam, cum ſequenti Epigraphe: *Sic omnis caro:* *ibid.*

Imago hominis contemplantis ſolem cum ſententiâ: *In Deo lætandum;* utilitatem medicationis indicat. *ibid.*

Ad demonſtrandam libertatem, annulus exhibetur includens digitum, qui digitus à manu ſeparatus ſit, cum lemmate: *Libertas.* *ibid.*

Pictura ſenis, qui ſcyphum abjicit, & adoleſcens cava manu de fonte bibens, cum ſententia ſequenti: *Sapiens ſupervacanea bona negligit:* denotat quod ſuperfluum eſt, negligendum eſſe. *ibid.*

Acquiſitio perfectionis doctrinarum, quàm difficilis ſit, his verbis indicatur: *Multa multum legenda*; idque exponitur per Mercurium in circulo ſtantem. *ibid.*

Inſatiabile ſciendi deſiderium in ſerie repræſentatur, qui abecedarium doceri videtur, adjunctis verbis: *Omnium rerum ſatietas præterquam diſciplinæ.* *ibid.*

Conſimile hoc eſt illi alteri, ubi ſenex repræſentatur, decumbens ad labium fontis, qui ad radicem montis ſituatus eſt, cum lemmate: *Dii laboribus omnia vendunt.* 49.

Difficultas futura contingentia ſciendi per hominem ætate gravem demonſtratur, qui capite diſcooperto ſtans â teſtudine decidente vulneratur, & moritur. Tractum de hiſtoria Æſchylis. *ibid.*

Ad docendum, quod labore concupiſcentia vincatur, figurata imago eſt Dianæ venatricis cum inſcriptione: *Labor amoris domitor*: hic ratiocinatio eſt contra otium. *ibid.*

Pudor matrimonialis repræſentatur per imaginem Veneris, ſed quæ capite cooperto ſit, ſedens, multiſque ligaminibus vincta. *ibid.*

Caput apertum ſuper ſceleton humanum, quod caput denudatum & corona regali redimitum ſit, regens ſceptrum manu, cum lemmate: *Vivitur ingenio*: demonſtrat ſapientem vivere debere ingenio. *ibid.*

Advocatus avarus in ſtatua humana repræſentatur, quæ ſupra columnam poſita radiis ſolaribus percutitur, cum Epigraphe: *in advocatos.* *ibid.*

Imago Deucalionis, & Pyrrhæ, qui ambo ſaxa poſt tergum ſuum jaciunt, cum lemmate: *Mille hominum ſpecies*, humani arbitrii libertatem indicat. 50.

Deformitas vitii repræſentatur in hominibus plurimis aſſidentibus menſæ, in cubiculo, ubi latrina eſt. *ibid.*

Ad exprimendum, quod ſæpe virtus à vitio ſuperetur, homo figuratur regali paludamento indutus, & corona decoratus, ſed qui ſceptri loco fuſum manu gerat, cum inſcriptione: *Miſera ſervitus, ſervire voluptati.* *ibid.*

Utilitas, & commoda divitiarum repræſentantur in homine ſedente in throno, circumdato ſervis quatuor qui fructus ei, & flores, & veſtimenta & dona miniſtrant, cum lemmate: *Divitibus tempus omne commodum.* *ibid.*

A Deo, non niſi, quod juſtum eſt, peti debet. Ad hoc repræſentandum Principis figura ſtatuitur, ſedentis in throno cum fulmine in dextra, ſed cui aquila ad pedes eſt. Alii juſtitiam à dextra collocant, quæ bilancem teneat. *ibid.*

Salutare præceptum hoc (quod nimirum tempus etiam quæ difficillima ſunt accommodet) in duabus figuris repræſentatur; quarum una caudam equinam integram apprehendit, volens eam evellere, altera pilum poſt pilum trahit; cui inſcribitur: *Exemplum ſapientis, & ſtulti.* *ibid.*

Homo cui pedes lana involuti ſunt, & fulmen in ſiniſtra, juſtitiam divinam indicat, tanto ſeveriorem, quanto lentiorem, cum Epigraphe: *Vindicta divina.* *ibid.*

Imagines Heracliti plangentis, & Democriti ridentis cum lemmate: *In vitam humanam*: viciſſitudinem & mutabilitatem ejusdem exprimunt. 51.

EMBLEMATA COMITIS THESAURI.

Actæon devoratus à canibus ſuis, cum inſcriptione: *Quos pavit pavet.* Servorum perfidiam erga dominos ſuos figurat. *ibid.*

Equus ſine fræno ad præcipitium decurrens, cum lemmate: *Quod præpes præceps*: indicat nimiam celeritatem in negociis damnoſam eſſe. *ibid.*

Pygmæi qui Herculem captivum ducere intendunt, cum ſoporatus eſt, cum epigraphe: *volunt, non valent*: Demonſtrant cum potentibus certandum non eſſe. *ibid.*

Homo inemendabilis, & incorrigibilis figuratur in Æthiope loto. *ibid.*

Niobe videns ſibi filios mactari cum epigraphe: *Ubi crimen ibi diſcrimen*; errorem & litigium figurat. *ibid.*

Nimiam ſui curam negligendam eſſe figuratur in Narciſſo, qui ſui ipſius amore ille-

 ctus

ctus ſemetipſum demerſit, cum ſententia: *Se perdit, qui ſe quærit.* ibid.

Invidia exprimitur in Furia, quæ cor ſuum manducat, cum inſcriptione: *Carpit & carpitur unà.* ibid.

Tantalus in medio aquarum cum lemmatè: *Affluunt, ſed effluunt*: Idea eſt voluptatis mundanæ. ibid.

Ariſtippus compedibus aureis vinctus, adjunctâ ſententiâ: *Ditior, ſed impeditior*: imago eſt aulicorum. ibid.

Facundia indicatur in imagine Herculis, de cujus ore catenulæ prodeunt, quæ populum trahunt, cum ſequenti ſenſu: *Sua vi*, hoc eſt *ſuavi.* ibid.

Æneas adoleſcens portans patrem ſenem, cum inſcriptione: *Hic regit, ille dirigit*: demonſtrat quantum valeat conſilium ſenum, & fortitudo Juvenum. ibid.

Bellerophon ſuper equum alatum, occidens Chimæram, cum epigraphe: *Vis & virtus*: magnas Principis vires exprimit, ad deprimendos inferiores. 52.

Ganymedes ab aquila in cælum portatus, cum canibus in vanum latrantibus, denotat, quod invidia non noceat, quamvis obſtrepat. ibid.

Phaëton de cælo præceps, malum regimen denotat, cum lemmate: *Incendit, quocumque incedit.* ibid.

Meretrices in Sirenibus figurantur, quæ navigantes invitant, cum ſequentibus verbis: *Vorant, quos vocant.* ibid.

Circe maga, quæ viatores potat, ut in belluas convertantur, cum exprimit, qui in dandis beneficiis vel gratiis occidit & perdit; cui lemma adjunctum: *In beneficio veneficium.* ibid.

Videantur & aliæ inventiones ejusdem elevatiſſimi ingenii, Comitis Theſauri. ibid.

COMPENDIUM SIMULACRORUM.

SCulptura ars tam nobilis, originem à Deo, Protoplaſte ſumpſit. Phidias egregius ſculptor laudatur. Sculptura picturæ præfertur, quippe quæ injuriis temporum melius reſiſtit. Sculptorem magni ingenii eſſe oportet, multa præconcipere mente, antequam opus ipſum moliatur. Laudatur hic Cartarus in imaginibus falſorum deorum. 58.

Deus Creator olim expreſſus erat per hominem veſtitum cæruleo colore, cum circulo ſtellis ornato, cum ſceptro in dextra, & penna in ſiniſtra: ex ore ejus ovum prodibat, de quo infantulus excludebatur. 59.

Item infans figurabatur ſedens in ſemper viridanti arbore: item homo triplici facie. ibid.

SATURNUS.

Repræſentatus fuit in ſene diſcooperto capite, qui dextra falcem regebat, volumen in ſiniſtra, cui quatuor pueri ſecus pedes jacebant. Rurſum figurabatur in vetulo ſeminudo, cum figura ſerpentis in dextra, per modum circuli: caput ei panno viridi coopertum erat: videbatur autem lento pede incedere. Alii eum cum ſerpente pinxerunt, qui tempora ei circumdabat, unà cum capite apri, & leonis in ſiniſtra, aliaque inſuper huc pertinentia *vide folio eodem.*

JUPITER.

Tot ejus figuræ ſunt, ut cunctæ explicari nequeant, quædam nihilominus adducentur. ibid.

Demonſtrabatur in homine nudo ad ventrem uſque. Regebat in ſiniſtra ſceptrum, in dextra aquilam. Item per Principem ſedentem in throno, cui in dextra fulmen erat, in levâ haſta, dicebatur autem Jupiter Ultor. Mittitur & pellis caprina ad ſiniſtram. Demonſtratur item in homine, qui manum mittit ad gladium, volens Jovi caput ſecare, quæ imago tamen Palladis, aut Sapientiæ eſt. ibid.

Elei eum adorabant ſub figura hominis fabricati ex auro, & ebore, collocati in ſede regia, & corona olivæ redimiti, cum imagine victoriæ in dextra, & ſceptro in ſiniſtra, quod in ſummitate ſua aquilam habebat. ibid.

Leontini eum repræſentarunt cum aquila in dextra, & lancea in ſiniſtra. Arcades per juvenem nudum, cum patera in ſiniſtra, tyrſo in dextra, cui aquila in ſummitate, & qui pampinis coronatus erat. ibid.

Cretenſes eum auribus privatum exhibebant. Econtra Lacedæmonii aures ei quatuor dabant; quidam avem adjungebant in dextra, fulmen in ſiniſtra. ibid.

APOLLO vel SOL.

Significatur in Juvene elegantis formæ, capillis aureis, pallio purpureo, & deaurato, dextrâ ſcutum tenens, facem ſiniſtrâ. Achæi eum figurabant per hominem nudum, calceatis pedibus, prementem calvariam bovis. Lacedæmonii eum adorabant quadrimanum, quatuor item auribus dotatum. Erat illic effigies galeata, triginta cubitis alta, proviſa arcu, & haſta; videbatur autem transfigere lacertam. Spectabatur item vultu dimidia ſui parte hirſuto, dimidia raſo. Rurſum in homine nudo: Denique ſupra petram quadratam, quæ caput leonis monſtret, cum cornu bovino in utraque manu: quæ figurarum varietas ſolis effectus demonſtrat. 60.

DIANA vel LUNA.

Terno vultu depingitur, quia & nomen ei tripertitum eſt. Figuratur & in homine ſene, cui caput Niſi ſit. ibid.

Alibi caput ei arietinum eſt. Hanc quoque Geryon figuravit. ibid.

MERCURIUS.

Dicitur cauſa agens, anima informans univerſitatem. Figuratur in Juvene, qui pileum alatum portat, habens talaria in pedibus, in manu caduceum. Inventor eſt ſcientiarum, & artium liberalium. ibid.

MARS.

Homo armis ſonorus formatur, qui ferociter haſtam dextrâ quatit, ſiniſtra flagellum vibrans: qui quandoq; ut eques, quandoque ut pedes apparet: quandoque etiam curru veſtitur præcurrente fama. 61.

AMOR.

Dominator Cœli, & mundi; depingitur ut puerulus nudus, pedibus alatis, curru aureo ſublimis; cui fax ardens in dextra arcus eſt in ſiniſtra: ad pedes ejus gladius evaginatus cernitur, circa eum turba ingens hominum (in qua binæ fœminæ obſervantur, una candida, altera nigra) cum velamine ſuper oculos. ibid.

Rurſum alatus monſtratur, cum binis clavibus in manu, ſicut & lyra. Bini amores ſunt, Eros, & Anteros, quem poſteriorem illa anterior vincit. Poterit hoc ad amorem reciprocum referri. Viſus etiam eſt in forma extinguentis facem. ibid.

BACCHUS.

Repræſentatur in imagine pueri nudi, ſedentis ſupra ſaxum, & racemum uvæ manu prementis. In alia item forma hominis habentis barbam prolixam, veſtiti pallio oblongo, & jacentis in antro redimiti pampinis, & pateram porrigentis. Figuratur item cum pelle tygridis in ſiniſtra: Item ut adoleſcens imberbis hedera coronatus, cum ſcutica in manu dextra, & papaveribus quibuſdam in læva ſubtus pulpitum, pampinis redimitus, tympanum pulſans. 62.

Nymphæ eum dicuntur ſociare. ibid.

NEPTUNUS.

Demonſtratur per hominem capillis cæruleis, cum tridente in manu, cum tuba marina, ſtans ſupra concham, equis marinis protractus. Cernitur item imago ejus nuda, cum cincturis tribus in dextra, & panno ab humeris pendente. Alii eum in præfata forma exhibuerunt, ſed pede uno proram navis prementem cum Delphino in dextra, & tridente in ſiniſtra; qui algam calcat, ſecum fœminam ſedentem habet, Amphitritem nomine. ibid.

Alia item forma hominis, cum capillis apio paluſtri ſimilibus, cooperti ſquammis: cui oculi colore ſubviridi ſunt, qui circa ventrem alas, aut pennas portat: parte inferiori in piſcem degenerans Tritonem ſocium Neptuni figurat. ibid.

Pictura item hominis cani, prolixæ barbæ, cui capilli circa humeros ſparſi ſunt, ſuperciliis hiſpidis, & ſe invicem tangentibus, cui pectus totum viridanti muſco coopertum eſt, Glaucum Tritonis ſocium figurat. ibid.

ÆSCULAPIUS.

Figuratur per Juvenem, veſtitum pallio, cum fructu pini in dextra, baculo & ſerpente in ſiniſtra. Demonſtratur item in forma adoleſcentis qui ſiniſtra limbum veſtimenti variis fructibus repletum portat, in dextra binos gallos. Alii ſimulacrum depingunt hominis, ſpiſſiſſimæ barbæ, cum capillo in capite, veſtiti pallio, qui in dextra infantulam alatam gerit, in ſiniſtra baculum cui ſerpens innexus, cum gallina item, & noctua. Alii eum barbatum formant, cum aliis item utenſilibus, quibus medicinæ utilitas exprimitur. ibid.

PAN.

Per hunc harmonia mundi ſignificatur: figurabatur autem olim in imagine cui luna è vicinio erat, & flagellum in ſiniſtra. 63.

Effigies ejus eſt homo cornutus, coronatus corona pinea, coopertus pelle pardorum, cum lyra in dextra, fiſtula autem cannarum ſeptem in ſiniſtra: à medietate deorſum verſus in modum capri figuratur, coopertus villis: varia, & curioſa ejus ſignificata ſunt. ibid.

JANUS.

Homo biceps, quandoque quadriceps eſt: plura de hoc quære *ibid.*

CANOPUS.

Demonſtrabatur per hominem pinguem, & quaſi totum rotundum, cum collo obliquo, & tibiis breviſſimis. *ibid.*

Alii eum exhibent in figura pueri, capite operto, cum auribus prælongis, manibus, & brachiis inordinate motis: in dextra A. literam gerit, in ſiniſtra falcem. *ibid.*

HARPOCRATES.

Deus ſilentii eſt, repræſentatur in forma pueri, imponentis ori ſuo digitum, ſedentis ſupra baſem circularem, qui in humero ſiniſtro pharetram repletam ſagittis geſtat, in capite aures aſininas: cujus ſignificationes vide fol. *eodem.*

ANGERONA.

Dea ſilentii eſt, monſtrata ore clauſo: cui vicinum erat ſimulacrum Volupiæ, quam credebant præſentia ſuâ fugare dolores & afflictiones. 64.

SILENTIUM.

Juvenis eſt imberbis, nudus, cum digito ori applicato, coopertus pelle lupina, cum pileo in capite, cui penè infinitæ aures ſunt: videantur ejus ſignificata fol. *eodem.*

HERCULES.

Non tam pauca de hoc dici poſſunt, quin folium impleatur. Reſtringar autem ut poſſum, cum hic non niſi compendium formandum ſit. Ejus figuras huc collocabo, hoc eſt, eas, quæ præcipuæ ſunt: Inter quas homo nudus eſt, qui in dextra trophæum tenet, veſtitus pelle leonis, cum corona populea, laurum tenens in ſiniſtra. Alii eum exhibent dextra binos boves ſtimulantem, ſiniſtra clavam geſtantem. Alii in figura hominis robuſti, qui adoleſcentem nudum percutit, qui ei phialam præſentat. Alii eum vicinum tripodi ſtatuunt, juvenem ſine barba, cui tres fæminarum imagines vicinæ collocatæ ſunt. Alii rurſum eum figurant in viro de cujus ore catenæ aureæ egrediuntur, quibus populi multitudinem vincit, retrahit; qui præter hæc Herculem deſiderant in medio duodecim triumphorum ſtantem videre, doctiſſimum Alciatum conſulant in Emblemate intitulato: *Duodecim certamina Herculis. ibid.*

VULCANUS.

Fingitur inter Cyclopes, claudo pede, fumigoſus, & luridus in officina ſua fabrili: Demonſtratur item facie canina, cum caduceo in ſiniſtra, & ramo viridi in dextra, vocatus Anubis latrans. Alii eum in forma exhibent ſenis incurvati, pallidi, ore aperto, qui baculo terram percutiat. Videantur horum ſignificationes, & Iconiſmi fol. *eod.*

COMUS.

Numen lætitiæ, Juvenis facie rubicunda, coronatus floribus, cum face in dextra, & haſta in ſiniſtra, cui videatur cythara labi è manibus, & qui fiſſuram portæ cujuſdam obſervet. *ibid.*

OCCASIO.

Exhibetur in Juvene nudo, capillis oblongis circa frontem, & talariis circa pedes. 65.

GENIUS.

Depingitur, ut puer veſtitus pallio verſicolori, ornato ſtellis, qui dextra videatur cornucopiæ geſtare. Figuratur item ut adoleſcentulus, cum funiculo in ſiniſtra, & phiala in dextra, quam liquore plenam ſuper altare quoddam effundat, repletum floribus. Genius malus indicabatur per hominem ſubfuſcum, aſpectu horribilem, veſtitum pelle lupina. *ibid.*

PENATES.

Bini homines armati pilo & haſta. *ibid.*

LARES.

Bini adoleſcentes, veſtiti pelle canina, cum figura canum ad pedes, induti pannos, qui ſubtus axillam dextram in faſcem colligantur. *ibid.*

FOEMINÆ EXPRESSÆ IN SIMULACRIS.

Secus altare Minervæ in Capitolio tres fœminæ genuflexæ cernebantur, nominatæ Niſides, aſſiſtrices parturientium. *ibid.*

Minerva item in forma mulieris repræſentatur, haſta armatæ, & caſſide tectæ, cui Gorgones ſecus pedes ſint, ante eandem noctua. *ibid.*

VENUS.

Mulier decora vultu, facie roſei coloris, intermixto candore liliorum, oculo vivaci, conducta curru deaurato per binas columbas, ſociata Amore vel Cupidine. *ibid.*

JUNO.

Supra currum aureum, quem diverſicolores pavones trahunt, habens cingulum in manu, vocatur Uriplaca. *ibid.*

GRATIÆ.

Tres numero ſunt, Euriale, Paſithea, & Euphroſyne, quare nudæ ſint, & ternæ, earum ſitus, & aſpectus. *ibid.*

PARCÆ.

Cur item earum tres, earum nomina, officia, cur Divæ fatales, cur Jovis filiæ, & Temporis, dictæ Lanificæ. *ibid.*

PLUTO.

Homo ſubfuſcus, coronatus ebeno, ſedens in tribunali, cui Cerberus vicinus ſit. Homo item cum virga & clava, ſociatus fœmi-

fœminæ, quæ in dextra clavem tenet, Videantur ejuſdem ſignificata fol. 66.

DII TUTELARES.

Duo adoleſcentes, quibus ſupra caput hæ literæ collocatæ erant; D.M. ſignificantes Deos Manes. *ibid.*

CHARON.

Senex, horrido aſpectu, ſcintillantibus oculis, barba longa, & implicata, veſtitus laceris. *ibid.*

TANTALUS.

Homo ſubmerſus ad os uſque in aquas, cum arboribus frugiferis circumquaque. *ibid.*

ORPHEUS.

Homo veſtitus toga, qui cytharam pulſat. *ibid.*

GIGANTES.

Homines elevatiſſimæ ſtaturæ, membris carnoſis, capillis ſparſis, barba prolixa, quorum femora in ſerpentes deſinunt. *ibid.*

TYPHON.

Gigas coopertus pennis, ore immenſo, quod flammas evomit, cujus caput ſtellas contingit, una manu Orientem, altera Occidentem tangens. Cujus inferiora quandoq; in crocodilum deſinunt. *ibid.*

ORESTES.

Homo dilanians ſibi viſcera. *ibid.*

PROMETHEUS.

Homo ligatus ad ſcopulum, cum ave, quæ illi cor corrodit. *ibid.*

SISYPHUS.

Homo portans ſarcinam ingentem, *ibid.*

IXION.

Homo volvens ſine intermiſſione rotam, *ibid.*

RHADAMANTUS & MINOS.

Bini homines ſedentes ad menſam, vel in ſolio, cum urna ſuffragiorum vicina. *ib.*

SPHYNX.

Monſtrum gerens vultum decoræ mulieris, ſicut & pectus; habens binas aquilæ alas, pedes, & ungues leonis. *ibid.*

MUNDUS.

Homo pedibus obliquis, veſtitus pallio verſicolori, qui ſuper caput globum regit. 67.

VENTUS BOREAS.

Homo inflatis buccis, capillis nive coopertis, cauda ſerpentina, cum alis velociſſimis; vide ſignificata fol. *eodem.*

AUSTER & NOTUS.

Homo alatus, facie ſubobſcura, fronte nubila, capillis, & barba humida. *ibid.*

EURUS.

Homo nigri coloris, & alatus, cujus vultus quaſi accenſus, colorisque ignei. *ibid.*

ZEPHYRUS.

Juvenis molli facie, & delicata, nudus, alatus, coronatus floribus. *ibid.*

JANUARIUS.

Aut verò figura Jani, Juvenis bene veſtitus, elevans manum ſiniſtram, qui dextra videtur canibus blandiri. *ibid.*

FEBRUARIUS.

Senex, veſtitus pellibus, pede nudo, vicinus foco. *ibid.*

MARTIUS.

Miles à capite ad pedes uſque gravis armis, proviſus haſta & ſcuto; videantur ejus alluſiones fol. *eod.*

APRILIS.

Adoleſcens primæ lanuginis, in habitu Paſtoris, capillatus, & agniculos ad pedes habens, *ibid.*

MAJUS.

Juvenis formoſus, auratam capillaturam ſpargens per humeros, coronatus roſis in prato viridi. *ibid.*

JUNIUS.

Homo auſterus aſpectu, nudus manibus, & brachiis, coronatus corona lini, cum falce in manu. *ibid.*

JULIUS.

Homo pileatus, pene totus denudatus, ſtans in campo. *ibid.*

AUGUSTUS.

Homo nudus cum ſcypho in dextra cooperiens pudenda ante balneum. *ibid.*

SEPTEMBER.

Homo prolixis circa humeros capillis, pedibus nudis, qui dextra vitem gubernat, cum ſiniſtra racemos premit. *ibid.*

OCTOBER.

Adoleſcens plures volucrum caveas gerens, cui in prato vicina perdix eſt. *ibid.*

NOVEMBER.

Homo tecto capite, cum bobus, & aratro, quibus foras prodeat, aut domum revertatur. *ibid.*

DECEMBER.

In eadem forma December apparet, habens corbem repletam ſeminibus. *ibid.*

FLUMEN.

Homo nudus, in terra decumbens, capillis ſparſis, barba prolixa, cui de capite bina prodire cornua videntur, innixus grandi urnæ, ex qua undæ regurgitent. 68.

TIBERIS.

Senex, coronatus frondibus, & fructibus, jacens humi, cum arundine in manu. *ib.*

PADUS.

Homo nudus, cornutus, jacens in terra, ſe ad urceum magnum inclinans, de quo aquarum abundantia effluit. *ibid.*

NILUS.

Senex, crocodilo inſidens vel Hippotamo, qui item brachio ſuper hydriam innitatur, ſecus quem pueri ſeptem vagari videntur. *ibid.*

MATRIMONIUM.

Homo, cui jugum in collo, & compedes in

in pedibus, aut pomposè veſtitus, cum pomo cydoneo in manu, & ſerpente circa plantam pedis. *ibid.*

ÆTERNITAS.

Homo ſuper elephantem: aut mulier triceps, quæ manu ſiniſtra circulum gerit, dextra globum mundi, cum velo, quo vultus ejus tegitur. 69.

EXITUS PROSPER.

Juvenis ornatus eleganti veſtimento, cum poculo aureo & ſpica in dextra, papavere in ſiniſtra. *ibid.*

FELICITAS SÆCULORUM.

Duo adoleſcentes in lecto, invicem jocantes ad hoc ipſum alludunt. *ibid.*

FAVOR.

Adoleſcens cæcus ſuper rotam, alatus pedibus, firmus tamen. *ibid.*

Aut verò Juvenis armatus, cum ingenti ſcuto, collocato in terra ſecus mare, cum Delphino cui adoleſcens inſidet, lyram ſonans. *ibid.*

HONOR.

Juvenis veſtitus purpura, quem Cupido ſerto laureo coronat, qui deinceps ad templum deducitur. *ibid.*

Monſtratur item homo, veſtitus veſtimento oblongo, cum corona laurea. *ibid.*

QUIES.

Homo pedem pedi imponens, dextra perpendiculum tenens. *ibid.*

PIETAS.

Fœmina, quæ videtur duorum hominum conjungere dexteras: aut verò Juvenis carne candida, decoro aſpectu, oculis magnis, naſo aquilino, alatus in humeris, rubro veſtimento, cum flamma in capite, tenens ſiniſtram ſuper cor, cum cornucopiæ, diverſis rebus impleto. *ib.*

Item exhibetur ſedens, manu dextra phialam tenens, cubito ſuper infantem recumbens: aut verò duo infantes, qui currum trahunt: alias item figuras vide fol. *eodem.*

FUROR.

Homo aſpectu horridus, ſanguinolentus vultu, ſedens ſuper ſtruem caſſidum, ſcutorum, & lancearum, manibus poſt tergum revinctis: aut verò adoleſcens velatus oculis, qui ſtat in actu vibrandi faſcem haſtarum. *ibid.*

Aut homo furens, qui ſtet in actu feriendi, ſcutum tenens ſiniſtra, in quo leonis repræſentata ſit imago, cui caput galea tectum, quæ loco Criſtæ ſerpentem gerat. *ibid.*

TERROR.

Puer plenus minis, bino vultu, proviſus manibus multis. Quidam eum repræſentant cum capite leonis: alii vultu fœmineo, ſed aſpectu horribili: quidam etiam flagellum manui adjungunt, cum capite item leonis. *ibid.*

FORTUNA.

Hujus imago in muliere repræſentatur, quæ ſuper rotam pede inſiſtit, in actu volantis: quidam cornu aureum adjungunt, ſceptrum item in dextra: quod totum Epigrammati incluſum eſt. 70.

Ripa his addit eam fingi ſub arbore, quam oblonga haſta percutit, unde varia inſtrumenta delabuntur, quæ ad profeſſiones diverſas pertinent. Quidam ei cornucopiæ in manus collocant, globum cœleſtem in caput. Quidam eam navigio imponunt, ſine gubernaculo, ſine velo, & malo à ventis effracto. Quidam in lectiſternio decumbentem, cui gubernaculum navigii ad pedes poſitum eſt: atque hæc fortuna aurea eſt. *ibid.*

SIMULACRA COELESTIA.

Hæc idcircò adinventa ſunt à veteribus, ut ſummam æſtimationem demonſtrarent, quam erga viros bene meritos & Heroës habebant, cum enim aliter affectum gratitudinis exhibere non noſſent, nec qualiter condecorare virtutem poſſent, eorum nomina præcipuis ſtellarum in firmamento indiderunt, ſic enim memoriam eorum æternitati dandam rebantur: ſed cum hæc ipſa à me in opere jam epilogata ſint, ne compendium compendii formare nitar, hic ſola nomina recenſere operæ pretium erit, ut diſcretus, & judicioſus Lector quaſi in ictu oculi cuncta tranſcurrat. Sunt igitur hæc: Arctophylax, Hercules, Cepheus, Caſſiopea, Perſeus, Andromeda, Bellerophon, Hippolytus, Eniochus, Æſculapius, Orion, Gemini, Virgo, Aquarius. Quæ noviter à Joanne Angelo in diverſas formas, & notas redacti repræſentantur: quæ cum omnia in compendium jam collecta ſint, non rurſum hic repetenda duximus. Curioſus Lector ad ſui utilitatem & ad cognitionem Idearum plurium, & virtutum, prout ſperamus, ad plenam ſui ſatisfactionem hæc inventurus eſt fol. 70.71.72.

COM-

COMPENDIUM PROVERBIORUM.

PRoverbia tantum orationi ornamentum, tantum decorem largiuntur (quorum abundantiam ſequentibus paginis ſat uberem inveniet) ut in eadem non minorem elegantiam addant, quam ſtellæ in firmamento, aut flores in pratis. Totum hoc probatur atteſtatione Aldi Manutii. Et hic loci tam erunt copioſa, ut difficile ſit & ipſum compendium in pauca redigi, quamvis cum omni brevitate id futurum ſit. 79.

Reverentia ſervorum erga Dominos ſuos hoc dicto exponitur: *Homo Herus, ſervo monoſyllabus:* quo indicatur ſubditum non niſi pauca fari coram Patrono ſuo debere. *ibid.*

Ad demonſtrandum quod adminiſtratio regni palam faciat, an qui populo regendo præpoſitus eſt, ad id officii idoneus ſit, ſic dixerunt; *virum indicat magiſtratus.* Hæc veritas ſine conteſtatione eſt. *ibid.*

Qui primum locum in converſatione, & in conventibus ambit, huic proverbio locum dedit; *Senator ſine provocatione, Legatus ſine mandatis.* *ibid.*

Cum cor jubilat, per eventum quendam felicem, ita ut quis regnum ſe quis obtinuiſſe opinetur, hoc adagium invaluit; *Rex ſum.* *ibid.*

Qui magna molitur, & ad nil idoneus eſt, huic parœmiæ anſam præbuit: *Rex Tragicus:* ubi Cyrus in Irum mutatur. *ibid.*

Dictum hoc proverbiale; *Aut Cæſar, aut nihil*, cum hoc altero confirmatur, *Aut Rex, aut aſinus*, quod idem eſt, cum illo: *Aut victor, aut victus.* *ibid.*

Pervulgatiſſimum illud: *Homo homini Deus*, adjutorium Dei improviſum indicatur, quod tum magis opportunum eſt, cum minus expectatur. *ibid.*

Volendo indicare veteres, quod honor in honorante ſit, non honorato, vetus proverbium erat; *Homo honorans, ſeipſum honorat.* Materia utilis. 80.

Ad demonſtrandam ſecuritatem ſapientis in omni loco, in ſimilitudinem Biantis, ſic inſinuatur; *Homo ſapiens omnia bona ſua ſecum portat;* Id quod amplificatur fol. *eodem.*

Qua ratione virtus cuncta exuperet (id quod cum ſuperiore analogiam habet) hoc proverbio exprimitur; *Omnia ſapienti facilia.* *ibid.*

Nemo mortalium omnibus horis ſapit; indicatur neminem tam ſapientem eſſe, ut non quandoque impingat. Quod documentum conſideratione magna dignum eſt, ad evitanda peccata. *ibid.*

Superiori ſententiæ illa affinis eſt; *Nemo mortalium felix;* declarat hoc ipſum perpetuitas miſeriarum humanarum. *ibid.*

Homo ſapiens, ſed non niſi exteriori apparentia, cui facta conſimilia reſpondent, hoc dicto exprimitur; *Homo Thales*, qui unus de Græciæ ſapientibus ſeptem erat; plures hunc virum æmulari contendunt cum idipſum nequeant. 81.

Loqui prout decet, hac ſignificatione exponitur; *Pauciloquus, ſed eruditus.* Quemque oporteret in hac re cautum eſſe. *ibid.*

In eos, qui factum à facto diſtinguere nequeunt, hoc dicterium adinventum fuit; *Praxilla Adonide ſtupidior:* curioſa ejus inventio eſt. *ibid.*

Aliud genus inſenſatorum eſt, qui vix memoria retinent, quod ſpatium de naſo ad os ſit; hos ſequenti axiomate ſugillabant; *Stultior Melitide eſt*, videatur quis ille Melitides fol. *eod.*

Proverbium aliud tritum eſt, quo indicatur rem quandam aliter ſe habere quam communis opinio ſit, ſolet autem his verbis dici; *Stulto ne permittas digitum.* *ibid.*

Doceri propriis expenſis viri prudentis non eſt, in quod proverbium illud emanavit; *Malo accepto ſtultus ſapit;* Hæc materia lectu & relectu digna eſt. *ibid.*

Volendo inſinuare, optimum quandoque conſilium eſſe, quod improviſo à pueris & fatuis datur, hoc adagium invaluit; *Sæpe etiam eſt olitor valde opportuna locutus.* 82.

Stultus ſtulta loquitur; Confirmatur hoc proverbio Italico; *Biſogna che la botte dia l'odore, che tiene.* Hoc eſt; *cacabus odorem emittit, quem in ſe continet.* *ibid.*

AMICITIA.

Hunc titulum in medio collocandum cenſui, plura enim proverbia occurrunt, quæ ſub eo continentur. *ibid.*

Amicus ſubdolus & fucatus his verbis exprimitur; *Nemo verbotenus amicus;* Hi enim omnem amicitiam in ſolo cortice collocatam habent. *ibid.*

Intuitu amicitiæ officium ſuum nemini omittendum eſſe, nec violandum æquitatem uſitato, & veteri proverbio exprimitur: *Amicus uſque ad aras.* ibid.

Nil eſt quod magis amicos deceat, quam ut alter alterius defectus ſufferat: qui hac in parte officio ſuo deſunt, amicitiæ nomen non merentur: Hinc proverbium illud eſt: *Amici mores ſi noveris, non oderis.* ibid.

Amicos procul invicem degentes, multum à fervore remittere, ſequenti adagio exponitur: *Non ſunt amici, qui degunt procul.* Parum prodeſt ſol, ſi ſine calore eſt. ibid.

Inter amicos obſervandum eſſe æqualitatem ſequenti proverbio indicatur: *Amicitiæ æqualitas:* quod cum illo idem eſt. *Amicus alter ego.* 83.

Quemque ſua ſorte contentum eſſe deberet ſequenti parœmiâ exponitur: *Amicitia ſtabilium, felicitas temperantium.* Hæc vera & unica beatitudo eſt. ibid.

Aureæ Magontiæ: ex fragmento Livij ſic intitulato producitur: *Amicitias immortales, inimicitias mortales eſſe debere.* ibid.

Qualiter amicos invicem ſine fictione eſſe oporteat, ſequenti ſententia exprimitur: *Amicitiæ perſonam:* nec enim major ſecuritas eſſe poterit inter hos, quam cum pectore aperto ſunt. ibid.

Cum pars principalis ſit amicitiæ, alterum ab altero admoneri; hinc vetus illud adagium eſt, quo declaratur veram in hoc amicitiam conſiſtere: *Amicorum eſt admonere mutuum.* ibid.

Sicut aurum in fornace examinari ſolet, ſic amicitia cum urgens occaſio ſe obtulerit, quod his verbis explicatur: *Nil homini amico eſt opportuno amicius.* Experientiâ ſat docemur. ibid.

In ſolis proſperitatibus amicus, qui ingruente adverſitate recedit, huic proverbio convenit: *felicitas multos habet amicos.* Magnum infortunium in hujuſmodi amicos incidiſſe. ibid.

Ut antequam ad amicitiæ vinculum progrediamur, noverimus in amici mores inquirere, hoc proverbium invaluit. *Amicos ne cito pares, quos paraveris ne rejice.* Optimum præceptum. ibid.

Bina damna ſunt homini, ſine amicis eſſe, & alterum nimiis abundare amicis, id quod ſic effertur: *Neque nullis ſis amicus, neque multis.* 84.

Quod ſupra de occaſione dictum eſt, idem dicendum de periculo, ex quo maxime amicitia diſtinguitur, itaque & illud adagium in uſu fuit: *Amicus certus in re incerta cernitur.* ibid.

Neceſſitas Amicorum olim his verbis exprimebatur: *Amicus magis neceſſarius, quàm ignis, & aqua:* Quæ expreſſio vera eſt. ibid.

COMMODITAS.

Quamvis pauca, efficacia nihil ominus proverbia ſub hoc titulo cenſentur: itaque ut tanto ordinatior eorum tractatus ſit ſub ſuo quodque titulo collocare volui. *Homo pecunioſus damnari non poteſt:* De homine divite exprimitur, qui in cauſa ſua, ſe de proprio defendit. ibid.

Homo ſibi multum applaudens, & ſe illuſtrem jactans, non tam actionibus animi, quàm pecunia & poſſeſſionibus, hoc modo percellitur: *Generoſus ex Crumena.* ibid.

Porrò de generoſa & illuſtri proſapia ſua ſe extollere, hac dicaci ironia exponitur; *Generoſior Codro:* quòd plerumque in damnum cedit, ſi natalibus virtus non correſpondet. ibid.

Ad exprimenda mala, quæ de longinqua abſentia proveniunt, illud adinventum fuit: *Homo abſens hæres non erit.* Pauca ſed multum ſenſata verba. ibid.

Alienam metis meſſem: de iis dictum qui alienis lucubrationibus ſe immiſcent, & alienos labores ſibi vendicant. ibid.

Quantum proſit propriis utilitatibus invigilare, hoc axiomate exponitur: *Homo quiſque rem ſuam meminit:* Id quod magni momenti eſſe debet iis, quibus multum inter homines converſandum eſt. 85.

PROBITAS, & RECTITUDO.

Etiam hic, cum binæ hæ virtutes potiſſimæ ſint in animo humano, eandem rationem ſecutus ſum, quam in ſuperiori titulo. Ad indicandum quantopere pietas, & vitæ bonitas æſtimanda, & amplectenda ſint, illud dicitur: *Boni viri lacrymabiles.* Sententia ſæpius recolenda. ibid.

Ut demonſtrarent quantopere occaſio cujuſque mores aperiat, dixerunt veteres: *In diſcrimine apparet qui vir.* In hoc loco plura adducuntur admodum proficua. ibid.

Pro homine qui in facultatibus ſuis induſtriâ ſuâ acquiſitis liberalis eſt, illud dicitur: *Homo promus magis, quàm condus.* Quod obſcurum eſt, niſi expoſitio ejus videatur. ibid.

Tolerantia venerationem viro ſapienti adfert, & interiora ejus pandit: Id quod ſequentibus verbis exponitur: *Homo quadratus:* quocunque ceciderit, ſemper ſtabit. ibid.

Indifferentia in rebus hoc proverbio dicitur: *Omnium horarum homo:* hoc eſt: Homo qui tempori accommodare ſe novit. ibid.

Candidiſſima gemma honeſtatis, & caſtimoniæ, hoc lemma proverbiale obtinuit: *Melanione caſtior:* Utile & curioſum eſt noſſe, quis Melanio hic fuerit. ibid.

Homo novus: De eo dictum, qui nec genere ſuo, nec cognatione, ſed ſola virtute ſe inclytum, & nominatum in mundo reddidit. 86.

Terræ filius: De ignobilibus, & fæce populi dicitur. ibid.

Potentia ſuperior ſuperata ab inferiore, hoc lemmate exprimitur: *Hominem velocem tardus aſſequitur:* neſcio an magis propria ſimilitudo inveniri potuerit. ibid.

VITIA.

Proverbia de vitio prolata ſunt, ut intelligatur, ſicut de umbra major lucis claritas reſultat, ſic de vitii turpitudine, virtutis pulchritudinem augmentari. ibid.

Ad ſignificandam crudelitatem latronum, & quantum proſit tales è medio tolli, ſic dictum eſt: *Homines Ambrones.* Hæc enim gens non niſi latrociniis addicta, hinc omnium odia meretur. ibid.

Ad demonſtrandum quod omne delictum puniendum ſit, hoc proverbium inventum: *Virum improbum vel mus mordeat:* grave præceptum: 87.

Qui nulla de cauſa litigiis ſe implicant verbis penè iisdem ut ſupra ſugillantur: *Sceleroſum mordeat & mus.* ibid.

De homine pervicaci, & obſtinato dicitur: *Homo ſemper contradicens:* Vitium peſſimum eſt, cui connivere non oportet. ibid.

Quod uſus, qui contra rationem militant ſemper reſecandi ſint, his verbis indicatur: *Satis homini, ſatis humanitati.* Ubi multæ probationes ſunt. ibid.

De timore præpoſtero eorum hominum, qui nec centum gladiis ſat armari poſſint, illud dictum: *Homo cervinus:* alluditur autem ad maximam feræ hujus timiditatem. ibid.

Pigritia nomine *feriæ* titulatur: in quo curioſæ obſervationes videri poterunt, unà cum adagio: *Ignavis ſemper feriæ.* ibid.

De homine ignavo, qui omnium ignarus eſt, poſſeſſus monſtro ſtupiditatis, illud dicitur: *Ignavis vertitur color.* ibid.

De nimio ſilentio, & nimia loquacitate, binis extremis, quæ non poſſunt, quin cadant in vitium, illud expreſſum fuit: *Statua taciturnior:* De altero: *Homo bombylius:* videantur de his ſignificationes fol. 88.

Injuriam jam antehac illatam non rurſum movendam (cum id præpoſterum ſit) hoc adagium docet: *Malum benè conditum ne moveas:* aut: *Sopitum ebrium non oportet excitare è ſomno.* Conſideratio hæc ſummi momenti eſt. ibid.

De homine aſtuto illud expreſſum fuit: *Nec Deus, nec homo:* videatur quæ ſit aſtutia homini proficua. ibid.

Continua agitatio hominis inconſtantis & varii, hanc ſequentem ſignificationem obtinuit: *Euripus homo:* Nil volubilius mari. ibid.

Traducitur idem adagium ad hominem infidelem, & ad fortunæ inſtabiles vices, utraque mutationibus obnoxia ſunt. ibid.

Si conſuetudo patriæ rationi rectæ non derogat, obſervari debet, hinc de ea dicitur: *Hominum mores regioni correſpondent.* ibid.

De homine ingenuo, tractabili, & docili, hæc ſententia dicitur: *homo cera tractabilior:* alluditur ad hanc materiam, quæ omnigenas figuras recipit. 89.

Econtrario in hominem tetricum, & ruſticum hæc ſignificatio valet: *Homo Scytha.* Quinam hi populi ſint, vide fol. eodem.

OPERATIO HOMINIS.

Exponitur hic, quod hominem laborare ſemper oporteat, ad hoc enim natus eſt; ubi in compendio refertur gloria, & præmium eorum, qui indefeſſi in opere ſunt. ibid.

Inconſtantia jam ſupra memorata, his verbis demonſtratur: *Nunc palliatus, nunc togatus.* Quod vitium omni modo fugiendum. ibid.

Monſtraturi olim, quod loquela hominem prodat, & quod per externum, internum cognoſci poſſit, conſuetudo hoc adagium introduxit: *Qualis vir talis oratio.* ibid.

Victus flet, & victor interiit: hoc ænygmati non abſimile eſt, ſignificans: emeritum exercitum ubi cruenta victoria timetur, nunquam periculo exponendum. 90.

De animo nimium muliebri, & effæminato, qui vitam mollem & ſolutam ducit illud dictum eſt: *Muſica vita.* ibid.

Sapiens conſilium eſt, ſedulò explorare mores hominis, antequam ad conſuetudinem familiaritatis procedatur: ſuper quod inveteratum adagium eſt: *Nemini fidas, niſi cum quo prius modium ſalis abſumpſeris.* *ibid.*

De iis, qui dies integros inſumunt, antequam in agendo determinare certum quid poſſint, hoc proverbium inolevit: *Homines Agones.* Declaratur quinam Agones hi fuerint. *ibid.*

Cum dici ſoleat, qui cauſa malorum ſuorum eſt, ſemetipſum plangat, hæc ſignificatio proverbialis emanavit: *Iciens ictus eſt:* Plures ibi conſiderationes occurrunt. *ibid.*

De rerum exitu proſpero, quem homo felix obtinuit (ſicut quiſque obtinere deſiderat) hæc parœmia adinventa eſt: *Dormientis rete trahit:* Tracta metaphora eſt à Piſcatoribus. 91.

Solatium pauperum, ubivis ſecuros eſſe, quod his verbis exprimitur: *Centum viri pauperem ſpoliare non poſſunt:* optimè dictum: nemo enim auffert, ubi nulla poſſeſſio eſt. *ibid.*

Id quod ſemel cœptum eſt, cum perſeverantia proſequendum eſſe (quæ virtus magni pretii eſt) adagio ſequenti indicatur: *Studium generat ſtudium, Ignavia ignaviam.* *ibid.*

Ad ſignificandum quod penè tot ſint opiniones, quot capita, vulgato hoc proverbiali axiomate demonſtratur: *Quot homines, tot ſententiæ.* *ibid.*

De infelici eventu, quem imprudentia prævidere neglexit, hoc uſu receptum eſt: *Serò ſapiunt Phryges:* Præceptum obſervatione digniſſimum, ne proprio damno ſapere neceſſe ſit. *ibid.*

Capta gladium: de iis dictum eſt, qui mala propria ſibi ſponte accerſunt. *ibid.*

Si quis percuſſurus, maturè ponderaret, ſe fortè pejus percutiendum, à percuſſione utique abſtineret; in talem hæc dicta ſunt: *Cornix Scorpium*: Explicatio quærenda fol. *ibid.*

Quod à negotiis periculoſis, moleſtis, & intricatis abſtinendum ſit, hoc adagio innuitur: *A lupi venatu:* optima ſimilitudo. 92.

Homo tetricus, intractabilis, & durus, his verbis indicatur: *Scabroſior Leberide*: Quid in Leberide intelligatur: vide fol. *eodem.*

Eadem ruſticitas, & durities in ſuccurrendis pauperibus, ſequentem ſignificationem habet: *Exigit à ſtatuis farinas.* *ibid.*

Candidulum linum lucri cauſa ducis: de iis dictum, qui lucri intuitu conjugem ducunt: quare mulier lino comparetur: vide fol. *eodem.*

Adagium vulgare: *Di chi é la caſa penſi al coperto*: ſic latine dicitur: *Curabit prælia Conon.* Eruditio ſingularis. *ibid.*

Audere ſine præcautione, ut non dixerim temeritate ſtolida ſe ingerere, & illic ſe obtrudere, quo quis vocatus non eſt, hoc proverbio jam trito declaratur: *Ne ſutor ultra crepidam*: hujus adagii derivationem quære fol. *eod.*

Quantopere ſola apparentia deludat, cum ſæpe quod optimum videbatur, peſſimum evadat, ſic proponitur: *Vmbra pro corpore*: Curioſum eſt noſſe, unde hic loquendi modus emanârit. *ibid.*

Homo proceræ ſtaturæ, & exigui roboris ſic exprimitur: *Arcadicum germen*: quod idem eſt cum illo: *magnus clamor, pauca lana*, videatur derivatio de *Arcadico.* *ibid.*

Nil proſunt divitiæ, niſi in commodum poſſidentis impendantur, & data felici occaſione: totum hoc exponitur ſequentibus verbis: *Cui multum eſt piperis, etiam oleribus immiſcet*: optimum præceptum. 93.

Proverbium vulgare eſt, quod ait: Duos gallos ſimul vivere non poſſe: hoc eſt duos potentes in eodem loco non durare: quod ſic aliter dicitur: *Mons cum monte non miſcetur*; parallelum aptiſſimum. *ibid.*

MULIERES.

Supra mulieres quoque plura adagia formata ſunt. Nam nec his negatum Heroum facta imitari, eorum dona, & virtutes aſſequi. *ibid.*

De earum pudicitia illud non immeritò uſurpatum eſt: *Viris labores, mulieribus munditiæ conveniunt*; Hæ partes primæ erant Penelopes. *ibid.*

Pudicitiæ comes individua ſilentium ſit; inde proverbium eſt: *Mulierem ornat ſilentium*; plus certè quam monilia, lapideſque pretioſi. 94.

Negotium, quod finem proſperum conſequitur, quamvis malè cœptum ſit, hoc proverbio exprimitur: *Parit puella, etiamſi malè adſit viro.* Multæ ibi obſervationes ſunt. *ibid.*

Quemque in ſtatu ſuo, in quem à Deo collocatus eſt, perſeverare debere, nec certum pro incerto in periculum mittere, ſequenti ſententia exponitur: *Tuæ ſortis uxorem ducito:* plura hic obſervatu digna ſunt. *ibid.*

De ſtoliditate, quæ in altum evehitur (quod ſenſatus quiſque cavet) uſus hoc adagium introduxit: *Mulier Imperator. Mulier miles:* alluditur ad mulierum naturam, quæ ad profeſſiones hujuſmodi ineptæ ſunt. *ibid.*

Mulieris animus: prolatum eſt in animos inconſtantes, leves, & volubiles; quæ vitia plurimum evitanda ſunt. *ibid.*

Infidelitas tam huic ſexui cognata eſt, ut jam vulgare proverbium è ſcenis deſumptum invaluerit: *Mulieri ne credas etiam mortuæ:* Vitium omninò deforme. *ibid.*

De exitu rerum infortunato, & infelici, hoc dicitur: *Mulierum exitia.* Sic qui moritur, ſimul omnium bonorum poſſeſſionem ſibi commori facit. *ibid.*

Ad docendum, quod miniſterio rerum ſacrarum, qui ad hoc ordinati non ſunt, adhiberi non debeant, illud expreſſum fuit: *Herculis ædem mulier non intrat.* 95.

Theſſala mulier: de ſagis dicitur, quas meritò atrociſſimis pœnis caſtigare oporteret. Contra has vehementiſſime ob maleficia ſacra pulpita declamant. *ibid.*

Actus indecentes, quos quiſque ſenſatus evitat, hac dicaci ſententia exprimuntur: *Anus ſaltat:* Hic actus cum inſolitus ſit, etiam deteſtandus eſt. *ibid.*

Flos pudicitiæ ad finem uſque vitæ conſervatus (id quod ſingulare encomium meretur) ſequenti proverbio enunciatur: *Anus Eriphus:* Hujus dictionis curioſam originem quære fol. *eodem.*

De oculis fœminæ ſemper turbidis, & malignis (quamvis ab inſanis Amatoribus & ſtellæ & luminaria appellentur) hoc proverbium inventum eſt: *Mulieris oculus.* Fornax potius ſunt, quo univerſa domus ſuccenditur. *ibid.*

Tam magna mulierum infidelitas eſt, ut vituperium illud proverbiale incurrerint: *Nec mulieri nec gremio credendum.* Curioſa & utilis ibi explicatio eſt. 96.

Servitium quod quis pluribus ſpopondit, nemini exhibuit, hac ſignificatione percellitur: *Vnicâ filiâ duos parare generos.* Nec enim deſunt, qui tantam impietatem votis expetunt. *ibid.*

De homine in negotiis verſato opportune dictum eſt: *Anus ſubſultans multum excitat pulveris;* Quadrat autem aptius in eos, qui longa experientia rerum, plura negotia ſibi attrahunt. *ibid.*

De negotio quod neglectum jacet, eo quod inutile ſit, de quo videlicet ultra ſperari magna nequeunt, illud dictum eſt: *Anus veluti equus profundam habebit foſſam.* Sententia multum energiæ habens. *ibid.*

DE ÆQUIVOCIS.

Laudatur hoc in loco Comes Theſaurus, tanquam Scriptor literatiſſimus in æquivocorum materia. Quid ſint hæc æquivoca; De phraſibus conceptuum, quomodo à Dialecticis, & Metaphyſicis nominentur. *ibid.*

Virgulæ & puncta quandoque loco ſuo non collocata æquivocationem pariunt; quomodo hæc inſtituenda. 97.

Quid vere ſignificet hæc vox *Homo*: quid hæc vox *Vir*: Nomine turbæ quandoque etiam dæmon intelligitur: figuræ, & ſculpturæ item homines appellantur. Dialectici hominis voce ſpeciem ſpecialiſſimam intelligunt. Homo corporeus, mundanus & carnalis intelligitur. Gaudent nomine hominis & prophetæ. Tali denominatione & mundus appellatur. Vas deſtillatorium homo Chymicus dicitur. Et alia his ſimilia. *ibid.*

DE SYNONYMIS.

Hæc vox *homo* ab *humo* derivatur, videatur quamobrem. *Vir* à *vi* dictus, hoc eſt à robore, aut virtute; Dicitur *Menſch* hoc eſt *liber.* Nominatur microcoſmus, aut parvus mundus: mens ejus quid denotet. Reliquæ partes corporis humani ſignis cœleſtibus, & Deitatibus fabuloſis comparantur. 98.

Hominis nomina diverſa apud diverſas nationes. Quare *mulier* hoc nomen habeat apud Latinos. Quomodo ab Hebræis appelletur, & ejuſdem Etymologia. *ibid.*

DE DIFFERENTIIS.

Differentiæ ad veram rerum cognitionem magnopere neceſſariæ ſunt. Hæ inter Prædicamenta Ariſtotelis præcipua numerantur. 99.

Differentia inter ſapientem, & ignorantem. *ibid.*

Differentia hominum ob climatum diverſitatem, & de ſignis Horoſcopicis. *ibid.*

Amplificatio de dignitate hominis; exotici ejuſdem affectus, & appetitus: differentia amorum. Homines ſylveſtres, Satyri, Centauri. Hominum novum genus in plagis orientalibus diſcoopertum. Aſtomi hoc eſt ſine ore: alii ſine lingua. 100.

Pygmæi qui herbis veſcuntur, & pomis ſylve-

ſylveſtribus: qui per arundines liquorum ſugunt: homines naribus ſimis, nigri, demiſſo labio inferiori, quod ad pectus uſque pertingit: corrigitur ſale ne putreſcat. *ibid.*

De auriculis. Tot populi inveniuntur, quibus oblongæ ſunt: quibuſdam ad pedes uſque deſcendunt. Quidam eis, ſicut veſtimento ſe involvunt: & alia hujuſcemodi curioſa. *ibid.*

DE GIGANTIBUS.

Monſtra ſunt. Quare ſic excedant. Æthiopes altitudinis duodecim pedum. Sueci novem cubitorum in terram proſternunt equitem cataphractum. Turnus à Virgilio deſcriptus. Mauritius Imperator. Alius capram integram manducans. In India plures Gigantes ſunt, ſtatura quindecim pedum. De Satellitibus gigantæis. *ibid.*

Mulieres ova parientes, è quibus gigantes naſcantur. Memoria gigantum in ſacris literis, eorum urbs Rabba, & Philadelphia. Goliathi gigas, & Og Rex Baſan. Dens gigantum ultra menſuram magnus. Gigas menſurâ ſuâ occupans triginta pedes. Statura Pallantis. Gigas revocatus ad vitam. Mulieres gigantææ: quarum una ſtupendæ molis. Gigantes cur Terræ filii nominati, generati de cœleſti ſanguine. Nomina eorum hebraica, Aza, & Azaël. 101.

Gigantes: Dæmonia ſub ſpecie humana, cruribus tortuoſis, in modum ſerpentum, & quare: Æſtimati Neptuni filii: antra paludoſa & ſulphurea inhabitabant. Quis fuerit Nemrod. Alia gigantum nomina juxta Hebræos. Deſcripti à propheta Amos. Sapho Gigas occiſus à Davide. Quis fuerit Atlas, ejus Etymologia: alia item gigantum nomina. Hercules quantæ proceritatis. Sirax gigas, dictus filius Herculis: Oreſtes, Ajax, & alii. Polyphemus inter alios eximiæ ſtaturæ, erat autem inter Cyclopes. Homo tredecim cubitorum. Porus, Ganges Rex Æthiopum. Corpora plurium gigantum detecta. 102.

Agathon, Maximinus, Martinus Turanius, ejuſque martyrium glorioſum, primus Brabantiæ Dux. Diſticha ſupra partes corporis illius. 103.

FORTITUDO GIGANTUM.

Mulier portans bina vaſa cereviſia repleta, idque una manu, quæ quadringentas libras Italicas ponderabant: trabem item geſtabat, quæ vix portari ab hominibus octo poterat. Milo moveri loco non poterat: Taurum die uno conſumebat, quem prius in humeris portaverat. *ibid.*

Cleomedes pugno hominem mactat, de cadavere mortuo cor extrahit; ædificium diruit, & ſeipſum ſub ingenti ſaxo ſepelit. Hic Taurum in medio curſu tenebat: ſaxum portabat, quod Milo vix moverat. Junius Valens currum in curſu medio retinet. Lyſimachus leoni vivo linguam eruit, & ſic Alexandro Magno reconciliatur. 104.

Polydamas Leonem occidit: dimicat contra Taurum, & ipſe currus in curſu ſuo retardat: ſolus plures equites occidit, qui demum dum fragmen ingens montis decidentis ſuſtinere nititur, ſub eodem ſepelitur. Agathon Athenienſis fugabat Pantheras, tygrides, leones, & urſos. *ibid.*

Sabinus obſidente Hieroſolymam Tito Veſpaſiano primus vexillum triumphale muris & vallo impoſuit. *ibid.*

Thideus ſibi ſimilem robore non invenit: quemque Thebanorum ad certamen provocavit, eis concedendo quodcunque armorum genus eligerent: inſidiantes ſibi omnes trucidavit. Seleucus Rex Taurum manibus domat. Firmus Imperator ſibi incudem collocari faciebat in pectore, ſuſtinens fabros malleis ſuper incudem percutientes. Ariſtomenes Meſſenius in fugam mittit exercitum. Bito ob fortitudinem ſtatuam meretur. 105.

Cynegyrus Athenienſis dentibus navem inimicam retinet: idem Glaucus Romanus egiſſe legitur. *ibid.*

Pyrrhus militem medium ſecabat. Pluto miles ſcintillas fulgurabat ex oculis, qui Patrem ſuum ingenti robore è manibus hoſtium ſolus protraxit. *ibid.*

Alexander Caſtriotus, dictus Scanderbeg, ictu gladii hominem medium, ſecundum longitudinem diſſecat, alia item illuſtria facta ejuſdem. Vide fol. *eodem.*

Quatuor millia Numidarum quadraginta millia Romanorum vincunt. *ibid.*

Brancius Luſcus quemvis funem manu rumpit. Gallus percutiens Ottomannum: Germanus contra maximam hoſtium multitudinem ſe ſolus defendit: percuſſus ingenti ictu, nil loco motus, percuſſori caput divi-dit. Intrepiditas nobilis cujuſdam Bononienſis. *Capitan Spavento* ejuſque jactantia. 106.

DE

DE PYGMÆIS.

Neceſſitas de iis ratiocinandi. Ubi locorum non niſi tres pedes altitudine exuperent. Ratio cur tales dentur. Canopa Pygmæus non niſi duas palmas exuperans. Nicephorus item, ſicut & mulier quædam. Nanus cum barba prolixa. Opinio eorum qui hoc genus hominum negant. Cur pugiles vocentur. Authores qui aiunt hujuſmodi homunciones non prolongare vitam. *ibid.*

Præliantur cum Gruibus. Pygmæus vix altitudinem perdicis eorum locorum exuperans. 107.

Simiæ balſamatæ, & pro pygmæis habitæ, & oſtenſæ; cur ſic vocentur. Ut majores appareant cornua arietum ſibi imponunt. Quidam eorum magnitudinem infantis habent, qui annum ſextum attigit. Scriptores de hac materia, eorumque deſcriptiones. 108.

De ANDROGYNIS, ſeu HERMAPHRODYTIS.

Quod loci occaſio requirat de his meminiſſe. Quare de Mercurio nati dicantur, & de Venere apud Mythologos. Hermaphrodytus, creditus vir, deinceps filios genuit. Quorum unus poſt mortem apertus, vaſa ſpermatica utriuſque ſexus gerere inventus eſt. Quatuor eorum differentiæ ſunt. Naſamoni gens ſic dicta, inter quos plures Hermaphrodyti, annonam regiam cuſtodiunt. Sub pœna capitali jubentur ſexum, quem elegerint conſervare. Per quem jurent. Projecti in flumina, & mare. Filia ab horum aliquo ſtuprata. Horum ſterilitas per miraculum correcta. Deſcriptio poëtica Salmacis, quæ de Hermaphrodyto eſt. 109.

De PRODIGIIS.

Cœli lingua dicuntur; imo Dei: quæ orbem terrarum ad emendationem vitæ provocant, præcipuè magnates, & Principes. Inter hæc primum locum Cometæ obtinent, quæ plura portendunt. 110.

Caput Romæ in cavandis urbis fundamentis repertum, unde templo Jovis Capitolini, & Capitolio nomen datum. 111.

Cometæ horribiles ſæpius, & pluribus annis viſi. *ibid.*

Statuæ de Cœlo lapſæ. *ibid.*

COMPENDIUM MIRABILIUM.

CUm hujuſcemodi mirabilia quotidie plurima accidant, & acciderint jam ante, hæc materia in latum ſe extenderet. Nihilo minus, qua poſſum brevitate maxima utar. Inprimis capilli memorantur una nocte adoleſcenti ad mortem condemnati incanuiſſe, totumque deformatum eſſe. Infantes deinde ſic nati. Albani idcirco ſic nominati; cur eorum maxima pars ſic naſcatur. Cani ob potatum vitriolum oborti. Monacha rurſum juveneſcens. Fæmina viſa cum barba hirſuta, & nigra circa genas, & in vultu. Rurſum alia barba mulieris ad duas ſpithamas longa circa mentum. Viſus acutiſſimus. Callicrates ex ebore formicas minutiſſimas fabricabat. Oculi bina pupilla, ſpirantes halitum venenatum. Quidam de nocte legens epiſtolas, ſine ſubſidio candelæ vel luminis. 112.

Sympathia & Antipathia hominum cum beſtiis. *ibid.*

Cæcitas. Operationes incredibiles, quas cæci operati ſunt: Statuarius cæcus. Quidam ex vulnere frontis, viſum recuperat. 113.

Auditus. Fragor & tumultus belli de longinquo auditus. Sonus tympanorum, buccinarum, & cytharæ ingerunt timorem. Violinum quendam ad urinandum commovet. *ibid.*

Filius Crœſi, adhuc infans in quodam prælio diſtinctè loquitur. In eadem materia plures recenſentur, qui muti cum eſſent, loquelam recuperarunt: econtra bene loquentes obmuteſcunt. *ibid.*

Dentes: Hercules tres dentium ordines habebat. Alia præter hæc Exempla. *ibid.*

Odoratus. Pater Dominicanus ad odorem roſarum in deliquium animi cadens: Miles ad odorem rutæ. Odoratus medicinæ eandem operationem & effectum conſequitur, quem ipſa medicina ſumpta conſequi conſuevit. Corpus Alexandri quandoque ſuaviſſimum odorem ſpirabat. *ibid.*

Guſtus. Quidam à piſcium eſca abhor-

tentes, quidam à carnis, lactis, & aliorum. Abſtemii, & hujuſmodi alia 114

Morſus Serpentium ſanatus ſolo hominum contactu. Pyrrhus pollice pedis lienoſos tangens curabat, poſt combuſtionem cadaveris hic pollex integer viſus eſt. Lac exiens de venis. Pater lactans filium. Oſſa ſine medulla. ibid.

Homo inventus poſt mortem ſine medulla, fortiſſimus erat in lucta & ludis gladiatoriis, & agone, dum viveret. ibid.

Riſus portentosus. Rurſum alii nunquam viſi ridere: alii nimio riſu mortui. 114

Fœminæ ſtupendæ memoriæ. Sacra ſcriptura memoriæ data, & in verſus translata à paſtore quodam. Memoria feliciſſima Cyri, Mithridatis, & Senecæ. Centum concluſiones uno die defenſæ: Authores hujus rei mentionem facientes. 115

Feris objecti, & ſalvati. 115

Pyrrhus Æacides quomodo regnum recuperârit. ibid.

Dies natales portentoſi, memoria & notatu digni. ibid.

Mirabilia circa robur corporis. Unde memoria Davidis eſt: Hominis item Aſiatici, quorundam Suecorum, & Gothorum, De Huberto Cucce, & aliis. ibid.

Fortitudo animi: in hac mirabilem ſe exhibuit Leæna meretrix, Anaxarchus, Tiramenes, Dio, Epicurus, & alii multi. ibid.

Reliqua item mirabilia ex Scripturis ſacris, ex Solino, Alberto Magno, S. Auguſtino, Fulgoſo, & aliis, ubi notantur varia accidentia, fol. 116

Agilitas, vel levitas: Homo poſitus pro ſcopo, & effugiens agilitate jaculantium tela, & ſaxa. Agiles in Curſu. Habitatores maris. Impavidi ad fortunæ ſiniſtræ ictus. Abſtemii, qui numquam vinum guſtarunt, alii qui nunquam ſitim paſſi: qui item ſemper jejuni. Quanto tempore inediam pati quis poſſit. Homo plebejus omnis generis non comeſtibilia deglutiens. ibid.

Affectus humani, vel ſymptomata mirabilia. Embryo in utero retentus viginti annis. Uterus in duritiem petræ converſus, ponderans ſeptem libras. Homo ſine foramine veſicæ. Vomens excrementa. Puella contracta mirabiliter. ibid.

Matrimonia. Fœmina vigeſies, biſque conjugata: Et vir item, qui viginti conjugia contraxerat. ibid.

Mortui reviviſcentes. Quorum quidam in rogo revixit: alius ad ſepulchrum portatus reſtitutus eſt, portans domum feretrum ſuum. Rurſum alius reſurgens mirabiliter. 118

Mortui ex nimia lætitia, & nimio dolore, alii ex timore: alii item reſuſcitati. ibid.

Georgius de Epiro ex utero matris egreſſus, cum illa ad ſepulchrum portaretur. Epimenides dormiens annis quinquaginta ſeptem. Gemelli uno tempore nati, uno moriuntur. Fœmina pariens filios tercentum ſexaginta. ibid.

Gratitudo obſervata in aſpide ubi admirabilis caſus recenſetur. ibid.

Mirabilia in ſomno. Quidam dormientes operabantur, & loquebantur plena intellectu. Hinc quidam ſomnians prædixit mortem Joannis ſecundi ſummi Pontificis. 119

Fœmina in pariendo ſtrepitum maximum faciens, quaſi exploſo ſclopeto. De qua item flamma exiit, comburens veſtimenta, quæ circa eam erant. ibid.

COMPENDIUM NUMISMATUM.

MOnetæ ad quem finem adinventæ ſint. Earum ſtudium quàm utile ſit, & ad quot profeſſiones: Quot in illis ſimulacra, inſcriptiones, lemmata, modi, inſtrumenta, & alia obſerventur. 52

Scriptores vel Authores, qui de his tradiderunt. ibid.

Quatuor anni tempora per quatuor infantes, tres nudos, uno veſtito, cum quatuor coronis repræſentantur. 53

Juvenis alio veſtimentorum apparatu ſpectabilis Apollinem indicat, prout contra Marſiam victor evaſit. ibid.

Adoleſcens ſuper humeros ſuos arietem portans ſignificatum Mercurii eſt. ibid.

Vir manu geſtans baculum, circumdatum ſerpente, cum bubone ad pedes, imago eſt Æſculapii. Idem ſignificatur per imaginem mulieris tractantis ſerpentem. ibid.

Superbia Domitiani, qui divinos cultus exegit, ſignificabatur in effigie hominis venerandi, qui tres fœminas ante ſe genuflexas intubeatur. ibid.

Sacerdos ſacrificans demonſtrabatur per quendam veſtitum toga, qui manum ſuper caput Tauri collocabat. ibid.

In eadem poſitura tres homines apparentes, indicabant Imperatorem & Conſulem ſacrificantem. ibid.

Mars Propugnator ſignificabatur per quempiam, qui haſtam tenet, in actu procedentis. Cum totus in armis appareret, Martem Ultorem indicabat; ibid.

Cum clavam regeret, vicinus victoriæ, Martem Victorem. ibid.

In homine qui ſceptum tenet, coopertus caſſide, Imago Honoris exprimitur. ibid.

Vir qui dextra haſtam, ſiniſtra Mundum regit, Deum figurabat. ibid.

Cum præmemoratum ſimulacrum circa pedes ſuos Captivum haberet, Imperatorem Triumphantem declarabat. Videantur de hoc plura fol. eod.

Italia in libertatem vindicata figuratur per virum, qui fœminæ genuflexæ dextram porrigit, & qui manu mundum regit. 54

Binæ mulieres, quarum una militem coronat, altera gubernaculum Navigii tenet, & Cornucopiæ, cum viro, qui ſe in haſtam inclinat, Idea fortunæ ſunt, & victoriæ. ibid.

Homo qui dextra haſtam gerit, qui videatur de pulpito perorare velle, imago eſt fidei. ibid.

Rex Daciæ ab Imperatore devictus repræſentabatur in Dario victo ab Alexandro Magno. ibid.

Mars ſimul & Neptunus exprimuntur in figura hominis unius inſidentis equo, cum haſta & flagello. ibid.

Neptunus ſculpebatur ut homo nudus, cum Caſſide quam gerebat in capite, equitans, & pannum ſuper humeros gerens, qui vento agitabatur, cum telo uno in dextra, duobus in ſiniſtra. ibid.

Homo inſidens equo cum telo in ſiniſtra, cui ſtella ſuper caput eſt, Imago Caſtoris eſt. Rurſum alius telum jaciens in monſtrum quoddam, indicat Perſeum Victorem Chimæræ. ibid.

Homo armatus, equo inſidens, quem præcedit alius & ipſe armatus, ſed pedes, ſignum erat expeditionis Imperialis. ibid.

Alius item in eadem poſitura, ſed qui haſta videatur alterum ferire, qui humi jacet, Victoriam Imperialem denotat. ibid.

Homo pedeſtris, qui cum inſignibus militaribus equitem præcedebat, indicium erat Imperatoris, aut Ducis triumphantis. ibid.

Vir dextra fulmen gerens, ſiniſtra aquilam, cum parvulo altari, & ſtella, Jovem indicat, cui ſacrificabatur. Jupiter victor exprimebatur in homine ſeminudo, qui in faſtigio haſtæ ſuæ Victoriam regebat. Utque eum Cuſtodem exprimerent, apparebat homo cum fulmine in dextra, haſtam gerens in ſiniſtra. Demonſtrabatur item nudus, ſtans in actu vibrantis dextra ſua fulmen, interim ſiniſtra avem tenebat; hæc figura Jovis Ultoris erat. Jupiter Servator Manum ſiniſtram verſus cœlum elevabat, dextra fulmen gubernans. Videatur & alia figura fol. eod.

Cum Jovem Propugnatorem præſentaturi eſſent, præmemoratam figuram exponebant, ſed haſtam gerentem in dextra, fulmen in ſiniſtra. Jovem ſtatorem, cum veſtimento pendente ab humero ſiniſtro, tenentem globum orbis cum imagine Victoriæ, & Aquila. 55

Hæc omnia attributa Dei ſunt. ibid.

Homo armatus tridente, regens ſiniſtrâ mundum, Neptunum exprimit. ibid.

Videatur ejuſdem imago alia. ibid.

Imago Victoriæ alatæ, portantis dextra coronam, altera palmam, Victoriam navalem indicat. ibid.

Duo homines nudi, quorum unus clavæ innititur, alter caduceum tenet, Herculem & Mercurium exprimunt. ibid.

Per eosdem intelligebatur fortitudo, & ſapientia. ibid.

Homo coronatus, circumdatus diademate aureo, eodemque ſcintillante, & radiante, qui hominem captivum ad pedes ſuos, intuetur, ortum ſolis exprimit. ibid.

Genius figurabatur in adoleſcentulo nudo, qui dextra pateram, ſiniſtrâ cornucopiæ gerebat. ibid.

Honor verò per hominem ſeminudum, qui dextrâ haſtam portabat, cornucopiæ ſiniſtra, cui caput coopertum erat caſſide. ibid.

In quodam Numiſmate apparet homo portans ſenem, ſiniſtra tenens mulierem caſſide tectam, & haſta armatam, per quæ Æneæ pietas figurabatur. ibid.

Imperator Victorioſus, per quendam curru ſublimem repræſentabatur, quem Elephanti trahebant; Erat autem redimitus lauro, aquilam gerens in ſiniſtra.

Super hanc particularitatem aliæ figuræ cernantur, in eodem loco expreſſæ. 56

Abundantia procurata per Principem, in homine exhibetur, qui in manibus Imaginem mulieris tenet, geſtantis libellum, & cornucopiæ ſicut & figura Navis, cum cophino cooperto ſpicis. *ibid.*

Sculpebatur imago Martis, in figura hominis curru vecti, & armati flagello. *ibid.*

Homa inſidens Delphino, originem Tarenti indicat. *ibid.*

Homo ſtans, qui manum præbet mulieri ſupplicanti, Rempublicam inſinuat vindicatam à Monarcha, qui eam ſubegit. *ibid.*

Captivitas Judææ demonſtrata eſt in homine pedite, gerente arma in tergo: ad cujus pedes mœſta fæmina procumbebat. *ibid.*

Homo intuens in avem, eum indicat, qui futura proſpicere deſiderat. *ibid.*

Homo ſiniſtrâ ſuâ haſtæ innixus, qui dextram porrigit, dimiſſis digitis, cum literis *Reſtitutor*: Reſtitutionem Urbium, aliorumque locorum indicat. Videantur de his fuſiora fol. *ibid.*

Homo dextram ſuam alterius dextræ conjungens, præſente fæmina armata, demonſtrat Dominium translatum conſentiente Publico. *ibid.*

Genuflexus, qui dextram ſuam dextræ Imperatoris jungit, indicat provinciæ totius congratulationem, cum ad thronum Imperialem elevatus eſt. *ibid.*

Concordia Principum figuratur in hominibus duobus, qui dextras ſibi porrigunt: & ſiquidem togatus illic fuerit, cum milite, demonſtrat literas cum armis unionem feciſſe. *ibid.*

Homo extenſa dextra, ſiniſtra portans oblatum ſuum ad altare, fidem declarat; ſicut in homine manus ſuas ad cœlum levante pietas intelligitur. *ibid.*

Conſuetudo & utilitas monetarum commercia promovet. Status mundi depravatus ex quo inter aurum, argentum & alia metalla verſatur. Raræ ſunt Monetæ aureæ, aut argenteæ, quæ Imperatores repræſentant. 57

Principes, & Imperatores in monetis inſculpti. *ibid.*

De raritate monetarum plura in medium afferuntur. *ibid.*

Reverentia quæ Principi debetur, quamvis abſenti repræſentabatur in duabus ſedibus, ſtantibus in ſenatu, vel Conſilio, in quarum una ſimulacrum Imperatoris vel abſentis, vel jam fato functi erat. *ibid.*

Figura hominis, quæ manum ſerpenti porrigit, cum interim ſuper columnam ſimulacrum hominis ſtantis erigitur, qui circumdatus eſt lauro plantata in terra, cum his verbis: *Salus Auguſti*: Salutem publicam indicat, quam Imperator ille dedit. *ibid.*

Figura abundantiæ, cum Cornucopiæ in manu, ſedentis, auc verò ſupra ſedem antiquam poſitæ; habentis ſceptrum in manu, ſecuritatem Auguſti indicabat. *ibid.*

Perſonæ quatuor, cum apparatu & inſtrumentis ſuis, liberalitatem Imperatoriam deſignant. Sicut quatuor item homines ſedentes, qui ſe invicem intuentur ſignum felicitatis ſunt. *ibid.*

Numiſma in quo ſedes cernitur, ſimilis Cathedræ, in medio ornamenti alterius, quod à perſonis plurimis tenebatur: inter quos Prælati erant, mythrati, & alii cum palmis in manibus, cujus ſuperior pars per Angelos regitur, ſubtus hæc altare eſt, cum cruce: quibus omnibus Petri Cathedræ repræſentabatur. Quæ moneta ſub Alexandro ſeptimo p. m. Romæ excuſa fuit. 58

COMPENDIUM STATUARUM.

Similitudinem omninò adæquatam ſtatuæ cum ſimulacris habent. Ejuſdem primus Author DEUS. Sagax inventio. Præmium Virtutis eſt. Ejus definitio: Primus Inventor. Inſignes Artifices, qui poſtea extiterunt. Potiſſimum erectæ ſunt Poëtis, Philoſophis, Legislatoribus, fæminis. 72

Demetrius Phalereus earum habuit tercentum & ſexaginta. Erigebantur numinibus, & Virtuti. Venus eas in antris habuit: præcipuè in figura mulieris formoſæ. Manaſſes ſtatuam ſculpi fecit quinque capitum: prætendendo plures oculos ſe habere Prophetâ Iſaiâ quem medium ſecavit. Statua Jani biceps erecta. Priamus ſtatuam erexit tribus oculis in poſteriore capitis parte. Statua Marci Aurelii dextram reſupinam porrigebat, digitis disjunctis, pol-

lice deorſum verſus inclinato. Statua Livii erecta ſuper portam Prætorii Patavienſis, tenens indicem ſuperos. Sardanapali ſtatua in Tarſis, videbatur palmam palma percutere. 73

JANUS.

Indicabatur ſtatua trunca manibus, & pedibus. *ibid.*

MERCURIUS.

In homine ſine manibus, & pedibus exhibebatur *Mercurius.* 74

Statua ornata veſtimento barbaro, quæ videbatur digitis ſupra caput ludere, effæminatos & molles figurabat. *ibid.*

UNIO.

Monſtrabatur figura hominis, quæ dextrâ ſuâ faſces geſtabat, ſiniſtra ſic compoſita ut digitus minimus, quaſi in circulum contortus, medium palmæ manus contingeret. *ibid.*

HERMANSAL.

Aggregatum erat rerum complurium. Videbatur illic homo armatus, qui dextra vexillum militare regebat, cum effigie roſæ, in ſiniſtra libram: pectore inermis erat, in ſcuto ſuo leonem inſculptum præſeferens, & urſum eidem vicinum. *ibid.*

Statuæ erectæ ſunt Seſtori Regi Ægypti; Mutio item Scævolæ, Horatio, Curtio, Pericli, (hujus ſtatuæ pileo tectæ erant, ne deformitas Capitis appareret, quod nimia longitudine eminebat) Joſepho item Hebræo, ante hunc Numæ, Platoni, Ariſtoteli, Phocioni, Cononi, Evagoræ, & aliis, qui videri poterunt fol. 75

Roma ob multitudinem ſtatuarum dicebatur habere incolas ſaxeos. *ibid.*

Videantur in Epilogo grandes ſtatuæ in domibus, & Hortis, Principum, & Cardinalium & aliorum Romanorum; quas hic cum omni brevitate poſſibili deſcribemus, quamvis & in ipſo volumine non niſi cum brevitate deſcriptæ ſint. *ibid.*

Alexander Magnus inſidens Bucephalo, opus Praxitelis, ante veſtibulum Cardinalis Ferrerii. *ibid.*

Pasquinus præ foribus Cardinalis Caraffæ. *ibid.*

Apollo in horto magni ducis Thuſciæ. *ibid.*

Adonidis ſtatua, cum apro, qui eum invadit, in domo Epiſcopi Aquinatis. *ibid.*

Atrei in palatio Farneſienſi. *ibid.*

Una Amazonum, in villa Julii Tertii Pont. Max. *ibid.*

Agrippinæ, in horto Borghenſi. *ibid.*

Bacchus in horto Cutacino. *ibid.*

Bellona in palatio Borghenſi. *ibid.*

Ceres, una in Capitolio, & altera in villa Julii Tertii Pontificis Maximi, & alia item in horto Cardinalis Ferrarienſis. *ibid.*

Cupido in Muſæo Garimberti. *ibid.*

Caſtor & Pollux in ædibus Co: Fabii Baverii. 76

Julius Cæſar in Capitolio. *ibid.*

Alia item non diſſimilis in horto Cardinalis Cæſii. *ibid.*

Statua Conſulis cujuſdam in Horto Cardinalis Ferrarienſis. *ibid.*

Cleopatra in horto, qui Belvedere dicitur. *ibid.*

Faunus in horto Cardinalis Borgheſii. *ibid.*

Flora in Farneſiano. *ibid.*

Ganymedes in Florentino. *ibid.*

Hercules diverſimode cernitur. Ex ære in Capitolio eſt: Ex marmore in horto Cardinalis Carpegnæ. Junctus alii ſimulacro incognito, in horto Cardinalis Ferrarienſis. Stans in actu dimicantis cum leone, in horto Thuſcano. Idem monſtratur in Muſæo Garimberti, in villa Julii Tertii Summi Pontificis, & in Palatio Farneſienſi. *ibid.*

Statua Laccontis monſtratur in horto Pontificio. Statua Ledæ in Villa Borghenſi; Memnoſynes in Capitolio: Illic item ſunt Marci Aurelii, & Antonii Auguſti. *ibid.*

Statuæ item flaminibus dedicatæ ſunt. Statua Nili in horto Vaticano cernitur, alia in horto Cardinalis Cæſii. *ibid.*

Natura, & Terra in Muſæo Garimberti. Nympha in horto Carpegnæ. Paſtor, & Pſyche in villa Julii Tertii Summi Pontificis. Pomona villam Borgheſienſem adornat. Rex Parthorum terribilis magnitudinis in palatio Farneſienſi cernitur. Alius item in petra nigra in palatio Cæſio. Statua ex porphyro, cujus caput, brachia, & pedes ærei ſunt, repræſentat Nabuchodonoſor, in villa Julii Tertii jam præfati. Alia item Sabinæ cujuſdam, in ædibus Capranicis. Alia in palatio Farneſienſi. Alia in ædibus Epiſcopi Aquinenſis. Alia Sileni in villa Borghenſi. Sibylla habens libros Sibyllinos in manu, & Satyrus docens puerum, in ædibus Cæſiis. Statua Margaritæ Auſtriacæ in ædibus Hieronymi de Cupis: Item ſtatua Tyberis in horto Vaticano; Item fluminis Tygridis in Capitolio: Thaliæ & Tyri in Horto Carpegnano. *ibid.*

Dea Veſtalis in horto præmemorati Julii Tertii; Zeri & Amphionis, qui ſe in fon-

fontem præcipitant: Dirces ligatæ ad Cornua Tauri, in horto Farneſiano. *ibid.*

HEROES IN ROMA ANTIQUA.

Statua Herculis in Foro Boario, conſecrata Evandro, Janus Bifrons, erectus à Numa. M. Antonius & Lucius Verus, ante Lateranum. Cæſar equum inſidens, in foro ante Templum Veneris Genitricis. Domitianus in ſtatua aurea in foro, ſubtus quam Rhenus præterfluit. Conſtantinus Magnus, & Silla ambo ex auro. Q. Marcius Caſtor & Pollux in foro. Ceres Dea erecta à Sp. Caſſio. *ibid.*

Græci ſtatuas nudas formabant, Romani veſtitas. *ibid.*

Romulus & Camillus ſine habitu ante templum Caſtoris. *ibid.*

M. Actius Nævius, & Marcus Tremellius ambo ex ære, erectæ à Tarquinio. 77

Horatius Cocles, Mutius, & Clœlia poſitæ in Comitio. *ibid.*

Actius Poëta in Templo Camœnarum ſibi ipſi ſtatuam erexit. *ibid.*

Scipio & Ennius ad Portam Capenam. *ibid.*

Junius Brutus gladium tenens, erectus à Romanis, cum literis aureis ad pedes. M. Æmilius Lepidus, veſtitus toga, cum Diplomate in manu, in Capitolio. *ibid.*

Lucius Scipio veſtitus chlamyde, & crepidatus. *ibid.*

Sylla poſitus â M. Tullio. *ibid.*

Ante Roſtra quatuor legatorum, qui à Laërte Rege Virentorum occiſi ſunt. *ib.*

Statua Concordiæ Q. Martii, collocata in Templo publico. *ibid.*

Cæſar Auguſtus in faſtigio Capitolii. *ibid.*

Trajanus & Antoninus Pius ſupra columnam erecti, â Coclea. *ibid.*

Opus ex Porphyro, erectum ab Alexandro Severo in ejuſdem Palatio. *ibid.*

Item ſtatuæ quædam ſine capite, quibus tamen alia capita ſubſtituta ſunt. *ibid.*

DE HOMINE INDIVISO, *ET* INTEGRO:

CUM SERIE CAPITULORUM PRÆCEDENTIUM, QUIBUS MAJOR COPIA ACCESSIT:

CUM ADDITIONIBUS ET TABULIS:

LIBER SECUNDUS.

MIRACULUM ANIMATUM,

Hoc eſt:

DE DIGNITATE HOMINIS.

DISCURSUS PROOEMIALIS, RECITATUS IN PUBLICO.

HUmana mens (AUDITORES BENEVOLI) de æthereo ſpiritu participans, uſque adeo in ſublime ſe elevat, ut tanquam ardea ſuper nubes volando, in operibus ſuis, ipſum adeo univerſitatis æmulari opificem non vereatur etiam in iis, quæ elegantiſſima de artifici manu ejus fabricata ſunt. Hæc virtus à primordio Creationis, homini indita, & implantata eſt, teſtificante ſpiritu Dei: *Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo Pater orbis terrarum, cùm ſolus* Sap. 10. *eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum à delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia.*

De ampliſſima illa vaſtitate nullitatis dextra Dei, omnium opifex, purgatiſſimam lucis abyſſum, & magnam illam mundi lampadem in firmamento cœli produxit, quæ horrores noctis propulſat, & ſpiſſiſſimas tenebrarum caligines ſplendore ſuo promicanti illuminat. Opus tam magnificum Numa Rex, Veſpaſianus, & Antoninus Imperatores æmulati, hi quidem in Thermis, ille verò in Templo Veſtæ nocturnis diurniſque vicibus, & faces, & lumina, & ignes inextinctos nutrierunt. Præmemoratæ Luci Omnipotentia Creatoris Cœlos annexuit, utroque eos Polo diſterminando, confiniis ſuis & litoribus ſubjacentes aquas includens, mundumque elementarem perfectionando in circulum ſuum Symbol. Cauſ. contorquens. Auſus eſt inter ambitioſos Reges Perſiæ Coſroas, faſtuoſus ille & elevatus, admirabile opus machinari, in quo non ſecus ac cœleſtes illæ ſphæræ artifici manu elaboratæ apparebant, quæ figuris ſuis per intelligentias fabrefactas circumgyrabantur: illic fulgura ſpectabantur, immixta tonitruis, illic emicantia fulgetra, cum fulminibus.

In primordiis ſæculorum, & mundi primùm naſcentis exordiis, arida tellus, & infrugifera adhuc, continuò virorem ſuum induere, luxuriare graminibus ſuis, ditari plantis, effloreſcere omnicoloribus florum cœpit generibus, & cumulari ſegetibus edocta fuit. Hæc portenta ſecutus Hermes, non minus & ipſe portentoſus, in cœlo vegetabili & candore terræ, & filiorum, ſylvarumque ſuarum varietate, omnigenûm colorum diverſitate, & ordine, colles monſtravit, & planities, in tam varias figuras depicta, ut vel collum columbarum, aut Iridem ſpecioſiſſimam, aut arrogantes Pavonis plumas imitari viderentur.

Bina illa luminaria magna, Providentia divina, in ſpacioſis cœli campis collocavit, ut videlicet, non ſecus ac luminoſa fax in magno illo mundo, vel Macrocoſmo ſplendeſcerent. Spectabilis olim erat in Rhodo Inſula Caretis Coloſſus, qui Solis dicebatur, moles immenſa, quæ altitudine ad ſeptuaginta cubitos uſque pertingebat, ita ut cogitationi hominum factu impoſſibile videri potuerit, vaſtitatem tantam elevari è terra potuiſſe: Opus quod ducentorum talentorum pretium exuperavit, cujus membra ſpeluncis ſubterraneis æquiparabantur, & luſtris ferarum: erat autem diademate aureo coronatum, quod de vaſe ingenti flammas evomebat, ipſo ſolo aſpectu plenum majeſtate & magnificentia.

Volvantur ſupra nos, ad gubernantis Dei nutum, in immenſitate gyrorum ſuorum, quaſi ærea lege, cæleſtes ſphæræ, & has quoque nobilis ille Syracuſanorum Geometra in fragilitate tranſparentis vitri imitari noverat, volubiles rotas iſtas arte ſua, quaſi in carcerem detrudens. Flaveſcebat ſolis inſtar, & in modum purpuræ rubeſcebat olim pretioſum nectar in racemis ſuis, quod manus Zeuxis, ingenioſa & ſubtili arte in tela depinxerat, jucunda fallacia oculos volucrium decipiendo, quæ quaſi ad conſuetam eſcam cupidæ advolabant. Adaugeat omnipotentia divina magnificas has mundi pompas, in ſublimes auras, ſmaragdino colore veſtitas, & fructibus ſuis exuberantes arborum plantas: curioſa enim dextra hominis, & inventrix mens, per artificia ſua, in metallo fuſili, & candidis marmoribus, & ſuaviſſimis tincturis ſuis eadem ſpectacula tam in aulis Principum, quàm theatris, & templis exhibebit, naturam æmulando picturis, & ſculpturis ſuis. Dio Chryſ. Orat. 6. Sic olim Perſia Platanum auream Xerxis reverita Ioſeph. lib. 6. eſt, ſic Judæa vitem Herodis admirata eſt, nec un- De bello, Iud. quam Græcia ceſſavit applauſum dare Pygmale- Philoſtr. in ontis oleæ. vit. Apoll.

Denique inter hæc mira maximè admirabilis homo ipſe, tanquam Coloſſus aliquis elevetur: ipſe enim novit, tanquam ſui, ſtatuariique ſui imitator ſapiens, in ſimulachris ſuis ſemetipſum effingere, & runcinis, ſcalpelliſque, in facie ſolis, miro artificio vocem hominis figurare, & articulatos accentus producere. Sic enimverò, ſecundum

dum Doctorem gentium, inviſibilia ejus per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, & creaturæ, ſi ritè conſideratæ fuerint, ſchala ſunt ad Creatorem: ad quem ſic ſuaviter conducimur. Pari ratione adducta Græcia, & hoc fundamento divino nixa, quamvis materiali manu fabricata ſimulacra venerari non deſtitit, Minervam Phidiæ, Venerem Apellis, & Regulam Polycleti.

Ad ſagacitatem tam admirabilem, & ad operationes tam exquiſitas, quæ ipſam quodammodo divinitatem ſubintrant, reflectens magnus ille Philoſophus Favorinus apud Cœlium, his verbis uſus eſt: *Nil magnum in terris præter hominem: nil magnum in homine præter mentem & animum.* Hinc porrò Triſmegiſtus conſiderando pretium tam famoſum hominis, in hanc ſententiam prorupit: *Animal adorandum, ac venerandum homo, miraculum magnum, diviniori quodam ſpiritu concitus, & coruſcus ſcientia, in naturam Dei tranſit, tanquam ipſe ſit Deus.* Plato elevatiſſimus in Ideis ſuis, rationabilem animam terſiſſimum ſpeculum appellat, *in quo divinitatis ſumma ſplendet imago*, & alibi: *Non contentus hominem ſimpliciter miraculum appellaſſe, adjecit divinum miraculum*, ſic Rhodiginus refert. De hoc ipſo magnus Mediolanenſis Eccleſiæ Archipræſul Ambroſius inquit: *Tanta eſt hominis dignitas, ut dicatur homo ſedere ad dexteram Dei, non Angelus.*

Lect. antiq. lib. 1. c. 38.

Ex Cœlio ut ſupra.

Si itaque homo operationes ſupranaturales operari audet, ſi Anima quam poſſidet, ad corruptionem non delabitur, edacitati mortis ſe ſubdi refugiens, ſi origo noſtra deſurſum ex cæleſtibus derivat, ſi nemo noſtrum eſt, qui ad Dei ſimilitudinem formatus non ſit, ſi tam ritè ordinati, ſi tam eleganter compoſiti, & intelligentia dotati ſumus: ſi in mundo hoc elementari quidquid illic ex elementis compoſitum invenitur, à noſtris penè nutibus dependet: ſi motus in nobis nullus eſt, nec geſtus, nec ulla actio, quamvis minima, quæ majeſtatem, admirationem, pompam, & decorum non præſeferat, quippe quod Archetypi illius ſummi magnum exemplare ſit, quod in ſe omnem abyſſum profunditatis, omnem immenſitatem, ſtuporem omnem complectatur; quis neget Miraculum animatum nos eſſe? Quis non præfatis omnibus ſine difficultate ſubſcribat?

Hic ergò ſcopus eſt, ad quem præſens Oratio mea terminabitur: *Homo animal adorandum, miraculum miraculorum.* Nec enim niſi magnopere plauſibile erit argumentum hoc, cùm è mirabilibus compoſitum ſit, & plus quàm cætera objecta ordinaria portentoſa, & ſtupenda ad curioſitatem, & admirationem involvat.

Quapropter non hic operæ pretium ratus ſum, artificio orationis emendicato, benevolæ auris implorare attentionem, cum res per ſemetipſam ſibi eam conciliare poſſit, & thema ipſum illuc invitet, idque eo magis, quod quæ mirabilia ſunt, & ſtupenda, ſilentium per ſemetipſa auditoribus imperent.

Ex anatom. Laurentii.

Zoroaſter magnus ille Magus, qui nomen ſuum ab aſtris mutuatus eſt, raptus in profundiſſimam extaſin, dum eſſentiam ſuam propriam prolixius, & cogitationibus altioribus contemplatus eſſet, non ſecus ac de gravi ſopore evigilans, in ſtuporem ſolutus, & quaſi improviſo quodam accidente correptus, in hæc verba, quæ meritò Mundus admirator audiat, prorupit: *O homo audaciſſime, & omnia confidenter moventis naturæ decus.* Erat olim Barbarus quidam, nomine Abdala, qui interrogatus aliquando, quidnam inter creata potiſſimum admirabile, & portentoſum arbitraretur, reſpondit homo non ut barbarus, ſed ut vir ſapiens: *Hominem unum eſſe, qui admirationem omnem ſuperet.*

Cum autem de mirabilibus ſermocinari ſponderim, reliquum erit, ut quid ſit miraculum, & quæ ejus eſſentia declarem, ut proinde ad reliqua argumenta, hac ſchala facta progrediar. Inprimis igitur Valerius Maximus, ut mihi quidem videtur, Theologum egit, dum miraculum his verbis definiit: *Miraculum eſt res, quæ unde manarit, aut quâ ratione conſtiterit, dignoſcere arduum*: quod Theologi noſtri ſic definiunt: *Opus ſuperans virtutem creatam.*

Ex theatro vit. hum. in lit. M.

Omne id, quod accidit, cujus cauſa inveniri nequit (ſicut vas electionis de gloria cæleſti inquit, quam auris non audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis aſcendit) quod omnem facultatem intellectivam exuperat, negari non poteſt, quin portentum, vel miraculum ſit. Ad quod olim Nicodemus in præſentia Verbi Incarnati intendens, de radiis divinitatis ejus illuſtratus dixit: *Opera, quæ tu facis, nullus poteſt facere, niſi fuerit Deus cum eo.* Magna etiam revolutio mundi, quæ tum contigiſſe legitur, cùm ſummus ſol juſtitiæ Chriſtus ad occaſum mortis properavit, ad fidem provocando Areopagitam ſummum Philoſophum in ſequentia verba impulit: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſolvetur.* Hinc S. Auguſtinus ait: *Miraculum voco, quidquid arduum, aut inſolitum, ſupra ſpem, aut facultatem miranti apparet.*

Miraculum juxta mentem ſuperiorum, in quatuor genera, aut partes dividitur: Quarum prima eſt, dum homo, in eſſentia quidem propria, ſupra robur ſuum nihilominus ſe elevat: altera cum res quæpiam omnem virtutem & potentiam hominis tranſcendit, non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam quod de ſimili objecto ſimile factum evenire nequit: tertiò cum ultra ſubſtantiam effectus producitur, & eventus inopinatò conſequitur: ultimò denique, cum nec per ſubſtantiam, nec per modum, neque per materiam, nec mediante re ulla quicquam accidit, & tale quidem quod nec dæmonum artificio fieri poſſit, ſed ſolius Dei potentia, & opere. Suppoſita igitur hac doctrina, reliquum mihi erit, ut ex fundamentis his elucidem, qualiter hominem dicamus eſſe: *miraculum magnum, admirandum miraculum Dei.* Miraculum omninò maximum eſt homo inter omnia ea, quæ de officina ſummi opificis prodierunt (nemo eſt qui negare audeat) inquit Philo. Quid eſt homo? *Homo eſt, quis cognovit eum?* Sic divina Sapientia atteſtatur: ſupra quod magnus ille Claravallenſis Abbas ſic ait: *Superexcellentiam ejus quis enarrabit?* Cujus anima ſplendore tota coruſcans, incorporea, æterna, luminoſa, & dignitate elevata; quæ tamen cum tam nobilis ſit, non niſi corpus inhabitat, ponderoſum, & oneroſum, omni oppreſſioni ſubjectum. Una itaque ſubſtantia hominis ad occaſum mortis præcipitat, altera vegeta, & vivaci ſpiritu ſuo, ad æthereas anhelare ſphæras non ceſſat. Atque hoc ænygma, inquit Rhodiginus, illi alteri æquiparandum, quod ſphynx olim prætereuntibus proponebat: *Hoc ſignificaſſe videtur, ænygma magicum, quo dicitur res undique lucida, & res undique obſcura: .... mens*

De Opific. mund. Hiero. 17. Homil. in vil.

ſiquidem eſt lumine plena, irrationalis anima prorſus vacua. In meditullio eſt, ac veluti collimitio rationalis natura: Ideoque: *Superexcellentiam ejus quis enarrabit?*

Quis enimvero dixerit fabricam hac humana digniorem eſſe, quippe quod intellectu ornatus eſt homo, ratione dotatus, omne objectum creatum poſt ſe relinquens: ſociatur cœlis, communicat cum Deo, formatus, & compoſitus ad imaginem & ſimilitudinem ejus? Quanta hæc fabrica eſt, quæ ſimplicitate animæ ſuæ Trinitatis unitatem exprimit, potentiarum ſuarum trinitate, perſonarum diverſitatem demonſtrat? Non poſſum quin ſæpius memori mente recolam id quod Archipræſul Mediolanenſis inquit, de pulchritudine animæ ad formoſitatem corporis deſcendendo: qui quamvis aliquanto prolixior ſit, non minus tamen elegantiſſimum & penè divinum eſt, quod refert: *Fabricam ipſam humani corporis ſi quis conſiderare velit, nil poterit in terra judicare pretioſius. Eſt enim homo ſtatura celſus, vultu decorus, cæſarie comptus: non autem cæterorum more curvatus animalium, ſed ipſo naturæ jure ſublimis, qui in cœlum libero obtutu, nulla captivæ ſervitute cervicis oppreſſus in terram, ſed tanquam propriæ conſcius ſublimitatis, ſui authoris teſtis locuples.*

C. 10. in Pſ. 118.

Conſiderando Protagoras illic apud Seſtum Empyricum, conſtitutionem hominis, eum rerum omnium Magiſtrum appellavit. Quod ſi idipſum pro merito, & ſecundum partium enumerationem, ſecundum circumſtantias, & figuras ob oculos ponere ſtatueremus, nec pennæ Stoicorum, nec Oratorum facundia, nec Poëtarum miræ inventiones ſufficerent, ad ſolum principium ritè exprimendum: unde, ut cum Chryſoſtomo loquar, tantundem eſſet, ac emetiri immenſitatem velle Oceani, perdere non recreare mentem: itaque repetiiſſe illud S. Ambroſii juvat: Quod Deus formando hominem, non eum, ſicut Angelos, in congerie cœlorum produxit; ſed volens quod pretioſiſſimum & perfectiſſimum eſſet, epilogare, ut ita dixerim, propriis adeò manibus ſuis, prima ejus rudimenta, & lineamenta depinxit, & figuravit: in propria eum forma compoſuit, non cum Prometheo facem à ſole mutuatus, ad infundendum ſpiritum vitæ, ſed eum multò felicius Memnone, inſufflatu radiorum ſuorum ad diſtinctionem loquelæ animavit.

Voluit Sapientia altiſſima ultimum creationis ſuæ opus eſſe hominem, ut indicaret, eum cœli & terræ Horizontem eſſe, temporum, & ipſius æternitatis confinem, imò metam operationum Dei: ſic referente Scriptura, quod terminata magnifica illa Creaturarum ſuarum creatione, in productione hominis, tandem requieverit: Idque feciſſe mihi videtur, ne homo propter quem omnia, in ullius rei indigentia eſſet. Poterat utique pro libitu ſuo creaturis uti, ſed potiſſimum ei adjumentum (quis neget?) ex Sole provenit, Sole inquam creato, qui gyganteis pedibus, per vaſtiſſimum Zodiaci circulum infatigabiliter means, oculo lucidiſſimo & ignito, omnia ad utilitatem illius perluſtrat: Diffundit præter hæc in immenſitate illa firmamenti, & campis cæruleis argentum ſuum Luna, aſpergens aquas in fluminibus, & mari. Flammeſcunt auro ſuo ſtellæ, quæ præmemoratis ſyderibus junctæ in reconditis montium viſceribus, in abſtruſis camporum penetralibus, auri, & cæterorum theſaurorum venas progenerant. Auroræ lux quotidianis fulgoribus fornices cœli percellit, de urnis ſuis & rorem, & roſas diſtillans, & diſſeminans, nec diſcedit niſi voluminibus ſplendorum poſt ſe relictis: pro homine diurna, & nocturna tempora vicibus ſuis ſe amplectuntur, ordinatiſque periodis ſuis volvuntur anni tempora, & intelligentias fatigant. Inter hæc homo non ſecus ac Monarcha quidam, officium univerſorum, & vices portare ſolus debebat; atque idcircò ab Altiſſimo tam amplum, vaſtumque ei imperium datum: *Dominamini piſcibus maris, volatilibus cœli, & beſtiis univerſæ terræ.*

Ex una parte de eo S. Ambroſius inquit: *Ideo noviſſimus venit in mundum, tanquam creaturarum gubernator, quaſi totius ſumma operis, quaſi cauſa mundi, propter quem facta ſunt omnia, tanquam habitator elementorum*: Ex altera parte Baſilius Magnus Seleuciæ Epiſcopus: *Vidit hominem immortali manu editum, & Dei digito ex tempore perfectum, abſolutumque ſimulacrum: vidit ſimul fictum, ſimul Regem factum: nam præſit, inquit, piſcibus maris.* Hæc eſt ſententia Davidica: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Si enim ſic ſtabiliri oportuit hominem, ut per viam ſublimem ejus compoſitio ad dominium univerſitatis reſpiceret, congruum erat (ut patet) ejus creationem ad ultimum differri, ut ab omnibus creatis agnoſceretur: *Animal admirandum, venerandum miraculum miraculorum Dei.* Porrò quàm admirabile eſt, ſi orbis terrarum tantæ amplitudinis, tantæ abundantiæ, tam fœcundus, in inventionibus tam ſublimis, de quo Regius Cantor: *In adinventionibus manuum tuarum exercebar*, ubi Tigurina ſic legit: *admirabar*: Orbis terrarum, inquam, tam copioſus divitiis, tam plenus animantibus, cùm tanta ſymmetria efformatus, in agris ſuis tam uber, in commerciis tam frequens, ſupra quem ingens illa cœlorum aula, vel cortina, auratis fibulis, ut ita dixerim, ſe aperit, & reſplendet: Hic ergo orbis, quamvis ſub ſe hominem continere videatur, hujus tamen tam excelſi ſimulachri, etiam nolens, non niſi baſis eſt, & columnæ tàm excellentis ſuſtentaculum; non aliter ac immenſa altitudo montis Olympi, in quo olim magnifica apparebat Jovis fulminantis effigies, opere ſemper memorabili, & mirabili Phydiæ: *Vidit ſimul Regem factum.*

In Ep. 35. ad Her.

Prodigioſum eſt, quod famoſus ille Stagirita recenſet, vidiſſe ſe in diebus ſuis, contra conſuetudinem naturæ, & ſubſtantiæ, & ſubjecti, & materiæ, ea tempeſtate qua Perſarum Rex cum Græcis prælio congrediebatur, in medio firmamenti globum igneum apparentem, neſcio an idcirco factum, ut fervor bellantium accenderetur, an verò ad incutiendum terrorem. Hinc eſt quod Seneca inquit, Authorem ſuum citans: *Vidimus non ſemel flammam ignis pilæ ſpecie, quæ tamen ipſo curſu conſumpta eſt.* Cum hac ego flamma, quaſi rapido volatu ad conſiderandas animæ qualitates feror; ad lucidam nimirum, & activam levitatem, quæ non evaneſcit, ſed ſurſum lata, nubes ipſas transvolat, ſiquidem ponderis hujus terreſtris nodos, quibus à volatu deprimitur, tandem diſſolverit. Jam à Paganis ipſis anima noſtra ignis dicebatur: & præter mythologica Poëtarum commenta, qui Prometheum ſolares radios furto ſurripuiſſe, ad tantoperè decantatum Epimethum ſuum informandum confinxerunt, non

minus & ipſe Fabius gravis Orator inquiebat: *Animam flammei vigoris impetum, perennitatemque non ex noſtro igne ſumentem, ſed quo ſydera volant, in qua ſacri torquentur axes, inde venire: & quoties humani corporis carcerem effregerit, exoneratam membris mortalibus, levique ſe igne luſtraverit, petere ſedes, & aſtra.*

Ex Cauſin, Symb.

Hinc ſapienter Ægyptii hujus rei expreſſionem Hieroglyphicam ſculpiſſe leguntur, vulturem nimirum, natura ignea proviſum, plus quam omne volatile (ſi aquilam exceperis) pupillæ oculorum acutiſſimæ: Hinc Martianus quoque ſeptem Planetas introducit, omnes adeo in ſinum animæ ſibi cognatæ influentes, quippe quæ & ipſa calore & luce plena eſt. Ejuſdem ſententiæ erant Ariſtophanes & Horus, unde eam in inclinationibus ſuis his ſiderum influxionibus ſubjectam tradiderunt. Huc reſpiciunt verba Comici Prudentii: *Oris opus, vigor Igneolus.* Tertullianus ad declarandam hanc veritatem, ſub velamine colorum qui lucidi ſint, & aërei, animam repræſentat: ſicut & Cæſar Junior, qui eam deformavit, dum in vaſe ſphærico clariſſima luce transfuſo, & adimpleto conſtitere eam fecit. Senſatius, & ſecuriori doctrina locutus Philo, ſic habet: *Expreſſum hoc beatæ naturæ ſimulacrum, decerptam à Deo particulam, divinitatis radiationem.*

Symbolicam figuram fuiſſe dixerim faces illas diurnas quidem, ſed portentoſas, quæ olim Cæſaris Auguſti temporibus viſæ fuerunt, cum in urbem Apolloniam Triumphator introiret (ſicut præmemoratus Author refert) quaſi verò ad decantandas tanti Principis glorias terreni applauſus non ſuffecerint, ita ut cæleſtia quoque in ſubſidium venire opportuerit. Unde Ethicus inquit: *Noſtra quoque ætas vidit diurnas faces, aliàs ab Oriente in Occidentem verſas, alias ab Occaſu ad ortum.* Eadem pene contigiſſe legimus in Conflictu Cæſaris cum Pompejo; de Cæſareo enim campo improviſus ignis exortus, harum partium ſe fauſtum Fecialem, inimico autem fatalem præbuit, in cujus caſtra provolans ſine alio attractu, eo uſque circumgyratus fuit, donec illuc rediit, unde primum ex improviſo prodierat. Vero itaque ſimilia æſtimari poſſunt quæ de Pericle, de Tyberio, & Theodorico recenſentur: de quorum capite, vultu, ore, & membris exiiſſe flammæ memorantur, eluxiſſe ſcintillæ, & exu rexiſſe ebullientes fumi, & vapores: Si Rhodigino tamen, & Plutarcho fides adhibenda.

Lib. 8. c. 6.

Stupenda, & inaudita erant prodigia illa, quippe quæ naturam omnem, & ſubſtantiam humanam excedebant. Sed quæ nunc de eodem Seneca relaturus ſum, Auditores, omnem penè fidem & omne miraculum exuperare videri poterunt. In liquidis olim Pelagi campis contigit, ut procul intorta ignium mille volumina elevarentur, atque exinde ſe ſenſim rupes modica protulerit, quæ non multo temporis ſpatio in ſuperbiſſimum & elevatiſſimum mortem excrevit, unde poſthæc Inſula ſpacioſa admodum prominuit. Sic enimvero novus mons Aethneus, aut Veſuvius dilatari cœpit in aquis. Spumabant horridi fluctus; neſcio an ex dolore, quod humentem ſinum ſuum ſibi dilacerari fremebant, fulmina quoque nova experti: an verò ſic jubente hilaritate, eo quod enatis montibus, & Inſulis, ſolitudines ſuas madidas, populatas, & frequentatas viderunt: aut verò etiam id factum dixeris, quod per æmulationem invicem concertando fluxibili humore ſuo undæ, noviter ortæ Civitatis muros oſculari, & fundamenta lambere contendebant; in natalitiis ejus, argentea ei involucra, & infantiles pannos mutuando. Videbatur ipſum adeo cælum ad Neo-partum hunc jubilare, dum certatim, quaſi hilari luſu, ubique focus collucerer, & ſcintillantes flammæ diſcurrerent: non ſecus ac in urbibus pro communi teſtificatione lætitiæ funambulones, & hiſtrionum omne genus, per fora publica ſpectantur: ſic flammæ præfatæ, miris compoſitionibus circumquaque volitabant. Hinc Author ait: *Prodibat ignis non continuus, ſed ex intervallis emicans, fulminum more.* Niſi forte alius quiſquam, moralitate alia ductus, auſpicari potuiſſet, Jovem in cæleſti regno ſuo, Neptunum fratrem ſuum veritum, qui more Enceladi, aut Typhoei gigantum, erectis montium culminibus, ruſum throno ſuo ſe expellere niteretur, atque ita arrepto fulmine, & imperioſo triſulco ſuo ad defenſionem ſui exarſiſſe. Nec verò opus illud prius terminatum fuit, quam dum condenſata & vaporoſa caligine cuncta operirentur: eorum more, qui opus aliquod elaborando, quod luci deinceps exponendum ſit, illud prius linteamine contegunt, ne imperfectio intuentium oculos lædat, & ut prima rudimenta operantis lateant: Sed propediem flammarum energia, tenebroſum illud Chaos diſſipatum, vel cortina illa ſemota fuit, & prodigioſa machina palam apparuit.

Verumne ſit, an commento ſimile, quod hic relatum eſt, ſtet fides penes Authorem. Ego verò qualicunque huic facto inhærens, in admirabili hoc naturæ prodigio, conditiones, & qualitates præmemoratas perpendendo, non ſum veritus aſſerere, ſymbolum illud, & figuram eſſe hominis, cum appendicibus ſuis, ſitu, loco, affectione, qualitate, materia, natura, & anima. Repedare liceat, Auditores, ad univerſalem mundi Creationem. O quàm ingens Inſula, aut verò mons, univerſitas inquam terræ, ſuper aquas elevatur? Cum quanta induſtria divinus Architectus *diviſit aquas*,! Quàm univerſa æquavit, & quam diſtinctè, quàm potenter, in locum unum ſegregavit, & finibus ſuis coercuit? Illius opera factum, ut à quatuor præcipuis lateribus Paradiſi laberentur Phyſon, & Nilus, Euphrates cum Gange, qui auro, & gemmis, & ſegetibus, & plantis, & floribus, & omnigenis fructibus terram foecundarent. Illic ignis ad ſphæram ſuam ſe elevando favillis ſuis ſplendeſcebat, poſtquàm ad mortalium beneficium benignos influxus ſuos diſpertiiſſet.

Super hæc igitur coronatus propheta noſter reflectens, feliciter contemplationis ſuæ altiſſimæ navigio per aquas illas velificat; ſitum tam mirabilem conſiderando, tanquam univerſitatis fundamentum: *Domini eſt terra*, inquit, *& plenitudo ejus, orbis terrarum & univerſi, qui habitant in eo. Quia ipſe ſuper maria fundavit eum.* Ecce auditores mei, nunquid non ita eſt? De mirabilibus me dicturum ſpopondi: *Et ſuper flumina præparavit eum.* O quàm labile fundamentum! Super ripas fluminis fundamenta totius mundi collocaſſe! Id quod cum alio prophetæ ſenſu concordat: *Initio tu Domine terram fundaſti.* Fertur ſuper terram aqua, aquæ aër incumbit, tanquam ſedes ambiens ignem, ſuper aërem ignis ſuſtentaculum primi cæli elevatus eſt, & ſic ordo ad ultimam uſque ſphæram propagatus eſt. Hic

Pſalm. 23.

ergò

ergò, ut gradatim philoſophemur, aër, ignis, & aqua in loco uno à terra ſuſtinentur, & diriguntur, in altero ſupra currentia flumina, & mare magnum fundata ſunt. O admirabile ænigma! O gryphum inſolubilem & ipſi Oedipo! Nodi & ipſi Alexandro involuti, & confuſi: & nihilominus id quod in mundo elementari abſtruſum eſt, in microcoſmo limpidum, & tranſparens eſt. Argumentum palam eſt, ſi qualitates elementares in compoſito noſtro diligentius perſcrutari placuerit: hæ non ſecus ac Gratiæ, quæ ſe manibus comprehendunt, & choræas ducunt; non ſecus ac aſtra firmamenti, quæ in claſſibus ſuis favillare non deſinunt; non ſecus ac regulata vertigo ſphærarum, de quibus Latinus Placatus: *Ut indefeſſa vertigo cælum rotat, & ſtare Sol neſcit:* Sic præeminentia unius, aut alterius, imò verò in ſymmetria perfectiſſima, nutriunt, alimentant, & conſervant compoſitum noſtrum. Sic: *Initio tu Domine terram fundaſti*: ex una parte: Ex altera: *Super flumina præparavit eam.* Correſpondet aëri ſanguis, calori ignis, humido aqua, quod grave & ponderoſum eſt, terræ. Sed quandoquidem de mirabilibus fandi mihi propoſitum eſt, in animato miraculo meo id invenio, præter ſubſtantiam & qualitatem naturæ, non aliter, quam ſupra memoratam Inſulam hanc hominis molem ſuper aquas fundatam eſſe. Neceſſe interim eſt, volenti mihi, quod aſſumptum eſt, conſolidare, ut pedem referam tantiſper, ſicut faciunt, qui foſſam tranſilire contendunt. Interim Domini mei, velim mecum ſecus flumen gradiamini, poſtquam jam de aquis ratiocinari cœpimus. Illic ad limpidiſſimum murmur chryſtalli liquefacti, videre vobis licebit, aut ſtripem, aut arbuſtum aliquod, aut florem, aut herbam, aut plantam, quæ cum amœna reflexione multiplicando figuram, imaginem ſuam de aquis prodire reduplicatam faciunt, in tam diverſis nihilominus compoſitionibus, & modis, ut ne Protheus quidem id felicius, & vivacius poſſet Mythologicum, & fabuloſum illud, quod de Narciſſo Poëtarum antiquitas confinxit, qua ratione ſuimetipſius ſpecie raptus, in aquas præceps ruerit, & naufragium inopinum ſibi parârit, nos abunde perſuaſerit, quantopere hoc elementum aquæ terſiſſimi ſpeculi Inſtar ſit: Unde non abs re propoſita eleganter elevatiſſima Muſa cujuſdam cecinit:

Deliri de la ſolitudine di Ludovico Malvezzi.

Què ſolituoi qui fra nativi argenti
Renderian vaghi più l'onde vaganti,
E comé ſoli, entro à queſt' aque algenti,
Fra gli erroré del Rio Sariano erranti.

Hinc non inamœna metamorphoſi, & oculorum deceptione, objecta diverſimodè aliter quàm in ſemetipſis ſint, apparent. Quemadmodum demens ille, qui Lunæ admiratus imaginem in fundo putei, eam illic (ſicut Democritus veritatem) eruere ſatagebat. Ita enim virga, aut lignum aliquod, quamvis rectum, aquis impoſitum, hiulcum, vel omninò fractum videtur. Quod virtute reflexionis fit, quæ ſuaviter radium, vel pyramidem viſivam frangendo, diverſam ab obiecto oculis noſtris ſpeciem, & apparentiam repræſentat.

Non vos ultra ſuſpenſos volo, Auditores: Id dico: Compoſitum humanum Montem eſſe, qui verſus cælum ſe erigit, in quo tanquam de voluminibus radiorum ſe animæ fax magna ſublevat. Hæc verò anima in ingenti Oceano Intellectus, imaginationis, & phantaſiæ admirabiles formas, & figuras effingit, id que multò copioſius quàm chamæleon aliquis, aut tygridum multifariam depicta & virgata dorſa, aut Panthera: ac ſic verum eſt, quod *ſuper flumina præparavit eam.* Magna dignitas, & amplitudo animæ, quæ velocius pennis aquilarum, velocius fulmine, in momento temporis, montium culmina transſcendit, ſulcat maria, & in aëre circumgyrat, in terris ſe ſtabilit, cum igne per intelligentiam ſuam in ſuperna ſe elevat (Non mihi, obſecro vertatur vitio, quod in amplificatione hac prolixior ſum, argumenti enim concluſio ſic poſtulat) elevat, inquam ſe anima in magno univerſitatis mari; Quæ enim obiecta non videt? qualia non repræſentat? quas aptitudines, figuras, formas, ſimilitudines, aſpectus, & curvos, & rectos, & obliquos, & contortos? Hæc, juxta mentem ſcientifici cujuſdam, potens eſt ad formanda & rurſum fuganda infortunia: hæc in tempore per firmamentum hominis, magnum illum Baſiliorum aſtralem generat, qui ſolo aſpectu in terram proſternit: hæc microcoſmicum cœlum infectat, unde non rarò & ipſa ſolis facies tincta, & maculata videtur, Intellectum dico, cujus tantum rabur eſt, ut ubicunque, etiam ſomniando tranſcurrerit, de ente rationis, ad realitatem traducatur, de realitate rurſum ad ſomnia: ſicut complures ſunt, qui in medio ſopore noctis ſermocinantur, & indignantur, & ferociunt, & lamentantur. Operatur Anima in infirmis, quod tota Pharmaceutica ars operari non poſſet, addacendo pro qualitate obiectorum, quocunque introierit, ſecundum libitum ſuum, & vitam, & mortem: tam fortis eſt, ut in pelle quoque natorum ſæpè maculas earum rerum imprimat, quas matres parturientes per malaciam appetierunt.

Oſwval. Crollius Præfat. ad monitor. Baſilico Chym.

Per hanc excitata mens, & vehementiſſimo igne accenſa, præter naturæ fortitudinem, ultra tendit, præterita revocans, & plures affectionum priſtinarum reaccendens, nec id ſolum in ſemetipſa, ſed in aliis quoque. Imprimit illa horrorem aquæ in iis qui à rabido cane vulnerati ſunt: & per effectum ſympathicum, eum qui à Tarantula infeſtatus & læſus fuerit, cogit in deliquium, cum in muſica harmonia eum tonum audierit, in intrinſecum genium animalis illius, à quo miſer offenſus eſt, vel phantaſiam ejus impreſſam tetigerit. Interim ergò dum microcoſmus imaginationes ſuas efformat, aſtra quoque moventur univerſorum ſpirituum vitalium: non ſecus ac in Macrocoſmo, cum impreſſio quædam formanda eſt; omni adeo momento ſpiritus aſtralis planetarum circumgyratur, deſcendendo, & aſcendendo, aut in circulum ſe torquendo. Atque ita anima noſtra vitæ & mortis arbitram ſe præbet, mediante lætitia, vel timore: Avicenna enim gravis Author ait: *Animæ paſſionibus corpus corrumpitur: & animæ à corporis motibus non ſunt impaſſibiles.* Sicut item Evangeliſta Matthæus de fide inquit: *Omnia ſunt poſſibilia credenti*, & volenti: nolenti autem, & non credenti impoſſibilia. Sic enimverò de imaginatione exitus vitalis, exitus mortalis provenit. In qua exemplar verax, & non fictum omnium creaturarum habetur: Mens enim noſtra omnes per contemplationem in ſe complectitur. Atque hic eſt verus genius, qui à firmamento originem ſuam tenet, dictus *penates*, eo quòd penes nos, vel nobiſcum naſcatur. Umbra

Lib. de Anima.

bra corporis viſibilis, domeſticus Lar, homo umbratilis, familiaris homunculus philoſophorum: Dæmon internus Paracelſi: Adech, aut ſpectrum, Lumen naturæ, intelligentia non errans, Oeſter propheticus, qui præſagit, quantum poteſt, eventus futuros: claudit in ſe, & comprehendit ſtellas omnes, conſiderando influxus, & motus earum, atque inde nonnunquam operationes, & naturæ curſum directum invenit.

Dehinc jam ſublimius elevata anima, non ſecus ac volucris quædam vivaciſſima, ad ipſam Angelorum naturam contemplandam extollitur, in corpore inviſibili participando cum iisdem, & couſque ſe levat, ut ad Deitatem ipſam penetret, cum intelligentiis illis puriſſimis de torrente altiſſimæ ſapientiæ ſitim ſuam reſtinguens: De torrente inquam, vel *fluminis impetu, qui lætificat Civitatem Dei.* Cùm ergo tam ſublimi cognitione tincta ſit, parum eſt quod ſubtus pedes ſuos mundum hunc elementarem collocatum videat, unde per miraculum inauditum major mundus in minori contineatur, inferior ſublimiorem includat, elevatior ad demiſſum ſe inclinet. Opus hoc intellectui proprium, qui virtualiter dici poterit, quod omnis coacervatio ſtellarum ſit, omnium operationum productor. Sic igitur, hæc Myrmidonum terra eſt, quæ de formicis gygantes generat: Campus Cadmi, qui de dentibus ſeminatis, milites pullulare facit: Verax Protheus aut Vertumnus, qui omnem faciem admitit, & iiſdem unitur: Argus oculatus, aut Quadrifrons Janus, qui omnia intuetur, omnia menſurat, nil non comprehendit: prodigioſus magnes, qui obiecta ferrea, etiam multis millibus à ſe diſſita, pro voluntate attrahit, & repellit, ubi aſtralem potentiam ſuam exercet, ad ſimilitudinem ſpeculi incenſorii, quod cum levem in ſinum ſuum ſcintillam attraxerit, in tam violenta augmentatur incendia, ut claſſem generoſi Marcelli incenderit. Ipſa in ſemetipſa univerſa novit producere, quæ in majori mundo continentur: Vera Cabaliſtica Magia, non minus tamen verè phyſica: quæ ſuper ternarium potentiæ ſuæ fundata, his tribus columnis fortibus ſuſtinetur & dirigitur: primùm quidem veraci oratione de intimis cordis penetralibus evaporante, unde in ſancto ſanctorum, cum Deo unitur, per ſpiritum videlicet creatum, nullis verbis prolatis, ſed in ſilentio contemplationis: deinde per communionem quam cum Deo Patre in prima ſui Creatione nacta eſt, tanquam peculium ſingulare & patrimonium commune hominum, idque mediante fide, & ſapientia naturali, quam in prima ſui productione hæreditavit. Tertiò quod ſublimiter exaltata, per vehementiam ſuam, apta eſt tranſmutare non ſolum corpus proprium, ſed & alienum: idque per modum imaginationis, hoc eſt, per virtutem illam, quam ſimilitudo habet, rem unam cauſandi per alteram.

Ut verò etiam pauliſper ad inferiora deſcendamus, illa eſt quæ ſenſus movet, quomodo in ſtridore dentium apparet, in palpebrarum ictu, in horrore improviſo, in oſcitatione, cum alios oſcitare intuemur, in aliiſque accidentibus non præviſis. Hæc male conducta (indulgeatur mihi transgreſſio hæc) inter milites quandoque per pavorem, in pulveribus conglomeratis in nubem, quam forte armenta vilia produxerint, lampades, & fulgura, & tonitrua ſibi inde, tanquam ſiderata imaginatur: hæc ad levem puncturam injurię emota, non ſecus de tam levi læſione dolet, quàm ſi alius atroci vulnere, & percuſſura penetratus eſſet: hæc miniſtra ambitionis, theſaurum inæſtimabilem opinatur, vel unicum Principis obtutum favorabilem, qui in ſola nihilominus apparentia exteriori conſiſtit: Hæc homini inſano phantaſiam corrumpit, ut ſe vitrum fragile imaginetur: Hæc operatur, ut ad ſupplicium mortis damnatus, ſuavius eſſe credat præcipitari de monte, quàm fune illaqueari: Hæc ſedem rationis quandoque evertens, viliſſimos pannos, tanquam purpuram veneratur, & ipſas adeo catenas pro ſceptro regali ſuſpicit, ſibi regna figurans, ad quæ pertingere nunquam poterit: Hæc demum eſt, quæ juxta magnum illum Lyricum, Amantes deliros facit:

Sogna mille d' Amore inſanie, & fole,
Vinto dalle Serene
Pupille d' un bel volto,
Giura che va mortificato il ſole,
E che l' Indiche vene
Spogliando, laſtricò l' eterno Fabro
Di perle un ſeno, & di rubini un labro.

Hæc inquam illa eſt, quæ zelotypiæ fomentatrix feſtucas in trabes commutat, de umbris gygantes figurat: deſiderat id à quo alioquin abhorret, fugit quod quæſivit: audit ea, quæ ſenſum auditus ejus non tetigerunt, videt quæ non ſunt, omnis ſignificati nuditatem interpretatur, & ſicut Echo, quamvis per ſemetipſum nil ſit, nihilominus allaborare videtur, ut ultimas voces garriendo reiteret. O quanta vaſtitas! quanta varietas obiectorum! O quanta phantaſmatum diverſitas! O quanta aquarum reflexio! Qui montes, quæ maria, quæ flammæ, quæ Inſulæ exurgentes, quàm portentoſa, & miraculoſa prodigia! *Initio tu Domine terram fundaſti: Super flumina præparavit illam.* Mirabilia hæc ſunt hominis, qui *Animal eſt admirandum: Miraculum miraculorum: Dei miraculum.* Interim tempus eſt, Auditores, ut ab his aquis avertar, ne in Icarum transmuter, qui nec cum Leandro natare edoctus ſum: nec Halcyonis pennis dotatus.

Cum verò de mirabilibus mihi ſermo faciendus ſit, nolim tamen in propoſitionibus meis hyperbolicus videri, & ampulloſus, nec is, quem quis dixerit ultra limites naturæ evagari, præſertim ſi hominem appellaverim ſapientem Magum, providum, præſagum, imò verò prodigioſum, quippe quod in eodem ipſo effectus producuntur, vel ut melius dixerim, tales ipſe producit, qui, propter inſuetudinem, fidem omnem exuperare videntur. Fortaſſis ad nomen Magi nonnullus erit qui pavefactus ſit, reputans ſecum, meritò mihi ſeverum indicendum eſſe ſilentium; ſed novi me ſapientibus ſermocinari. Intelligunt enim hi, de qua magia hic loquar: excluditur enim illa, quæ cum Patre tenebrarum commercium, aut negotium ſuum habet, quippe quæ caliginoſa eſt, & delirans, & mendax, & omni pacto deteſtanda, & profliganda. In miraculo meo animato hæc poſterior magia, Dea Poſtverta, illa anterior Dea Proſa dici poterit. Itaque cum Plotino ſic concluſerim, quod Magia illa ſuperior: *Facit hominem Interpretem, atque ſapientiæ Cultorem, quales erant Magi apud Perſas, quos Latini appellavere ſapien-tes,* [Ex Pre. Meraviglia Protheus Ethico Polit.]

tes, Græci Philoſophos, Ægyptii Sacerdotes. Hæc omne robur, & propenſiones rerum naturalium, & cœleſtium contemplatur, menſurando & ſympathias earum, & antipathias: dehinc tanquam filo Ariadne ingenioſo conducit hominem ab involucro, & opacitate obſcuritatis, ad cognoſcendas facultates virtutum & qualitatum abſconditarum, faciens idem, quod qui abditos de terra theſauros eruunt. Cognoſcit præterea, qua ratione res terrenæ, & inferiores, cum cœleſtibus conveniant, juxta aphoriſmum Hermeticum: *Quod eſt inferius, eſt ſicut quod eſt ſuperius.* Idcircò factum, quod Ægyptii naturam *magam* nominârunt, quæ in attrahendo, & rejiciendo, cum induſtria admiranda, & judicioſiſſima obſervatione cuncta poſſideat, juxta illud Mantuani:

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Hinc Plato in Alcibiade ſuo ſcientiam Zoroaſtri perfectam magiam appellat; hic enim vir cœleſtium æquè ac terreſtrium exactam cognitionem poſſidebat. Hanc Reges Perſiæ pro primo ſibi rudimento collocabant, decorando manus ſuas multò elegantius libris, quàm ſceptro: his ſcientiarum faſciis regale diadema cingebant. Ut nimirum tantò moderatius Monarchias ſuas, in ſimilitudinem mundanæ Reipublicæ, gubernarent, ſummæ curæ erat poſſeſſionem, & acquiſitionem boni hujus adipiſci, atque ideò à patriis ſeſe laribus nonnulli eorum abſtulerunt, ut eſt Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato, ac tot inſuper alii, de quibus modernus aliquis: *Hominem,* inquit, *magum omni doctrinæ ubertate pollere.* Cui Poëta arridet, aſſerens, intelligere illum oportere: [Ex Pre. Meraviglianti ſupra.]

Quid color efficiat, quid fumus, terra, quid aer.

Atque hoc eſt, quod magnus Ariſtoteles inſinuat, dum ait: Archeum ſuperius cum inferiore arctiſſimo vinculo colligatum eſſe.

Videt homo quantum aquæ fluxu & refluxu ſuo nativo, in maris undis per varios Lunæ motus promoveant, aut decreſcant: quomodo mortalium genus, unà cum animalibus, & ſegetibus, & plantis ad influxum Solis naſcatur, & fœcundetur, Solis, inquam, magni illius vitæ noſtræ Diſpenſatoris. Sed hæ conditiones non niſi levis momenti eſſent, ſi non ultra penetraret. Intelligit ſcrutator hic ingenioſus, qui fiat, quod in Aſia Rupes quædã horrendæ molis, ſiquidem per robuſtiſſimum gygantem cum omni adeò violentia commota fuerit, eadem invincibiliter immota reſiſtat, ſi verò ſimplici, levique unius digiti contactu impellatur, continuò tota contremiſcat. Novit in India binos montes è vicinia invicem poſitos, quorum unus ferrum attrahat, alter repellat, exotica quadam antipathia ſibi adverſantes. Quomodo alibi in Nympheo petra ſit, quæ pluviis madida ſuccendatur; fons in Dodone regurgiget, qui extinctam facem, ſi in eum merſa fuerit, reaccendat: quomodo rurſum in Illyrico, ſiquidem ſupra fontem illic pullulantem veſtimentum extenſum fuerit, continuò ignem concipiat, & flammas jaciat: Cognoſcit, qualiter adamas, qui focis, & ferro reſiſtit, ſi in tenelli agni ſanguinem miſſus fuerit, emolleſcat, & liquefiat: Quà ratione Remora, Atomus maris, onerariam navem immotam in aquis teneat. Denique juxta S. Auguſtinum: *Novimus hominum quorundam naturas multum cæteris diſpares, & ipſa raritate mirabiles? quædam, ut volunt, de corpore ſuo facientium, quæ alii nullo modo poſſunt, &* [Lib. 14. de Civ. Dei. cap. 23.] *audita vix credunt:* id quod pluribus proſequitur. Hac ratione magnus ille Archimedes fundatus, hanc propoſitionem magis etiam machinis ſuis incredibilem, exhibuit: *Quantumlibet onus quibuſcunque viribus moveri poſſe.* Ex hoc Albertus Magnus inquiebat: In Germania geminos uno partu editos, quorum contactu portarum una ad ſiniſtram, altera ad dextram apertæ fuerint. Hoc Artifici ingenio Archytas admirabilem columbam illam formavit, quæ quamvis ligno ponderoſa eſſet, volatum nihilominus viventium æmulabatur.

Intelligimus, per hanc ingenii ſubtilitatem Naturam aliud non eſſe, quàm ſpiritum univerſalem, aut ſubtiliſſimum effluvium ſtellarum, quod non immeritò ſpiritum aſtralem appellabimus. Hæc à Sacræ Theologiæ Doctoribus, quorum unus eſt Delrio, ſic definitur: *Ars, ſive facultas, vi creata, & non ſupernaturali, quædam mira, & inſolita efficiens, quorum ratio ſenſum, & communem naturæ captum ſuperat.* Eadem elegantia idipſum affirmavit Lactantius: *Majorum ars omnis,* inquit, *& potentia horum aſpirationibus conſtat.* Hanc Altiſſimus Adamo dedit, cum univerſitate aliarum ſcientiarum, quæ deinceps in viros ſapientes, & ſenſatos transfuſa, & propagata fuit: Et ſicut Pſellius & Proclus volunt: *Nihil eſt aliud, quàm arcanorum exactior quædam naturæ cognitio, qua cœlorum ac ſiderum curſu, & influxu, & Symbolis, atque antipathiis rerum ſingularum obſervatis, ſuo tempore, loco, & modo res rebus applicantur, & mirifica quædam hoc modo perficiuntur, quæ cauſarum ignaris præſtigioſa, vel miraculoſa videntur.*

Horum hominum genus novit, qua de cauſa caro pavonum non putreſiat, cur palea in algore ſuo nives conſervet: quomodo calx in aquis efferveſcat, quomodo ſal Agrigentinus in ignibus ſolvatur, in aquis indureſcat; Cur Pſylli Populi ſolo corporis odore ſerpentes necent: ſimileſque portentoſos, & miraculoſos effectus ſublimis illius ſcientiæ, & cauſæ reconditæ, cum Poëta intelligens:

Quid generent undæ, magni primordia cœli,
Unde maris fluxus, variiſque coloribus Iris.

Non diſparibus, imò verò ſublimioribus miraculis compoſitum Ego hominem, Auditores mei, admiror, hominem inquam miraculum animatum: cujus vel minimam particulam pro merito deſcribere velle, neceſſe eſſet vel Zoroaſtrum aliquem, vel Horum, vel Hyſticum, vel Timagoram, vel Pomigerum, vel denique Berenicen eſſe, vel alium quempiam ex perfectiſſimis artis illius, quos Tertullianus recenſet; ſed ſi mihi conceſſum non eſt, cum præmemoratis huic Pelago, & profunditati me committere, & in alto circumgyrari, non negabitur tamen, quin oculo mentis, quaſi de longinquo admiranda, & ſtupenda illa proſpiciam, præſertim cum propoſitum thema meum me in conſimilia ſpectacula naturæ introduxerit. Magis portentoſa, aut elevata magia eſſe nequit, quàm ea quam in nobis ipſis includimus.

Diximus jam ad diſquiſitionem interiorem horum miraculorum, magnis olim lucubrationibus Reges Perſiæ laboraſſe, & cognitionem cauſarum indagaſſe. Scientia etenim clavis eſt, quæ novit etiam quæ maximè abſtruſa & abdita ſunt revelare, & diſcooperire: Acutiſſimum teleſcopium eſt, quod in ſinu magni illius luminaris

cœleſtis maculas invenit: Oraculum eſt, non ſecus ac illud erat Trophonii in antro, quod ſpiſſiſſima nebula obfuſcatum erat, & nihilominus quæſtiones maximè intricatas aperiebat. Sic homo de cognitione ſuiipſius, de gradu in gradum, prout jam expoſitum eſt, ad cognitionem Dei conducitur. Referamus pedem ad Epigraphen illam, aureis literis ſupra portam Templi, quod Apollini Delphico ſacrum erat, annotatam: *Noſceteipſum.* De hoc ſapienter Auguſtinus: *Prima Dei cognitio eſt ſcire: homo quidſit.*
In Pſalm. 39. *Qui enim ſe novit, & Deum cognovit: quia Deus nuſquam vult habitare, quàm in homine.* Et Agrippa:
Ex Crollio ut ſupra. *Vera via*, inquit, *ſecundum Apollinis Delphici oraculum, præforibus ejus Templi ſcriptum, ad veram ſapientiam perpetuamque beatitudinem conſequendam, ſiteipſum agnoveris: quia eſt in nomine omnium rerum, & naturarum vera, & realis poſſeſſio, inſuper vel ipſius omnium Creatoris peculiaris, perfectaque imago.* De hoc ſolo intelligi facile eſt, quantum in ſe homo portenta omnia, & mundi mirabilia includat, & qua ratione tot meritis ſuis, qualitatibus, & conditionibus, omnia prodigia epiloget, quæcunque in arte Maga, vel naturali inveniri poſſunt. Verum enim eſt, quod homo ſemetipſum cognoſcens, verè prodigium animatum ſit: Omnium enim rerum, quæ in eo univerſaliter incluſæ ſunt, ſummam Ideam, & virtutem amplectitur, earumque perfectiones exponit. Et ſi in nobis theſauri omnes cœleſtis, terreſtriſque ſapientiæ non eſſent, Redemptor noſter utique illud nobis non inculcaſſet: *Theſaurizate vobis theſauros.* Homo ſemetipſum cognoſcens per lumen naturale, vel acquiſitum, hoc eſt, ſecundum ſpiritum, mediante divina tutela, ad portas ipſas virtutis progreditur, & non ſecus ac ditiſſimus Monarcha ad poſſeſſionem illam abſolutam, & perennem admittitur: pro majori etiam gloria & pompa inſpiratio divina illi obviam procedit, multò felicius, quàm Maga illa Meliſſa eum conducens, ubi ſapientia, & vita domicilium ſuum fixerunt.

De hac veraci illatione illud ſtatuendum, quod cognitio Dei amorem ejus eliciat, ex quo deinde firmiſſima fides oriatur. Qui ergò hoc amore ſolidatus in eum firmiter credit, non poteſt, quin ei adhæreat, & adhærendo in ſpiritu perfecta unione cum illo copuletur. Ac ſic mortalis oculus ab hac ignorantia liberatus, in generatione & compoſitione ſua Altiſſimi Dei ſimilitudinem præſefert. O quàm excelſus, quàm admirabilis Imperator! ſiquidem ſubtus ſe in altitudine collocatus, mundum univerſum tanquam ſcabellum pedum ſuorum contemplatur; Intelligentias Angelicas ſibi vicinas, imò verò pares agnoſcit, quarum ſe cuſtodiæ & Tutelæ, tanquam æviternis, & ſibi coæqualibus ſociis concreditum novit; à quibus non aliter ſecretus eſt, quàm judicii infirmitate, & corporis ſui pondere. Hinc Nazianzenus: *Homo à Deo poſt reliqua factus, ut Deus in ipſo ſe exprimeret, & ſub brevi quodam compendio, quidquid diffuſè antea fecerat; omnia videlicet membra mundi totius.*

Illud igitur ſequatur neceſſe eſt, quod homo omnium creatarum rerum quintum, ut ita dixerim, elementum ſit, quod reliqua contineat, repræſentet, & exprimat: Principium & finis illorum, viva imago Macrocoſmi ſenſibilis, & temporalis; & ſecundum Animam mundi illius Archetypi, & immortalis. Ergò in formatione illius prima, dici poterit, omnes adeo omnium animalium proprietates in eum introiiſſe, imò & vegetabilium, & mineralium, & metallorum: & ſicut in ſemetipſo Deus ſolus omnia eſt, ſic homo in ſemetipſo univerſitatem omnem repræſentat, & demonſtrat. Huc ſpectant verba divini Cytharœdi: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus:* *Cap. 10.*
Et Sapientiæ: *Dedit ei virtutem continendi omnia.* Huc reflectens Paracelſus, magnus ille arcanorum naturæ indagator, ajebat: *Homo eſt nexus, & nodus, compago, & faſciculus omnium creaturarum.* Ad hoc centrum tetenderunt, & tendunt opera divinorum attributorum omnia, ſicut homo ad centrum ſuum, quod Deus eſt: Atque his omnibus centris Excentrica formantur: omnia enim motu circulari, tanquam perfectiori moventur. Oſvvaldus illud fundata doctrina ſua palam dat, dum ait: *Infra Deum ſunt omnia, extra quem nihil: ita etiam homo ad Creatoris ſui imi-* *Præf. ut ſupra.*
tationem eſt Centrum Creaturarum, & circulus earundem. Ita quidem, ut cum homo in Deo ſit, omnis Creatura in homine ſit. De quo proportio in ambiguo non eſt: prima enim Dei imago mundus fabricatus eſt, hujus autem imago eſt homo, & ſic in ordine ſuo animalia imago hominis. Et ſicut in materia prima, quam doctiores Hylen, vel Hyliaſten appellant, univerſus mundus potentia continebatur, ſic in mundo eſſentia Adami: quorum illa prima ſub aquis occultabatur, quæ ſuper abyſſum ferebantur, ſic Adam in mundo occultabatur. Materia prima Mundi ad condendum mundum aptata fuit: Mundus verò, quamvis tantæ immenſitatis, in uno homine reſtringebatur. Sicut etiam arbor de parvo ſemine excreſcit, & ſemen primum ejus principium eſt, & finis arboris, ſic Mundus principium fuit, & finis ejus, quod ſucceſſurum erat: unde cum ratione ſupra citatus ait: *Manet ergò parvus mundus unum, & per omnia cum ſuo parente, qui eſt mundus magnus.* O quantum prodigium magnitudinis! Qualis abyſſus mirabilium! Quàm portentoſus Magus, qui in ſe & firmamentum, & ſtellas, & qualitates viſibiles, & inviſibiles, proprietates metheorologicas, metallicas, mineralogicas, terreſtres, aquaticas, aëreas, ignitas, ſicut primus ejuſdem Pater, & genitor Mundus, continet: Qui in momento temporis, in eas formas, quæcunque placuerint, ſe transmutat! *Animal venerandum, miraculum miraculorum, Dei miraculum.*

Jam ad terminum ſuum oratio devolveretur, ſed ſicut catenarum annuli ſe invicem complectentes, in longum dilatantur, & ſibi ſuccedendo catenam integram efformant, ſic mihi in his mirabilibus recenſendis contingit; occurrunt enim itidem nova, quæ cum oculos feriant, ab his mens quoque avocari non vult, ſed in longius catenam ſermonis trahit. Concludam nihilominus perorationem præſentem (ſiquidem id mihi per vos licuerit Auditores) loquendo de operibus magnificis ditiſſimorum Principum, vel Monarcharum, & præcipuorum artificum, quos univerſitas habuit. Quamvis in argumento, quod præ manibus eſt, etiam qui elaboratiſſimam eloquentiam omnibus viribus ſuis protulerit, renovaturus ſit auſum pueri illius, qui S. Auguſtino comparens, in ſcrobem exiguam vaſtitatem immenſi Oceani evacuare tentabat.

Imprimis ergò hic ſe mihi offert ſtupenda illa moles, Coloſſus inquam Solis, quem in Rhodo

inſula antiquitas ex ære fudit: qui vaſtos campos aëris occupans, pompoſum & terribile caput ſuum erigebat, ipſis ſtellis, ut ita dixerim, ſe confrontans: ita ut magnus ille firmamenti Planeta, qui univerſitatem totam lumine ſuo circumambit, nunquam in anterioribus ſæculis ſimulacrum elevatius, aut eminentius, imò nec robuſtius, nec elegantius, aut ſolidius viderit.

Moles ſtupore plena, omnium mirabilium æſtimatiſſima: miraculum artis, portentum obeliſcorum, machina omnem penè menſuram excedens, cubitos ſeptuaginta tranſcendendo: in cujus fabricatione, multa centena, imo verò millia Operariorum, idque ſpacio annorum duodecim, & brachia ſua, & ſcalpellos fatigarunt: in qua propter materiam æquè ac propter artificium dixiſſes, præfati Planetæ majeſtatem, & magnitudinem in terras detractam eſſe. Adde his diadema aureum, quo coronata erat, ſceptrum quo manus ejus decorata: ad indicandum, ei principatum inter mirabilia terrena deberi: ſicut illa cœleſtis moles Dominium ſuum habet in firmamento.

Offert ſe mihi præter hæc ſuperbiſſimum Mauſoleum, quod non minus faſtuoſa illa, quam deuſta cineribus adorati Conjugis ſui erexit Artemiſia. Vidiſſes illic candidiſſima marmora ſublevari in æthera, & ingentia aëris ſpacia nitidiſſimis molibus adornari; ita ut non immeritò dixeris, per gradus immaculati candoris, viam ſtratam ad Cœlum fuiſſe: Erat enim illic circuitus quadringentorum & undecim graduum, latitudinis cubitorum viginti quinque, quos paris numeri columnæ de varia & lucidiſſima petra exciſæ, ſuſtinebant, circumquaque radios lucis fulgurantes. Cujus ædificii ſtructura quatuor æmulorum zelotypa, & artifici manu elaborata erat. Superbiſſimus illic currus erat, à famoſo Fitho collocatus, quem quatuor generoſiſſimi equi trahebant, qui niſi & colore & materia ſe immobiles demonſtraſſent, videri poterant velociſſimo curſu agitari. Denique illic amplitudo ſchalarum, Intercolumniorum, Porticorum, Proſpectivarum, effigierum, & ſtatuarum, inclytum illi nomen miraculi terrarum orbis conciverunt: quod Plinius non ſine ratione deſcribendum putavit, ſicut & Strabo, & Gellius, illud inter ea recenſentes, quæ mundi potentiam maximè demonſtrant. Offerunt ſe mihi itidem altiſſimæ Ægyptiorum Pyramides, quæ nec Atho monti, nec Caucaſo ceſſère, ad ſphæras uſque cœleſtes erectæ: prima folia, in quæ populi hujus ſapientia ſub varietate figurarum nomen cujuſque rei exſculpendo contulit: Quarum unaquæque longitudine octingentorum octuaginta pedum gloriabatur, altitudine ſexcentorum ſexaginta; & id, quod ſtupore dignum eſt, in arenoſo ſitu fundatæ, ubi nullum petrarum exciſſarum apparebat veſtigium: ad quarum ſtructuram trecentum ſexaginta hominum millia laborabant: frumentariæ domus vaſtiſſimæ, quæ multa millenaria hominum, granis adimpleta, ſaturabant: quarum item faſtigia in acumen deſinentia, videbantur ſe ſtellarum coronis redimire velle. De quibus Herodotus, & Diodorus quamvis plura recenſeant, non tamen tanta ſunt, ut non his potiora adjungi poſſint.

Occurrit item memoriæ fanum Dianæ Epheſinæ, cujus potentoſam machinam ut ex parte ob oculos ponam, ſuffecerit dixiſſe, Aſiam univerſam ducentis, & viginti annis circa illud ædificandum laboràſſe; opus longitudinis immenſæ, pedum, inquam, quadringentorum viginti quinque, latitudinis ducentorum & viginti, ubi centum & viginti quinque columnæ, non minus & authoribus ſuis, famoſiſſimis, nimirum regibus; celebres ex liberali eorum magnificentia erectæ erant, quarum quæque ſexaginta pedum erat, ſuſtinentes tectum ex puriſſimo, & incorruptibili cedro fabrefactum; de quo ad Longum Pomponius Mela, & Solinus. Occurrunt muri Babylonicæ Reginæ, puriſſimo bitumine conſtructi: quorum altitudo quingentorum cubitorum erat, in circuitu ſuo ſexaginta turribus muniti: quorum ambitus, ſine hyperbolica adauctione, ad centum ſexaginta ſtadiorum ſpacium ſe in gyro extendebat, id quod miliarum noſtrorum quadraginta quinque producit: dixiſſes hic campum eſſe, ubi ipſa fortitudo thronum ſuum fixiſſet. Copioſi in his portentis exponendis ſunt Herodotus, Diodorus, Strabo, & Curtius. Video præter hæc immenſam turrim Pharum dictam, cui ſi Majellam, aut Olympum montem æquiparaveris, Pygmæi videbuntur. Hæc turis à Majoribus ejus ætatis Regibus & Monarchis in ſummo pretio habita fuit, quippe quod in ea compendium omnis potentiæ incluſum videbatur. Dedicata autem fuit, per Soſtratum Gnidium, & magnum illum Ptolemæum, ſaluti navigantium: ad cujus erectionem de ærario regali octingenta auri talenta exiiſſe, & expenſa fuiſſe Plinius, & Strabo teſtificantur. Magnum mediterranei maris ſolem auſpicatus fuiſſes, qui ad pudorem ſolis diurni, in ſpiſſiſſimis noctis tenebris, ſplendoris diluvium ejiciens, ipſam penè meridiem luce ſua æquiparabat. Denique Jovis Olympici Oraculum præ oculis eſt, cujus fabrica Phydiæ deberur, à quo nomen mutuata eſt: quæ ſi caput ſuum elevaret, Jovis illius ſuperioris thronum deturbare potuiſſet, ſedentis ſuper aquilam & cum rigoroſo triſulco ſuo armati. Erat ſtatua illa altitudinis viginti ſex cubitorum, ex ebore puriſſimo & marmore elaborata: terribilis aſpectu, & ſevera vultu, in ſiniſtra mundum regens, ad indicandam numinis hujus potentiam, & imperium: ad cujus pedes ſphynx apparebat, porrigens mortalibus ænigmata: fortaſſe ut Coloſſum illum demonſtrarent, grandem artis Ziffram eſſe. Ad pedes molis hujus, Luctatores in certaminibus Olympicis coronabantur, prout authores ſunt Pomponius Mela, Strabo, & Plinius.

Hæc mirabilia ſunt, quæ tanto tempore attonitum orbem terrarum tenuerunt, hæc monſtra prodigiorum, hæc portentoſa miracula. Nec ego igitur interdici poſſum in iis enarrandis quæ tot ſcriptores inclytos, tot eorum calamos defatigarunt, quæ tot æraria regum exhauſerunt, per quæ tot frontes ſudarunt, tot brachia laſſata ſunt, tot aurifodinæ depauperatæ, tot ſcalpella hebetata, tot ingenia prudentiſſimorum virorum in extaticam admirationem rapta ſunt.

Sed quid iſta? Quid verò hæc prodigia, ſi cum auguſtiſſimo hominis opificio collata fuerint? cum opere illo, in quo manus Dei ipſa ad fabricandum acceſſit? Quid illa, niſi lumen exiguum papilionum, comparatum cum plena meridie? Quamvis Coloſſi illi, & moles ad Cœlum uſque gygantæa celſitudine conſcenderent, & plus etiam

iam quam Turris illa Nemrod, movere bellum ipſis aſtris viderentur, Martialis verſui nihilominus locus eſt:

Barbara pyramidum ſileat miracula Memphis,
Aſſiduus jactet nec Babylona labor:

Ex Cœlio ut ſupra. In loc. var. Opuſc. Lib. 2. de Anima. Ex Cauſin. Eloquentia. Pag. 56. Catal. Glori: Mundi.

Homo enim eſt de quo Marcus Tullius: *Ipſe ſapientia, & Dei ſocius!* De quo Cælius: *Anima mentis verbum:* Plutarchus: *Animal ſapientiſſimum, animantium pulcherrimus, Phos dictus, ſtirpis Cæleſtis, beatitatis imago:* Plinius: *Animal cunctis imperans:* Stagirita: *Nobiliſſimum, altiſſimum animal eſt homo:* Lucius Apulejus: *Præſtantiſſimum:* Hermes: *Tantæ ſublimitatis eſt homo, ut Deos faciendi habeat facultatem:* Et Sineſius: *Ad hujus unius animalis conſtructionem turbam quandam facultatum miſcellaneam, atque omnigenam coagmentavit Deus,* Quod ſi prophani hæc, quid viri ſacri? Omnes hic prætereo, & cum ſolo Caſſeneo concludo: *Homo eſt dignior Angelis, propter aſſumptam à Divinitate humanitatem.* O igitur verè *Animal adorandum miraculum!*

Non poſſum à propoſito argumento diverti; nec enim claudere ratiocinationem hanc permittunt ea, quæ poſſidet homo, nec conſideratio eorum, quæ ei in ſervitutem, & miniſterium data ſunt. Circumduco oculos & intueor naturam, omnipotentia & facultate divitem, cui terra pro pavimento ſtrata eſt, cælum pro tecto datum, campi pro nutrimento, ſtellæ pro facibus, mare pro commercio, pro alimentis parandis, & focis inſtruendis ſylvæ: hominem, inquam, vegetum video, & Intelligentia præditum, liberum, imperioſum cui Angeli famulantur, & à quibus cuſtoditur: quem aura cirumgyrat: cui omne animal vitam ſpirat, tam quadrupeda, quàm omne volucrum genus: cujus ipſi adeo vermes veſtimenta texunt, cui flores rident, agri fœcundantur, gemmarum multitudo producitur; cui montium viſcera venas auri aperiunt, cui conchæ margaritis ſuis dicatæ ſunt. Quàm magnum ædificium homo, ſiquidem omne quod mundus poſſidet, in ſemetipſo concludit? Si ſolem habet in corde, in fronte ſtellas, virgulta in comis, flores in genis, gemmas inter labia, mineralia in oſſibus, flumina in venis? Homo eſt, qui in lætitiæ teſtimonium hilari riſu ſerenatur; qui fulgura & tempeſtatem planctu, & horrore imitatur, tonitrua voce, & ira: qui ſpem præbet in oculis, ſuaviter ligat verbis, excandeſcens repulſa comminatur: & dum præterita conſiderat, per providentiam de futuro quoque præſagit: Verus Chamæleon, qui cum omnium rerum recordationem habeat, in omnia ſe transformat. Quæ ejus dignitas, quæ celſitudo, ſiquidem artium beneficio Authorem ipſum naturæ æmulatur? Transgreditur montes, ſulcat maria, palatiis ſuis nubes transſcendit, aſtris approximat, ſemetipſum penicillo & ſcalpello, & acu figurare novit. Qui fulgur ſagittando, qui fulgetra ſclopetis, qui cælum tonans tormentis ſuis bellicis imitatur. Quæ ejus dignitas? Quæ magnitudo? ſi ſcientiarum inventor homo, ad ipſum denique Deum uſque pertingit: Artium Princeps magna mundi opera imitatione conſequitur, facundia ſua animos colligat, voluminibus ſcriptorum ſuorum, memoriam mortalium æternitati ſacrat, in magia ſua terram concludit, globis ſuis cælos menſurat: univerſalitatem ab individuitate diſtinguit: de ratiocinatione rerum caducarum ad æterna conſurgit: & quamvis natura oculis ejus nonnulla denegarit, ipſe nihilominus mente & contemplatione cuncta ſubintrat? Quanta hominis dignitas, quanta demum magnificentia? Transcendit enim quæ naturalia ſunt, & peritura, & ſupernaturalia, cæleſtiaque penetrat: Complementum, & Epilogus operum divinorum, Delitiæ Dei quantum virtutem hominis attinet, effigies illius in gratia, in Gloria vero cum Deo propemodum uniformis. Horizon corporeus, & incorporeus juxta Triſmegiſtum, Numen Mundi juxta Theophraſtum: Denique: *Animal venerandum, miraculum miraculorum, Dei miraculum.* Ad quod ſapienter reflectens S. Bernardus, ajebat: *Erubeſce volutari in cœno, qui de cælo es.*

Accedamus propius, & ponderemus, an homo quinque ſenſibus ſuis dotatus, non omnia ſuperiora multum excedat. Qui oculis ſuis ſublimiſſima pinnacula pyramidum, & altitudines Phari, & olympi, longè ſuperat, & ut ita dixerim decalvat: ſecundum Chryſologum, eos Solem totius corporis nominaveris, ſicut ipſe quoque Redemptor noſter inquit: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus:* quod eſt ſol in mundo, oculus eſt in homine. Ad fauorem oculi, quidquid in terris magnificum Architectura invenit, fabricatum eſt, & compoſitum. Quidquid præter hæc Natura ipſa, qnidquid naturæ æmula Ars, & ſcientiæ produxerunt in melodicis: reſonent antra, & ſylvæ, & montes, omnis vox, omnis concentus, ipſum adeò cælum, non ſolùm terræ globus harmoniis muſicis glorientur, quibus & reſonantiam loquacis Echo, & ſambucas, & lyras, & cytharas, & teſtitudines Sylvani, Orphei, & Terpandri exſuperent, horum omnium Judex auris eſt, excipiens minimos rumores, quæ tanquam fidelis miniſtra, in grandem aulam ſenſus communis transmittit, quidquid ingentes Regiarum fornices continere non poſſunt. Quidquid odorum nutrire, aut evaporare poſſunt Tempe, aut Theſſalia, aut Panchaia, vel Sabbæi, horum receptaculum nares ſunt, à quibus reconduntur, & cuſtodienda traduntur. Nunquam naturæ beneficio quidquam fabrefactum eſt, ad titillandum palatum, aut ad elongandum mortis fatum, in condimentis ſuis & bellariis, & macteis, quod non guſtus poſſideat, aut tanquam hæreditatem ſuam ſibi vindicet: nôrunt id cœnæ Luculli, & Heliogabali, & Vitellii, & Cleopatræ, & menſæ Sybariticæ. Inſinuat ſe Tactus in ipſa calidi, & frigoris viſcera, participando de inſolito, & inviſibili delectamento corporis: de aſperrimis, & maximè tetricis, ad delicatiſſima uſque progrediens: Argus verax, & Judex incoruptus miniſterio manuum, quæ ſuper his ſolidum, & incorruptum judicium formant. *Animal venerandum, miraculum miraculorum, Dei miraculum,* Ad quod intentus Satyricus ille, qui nunquam boni quid ſcriptò dedit, ut non ſimul malum immiſceret: inter tot mala, hoc nihilominus laudabiliter cecinit:

- - - - atque ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium: divinorumque capaces:
Atque exercendis, capiendiſque artibus apti.

Miraculum, quod quamvis nudum de matris ventre egrediatur, non inerme tamen eſt, imò verò plus reliquis animalibus defenſum, ratione enim in ſui tutelam armatum eſt, inveniendo, & ratiocinatione ſua quæ neceſſaria ſunt, poſtulando: manibus ad perfectionem ſuam inſtructum: quæ non ſine ratione ab Ariſtotele nominatur: *Inſtrumentum Inſtrumentorum.* Miraculum de quo S. Baſilius inquit: *Univerſa hominis vita eſt palæſtra, & ideo vivere non videtur, qui in hac non ſe exercet:* Hominis, inquam, qui non more reliquorum animantium vultu in terram prono, ſed plenus decore in altum elevatus, & erectus incedit, plenus majeſtate, & magnificentia: qui juxta præmemoratum Patrem, *Solus terram leviter attingens nobilitatem præſefert, nam pauco tempore ibi converſans, cæleſtem patriam affectat.* Unde eſt, quod Anaxagoras interrogatus quo fine creatus eſſet, *ut Cælum intuear,* inquit.

Orat. I.

Miraculum eſt homo propter intimam viciniam, & amicitiam, quam cum Creatore ſuo colit: Hinc Dionyſius Halicarnaſſeus prædicabat humanam prolem Diis chariſſimam. Miraculum eſt, quod perfectiones omnes, quotquot creatæ, viſibiles, aut inviſibiles ſunt, in ſe continet, ſimile Idolo, quod ex omni ſemine, ex omni plantarum particula compoſitum à Meſſanenſibus adorabatur: de cujus hominis admiranda mente Triſmegiſtus affirmavit, tanquam de Epilogo Portentorum omnium: *Mens omnium artifex, unà cum verbo circulum continens, & celeri rapacitate convertens ſecum, ad ſe machinam flexit, eamque voluit à principio ſine principio, ad finem abſque fine.* Verax illa Archimedes eſt, quæ pede uno extra orbem terræ locato, totum globum terræ commovet. Miraculum denique in omni etiam minutiſſima particula ſua ordinatum, & perfectè compoſitum, de quo Manutius: *Nullum in homine membrum eſt, quod non & neceſſitatis cauſa, & decoris ſit factum:* qui quamvis facie diverſus ſit, potentiis nihilominus, & qualitatibus unitus eſt.

Ex Bartol. Recreat. del Savio.

Hæc autem, quæ dicta ſunt, in ſequenti tractatu, calamo meo, quamvis infirmiſſimo, evidentius argumentis elucidabuntur. Interim hic à propoſito themate me tantiſper averto, cum noverim miraculum eſſe, quod communem naturæ ordinem excedat, atque ita elegantiorem orationem, ad ſui expreſſionem requirat. His non obſtantibus, cum in tam prodigioſo virtutum Oceano non invitus ſubmergar, illud mihi uſu veniet, quod quondam inter philoſophos cuidam, qui cum fluxum & refluxum maris non caperet, in idipſum mare ſe jaciens, ajebat: *O abyſſe tu me cape, qui teipſum non capio!* Sic de homine concludit in Phædro ſuo Plato: *Illum aſtruens non poſſe pro dignitate, verborum copia ulla, vel ingenii præſtantia ſatis effari.* Denique.

Io del ſublime, e venerando eſemplo
Stupido ammirator tacio, e contemplo.
Dum ad tanta humanæ attonitus portenta ſtupeſco
Structuræ, obſervo veneranda ſilentia. DIXI.

SUper id, quod S. Auguſtinus inquit: *Homo in ſe habet Trinitatis Exemplar,*

Serm. 63. de verbis Domini.

Ode.

Ad iſpiegar d'un Dio Triuno Io ſcerno
L'alto Miſtero in noi l'alma formata,
Trino il raggio diffonde il Sole externo,
A illuminar la Reggion ſtellata:
Triplicato coſi l'eſſer interno,
Con ſue potenze ha' l'anima creata,
Che a riſchiarar queſto compoſto eſterno
Sceſa è dal Cielo in noi fiamma beata:
Scorrono a ſecondar l'almi contenti,
La del'Empiro in ſa beate ſponde
Trè di fiume ſuperno ampii Torrenti,
L'Alma nel' huom Doti ſi altera aſconde
Di ſue virtudi, a fabricar portenti,
Onde trino lo ſpirito in lui s'infonde.

FACINORA,
Vel
EMBLEMATA HEROICA.

ACcinctus ad eximium facinus, quo deſcriptionem hominis adorior ſuccedentibus ſibi invicem capitulis, ordine & methodo jam ſuperius conſtitutis, hominis, inquam, prout ſapientes de ejuſdem tota compoſitione & eſſentia quædam tradiderunt, (de partibus enim ejus jam priori libro ſatis diximus) non immeritò videri poſſim incurius, ſiquidem hanc ipſam operam meam (quam *facinus* appellavi) non ab ipſo *facinore* auſpicarer. Hoc nomen autem facinus, à veteribus, viris aſtutis inventatum, propè idem eſt, quod actio illuſtris, quam viri in bello inclyti perpetrarunt; unde etiam ratione non caret, quod *facinoris* nomen obtinuit.

Facinoris ſymbolum ab ipſo Creatore, & Redemptore vitæ noſtræ, æterna Dei ſapientia, olim expreſſum fuit in columna ignis, & nubis, in iride nubili & pluvialis temporis, in arbore Paradiſi, in ramo olivarum, quem columba poſt diluvium in roſtro reportavit, & in aliis hujuſcemodi apparentiis portentoſis. Hæc facinorum ſymbola tantopere à nobilibus viris & heroibus acceptata ſunt, ut à primis adeo temporibus, in agone, & in lucta, talibus figuris, colorum adumbratione repræſentatis gloriarentur, tum nimirum, cum ſententias, vel judicioſa lemmata, vel inſcriptiones, quæ evidentius animæ ſenſum exprimunt, nondum uſus introduxiſſet; hinc nulla quidem tum ætatis actio, ſine his inſtituebatur: Hæ *impreſſæ* Idea ſunt in qua perfectiones omnes concurrunt ad fabricandos, & animandos cogitatio-

tationum conceptus: nobiliſſimus partus eſt, natus tempore poëſiæ, & picturæ: utraque enim harum peregrinas, ingenioſasque inventiones, & ſubjecta introducunt, quæ priſcis temporibus in heroum ſcutis figurabantur, ad indicandam eorum animorum generoſitatem, qui tali methodo inclyta facta ſua ſingularitate hac palam facere ſatagebant. Unde etiam, ſecundum quod eruditiſſimus Comes Theſaurus recenſet, inglorius miles erat, quisquis ſcutum ſuum ſimplex portaſſet. Ex quo deinceps horum nominum *ſcuti* videlicet & *clypei* diverſitas orta eſt: quorum hic quidem ſymbolo quodam adornatus, ſcutum verò inane & nudum erat. Hæc igitur ſymbolica facinora, non niſi pars erant totalitatis illius, vel obeliſci famoſi quem magna Artemiſia, amantiſſimo Conſorti ſuo erexit. Erat enim hic obeliſcus. *Impreſa*, ut ita dicam, quæ in vaſtitate ſua, & magnitudine ſpacioſa, ſicut & in ſumptuoſitate omnem Regalem potentiam exuperabat: hinc prima Cariæ nobilitas, pluribus lemmatibus cogitata ſua publicæ intelligentiæ expoſuit.

Canoch. Ariſtot.

Horum lemmatum, quæ tam avide quæruntur, & leguntur, & à Mundo guſtantur (non mirum, ſi ſcriptores horum æternam ſui memoriam nunquam obliterandam poſteritati tradiderunt) primus Author eſt Paulus Jovius, Abbas Ferrus, Bargalius, Savedra, Alcibiades Lucarinus, Hieronymus Rúſcellus, & univerſa Italiæ Academia, denique etiam eruditiſſimus & ingenioſiſſimus Concanonicus meus, Pater abbas Picinellus, qui in immortali volumine ſuo Mundi Symbolici, quod verè cedro dignum eſt, quaſi in compendio univerſali Mundi literarii gloriam penè omnem in ſe concluſit, & epilogavit. Quidquid igitur à præmemoratis in materiem hanc dictum fuerit, quidquid præterea ſcriptores alii celebratiores in hoc thema meum contulerint, ad beneficium Lectoris, in tractatu præſenti cum ſinceritate adducetur. Interim ſi, O benevole, non eam hic ſententiárum, eruditionumque copiam inveneris, quæ guſtui tuo arrideat, aut ſubjecto cōveniat, noſſe te velim, id ſponte factum, eo quod nimia vaſtitas, & materiarum cumulus, me utique ab applicatione debita diſtuliſſent.

Sub figura Amoris, in forma pueri apparentis, Abbas Joannes Ferrus hanc inſcriptionem collocavit: *Unit, fovetque.* Ad hanc proprietatem alludit S. Auguſtinus, dicendo: *Quid eſt Amor, niſi quædam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens: Amantem, & quod amatur.* Huc reſpicit Emblema doctiſſimi Camerarii, prout paulò infra monſtrabitur, qui binos Amores repræſentat, faces itidem binas ſuſtinentes, & implicantes, adjuncta Epigraphe: *Urimus, & urimur.*

Uniti, & calefacti Amore.

Huic eidem Amori, cujus oculi velo ligati erant, Vincentius Gilbertus hoc lemma addidit: *Omnia credit.* Sententia eſt S. Pauli, qui de charitate loquens, ſic habet: *Charitas omnia ſuffert, omnia credit:* Supra quod Bernardinus Senenſis: *Omnia credit vera, & neceſſaria ad ſalutem.*

Credulitas in Amore.

Serm. 5. poſt Ciner. Art. 3. c. 1.

Idem Gilbertus, conſiderando Amorem vel Cupidinem in ſiniſtra manu armatum arcu, in dextera verò face, inſtrumentis nimirum, quorum alterum feriat eminus, alterum cominus inflammet, ſuperſcriptionem ſequentem adjunxit: *Et propè, & longè:* Quam ſententiam alius igni dedit. Eſt autem Idea vera Amici, qui tantundem è vicino, quantùm procul in opere eſt pro amico ſuo. Hunc ſcopum fortaſſe tangunt Demoſthenis verba, quamvis prima fronte, aliud videri poſſint intendere: *Amici ſecundis rebus advocati adſint, in calamitatibus autem, ſua ſponte atque invocati.*

Amicitia eminus, & Cominus ardet.

Apud Laert. lib. 5.

Imago item Amoris hoc lemma ſortita eſt: *Nec timor, nec verecundia.* Quæ ſententia primùm à Seneca prodiit: *Amor*, inquit, *timere neminem verus poteſt:* Deinde Ovidius alicubi:

Amor nec timorem, nec verecundiam habet.

Senec. in Medea. Ovid. Metamorph. 6. Faſt. 2.

Nam nil eſt quod non effræno captus amore
Auſit.

Et alibi:

--- *Quid non amor improbus audet?*

Ex hoc ſenſu fortaſſe Poëta quidam ſequentem ſtropham, ex arte muſica cantabat:

Parla omai riſoluto,
Nacque ben cieco Amor, ma non gia muto.

Ad indicandam Amoris fortitudinem, hunc Infantem ego in conſueta forma ſua, erectum exponerem, qui arcum ſuum contra cœlum dirigeret, ſagittaturo ſimilis, cui ſagitta etiam ad jaculandum parata ſit, adjuncta Epigraphe: *Ultra gygantes:* Per hoc inferendo, quod quæ defuerunt gygantibus, ne Jovem de ſolio ſuo deturbarent, in promptu eſſe flammis amoris: quæ conſtrinxerunt Jovem per Europā peregrinari, propter Lædam, Danaëm, & Semelen. Ipſe adeo ſol relicto curru ſuo aureo, totis viribus formoſam Daphnen inſecutus eſt, denique etiam eandem in Laurum converſam obtinuit. Hunc ſenſum Comicus Menander ſic expreſſit: *Amor inter deos potentiſſimus eſt: unde apparet, quod homines propter iſtum alios deos pejerent.* Et Apuleius: *Flamma ſævi amoris parva quidem primo vapore, ſed fomento conſuetudinis exæſtuans totos comburit homines.* Videantur de his fuſius Poëtæ Latini Virgilius, Ovidius, Lucretius, Claudianus, Propertius, Horatius, & alii: Inter Italicos, Arioſtus, Taſſus, Guerinus, Marinus, Teſtius, Achillinus, & alii.

Fortitudo Amoris.

Lib. 6.

ATLAS.

Figura Atlantis cum globo Mundi ſtellato ſupra humeros ſic loqui introductus eſt: *Portantem omnia porto.* Dixerim hanc ideam eſſe hominis in omni facultate, & ſcientiis præcipuis verſati, & exercitati, unde non ſecus ac generoſus Atlas Cœlum, ubi tot aſtra intelligentiarum reſplendeant, imò verò mundum portet, tantarum facultatum, mixtarum & artificialium: idcirco Ariſtoteles inquit: *Virtuti perfectæ non fit condignus honos:* Et Marcus Tullius: *Neſciunt multi, neſciunt quantas vires virtus habeat:* Et Livius: *Pertinax virtus omnia vincit:* Et alibi: *Pulcherrimum & tutiſſimum eſt in ſola virtute ſpem habere.*

Verſatus in omni genere ſcientiarum.

Ethic. 4. Parad. 2. Lib. 2. Dec. 4. Lib. 4.

CHIMÆRA.

Chimæra, quæ forte Enti Chimærico & vano nomen dedit, monſtrum erat confictum à Poëtis, corpus habens capræ, pectus Leonis, caudam ſerpentis, quod de faucibus flammas vomebat. Ad hoc monſtrum domandum Bellerophon illud Lancea per gulam perforavit, quæ quidem acumen plumbeum habebat, ſed cum ignibus liquefactum eſſet hiante gutture defluens, ventrem monſtri ſubintroiit, & idipſum repente occidit. Hoc univerſum lemmate ſequenti exponebatur: *Suomet igne periit:* Correſpondet verſui Davidico: *Incidit in foveam, quam fecit:* & Proverbio Italico: *Chi è cauſa del ſuo mal, pianga ſe ſteſſo.* Hunc reatum incurrit homo, per quem Altiſſimi Dei condemnationem illam horrendam ſibi attraxit, illic nimirum, ubi ad tribunal ſupremum citatus, comparuit tectus foliis arboris, cujus fructum vetitum deglutiverat; juxta illud Baſilii Seleucienſis: *Tales dæmonis ſunt machinationes, cum voluptate accuſat, & pudendum in modum ad ruinam impellit.* Idipſum Jſaias expreſſit, dum damnatorum tormenta manifeſtat, his verbis: *Ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis.*

Pſ. 7. Homo ipſe faber malorum ſuorum.

Orat. 12.

DÆDALUS.

Reverendiſſimus Pater Abbas Picinellus, hanc figuram hominis volantis conſiderando, prudentiſſimum ei lemma ſubjunxit: *Inter utrumque ſecurus:* vel ita: *Medio tutiſſimus:* ubi motum illum non nimium à ſole recedentem, nec nimium vicinum obſervat: in quo bona ſapientis mediocritatis, ejuſdemque utilitatem intelligit. Inter alios hoc eleganter M. Tullius, *Temperantia eſt*, inquit, *quæ in rebus aut fugiendis, aut expetendis ut rationem ſequamur, monet, quæ animis pacem affert, & eos quaſi quadam concordia lenit, ac placat.* Supra illud: *Medio tutiſſimus:* Præceptum nimirum, quo Phaëtontem ſuum ſol imbuit (id quod ſupra diximus huic loco optimè congruere) memini me quoque, in laudem temperantiæ, per oden aliquam, paraphraſin ſequentem compoſuiſſe:

Mediocritas.

De finibus.

Temerario tu ſei ſe vanto prendi
(Diſe al ſuo figlio il Sol,) regger Piroo,
Se troppo in ſu l' Eoo
Drizzi le briglie, O ſe al declive ſcendi,
Seminerari gl' Incendi:
Ma perche ſei Fetonte, eccoti il morſo,
Vanne, e a mezza carriera indrizza il corro.

Ex eo autem, quod volatus ille Dædaleus univerſaliter jam receptus eſt (utique in ſenſu tali, mentem humanam magnam illam Opificem, ſibi parem in inventionibus ſuis non habere) figuræ huic non abs re hoc lemma ſubpinxerim: *Ars Naturam ſuperans.* Negandum non eſt Præfati viri opera communem naturæ curſum exuperaſſe, idque potiſſimum in eo, quod cùm corporibus ſuapte natura gravibus, & ponderoſis volatus interdictus ſit, ille nihilominus fingatur tam ſecurè tamque generoſè ſtellas ipſas conſcendiſſe. Quidquid autem de fabula hac dixerimus, in ea magni hujus Opificis dexteritas exprimitur, quæ toties naturæ limites operando transgreſſus fuerat. Dicere Peripateticus noſter conſueverat: *Ars multa complet, quæ efficere natura non poteſt:* Democritus item Olynthiis improperabat, quod in gremio deſidioſæ naturæ deliteſcentes, ad talium ſe profeſſionum ſtudia non applicarent, quæ mentem à terrenis hisce vilitatibus ſevocarent, & æternitati transſcriberent: *Artem natura requirit: Et vir pauper, qui nullam didirit artem, non tutò vivere poteſt.*

Artifex ingenioſus.

In Phyſic.

Apud Stobæum.

FAMA.

Hæc illa eſt, quam tantopere vereri, & in qua ſperare mortalium genus conſuevit, quippe quæ per orbem univerſum actiones humanas diſſeminat, aptiſſima, quæ ad ſupremum honorum faſtigium elevare quempiam poſſit, rurſum etiam ad profundiſſimos gradus ignominiæ deprimere. Hanc volanti ſimilem Abbas Ferrus repræſentavit, juncto Virgiliano illo: *Mobilitate viget.* Invigilandum itaque eſt in iis omnibus, in quæ Declamatrix hæc jus ſuum ſibi vendicare poterit, dicente Plutarcho: *Fit natura quadam, ut ignaviſſimi homines nihil curent, quæ futura ſit de ipſis opinio: probatiſſimi autem viri cuncta faciant, quæ in futuris ſæculis benè inter homines audiant.* Marcus Tullius item admirabiliter: *Rumoris publici*, inquit, *authoritas inſtar Oraculi eſt.* Quamvis enim famæ volatus admodum mobilis ſit, in impreſſionibus ſuis nihilominus ad longam uſque poſteritatem ſæculorum ætatumque perdurat. Id quod jam dictum eſt, epigraphen ſequentem habuit: *Vires acquirit eundo.* In quem ſenſum Cæſar inquit: *Plerumque in novitate fama antecedit.* Huic conformiter Ovidius:

Fama ſpem & timorem ingerit.

Ep. 2.

In Orat. Perfect.

De bello Civili. In Metam.

Parva motu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Egrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.

Eidem famæ hoc lemma congruit: *auget, & minuit.* Hujus enim buccina, non ſecus ac novacula acuta reſecat de vituperio, ſimul & de pretio rerum: plus etiam quàm granum Sinapis in augmentandis, & elevandis actionibus extollitur. De quo illud:

Auget & diminuit actiones humanas fama.

Gaudet: & è minimo ſua per mendacia creſcit.

Et M. Tullius: *Ex ſententiis omnium noſtra fama pendet.*

Ad buccinam famæ pro ornamento velum illud, quod more ſolito ei appenditur, adiunxerim, in cujus medio oculus apertus ſit, ſuper illum autem Epigraphe: *Vigilare juvat*; quæ ſententia ab Ovidio mutuo accepta eſt:

3. Amor.

Sed famam vigilare juvat. Quis noſſet Homerum?
Ilias æternum ſi latuiſſet opus?

Et S. Auguſtinus: *Fama monſtrum mille luminibus.* Et S. Anſelmus: *Fama abſentes facit præſentes.* Nemo eſt, qui ignoret, quam vigil ſit Fama, quippe quæ maximè abſtruſa, & abdita in lucem trahit, etiam ea quæ in mediis noctium tenebris commiſſa ſunt, revelando. Hinc illud dictum Redemptoris noſtri: *Nihil opertum, quod non reveletur, & occultum, quod non ſcietur.* Sed ſi Famæ ſtudium eſt, actiones noſtras mundo exponere, quid ni & noſtrum ſit, uſque adeo vitam noſtram ab omni nævo purgatam reddere, ut nil in eam Juris habeat: Cum verum ſit Quinti Curtii dictum: *Omnia illâ tradente majora ſunt.*

In Epiſt. ad Philip.

Fama vigilantiſſima eſt.

Sic & nos quoque vigiles eſſe oportebit.

Lib. 8.

PHAETON.

Phaëtonti ſubverſo, & de curru ſolis præcipiti Pater Abbas Picinellus ſupra memoratus, ſequens lemma ſubjunxit: *Quæ ſpargit, recipit.* Quæ ſententia de Medea Senecæ peritiſſimè ſumpta eſt: *Quos Polo ſparſit furioſos ignes, ipſe recepit.* In quo vitium repræſentatur, quod eadem via, qua commiſſum, & iisdem inſtrumentis caſtigandum eſt. Sic illud Philippi Macedonum Regis eſt, qui cum contra cœlum jaculari telum auſus eſſet, eodem occæcatus fuit. Os Domini quod infallibile ſic ait: *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur:* Et alibi idem Spiritus Sanctus: *Comedent fructus viæ ſuæ, & conſiliis ſuis ſaturabuntur.* Impia Jezabel conquaſſata, & dilaniata fuit, ſicut & ipſa virum Juſtum Naboth peſſumdederat.

Act. 3.

Crimina eadem via, qua commiſſa ſunt, puniri debent.

Non minus proprie, imò dixerim congruentius Phaëtonti illud adiunxeris, quod ſuperius

Dædalo

Mediocritas.

Dædalo attributum fuit: *Medio tutiſſimus.* Per quod emolumenta, & bona mediocritatis indicantur. Quin & Aſtræa ipſa ut æqua lance pœnas præmiis æquiparet, ipſam bilancem ſuam in æquipondio demonſtrat. Sic Venuſina lyra;

Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius Aula.

Apud Stobeum.

Hanc veritatem inter alios expreſſit Democritus, dum ait: *Temperantia, quæ jucunda ſunt, auget, & voluptatem majorem facit.* Et Plato: *Cuſtos vitæ hominum temperantia eſt.*

In Char.

Supra caſum Phaëtontis Abbas Ferrus tria ſagaciſſima emblemata propoſuit, In quorum primo, intuens in actum ruentis, hunc verſum ſubſcripſit: *Atant' Opra non val, chi non ſa l' arte.* Hoc eſt: *Ad tantum Opus invalidus eſt, qui artem ignorat*: Alludendo ad Principatus difficultatem, & regiminis populorum. Innumerabilis numerus eſt navium, quæ in pelago hoc velificant, ſed raræ ſunt, quæ ſine tempeſtate Portum ſuum contingunt: Hic itaque Commendatoris Teſtii querula Muſa locum habet, dum ait;

Quàm difficile ſit Principatum gerere.

Non ti fidar di calma: in un ſol giorno
Scherza ne l' acque, & vi ſ' affonda il Pino.
E tal ricco e di merci in ſu'l matino
Che nudo erra la ſera a Lidi intorno.

Ex Tacit. *Exod. 4.*

Imperator Tyberius cum jam diademati caput ſubmiſiſſet, ſe didiciſſe ajebat: *Quàm arduum, quàm grave regendi ſit onus.* Moyſes quoque in Ducem populi à Domino electus, *Non ſum eloquens*, inquit, *ab heri, & nudius tertius*: Themiſtocles in eundem ſenſum ajebat: Eum qui probe noſſet quàm grave Diadema ſit, id nunquam è terra levaturum eſſe. In ſecundo Emblemate, quod priori non abſimile, eandem materiem tangens Ferrus inquit: *Indomito deſtrier fanciul non regge*: Id eſt: *Indomitum equum Infantulus non reget*: quod relationem cum Ovidiano habet:

Magna petis Phaëton, & quæ non viribus iſtis
Conveniunt:

Idque in perſona Patris ejus. Atque ita veriſſimum eſt, quod Juventus regiminis ſit incapax, nec onus illud niſi humeris jam ætate provectis confidendum. Si Principatus cœlum dici poteſt (Princeps etenim inter magnates ſuos, non ſecus ac ſol reſplendet) quis neſciat ad gubernaculum cœli, (tanquam ad faciendum hoc Atlantes inhabiles ſint,) accurriſſe fortitudine Gygantæa dotatos Alcides? Denique juxta Stagiritam: *Juvenis non poteſt eſſe ſapiens, quia prudentia requirit experientiam, quæ indiget tempore.* Plutarchus item dum Juventutem informat, quid partium ſuarum ſit, ſic eam admonet: *Juventus imperata faciat, ſenectus imperare debet.* Cum ira divina in indignos Iſraëlitas exardeſceret, non minima caſtigatio hæc fuit, quam comminabatur: *Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.*

Principatus cœlo comparatus.

Juventus inepta ad gubernacula Imperii.

Iſ. 3.

Ultimum horum emblematum ſequenti ſententiæ conjunctum erat: *Sovente il troppo ardire è altrui dannoſo; ſæpius audacia nimia detrimento eſt.* Inconſiderata ſiquidem & præpoſtera animoſitas, magnanimitatem, quæ virtutis eſt, non attingit; illam nimirum, quæ hominem fortem decet, illique neceſſaria eſt: illa enim ſuperior, juſtum eſt, ut nota temeritatis percellatur, juxta illud Ariſtotelicum: *Fortitudo corrumpitur à ſuperabundantia, & defectu: à medio verò ſalvetur.* Et Iſocrates: *Omnis audacia virium menſuram excedit.*

Nimia audacia.

Ethicorum. 2.

FORTUNA.

HÆc non niſi cæca repræſentatur, & inſtabilis; interim in tanto pretio, in tanta æſtimatione habetur in Mundo. Hæc primo ſui intuitu in globo poſita cernitur habens velum in manu, hanc vocem emittens, *Audaces juvo*: quod de Virgilio ſumptum eſt:

Audaces fortuna juvat, timidoſque repellit. *4. Æneid.*

Ovidius in eundem ſenſum:

Audentes Deus ipſe juvat.

Sic Sibylla quoque fortiſſimum Æneam hortabatur, dum ad campos Eliſios tranſiturus eſſet, monſtra Infernalia, & Cerberum ei obviam futurum:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Audacia Juvenilis.

Rurſum Ovidius:

- - - audentes, Sorſque Venuſque juvant.

De audacia loquimur, quæ rationi & honeſtati conjuncta eſt.

Fortuna & virtus.

Quidam etiam binis Statuis, aut figuris, quarum una virtutis, altera erat fortunæ, invicem ſibi occurentibus, hoc lemma, tanquam animam apponit: *Raro conveniunt.* Qui ſenſus longè ab illo diverſus eſt, quem alius adjunxit: *Virtute Duce, Comite Fortunâ.* S. Auguſtinus huic congruenter inquit: *Fortuna neceſſaria eſt Sapienti*: & Livius: *Fortuna virtutem ſequitur.* Recordor & ego, me quondam figuram expoſuiſſe Philoſophi Epicuri, qui per capillos imaginem fortunæ retinebat, illa interim à philoſopho librum acceptabat: figurabat autem, ſapientem, virtute ſua clavis affixiſſe ſortem vel fortunam ſuam: Nec enim aliter eſt, quàm vulgo dicitur: *Povera, & e nuda vai philoſophia.*

In lib. 3. contr. Academ. Decad. 1. lib. 3.

Pauper Ariſtoteles cogitur ire pedes.

Vultus Principis.

Abbas Joannes Ferrus ad ſimulachrum Fortunæ hoc lemma adjunxit: *Il tuo ſguardo fa l' huom lieto, e felice: vultus tuus homines lætos & felices reddit.* Hoc verificari de facie Principis poteſt, qui cùm ſubditum ſuum hilari fronte intuitus fuerit, eum conſolatione adimplet: Id quod Spiritus Sanctus docet: *In hilaritate vultus Regis vita.* Hunc ſenſum S. Bernardus aſſequitur, dum ait; *Non ita exprimit digitus, ſicut vultus.* & S. Ambroſius: *In plerisque Juſti aſpectus admonitio correctionis eſt, perfectioribus autem lætitia*;

Eccl. 10.

Non eſſe fidendum fortunæ.

Diverſam omninò ſententiam ego fortunæ vultui aſſignaverim: *Serenitatine credas.* Hæc enim infida plerumque, & deceptrix, non minori cum amaritudine tollit, quod cum tanta hilaritate, & tranquillitate largita eſt. Suffecerit dixiſſe, eam ſemper in procinctu ſtare; ut diſcedat: ſicut æquor pacificum nunquam ad ſeram noctem uſque pertingit, ut non exæſtuet aliquantum, & feroceſcat. De quibusdam hujuſcemodi infidis Marcus Tullius inquit: *Erras ſi iſtorum motibus credis, vultus habent hominum, mores verò ferarum.* In eundem ſenſum Commendator Teſtius præteritam proſperitatem fortunæ ſuæ in Tragicam infortunii ſui ſcenam converſam deplorat, dum ait:

Ad Q. Fratrem.

E quanto fu preſta a venir, coranto
Sollecita al partir ſarà fortuna;
Seren di Corte in un momento imbruna:
E chi ride il matin, la ſera e in pianto.

Apud Stobeum. Cicero in Lælio.

Plutarchus ait: *Fortuna nobis cyathos exiccantibus, ſi unum bonum infundit, tria mala præbet.* Et M. Tullius: *Non ſolùm ipſa fortuna cæca eſt, ſed etiam ipſos plerumque efficit cæcos, quos amplexata eſt.*

GERYON.

MOnſtrum hoc in pictura Triceps figuratum, ad ſententiam ſequentem, vel Epigraphen impulſum dedit: *Genus inſuperabile bello*: Quod ad beneficium, & utilitatem Concordiæ alludit: *Væ enim ſoli*, inquit ſpiritus ſanctus, *quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe. Et ſi dormierint duo, fovebuntur mutuò. Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Magna voce Alciatus magnus ille Ethicus clamat: *Concordia inſuperabilis. Unum nihil, duos plurimùm poſſe.* Et S. Cyprianus: *Concordia ſimul juncta vinci non poteſt.* Clarius hoc in Emblematibus poſt hæc ſequentibus patebit.

Concordia. *Embl.* *Ep. 1.*

JANUS.

Prudentia.

AD formandum, vel repræſentandum hominem ſapientem, vel prudentem, quidam figuræ Jani ſequentia verba, ad eam animandam ſubſcripſit: *Hinc inde*, vel, *Ante retroque.* Non modica virtus eſt prævidere, & providere; juxta Virgilium;

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

1. Olynth.

Non tam videndum, inquit Demoſthenes, *quid in præſentia blandiatur, quàm quid deinceps ſit futurum.* Et Peripateticus: *Prudentia virtus eſt, ratio naturalis partis, ad felicitatem ſpectantia præparans.*

De diviſion. virt. & vitii.

Figura item Jani bifrontis judicioſiſſimum dictum illud conſecuta eſt: *Revondita pando.* Poterit hæc ſententia Idea perfectiſſima eſſe ultimi Judicii illius, quo abſtruſa cuncta in lucem prodibunt, quo cuncta palam fient. Unde in perſona Dei ſic Propheta Nahum declamat: *Revelabo pudenda tua in facie tua.* Et S. Hilarius, *Abſtruſam*, inquit, *voluntatis noſtræ conſcientiam prodet, & ea, quæ nunc occulta exiſtimantur, luce cognitionis publicæ deteget.* Erit, inquam, Deus, juxta Prophetam Regium, *Scrutans renes, & corda*: In rigoroſo illo ſcrutinio, prout Eccleſia canit: *Liber ſcriptus proferetur, In quo totum continetur, unde mundus judicetur*: Et ſicut magnum vas Electionis vult: *Illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.*

Cap. 3. *Sequentia Mortuorum.* *1. Cor. c. 4.*

Prudentia.

Ad hanc bicipitis Jani ſtatuam, ego ſubſequentem epigraphen adjungerem: *Ubique tutus*: Ad exprimendam Ideam hominis verè prudentis, qui novit in futurum proſpicere, qui de præteritis, ventura metitur, ac ſic fortunæ inſultus prævenit, & contra inimicos, & contra mundi machinas armatur, ita ut ex conſideratione locorum, accidentium, temporum, & caſuum, quid contingere poſſit, præponderet. Ajebat Pittacus, qui de ſeptem ſapientibus Græciæ eſt: *Robur, & murum, & arma ſapientia præſtat*: Et Antiſthenes: *Murus tutiſſimus prudentia.* Quandoquidem juxta Plutarchum, *Prudentia non corporum, ſed rerum inſpectio eſt.* Providentia enim mille armatis prævalet.

Apud Stobeum. Apud Diogenem.

JUSTITIA.

HUic virtuti, quæ Rectrix Mundi eſt, Baſis Regnorum, ſolium gloriæ, quidam ſubſcripſit, cum eam in forma adoleſcentulæ majeſtuoſæ, & decoræ ſpectandam dediſſet, habentem bilancem cum gladio: *Cuique ſuum.* Hæc ejus vera definitio eſt: *Juſtitia eſt perpetua, conſtansque voluntas jus ſuum cuique tribuendi.* Peripateticus noſter ſic habet: *Præclariſſima virtutum Juſtitia eſt.* Sine ambiguitate autem ſuperior Epigraphe de ſententia illa deſumpta eſt, qua dicitur: *Juſtitia eſt virtus animi, unicuique ſecundum dignitatem diſtribuens*; Et Plinius Junior: *Maximum bonæ ſententiæ præmium eſt benè judicaſſe.* Hæc factis & actionibus authoritatem præbet: Unde jure merito quiſque hominum ſibi eam ponat ob oculos, & quantopere ſibi à bilance retributionem ſpondet, & præmium, tantum ei terroris malefacienti incutiat gladius ferientis.

Inſt. De Iuſtitia & Iure. *Ethic. 5.* *Apud Diog. lib. 5.*

Incorrupti Judices.

Rurſum alii hanc ei ſententiam dederunt: *Nullo flectitur obſequio.* Quam inſculpi velim profundiſſimè in animo, & in corde perfecti, & incorrupti Judicis. Hinc eſt, quod venerabilis Spartanorum ſenatus Judices ſuos tectis oculis ac manibus in tribunali videri fecit: Tectis manibus, ne ad munera extenderentur, oculis, ne ad eadem intenti eſſent. In hunc ſcopum collimavit Valerius Maximus inter alios, dum admonuit: *Prætoris non ſolùm manus à pecunia, & lucro, ſed etiam oculi à libidinoſo aſpectu continentes eſſe debent.* Et M. Tullius: *Eſt Sapientia Judicis in hoc, ut non ſolùm quid poſſit, ſed etiam quid debeat ponderet.* Ad ſuperiorem vero Spartanorum ſenatum Ethicus Alciatus hæc refert:

Lib. 4. *De officiis.*

Cur reſident? Quia mente graves decet eſſe quieta
Juridicos, animo nec variare levi.

Juſtitia velata, & corrupta.

Non abs re mihi videor poſſe (ad denotandum, quantopere per affectus & per paſſiones in tranſverſum rapi poſſit Judex corruptus, quantumque juſtitia à tali offendatur, & denigretur, quantum decor & forma ejus deturpetur) figurare Amorem, qui Juſtitiæ velamen ſuper oculos jaciat, ita ut bilanx ſusque deque feratur, gladius verò dilabatur è manibus, adjuncto lemmate: *Exoculata ruit.* Siquidem injuſtus Judex, obfuſcatos & velatos habens oculos, lucro inhiet, ambulans, ut ita dixerim, in obſcuro, mirum non erit, ſi *cuique ſuum* tollatur, ſi bilancis inæqualitas, & inordinatio ſequatur, ſi gladius deorſum cadat, ſi ratio ſubvertatur. Intendit ad hoc Philoſophorum Princeps de Stagira, dum ait: *Amor, & odium, & proprium commodum faciunt ſæpè judicem non agnoſcere veritatem.* Alluſit item, ut reor, ad hoc ipſum Regius Pſaltes his verbis: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Amor inordinatus Cognatorum, ſicut & utile proprium Circen eſſe dixerim, quæ hanc virtutem, quæ omnium pulcherrima eſt, in belluam transformat. Sic S. Chryſoſtomus: *Corruptio eſt quidquid offertur lite pendente.*

HERCULES.

Inſtructio pro Adoleſcentibus.

SImulacrum viri hujus omni conſideratione digniſſimum eſt, eo quod tantæ, tamque eximiæ de eo virtutes, & illuſtria facinora recenſentur, præcipuè quæ fortitudinem concernunt: Itaque ſub figura Herculis adhuc dum Infantuli, binos manu ſerpentes jugulantis, titulus hic Emblematicus ſupponitur: *Fortes creantur fortibus.* Per quod indicatur, quanto privilegio fruantur, qui de Progenitorum ſuorum illuſtri provida, & generoſa proſapia nati ſunt. Sententia autem memorata de lyra Venuſina deſumitur:

Carm 4. Od. 4.

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus; Nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

3 De Divinatione.

Marcus Tullius adhortamentum ſalubre Juventuti ſuggerit, omni adeo hæreditate nobilius, pro iis videlicet, qui in incerto vitæ hujus pelago circumferuntur: *Nullum*, inquit, *munus melius, majusque Reipublicæ afferre poſſumus, quàm ſi doceamus, atque erudiamus Juventutem, iis præſertim moribus, ac temporibus, quibus ipſa prolapſa eſt: Ut omnium opibus refrænanda, atque coercenda ſit.*

Difficile certamen gloriam parit. Hom. 37. In Evang.

Hunc Herculem in heroico actu conſiſtentem, dum Hydram occiſurus eſt, quidam ſubſequenti ſententia repræſentavit: *Quo difficilius, eò præclarius.* Vir fortis inter pericula, & dubios fortunæ adverſantis eventus ſeipſo major evadit, & ardorem ſuccendit. Alludit ad hoc S. Gregorius: *Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum.* Et S. Ambroſius: *Non eſt glorioſa victoria, niſi ubi fuerint laborioſa certamina.*

Virtus cum patientia.

Ad hoc ſimulacrum Herculis hydram ferientis hæc verba adjuncta ſunt: *Virtute, & patientia.* Immortales roſæ ſunt, quæ de ſpinis, & tribulis patientiæ efflorеſcunt: Iter ſcabroſum terminum ſuum habet in amœniſſimis viridariis. Patientia Fabii Maximi immortali lauro caput ejus decoravit, & ab inſidiis vaferrimi Carthaginenſis Ducis patriam deliberavit; dum ex altero latere Marcelli præcipitata & immatura celeritas florem Juventutis Quiritum pellumdedit. Dicebat Euripides: *Certamen patientiæ tale eſt, ut qui vincitur ipſo victore ſit melior.* Et Pythagoras inter præcipua documenta hoc dedit: *Fortunæ mutationem ſuſtine, naviga ſecundum fluvium, naviga ſecundùm fortunam.* Jam paulò ſupra, in teſtimonium valoris verſus Mantuani in medium deductus eſt, quo Æneam ſuum ad Eliſios Campos proceſſurum Sibylla armavit:

Apud Stobeum.

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Intrepiditas.

Subſcriptus hic fuit Herculi pugnanti cum hydra. Enimverò dicere conſueverat Magnus Stagiræ Præceptor: *Fortitudo eſt, inconcuſſum à mortis metu, & conſtantem in malis, & intrepidum ad pericula eſſe, & malle honeſtè mori, quàm turpiter ſervari, & victoriam in cauſa præſtare. Præterea autem fortitudinis eſt laborare &c.*

Sanctitas, doctrina, & meditatio.

Ab Academicis Ferrarienſibus ſubtus figuram Anthæi, de terra ſublevati, & idcircò ſuperati ab Hercule, hæc verba poſita ſunt: *Superata tellus ſidera donat.* Poterit ſenſus, ni fallor, applicari vel ad ſanctum quempiam, qui victoriam contra ſenſuum & Mundi tentamenta obtinuerit, vel ad Aſcetam, qui faſtiditis rebus terrenis, totum ſe meditationi dedicaverit. De quorum altero S. Ignatius Loyola inquit: *Quàm ſordet mihi Tellus, cum cœlum inſpicio?* De altero Empedocles (qui ſe procul à tumultu civitatis abripuerat, & nudo capite immenſum illud cœli atrium intuebatur) ſic ajebat: *Quàm benignæ ſtellæ me inſpectare videntur, cùm ex hominum frequentia me abduco, & ad rerum indagandam naturam, ubi tanta fulgent lumina, ſub dio me confero.*

In ejus vita. Apud Stobeum.

Principes plus oneris portant, quàm plebei.

Pro meditatione Emblematica figura Herculis uſurpata fuit, ferentis cœlum cum hac inſcriptione: *Novit paucos ſecura quies.* Per quod inſinuatur, quantopere Magnates, & viri eximii laboribus ſubjecti ſint. Plus periculi candela habet collocata in eminenti loco, quàm quæ in mapalibus, & vilibus tuguriis latet. Expoſuit hoc Muſa dulciſſima Comitis Teſtii:

Ben del Ciel forza di fulmini
Delle Torri atterra i culmini,
E ſfrondate,
Lacerate
Suol laſciar l' Alpine Roveri;
Ma di Giove irata deſtra
Se tonò,
Non toccò
Baſſo mirto, hu mil gineſtra,
E di canne in vil ricoveri
Sian Sicuri i Paſtor poveri.

Homerus ſolitus erat dicere: *Princeps ſolidam dormire noctem non debet.* Et Saluſtius: *Imperio maximo, maxima ineſt cura.*

Philippus ſecundus Succeſſor Caroli V.

Poſt renunciationem illam, quam de Regno totius Hiſpaniæ quondam Carolus V. fecit filio ſuo Philippo Secundo, hic poſterior Princeps ad demonſtrandam reverentiam, quam in tam vaſto Dominio Patri ſuo deferebat, figuram Herculis fingi præcepit, ſemetipſum in eadem intelligens, quippe cui regimen mundi impoſitum erat ſuper humeros, adjunxit autem ſequentem Epigraphen: *Ut quieſcat Atlas.* In quo ideam genuinam dedit ingenii, quo excellentius aliud memoria hominum penè nullum habet. Poterit hoc commode ad quemvis applicari, qui vivente ſene, in Coadjutorium ejus, ad gradum eminentem, vel officium ſibi condignum, & elevatum aſſumptus fuerit.

S. Laurentius.

Herculi item in rogo ardenti hæc verba inſcripta fuerunt: *Arſo il mortale, al Ciel andra l'eterno: Cum mortalis combuſtus fuerit, æternus cœlum conſcendet.* Verum exemplar hoc S. Laurentii glorioſiſſimi Martyris: qui craticulæ ſuperimpoſitus, cum humanæ carnis ſpolium conſumptum ignibus eſſet, ſplendore carbonum ardentium, tanquam facibus triumphalibus in Cœlum evolavit. Deducitur ex his, quantæ non nunquam utilitatis ſit, ſi mors de tetro Carcere vitæ noſtræ nos liberaverit, & vincula, quibus à volatu anima præpediebatur, tandem diſſoluta fuerint; Sic Amator Lauræ ſonabat:

Mors utilis.

La morte è fin d'una prigione oſcura
A gli animi gentili.

Apud Plut. in Orat. de Conſolatione.

Intellexerunt hanc veritatem & ipſi Pagani, inter quos Menander ait: *Quem diligunt dii, ille Juvenis moritur.* In eundem ſenſum Euripides: *Deus ſæpè, quos plurimi facit, eos citiùs aufert à vita.* Id quod correſpondet verbis Scripturæ: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum illius. Conſummatus in brevi explevit tempora multa.*

Magiſtratus vel Senatores.

Abbas Emmanuel Theſaurus binas imagines, Herculis nimirum & Atlantis junctas ſimul repræſentabat, & in ingenti charta hæc Epigraphe legebatur: *Magna negotia magnis adjutoribus indiget.* Quod per ſemetipſum expoſitione non indiget, clarè indicans quanta prudentia, quanto judicio, & ſagacitate indigeant negocia, quæ magni momenti ſunt. Atque hoc eſt, quod ſuperius de Tacito ſumptum fuit: *Periculoſa fortiſſimis imperantur.* Sic Romulus Titum Tatium ſibi throni adjutorem elegit; ſic Numa grande illud Oraculum Egeriæ Deæ conſulere ſe finxit:

finxit: Sic Hannibal Asdrubale, Alexander Epheſtione, Nero non modico tempore Senecâ, Pharao Joſepho, & Darius Daniele uſus eſt: Deus ipſe ſibi in Duces, fortiſſimos viros Joſue, Gedeonem, Moyſen, & alios elegit.

Spolia inimico erepta. Spes præmii.

Ab eruditiſſimo viro Diego Savedra Hercules cum Clava obſervatus fuit, armis ſuis inſuper aliis veſtitus, in dorſo & humeris ſpolia Nemeæa gerens: utque palam faceret, his iiſdem ſpoliis ab hoſte ablatis incitari, & animo creſcere milites, hanc ſubſcriptionem addidit: *Fortior ſpoliis.* Quis verò neſciat vehementiſſimum animo ſtimulum ad operandum eſſe ſpem præmii? Meditabantur illud ipſi Sancti. Petrus ad Jeſum converſus omnium Apoſtolorum nomine ajebat: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Et Cythariſta regius: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem.* Job item in calamitatibus & infortuniis ſuis animum non deſpondit, ſed in media tempeſtate, & in profundo luti clamabat: *Scio quod redemptor meus vivit, & in noviſſimo die reſurrecturus ſum: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.*

Matth. 19. Pſal. 118. Job. 19.

Virtus cognoſcitur per inſignia.

Inſignia, & arma gentilitia, & ornamenta domorum, ſtatum, & qualitatem, & conditionem inhabitantis demonſtrant. Omnium nationum ſapiens hæc inventio fuit, qua tanquam per compendium & virtutes, & heroica facta, & merita, aut hæreditaria, aut propria virtute parta in lucem dantur. Per coronas olim, & per præmia generoſi Athletæ vel Luctatores cognoſcebantur: coronæ quernæ, vel frondeæ, vel laureæ, vel populeæ, & aliæ hujuſcemodi prudenter à Romanis inventatæ, triumphos vel civiles, vel murales, vel caſtrenſes, vel ſimiles alios denotabant. Perſeus dignoſcitur ex ſcuto Gorgoneo, Minerva per noctuam, Pallas ex caſſide, & horum ſimilia: Unde merita etiam deficiente inſcriptione palam dabantur. Si quis viderit hominem in humeris ſuis veſtitum pelle leonis, & armatum clava, ſine ulteriori declaratione eum Herculem eſſe, continuò dijudicat: ſub eo hoc lemma notaverim: *Dalle ſpoglie virtu ben ſi rauuiſa: Ex ſpoliis virtus facile patet.* Admonemur per hæc, quantum nobis laborandum ſit, ut paludamento conſimili induamur, quo perſonæ immortalitatem conſequuntur, & nomina eorum condecorantur. Expreſſit ad vivum hanc ſententiam Diogenes, quamvis Cynicus & mordax. Intuens hic Juvenem mundanum, & diſſolutum, qui delectabatur identidem variis inſignibus, & indiciis Deitatis adornari, contineri non potuit, quin ei publicè hanc notam inureret: *Quouſque non deſines virtutis ſtragulas pudefacere?* Cujus virtutis tam pretioſa decoramenta, & ſymbola ſunt, ut non terminentur niſi in Comitatu gloriæ. Senſit hoc M. Tullius, qui inter alios ſic ait: *Virtutem neceſſariò gloria ſequitur:* adjungens; Quod ſi lumen, & fulgor ejuſdem virtutis vel de longinquo videri poſſet, futurum ut omni adeo illecebra Mundi potentior & fortior appareat. Verba ejus hæc ſunt: *Si ipſam honeſtatem undique perfectam, omniumque maximè laudandam penitus videremus, quonam gaudio compleremur, cum tantopere ejus adumbrata opinione lætemur?*

1. Tuſcul. Lib. 1. de Finibus.

ICARUS.

Superbia præcipitata.

Cum de Dedalo ſuperiori tractatu, jam recenſitum ſit, correlatione juſtiſſima, & connexione oppoſiti non impropria, de Icaro quoque ratiocinandum erit. Hic igitur inprimis cum ſibi debito Emblemate figuratus fuit, portans Epigraphen: *A cader và, chi troppo in alto ſale: Caſui proximus eſt, qui nimium ſublimiter ſcandit.* Eſt autem Idea faſtuoſorum, & arrogantium, qui nimia ſui confidentia elati, vixdum in alto ſunt, & infelici præcipitio ſibi colla rumpunt. Senſus eſt S. Gregorii, qui ait: *Sedens non habet quò cadat, qui autem ſupra ſe extollitur, ruat neceſſe eſt.* Videri poterunt hæc bina ingenia ſeſe invicem counare, ejus ſcilicet, qui ſuperius emblema nobis exhibuit, & Commendatoris Teſtii, qui eleganti & dilucida phraſi ſic ait:

Lib. 18. Moral.

Compagno è il precipitio alla ſalita,
E van quaſi del par ruuina, e volo:
Molti l'Icari ſon; ma chi d'un ſolo
Dedabo; vanni in queſto Ciel m' addita?

Caſus magnorum.

Non abſimile eſt alterum lemma quod Icaro aſſignatur, cujus ruinæ hæc ſententia inſcribitur: *Gloriâ pœna major.* In hunc catalogum cenſendi Protogenitores noſtri, qui dum vano Deitatis titulo condecorari volunt, & diademate gloriæ veſtiri, *Cognoverunt ſe eſſe nudos.* Sic erant inter filios Iſrael Chore, Dathan & Abiron, qui cum faſtu ſe regimini & Judicio populi ingeſſerunt, & quibus repentinus terræ hiatus ſepulchrum inopinum dedit. Tales erant Achaz, Ochozias, Antiochus, Balthaſar, Darius, Holofernes, Nabuchodonoſor, & inſignis inter alios Aman ſuſpenſus in patibulo, quod Mardochæo paraverat. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ*, inquit Pſalmiſta: Quandoquidem, ſicut S. Auguſtinus inquit: *Superbia non habet caput.* Imò verò non habet, cum ei contritum ſit, & conquaſſatum in montibus deliræ arrogantiæ ſuæ.

In hunc locum.

Præſumptio.

Abbas Ferrus figuræ, quæ in actu cadentis ſit, hanc hypographen adjunxit: *Non ſon gia l' ali al gran deſio conformi. Non correſpondent alæ magnitudini deſiderii.* Grave præſumptionis tentamentum hominis ejus, qui cum ſui regiminis incapax ſit, & juxta commune proverbium *vix grallatus incedere poſſit*, nihilominus de ruina ſua non metuat, ſed eam temerè quærat, & ſibi ſtolidus procuret. Hinc S. Chryſoſtomus: *Præſumptio malorum omnium fons:* atque ideo: *Jactantiam ſubſequitur ruina.* Glorioſi Thraſones primi ſunt, quorum mors ingloria ſit: Idcirco S. Bernardus Abbas præceptum nobis reliquit: *Præſumptioni debetur correctio, correctioni emendatio, emendationi remuneratio.*

De verb. Iſai. hom. 3. In Cant. Serm. 1.

Mediocritas.

Icarus alas utique non niſi cera compactas habebat, nihilominus ſi conſilium Patris ſecutus fuiſſet, ut videlicet nec ſublimiter nimis, nec verò etiam nimium profunde volatum ſuum dirigeret, forte per ſpacium quoddam temporis feliciter provolaſſet, nec tam fœdum præcipitium ſubſecutum eſſet. Ad hoc monitum reflectens Reverendiſſimus Pater Abbas Picinellus, Ideam hominis format, qui in finibus mediocritatis continetur, Epigraphen ſubſequentem affigens: *Inter utrumque ſecurus.* Poterit hoc quoque referri ad ſpem, vel timorem, inter quæ utraque hominem Chriſtianum ambulare oportet, juxta illud Gregorii Nazianzeni: *Ne fidas multum, neve deſpera nimis: illud ſolutos efficit, peſſundat hoc.* Item S. Bernardus de illo ſupe-

Spes & Timor. Lib. de Conſideratione.

ſuperiori: *Medius locus tutus eſt, medium tene, ſi non vis perdere modum.*

IXION.

TAm vulgata jam, & in triviis nota eſt fabula, quod Ixion apud Inferos in rota ſuſpenſus torqueatur, ut ulteriori eam expoſitione declarare ſupervacaneum ſit: Unde Abbas Ferrus eum figurabat, in rota poſitum, inſuper flammis circumquaque ſeptum, & in hæc verba prorumpentem: *E Solo a danno mio perpetuo il giro: hæc rotatio non niſi in damnum meum ſempiterna eſt.*

Inquietudo mundanorum.

Quibus utique intellectum voluit, quanta ſit mundanorum cordium inquietudo. Amici terreni hujus Incolatus, totidem Ixiones ſunt, inquit Suetonius: tales repræſentavit Rex Heliogabalus, qui nil niſi perperam in decurſu vitæ ſuæ operatus fuiſſe, aut dixiſſe legitur, hoc unico & ſolo excepto. Cum itaque ad eum delati eſſent fraudis rei, ſubito in rotam tolli juſſit, appellans *Amicos Ixionicos.*

Petrus Bleſſenſis, 17.

Dicere ſolitus fuit Petrus Bleſſenſis: *Non deeſt tibi Ixionica rota, dum cupiditate torqueris.*

Ep. 92.

Et Plutarchus in vita Agidis ſcriptum reliquit: *Non abſurdè ſanè, neque imperitè in ambitioſos Ixionis fabulam convenire arbitrantur.* In hanc ſententiam Comes Teſtius refert perveniſſe filiam Amurath Imperatoris propter Juvenem Daliſum: unde eam in hæc verba prorumpentem introducit:

Vagabondo penſiero
Dove vai, donde torni, e che pretendi?
Tu ſu l'ale leggiero
Ora parti, ora torni, or poggi, or ſcendi,
E nel tuo moto eterno
Sei l'Iſſion dell' amoroſo Inferno.

SISYPHUS.

NOn minus illo Ixionis, hoc quoque Siſyphi Poëticum commentum omnibus notum eſt. Hic autem grave ſaxum ſuſtentare humeris cogitur, idque in adverſum montem provoluere; Sed cum miſer mente turbida ad faſtigium montis jam pervenit, continuò petra rurſum ad radices delabitur, ac ſic recapitulato labore eandem recuperare, & rurſum in altum provehere compellitur; inter tot millena infortunia omni pene hora multoties calamitoſus moritur, nec unquam tamen vivere deſinit.

Pondus peccati.

Ego interim conſiderando memoratum tormentum, tum verò etiam ex alterò latere ſupplicium Peccatorum, quantùm videlicet maculata, & depravata conſcientia, cor maleficum opprimat, non immerito figuraverim hunc infelicem, pondus illud ingens itinere tam laborioſo provolventem, adjuncta Epigraphe: *D' ogni peſo la colpa è maggior pondo: Omni pondere gravior eſt culpa.* Expertus illud eſt inter alios infauſtus Cain, qui perpetrato jam fratricidio, erigere caput ſuum nequiit. Sed criminis ſui gravitate deorſum tractus, improperium Creatoris ſui audivit: *Cur concidit facies tua* Atque hoc eſt, quod Redemptor animarum noſtrarum Phariſaicæ turbæ objecit: *Vos de deorſum eſtis.* Infelices bajuli, qui nulla intermiſſione onus veſtrum ſupra humeros geritis, nec unquam caput erigitis. Iſaias quoque Provinciarum Deo ſuo rebellium ſcelus improperat, dicendo: *Onus Ægypti, onus Babylonis, onus Tyri, onus Damaſci,* & cætera. De Patricida Abſalom ſcriptura inquit: *Tondebatur ſemel in anno, quia gravabat eum Cæſaries.* De quo convenienter S. Petrus Chryſologus inquit: *In Impii capite non aliquam virtutum, ſed tantum vitiorum ſarcinam ſcriptura deſignat, gravabat, inquit, eum Cæſaries.*

Serm, ſuper eundem.

MINERVA, & MEDUSA.

MInerva ſagax horrendum Incantatricis Meduſæ caput hæreditavit, ad cujus aſpectum quiſque viventium in lapidem convertebatur: Hinc illi ſequens lemma hæreditario jure attribuitur: *Terrore, & armis.*

Terror & arma.

Hi duo Poli ſunt, circa quos victoriæ rota feliciter gyratur. Quandoque ſolus terror utilis eſt, quandoque conjunctus armis. Verba ſine opere, idem ſunt, quod homo imbellis abſque armis, qui magna loquitur, ſed nullo ſubſequente effectu. Cum ſemel gloria nominis, & fama ſtabilita fuerint, & confirmata actionibus glorioſis, non negarim ſolum inclyti nominis ſonum, & memoriam magni ponderis eſſe.

Wallenſtein nunc huic nunc illi parti adhærens.

Talis erat generoſus Imperialium Belli dux Wallenſtein, quem ipſi adeo Imperiales multoties, multoties Sueci, multoties Saxonum Legiones verebantur: Sed nemo horum fiduciam in eò collocavit, ſicut in generoſo Alexandro, cujus ſola præſentia, etiam ſine ſanguinis effuſione Civitates, & regna tributaria fecit.

Meduſæ caput, tam excellentis temperaturæ erat, ut nullam unquam loricam, de fumigante Lemno ſuo, paris roboris Vulcanus produxerit: Hujus monſtri calvaries quamvis acutiſſimam ſagittam, quodvis telum, etiam de fortiſſimo arcu emiſſum repercutiebat illæſa:

Magnanimitas.

Unde non immeritò ideam geſſit hominis magnanimi, hanc ſibi Epigraphen adſciſcens: *Tela omnia contra.* Videtur ad vivum expreſſiſſe hoc factum Comes Teſtius, cum in perſona hominis magnanimi ait:

Come ſcudo tal' or, quall' ora il tenta
Deſtra armat' a ferire, il ferro ſteſſo
Violento ritorce, e in ſuo rifleſſo
Contro l'Autor del colpo il colpo aventa.

Sic faciendum eſſe viro forti Marcus Tullius inquit: Injuriarum tela obtundenda, & repellenda. *Fortes,* inquit, *& magnanimi habendi ſunt, non qui faciunt, ſed qui propulſant injuriam.* Et S. Ambroſius: *Fortitudo rerum contemptu conſtat.*

1. Offic.

Præmemoratum Sceleton autem non ſolùm tela emiſſa repercutiebat, ſed quemque mortalium necabat, prout fabulæ Poëtarum commentantur: unde Abbas Joa. Ferrus ad hanc proprietatem reſpiciens, ſequens lemma adinvenit: *Exanimat viſa.*

Effectus decoris mulieris.

Hos effectus decor, & forma producit: unde Muſa mea concivis, dum mulierem formoſam antè ſpeculum conſiſtentem deſcribit, ſic concludit:

Vedrai, ſe miri il tuo ſembiante interno,
Cui ritragge il mio cor ſpecchio verace,
Angue il crin, Toſco il labro, il petto Inferno.

Hanc ſtragem inter alios infelix Holofernes interitu ſuo edoctus eſt, dum Heroinæ Iſraeliticæ Judith, tam formoſæ, quàm generoſæ manum vindicem ſenſit.

Patrocinium.

Veteres Poëtarum memoriæ tradiderunt, quamdiu Palladium, aut ſimulacrum Minervæ conſervatum fuerit Trojæ, Civitatem perire non potuiſſe. Quidam in nomine civium Trojanorum hæc ſubſcripſit: *Servata ſervabimur ipſi.* Poterit hoc univerſum applicari ad hominem illuſtrem, magnæque authoritatis, cui quamdiu vita ſuperſtes eſt, conſervantur Inquilini urbis vel ſubditi, qui ſub tutela ejus vivunt.

Saluſtius.

Vatinius ad Conſulatum evectus, ſodales ſuos ſic alloquebatur: *Gaudeant ſodales, quia Vatinius aſſumptus eſt ad Conſulatum,* dicere volens: quamdiu hanc conſularem purpuram humeris meis portavero, omnem indemnitatem, & genuinam libertatem, non eſt quod læſam iri vereamini: Omnes horæ felicitatis veſtræ nullo infortunio turbabuntur, ſi ſub indice meo ambulaverint.

Maria virgo. *Prov. 8.*

Poterit hoc lemma non impropriè, imò verò multò opportunius ad Sacratiſſimam Virginem applicari, grandem illam Peccatorum Advocatam; unde per os S. Spiritus hæc nobis verba proponit: *Qui me invenerit inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Et S. Anſelmus: *Dudum cœlum & terra ruiſſent, niſi Maria precibus ſuſtentaſſet.*

Sapientia & armis defenditur Civitas.

Cum item Minerva Dea ſit Sapientiæ, vultum quandoque talem induens, qui loco armorum, vitam auferat, in ejuſdem imagine intellectam eſſe video & ſapientiam, & valorem militarem, unde ego non abs re ſimulacro ejus ſuppoſuerim: *Viribus, & Sapientia:* inſinuando per hoc, non eſſe nec munimentum, nec muros, nec robur ullum, quod his reſiſtat. Nec enim tantum fiduciæ habendum in legionibus armatorum nec in caſtellis fortiſſimis, quantum in virtute, & valore, quæ vallum & foſſam præbent ſecuriſſimam. Ita Plato in pluribus locis inquit: *Beatas tunc fore Reſp. ubi Reges philoſopharentur, & Philoſophi regnarent.* Hoc tam præclarum præceptum nobis M. Tullius profundius impreſſit: *Duæ ſunt artes,* inquit, *quæ poſſunt homines locare in ampliſſimo gradu dignitatis, una Imperatoris* (intelligens hoc de valore militari) *altera Oratoris boni.* Audiamus & Sapientiam: *Ab hac,* inquit, *pacis ornamenta retinentur, ab illa belli pericula repelluntur.*

Pro Lucio Murena.

MORS.

QUamvis mors figura humana non ſit, cum tamen hoc ſceleton, & hæc oſſa, quaſi fundamentum ſint, ſupra quod divinus Artifex ſtructuram ſuam erexit, digniſſimum erit, quod ſcrutinio noſtro & examini ſubjiciatur. Dum igitur ſine auribus, & oculis apparet, cæca ad videndum, ſurda ad audiendum, & corde deſtituta, ita ut omnem à ſe compaſſionem excludat, hæc epigraphe introducta eſt: *Nullo flectitur obſequio.*

Obſtinatio.

Quo dicto, & quo facto ad vivum repræſentatur pervicacia & durities obſtinati cordis, quod multò durius incude, ad inſpirationum divinarum malleum reſiſtendo illud ſonat: *Durabo.* Imitans aſpidem, quæ, ſicut Phyſici inquiunt, juxta ſententiam Pſalmiſtæ: *Non exaudiet. Cor durum eſt,* inquit, & definit S. Bernardus, *quod ne compunctione quidem ſcinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, exemplis non inducitur, beneficiis induratur, flagellis non eruditur: Et ut in brevi cuncta hominis mala complectar, ipſum eſt quod nec Deum timet, nec homines reveretur.* Reliqua vitia non niſi rivi ſunt, hoc omnium origo & fons: reliqua de planta iniquitatis rami ſunt, hoc verò malorum radix.

Lib. 1. de Conſid. ad Eugen.

Ex eo quod mors quaſi in faſciculo vitas magnatorum æquè ac plebeiorum colligat, illud de ea uſurpatum eſt: *Nemini parco.* Dixerunt hoc ipſum Horatius & Ovidius; Ille quidem: *Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres.* Hic autem:

In Ep. ad Liviam.

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam.
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.

Murmuratores.

Hanc ſententiam perfectiſſimè lingua murmuratorum exprimit, quæ non ſecus ac falx illa inhumana mortis, tam pungendo quàm ſecando, diſſecat famam, & honorem mortalium. Ut de hoc Baſiliſco noverimus nos præmunire, S. Chryſoſtomus docet, dicendo: *Fugiamus dilecti, fugiamus detractiones, docti quod eſt totum ſathanicum, barathrum inſidiarum ejus hæc inſeſſio.*

Homil. 3.

Et ſicut Eccleſiaſtes vult: *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.*

Cap. 10.

Et S. Gregorius Nazianzenus: *Nihil eſt, quod à linguæ ſagitta tutum, atque immune ſit.* Super verſum Horatii de morte ſcriptum eſt: *Omnia æquat.*

Judex incorruptus.

Talem videri oportet Principem, qui nulla nec paſſione, nec utilitate ſeductus, ſed ſolo intuitu Recti motus; pœnas meritis æquiparat, ſicut & præmia: Hinc Ariſtoteles dicere conſueverat: *Rex juſtitiam conſervare debet.* Et Solon: *Sit Princeps ſecundum leges, & unaquæque Civitas optime regi poterit.* Claudianus Imperantem ſic admonet:

Polit. 4. *Apud Laert.*

Nec tibi quid liceat, ſed quod feciſſe decebit,
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.

Amor divinus aſſimilatur morti.

Amorem divinum P. Vincentius Gilbertus morti aſſimilat, unde etiam utrique ſubſcripſit: *Non impletur.* Hoc amore adimpletum vas Electionis inquiebat: *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Dummodo hic ei amor non auferatur S. Ignatius Martyr inquit: *Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, totius corporis contritio, & tota diaboli tormenta in me veniant, ut Chriſto fruar.* Dilecta ſponſa in Cantico de hac ſua inſatiabilitate informari voluit dilectum ſuum: *Adjuro vos,* inquit, *filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.*

Ex lib. S. Hieron. de Script. Eccleſ.

Mors Juſtorum.

Imagini mortis ſubſcriptum fuit: *Simillima ſomno.* Hoc de morte juſtorum dictum eſt, qui quaſi per ſomnum occidunt: Id quod regius Cantor inquit: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini.* Hinc S. Hieronymus ſupra hunc locum inquit: *Cùm ſancti ab hoc ſæculo accepto ſomno quietis diſceſſerint, tunc fient hæreditas Domini, quia jam non ſubjacent tentationibus.* Quæ veritas & apud prophanos locum invenit, unde gravis ille author *Jeruſalem liberatæ*, de morte Chlorindæ, quæ Chriſtiana jam facta fuerat, hæc ait:

Pſal. 126.

E in queſta forma
Paſſa la bella Donna, e par che dorma.

Redemptor animarum noſtrarum ex ore proprio hanc ſententiam corroborat, dum inquit: *Lazarus amicus noſter dormit.* Et S. Paulus: *Nolumus vos ignorare de dormientibus.* At ſic dici poterit Juſtos dormiendo Paradiſum introire.

Ioan. 11. *1. Theſſal. c. 4.*

Per memoriam mortis vileſcunt omnia.

Quidam Author eximius Calvariæ horridæ, informi, excarnificatæ, caducæ & fœtenti ſubſcripſit: *Cogitanti vileſcunt omnia.* Quæ ſententia fortaſſe de calamo S. Hieronymi mutuo ſumpta eſt, ubi ait: *Facilè contemnit omnia, qui ſe cogitat moriturum.* S. Zenon hoc præceptum univerſo Mundo dedit, dum inter ſuos ſic ratiocinabatur: *Si horum omnium memor fueris, nulla tibi orietur elationis occaſio, ſed ſemper memor eris tui, ſi præcepti memor* ATTENDERIS TIBI. Et S. Auguſtinus ad rem accommodè: *Conſideratio hujus ſententiæ*, inquit, *deſtructio eſt ſuperbiæ, extinctio Invidiæ, medela malitiæ, effugatio luxuriæ, evacuatio vanitatis, & jactantiæ.*

Ep. ad Paulin. *Serm. de Præcep. attende tibi.* *Lib. de ſpeculo peccati.*

SILENUS.

PRæpoſtera Gentilium ætas plus debito figuras olim deformes Satyrorum, & Silenorum reverita eſt, æſtimans in his ipſis animam dari Mundo, prout loco ſuo apparebit, unde illis & fiſtulas, & ſambucas, & calamos attribuit, rata melodias omnes harmonicas ab iiſdem ſumpſiſſe originem. Atque ita prout foris deformes, & incompoſiti apparuerunt, interiora eorum (more rerum ſacrarum) in magno pretio, & veneratione erant. Domini Brixienſes, (qui Academico nomine *Occulti* dicuntur) ad hoc reflectendo, nomini ſuo convenienter figuris ſuperioribus ſubſcripſerunt: *Intus non extra.* Gravis admonitio hæc eſt homini prudenti, ne virtutum ſuarum, quibus animam ornatam habet, quæſtum, vel applauſum quærat, ſed ab intrò occluſas teneat. Inſigni documento nobis eſſe debet exemplum Redemptoris, qui turbas, ſicut & dæmonia vetuit nomen ſuum propalare: Juxta illud Lucæ: *Increpans non ſinebat ea loqui*, Sic ſilentium ſuis indixit, cum in monte Thabor portentoſam transfigurationem ſuam intuiti eſſent. Sic cum eum in Regem electuri eſſent: *fugit in montem.* Denique verum eſt quod S. Gregorius inquit: *Deprædari deſiderat, qui theſaurum publicè portat in via.* Idem: *Opera*, inquit, *interiora noſtra ſolius Dei oculis placent.* Ideoque non ſine ratione coronatus poëta: *Omnis gloria*, inquit, *filiæ regis ab intus.*

Virtus celata. *Cap. 4.* *Cap. 48. moral.* *Pſal. 44.*

SIRENES.

AD figurandum dolum, & fallacias decoris muliebris, quo ſexus ille miris blandimentis, inſidias, & proditiones, & ruinas machinatur, ſapientiſſime veteres Pagani Sirenum figuras induxerunt, quæ cum monſtruoſitatem ſuam aquis tegerent, vultu foris apparente, & formoſo incautos ludificabant. Supra quod doctiſſimus Camerarius anſam ſumens, ſirenes in vicinia navis expreſſit, quæ muſicalibus inſtrumentis harmoniam melodicam concinnabant; adjungens inſcriptionem: *Mortem dabit ipſa voluptas.* Hic Idea perfectiſſima eſt tenerarum voluptatum; quæ tot apparentiis, & faſcinationibus ſuis, tanto luxu, & varietate ad deceptionem & captivationem Spiritus tendunt. Hinc Horatius quamvis Paganus inquit:

Mundanæ deliciæ.

Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas

Ideo non ſine ratione inquit S. Auguſtinus: *Mundus iſte periculoſior eſt blandus, quàm moleſtus: magis cavendus cum ſe illicit diligi, quàm cum cogit contemni.*

Lib. 1. Ep. 2. *Ep. ad Dioſcorum.*

Abbas Certanus, olim Concanonicus meus, & ipſe regimini Eccleſiæ & conſimilis populi præpoſitus, in eodem ſenſu Sirenem exhibuit muſicale inſtrumentum tangentem, adjungens ſententiam: *Son le luſinghe ſue ſempre mortali: blandimenta ejus ſemper lethalia ſunt.* In hanc ſententiam S. Ambroſius inquit: *Ita ſæculi voluptas nos quadam carnali adulatione delectat, ut decipiat.*

Mundi voluptas.

Sirenes Idea perfectiſſima ſunt mulierum libidinoſarum, & mendacium: unde Joannes Orozoccus, Author Hiſpanus idipſum intelligens ſubſcripſit Idiomate Hiſpanico: *Cumple con dar disguſto ii Amagura.* Convenit cum ſententia illa ſpiritus ſancti: *Favus diſtillans labia mereticis, & nitidius oleo guttur illius: noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium.* Hanc veritatem & ipſi gentiles, non ignorarunt, inter quos Publius Mimus ſic habet: *Theſaurus malorum eſt mulier.* Et Ovidius prudenter admonet:

Fœmina laſciva, & vana. *Provérb. 5.* *De remedio Amoris.*

Neve puellarum lacrymis moveare memento:
Ut flerent oculos erudiere ſuos.

Savedra tam inſignis, tamque acuti ingenii, qui cum tanta moralitate & doctrina calamum ſuum ad ſcribendum applicuit, Sirenem cum cythara repræſentavit; id quod in ea monſtruoſum eſt, aquis tegens, atque illud Horatii ſubſcribens: *Formoſa supernè*: Id quod de contextu ejuſdem deſumptum eſt, qui ſic habet:

. . . & turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa supernè.

Id quod optimè ſuperioribus Ideis congruit; ſicut & illud S. Auguſtini: *O Munde immunde quàm multos decipis, quàm multos fallis; qui dum cognoſceris nihil es, dum extolleris fumus es: qui te cognoſcunt, ipſi te fugiunt; qui te non cognoſcunt, ipſi tè contemplantur, & diligunt.* Poterit hoc item ad Miniſtrum vitioſum applicari, qui ſub emendicato prætextu paſſiones ruinoſas, & damna inopina tegit. Tales erant Tigellinus, & Sejanus apud Neronem, Aman apud Aſſuerum, Amaſa apud Regium Prophetam, Acham filius Channi, & ſimiles alii. Hinc Solon admonet: *Principi conſule non dulciora, ſed optima.*

Mundi apparentia fallax. *Apud Laertium.*

Ad denotandum, quid eloquentia valeat, Abbas Picinellus præmemoratus ſireni, quæ in vicinia navis cytharam geſtet, hoc lemma dedit: *Figit vox una rates.* Huc reſpicit Emblema illud tantopere decantatum Andreæ Alciati, ubi Hercules apparet catenis ex ore prodeuntibus, qui pro libitu populos captivando trahit, cum hac ſententia: *Eloquentia fortitudine præſtantior*: Ideoque hæc ars *flexanima* dicitur, quippe quæ torquet, & inflectit animos, prout cunque voluerit. Sic M. Tullius ajebat: *Quantum in bello ferrum poſſet, tantum in Republica Oratio: illic enim res viribus agitur, hic perſuaſione.* Hinc eſt, quod Pallas, Numen ſapientiæ, loricata exhibetur.

Robur eloquentiæ.

Securitas, & agilitas, qua ſupra dictæ ſirenes per maris undas, fluctuare dicuntur, Ideam clariſſimo viro Paulo Jovio ſuggeſſerunt, ut in ea perſonam intrepidam, & generoſam intelligeret, unde hoc lemma Lectori expoſuit: *Contemnit tutò procellas.* Hoc cum ſingulare ſit encomium virorum illuſtrium, ſiquidem in fæmina inventum fuerit, monſtrum admirationis eſt: unde & Spiritus S. inquit: *Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die noviſſimo*: Et paulò infra: *Manum ſuam miſit ad fortia.* Idcircò & ſæcula anteriora, inter mirabilia mundi Amazones collocarunt, ſicut & Pentheſileas, & Clelias, & Redegundas, & Orithias, & ſimiles alias.

Intrepiditas muliebris.

Sirenes nihilominus non ita vitiorum figuram habent, ut non etiam virtutis portare poſſint: hinc quidam ſirenem exhibuerunt, cum muſicali inſtrumento hoc lemma præſeferentem: *Dulcedine capio.* Allectamentum virtutis ejuſmodi eſt, inquit Sapiens, ut ſi quis illud ſemel guſtaverit, ab eo diſtolli nequeat, unde ſic ait: *Præpoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, ... & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.* De hac virtute Cicero inquit: *Virtus omnia, quæ cadere in mentem poſſunt, ſubter ſe habet, eaque deſpiciens caſus contemnit humanos, culpaque omni carens, præter ſeipſam nihil ſentit ad ſe pertinere.* Greſſus ejus greſſus luminis ſunt, & acquiſitio ejus, acquiſitio gemmarum.

Virtus quantum allectamentum habet. *Sap. 7.* *5. Tuſcul.*

Symbolum tamen perfectiſſimum Adulatorum Sirenes ſunt, quandoquidem dimidia ſui parte formam habent formoſæ puellæ, dimidia ſquammoſum piſcem repræſentant. His itaque Bartholomæus Roſſus ſubſcripſit: *Amaricata dulcedo.* Intellexit harum belluarum damna S. Auguſtinus, dum ait: *Duo ſunt genera perſecutorum, vituperantium ſcilicet, & adulantium: Sed plus perſequitur lingua adulatoris, quàm manus perſequentis*: Lethalis hic ſcorpio eſt, qui dum amplectitur, mordet, & occidit.

Adulatores. *In Pſ. 69.*

TANTALUS.

HIc ille miſer eſt, qui ad perpetuam & inextinctam famem, ſitimque condemnatus, inter poculenta, & eſculenta, quanto propior eſt nutrimento, & ſolamini ſuo, tantò magis marceſcit, & deficit. Vera hæc Idea eſt hominis avari, & tenacis, quem omne Pactoli aurum non ſatiat, cui lemma ſubſcribitur: *Inopem me copia facit.* De hoc S. Ambroſius: *Avarus nullum hominem eſſe vellet, ut omnia ſurriperet.* Sonat contra hujuſcemodi avaros tuba Spiritus Sancti: *Avaro nihil ſceleſtius.* Et paulò infra: *Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet.* Conſtat exemplo tragico Ananiæ & Saphiræ, quàm hoc vitium deteſtabile ſit apud Altiſſimum. Verum enim eſt, quod vas electionis inquit: *Radix omnium malorum cupiditas.* Ac ita non immeritò ibidem: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli.*

Avarus. *Lib. 2. Hexameron.* *Eccli. c. 10.* *1. Tim. c. 6.*

Porrò ad demonſtrandum, quantopere à chariſſimis nobis, & fidiſſimis quandoq; derelinquamur, figuratus fuit Tantalus, quem fugiebant aquæ, ſi quando labium ad eaſdem hauriendas inclinabat; & dum cibare ſe allaboraret, in altum poma ſaliebant, adjuncto lemmate: *Et proxima illudunt.* Par ratione cum Deus animam deſerit, quidquid ei intimum, & amiciſſimum erat, fugit, & elabitur. Dixit hoc Propheta regius: *Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat.* Et Scriptura alibi: *Ubi ſunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? . . . . Surgant & opitulentur vobis, & in neceſſitate vos protegant.* Enim verò futurum erit; ut in ſcrutinio illo rigoroſo eædem tenebræ, quæ ſceleribus anſam dederunt, & turpitudinem eorum texerunt, primæ ſint ad eorum maculas diſcooperiendas: prout S. Paulus inquit: *illuminabit abſcondita tenebrarum.* Quis credidiſſet infelicem Sennacherib à propriis filiis ſuis, qui de lumbis ejus exierant, occidendum, idque in Phano ſuo, in quo tantum fiduciæ collocaverat, in conſpectu Idoli, in quo ſpem cordis ſui poſuerat?

Pſ. 70. *Deut. 32.* *1. Corint. 4.*

Abbas Picinellus Tantalum quoque exhibuit immerſum undis, nec tamen ſitim reſtinguentem, ſubjunxit autem Epigraphen: *Fugientia captat.* Id quod ab Horatio mutuatum:

Serm. Lib. 1. Satyr. 1.

Tantalus a labris ſitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: Congeſtis undique ſaccis
Indormis inhians; & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

De hoc principio finxit Antonius Abbas Stampermetum Principibus Aſiæ hanc perſuaſionem feciſſè.

Tantalo infido entrò martiry infermi
Muove à cibo fugace orma di fame,
E al grave duol di flagellate brame,
Negan dolce momento arbitri eterni.

Hæc figura avari eſt, qui in mari divitiarum ſubmerſus interit, nec ullam abundantiæ ſuæ emolumentum ſentit. Idipſum literaliter Regius Propheta confirmat, dum ait: *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Alii legunt, *ſi fluant.* Et Peripateticus noſter: *Divitiæ venientes fucata ſpecie blandiuntur, abeuntes autem poſt ſe pœnitentiam, & dolorem relinquunt.*

Pſ. 64. *Ethic. 6.*

Ad ſimulacrum tale; aut ſpectrum potius dixerim infelix (dum videlicet pœnam illam ſemper continuantem intueor, quæ tanto magis compaſſione digna eſt, quanto magis qui patitur jejuno ventre in gremio eſt mortis, inter delicias, vallatus epulis opiparis, & ſuaviſſimis) illud lemma ego adjunxerim: *Qui tra cibi vital di fame jo moro: Hic inter cibos vitales, ego fame morior.* Figuram hanc non immerito ad eos retulerim, qui cum potentum favore nitantur, & quaſi crinibus fortunam ſuam jam fixam tenere videantur, ad poſſeſſionem ejus nihilominus pertingere nequeunt: Aut verò ad Amicum aliquem, qui de eo proditionem paſſus ſit, in quo maximas ſpes ſuas radicaverat: aut denique ad Amantem deluſum in amoribus ſuis. Comprehendit hoc univerſum Hieronymus Porrus, dum in perſona præfatorum inquit:

Deluſus à fortuna, ab Amicis aut amoribus ſuis. *In Poëſiis.*

Su'l confin del gioire,
Di viva pietra un termine ſon fatto,
L' avido mio deſire
A penar tra piaceri ecco m' ha tratto;
Poiche giunto a ſperar, per maggior doglia,
Sentomi ributtar giu dalla ſoglia.

Affirma-

In Horat. Ex Stobeo.

Affirmatur idipſum ab Euripide: *Humana*, inquit, *conſilia reguntur temporibus, mutantur utilitatibus.* Theognides ajebat: *Multi ad pocula chari fiunt amici, in rebus autem ſeriis pauciores.* Hinc Poëta.

Tempore felici multi numerantur amici,
Dum fortuna perit, nullus amicus erit.

Quod Ovidius ita:

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Dum Romulus Deos ſuos precaretur, referente Stobeo, nil niſi hoc orabat, ut ſe Dii à fictis amicis præſervarent, cumque interrogaretur, ut quid in hoc ſolo tam ardens eſſet, reſpondit: *Quia hoſtes cum cognoſco, caveo.* Monſtrant adulatoras eſcam, & rurſum aufferunt.

TITYUS.

QUam ſapienter Paganorum poëtæ in fabuloſis commentis ſuis Inferorum pœnas expoſuerunt: In Ixione, in Siſypho, in Tantalo, & aliis! Reſtat, ut calamitoſiſſimum, & infeliciſſimum Tityum quoque non prætereamus, quem antiquitas finxit à vulture dilacerari, & hepar ejus repetitis tormentis dilaniari, atque ita miſerum inhumanam & crudelem mortem quotidie experiri. Itaque hic Tityus prout memoratum eſt, Jecore diſcerpto repræſentatus, hoc lemma Virgilianum ſecum portat: *Nec requies ulla.* Petrus Bleſſenſis ſymbolum hoc ad quoſdam retulit, qui laborioſo ſtudio avium aucupio vacant, vel earum conſervationi invigilant: verba ejus hæc ſunt: *Video quoſdam, quorum mentes avium delectatio totas occupando conſumit. Nonne iſti imaginem gerunt Titii, cujus jecur poëtæ referunt jugiter ab avibus devorari? nam ſatis devorantur ab avibus, qui hac avium curioſitate torquentur.* Ut verum fateamur, aucupium occupationem habet delectatione plenam; Sed ſi debitis finibus ſuis contineatur. Quamvis utilitas ejus nulla ſit, ob diſpendium temporis, veſtimentorum, & apparatus: nec minora alia incommoda inde naſcantur: Unde Livius inquit: *Venandi ſtudium, ac voluptas multo labore afficit, & incommodo.*

Æneid. lib. 6.
Cura quorundam in capiendis, & conſervandis avibus.
1. Decad. lib. 1.

Novum ſemper alimentum voracitati prædatoris vulturis hepar Tityi ſubminiſtrat: quippe quod quamvis diſcerptum, novis tamen incrementis ſuccreſcit, & reſtituitur: nec verò unius, aut alterius defectus apparet, unde & perſonam libidinoſam, & avaram repræſentat, cui Abbas Ferrus ſubſcripſit: *Nec gula, nec eſca.* Hæc bina vitia quemcunque poſſederint, cor ejus corrodunt: prout ſuaviſſimus Comes Teſtius canit:

Libidinoſus, & avarus.
In poëſiis.

Qual di Titio Avoltojo
Che mai non giunge ad is famar ſue brame,
In eterna portura ha eterna fame.

De quorum uno ſic inquit Ariſtoteles: *Iræ, & concupiſcentiæ venereorum transmutant corpus, & quibusdam inſanias faciunt.* De altero M. Tullius. *Cupiditates ſunt inſatiabiles, quæ non modo ſingulos homines, ſed univerſas familias evertunt.* Poterit item ad conſcientiæ remorſum applicari, prout in Mythologia ſua ſenſatiſſima Natalis Comes allegat. Hic etenim vermis ſemper rodit, vultur rapaciſſimus ſemper dilacerans, ſica inviſibilis, quæ ſemper vulnerat, & mactat: *Fugit impius nemine perſequente*, inquit Spiritus Sanctus. Hinc etiam Cain terribiliter ait: *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Et veriſſimè Iſidorus Clarus: *Nulla pœna eſt gravior reâ conſcientiâ.*

Ethic. 7.
2. de finibus.
Remorſus Conſcientiæ.

ALEXANDER, & NODUS GORDIUS.

COgitaveram quidem, brevitatis Studio argumentum hoc omittere, contrarium autem perſuaſit, quod Lectorem meum utilitate morali defraudaturus ſim, ſicut & debito honore eum, qui tam doctè calamo ſuo & ſtylo uſus eſt (atque ita prout in corporibus reliquis egi, ita & in præſenti facturus ſum) De Abbate Theſauro loquor, qui Emblema Alexandri propoſuit nodum Gordium ſolventis, cum lemmate: *Extrema remedia ultimis in malis adhibenda.* Quod univerſum cum aphoriſmo medico convenit: *Acutis morbis, acuta remedia.* Hæc intentio Redemptoris noſtri eſt, ut ubi correctio lenis, & Eccleſiæ adhortamenta in caſſum adhibentur, qui tantæ obſtinationis ſunt, ethnicorum, & publicanorum loco habeantur. Intellexit hanc veritatem, hanc agendi methodum, quæ optimè talibus moribus convenit, philoſophus Periander, dum ait: *Non modo peccantes caſtiga, ſed peccaturos etiam cohibe:* Unde Charitatem quoque in his Sapientibus Paganorum inveniſſe locum crederes, quamvis eam nec nomine tenus noverint. S. Auguſtinus ait: *Quæ peccantur, coram omnibus corripienda ſunt.*

Correctio ſevera.
Apud Stobæum.
De verbis Domini.

Memini me eadem in Volumine jam adduxiſſe, quæ præterire non poſſum, quin hic replicem: Brachium videlicet, quod vibrato gladio ſuper nodum Gordium ferire videatur (Symbolum eſt doctiſſimi Paradini) cum lemmate: *Nodos virtute reſolvo.* Denotat autem Prudentiæ Rectricis ſagaces ſolutiones, ubicunque fortuna ſiniſtra in negotiis, & incœptis maximè involuta, & implicata eſt. Prudentia ſiquidem à Platone appellatur: *Regia animi forma, mentis practica habitus ſublimis.* Hoc modo, inquit Socrates, ligamenta diſſolvuntur: *Frugi, & bonus vir præteritorum meminiſſe debet, agere præſentia, futura cavere.* Et M. Tullius: *Nihil eſt homini prudentia dulcius, aut ſagaci & bona mente melius.*

Prudentia.
Apud Stobæum
2. Tuſcul.

Aſtrologus quidam ſapientem, & prudentem virum inter nobiles olim de improviſa, & inopina morte perterrefacere credebat, eam illi eventuram præſagiendo: Ille verò ut intrepiditatem pectoris ſui demonſtraret, nodum Gordium gladio ſibi præſente ſolvit, & lemmati cauſam dedit: *Nihil intereſt quomodo ſolvatur.* Idipſum eſt quod Philoſophus Epicurus, ne mortis imaginem vereretur, ſibi ante oculos poſuit, ſic enim ait: *Cùm jam non ſumus mors adeſt, cum ſumus abeſt: Ut quid, rogo, mortem timerem.* Et magnus Ariſtoteles: *In morte nihil eſt mali*, inquit, *ſed ſi aliquid eſt mali, ipſe metus mortis eſt malum. Stultitia eſt igitur, malum ſuum vel augere, vel facere.*

Intrepiditas cordis.
In ejus vita.
Ethic. 6.

Ad denotandum, quantopere in rebus arduis aliquando fortitudo neceſſaria ſit, virtuti juncta, Jacobus Zabarella nodum Gordium exhibuit, jamjam diſſecandum, ſubſcribendo lemma: *Aut ingenio, aut vi:* Nec enim quicquam in Mundo eſt, quod non ambobus his ſuperari poſſit. Dicere aſſueverat vir bello illuſtriſſimus Eumenes, dummodo ſibi detur manu gladium ſuum geſtare, difficultatem non eſſe, nec verò robur ullum, quod ſibi ceſſurum non ſit. Recordor me in ætate mea vegetiori, atque idcirco magis mobili, ſuper hoc Eumenis factum Ode quadam paraphraſin contexuiſſe, quam hic data occaſione apponendam cenſui:

Fortitudo, & ingenium.

Di recinti munice eccelſe mura
Nutron ſelve di ſtrali in ſua difeſa,
Vanti Alcide portare alma inoffeſa,
Al flagellar d' ogni mortal ſciagura:
Se queſta ſpada in ſu la man mi dura
Queſta ſalma trarrò fra muri illeſa,
Non mi ſbigottira moſtro d' offeſa
Ne larva Acheronte à rendra paura;
Farò con queſto ferro un tal lavoro,
Che accio reſti immortale il nome mio
Cavarò il ſolco a ſeminar l' alloro.
De l' quinto cielo a me lo porſe il Dio
Accio che al tempo ancor ſia di martoro,
E traffitto da lui cada l' oblio.

Reſolutio.

Non opinor figurandam ſubitam executionem animi reſoluti, magis adæquatum inveniri Symbolum poſſe, quam quod ſupra dedimus, cui Abbas Ferrus lemma illud ſubſcripſit: *Quoquo modo reſolvam.* Quædam actiones ſunt, quæ multò felicius hac agendi methodo finem ſuum conſequuntur, quàm Fabii cunctatione. Hinc Tyberius nimia prolongatione & irreſolutione odium incurrit, non ſolùm Romanorum, ſed totius imperii: propter quod & Abbas Antonius prudenter, cum apophthegmate mordaci Satyram ſuam orditur, dum ait: *Sempre fà porcherie, chi non ſi muta.* Recenſet Trajanus Boccalinus, Dominam quandam de Palatii ſui regii feneſtra præcipitaſſe Medicum ſuum, qui tardiſſima adoperatione decocti, malo ſuo medicari ſatagebat, quod tamen Quintis eſſentiis ad maturandam curationem ſuam indigebat. Si Beliſarius non tantum temporis ad plangendam mortem Gilimeri inſumpſiſſet, ab Imperialibus turmis deprehenſus non fuiſſet, nec oculi ejus excavati: Ovidius de Schola ſua ſic docet:

Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis.

ULYSSES.

HIc fortiſſimus virorum illuſtrium in omni adeo ætate ſpeculum, & Exemplar Heroum fuit: de quo tam copioſe Mythologi ſcripſerunt, ut ſub Allegorico ſenſu demonſtrarent, qualem eſſe oporteat ſapientiam maturam, quæ in pectore viri fortis, nobilis, & prudentis reſideat: Geſta ejus magnanima ab hiſtoricis maximè inclytis enumerantur, & deſcribuntur. Hunc Ulyſſem inter Sirenes quidam depinxerunt, quæ muſicalibus inſtrumentis ſuis, navem illius circumgyrabant, & ad figurandum, quantopere voces deceptrices blandientium voluptatum, & ſenſuum noſtrorum allectamenta fugienda & deteſtanda ſint, lemma illud appoſitum erat: *Obſerratis auribus.* Ut verum fateamur, hæc Mundi invitamenta ſpecioſiora eſſe nequeunt, ſed non minus verum eſt, quod *Muſica in luctu* ſint: quippe quod hi concentus, & hæc harmonia in cacophoniam Infernalem deſinit. Memoriam meam nunquam præterit ſententia S. Valeriani, quam Abbas Picinellus tam peritè citatam ſuper hoc factum exhibuit: *Quotieſcunque dulci auditus mulcetur voce, ad turpe facinus invitatur aſpectus; nemo inſidioſis Cantibus credat, nec ad illa libidinoſæ vocis incitamenta conſpiciat, quæ cum oblectant, ſæviunt; cum blandiuntur occidunt.* Rationi autem convenientiſſimum eſt, ut poſt cantilenas, poſt muſicalem ſonitum, planctus Sintereſeos ſuccedat & pœnitentium luctus. Dicetur cum afflictis illis apud Prophetam Iſaiam: *Verſa eſt in luctum cythara noſtra, ceſſavit gaudium tympanorum.*

Mundanæ deliciæ.
Serm. 6.
Cap. 14.

Eidem ſimulacro Ulyſſis conſiſtentis in navi, & ſirenarum canora voce circumdati, Symbolei tatem à priori non diſſimili, Abbas Picinellus hoc lemma ſubdidit: *Surditate ſecurus:* Per quod indicat melius mundum vinci non poſſe, imò, quod potius eſt, allectamenta fœminæ ſalacis, quàm occludendo oculos. Ubique inveteratum proverbium hoc uſurpatur: *Che non ſi vince Amor, ſe non fuggendo. Quod amor non niſi fuga vincatur.* Intellexerunt hoc & Patriarcha Joſeph dum in manibus impudicæ mulieris pallium ſuum reliquit; & Scholæ Angelus S. Thomas de Aquino, extinguens ignem igne, titione tentatricem ſuam fugans: & S. Poloniæ Rex Stanislaus, qui memores dicti S. Baſilii Seleucienſis: *Fuge ſpectare, ut ſalveris:* heroicâ fugâ incendium illud evitarunt, quod per oculorum intuitum majores ſibi vires aſſumit. Unde Pſaltes Regius: *Averte oculos meos ne videant vanitatem.*

Mundus.
Allectamenta carnis.

Figuræ Ulyſſis, prout Polyphemum excæcare intendit, Abbas Theſaurus lemma hoc emblematicum adjunxit: *Mens una ſapiens plurium vincit manus.* Semper enim virtus etiam fortiſſimos & bellicoſiſſimos Exercitus exſuperavit. Id quod M. Tullius inquit: *Virtus in tempeſtate ſæva quieta eſt, lucet in tenebris, pulſa loco manet tamen, atque hæret in patria, ſplendetque per ſe ſemper, nec alicenis unquam ſordibus obſoleſcit.* Non ſuffecit viro huic illuſtri obturaſſe ſibi aures, ad fugiendos cantus doloſos Sirenum, quin præterea Natalis Comes commemorat malo eum navis alligatum fuiſſe, ne quo pacto his illuſionibus diſtineri poſſet. Supra quod Ego navem illam grandem Eccleſiæ ſacroſanctæ (de qua S. Ambroſius inquit: Adhuc fluctuat, adhuc repletur piſcibus) in cujus medio ſumptuoſiſſima arbor Crucis Chriſti, *arbor decora & fulgida*, fixa cernitur, figuratam expoſui, intelligens per eandem, quod quicunque huic arbori, per meditationem doloroſæ paſſionis Redemptoris noſtri alligatus fuerit, facilè omnem aſſultum, tentationum illicitarum repellat, & à ſe reiiciat: Exhibui autem Ulyſſem huic arbori adſtrictum, dum interim Muſicali harmonia Sirenes poſterius ludunt, atque illic lemma appoſui: *Ita ſecurus.* Hunc ſenſum de admirabili ſententia Mediolanenſis Archi-EpiſcopiS. Ambroſii mutnatus ſum, qui ſic habet: *Non ut Ulyſſes temporalibus vinculis ad navis malum alligandum eſt corpus, ſed ad crucis lignum figendus eſt animus, ne ſenſuum moveatur illecebris, curſumque deflectat naturæ in perniciem voluptatis.* Enimverò: *Si crucem infixeris vultui tuo, nullus dæmonum nocere poterit, videns arma, in quibus victus eſt, videns enſem, in quo Chriſtus caput ejus abſcidit:* Verba ſunt S. Bernardi. Hic ergò cum hac ſacratiſſima planta, plus admirabili, & majori veneratione digna, quam columnæ Herculeæ ſint, ratiocinationi terminum pono, procedendo ad

Virtus & prudentia.
Pro Salluſtio.
Sancta Crux.
Lib. 4. Hexaëm.
In Miſſus eſt.

SYMBOLA.

INter eos, qui in ſola & nuda ſignificatione ſymbolorum ſteterunt, nec eadem ſymbola elevarunt, vel ad Heroica, vel ad Emblemata, me quidem Judice doctiſſimus Paradinus lauream reportavit; itaque in hoc Hominis univerſaliter ſumpti particulari tractatu, videor mihi optimum fundamentum elegiſſe, cujus ſignificata, ſicut à præmemorato authore expreſſa fuerint, à me cum poſſibili puritate exponentur, & declarabuntur.

Ut ergò palam fiat, quantùm in virtute armorum poſitum ſit, ſiquidem venuſtati, & majeſtati literarum, & virtutum copulata fuerit, ſimulacrum Cæſaris expoſuit, qui in dextra ſua evaginatum gladium gerebat, in ſiniſtra librum elevans, cùm inſcriptione ſequenti, jam vulgò nota: *Ex utroque Cæſar.* His duabus potentiis vir valoroſiſſimus, ex Infantulo, qualem eum natura edidit, in Horoëm talem excrevit, qui ſubjugare Nationes, & frænare populos, & viam ſibi ad honoris montem ſternere, & dorſo ſuo inclytæ famæ alas imponere (unde nomen ſuum æternitati adſcripſit) qui chlamydem Imperatoriam induere, abſolutoque dominio ſceptrum geſtare novit. *Bonum enim eſt, & optabile, quidquid ex virtutis geritur imperio,* Seneca [Ep. 68.] dicere eſt ſolitus.

[Amicus fraudulentus.] Inter vitia, quæ in mundo maximè deteſtabilia ſunt, primum ſibi locum vendicant, ut reor, fraudulentia, duplicitas, & dolus. Itaque ut monſtretur Amicum fictitium deſerendum eſſe, idem Author binos homines expoſuit, unum eorum larvatum, cui alter bacillo larvam percutiebat, cum hac Epigraphe: *Amico ficto nulla fit injuria.* Hinc M. Tullius: [3. De natura deorum.] *Sunt homines, qui rationem bono conſilio à diis immortalibus datam, in fraudem & malitiam convertunt.* Et alibi idem Cicero: [Pro Roſcio.] *Perditiſſimi hominis eſt amicitiam diſſolvere, & fallere eum, qui læſus non eſſet, niſi credidiſſet.* Hi Amphisbænæ ſerpenti comparandi ſunt binis capitibus dotato; ſcorpioni, qui oſculando venenum ingerit: nubes aurea, repleta fulminibus: Serene illecebroſa quæ viventium formam transmutat: floridum iter, quod ſqualidum & venenoſum ſerpentem alit. Hæc & horum ſimilia optimè Amicum doloſum & fictum repræſentant.

[Contentioſi & Cholerici.] Incredibilia mala ſunt, quæ per Iracundiam effrænatam, & furorem incorrectum pariuntur, prout in monumentis librorum ſuorum inter alios id deſcripſerunt Seneca & Plutarchus. Ad hanc paſſionem exprimendam, quidam hominem figuravit, qui gladio ſuo evaginato lignum quodam ſuccenſum commovebat, de quo flammæ exeuntes, ad vindictam qui ſe moverat, in oculos ejusdem ſaliebant, aphoriſmo ſequenti ſuperaddito: *Ignis gladio non fodiendus.* Hic ſenſus cum eo convenit quem adagio trito proferimus: *crabrones non irritandos:* quod in eos dictum, qui diſcordias & lites exſuſcitare quærunt, neſcientes facilè eſſe quæſitas invenire. Atque hi ſunt, de quibus Jacobus Apoſtolus: *Qui ventum ſeminant, & turbinem metunt:*

[Modus & menſura in rebus.] Quidquid ſine menſura, & modo fit, in præceps iturum eſt, & eventum infelicem ſortietur. Itaque ut præceptum utile porrigeretur, quo in agendo modum non transgrediamur, homo ſenex figuratus fuit, qui non niſi lancem unam in bilance tenebat, altera enim rupta erat, Epigraphe ſequente ſuperaddita: *Stateræ ordo non tranſiliendus:* eſt autem aphoriſmus Pythagoricus. Porrò Author hæc verba adjungit: *Qui iniqui ſunt, & præpoſteri judicii homines, nullum eos menſuræ modum ſervare certum eſt.* Veriſſimum enim eſt proverbium:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

Hæc illa Epicheia, hæc illa Eutrapelia eſt, tantopere ab Authoribus decantata, tam ſapienter à legibus inventata, ab orbe univerſo in veneratione & pretio habita. Non hic prætereunda eſt admonitio S. Bernardi ſaluberrima: *In te conſiſtito: Non ſupra attolli, non infra deiici, non evadere in longius, non extendi in latius. Tene medium ſi non vis perdere locum. Locus medius tutus eſt: Medium, ſedes modi: & modus virtus.* [3. de Conſiderat.]

Magnanimitas hominis generoſi, qui præclaris facinoribus ſuis, & audacia viro forte digna, triumphum, victoriam, aut applauſum aut coronam, aut præmium obtinuerit, per Equites repræſentata fuit, qui inſidentes barbaricis equis per conſuetum Stadium ad bravium ſibi propoſitum currebant, quorum unus, cæteris præcurrens, maturius metæ appropinquans præmium reportabat: hoc lemma inſuper adjunctum erat: *Solus promeritus.* [Facinus illuſtre, & victoria.] *Imitatus,* inquit Author, *in hoc veterum Romanorum conſuetudinem, qui olim ſe in Circo ad curſum exercebant.* Sic in ſtadio vitæ noſtræ: *Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium,* inquit vas Electionis: rurſum: *Sic currite, ut comprehendatis.* [Vita noſtra ſtadium eſt & bravium noſtrum gloria æterna.] Et S. Auguſtinus: *Caro noſtra eſt Jumentum, quo iter facimus ad Jeruſalem, ſed hoc Jumentum plerumque conatur nos de via excludere.* [Cap. 6. In Ioan.] Hinc Beatus Aloyſius Gonzaga novo ſtratagematis genere, acutis calcaribus ſibi latus pungere conſueverat, novum cilicii genus efformans: ſupra quod Pater Joannes Rho inquit: [P. Joan. Rhó.] *O novum ſui generis hoſtem, qui equestris ordinis inſtrumenta, cæleſtis exercitationis habuit ornamenta.*

Porrò & illud Proverbium (*Aut Cæſar, aut nihil*) ingenioſè repræſentatum fuit. [Aut Cæſar, aut nihil.] Apparebat ſimulacrum Julii Cæſaris, idque pedeſtre, in ſiniſtra gerens charta folium, in quo nil niſi depicta arithmetica *nulla* erant, abſque omni alio numero; dextera verò demonſtrabat, & gubernabat globum mundi. Hunc ſenſum, & hoc lemma ſibi uſurpavit Cæſar Borgias, qui æmulatus Cæſarem Heroëm illum, quosque ſibi licitum fuit, ſemper in illuſtribus factis ſeſe exercuit; [Cæſar Borgias.] unde poſt hæc Occaſionem nactus eſt Paradinus, ut præmemoratas figuras proponeret. Sed præfatus Borgias ad finem vitæ ſuæ nihilominus, quamvis animo eſſet intrepidus, omni robore ſuo proſtrato, in nihilum redactus eſt, finem operandi conſecutus; nam in flore primæ Juventæ ſuæ, trucidatus ab inimicis, miſerè vitam ſuam clauſit: Idque in Navarræ Regno. Exinde in breviſſimo compendio totum hoc per Diſtichum ſequens, quod Epitaphii loco inſerviit, nervoſiſſimè expreſſum fuit:

Borgia Cæſar eram: factis, & nomine Cæſar.
Aut nihil, aut Cæſar dixit: utrumque fuit.

Hæc duo extrema ſunt, in quorum altero quantùm quidem magnanimus ille profecit, ex altero miſerè

miſerè perdidit, & vitam ſuam infauſto exitu prodegit, idque ad aliorum tragicum exemplum, ut moderamen in omni actione ſua conſervent, & ab iis ſibi extremitatibus abſtinendum eſſe noverint, quæ cum violentiam ſibi conjunctam habeant, damno ſuo ſemper, qualicunque utilitati præponderant.

Legatus Pratenſis magnus Pariſiorum Cancellarius, volens demonſtrare quantopere virtus in medio perſecutionum Invidiæ clareſcat, & in ſublime conſcendat, hominem exhibuit, conculcantem pedibus ſuis herbam agrimoniam, vel eupatorium dictam, quæ juxta phyſicos, quò vehementius depreſſa & calcata fuerit, eo uberius exurgit, pullulat, & vireſcit: ſubſcripſit autem quod ſequitur: *Vireſcit vulnere virtus.* Hunc ſenſum inter alios Seneca explicuit, qui ſparſim in libris ejus quæri poterit: ſingulariter tamen in libro de tranquillitate: Sicut in Plutarcho quoque. *Marcet ſine aduerſario virtus: In hoc cognoſcitur quantum valeat viri fortitudo.* Eandem ſententiam ſecutus Comes Teſtius ad Marchionem Scipionem Sacratum, oden integram metro eleganti compoſuit, cujus principium ſic habet:

Cote de la virtude
Sono, Scipio, i travagli; e l' otio molle
D' ogni anima piu forte il vigor rompe;
Rio, che ſtagna in palude,
Tra fetid' herbe, e liquefatte zolle;
Torbido in bruna l' acque, e le corrompe,
Ma, ſe corre, e dirompe
Lacerato tra ſaſſé, i rochi argenti
Fa di ſua purita ſpecchio alle genti.

[Beneficum eſſe oportet.] Quorundam hominum ingenium eſt, ad beneficia præſtanda nullo pacto moveri poſſe: tam longè poſiti ab exercitio virtutis hujus, ut omni oculorum lumine deſtituti videantur, & non niſi in ultimo hanc actionem, & cogitationem collocandam judicent: Atque hi uſque adeo remiſſi ſunt ad ſublevandum oppreſſos, ut ſiquidem illic compendium nullum lucri terreni ſperent, nulla perſuaſionis vi de modio & ſede ſua moveri poſſint. Homines ingrati, incurii, rebelles, & ſuorummet ipſoirum inimici. Hoc genus belluarum irrationabilium Paradinus præmemoratus deteſtatus eſt; qui hominem depinxit, cinctum gladio, & manum egenti porrigentem, ad levandum eum de terra, qui pro tali auxilio deprecatus fuerat; adjuncto lemmate: *Bis dat, qui tempeſtivè donat.* Tale ſervitium in tempore opportuno exhibitum, idque ſine mora, nec ſatis digna remuneratione etiam cum diſpendio vitæ redhiberi poteſt. In Contrarium autem inquit [In Epigr. 14.] Auſonius Poëta:

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt: gratia namque
Cùm fieri properat, gratia grata magis.

Et Publius Mimius: *Bis gratum eſt, quod opus eſt, ſi ultrò offeras.* Et rurſum Auſonius:

[Epigr. 15.] *Si benè quid facias, facias citò: nam citò factum*
Gratum erit: Ingratum gratia tarda facit.

Temperamentum illud de quo ſupra meminimus, tam ravidum quandoque eſt, tam intractabile, & aſperum, ut ipſa adeo beneficia in contemptum vertant, & nauſeabundi [Homines inexorabiles.] amplectantur: qui quanto magis blanditiis palpati fuerint, quantò cum majori æſtimatione honorati, tantò magis inexorabiles, & refractarios ſe exhibent. Ad figurandam hujusmodi ruſticitatem, tetricos mores, Paradinus pauperculum quendam delineavit, qui Morti ſupplex in genua provolvebatur, manibus junctis, quæ tamen cæca & ſurda ad preces, telo inhumano ſic deprecantem feriebat, mortali plaga è vivis eum tollens. Huic emblemati animam ſequenti lemmate inſufflavit: *Improbus à nullo flectitur obſequio.* Hic enimverò ille focus eſt, qui regna integra in cineres redegit, qui bona, qui familias, qui domos integras depopulatus eſt. Hoc monſtrum eſt, à quo Deus ipſe ſimul ac Mundus integer abhorret. Hic murus aheneus eſt, qui omnem Converſationem diſterminat, qui omni gratiæ, omni commercio viam intercludit. Unde S. Auguſtinus ait: *Pertinacia non ſinit hominem corrigi:* [Epiſt. 210.] Et cum eo S. Bernardus: *Obſtinati in ſuo ſenſu peſſimi ſunt:* [De Reſurrectione Dominica ſerm. 3.]

Ad inſinuandum præterea, quantopere virtus omnes gradus, & merita nobilitatis tranſcendat, & quàm parùm Romanis profuerit ſe de ſtirpe Arcadum jactare, ſubiiciendo pedibus ſuis Lunam (prout inter alios Juvenalis ſenſit) ſiquidem hæc eadem Luna ſolis, hoc eſt, virtutis lumine illuſtrata non fuerit, de præfato Authore Auceps exhibitus fuit, qui vulturem pugno geſtabat, ſecus hunc aviculas alias, quæ demiſſis alis ſuis, reverentiam & obſequium huic præſtare videbantur, inſidentes ligno demiſſis capitibus, addito lemmate: *Sic majora cedunt.* Sicut enim homo imperium ſuper reliqua animantium tenet, ſic Leoni reliquæ feræ obtemperant, tanquam Regi ſuo: reliquæ item aves (excepta aquila) vulturi cedunt, de quo memoratus Author inquit: *Accipitris ea prærogativa eſt, ut præſentia ſua omnes aves, etiam ſe multò majores, ab omnibus, quibus forent aliis obnoxiæ, injuriis vindicent.* Quod tantundem, ut reor, dicere eſt, ac eum ſupra omne genus volatilium imperium gerere: verum ſymbolum itaque & imago virtutis eſt, propter oculorum aciem: hinc ſol quoque ab Ægyptiis hoc vultu ſculptus, & ſignificatus fuit. Hoc ipſum Claudianus Poëta ad Honorium ſuum retulit: [De Conſulatu Honorii.]

- - - - Virtute decet, non ſanguine niti:
Tu licet extremos latè dominâre per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris irâ,
Servitii patiere Jugum.

Et magnus Demoſthenes ad Olynthios: *Qui non eſt juſtus, licet à Patre meliore, quàm Jupiter ſit, genus ducat, ignobilis mihi videtur.*

[Juſtitia corrupta.] Pro figurando Judice, qui poſthabita juſtitia, paſſiones, & impetum ſuum ſequatur, inclinando bilancem, quocunque libuerit, hominem quidam exhibuit, ſonantem cytharam, ante vas plenum fabis, ſubſcribens hæc verba: *Dorica Muſa.* Vas repletum fabis ſuffragia denotat, quæ mediantibus fabis dari ſolent: ſonitus cytharæ ſignificat, ſeductum eſſe cantu præmiorum, & ſportularum hunc Judicem, idcirco Muſa Dorica dicitur, *doron* autem græcè munus eſt. Hinc veriſſimè Poëta:

Auro pulſa fides, auro venalia Jura. [Juven.]

Et alibi:

Aurum lex ſequitur: mox ſine lege pudor.

[Opera non veſtimenta.] Coſtalius vir magni ingenii, ut demonſtraret, nõ tam veſtitu corporis hominem cognoſci poſſe, quantum operibus, & rectitudine ratiocinationis, quendam figuravit miſerè veſtitum, ſed ſpectabilem formâ, qui plura vaſa tinnitu probabat,

babat, ſubſcripto lemmate: *Hominis oratio probat, & non veſtis.* Hoc inquam, eſt, quod animarum noſtrarum Redemptor inquit: *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Et alibi de eisdem Hypocritis loquens ſic ait: *Exterminant facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes.* Juſtinus item: *Non veſtis, ſed pudicitia matronarum ornamenta:* Diogenes dicere ſolitus eſt: *Loquere, ut te videam.*

Lib. 20.

Nimia audacia.

Author jam ſæpè memoratus hominem rurſum repræſentat, qui faces quasdam fonti admovet, adjungendo lemma: *In ſibi præſidentes:* Denotans nimium audaces, & qui plus debito in poſſeſſionibus, & robore ſuo gloriantur. Alludit autem ad Didonis fontem, in quo (juxta Poëtarum Commentum) faces reſtinctæ reaccendebantur, accenſæ extinguebantur. Hoc illud vitium eſt quod Icaros præcipitat, & Phaëtontes: Unde magnus vir Phalereus docet: *Res fallax temeritas, quia impetus eſt ſine ratione:* Et S. Auguſtinus: *Nimium præceps eſt, qui transire contendit, ubi alium cecidiſſe conſpexerit.*

Apud Stobeum.

Inclytus ille æris Inciſor Sadlerus (ſive id ſponte, aut caſu egerit) hominem in æs incidit, qui dextra bilancem, ſiniſtrâ Cornucopiæ geſtabat, illud inſuper legendum exhibens: *Bona ſpes.* Cornu Copiæ pacem indicavit, hac enim florente, abundantia gignitur: Juſtitia autem & pax in figuris plerumque oſculis mutuis ſeſe excipiunt: *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt;* inquit Pſaltes Regius. Symbolum autem præfatum Regi Chriſtianiſſimo Carolo Nono Valeſio dedicatum voluit: Inferens, ni fallor, Invictiſſimum hunc Galliæ Regem optimam ſpem præbuiſſe, ut rectitudine Juſtitiæ ſuæ, quâ gubernabat, & abundantia pacis, quam colebat, populus ei ſubditus ſæculo aureo perfrueretur. Quamvis apud nonnullos, id quod præmemoratus Coſtalius exhibuit, in numero Symbolorum collocari non debeat, cum nihilominus maturam ſecum ſignificationem portet, prætereundum non eſt. Finxit itaque hominem, qui dexterâ ſuâ bilancem geſtabat, ſubſcriptionem ſequentem adjungens: *Nil virtute melius. Nil præſtantius alludit* (verba ſunt Commentatoris doctiſſimi Aldrovandi) *ad Critolaum, pecuniam, honores, & virtutes ponderantem. Quare Author hoc ſymbolo virtutem divitiis præferendam eſſe oſtendit.* Denique verum eſt, quod Livius inquit: *Pulcherrimum, & tutiſſimum eſt in ſola virtute ſpem habere.*

Carolus Nonus Rex Franciæ.

Demonſtris fig. 203.

Decad. 4. lib. 4.

Conſilium.

Æternâ memoria dignum eſt Symbolum, quod Sambucus invenit. Depinxit hic hominem ſedentem in terra, qui manu ſua ſupra caput librum, gladium, & falcem, & cornucopiæ tenebat, addito lemmate: *Conſilium:* Alludendo ad hoc, quod nil in orbe ſit, quod non conſilii maturitate indigeat. Sic eſt, *Conſilium res ſacra eſt,* inquiebat Plato. Et Seneca: *Gladiator in arena conſilium capit.* His convenienter Cicero; *Summi Gubernatores in magnis nonnunquam tempeſtatibus ſolent à victoribus admoneri.*

Plato de ſapientia. Senec. Epiſt. 22. Cic. Philip. 7.

Moderatio, & prudentia.

Achilles Bochius Compatriota meus, ut bonum & utile, quod de prudentia & moderatione provenit, demonſtraret, Funambulonem figurabat, qui perticâ, quam manibus gubernabat, ſe in æquipondio ſuſtentabat: non enim niſi hoc æquilibrio ponderatus, in fune ſuo ſuſtineri poſſet: adjungit autem lemma, quod ſequitur: *Tenere medium ſemper eſt prudentiæ.* Rectè enim S. Baſilius: *Prudentia, inquit, & fortitudo virtutes Principis ſunt.* Et Demoſthenes ad Olynthios: *Prudentes facilè ex omnium ſententiis utilia eligunt.*

Præfatus Sadlerus, inſcribens applauſum Majeſtati Regiæ Carolo IX. Borbonio, Magno Regi Navarræ, hominem delineavit, qui in dextra gladium portabat, in ſiniſtra palmam, cum inſcriptione: *Requies hæc certa laborum.* Fortè inferre volens, quod virtute armorum regna dilatentur, aut quod mediante bello pax promoveatur: Prout dicere conſueverat Alciatus, illic nimirum ubi apum examen, nidificans in galea depinxit, cum lemmate: *Ex bello pax.* Quam veritatem M. Tullius his verbis confirmat: *Suſcipienda bella ſunt, ut in pace ſine injuria vivatur:* Sic phyſica ſchola inquit: *Contraria Contrariis curantur.*

Carolus Borbonius.

Bellum pacem procuret.

1. Officiorum.

Rurſus alium applauſum idem Sadlerus Carolo Nono Valeſio Regi Franciæ vigeſimo ſexto inſcripſit; non minori æſtimatione dignum quàm ille ſuperior. Figuram hominis exhibuit, qui dextra ſua binas columnas ſtringebat, ſiniſtrâ autem haſtam, ſubſcribens illud:

Fidei pretium.

Mira fides, lapſas relevat manus una Columnas.

Volens, ut reor, indicare, Invictiſſimi Regis hujus fidem integram, ſublevaſſe Religionis columnas, quas barbarorum impietas demolita fuerat. Magnum eninverò pretium fidei eſt, quæ ſupra cæteras virtutes privilegium ſibi ſingulare vindicat, operandi miracula: transportat enim montes, mortuos reſuſcitat, deviata curſu ſuo flumina, ligna arida viriditati priſtinæ reſtituit, ſurdis auditum, mutis loquelam, viſum cæcis reſtituit: imo vero, quamvis incapacibus, & extra gloriam collocatis gloriam nihilominus oſtendit, prout ſacræ literæ, & plurium revelationes conteſtantur. Veriſſimum ſiquidem eſt, quod: *Sancti per fidem vicerunt Regna, fortes facti ſunt in bello, obturaverunt ora leonum, caſtra verterunt exterorum:* & reliqua, quæ in eodem loco diffuſius à gentium Apoſtolo recenſentur.

Figura item Paſtoris, qui in ſinum ſuum oviculam trahens, cum moderamine lanam ei tondet, erecta fuit à præfato Coſtalio, cum hac Epigraphe: *Moderatio in ſubditos:* Idea hæc eſt Principis benigni & clementis erga ſubditos ſuos. Nolim hic divinare an præmemoratus Author hanc cogitationem ſuam à Suetonio mutuò ſumpſerit, qui de Tyberio dicere conſueverat (id quod ad unguem uſque cum ſuperiori ſenſu correſpondet) *Boni Paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere.* Non hic mihi prætereunda M. Tullii aurea ſententia, quæ ſic habet: *Nihil eſt tam regium, tam liberale, tamque munificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare à periculis homines.*

Princeps moderatus.

2. de Orat.

Idem Coſtalius, ut Principes in debito moderamine contineat, & ad benignitatem inſtruat idque in exigendis vectigalibus: hominis effigiem repræſentavit, qui de mortuo neſcio quid tollebat, adjunctâ ſententiâ: *Moderatio in vectigalibus.* In horum augmentatione Principes emarceſcunt potius, quam ut ſtatus eorum incrementum ſumat; ut non memorem, quod qui ita ſeipſos immoderatè cruore ſubditorum ſuorum ſaginant, Tyrannorum crudelitatem præſeferant, prout magnus ille Ethicus, Alciatus meminit: *Opulentia, inquit, Tyranni, paupertas ſubjectorum.* Dicere ſolitus

Vectigalia.

eſt Alexander: *Odi Olitorem, qui herbas radicitus evellit.* Ultima Neapolitanorum rebellio non aliud ſui initium, quàm à gravi impoſitione tributorum contraxit. Memini me dixiſſe alibi, quod qui in turbido Torrente populi, vel ſubditorum ſuorum, ſub nimio onere gementium navigat, neceſſe habeat, ut ſubmergatur: & quantò magis de pacato mari & fluctibus ſibi applaudit, & allectatur, tantò vehementius de abundantia litorum vereatur.

David. Muſi, Amat. lib. 1.

ARGUTIÆ.

EST & aliud genus ſymbolorum, quod cum Comite Theſauro argutias magis propriè dixerim, quàm ſymbolum; dum ſine ſententia verbali ſenſum ex ſemetipſis exponunt. Hoc genus ſymbolorum, novo lumine adinvento, profeſſus eſt (juxta mentem doctiſſimi Aldrovandi) eruditus vir Coſtalius, jam ſæpius citatus: unde quidquid in materiam hanc contulit, totum à me, ſed ſine ulteriori applicatione, ob multiplicitatem evitandam, fideliter traducetur. Itaque inprimis ut turpem Laſcivorum brutalitatem denotaret, & quantùm ab unoquoque abominanda ſit, hominem exhibuit, qui in aurem porci, vel majalis cujuſdam loqui videbatur: hoc enim animal tam impurum, tamque vile, verum Hieroglyphicum eſt vitii jam præfati. Idem Author Alium exhibuit, qui auribus lupum apprehendit. Hæc fera beſtia non niſi cum periculo tenetur; non enim tardabit, pro ingenita ferocitate, ſe à manibus apprehendentis diſſolvere, ſed in interitum illius, qui temerè eum apprehendit: figuratur in hoc homo, qui majora viribus ſuis audet, & iis ſe negotiis implicat, à quibus vix ſe retrahet, ſine damno irreparabili, & ſine honoris, aut vitæ, aut bonorum ſuorum diſpendio.

Luxuria.

Impoſſibilia tentare.

Ad exprimendam ſpem futurorum Sambucus in manu hominis ovum depinxit, de quo pullus excludebatur. Sic Tales: *Quod maximè commune eſt, ſpes eſt:* Et Bias: *Dulcis res ſpes eſt.* Idem Sambucus ut exprimeret, quantum quæque res adjumenti, & ſolaminis adferat, ſi in tempore opportuno facta fuerit, hominem demonſtravit, qui ſerpentem veteri pelle ſua expoliavit: Phyſici enim ajunt, hoc animal eo tempore, quo exuvias ſuas depoſiturum eſt, ſine veneno eſſe, pellem etiam, quæ detracta fuerit, varium in medicando uſum habere.

Spes. *Apud Stob.*

Opportunitas in rebus.

Sambucus præterea Alexandrum M. à ſagaciſſimo Apelle depictum fuiſſe commemorat, ſed in figura Herois, qui manu fulmen geſtaret. (Admirabile omninò inventum pictura eſt: quæ nimirum Heroëm, ſub oculos longinquæ poſteritatis collocare novit, qui tamen à tot annis jam vita ſua functus eſt: Sic nimirum in ſimulacro inanimato, quaſi vita non viventium revocatur; tam enim qui pingit, quàm qui pictus eſt tempora jam dudum præterlapſa revocant, & præterita propemodum ab interitu vendicant) Nihilominus negandum non eſt Apellem nimia hyperbole uſum eſſe, collocando fulmen in dextra Macedonis hujus, quaſi filium Jovis eum faſſus ſit? Quem ſapienter Lyſippus correxit, qui modeſtius eum non niſi haſta armatum, tanquam humano inſtrumento, exſculpſit.

Alexandri vana effigies cum fulmine.

Modeſtius Lyſippus eum haſta armatum exhibuit.

Cum Apellis igitur ſymbolo palam fit, quàm impropria, & quam mendacia ſint adulatorum encomia. Apud eundem Authorem figura hominis apparet, qui terram effodit, & excavat, ad demonſtrandum (ſic ait Commentator Aldrovandus) nil eſſe in hoc mundo habitabili, quod non aſſiduitate laboris dometur: unde dictum illud Poëticum notum eſt: *Labor improbus omnia vincit.*

Labor omnia vincit.

Ad indicandum Judicem ſordidum, venalem, & lucri cupidum, idem Author hominem depinxit, ſed monoculum, in tribunali ſedentem: *Ut Judicem* (verba ſunt præmemorati) *ſordidè judicantem demonſtraret: cùm unam ſolam partem, non ambas reſpiciat.*

Judex monoculus.

Figura hominis, qui dente nuces frangit, & cultello panem ſecat, à Sambuco ſymbolum expoſitum fuit, ad demonſtrandum, pravam conſuetudinem difficulter aboleri poſſe. Id quod Spiritus Sanctus verbis ſequentibus expromit: *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Dentibus panis, cultello nuces frangendæ erant, quippe quæ duriores ſunt: cum nihilominus contrarium in uſu ſit, mordentur nuces, ſcinditur panis, non immeritò in ſymbolum hæc actio tranſiit.

Prava conſuetudo.

Apud eundem homo lignum quernum in flumen jaciens, hoc intelligi vult, cuncta conformiter & naturæ, & loco, & ſitui, & eſſentiæ accommodanda eſſe. Volunt enim naturæ Indagatores, quercum in aquis transmutari in petram, cum è contra reliqua ligna in eandem jacta corrumpantur, & putreſiant: elementum enim extra centrum ſuum, & ſphæram collocatum, ad nil utile, & opportunum eſt.

Res factæ ſuo loco, & ordine.

Non minus & illud Sambuci ſymbolum argutum eſt, ubi fictam amicitiam, cujus opera verbis malè correſpondeant, ſub hominis figura exhibuit, in ſpeculo ſe contemplantis, quod cum ex latere poſteriori, pro more, folium vel fundum plumbeum non habeat, imaginem intuentis, vel objecti reddere nequit. Dicere ſolebat Cicero: *Simulatio amicitiæ repugnat maximè: delet enim veritatem, ſine qua nomen amicitiæ valere non poteſt.* Et idem alibi: *Nulla pernicies in vita major inveniri poteſt, quàm cùm in vita ineſt ſimulatio.*

In Lælio.

Venio poſt Sambucum ad Coſtalium, qui rigorem demonſtrare volens, quo utendum eſt Belliducibus, & Centurionibus providis, militem depingit, qui ſtipatus turba promiſcua, ſed equeſtri, ipſe quoque generoſo equo inſidens, viam ſternit præcedendo, habens ante ſe lictorem, qui evaginata machæra caput Reo amputat. Alludit autem ad Capitaneum nomine Lamacum, qui leviſſima de cauſa ad mortem milites pauperculos damnabat.

Homo item conſidens, & cum adoleſcentulo confabulans, qui fiſtulam ſonat, aut ſambucam, ſignificat, juxta mentem præfati Coſtalionis, Antigenidem Philoſophum, qui diſcipulos ſuos reprehendebat, inclinantes aures ſuas doctrinis vanis, & documentis inutilibus. Figura hominum quorundam, qui aurum in fauces hominis liquefactum videntur infundere, indicat mortem Craſſi Lydiæ Regis, cujus Perſæ caput amputatum in vas liquefacti auri jecerunt, dicendo: *Aurum ſitiiſti, aurum bibe.*

Non audiendas res vanas.

Craſſi Regis caput immerſum auro liquido.

Rurſum Sambucus, ut videri faciat, quàm vanum, quàm inutile ſit in rebus fruſtratoriis & evanidis occupari, Juvenes pila ludentes exhibet. in quo luſu, nil niſi agilitas corporis cognoſcitur, & exercetur: interim pretioſiſſimum tempus multò velocius dilabitur, quàm vel pila huc illuc propulſata.

Vana occupatio.

Judices vinolenti.

Coſtalius item, homines in paludamento Judicum veſtitos repræſentat, in quorum medio puer eſt redimitus pampinis: ad inſinuandum quàm extra terminos rationis, & ſanæ mentis Judicem educat vinolentia, monſtrum illud abominabile. Hinc ille verſus, vel proverbium reſultavit:

Non eſt in multo mens benè docta mero.

Amor corrumpit Judices.

Deturbat de ſede ſua rectum judicium abundantia vini, ſed vehementius amor. Id quod præfatus author in Imagine hominis ſedentis in tribunali expoſuit, ante quem virgo apparebat: rememorando per hoc Appii & Virginiæ amores, per quos tantæ ruinæ ſubſecutæ ſunt.

Avaritia longè ſit à Judice.

Item ut doceatur, quantopere Judicem alienum eſſe deceat ab avaritia, adhuc idem Author videri fecit homines, ſenatoria toga indutos, quibus complures lupi ad pedes procumbebant. Alludit autem ad fabulam populi Neuri, quem Poëtæ commentantur in lupos converſum, in condemnationem rapacitatis, quam omnimodo ab omni regimine alienam eſſe oportet. Clarius hoc explicuit Sambucus, qui Judicem intra duas portas collocavit, per quarum unam tranſibant, qui manibus vacuis erant: per alteram alii introibant, ſed manibus repletis, monſtrando verum eſſe illud Ovidianum:

Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Fiſcus non ſit viſcus avaritiæ.

Sambucus præterea Imaginem mulieris repræſentat, quæ ſpongiam premit, plenam aqua: intelligens per hoc: caſtigationem Fiſci non oportere avaritiam ſapere, vel viſcum tenacitatis.

Fraternitas, & amicitia.

Symbolo Magiſtratus, & Juſtitiæ, ſuccedit ſymbolum amicitiæ, & benevolentiæ: circa quæ Coſtalius binos homines coronatos exhibet, qui ſe invicem amplectebantur, quorum unicuique ſuper caput ſtella comparebat; repræſentant autem Caſtorem & Pollucem: qui vera ſunt imago illibatæ, & fraternæ amicitiæ. Rurſum ad exprimendam amicitiam fucatam, & vanam, duos Juvenes idem author repræſentat, qui dextra manu ſibi panes quoſdam porrigunt, ſiniſtrâ autem, quæ pallio tegitur, ſaxa continent: quæ figura cum illa ſuperiori analogiam habet, ubi ſpeculum exhibetur, non reddens imaginem.

Donatores non depauperantur.

Figura hominis, qui terram cavat, & in ea laborat, dum interim alius in arcam, vel ſcrinium denarios reponit: Symbolum eſt benignitatis & Clementiæ. Sicut enim terra effoſſa non diminuitur, ita ut foſſori ſemper nova effodienda præbeat, ſic quæ donantur non pereunt, nec donatorem depauperant; Sicut illud Ovidianum eſt:

Quas dederis ſolas ſemper habebis opes.

Nemo ſorte ſua contentus.

Rurſum idem Author, docere volens, quod ſtatu ſuo nemo contentus ſit, quamvis eum natura ſat liberaliter dotaverit, & ſtabiliverit: Agricolam depinxit, qui ligonem abjicit, militem abjicientem arma ſua, Mercatorem qui argentum. Id quod plus quàm alias quotidiana experientia in exemplo nobis ſubminiſtrat.

Porrò & illud non abs re videtur, quo ad demonſtrandum, quod ſagacitas & ſapientia, diſcooperit & revelat ignorantiam, idem Author finxit, hominem ferrum quoddam in Cote acuentem: alios item duos contemplantes cadaver jacens in terra: unde materiam ſumit dicendi: Cotem non eſſe quæ ſcindat, cauſam nihilominus eſſe ferro ut id facere poſſit: Sic virtutem & ignorantiam ex oppoſito collocatam, unam earum cauſam eſſe, ut altera tantò fortior ſit: ſicut duo illic videntes ſunt, alter ſine ſenſu eſt: Senſus enim per ſemetipſos nil ſapiunt, ſunt nihilominus cauſa humanæ intellectionis.

Sapientia ignorantiam detegit.

Voluit idem, per ſagittas, vel tela de arcu jacta, acumen Orationis figurari, vel Emphaſim argumentorum, quibus ad perſuadendum, & allectandum populos, Orator utitur. Sic etiam ad demonſtrandam independentiam, & libertatem humani arbitrii ad conſentiendum Deo, vel renuendum, divinis mandatis ejus, & quæcunque à nobis divina majeſtas ejus exigit, binas manus effinxit, quæ ſe ad flammas de cœlo deſcendentes protendunt: Inde ſignificans, divinam providentiam à nobis tributa voluntaria, non coacta exigere: nec eam quemquam attrahere, qui duci non velit.

Acumen Orationis.

Hæ aliæque inſuper inventiones ingenio plenæ, non nego, elevatam, & exoticam mentem Inventoris indicant: argutiæ, inquam, ſingulares ſunt, quæ prudenter ſignificandi methodum habent: Cùm nihilominus anima ſua, hoc eſt lemmate, vel inſcriptione ſua careant, quæ totum clarius enodant: fieri nequit, quin ſæpius unum pro altero ſumatur, & ſiniſter intellectus, vel confuſio interpretationis ſequatur. Unde, prout ſolertes viri æſtimant, ſymbolum ſemper ſibi cohærentem Epigraphen requirit, tanquam declarationem ſuam. Benè itaque doctiſſimus Aldrovandus concludit: *Sed, ut verum fateamur, multi viri eruditi, iſta parùm ſymboli habere aſſeverant.* Sed ex eo tamen, quod quæ relata ſunt, veris ſymbolis affinia ſunt, ſecumque tanta, tamque varia præcepta vitæ contineant, conveniens & neceſſarium mihi viſum fuit, ea huc collocare. Sed nunc ad priora revertamur.

Symbola lemmate ſuo carere non debent.

De monſtris.

Albertus Inclytus ille Archidux Auſtriæ, ut monſtraret, quantum labor aſſiduus proſit, & ad exequenda opera multum promoveat, ſerpentem depinxit, & Taurum ad pedes Jaſonis, qui vellus aureum carpebat, adjungens titulum: *Aſſiduitate.* Inſtruere hoc quemque voluit, eos præſertim qui caſtra ſequuntur, labore, & armis quoſcunque eventus exuperare, & victoriam ſecuturam: Sicut Heros ille Jaſon, qui Tauros igneos, & Dracones devicit, antequam ad deſideratum vellus perveniret. Hoc idem punctum M. Tullius attigiſſe videtur, ubi ait: *In omni doctrina infirma eſt omnis artis perceptio, ſine ſumma aſſiduitate exercitationis.* Et Heſiodus: *Per labores virtus incedit, & ſeipſam fortiorem facit conſuetudine.*

3. Ad Heren.

Apud Stobæum.

Quandoquidem item in omni hominis ætate nulla tam idonea eſt, ad documenta, & præcepta ſalutaria ſuggerenda, quàm ſenilis, fuit, qui Tempus à tergo alatum depinxit, munitum, & proviſum falce, habens clepſydram in manu, prout pingi plerumque ſolet; ſubſcribens, quæ ſequuntur: *Hanc aciem ſola retundit virtus.* Sapienter ſignificans, contra Tempus, ejuſque vermem, qui ſæcula corrodit, & conſumit, nil tam validum, nil tam potens eſſe, quàm virtutem. *Sola virtus*, inquit Cicero, *in ſui poteſtate eſt, omnia præter eam ſubjecta ſunt fortunæ dominationi, & tempori.*

Virtus dicina eſt temporis.

Ad demonſtrandam utilitatem virtutis, ejuſque beneficia, doctiſſimus Patriota meus Achilles Bocchius ſenem repræſentavit, qui Juvenculo ſpeculum porrigit, ut in illo ſe ſpeculetur, cum ſequenti Epigraphe:

Virtus tanquam ſpeculum eſt.

En viva è ſpeculo facies ſplendente refertur:
Sic ſapies, poteriſque omnia, dum ipſe velis.

Inventio prudentiſſima, quam arguta illa Meliſſa, apud Romanzierum, cum ſuo Rinaldo, & Ubaldus cum præfato obſervavit, & Incantator ille cum Aſtolfo. Sic ſapiens quoque Ethicus Socratem inducit, qui vult ebrioſis, & iracundis ſpeculum monſtrari, in quo ſemetipſos, incompoſitoſque mores ſuos contemplentur, ut videlicet hac idea monſtruoſa perterriti, abſtinere ab eadem diſcant.

Caſtitatis pretium.

Magna illa Toletenſis Eleonora, quondam Sereniſſimi Coſmæ, Ducis Florentiæ Conjux, ad demonſtrandum, quantopere animo grandi, & generoſo Caſtitas in pretio ſit, Lucretiam Romanam figuravit, quæ violata ab impudico Tarquinio, ſemetipſam occidit, hoc lemma adjungens: *Famam ſervare memento.* Enimverò gemmam eſſe dixerimus, cujus claritati reliquæ comparatæ, pretium ſuum deperdunt. Sed ſi ſemel denigrata fuerit, reliquis omne lumen ſuum adimit. Veriſſimum enim eſt quod: *Famam ſuam negligens, crudelis eſt.* Virtus majorem remunerationem ſui non habet: *Honor eſt præmium virtutis:* inquit Magnus ille Stagiræ Magiſter. De virtute autem, de qua loquimur, S. Ambroſius ait: *Honeſtati ſalus etiam poſtponenda eſt.*

Ethic. 4.

1. Officiorum.

Sadlerus præmemoratus, qui incomparabili arte ſua inciſoria perſonis conſpicuis ſemper encomia ſua debita reddidit, novum genus panegyrici adinveniens, aliis, inquam, figuris quam rhetoricis perſuadens, pro gloria famoſiſſimæ Iſabellæ, filiæ Magni Emmanuelis Luſitaniæ Regis, Conjugis præterea invictiſſimi Imperatoris Caroli V. depinxit, vel ut melius dixerim æri inſculpſit tres Gratias, cum lemmate; *Has habet, & ſuperat.* Applauſus hic talis eſt, qui omne poſt ſe encomium relinquit, qualecunque etiam ſummo Heroi dari poſſit. Quid enim niſi donum excedens omnem curſum naturalem eſt, exuperaſſe gratias: qui tantundem dixerit, omne donum & naturale, & acquiſitum comprehendit.

Gratiæ.

Bocchius præmemoratus duobus Symbolis, quamvis figuræ diverſæ ſint, ſignificationis tamen ejuſdem, idem lemma conjunxit. Unum eorum figura Cupidinis erat, vulnerantis hominem ſoporatum, ſagittâ noviter de pharetra ſua extractâ. Alterum, homo ſeminudus erat, ſedens humi, & ſiniſtro pede clepſydram everſam calcans. Stabat illic & macilenta mulier, in habitu vili: Subſcriptum erat: *In lentum, inertem, & otioſum.* Otium omnium vitiorum mater eſt: dixit hoc Ovidius:

Otium & pigritia.

Otia ſi tollas periêre Cupidinis arcus,
Deſpectæque jacent, & ſine luce faces.

Hinc axioma illud Pythagoricum tam inviolabiliter obſervatum fuit: *Chinici ne inſideas.* Ad hoc vitium evitandum invenerunt Græci agones ſuos, Cæſtum, Luctam vel Palæſtram, & ſimilia. Contra otium & concupiſcentiam Ovidius ſic ait:

Nam Venus otia amat. Finem qui quærit Amoris,
Cedit amor rebus: Res age, tutus eris.

Super hiſtoriam Alexandri M. ſymbolum inſtitutum eſt, docens, qualem eſſe oporteat Judicem, Juſtum. De hoc enim Alexandro vero Heroë recenſetur, quod ſi cæteris virtutibus adornatus non fuiſſet, hoc ei nihilominus ſingulare fuerit: Dum in Tribunali conſediſſet ad audiendam Actoris cujuſdam ratiocinationem, ſemper ſibi digito aurem unam obturaſſe, alteram vacuam dediſſe Oratori. Interrogatum cur id ageret, reſpondiſſe, ut ſapientem: *Unam aurem Actori ſatis eſſe, alteram reo ſervandam.* Hinc figura ejuſdem in præmemorato tribunali taliter exhibita fuit, adjuncta Epigraphe: *Juſti Judicis Imago.* In Cathedram Caſſiopeæ ſplendidiſſimæ ſtellæ lumina accurrerunt, ut tanto manifeſtius veritatis claritas reſplendeſceret, & appareret. Pari modo Juſtus Judex & in ore, & in pectore ſuo ſplendores portat, qui caliginem fraudulentiæ, & mendaciorum diſſipant, & produnt. In hoc potiſſimum virtus Principum ſita eſt, inquit Claudianus:

Imago juſti Judicis.

Dicere jus populo, injuſtaque tollere facta.

Apud Coſtalium item duo homines figurati inveniuntur, eximiæ, & ſpectatæ venuſtatis, quorum unus lamina aurea, alter verò ſquammis ferreis loricatus videbatur: alter autem alterum amplexari cernebatur, & invicem ſibi arma ſua mutuari, & commutare: appoſita erat ſententia: *Pax auro redempta.* Duæ autem Imagines Caſtorem & Pollucem repræſentare videntur: aut verò Diomedem & Glaucum. *Sicque Author* (verba ſunt doctiſſimi Aldrovandi Commentatoris) *pacem pecuniis redimendam eſſe demonſtrat.* Nuſquam alibi tam utiliter aurum impenditur, quàm ubi ferrum retunditur, ubi vita mortalium ſecuritati vendicatur: Pax enim bonorum omnium terreſtrium præſtantiſſimum eſt, nec igitur melius erogari poterit aurum, quàm ſi inde bonorum omnium maximum comparetur. S. Gregorius Nazianzenus inquit: *Mallem pacem potius iniquam, quàm bellum æquiſſimum.* Et S. Gregorius: *Omnis Pax à Deo eſt.*

Pax auro redempta.

In hiſt. monſt. ut ſupra.

In Epiſt.

Lib. 17. Moral.

Rurſum Sadlerus navem in medio Mari demonſtrat, foris depictæ imagines hominum plurimorum videntur, quorum quidam feliciter exeunt, quidam ſubmerguntur, ſed ut rurſum pro fluctuum varia jactatione evadant: adjunctum lemma eſt: *In fluctibus emergere.* Addit inſuper: Symbolum hoc eſſe Innocentii Noni ſummi Pontificis: in figura autem navigii Eccleſiam repræſentat, in quam quantò plures Chriſtianorum introeunt, & ſubmergi videntur, cum tanto majori ſecuritate, & ſalute feliciter ad Paradiſi portum appellunt; de hoc alius eleganti metro dixit:

Navis Eccleſiæ.

Fluctuat, & nunquam mergitur illa ratis.

Gabriel Simeon (ut demonſtraret Principem pro libitu voluntatis ſuæ ſublevare poſſe quemcunque Aulicorum ſuorum: ita quidem, ut ſi quis eorum in gratia Principis collocatus fuerit, tantundem auxilii ab eodem recipiat, quantùm, qui à naufragio eripitur, & extra omne periculum collocatur) hominem depinxit, Mercurii veſtibus indutum, qui alteri in litore jacenti caduceum porrigit, cum hoc lemmate: *Hic curſus fuit.*

Dubium non eſt, quin terrenus Princeps, non ſecus ac terrenum Numen, in diſtributione gratiarum ſuarum, de *Epigeo* infortunii, quem voluerit, ad *Augen* elevatiſſimæ fortunæ poſſit evehere.

Dice-

Dicebat Pittacus è ſeptem Græciæ ſapientibus: *Virtutes Principis Dei opera exiſtimanda ſunt.* Serpentes in manu Moſeos, virgæ fiunt Incantationis, quibus etiam coronata capita ſubmittuntur. Manus Monarcharum ſicut manus Midæ Regis ſunt, quæ laminas ferreas in aurum convertunt. Interim ego ad hoc litus ſymbolorum meorum navigium alligo: & cum ulterius velificanti me aqua deficiat, & in vadum impellat, hic moram facio, priori itidem ſententia utens: *Hic curſus fuit:* Convertor autem ad

HIEROGLYPHICA.

SCientia Ægyptiaca eademque Symbolica eo uſque indagine ſua in ſublime conſcendit, ut non ſolùm Inventionem, animam, & ſpiritum *Impreſis*, & ſymbolis præbeat, ſed ſtupenda prorſus, & exotica videatur in hieroglyphicis ſuis: hinc Monarchæ antiqui, virique literatiſſimi acquiſitionem ejus, & profeſſionem magnopere deſideràſſe, eaque mirum in modum delectati fuiſſe, laborioſis etiam peregrinationibus quæſiiſſe leguntur.

Ægyptii ſtudioſiſſimi Hieroglyphicorum.

Excoluerunt hoc ſcientiæ genus præter cæteras nationes potiſſimum Ægyptii (prout dictum eſt) unde cum atramentum illis, & chartæ deeſſent, in muris, & parietibus, in marmoribus, pyramidibus, & columnis memoriæ digna ſculpſerunt, eorum veſtigia impreſſerunt, imagines ſignarunt: harumque rerum cognitionem inter maxime reconditas, & acceptiſſimas diſciplinas ſuas collocârunt; eos ſummorum ſacerdotum titulo condecorantes, quicunque ad arcana illa maximè penetrarent, in iiſque verſati eſſent. Hinc ſacræ literæ, in laudem Moſeos, magni illius Chronologi ſimul, & Belliducis, illud attributum ejus non ſubticuerunt, dum eum *in omni Sapientia Ægyptiorum eruditum* deprædicant. Ejuſdem opinionis eſt Philo hebræus in vita Moſeos. Plato hujus artis Hieroglyphicæ tam ingenioſæ primam inventionem attribuit Teuro, & Thaanto, qui à Philobiblio Gentis hujus Anteſignanus, & Doctor appellatur.

Moyſes ſapientia Ægyptiorum imbutus, *Actor. 7.* *In Philebo.*

Abraham diutino tempore cum ſacerdotibus Ægyptiorum vixit, juxta mentem Alexandri, eorumque ſcientias ſectatus eſt, ſed hi rurſum ab illo Aſtronomicam profeſſionem didicerunt. Ipſe Altiſſimus cum Architectrice manu ſua, hanc immenſam Mundi machinam Hieroglyphicorum diverſitate admirabili depinxit, & coloravit: Scenam tot imaginibus, apparentiis, & figuris variegatam exhibens: Quidquid enim inter creaturas in hoc mundo contentas mirificum eſt, oculis humanis ſe offert, ut per hæc ſimulacra quæ conſpicua ſunt ſenſibus, tanquam per nubem ſubobſcuram divinitatis radios, & claritatem illius ſupremæ majeſtatis cognoſcant. His rudimentis, credi poteſt, primum Parentem noſtrum Adam inſtitutum fuiſſe, hinc ad Enoch & Noë hæc divina arcana tranſiiſſe, ac ſic deinceps ad Prophetas ſub figuris variis, partim ænigmaticis, partim Hieroglyphicis, & Symbolicis. Cum ergò de his jam abunde in ſuperiori volumine, tractando de partibus humanis, deſcriptio facta ſit, mearum partium eſſe video, hic quoque in tractatu hominis integri, quidquid in hac materie de virtutibus, affectibus vel paſſionibus à viris ſapientibus ſignificatum, aut intellectum fuit, producere. Ducem in hoc ſequar doctiſſimum Aldrovandum in doctrina de monſtris, pariter & peregrinâ, & curioſâ. Loquitur autem ille de homine in univoco themate, in eodem videlicet, quo argumentum à me cœptum tendit: in quo ego hominem non ſic aſſumptum volo, in quantum pars eſt, aut complementum aliarum doctrinarum, quæ Hieroglyphicæ ſunt. In applicationibus interim diffuſus non ero, cum in Hieroglyphicis unum ſæpè ſit altero magis dogmaticum: nec perinde ob multitudinem, & copiam amplificationes apertiores, aut præcepta magis conſtringentia locus permittat. Ita tamen ut libertatem mihimetipſi non adimam, ubi opportunum viſum fuerit, aut proficuum, aliquantò latius me extendendi.

Hieroglyphica dogmatica.

Inprimis autem, quod jam alibi memoravimus, hic repetendum eſt, nempe quod veteres volendo repræſentare perſonam ſpeculationi, vel meditationi omninò deditam, figuram hominis collocabant, rodentis ungues ſuos dentibus. Hic actus, ſi de naturalibus loquimur, naturaliſſimus eſt, & à quamplurimis uſitatus. Sed ſi ea, quæ ſuper naturam ſunt ſpectes, meditatio nobiliſſima eſt, hac enim ſola mediante ſpiritus ſibi alas aſſumit, & de terreno hoc, vilique incolatu ad cœleſtia ſe elevat, indagatione ſua eo uſque ſublimiter ſe extollens, ut ad ipſius Dei cognitionem, quantùm homini licet, ſe transferat. *Animus contemplantis,* inquit S. Gregorius, *videre valet, quæ loqui non valet.* Conſtantia, & firmitudo in rebus repræſentatur per hominem conſiſtentem in pedibus ſuis, fixis in terram oculis, quaſi qui dicat: De Te o Terra & ego firmitatem meam nanciſcor: de Te, inquam, quæ non niſi magnâ ventorum & vaporum in te concluſorum violentiâ concuteris, monſtrando generoſitatem tuam adverſum eos, qui ſine tuo arbitrio, intra cavernas tuas contra te inſurgere, aut introire ſinus tuos auſi fuerint. Regis tu, & in dorſo tuo montes, obeliſcos, & immenſas moles ſuſtentas, quæ ipſi tempori, & ſæculorum injuriis reſiſtunt: De Te denique Terra, de qua magnus ille ſpirituum ſcrutator inquit: *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum ſtat.* In pedes erectus ſto, in tali etenim ſtatura intrepiditatem meam, tam mihi neceſſariam demonſtro, mihi, nimirum, qui opera fortitudinis, & conſtantiæ adorior. Hæc virtus inconcuſſi pectoris omni ſtatui, omni conditioni neceſſaria eſt: præcipuè vero ducibus & principibus: Unde & Veſpaſianus, in his maximè verſatus, dicere conſuevit: *Ducem ſtantem mori oportere.*

Meditatio. *5. Moral.* *Eccl. c. 1.* *Suetonius in ejus vita.*

Vera Idea hominis veraciter humiliati, qui ſub hac baſe profundæ demiſſionis magnam gloriæ molem erigit, figuratur in homine flectente genua, prout alibi jam memoratum eſt. In hunc ſenſum Horatius ait:

Humilitas.

-----Jus, imperiumque Phraotes
Cæſaris accepit genibus minor.----

Sic de trium Regum adoratione, quam Magi illi Incarnato verbo exhibuerunt, prophetizando Regius Pſaltes inquit: *Coram illo procident Æthiopes.* Oratorem efficaciſſimum, in pluribus Evangeliorum locis ſe Redemptor noſter exhibuit. Hinc S. Bernardus: *Magna,* inquit, *virtus humilitas, cui facilè ſe inclinat divina majeſtas. Sola humilitas eſt, quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam.*

2. De Aſſumptione.

In eos, qui nihili pendunt id; quod rerum terribilium maximè terribile eſt, mortem videlicet, qui

Mortis contemptus.

qui omni ſiniſtro caſui ſe prædam exponunt, & vitam prodigunt, qui dum periculum amant, in eo (ſicut ſapiens ait) utique pereunt, duo milites figurantur, qui ſtricto gladio, ad ultimam uſque effuſionem ſanguinis invicem acerrimè dimicant: quæ actio pro conſtitutione locorum, ſtatuum, & conditionum tam in Heroës, quàm in homines temerarios cadit. Hi poſteriores ſine omni conſideratione, aut circumſtantiarum obſervatione, ſine omni neceſſitate, impulſu proprio in præcipitium feruntur. Priores autem vel pro fide (hæc enim primam ſibi lauream vendicat) vel pro honore, vel pro defenſione Patriæ ſuæ omnem eventum deludunt, & omne periculum contemnunt. Hinc apud Poëtam introducitur, qui ait: *Per la fé, per l'honore il tuto lice. Pro fide, pro honore cuncta licita ſunt.* Quod verò mors metuenda non ſit M. Tullius inquit: *Non deterret ſapientem mors, quæ propter incertos caſus ſemper imminet, & propter brevitatem vitæ nunquam longè poteſt abeſſe.* Et magnus Ethicus noſter, Lucillum ſuum animans, ut imperterritò pectore feralem illum tranſitum non vereatur, ſic habet: *Dies iſte, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt. Tunc in tenebris vixiſſe te dices, cum totam lucem totus aſpexeris, quam nunc per anguſtiſſimas oculorum vias intueris, & tamen illam admiramur procul.*

Taſſo. *1. Tuſculan.*

Simulacrum Mercurii poſitum ante figuram hominis ſago vel toga doctorali veſtiti, barbæ prolixæ, cujus pili caneſcant, fortitudinem junctam ſapientiæ denotat. Felicia regna, & Principatus, qui pro fundamentis ſuis has binas columnas, pro Abyle & Calpe habent. Hinc Plato felices Reſpublicas nominat: *Ubi Philoſophi regnarent, vel Reges philoſopharentur.* Cum Codex protegitur gladio, verum ſit illud: *Ex utroque Cæſar.* Nunquam lapſura ſphæra eſt, quæ circa binos hos Polos rotatur, & volvitur. Sic Magnus Alexander erat, qui una manuum ſuarùm haſtam tractabat, atque interim oculo Ilgadem Homeri legere non negligebat.

Fortitudo & Sapientia.

Veteres item, ut dignitatem ſapientis Præceptoris, ejuſque utilitatem (quippe qui hortamentis ſuis incultam Juventutem, & incompoſitos ejus mores inſtruit, & erudit) demonſtrarent, Prometheum figurarunt, qui facula, quam à ſole furto abſtulerat, Epimethum ſuum animabat, quem de ſaxo formaverat. Natalis Comes in Mythologia ſua doctiſſima hanc fabulam cum gravi fundamento adinventam ait: *Dictus eſt,* inquit, *Prometheus ſuâ prudentiâ ignem inveniſſe, & per illum poſtea omnes artes, quibus humana vita extollitur. Quod verò Prometheus homines ad urbaniorem vitam è ſylvis evocaverit, iiſque domos extruxerit, quod illorum linguam formaverit, quod illos rationes ſyderum, quod literarum complementum docuerit, ipſe teſtatur: Ita apud Æſchylum:* id quod prolixitate verſuum ad longum proſequitur. Magnum cœli privilegium æſtimet, & magna ſe incrementa nactum arbitretur, quicunque ejuſcemodi Præceptorem ſortitus fuerit.

Præcepta & doctrinæ. Cur Prometheus ignem invenerit. *Libr. 4.*

Porrò magna elucidatione non indiget, ut pateat Hieroglyphicum actionum Heroicarum Herculis ſimulacrum eſſe. Idcirco enim ſecus illum ſpolia famoſa debellati leonis ſpectantur, & hydræ in cineres redactæ. Hic ille Hercules eſt, qui Acheloo cornu amputavit, Alcyoneum trucidavit, ſerpentes ſtrangulavit, inſuperabiles alioquin Amycum Mydonium, & Anthæum ſuffocavit, Erymanthi aprum vivum cœpit, ſtabulum Augiæ Regis purgavit, poma aurea reportavit, nec quicquam ad eorum cuſtodiam vigilante Dracone, baltheum pretioſiſſimum Amazonibus abſtulit, Bebryciam devaſtavit, Buſiridem trucidavit, Cacum, ſicut & Cygnum occidit, debellavit Dercillum, & Albionem; Diomedi equos, Geryoni boves eripuit, vicit Licynum, mactavit Laërtem, ſicut & filios Neptuni, transfixit Neſtum, ſubjugavit Ochaliam, liberavit Prometheum, ſolis poculum ſuxit, Patriam defendit, ſæcula debellavit, Marathoni tauros devicit, abſolvit Theſeum, Trojam cœpit, plantavit Columnas, cœlum denique humeris portavit. Itaque ſine ſenſu dicendus eſt, qui Herculem negaverit laborum Heroëm eſſe: cujus finem glorioſum ut demonſtrarent, ejus clavam fingunt in nobiliſſimam & fœcundiſſimam plantam converſam; ipſum verò dum in pyra ſuccenſa conſumptus eſſet, inter Deos glorioſo fine tranſlatum eſſe.

Herculis labores.

Volentes item inſinuare, in acceptatione officiorum & onerum, ſumma cura ad hoc invigilandum, ut robur & vires oneri correſpondeant, figuram hominis pinxerunt, qui in habitu bajuli contempletur onus quoddam vel ſarcinam, profundè conſiderando, num eam levare, aut non levare poſſit. Hic ſenſus ab Horatio mutuatus eſt, qui ad Poëtas ſuos ſcribens, eos non ſine ponderoſa ratione admonet:

In arte Poët.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

Moderatio in omni re neceſſaria eſt, ſed potiſſimùm in negociis, & laboribus, ſi enim ultra naturæ vires progredimur, eſſe nequit, quin natura, non ſecus ac ſub gravi pondere fatiſcat: Hoc punctum gravis ille Uticenſis Philoſophus tetigit, cùm ait: *Moderatio virium adſit, & quantum quiſque poſſit, nitatur.*

Cato major.

His ideis hactenus virtutes humanæ repræſentatæ ſunt, de quibus tamen adhuc proſequendum, ſecundum quod materiæ congruæ ſe obtulerint. Sed ut tantò magis vitiorum deformitas monſtruoſa appareat, quantumq; horrorem de iiſdem nos habere deceat, huc rurſum humanas formas collocaturus ſum, quæcunque certa methodo, & præſcriptione mihi fuerint exhibitæ.

Primo loco exprimitur Impietas maximè diſſoluta, inexpiabilis, & aperta, per figuram hominis, qui membris inæqualibus compoſitus ſit, & ſine debita proportione, multis cicatricibus coopertus. Hoc modo & Propheta Iſaias peccatum, tam abominabile divinæ majeſtati deſcribit, dum inquit: *Vulnus, & livor, & plaga tumens, non eſt circumligata nec curata medicamine, neque fota oleo.* Et Spiritus Sanctus alibi: *Plaga doloſa doloſi dividet vulnera.* Hæ plagæ poſt ſe cicatrices relinquunt, remorſum nimirum conſcientiæ, & ſinteresin.

Impietas aperta. *Cap. 1.* *Eccl. c. 27.*

Effigies Proditoris, & hominis fraudulenti, figurabatur olim per hominem, qui ſiniſtra panem videbatur monſtrare, & porrigere, dextera autem ſubtus pallium celare ſaxum. Atque hic ille inhumanus eſt, de quo Spiritus Sanctus: *Pacem cùm amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias.* Amphibium binis capitibus dotatum, magnes infidus, qui ex uno latere attrahit, ex altero ferrum repellit. Scelerati fratricidæ, ut Cain, qui invitando occi-

Proditor. *Ierem. 9.*

occidit: *Egrediamur in Campum.* Infidi Joab adverſus Amaſam nil ſuſpicantem. Infames Judæ Iſcarioth, qui cum *Ave Rabbi*, ut Judas, cum *Salve mi frater* cum Joab, ad mortem innocentes tradunt, & Amaſam, & ipſum Dei filium.

3. Officiorum.

Contra hoc vitium tam nefandum plena voce declamat magnus ille Aventini Orator: *Nulla* inquit *pernicies vitæ major poteſt reperiri, quàm cùm in vita ineſt ſimulatio.* Merentur hi, qui tot cædes meditantur, & perpetrant, ut poſt fata ſua in ultimos inferni angulos detrudantur, & præcipitentur.

Pſalm. 30. Baruch. c. 6. Cap. 21.

Rurſum injuſtitia, & infamia, & infelicitas per hominem repræſentatur, qui urnam portat in capite, aut vas pluribus in locis perforatum, per quod aqua confertim diſpergatur. Huc credo reſpicere verba Pſalmiſtæ, cum in miſeriis, & perſecutionibus ſuis ſic lamentatur: *Sicut aqua effuſus ſum:* Et alibi: *Factus ſum, ſicut vas perditum:* Et Baruch: *Vas hominis fractum inutile.* Et Eccleſiaſticus: *Quaſi vas confractum.*

Ingratus.

Homo ingratus figuratur per quendam, qui arantem ſibi bovem de aratro ſuo ſolvit, eumque poſtea vel ligno, vel ferro mactat. Impius enim beneficiorum cumulum illatione mortis remunerat. Declaratur hoc ſequenti vulgato carmine:

Nunc cultris Domini tenue, & miſerabile collum
Præbet, ab ingrato jam faſtiditus aratro.

30. De Benef. c. 1. Serm. 52. in Cantica.

Hæc veritas nec Paganos latuit, inter quos Auſonius ait: *Ingrato homine terra nihil pejus creat.* Et Seneca: *Cum ingratum hominem dicis, cuncta mala dicis.* Non hic ſubticendæ gradationes, per quas S. Bernardus contra vitium hoc declamat: *Ingratitudo eſt inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio, ventus urens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.*

Hyppocritæ. Hom. 9. Iob. 20. Loc. cit.

Paramenta quibus Comici, aut Tragœdi in ſcena apparere ſolent, varias perſonas repræſentant, longè quandoque diverſas ab eo quod ſunt: fieri enim nonnunquam conſuevit, ut qui de fæce populi eſt, regali paludamento, vel purpura, vel chlamyde pretioſa indutus, vel Cyrum, vel Agamemnonem agat: Per hujusmodi Actorem Hyppocritam ſignificatum voluerunt, qui Deum ipſum fallere intendit: contra quod vitium tantis in locis ſcriptura ſacra deprædicat. Hæc eſt illa manus, inquit S. Ambroſius, quæ *virtutes obtruncat mucrone virtutum.* Veriſiſſimum enim eſt, ſicut idem author habet quod *Mimicè veritatem tractant.* Sed quid deinceps, niſi quod Coronata Patientia inquit: *Gaudium Hypocritæ adinſtar puncti?* Supra quod S. Gregorius: *Adinſtar puncti eſt, quia apparet ad momentum, & diſparet in perpetuum.*

Ira. Pſ. 1. Livius lib. 1.

Homo immittens ſtrui lignorum ignem, venenatum iracundiæ affectum figurat. De homine ſiquidem dicitur, quod ſit *Tanquam lignum, quod plantatum eſt.* Quis enim neſciat, quam æſtuans focus ſit Ira? focus, qui domos integras devaſtavit, qui Civitates conſumpſit, qui regna integra in cineres redegit. Per ignem olim Romani bella ſua ordiebantur. Facula enim à ſacerdote feciali ſuccenſa in Campum jaciebatur. Hinc apud Iconologos Imago *Furoris* in manu gerens facem figurabatur. Propter quod Dux ille apud Virgilium ait:

Ferte citi flammas, date tela, & ſcandite muros.

De cohibenda Ira.

Exinde etiam Plutarchus: *Ut incendium qui non addit materiam extinguit, ſic & iram quiſquis non alit naſcentem.*

Indignatio. Apud Laert. Declam. 4.

Excellens item Imago viri iracundi eſt, homo qui cultro, vel quavis alia re, ſibi frontem ferire velle monſtratur. Indignatio enim ab apprehenſione ortum ducit, hæc autem ſedem habet in intellectu, cujus fidele continens eſt frons noſtra. Sub hac fronte primum concipitur, & formatur intellectus, de hac enim ad communem ſenſum ſpecies transmittuntur: Cum autem indignatio de offenſa quadam, aut actione indebita oriatur, aut quam offenſus taliter interpretetur, ad monſtrandam paſſionem commotionis hujus internæ, iratus in actum violentum prorumpit, qui non nunquam & ipſi iracundo diſplicet. Unde Plutarchus inter alios, ut demonſtraret, quam utile ſit hunc ignem commovendo non ſuccendere, ſic ait: *Potentum ira, tumenſque indignatio non commovenda.* Accendunt focum hunc, quicunque incauti, & temerarii, eum laceſſere, & irritare non deſinunt: Hinc ſchola Pythagorica docet: *Ignem gladio non confodiendum.* Et Quintilianus: *In facinus indignati ardor erumpit.* Fera bellua hæc eſt, quæ ſi ſemel cor humanum introierit, inde pelli non poterit, niſi Martis inſtrumentis, bombardis, aut tormentis bellicis, aut acumine gladiorum, vel ſicarum.

Curioſitas. De curioſitate.

Figura curioſi repræſentatur in homine, qui onus quoddam, vel ſarcinam coopertam portans, detegere eandem conatur, ſed rurſum non auſus, abſtinet. Hæc inventio primam ſui originem ab Ægyptio quodam deſumpſit, qui hominem, ſe de expoſitione myſterii cujuſdam peregrini, & reconditi interrogantem, hoc reſponſo à ſe dimiſit: *Velatum eſt, neſcies.* Hoc vitium, ſi ullum alias, humano animo imperat: hamus eſt, qui ſuper omnem eſcam cadit, ſed ſæpius dum meliorem inveniſſe credit, in peſſimam incidit. A Plutarcho curioſitas adulterium alieni beneplaciti vocatur. Quidam Poëtarum ait: *Attende tibi, & noris, quàm ſit tibi curta ſupellex.* Ubique lex clamat: *Curioſitas eſt ſuperflua inveſtigatio ad ſe non pertinentium.* Hæc reprimenda eſt, præſertim in abſtruſis ſacroſanctæ fidei noſtræ myſteriis.

Lis, & contentio. In Androm.

Stulta garrulitas, & aperta Marſiæ fatuitas, cum juxta Poëtarum commenta, & cantu, & ſonitu Apollini ſe æquiparare, aut cum illo in certamen deſcendere auſus eſt, inſenſatam obſtinationem hominis litigioſi figurat: qui quamvis ſe in errore eſſe cognoſcat, nulla habita ratione æquitatis, per fas, & nefas adverſario ſuo reſiſtit, qui rationibus ſuis, non ſecus ac ſolaribus radiis (utar hac phraſi, quandoquidē de Apolline ſolis Numine mentio ſit) eum percutit. Nullum ferrum tam violentum eſt, ad vincula amicitiæ reſcindenda, quàm hæc altercandi rabies: nullum fel tam amarum eſt. Nullus ventorum turbo tam acer eſt, & qui cum tanto furore campum omnem humanæ ſocietatis & omne quod feliciter plantatum eradicet, & convellat. Hinc Euripidis præceptum prudentiſſimum eſt: *Parva ab initio contentionem magnam hominibus lingua ſuppeditat: Hoc verò ſapientes homines maximè cavent: Amicis non fabricare litem.*

Imprudentia.

Emblema quod in ſcuto ſuo Alcibiades portabat, quem doctiſſimi quidam Græcorum non magnopere ſapientem æſtimarunt (Erat autem Cupido, fulmen confringens) nonnulli ex iis, qui Hieroglyphicorum ſcientiam nôrunt, pro

ſignificato Imprudentiæ ſumendum cenſuerunt. Sapiens omninò, & admirabilis hæc mihi inventio videtur ad hoc vitium exprimendum, tam quod maximè temerarium ſit, manum fulmini admovere, quàm quod puerilis ætas, & Juventutis mollities, inhabilis ſit ad ejuſmodi tentamenta, tam ardua, tam ultra vires exequenda. Hoc inquam vitium Anteſignanum & Conductorem cæterorum dixeris: Inde eſt, quod Euripides ait: *Maximum omnium vitiorum, quæ inter homines ſunt, imprudentia eſt.* Nec enim eſt aliud, unde tot violentæ, tot improviſæ mortes proveniant. Antequam enim id providerit in obſcuro ambulans, in ferrum, & focum impingit. Nimis abominanda in humano animo eſt hæc macula, inquit Magnus Peripateticus noſter: *Turpe eſt ignorare, quod omnibus ſcire convenit.*

In Medea. Rhetor. 2.

Imbellis animus. Pro Cœlio.

Ad denotandum imbellem, & effæminatum militis animum, fingebatur olim Mater, quæ priora veſtimenta ſua elevare videbatur, juxta Romanarum mulierum antiquam hiſtoriam (ſicut Probus teſtatur, cum Livio, & Floro) quæ cum filios ſuos turpiter fugitivos de prælio redire conſpexiſſent, in hujuſcemodi actu eis obviam proceſſerunt, dicendo: *Huc non intrabitis, unde exiſtis.* Siquidem vir Caſtrenſis hoc monſtro timoris correptus ſemel fuerit, fruſtraneæ ſunt caſſides, & umbones, & loricæ, quaſcunque de Lemni officina fabricare Vulcanus poſſit. Marcus Tullius non ſine experientia, ut reor, locutus eſt, dum ait: *Exercitus maximi ſæpè fuſi, atque fugati ſunt terrore ipſo, impetuque hoſtium: ſine cujuſquam, non modo morte, verùm etiam vulnere.* Contigit nonnunquam ut & ſolis Eclypſes armatos exercitus perterrefecerint: & ii, quos horrenda mortis imago, quam præ oculis habebant, & quam vilipendere didicerant, animo non dejecit, in meridianis ardoribus, Eclypſatæ Lunæ vultum ferre non potuerunt.

Apud Stobeum. Apud Pier. de Aſino. In Pſal. 139.

Homo item mirificè auritus Idea eſt loquacitatis & ſtultitiæ: Juxta Phyſiognomos enim, quibus aures tam præter modum prolixæ, huic vitio plerumque ſubjecti ſunt: Fortaſſe quod Jumentis non abſimiles ſint, quæ rugiendo, vel boando, magna voce audiuntur, de reliquo autem non niſi ſtolida, & inſenſata ſunt. E contra Socrates inquit: *Decorum ſilentium corona eſt viri: loquacitas autem nec jucundum aliquid habet, & mala eſt converſationi, & inutilis civitati.* Interrogatus aliquando Antiſthenes ab Athenienſibus, quid ſibi faciendum, ut Magiſtratus ritè componeretur, reſpondit: Aratro aſinos jungite: illi verò ad hoc operis ineptos inquiunt. Sic & vos, inquit facitote, ineptos non admittite, & indignos rejicite: *Linguoſus vir amat mendacia*, ait S. Auguſtinus.

Finis concupiſcentiæ ſordida.

Porrò cum voluptas omnis, & concupiſcentia finem ſuum in pœnitentia, & dolore conſequatur, æternam poſt ſe maculam, & turpitudinem relinquens: volendo antiqui alludere ad hoc ipſum, Sirenem expoſuerunt, quæ faciem formoſiſſimam demonſtrabat, ſed à pectore, quæ deinceps ſequebantur, in fœdum piſcem deformata erant. De hac materie Venuſinus Poëta inquit:

. . . . Mulier ſpectata supernè,
Deſinat in piſcem.

Pœnitudinem, quæ culpam inſequitur, doctiſſimus vir Camerarius in vetula repræſentavit, quæ ſerpentes pro crine gerebat, tota macilenta, & quæ ſpinarum faſciculo Cupidinem flagellabat, adjuncto lemmate: *Pœnitentia luxuriam ulciſcitur.* De hoc eruditum, & prudentem diſcurſum format Auguſtinus Maſcardus in tabula ſua, quam Cebetis appellat: ad quem ſiquidem placuerit Lectorem remittimus.

Animus effæminatus. Nutrire comam, quàm vanum ſit.

Non poſſum hic præterire, quod jam alibi retuliſſe memini: hoc eſt: Ad figurandam Juventutem, quandoque & virilem ætatem diſſolutam, & effæminatam in vitiis, veteres hominem pinxiſſe, qui digito capiti impoſito, aut ſcalpendo pruritum quendam inde propellere, aut verò diſcriminare, & pectere comam ſuam videbatur. Hæc nimia capillorum cultura, ſemper indicium fuit corruptæ mentis, & Juventutis maximè incompoſitæ, & imprudentis. Recordor me in Centuria quadam Elogiorum, intitulata: *Sæculum momi:* hunc uſum perverſum deteſtatum eſſe: ad quem locum, quicunque in hoc genere plura deſiderant, remiſſos volo. Iis autem, quibus hæc agendi vanitas cordi eſt, exemplum Abſalonis, terrori ſit, qui eodem capillitio ſuo, quod nutriebat, in trunco arboris ſuſpenſus interiit, tribus lanceis infeliciter confoſſus.

Tempus vorax. Saturnus Cronius dictus. Plutarch. in Apopht.

Delibata doctrina hac, famoſiſſimus Author meus Ulyſſes Aldrovandus ad ulteriora progreditur, paucis quidem, ſed plenis ſapientia conſiderationibus materiam tractans de velocitate temporis: Ego igitur, quantum me infirmitas mea ſiverit, ejuſdem veſtigia inſequenda ſtatui. In quo primum documentum erit, voracitatem temporis incomprehenſam ob oculos locare, quippe quod non ſecus ac hiæna aliqua omnia devorat, in morem lupi omnia conſumit, plus quàm furibunda tygris cuncta dilacerat: degluttiendo ætates, abſorbendo ſæcula: tyrannus & latro vitæ, prædo infantiæ: dumque ad decrepitam ætatem nos perducit, ad ſepulchrum deficientes deturbat. Itaque ad hanc temporis inſatiabilem famem demonſtrandam, olim Saturnum ſenem figurabant, qui filios proprios devorabat. Appellabatur hic inter Numina antiquiſſimus, Græco Nomine Cronius, quod ejuſdem ſignificationis eſt cum tempore: dabant itidem illi falcem in manus, veſtimentum malè aſſutum portans, ſicut moris eſt Temporis figuram exprimere. Oculatiſſima autem, & prudentiſſima actionum eſt, quæ in hominem prudentem cadit, noſſe alas temporis retardare, & falcem ejus retundere: *Rectè eruditi temporis rationem habent:* quibus verbis magnus ille Spartanorum Legislator ſuos exhortabatur.

Epiſt. 49. Ep. 100.

De ejuſdem temporis velocitate, quâ tam celeriter fugit, & diſparet, inter alios magnus Ethicus noſter inquit: *Punctum eſt, quod vivimus, & adhuc puncto minus:* & alibi: *quàm ſtultum eſt ætatem diſponere: nec craſtino quidem nominamur.*

Perpetuitas.

Huic temporis fugacitati contrarium erat, admirari vultum hominis, qui novilunium de terra tollere ſatagebat: Indicabat autem, quod ſicut Luna, poſt decrementum ſuum, ſe rurſum renovat, & ſic ſtationes ſuas variat; Sic ille, qui ſtatum tempus manutenere ſine viciſſitudine voluerit, huic ſuperiori comparabitur, qui Lunæ viciſſitudines de terra tollere laborabat. Ex hoc Ideam beatæ æternitatis ſumamus, ad quam aſpirare nos omnes, quotquot ſumus, oportet. Hoc præſentiſſimum Alexipharmacum

eſt contra venenum anguſtiæ, & dolorum: Hæc eſt illa propter quam regna integra feliciter depopulata, dum deſerta & eremi incolis novis habitata ſunt, dum ſylveſtres, & incultæ terræ habitari cœperunt: dum ſpeluncæ terrarum dulcuerunt Antoniis, rotæ Catharinis, Craticulæ Laurentiis, ſaxa Stephanis: *Æternitatis præmia præſtolantes, vires ex adverſitatibus ſumunt*, inquit S. Gregorius. 26. Moral.

Pater familias. Bona adminiſtratio Oeconomica, quam tenere Patremfamilias decet, & quemque præterea, cui domus, aut familiæ cura commiſſa eſt, per hominem exprimebatur, qui oculos tam in occipitio, quàm in fronte gerebat. Non ſufficit præſentibus invigilare, etiam futura per providentiam ſagacitatis procul aſpicienda, & anticipanda ſunt. *Futura jam præviſa minoris ſunt timoris cùm præſentia fuerint*: Inquit S. Gregorius. In Paſtor. Indiget itaque quælibet domus diligenti proſpicientia futurorum, ne quæ ſiniſtra occurrunt, nimis improvido & fortuito caſu eveniant. Nauclerus non immeritò dicendus eſt Pater familias, cui neceſſe ſit, pro varietate eventorum, & fluctuum, quibus infeſtatur, temonem ſuum dirigere. Nil Argum juvit etiam centoculum fuiſſe, dum in cuſtodia vaccæ ſuæ evitare non potuit, quin furto ſublata fuerit.

Spurius. Figura Spurii, vel illegitimo thoro nati ſic olim exponebatur: Infantulum pingebant, qui in mediam hominis turbam lapillos jaciebat, cui veraciter id applicari poterat: *Cave ne patrem lædas.* Neſcio interim qua ratione leges, Codices, & teſtamenta etiam maxime legalia hos infelices & hæreditate, & omni honore, omnique dignitate privare poſſint: cum jure meritò de his dici debeat: Quis peccavit? hic, aut Parentes ejus? Sed idcircò factum eſt, ni fallor, quod ut mundus diſſolutus ab illicitis & inhoneſtis voluptatibus arceatur, infamiæ nota inuruntur, quicunque extra lectum Conjugalem nati ſunt: quamvis culpa nulla in hujuſmodi progeniem, utpote innocentem, cadat.

Mulier caſta. Elegans Hieroglyphicum Conjugis fidelis, & continentis erat imago Veneris, quæ in porta domus ſuæ, teſtudinem calcabat. Eſt autem Phydiæ ſculptoris ingenioſa inventio, quam magnus ille Ethicus Alciatus prò emblemate aſſumpſit, hoc Epigrammate adjuncto.

Emblem. 196.

Quodque manere domi, & tacitas decet eſſe puellas,
Suppoſuit pedibus talia ſigna meis.

Non minorem cautelam honeſtæ mulieri in egreſſione domus ſuæ inculcat Virgilius: 2. Georg.

Caſta pudicitiam ſervat domus. ----

Et Propertius:

Felix Admeti Conjux, & lectus Ulyſſis,
Et quæcunque viri fæmina limen amat.

Victus in prælio. Figura hominis apprehendentis alterius dextram, ſymbolum gerit ejus, qui in bello legitimo victus eſt, quippe qui manus extendit, in ſignum ſe perdidiſſe, & idcircò in manus ſeſe victoris tradere. Qui uſus vel actus tam naturalis eſt, ut imminente gravi periculo abſtinere ab eodem non poſſe videamur. Sic dum Chlorinda in Amantis ſui Tancredi brachiis moritur, Torquatus Taſſus inquit:

Cant. 12.

E la man nuda, e fredda alzando verſo
Il Cavaliero, in vece di parole
Gli da il pegno di pace, e in queſta forma
Paſſa la bella Donna, e par che dorma.

In eundem modum illic apud Virgilium Herós quidam ait:

Coeant in fœdera dextræ.

Prout illud in ſuperiore manuum tractatu prolixius à me tractatum eſt.

Vultus ſemper acerbus, & ſeverus lanionis, qui videatur jugulare velle oviculas, militem figurat gregarium, aut potius dixerim ſicarium in famem, qui bellum ſequatur, aut occiſionibus delectetur, ſolo lucri intuitu: Sic prior ille lanio oviculas mactat, tantum ut è carne argentum habeat. Quæ ſuperior militum actio verè Carnificum eſt, immanitas barbarorum. Ubique Carmen illud Mantuanum uſurpatur: Homicidia quæ à militibus fiunt ſolo intuitu lucri.

Nulla fides pietasque viris, qui caſtra ſequuntur, Lib. 10.
Venaleſque manus: ibi fas, ubi maxima merces.

Demoſthenes item dum populum Olynthium ab inteſtinis hoſtilitatibus & diſſidiis rabioſis dehortari vellet, ſic ajebat: *Hoſtes non contenti ex agris petere neceſſaria, quod ſupereſt protervè devaſtant.* 1. Olynth.

Idea integri Judicis, & juſti demonſtrabatur in Apollinis imagine, qui in dextra gratias portabat, in ſiniſtra arcum, & ſagittas. Indicat autem clementiam ſociatam juſtitiæ, de quo tam divinè Muſicus meus armatus: *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt*: & alibi: *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Exhibui hoc ipſum prolixè admodum in libro, cui titulum ſuperiorem præfixi: Ubi hunc Monarcham, Davidem nimirum, ſedentem protuli in throno, juſtitia deinceps ſpectabatur, quæ in diſco bilancem, & gladium præſentabat: ex altero latere clementia erat, cytharam Davidicam ei porrigens. Pungit apis, ſed favo ſuo puncturam indulcorat. Clementia, & ſeveritas duo Poli ſunt, qui axem regiminis, & regnorum ſuſtinent. *Sit Amor, ſed non emolliens: ſit rigor, ſed non exaſperans.* Sancti Gregorii verba ſunt. Plinius Junior eadem documenta ſuggerit: *Favor*, inquit, *& miſericordia acres primos impetus habent, paulatim conſilio, & ratione quaſi conſtricta concidunt.* Judex Juſtus. Lib. Ep. c. 24. Lib. 2. Ep.

Mercator. Eruditè quidam Mercatorem in effigie Mercurii repræſentavit, cui gallus vicinus erat. Mercurius Triſmegiſtus aliud nomen Hermetis habuit: Mercurius præterea ob pernicitatem, & verſatile ingenium Mercatori datur, his enim virtutibus eum dotatum eſſe oportet; accedat ad hæc neceſſe eſt Arithmetica perfecta, ne quæ perturbatio, aut in commerciorum varietate injuſtitia irrepat: adjungitur Gallus propter vigilantiam, quæ inter maximè neceſſaria reputanda iis, qui negociationem exercent: *Fidelis terra, infidele Mare, inſatiabile lucrum*: ajebat Demetrius ad Phalerienſes. Hinc Plinius: *Quid non facit, aut patitur Mercator?* Lib. 18.

Status calamitoſus. Vultus Narciſſi ſe in fonte ſpeculantis, Hieroglyphicum erat, demonſtrans ſtatum calamitoſum; Nec enim non ad ſummam miſeriam delabetur, qui non ceſſat ſemetipſum admirari; ex quo nec utile, nec documentum ullum reſultat. Ad quod Camerarius optimè alludit, dicendo:

Ah quanta humanos ludit dementia ſenſus!
In nobis noſtri ſemina quanta mali!

Hic defectus qualicunque alteri par eſt, ſemetipſum videlicet palpare, & ſibi in propria opinione ſua blandiri, ſuoque ſemper judicio affixum

xum eſſe. *In magnis deliberationibus, magno emendum eſt fidele conſilium*, ajebat magnus Orator Demoſthenes.

Fortuna. Vulgatum Hieroglyphicum fortunæ eſt, Mulier cæca, & alata in tergo, quæ volare videtur, poſita ſuper globum, in quo orbis terræ intelligendus. In hoc applicationes non adjungo, cum volumina his repleta ſint, quæ penè nil tam ſæpè repetendo ingerunt. Nec minus Ego quoque in Opere meo, quod *Epicurum* nominavi, copioſiſſime hanc materiam ratiocinando proſecutus ſum: Ubi poſito Problemate: Deturne, an non detur fortuna, concluſi cum vulgari ſententia: *Unuſquiſque Faber eſt fortunæ ſuæ.* Ad hæc, & ejuſmodi alia prudentem, curioſum, & utilitatis ſuæ ſtudioſum lectorem remitto.

Intellectus. Ad repræſentandum Intellectum (qui quamvis in humanos ſenſus non cadit, oculis nihilominus operationes ejus ſubjici poſſunt) figuram adoleſcentuli exhibent, qui ſuper caput vexillum portat, quod ad quemvis minimum ventorum flatum commovetur, & in gyros ſuos convolvitur, & fluctuat: Pari modo intellectus volumina ſua habet, machinando, conſiderando, & operando. Intellectus pene ſumma hominis exiſtentia eſt, cum in eo vitales potentiæ reſideant. Pertingit ille cogitationum ſuarum alis, quo volatus aquilarum fortiſſimus elevare ſe nequit, velocior eſt, quam ulla Celox remis, & velis optimè inſtructa, expeditior quàm ulla quadriga generoſiſſimis equis provecta. *Intellectus eſt lumen* (inquit Stagirita) *quod Deus infudit animæ*: Ita quidem, quod ſol in Macrocoſmo, hoc Intellectus in minori mundo ſuo operatur. Hinc Pſaltes Regius: *Intellectum da mihi, & vivam.* Rhetor. 3.

Bonus eventus. Nobilis non minus quàm reliquæ, ſimul & curioſa inventio eſt, qua olim figuram ſecundi eventus, vel exitus proſperi deſcripſerunt. Hominem ſtatuebant in dextera ſua ſcyphum, in ſiniſtra ſpiram, & papaver portantem. In his augurium felicitatis, & animi contenti eſt. Bonis enim nuntiis corpus, tanquam lautis epulis reficitur, tanquam muſto exhilaratur, & plena pace cor perfruitur: E quibus papaver virtutem habet, ut nutriendo ſomnum promoveat. Nemo inter viventes interim tam excors eſt, qui lætis nuntiis non exhilareſcat, unde exultatio, riſus, & ſuavitas ſomni proveniunt. Fortunato quævis terra patria. *Pulchrum eſt enim in foco ignem conſpici ſplendidum: in felicitate autem animum*: verba ſunt Socratis. Et Plinius Junior: *Felicitas*, inquit, *preſſis manibus tenenda eſt; lubrica enim eſt, nec invita teneri poteſt.* In hunc ſenſum & ego ceciniſſe me recordor:

Dolce mirar ſu matutini albori,
Sotto Cielo nativo, aure ſerene,
Dolce ſtretto vederſi in fra catene
De l'amor de parenti, & genitori.

Exitus infortunatus. E contra dum Ideam exitus ſiniſtri repræſentare intenderent, hominem delineabant, qui digito pedibus ſibi genu ſuum vel poplitem tangebat. Sic ſcriptum reliquit doctiſſimus Valerianus (prout alibi jam relatum eſt) quod videlicet Sagæ olim ad maleficia ſua complenda hunc geſtum nefandis verbis ſuis copularint, ac ſic parturientes impedierint à partu; aut ſi domum prodibat, non niſi mortuus extrahendus erat.

Super quod ſapienter, niſi dixerim potius ut Sanctus inquit ille (qui quantum corpore oculis carebat, tantum oculo mentis illuſtratus erat) *Invidus dæmon maximè videtur hoc ſtudere, ut inopinatam calamitatem inducat.* Apud Stobæum.

Moderatio. Moderatio, tam in omni vitæ noſtræ actione neceſſaria, ſignificabatur olim per matronam gravem, quæ unâ manu cubum menſuram, alterâ frænum gerebat. Sic depingebatur Dea Nemeſis, Ultrix malè agentium: idque non ſine ratione, inquit doctiſſimus Aldrovandus: *Quaſi nihil abſque menſura & fræno agendum ſit.* Hanc figuram ſibi Alciatus pro emblemate aſſumpſit, inſcribendo ſequens lemma: *Nec verbo nec facto quenquam lædendum*: totum autem eleganti Epigrammate deſcripſit: Demonſtris 27.

Aſſequitur, Nemeſisque virûm veſtigia ſervat,
Continet & cubitum, duraque fræna manu.
Ne malè quid facias, neve improba verba loquaris
Et jubet in cunctis rebus adeſſe modum.

Honeſtum & utile. Homo quidam inter duas fæminas locatus, quarum una ſibi eum videatur attrahere, altera, ut à ſe longius recedat, ſigno dato adurgere: Pulchram ſimul & curioſam ideam refert ejus, quod utile & honeſtum eſt. Per hæc allectamenta, per hos amplexus, quis tam inſanus, tam excordis animi eſt, ut non ſollicitatus accurrat, nullaſque inducias patiatur? *Tanquam in aſylum templi ad virtutem confugiamus*: Dicebat Bion. De utroque Tullius ait: *Ea maximè deſideramus, quibus abundamus magis.* Item Juvenalis: Apud Stobæum.

Protinus ad cenſum de moribus ultima fiet Satyr. 3.
Quæſtio ....

Seneca: *Bonum & optabile, quidquid ex virtutis, & honeſti geritur Imperio.* In Templo virtutis Antevorta ſimul & Poſtevorta eſt. Has dixerim manus eſſe duas, quæ fortunam ſapientis intorquent. Bonum, utile, & honeſtum, præter hæc nil dici poteſt. Ep. 68.

Italia. Sed iem curioſiſſimorum Hieroglyphicorũ Aldrovandus concludit in Italiæ ſuæ deſcriptione, Italiæ, inquam patriæ tam opulentæ, tam ornatæ, tam decoræ, & omni gloria adimpletæ. Ait autem ſuper ſpatioſiſſimam telam imaginem majeſtuoſæ matronæ depictam fuiſſe, portantem in capite ſumptuoſum diadema, & in dextra ſceptrum aureum gerentem: Significans Imperium illam ſuper provincias reliquas habere, ſicut & præeminentiam nobilitatis, divitiarum, conſuetudinum, & morum. In ſiniſtra decorum omninò, & abundantiſſimum cornù copiæ cernebatur, habebat autem pro throno, & ſcabello orbem univerſum, ſedens ſumptuoſiſſimo paludamento induta. Huic fingit comparuiſſe Illuſtrem virum Marinum, quem illa ſic allocuta ſit:

Jo l'Italia mi chiamo, Jo ſon colei,
Ch' ovunque gira il Dio lucido, e biondo Italia ſupplex.
Alzando illuſtri, ed immortal trofei,
Tutte cacciai l'altrui grandezze a fondo;
Quella ſon jo, che vidi a cenni miei
Chino ubidire, e riverente il Mondo:
E, temuta da l'uno, e l'altro Polo
Fondai di tutti i Regni un Regno ſolo.

Ad hæc capita jam ſuperius deſcripta reduci poſſunt falſorum deorum imagines Carthari Regiani, ſat amplo volumine, tantarum ſignificationem capace, contentæ: Item univerſa deorum Genealogia Boccacii: Item cuncta

 ſynta-

ſyntagmata Geraldi: univerſa mythologia Natalis Comitis: Iconologia Cæſaris Ripæ, ubi omnes virtutes, affectus, & paſſiones humanæ, in talibus figuris repræſentantur: Idem aliorum opera, quæ cùm ſparſim, & copiosè in orbe terrarum inveniantur, pro majori expoſitione ſua fragilitate calami mei non indigent, quo jàm plus debito ad hæc conſarcinanda, & in medium uberius proferenda uſus ſum. Quidquid autem in hiſce libris non continetur, aut prolatum, & explicatum ab iis non fuerit, mearum partium erit exponere. Cùm præterea id ſolùm hic loci intenderim, demonſtrare quibus ſignificationibus figura hominis inſervierit; hic denique punctum meum colloco, nec velim à Conc eto meo diſtolli, ita ut in vaſtiſſimum illud Chaos ingrediar, rerum videlicet earum, aut mixtorum, quæ conditiones, qualitates, virtutes, vitia, affectus, & paſſiones humanas expreſſerunt: Cum ſuper hæc in promptu ſint chartæ abundantes, & fœcundiſſimæ Coelii Rhodigini, Pierii Valeriani, Coelii Auguſtini, Calcagnini, & Hori: pulcherrima proinde ſtromata Clementis Alexandrini, libri S. Eucherii, & P. Sandei: qui omnes compilati ſunt in præclaro illo Poliſtore Cauſini: quæ arca aurea margaritas gemmaſque majoris pretii includit, quàm illa Riphei, aut Peſcariæ, quæ utique palmam ei facilè cedunt. Ego interim de his finem facio dicturus aliquid de

MORALIBUS ET MYSTICIS.

Scriptura Sacra quantæ utilitatis ſit.

SCripturarum campus tantæ amoenitatis eſt, tantæ ubertatis, & tanta fructuum copia, quæ ex eodem deſumitur, ut non ſine ratione quidam ſanctorum dixerit, quod in ea *quot apices, tot ſententiæ ſint*: A ſcopo non aberravit; quidquid enim myſteriorum eſt, & quæ præterita, præſentia, & futura ſunt, in ea continentur. Liber item, qui Ezechieli Prophetæ ad comedendum datus legitur, antequam ad prophetizandum, & ad corripienda peccata ablegaretur, non alius quidem meo judicio fuiſſe credendus eſt, quàm ſacræ literæ. Quantumcunque enim mens humana ſe elevaverit, & extenderit, figurando ſymbola, aut fortitudinis, aut pietatis, aut clementiæ, aut Juſtitiæ: imò vero & intellectualibus meditationibus inhærendo, quantum volet, ad cœlum uſquè feratur, procul ab humano commercio remota, totum in ſcripturis divinis comprehenditur, & tanquam in compendio concluditur. Innuit hoc inter alios Hugo Cardinalis dum ait: *In ſacra ſcriptura quidquid docetur, veritas, quidquid percipitur bonitas, quidquid promittitur felicitas eſt: nam Deus veritas eſt ſine fallacia, bonitas ſine malitia, felicitas ſine miſeria.* Favum nullum eſt, quod excogitari ſuavius poſſit: id quòd dilecta ſponſa in Cantico ait: *Comedi favum cum melle meo.* Nullus gladius tam acriter dæmonia transfigit, ſi fides S. Auguſtino haberi debet. *Scriptura*: inquit, *gladius eſt bis acutus*: *Scriptura bonis ubertas, malis laqueus eſt*, inquit idem Author.

30. De anima. — *Cant. 9.* — *Lib. quæſt. ex Matth.* — *In Pſalm. 10.*

Hæc aliaque inſuper Patrum teſtimonia calamum meum ſtimulant & audaciam ſuggerunt, dum non dubito, quin ſcripturæ expoſitio maximè proficua futura ſit iis, quicunque curioſitate ſancta, & devotione Chriſtiana ducti ad legendum prompti ſunt: *Scripturâ* etenim, *in hac vita juvamur*: Verba ſunt S. Auguſtini. Si ergò in præcedenti volumine ſenſus myſtici de partibus humani corporis penè omnibus adducti ſunt, hic ubi de compoſito humano in integritate ſua tractatur, conveniens utique erit, ut ſignificata ejuſdem de iiſdem fontibus promantur. Nec tamen animus eſt vaſtitatem illam abyſſi immenſæ penetrare, ut credam exhaurire me poſſe univerſa, quæ in homine tam exteriore, quam interiore, novo & veteri, cæleſti & terreno continentur: quamvis ſanctorum Patrum ea quæ præcipua ſunt, huc allaturus ſim.

In Pſal. 124.

Exordiamur itaque à Patrefamilias, de quo potiſſimum Evangelium S. Matthæi refert, qui operarios ſuos miſit in vineam, hic enim eximiam figuram repræſentat. Sicut & ille cui filius Prodigus ſorte datus eſt, de quo Evangeliſta Lucas meminit: hic juxta Origenem æternum Patrem bonorum omnium Datorem figurat, qui quidquid in ſe ſpiritum vitæ continet, neceſſariis ad ſuſtentandam vitam alimentis providet. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*: conſueta eſt, & diurna oratio noſtra. Et Regius propheta: *Oculi omnium in te ſperant domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno.* Pater familias ille, inquit S. Hieronymus, admodum durus, & inflexibilis videtur, cujus rebellis, & refractarius ſervus talento ſuo lucrum facere neglexerat; quod talentum nihilominus tantâ ei liberalitate indulſerat, prout præmemoratus Evangeliſta Matthæus recenſet. Intelligitur autem ſub hoc ſervi typo præcipuè gens Judaica, cui non unum, ſed tot gratiarum talenta concredita fuerant, quamvis ingratus populus univerſa ſubtus terram defoderit, & abſconderit.

Matth. c. 20. — *Luc. 15.* — *In Matth. hom. 10. 11. 19. 20.* — *Cap. 25.*

Sancti Hilarius & Auguſtinus ſapienter in perſona primi Parentis noſtri, poſiti in Paradiſo deliciarum: *ut operaretur, & cuſtodiret illum* (juxta Geneſim) Chriſtum intelligunt in hoc Mundo converſantem, tanquam in horto voluptatis ſuæ, de quo alibi inquit: *Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum*: Hic enim verè caput Eccleſiæ eſt, quam operatur, & quam cuſtodit: Chriſtus Jeſus, plus quàm ille Protoplaſtes ad imaginem Dei creatus eſt, cui ſecundum diviniſſimam hypoſtaſin ſuam unitus eſt. Atque hic eſt (ſicut iidem Patres inquiunt) quem Paralyticus ille expectabat, ut in piſcinam deponeretur.

In Ep. Beatitud. Cant. 27. de Gent. cont. Manich.

S. Ambroſius autumat in Paſtore illo (de quo S. Lucas) qui centum oves poſſidebat, per numerum ovium copiam Angelorum ſimul & hominum intelligi. Chriſtus ille homo Regius eſt, de quo S. Matthæus ait: *Quod poſuit rationem cum ſervis ſuis*: Sic cum præfato Ambroſio Origenes quoque exponit: Sicut item homo ille nobilis: *Qui abiit in Regionem longinquam, accipere ſibi regnum, & reverti.* Item ille homo quem Ezechiel vidit, qui faciebat; ut motis animalibus *elevarentur ſimul & Rotæ.* Hic eſt ille, quem Pſaltes Regius hominem *inopem, & mendicum, & compunctum corde* nominavit. Arnoldus & Beda ſentiunt, cum in libro Levitici dicitur, quod ſacerdos caprum, vel victimam ad altare divinum mittens, idipſum per hominem faciat inventum in deſerto per hunc hominem Redemptorem noſtrum figurari, quippe qui dum in carne apparuit,

Luc. c. 15 — *De init. Myſter. & de Sacrament.* — *In Matth. hom. 7. 11* — *Levit. hom. 9.* — *In Num. hom. 18.* — *Luc. c. 19.* — *Ezech. c. 1.* — *Pſalm. 108.* — *Arnol. in Pſ. 48. Bed. in Gen. 1.* — *Levit. c. 6.*

ruit, in deſertum ſe contulit, ſemetipſum poſthæc, tanquam agnum immaculatum in ara crucis immolans.

Per hominem quem venturum liber Numerorum annunciat, qui in Iſrael magnus futurus ſit, S. Hieronymus potentiam Chriſti figuratam intelligit. Id quod Evangeliſta Matthæus inquit: *Inimici hominis domeſtici ejus*: De Salvatore accipiendum eſt, quem Domeſtici ejus, hoc eſt populus electus, Judaica gens, cruci & morti tradidit. De quo & alibi prophetia aperta eſt in Michæa. Fit mentio totius hominis, & in membris ſuis perfecti diverſimodè in Pſalmis, in Jeremia, Zacharia, Ezechiele, & Geneſi. Cum porrò de homine ſapiente, omnique virtute prædito, qui ſupra orbem univerſum, ſupraque omnem creaturam dominium exercet, qui à primordio ſæculorum ampliſſima illa poteſtate: *dominamini*, tanquam ſtola quadam veſtitus fuit, cum inquam de tali ſit mentio, id de Chriſto ſine ambiguitate ſumendum eſt.

Num. c. 24. & 25. — *In Matt. 7. Matth. c. 10.* — *Jer. 31. 2. 36. 1.*

Supra id quod Pſalmiſta David de homine in Sion nato inquit, venerabilis Beda ſic loquitur: *Homo natus in Sion, quam ipſe fundavit, eſt Chriſtus.* In locis ſcripturarum ubi de hominibus perfectis, prout ſupra memoratum eſt, ſit mentio, juxta S. Hieronymum, Prophetiæ virorum ſapientum intelligendæ ſunt. In vaſtiſſima illa confuſione, dum chaos primævum apparuiſſet, terra inculta, & ab hominibus nondum habitata erat: Sic ſpacioſo tempore Gentiliſmus ſtetit incultus, abſque prophetis, prout plura in hiſtoria Job occurrunt. S. Gregorius, S. Auguſtinus, & Philo inquiunt, quod cùm primùm inter animalia collocatus eſt Adam, omnium hominum maximè ſenſatus, & rationabilis fuiſſe figuratur, in cujus comparatione reliqui, non ſecus ac jumenta reputandi ſint, ſicut in prophetia Aggæi, & in Pſalmis legitur.

Pſal. 86. — *In Jerem. 31.* — *In Job. 38.* — *Cap. 38. 14. Moral. In Pſal. 134. 1. Alleg.*

Per hoc nomen, & ſignificatum *Hominis* Origenes in locis diverſis, mentem humanam putat poſſe intelligi. In eo, quod liber Geneſeos habet: *Non erat homo, qui operaretur terram*: idem author hunc ſenſum eruit: *Quia mens non exercebat Ideam ſenſus.* In pluribus ſcripturæ locis hæc vox *hominis* congeminata reperitur, ſicut in Exodo, Levitico, in Pſalmis, & Jeremia: de qua congeminatione præfatus Origenes ait, quod homo rationalis, & diſcurſivus intelligendus ſit: Simplex enim homo, ſine uſu rationis, brutis animantibus æquiparandus eſt. Vult præter hæc & hominem interiorem figurari, qui mentem ad divinarum rerum contemplationem elevet: hic nihilominus alimenta, & halitum ab exteriore ſumit: Hinc de utroque dici poterit, quod oculos, manus, atque alia inſuper membra poſſideat, tam interior, inquam, quàm exterior. Rurſum reduplicationem hanc, *Homo, & homo*, S. Ambroſius & S. Hieronymus de interno & externo intelligunt.

1. 134. — *Origenes In Gen. hom. 1. In Levit. hom. 2. Num. 14. In Pſ. 36. & alibi. Gen. c. 2. Exod. 9. 11. 12. 13. Levit. 1. Pſal. 32. 146. Jerem. 4.* — *In Iſa. 56. In Ezech. 14.*

Revertitur S. Auguſtinus ad hominem portantem caprum in ſolitudinem (pro eo quod jam ſupra ex Levitico memoratum eſt) & in eodem mentem vult intelligi, quæ à ſe cogitationes alienas, malaſque ablegat. Hujuſcemodi Homo in campo ſuo granū ſinapis ſeminat, juxta Matthæum; item theſaurum invenit, prout idem Author commentatur, ſubjungens per hominem interiorem indicari prudentiam, & rectitudinem operationum: Unde pro diverſitate vitiorum, & affectionum humanarum, ne dicam beſtialium (ſic idem author ratiocinatur) homo & Jumentum & ſerpens, & vipera & vulpes, & urſus, & leo, & conſimile quid appellari poteſt. Ejuſdem opinionis eſt Philo: Hominem nimirum duplicato nomine repetitum ſignificare bonitatem & rectitudinem, qui cùm peccaverit, ab Altiſſimo reprehenditur, ut emendetur, ſicut prophetiæ Ezechielis, & Jonæ continent.

De Abraham. 1. 6. & Virg. 3. — *Matt. c. 13.* — *De Plantatione Noe.* — *Ezec. c. 29.*

Supra textum illum ſcriptura, in quo dicitur: *Cumque cœpiſſent multiplicari homines ſuper terram*: idem Philo reſoluit, intelligi poſſe robur rationis, quod multiplicatur, novumque in virtute vigorem conſequitur. Cùm porrò Chriſtus non raró in ſacris literis filius hominis vocetur, in ſenſu adæquato, & debita proportione, homo ille, conſiderata virtute illius, prout S. Auguſtinus docet, glorioſſima virgo Maria intelligenda eſt. Quamvis autem homo Chriſtus, de veteri Adam deſcendat, ſecundum aſſumptionem humanitatis, *Non tamen*, (ſubjungit magnus ille Africæ Leo) *ipſe vetus eſt homo. Ideo non eſt putredo, licet ſit vermis, & non homo.* Per hanc item hominis vocem (juxta ejuſdem Patris commentationem) quandoque Angeli ſignificantur. Sicut per hominem jam bina vice ſuperius repetitum, qui in ſolitudinem caprum dimiſit: in quo decor, & Angelica puritas intelligenda: Subjungunt cum S. Auguſtino Origenes, & S. Dionyſius, indicari, quantùm homines mente ſua operari & quantum ſub ſpecie materiali res ſublimes, & ſupremas adducere valeant; & unde tantò expeditius intelligere, & meditari ſacramenta & myſteria divina poſſint. Piiſſimus ille, ſimul & humaniſſimus Joſeph ab Arimathea, cui tam feliciter ſorte datum eſt, tractare manibus, & de cruce pretioſiſſimum corpus Salvatoris noſtri deponere, juxta S. Mediolanenſem Archi Epiſcopum Ambroſium, per granum ſinapis figuratur: *Quod minimum eſt omnibus oleribus, ſed creſcit, ut fiat arbor.*

Ion. c. 3. — *Gen. c. 6.* — *Epiſt. 120.* — *Pſalm. 21.* — *Orig. in Levit. hom. 9. Dion. de Cæleſt. Hier. Cap. 5.* — *Serm. 2.*

Ad illud quod S. Paulus ad Romanos, ad Epheſios, ad Coloſſenſes inquit: *Exuentes veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, qui ſecundum Deum creatus eſt*: S. Ambroſius adjungit, intelligi hic oportere rectitudinem fidei, & vitæ integritatem, quæ quotidie in populo fideli regenerationem ſuam nanciſcuntur. Atque hic eſt homo ille cæleſtis, fabricatus, & compoſitus ad ſimilitudinem Dei, qui non admittit commixtionem, aut corruptionem terreſtrem. Terrenus homo econtra de ſeminali materia compoſitus, Terra dicitur, & lutum. Ejuſdem ſententiæ Philo eſt: Et concordat Paulus Apoſtolus: *Primus*, inquit, *homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis.* Subjungit S. Auguſtinus, loquens de reſurrectione hominis: *Tunc jam non terrenus, ſed cæleſtis homo erit: non quia corpus, quod de terra factum eſt, non ipſum erit, ſed quia dono cœleſti jam tale erit, ut & cœlo incolendo non amiſſâ naturâ, ſed mutata qualitate conveniat.*

6. 2. 3. — *In Ep. ad Rom. 6.* — *1. Allegor.* — *1. Cor. 15.* — *3. De Civit. Dei.*

Per quatuor facies hominis, citatas àb Ezechiele propheta, quæ ſimul etiam ſimilitudinem quatuor animalium habebant, tam terreſtrium quàm volatilium, jam cuique notum eſt quatuor Evangeliſtas repræſentari. S. Auguſtinus & S. Hieronymus ſentiunt; ex loco illo Ezechielis Exordium Evangelii, quod de humana Chriſti generatione tractat, initium ſuum ſumſiſſe. Eſt autem potiſſimum Evangelium Marci, qui

Aug. 13. De Civ. Dei. Hier. Prolog. in Matth. & Ezech.

qui veraciter hoc punctum tangit, Chriſtum Hominem introducendo. In ſuperiori loco Ezechielis ſæpius repetitum eſt: *A dextris ipſorum quatuor:* in dextris enim Patris ſedet humanitas Redemptoris noſtri. [*In Matt. hom. 35. Luc 22. Marc. 14.*] Origenes in homine illo Evangelico, quem Salvator noſter Apoſtolis occurſurum inquit, portando amphoram aquæ, ad indicandam domum illam beatam, in qua ſacra cœna inſtituenda erat, ſicut in S. Luca & Marco memoratur, Moyſen poſſe inquit intelligi, magnum illum Chroniſtam Dei, cum tabulas legis portaret. Superior ille aquæ bajulus non nominatur (ait S. Hilarius) [*Hom. 1. in Matt. 20.*] quia nondum Chriſtianorum nomen innotuerat. Revertitur Origenes ad interpretandum hominem veterem, & novum: in vetere diffidentiam, & infidelitatem, & perverſas actiones intelligendo. Sub eodem nomine vetuſtatis iidem authores carnem peccati, & carnem vitiorum intelligunt. Sic homo vetus, homo carnalis, vel pars ſenſitiva, vel animalis dicitur. Porrò & *homines multiplicati ſuper terram*, de quibus ſupra meminimus (juxta eoſdem) carnales ſunt. Hi filios, hoc eſt carnales concupiſcentias, generant.

Supra comminationem illam, quam in ſacra Geneſi Altiſſimus homini intentat: [*Cap. 6.*] *Delebo hominem, quem creavi, à facie terræ:* ſapienter Arnoldus inquit: [*In Pſal 40.*] *Hominem carnalem delet Deus, ut faciat eum ſpiritualem.* [*In Soph. In Pſal. 3.*] Sic ſancti Hieronymus, & Auguſtinus quod in libro Exodi de Ægyptiis dicitur, de hominibus *mundanis, & carnalibus* intelligunt: eandem ſignificationem Amorrhæi habent. Ad id quod Pſaltes Regius inquit: [*Pſalm. 40.*] *Etenim homo Pacis meæ, in quo ſperavi &c.* Item alibi: *Tu verò homo unanimis, Dux meus, & notus meus:* [*S. Ambr. de Contin.*] Sancti Ambroſius & Gregorius inquiunt, hunc *hominem* de parte ſenſitiva, & carnali intelligendum, quæ ad motum animi, & ipſa movetur, tanquam rebellis ſpiritui, eum ſupplantare tentans, & id quod intellectuale eſt, ſupprimere. Item id, quod apud Sophoniam Deus inquit: [*Soph. 1.*] *Diſperdam homines à facie terræ*, Richardus de S. Victore de ſapientia terrena ſumendum eſſe inquit: pari modo per id, quod in libro Job legitur: [*Iob. c. 5.*] *Homo naſcitur ad laborem, & avis advolatum:* Carnalium hominum labores intelligit, qui non ſecus ac rapaces volucres, carnem & membra ſua dilacerant, & conſumunt.

Porrò in Parabola Matthæi, ubi Rex Convivium intrans: [*Matt. c. 22.*] *vidit hominem non habentem veſtem nuptialem*, idem Author ſubjungit, in hoc homine peccatore, reliquos omnes comprehendi. Item illic, ubi Paulus ad Corinthios inquit: [*1. Cor. 3.*] *Secundum hominem ambulare:* ad mores depravatos anteactæ vitæ referendum cenſet. In his, inquit Job, putredo & corruptio locum invenit: [*Iob. c. 13.*] *Qui quaſi putredo conſumendus ſum:* Hi ſunt quibus ipſe Chriſtus in opprobrium, & nauſeam factus eſt, prout pſalmiſta inquit: [*Pſ. 30.*] *Factus ſum opprobrium vicinis meis.* [*Pſal. 81.*] Proinde quod Pſalmiſta inquit: *Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de Principibus cadetis:* [*Arnoldus in hunc Pſalmum.*] Arnoldus commentatur: hoc de fragilibus intelligendum, qui in peccatum labuntur. Supra literalem Pſalmiſtæ ſenſum, ubi ait: *Omnis homo mendax:* [*In Pſ. 115. Ad Galat. 3.*] Sancti Baſilius, & Hieronymus ajunt: *Dicitur omnis homo mendax ſecundum conditionem naturalem, quâ non attingit ad ea, quæ ſunt fidei.*

Cum S. Paulus ad Galatas, ſe *loqui ut hominem* aſſerit, juxta mentem eorundem authorum, ſe de rebus ſimplicibus, & rudioribus loqui declarat, non ſecus ac matrem aliquam, quæ infantibus lac, non ſolidum cibum miniſtrat. Quandoque per vocem ſolam *hominis*, in divinis myſteriis, univerſitas hominum comprehenditur (prout doctè Origenes) præcipuè illic ubi ad ſacrificia vocantur, ſicut in Leuitico, & Exodo. [*In Levit. hom. 1. & in Ioan. hom. 6. & in Matt. hom. 16.*] Idem Origenes in parabola, quam Redemptor noſter de homine adducit, qui deſcendendo ab Jeruſalem in Jericho, incidit in latrones: hoc de Protoparente noſtro Adamo intelligit, qui miſerè in peccati culpam lapſus, ab homicida ſerpente & Dracone illo ſuperhumano, & foras profligato deceptus, utique in Jericho deſcendit plagatus, dum in reatum delicti ſemetipſum præcipitavit, ſecum omnem poſteritatem generis in idem exterminium trahendo. Supra paſſum illum prophetæ Regii: *Frater non redimit, redimet homo:* [*Pſal. 48. in loc. cit.*] acute admodum S. Baſilius commentatur: *Ineptus ad redimendum eſt purus homo, qui totus eget redemptione.* Ubi liber Levitici inquit: *Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando Pontifex ſanctuarium ingreditur:* [*In Iſ. 31. in Ierem. 17.*] S. Hieronymus adjungit: *Quia cùm ibi poſſunt eſſe, jam non ſunt homines, hoc eſt mortales, ſed facti ſunt dii.*

[*Iſ. 31.*] Propheta Iſaias quoſdam homines, deſcribit qui in Ægyptum deſcenſuri ſint, atque illic opem poſtulaturi ab iis, qui equos inſident. Notetur hic (inquit citatus Author) quod homines vocentur non Deus, ad demonſtrandum, quod in hominibus auxilium fragile ſit, & nullius pretii, ſicut equo currenti neceſſe non eſt, ut ei crura ab homine miniſtrentur. Cum apud Jeremiam dicitur: *Maledictus homo, qui confidit in homine*, [*Ierem. 17. ver. 5.*] ſupra citatus Author exponit, hic ſecundum puram literam ſermonem fieri, & de homine ſimpliciter, quod dicitur, intelligendum. Per homines illos, quos procax, & petulans Putipharis Conjux ad ſe vocaſſe legitur, [*Gen. 39.*] ut videlicet pudicitiam ipſam in continentiſſimo viro Joſeph impudicitiæ accuſarent (ſicut in ſacra Geneſi habetur) S. Hilarius homines Synagogæ intelligi poſſe docet, [*In Matt. can. 12. & in Pſ. 54.*] qui ſine ceſſatione Innocentiam Chriſti inculpabant, tanquam hoſtes infenſiſſimi Eccleſiæ. Supra illud Matthæi: [*Matth. 18.*] *Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala, væ autem homini illi, per quem ſcandalum venit:* idem Author inquit, Judaicam gentem intelligendam, quippe quæ Chriſtum negavit, alioſque inſuper ad conſimilem perfidiam & ſcandalum ſollicitavit: Omnium gentium nequiſſima, & ſceleratiſſima.

Rurſum per *hominem unanimem*, jam ſupra relatum [*In Luc. 4.*] S. Ambroſius commentatur, deſignari Judæos viventes ſub lege, quam ſanctè Chriſtus, & quam ex omni parte adimplevit. Homo item ille habens ſpiritum immundum (ſecundum venerabilem Bedam) [*In Exod. 19.*] in figura populum Iſraëliticum præſefert: qui ſpiritus ab eo exiens, in eundem poſtliminio reverſus eſt: ita ut *noviſſima hominis illius facta ſint pejora prioribus* [*Luc. 11.*] (prout S. Lucas inquit) Denotantur autem per hoc crimina, & prævaricationes populi hujus, poſtquam legem jam accepiſſet, tantiſque donis & privilegiis jam præventus & ditatus fuerat.

Prudentiſſima ponderatio eſt, quam Origenes ſupra *hominem unanimem* format, [*In Matth. hom. 22.*] per quem ſcandalum naſcitur: dicit autem alium non eſſe, quàm hominem maleficum hæretica pravitate infectum. Poterit hic per fraudulentam fictionem (proſequitur Origenes) ſe quoque unanimem

appellare, fingens & ſimulans ſe divinorum præceptorum obſervatorem: Idem dici poterit de leproſo, de quo liber Levitici ſat amplè tractat. [*Levit. c. 14.*] Ejuſdem gradus, vel æſtimationis, habendus eſt homo ille inimicus, qui in Matthæo, ſemini bono & florenti ſuperſeminavit zizania. Per hominem propinquum, inimicum Proſapiæ ſuæ, [*Deuter. c. 25.*] qui defuncti fratris ſui ſemen ſuſcitare dedignatur (prout ſacrum Deuteronomium refert) loquela hæretica (inquit præfatus Author) intelligenda eſt; quamvis enim hæreticus applicationibus malevolis de utero ſcripturæ natus eſſe dici poſſit, nec progeniem nihilominus, nec ſemen Deo producit.

Aſpera, & ſevera eſt Imprecatio, quam Regius Pſalmiſta contra rebelles effundit, [*Pſal. 19.*] dum ait: *Exurge Domine, non confortetur homo:* de quo magnus Eccleſiæ Præſul Chryſoſtomus inquit, intelligi hoc de nefando Præcurſore Anti-Chriſti poſſe. Symbolum item maximè adæquatum, & vicinum homo unanimis eſt Judæ, qui de cœna Domini participavit, commenſalis factus, & deinceps incredulus, ac rebellis: qui cum divinis epulis, & carne ſanctiſſima agni immaculati paſtus eſſet, eundem redemptorem ſuum cum feſtinatione prodidit. Hic verè adimpleta ſcriptura eſt, quæ ait: *Magnificavit ſuper me ſupplantationem.* [*Hil. in Pſ. 54. Aug. in Pſ. 46. Arn. in Cant. 2. Greg. Ven. Dom. 3. Cap. 5.*] Sic ſentiunt Hilarius, Auguſtinus, & Arnoldus. Rurſum novam conſiderationem orditur Gregorius Venetus ſupra textum illum Leviticum de homine præparato ad portandum caprum in deſertum: allegans, conſiderari hic Pilatum poſſe, qui dimiſit Barrabam, hominem latronem, & Jeſum crucifigendum tradidit Judæis.

In homine illo habente manum aridam (de quo Lucas meminit) [*Luc. 6. In Iſa. hom. 6.*] intelligi poterit (Juxta Origenem) otioſorum ſocordia, qui ab omni operatione bonorum elongati, à Chriſto nihilominus reſtituuntur, & ſanantur: ita ut genuinam ſemitam rurſum incedant, & melioribus actionibus impendantur. Novas inſuper cogitationes nobis idem Origenes, [*In Levit. hom. 1.*] de homine illo Evangelico, ſuperſeminante zizania ſuggerit, & in eo dæmonem intelligit, qui ſemper inimicus vocatur, ſicut eum Pſalmiſta appellat. [*Pſ. 44. Pſ. 55. Ezech. c. 28.*]

In gravibus minis quas per os Ezechielis Principi Tyri intentat Deus, dicendo: *Deus ego ſum: coram interficientibus te; Cùm ſis homo, & non Deus: in manu occidentium te:* [*In Pſ. 42.*] Arnoldus admonet; id ſignificare, quamvis fortitudinem, & robur humanum, contra minimum Dei nutum nil poſſe; ne dæmonem quidem in hominibus prævalere, niſi tantum, quantum ei per divinam diſpenſationem permiſſum fuerit: Confirmat hunc ſenſum eximium S. Ambroſius, [*De Inſtit. Virg.*] ubi ait: *Unus homo ſit è duobus, quando deſtruitur corpus peccati, & homo exterior ſubiicitur interiori.*

Poſtquam autem vocem *hominis* jam abundè in ſignificationibus ſuis diſcuſſimus, reliquum eſt, ut quid SS. Patres de altero illo nempe *viro* intelligant (ut pote quod hoc nomen magis proprium homini ſit, maſculam virtutem ejus exprimens) paucis expediam. (Cum autem conſiderato ſonitu totum hoc nomen *vir* Latinis debeatur, eas ſignificationes delibare, & apponere ſtatutum eſt, quæ facilem intellectum etiam in vulgata noſtra habeant, quamvis lectori unius & alterius par futura ſit claritas. Imò dicendum, tam unius quàm alterius nominis eandem copiam in ſcripturis ſacris occurrere: quippe quibus utriſque ſacræ paginæ refertæ ſunt. Sed ne univerſam dictionem meam ad latinum transferam (cum propoſiti ſit in Italica hæc exarare) nimiam prolixitatem evitaturus ſum, quæ me de idiomate patrio nimium diſtraheret.)

[*Nota: quod quæ hic parentheſi includuntur, latine ſcribenti, vel legenti ſupervacanea ſint, quæ tamen Translator, præterire vel omittere non debuit.*]

S. Clemens Alexandrinus inprimis, & cum eo [*Pædag. 5.*] S. Chryſoſtomus ſentiunt, per hoc Nomen *vir* intelligi quandoque Deum, in omni virtute ſummè perfectum: Juſtiſſimum in præliando, & oppugnandis hoſtibus, unde de eo dicitur potiſſimùm in Exodo: [*Cap. 15.*] *Dominus quaſi vir pugnator, Pharaonem & exercitum ejus projecit in mare.* Ejuſdem ſenſus hoc nomen occurrit in Epiſtola Pauli ad Corinthios, & ad Epheſios, in Iſaia, & [*Iſ. 4. 3. 54.*] Jeremia. Rupertus Abbas non diſſimilis ſententiæ eſt, referens nomen *viri* ad Deum Patrem. [*Adhort. ad Gentes.*] Paulò aliter Clemens Alexandrinus, ubi ait: *Vir quoque Chriſtus dicitur, ut: Joſeph erat vir in cunctis proſpere agens.* [*Geneſ 39.*]

Subjungunt Arnoldus, & S. Hilarius eundem [*In Pſal. 104. De Trinit. 5. Geneſ. 32.*] ſalvatorem ſub nomine viri illius figuratum, qui cum Jacob Patriarcha luctatus legitur: Item ſub [*Geneſ. 49. ver. 5.*] homine illo Ægyptio memorato in Exodo: Item ſub occiſo à Simeone & Levi, hoc eſt populo Judaico, [*In Exod, hom. 10.*] præcipuè ſacerdotibus, & ſcribis, ſicut liber Geneſeos recenſet. Hic vir ſe Maritum dedit duabus fæminis (ſubjungit Origenes) quarum altera ſterilis, altera fœcunda fuit, Synagogæ nimirum & Eccleſiæ. Hic eſt ille Judæus, cujus Zacharias meminit, innixus baculo, ob ſignum ſenectutis, cum ſit *antiquus dierum.* [*In Iſ. hom. 3.*] Dici præterea cum Ambroſio poteſt, Jeſum divitem illum eſſe qui pauperculo ovem abſtulit tum cum redemptionis noſtræ opus peregit, liberando nos à ſathana inimico noſtro, de quo plura in libro ſecundo Regum. Poterit item (juxta mentem S. Hieronymi) [*Hier. in Ierem. 11.*] per hominem illum intelligi, hominem inquam dolorum, (de quo Iſaias meminit) [*Iſa c. 53.*] ob atrociſſimos paſſionis ſuæ dolores. Subjungit idem ſanctus, in Chriſto [*De Salom. 5. & 50.*] verificari verba Iſaiæ, allegata à ſene illo venerabili Simeone: [*Luc. c. 2. Iſa. c. 8. v. 14.*] *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum:* quod de iis interpretandum, qui in legem Domini prævaricati ſunt. Atque hic eſt (infert idem) in quem hæretici quoque dimicando offendunt. [*Ad Rom. c. 12.*] S. Gregorius Papa, conſiderando locum Ezechielis, ubi ſe hominem [*Ezech. c. 9.*] vidiſſe inquit veſtitum lineis, cui atramentarium ſcriptoris ad renes erat, exponit, ſic Deum apparuiſſe, tanquam Judicem, & dominum ſupremum, ut omnium hominum opera notaret: quæ viſiones item in Daniele & Zacharia replicantur. Item illud Jeremiæ: *Fæmina circumdabit virum*, [*Ierem. 31.*] (pro mente ejuſdem Authoris) de viro Chriſto intelligendum eſt. Sic ubi dicitur in Eccleſiaſte: *Vir pauper & ſapiens &c.* [*Eccle. c. 9. v. 15.*] in Job: *Vir erat de terra Hus &c.* [*Iob. c. 1.*] Et in primo Regum *vir Elcana:* in Iſaia: [*Iſai. c. 4.*] *Apprehendent ſeptem mulieres virum unum.* [*Pſ 79. v. 18.*] In Pſalmo: *Vir dextræ Dei:* In proverbiis: *Vir mulieris fortis*, [*Prov. 31.*] & in aliis locis copioſiſſimis à Cyrillo, [*Hom. 9. in Gen. 32. in Exod. 21. In Prov. 31.*] & Beda, Redemptor, & Creator noſter figuratur.

Venerabilis Beda, per hominem illum de domo Levi, cujus mentio fit in Exodo, [*Exod. 2.*] aſſerit ſpiritum ſanctum poſſe intelligi, aut verò ſacerdotes Judaiſmi, imò & Chriſtum Dominum, cujus uxor Eccleſia eſt. Concordat in hoc ſenſu S. Hieronymus. Origenes in homine à Civitate Jeruſalem reprobato, [*In Ezech. 16. In Ioel. 1.*] tanquam inutili, & rejectamento vili (ſicut in Ezechiele, & Oſee Prophetis habetur)

[Ezech. 16. Oſee. c. 2. In Matt. hom. 22.] habetur) verbum divinum intelligit, quod ab anima peccatrice rejicitur. Addit S. Ambroſius: Quod ab hoc verbo omnes recedant, qui divina præcepta prævaricantur: adducens illud Coronati Pſalmiſtæ: [Pſ. 118.] *Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei*: & alibi: [Pſ. 118.] *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.*

[Proverb. c. 7.] S. Auguſtinus, ubi in Proverbiis dicitur: *Non eſt vir in domo ſua*: in hoc viro abſente legem intelligit, quæ ab iis longè eſt, qui eam vilipendunt, & contemnunt. Commentatur idem Auguſtinus, locum jam memoratum: *Apprehendent ſeptem mulieres virum unum*: in quo viro libros Moſeos inquit poſſe intelligi. Hæc eadem lex appellari poteſt homo pubertatis Synagogæ, ſicut [Ioel. 1. v. 8.] in Joële legitur. Venerabilis Beda locum Levitici, ubi homo proponitur de gente Iſraëlitica, habens rixam, & diſcordiam cum filio hominis [Levit. 24.] Ægyptiaci, diligentius ruminando, ſenſum legis ſpiritualem & medullam intelligit, cum cortice & ſenſu carnali, literali, & perverſo, quem Judæi & Hæretici uſurpant, diſceptantem. Item in homine illo, qui continentem Joſeph invenit errantem in agro (ſicut in libro Geneſis refertur) [Gen 37. In Gen. 37.] per Prophetiam Chriſtum figurari, qui innocenti errabundo, operam, & miniſterium ſuum exhibuit.

[Philo de Opificio Mundi. Et 2. Allegor. Et de ſpec. leg. Hil. in Matt. 10. Greg. Nyſſ. de vita Moyſis.] Porrò Hebræus Philo cum fœcunda expoſitione hoc nomen *vir* conſiderat, & inquit, per hoc ſanam mentem, ejuſdemque ratiocinationem, & diſcurſum prudentem, tum & vigorem, ſicut & liberum arbitrium, quod hominem integrum ſibi vendicat, intelligi poſſe. Sancti Hilarius & Gregorius Nyſſænus, diſcutiendo verba, quæ ab Altiſſimo, ſerpenti inferuntur, quod nimirum calcaneo mulieris inſidiaturus ſit (prout in Geneſi legitur) ſic ajunt: [Gen. c. 2.] *Virum autem, hoc eſt mentem, non aggreditur ſerpens, ſed fœminam, hoc eſt ſenſualitatem.* [In Gen. 3. De 12 Patriar.] Iidem Authores trahendo metaphoram à campis, eò quod Maritus in Exodo appellatur: *vir mulieris*, inquiunt: In perſona Mariti rectam rationem, aut verò integritatem diſcurſûs, quo ſemina virtutum in animam tanquam in agrum uberem, vel fertilem jaciuntur, interpretari poſſe. Venerabilis Beda, & Richardus de S. Victore inquiunt, Maritum Samaritanæ, qui *vir* nominatur, ſpiritum rationalem dici poſſe, [Ioan. 4.] qui apud illam vir non erat, eo quod obedientiam nullam habebat, imo verò ab adultero regebatur, nempe dæmonio, qui vir non eſt, quin potius mœchus. Quinque autem viri, quos habuiſſe dicitur, quinque ſenſus corporis erant, quibus illa, nondum ratione utens, obtemperabat. [4. In Ioan.] Econtrario Rupertus Abbas inquit: Homo bene diſciplinatus, & morigerus, prout decet, rationem ſuam adoperans, verè dici *vir* poteſt. [27. Moral. 22.] S. Gregorius Papa, explicans librum Exodi, ubi ſæpius nomen vir memoratur, ſic ait: *Viri aliquando vocantur Angeli.* [Daniel. c. 10. Iob. cap. 36.] Sic in Daniele apparet Lino veſtitus, pariter in libro Job.

In pluribus locis ſacræ Geneſeos, præcipuè illis ubi de Joſeph viro caſtiſſimo tractatur, *vir* titulis ſequentibus honoratur: [Gen. c. 41.] *Provideat Rex virum ſapientem, & induſtrium*: quod de eodem Joſeph intelligendum, [In Exod. hom. 10. Et in 1. Reg. 1.] qui tam prudens tritici diſpenſator fuit, ubi maxima alimentorum caritas erat. Hunc locum Origenes de Apoſtolis interpretatur, de prædicatoribus, & Prælatis, qui ſpirituales frumenti diſpenſatores ſunt. [Num. c. 13.] Hunc eundem ſenſum habent exploratores duodecim, quos Moyſes ad explorandam terram ablegavit, ſicut in libro Numerorum habetur.

Qui igitur ad hoc opus ſe accinxerunt (commentatur S. Hieronymus) figurant Prædicatores perfectos, æqualiter in utroque charitatis præcepto robuſtos. Tres item viri fortiſſimi, [2. Reg. c. 23. S. Hier. in Zach. 8. & in Iſa. 57.] quorum liber ſecundus Regum meminit, juxta eundem Authorem, perfectos contemplativos repræſentant, fortes in cuſtodia cogitationum, verborum, & operum. *Vir ſecundum cor Dei*, de quo liber primus Regum, & Zacharias mentionem habent, juxta S. Gregorium eleganter interpretatur homo ardentiſſimæ charitatis: *Homo autem vel vir Dei*, Collegium Apoſtolicum eſt: prout idem Author ait eſt. *Sagittarius*, cujus Job [Iob. 41. Iſai. c. 55.] meminit, Prædicator eſt. Viri item miſericordiæ, de quibus Iſaias, iidem Apoſtoli ſunt. *Demum* (concludit hic Sanctus) *qui ad virilem ſenſum pertinent, Evangelicam implent perfectionem.*

[In 1. Reg. 1. 9. 11. 1. Reg. c. 4.] Præterea idem S. Gregorius ſolidas non minus ac devotas & curioſas conſiderationes format, dum inter alia hominem illum contemplatur, qui fugitivus de prælio, & caſtris, annunciavit arcæ Dei captivitatem (prout liber primus Regum recenſet) in eoque prædicatorem fugitivum de Judaiſmo, & converſum ad Chriſti fidem figuratum inquit: inter quos Paulus erat. Per hominem ſolum, de quo in libro primo Regum narratur: [1. Reg. 1.] *Fuit vir unus*: illi figurantur, qui relicto ſæculo, monachalem, vel clauſtralem vitam amplectuntur: ſignificat item fortitudinem ipſam, juxta commentarium Origenis. Subjungit inſuper S. Hieronymus, cum dicitur: *Vir unus* (ſicut in præfato primo Regum) intelligendum id de unione, & charitate fraterna, qua ſe invicem fideles counire debent: hinc tales appellantur fortes, conſtantes, & perfecti, non varii, & mutabiles, ut Luna. Atque hæc abſoluta illa perfectio eſt, de qua in libris Regum ſæpè, in Iſaia, Job, Zacharia, ad Corinthios, & Epheſios fit mentio. Per virum patientem ſeminis fluxionem in libro Levitici, exprimitur, juxta Heſychium, [Levit. c. 15.] Prædicator, qui non alio, quam vanæ gloriæ intuitu, verbum Dei diſſeminat.

S. Cyrillus Author eſt, quotieſcunque Iſraëlitæ ſoli, nullâ aliâ natione adjunctâ, fortes appellantur, eruditos in ſcriptura ſacra intelligendos; quorum præcipuè mentio fit in libro Numerorum: ſicut & illi, qui corde magnanimo præliati ſunt, ſicut pariter in eodem libro narratur. [Iob. c. 31. & 38.] In libro Job itidem illi memorantur, qui ad acquiſitionem virtutis, & expugnationem vitiorum ſe impendunt.

Per homines illos de tribu Juda, ſociatos Regi David ad reducendam arcam, Origenes rurſum Chriſtianos ſub imperio Chriſti degentes, intelligit. De his narratio eſt in Jeremia, in ſecundo Regum: eundem ſenſum aſſequitur gloſſa interlinealis. [In 1. Cath. 13.] Ii, qui in libro primo Regum, dicuntur percuſſi, non mortui, inquit S. Hieronymus, pœnitentes ſunt, qui dolorem, ſed non perfectum, nec ſufficientem habent. [Eccl. c. 6. S. Hier. in Eccle. l. c.] De eo, quod Eccleſiaſtes inquit: *Vir, cui dedit Deus divitias*: præfatus Hieronymus commentatur, hoc de populo Judaico accipiendum, qui divitias legis poſſidens, earum uſum fructum, propter prævaricationes habere non potuit. S. Rupertus Abbas per viros Anathot, qui Innocentem Jeremiam ad [Ierem. 11.] interitum quærebant, perfidos Judæos inquit figuratos,

figuratos, qui Chriſtum perſecuti ſunt, præſertim ſacerdotes, & ſcribæ: idem figurant viri de Tabernaculo Job.

[1. Reg. 2.] Supra ſponſionem illam, qua Creator Deus in libro primo Regum ſpoponderat Heli, quod non auferretur *de domo illius, qui miniſtraret in conſpectu Domini*: [In Abdiam.] S. Gregorius Papa exponit, hinc deduci cognitionem poſſe, quidquid impii in contrarium ſuggeſſerint, & prædicaverint, inde nihilominus bonum aliquod evenire poſſe. [1. Reg. 14. & 15.] Idem Sanctus vult, in comminatione illa, quâ Deus Philiſthæis interminatur, non evaſurum ex iis, qui non in ore gladii caſurus ſit (ſicut liber primus Regum recenſet) peccata capitalia intelligi in his poſſe docet, quæ de primo, ad ultimum uſque exterminanda, & delenda ſunt. In hiſtoria duorum illorum, qui de terra promiſſionis palmitem cum uva, in vecte ſupra humeros portarunt, [Num. 13. In Ioann. In Matth. Can. 12.] juxta S. Auguſtinum, latrones duo figurantur, cum Chriſto crucifixi: aut verò juxta S. Hilarium Populus Judaicus præcedens, & tergum ſuum Chriſto vertens, & populum Gentilem inſequentem, & faciem ſuam ad Redemptorem ſuum vertentem: Hinc S. Gaudentius ait: *Promiſſionis terra Chriſti cara fuit, cujus ubertate corda fidelium pingueſcunt.* Juxta eoſdem ſignificari item poterit duplicatus Amor Chriſti, hoc eſt amor Patris æterni, & amor hominum: aut verò duo teſtamenta in quibus Chriſtus, tanquam figura, & tanquam figuratus continetur.

[Ambr. de dign. ſacerdotali.] In viris Ninivitis, qui juxta S. Matthæum, inſurrecturi ſunt adverſum gentem Judaicam, poſſunt (ſicut S. Ambroſius exponit) ſignificari gentiles: [Iſai. c. 45.] eadem expoſitio eſt (prout S. Hilarius concludit) *virorum ſublimium de Sabaim* in Iſaia. [In Iſ. 19. 1. Timoth. 3.] Explicat S. Hieronymus dictum illud S. Pauli, ubi de Epiſcopo ait, eum *Unius uxoris virum* eſſe oportere: idque de una Eccleſia ſumendum inquit, quæ ad ſenſum catholicum, perverſum hæreticorum non admittit.

[In Ezech. l. c.] Vir militat, vel pugnat contra fratrem ſuum, ait S. Gregorius, cùm in una domo fideles ab infidelibus ſegregantur, & diſuniuntur. [Ezech. c. 39.] Idem locum Ezechielis exponit, & ait, quod viri ordinati ad perluſtrandam terram, Eccleſiaſtici ſint, qui regimini præponuntur, ſalutique animarum invigilant.

[1. Reg. c. 13.] Idem S. Gregorius conſiderationem ſe dignam format ſupra id, quod in libro tertio regum narratur. Homo Dei reprehendit Jeroboam, quem temerè in Prophetam emittentem brachium, Dominus eodem brachio areſacto caſtigavit, ſed rurſum ſanavit. Propheta autem menſa Regia & juxta vetitum Dei, ne in loco quidem illo cibari voluit: poſthæc deceptus ab alio Propheta, in edulio ſuo mortem invenit, occiſus à leone in via. Deſignat hoc factum eos (inquit S. Gregorius) qui de actionibus ſuis gloriantur, ſed deinceps miſere in peccatum præcipitantur.

[In Geneſ. 18. In Matt. c. 16.] Curioſa non minus eſt reflexio, quam venerabilis Beda de tribus viris, apparentibus Patriarchæ Abrahæ, format: Ubi ſacer textus inquit: *Tres vidit, & unum adoravit*: ait autem in *uno* deſignari adventum Redemptoris noſtri, ſociatum binis Angelis, hoc eſt Moyſe & Elia: quorum ille, qui legem annuntiat, jam venerat, alter venturus, & in fine ſæculorum Judicium annunciaturus erat. [In Gen. hom. 10.] Hoc quod in libro Regum dicitur: *ſi peccaverit vir in virum*, Origenes ſic interpretatur: *ſi peccaverit vir in alterum.* [In Levit. hom. 14.] Vir autem *alter*, de quo habetur in Epiſtola ad Romanos, [Ad Rom. c. 7. Exod. 2. verſ. 13. Levit. c. 24.] juxta ſententiam Eucherii, ſignificat Adulterum: poterit item appetitum ſenſualem, imo & dæmonem ipſum inſinuare. [Ambr. Fort. Spir.] Vir Ægyptius, qui hebræum percutit, ſicut habetur in Exodo, & Levitico, ſenſus literæ carnalis eſt, prout ſcribit S. Ambroſius.

[Ierem. c. 20. v. 15.] Accurata eſt ponderatio S. Hieronymi ſupra textum Jeremiæ Prophetæ: *Maledictus vir, qui annunciavit Patri meo dicens, natus eſt tibi puer maſculus*: [In Eccli. 12.] intelligit enim hic dæmonium, demonſtrans quempiam veritatis inimicum factum eſſe, & omni pacto allaborat hanc ipſam veritatem corrumpere, & obfuſcare, de cujus felici effectu hoſtis ſibimetipſi congratulatur, & applaudit. Idem Sanctus ſuper parabolam, quam Propheta Nathan Regi David propoſuit, introducens virum divitem, qui tollens oviculam pauperi, occidit inſuper paſtorem (ad arguendum Regis peccatum) id quod in libro regum recenſetur; hoc ipſum in Exemplum trahit Tyranni cujuſdam mundani, qui ſine ratione, inhumaniter contra innocentiam deſævit. [In Levit. hom. 14.] Sentit Origenes, hominem Ægyptium, inſultantem Iſraëlitæ (de quo jam alibi) hæreticos denotare gloriabundos, qui leges Chriſtianas convellere ſatagunt. S. item Gregorius inſinuat, per ſeptuaginta illos in Bethſaida percuſſos (de quibus [In 1. Reg. 2. 6.] Regum libro primo plura referuntur) nobiliores inter hæreticos intelligi poſſe, illos nimirum, qui vitio ſenſuum dediti non ſunt. In Pſalmis præterea, ubi Pſalmiſta inquit: *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*: [In Epiſt. ſi cuncta corp.] S. Hieronymus ſic exponit: *Viri ſanguinum ſunt hæretici, occidentes animas, & adulatoriè docentes.*

[Ioan. 4.] In Evangelium S. Joannis, ubi Chriſtus de Samaritanæ ſexto marito mentionem facit: *Et vir quem habes, non eſt tuus*: Arnoldus commentatur, illic fraudulentiam, & fallaciam hæreticorum rectè intelligi. Sic viri bellatores, adducti in Ezechiele hæretici ſunt, ſicut Hilarius meminit. [1. Pædag. 5.] Rurſum ſupra Davidicum Pſalmum: *Viri ſanguinum* &c. S. Clemens Alexandrinus doctam conſiderationem habet, dicens, his viris ſanguinis, ſceleratos, & iniquos intelligi, qui cuncta Judicia contaminant, & qui intuitu lucri, & amore argenti, pauperculorum ſanguinem exugunt, & eoſdem occidunt. Intelliguntur etiam ii, qui in ſceleribus & vitiis determinati, & conſummati ſunt. [In Pſ. 138.] Vir præterea ſanguinum (ſecundum expoſitionem præfati Authoris) is eſt, qui à carnalibus actionibus diſtolli nequit. Huic annectitur *vir linguoſus*, qui juxta ſanctum Auguſtinum impius, & ſceleratus eſt cum traditore Juda.

[7. Moral. 24. Pſ. 75. De Nabuc.] Obſervatu dignum eſt, inquit S. Gregorius, quod Pſalmiſta in myſterio ait: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis*: aſſerit autem cum S. Ambroſio, dici hoc de iis, qui à divitiis ſuis poſſidentur, & ſub jugo earum incurvantur, hinc ſomnum ſuum, non Chriſti dormire dicuntur. Id quod in Ezechiele narratur, de viris Samariæ, quos Civitates illorum rejecerunt, ob enormitatem peccatorum, quibus contaminati erant: qui quamvis iniqui eſſent, non poterant nihilominus, ut non turpitudinem ſuam odiſſent: de quo S. Hieronymus inquit, [In Ezech. 6.] quod perverſitas eorum in hoc loco denotetur, qui de errore in errorem quotidie

magis in profundum labuntur, ſicut Hæreticorum conſuetudo eſt. S. Gregorius de eodem Ezechiele factum quoddam recenſet, quod nimirum: *Sex viri veniebant de via portæ ſuperioris*: In his ſex viris ſex vitæ humanæ ætates intelligens.

22. Moral. 9.

In Cap. 9.

Iſidorus Clarus verba Oſeæ Prophetæ doctiſſimè exponit: *Sciet Iſraël ſtultum Prophetam, & virum ſpiritualem, propter multitudinem iniquitatis ſuæ*: his verbis utens: *Serò ſapient, & ſcient ſtultos eſſe Pſeudo-Prophetas, & lymphatico ſpiritu correptos, qui pacem ſibi promittebant*. Adjungit ad hæc S. Gregorius, eum veraciter inſanum appellandum, qui ſpiritu maligno invaditur, & poſſidetur. Porrò in electione illa, qua Rex Pharao totius Ægypti Proviſorem, & ſecundum in Regno ſuo, univerſæ annonæ diſpenſatorem Joſeph ſtatuit, ditendo: *Num invenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit?* Doctiſſimus Liranus hic Heroëm denominari inquit: qui videlicet omni adeo perfectione dotatus, nomen *viri* ſibi juſtiſſimo titulo vindicet. Hoc nomine viri appellatus, & intellectus fuit miles in ſacra Geneſi: ubi ſic ait: Vidit venientem Eſau, & cum eo quadringentos *viros*. Sic dictus fuit miniſter ille in eadem Geneſi: *Aſcenſis camelis ſecutæ ſunt virum*. Sic Cives appellati ſunt in primo Regum: *Dixerunt viri Bethſamitæ*. Sic alienigena, & peregrinus: *Vir Ægyptius liberavit nos*: In Exodo. Sed quicunque ex Lectoribus meis, plura deſiderat, quàm ſterilitas mea protulit, alibi cum eleganti proportione, & metaphoras, & ſimilitudines, figuras, anagogias, moralitates, expoſitiones, aut à ſemetipſo inquirat, aut ſibi ſubminiſtrari faciat, per copioſiſſimos fontes doctrinarum, quibus ſancti Patres, & doctiſſimi Expoſitores abundant: qui quotidie effluviis lucubrationum ſuarum, tanquam gemmis quibuſdam folia ſua & paginas ditant: ad quos ſtudioſum quemque remiſſum volo.

Gen. 41.
In Oſee. 9.
Gen. 33.
Gen. 24. v. 61.
1. Reg. 6.
Exod. c. 2.

EMBLEMATA.

Quàm elegans & neceſſaria ſit doctrina Emblematum

QUemadmodum doctrina Emblematum elevata, ſic & curioſa eſt, & elegans, ita ut optabile ſit, eam ſtudiosè ab omnibus coli: tam ut corporibus humanis, magnis, aut exiguis uti noverimus, ad ſimilitudines, noſtras formandas, quàm ut ſituationibus, figuris, inſtrumentis, imò & vira noſtra id quod in virtutis cultu decorum, & imitabile eſt, exprimatur: non minus è contrario ut vitii horror, & turpitudo palam fiat: in his enim emblematibus, entia rationis viſibilia redduntur, & quaſi palpabilia: conceptus item imaginationis noſtræ, ſub humanis apparentiis, ipſis adeò ſenſibus noſtris ſubjiciuntur.

Tuill. in Alc.

Quidam authumant Emblema idem eſſe cum ſymbolo, cum Adagio, ſententia, Ænygmate, & ſic cum vanitate omnia ſuſque deque confundunt. Dubium interim non eſt, inquit Commentator quidam doctus, quod in ſymbolo robur ſuum obtineat, differre nihilominus: ſicut homo, & Animal nec ænygma nec gryphus ſunt, quantumvis cum eo ſimilitudinem quandam nonnullibi habeant: Emblema ſiquidem magis apertum ex notis ſuis, magiſque intelligibile oportet eſſe, cum ænygma obſcurum in verbis ſit: hinc non rarò etiam ſolertiſſima, & acutiſſima ingenia fatigat: expreſſionem Emblematis magis patentem, & facilem eſſe neceſſe eſt.

Nec verò etiam adagium ænigmati æquiparandum, eſt enim res elevatior, & partus eruditior ſagacis Intellectus. Itaque Emblema compoſitum quoddam eſt, verbis, & rebus conſtans, ad cujus veram intelligentiam doctiſſimus Alciatus (qui in hoc genere cæteris ſine invidia palmam aufert, quippe qui ſublimior, & verſatior eſt) ſic ait: *Verba ſignificant, res ſignificantur: tametſi & res quandoque ſignificent, ut Hieroglyphica apud Horum, & Cheremonem: Cujus argumenti & nos carmine libellum compoſuimus, cui titulus eſt: Emblemata*. Emblema dicitur omne id, quod ornamenti gratia, non ſolum muris, & pavimentis, & laquearibus: ſed aliis rebus inſuper inſeritur, ut vaſis, poculis, aut ſtatuis aureis, argenteis, unionibus, gemmis, & horum ſimilibus. Sic enimverò antiquitus rotundis, aut quadratis ſaxis tales inſculpebantur imagines, & iiſdem virorum eximiorum palatia adornabantur: ſicut hodiedum adhuc ejuſdem formæ tabulæ pictæ excellenti manu fabrefiunt: Id quod inter Mahometanos quoque inolevit, qui certa quædam vaſa fictilia his figuris componunt, & condecorant.

De hoc antiquorum ornamento teſtimonium reddunt Pauſanias, Plutarchus, Philoſtratus, & alii. Unde præmemoratus Commentator ait, quod ipſa oratio *variis verborum, rerumque pigmentis, & lenociniis Rhetoricæ artis elaborata, Emblematis referta, & figurata, dici poſſit*. Jam nota ſunt Lucillii verba, mutuata de Marco Tullio: *Quàm lepidè Lexeis compoſitæ, ut teſſerulæ omnes arte pavimento, atque emblemate vermiculatæ.* Idem Cicero aſperè admodum Verrem adverſarium ſuum reprehendit, quod vi Emblemata abſtulerit, in vaſis ſculpta: exceſſum in hoc malitiæ ejus redarguens.

Horum ſtudioſiſſimus inter alios (juxta Suetonium) fuiſſe dicitur Tyberius Cæſar: unde in pleno Patrum Senatu tantum ſtudium hujus rei demonſtravit, ut verbum unicum de verſu quodam tolli juſſerit. M. Tullius, & cum eo Juris conſultus Tertullianus inquiunt, Emblema ornamentum exemptionis fuiſſe, cùm in vaſis aureis, vel argenteis poſitum eſſet: ita ut nec in auſſerendo eo, vel collocando ſumptus impenderetur, ſicut in reliquis ſigillis, aut ſimulacris florum, aut colorum fiebat. Sic tradunt Adrianus, Junius, Martialis, & Baiſius, & cum his Turnebus. *In ejus vita.*

In hoc genere apud majores noſtros copioſi erant Budeus, & Eraſmus. In eodem ſublimis eſt Manutius, qui Delphinum exhibuit anchoræ alligatum: indicans celeritatem conjunctam eſſe oportere maturitati. Inter modernos doctiſſimus, & encomio digniſſimus eſt Comes Emmanuel Theſaurus, in luc idiſſimo ſuo: *Canochiali Ariſtotelico*, qui inter alia, Emblema inquit: *Eſſe ſymbolum populare, compoſitum figuris & verbis ſignificantibus, per modum argumenti: documentum aliquod pertinens ad humanam vitam, ideoque expoſitum, ad ornamentum in quadris, in aulis, in omni apparatu, in Academiis, aut verò impreſſum in libris, cum imaginibus, expoſitionibus, ad publicam populi inſtructionem.* *Quid ſit Emblema.*

Per hoc Emblema, inquit idem Author, cuncta intelliguntur, quæ pro ornatu & decoro apponuntur alteri rei, ſicut vaſis auri, & argenti folia, & figuræ, veſtimentis autem acu picta, pavimentis

mentis quæ Moſaica arte conficiuntur, ſerta item, & ſculpturæ eminentes in veſtibulis, & portis: & ſimilia, quæ aliter nominabantur: *Ornamenta parerga, anaglypta, Chryſendeta, Dedalmata, Ornamenta exemptitia.*

Quicunque ergò glorioſum volumen illud evolvere ſtuduerit, facilè dignoſcet, quomodo & conveniant, & diſconveniant cum Emblematibus *Impreſæ*: deprehendet illic perfecta Emblematum exemplaria: Videbit eſſentiales partes eorum, quæ perfecta ſunt, nimirum thema, figuram, & inſcriptionem: Colliget illic differentias, quibus inter ſe diſparata ſunt, in genere demonſtrativo, deliberativo, & judiciali, ſicut in Oratione: Cognoſcet horum commixtionem cum reliquis ſymbolis argutis; quomodo finis cum eſſentia copulandus ſit.

In his verſatiſſimus, diffuſiſſimus, & ditiſſimus inter alios eſt Andreas Alciatus, qui ob hoc, & ob alias virtutes ſuas nominis ſui famam ultra Herculis columnas transportavit: Dedit enim Emblematum multitudinem in lucem, numero tercentum triginta ſeptem: quæ ſi hic recenſere ſolum cum inſcriptionibus ſuis voluerim, idem acturus ſim, quod qui mare ſternit lapidibus, aut frænare ventos Ulyſſis allaboraverit. Sufficit hic meminiſſe, ejus labores ad beneficium ſtudioſæ Juventutis ubivis locorum prælo datos, cum ampliſſimo Commentario Joannis Tiullii, ſat amplo volumine, omni genere doctrinarum, quæ in cogitationem humanam cadere poſſint compoſito, & exornato. Ego interim, Duce Aldrovando, viro doctiſſimo, eos Authores huc allaturus ſum, qui hominem in perfectione & integritate reſtringunt, & qui non uſque adeo vulgati ſunt, ut omnium manibus terantur. Adjungam his applicationes Authoris ejuſdem, in errorem palmarem me incurſurum exiſtimans, ſi de tam elaborata intelligentia viri hujus vel latum unguem diſcederem. Exordiar autem ab Infantia, & ad reliquas ætates deinceps progrediar.

Litigia de rebus nihili.

Itaque ut homines, & inter eos maximè prudentia dotatos à levitate, & ſcurrilitate puerili averteret, acutiſſimus Florentius Infantes depinxit, invicem rixantes propter nuces, & lapillos, aliaſque quiſquilias, adjungens Inſcriptionem: *Semper pueri*: Sicut & Tetraſtichon ſequens:

Rixantur pueri, ſi quis lapidesve nucesve
Auſſerat: & ſemper vilia quæque ſtupent.
Nos etiam pueri, qui donec vita ſuperſtes
Propter opes luteas digladiamur humi.

Negandum non eſt, quod mortalium genus pro rebus terreſtribus ſemper dimicet, quæ tamen non niſi in unico puncto conſiſtunt: prout Seneca inquit: *Punctum eſt, propter quod arma ſumitis, & belligeratis*. Non immeritò igitur *ſemper pueri* vocandi ſunt homines: de quibus Ulyſſes: *Similiter homines pro auro & argento magnum quoque bellum ſuſcipiunt: & tamen hæc quoque ſunt vilia, quia ſtatim fluunt, & dilabuntur.*

Mores Juventutis,

Apud Coſtalium puer nudus repræſentatur, tenens gladium evaginatum manu, in actu ferientis, cum inſcriptione: *Vix temerè ante tempus venit ſapientia*. Hinc periculum earum urbium & Rerumpublicarum inſinuatur, quarum regimini præſunt pueri: quod totum ſequenti carmine exponitur:

Deſine ſtulte puer dubiam tractare bipennem:
Anne audes molli tangere tela manu?
Quàm malè conſcripti tractant arcana ſenatus,
Qui nondum primas deſeruere nuces?

Verum enim eſt, quod Ariſtoteles ait: *Juvenis non poteſt eſſe ſapiens, quia prudentia requirit experientiam, quæ indiget tempore.* Et Plutarchus: *Juventus imperata faciat: ſenectus imperare debet.* *Ethic. 60. apud Stob.*

Tranſeamus de pueritia ad ætatem floridam Juventutis: ubi præmemoratus Florentius Juvenem alatum exhibet, qui de cœlo labitur: quem ego haud dubiè pro Icaro ſumpſerim, cum inſcriptione: *Altum ſapere periculoſum*: id quod cum illo Alciati convenit, qui hominem inducit, gerentem alam in brachio, in pede autem ſaxum. In quo is figuratur, qui temerè ea inveſtigare contendit, quæ & vires, & potentiam ſuam exuperant: *Scrutator majeſtatis opprimetur à gloria*: inquit Spiritus Sanctus. *Quandoquidem* (verba ſunt Commentatoris) *res illa non eſt inquirenda, quam ſcire non eſt datum, nec ſciſcitari permiſſum, nec ſcrutari religioſum.* Ubique jam decantantur verſus Horatiani: Impoſſibilia quærenda non eſſe.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus:
Ridetque, ſi mortalis ultra fas trepidet.

Mediocritas.

Hoc Emblema autem potiſſimum in fidei rebus locum ſuum invenire debet: cumque inextricabiles ſint divinæ providentiæ nodi, dixiſſe ſuffecerit: *Credo*. Hoc ipſum Alciatus aſſerit, illic ubi repudiata Aſtrologia, tanquam inutili, prædictis figuris ſubſcripſit: *Qui alta contemplantur, cadunt.*

Ut item noverimus quantum in omni re utilis, & plurimum opportuna ſit mediocritas, fingit prædictus Florentius Juvenem, qui videatur de arbore mediocriter elevata procidere, ſupponens hanc Epigraphen: *Medio tutiſſimus ibis*: quæ ſententia jam ſæpius antehac, & copioſius in ſymbolis memorata eſt, & expoſita. Habet autem hoc lemma, & hoc ſymbolicum corpus relationem cum eo, quod Achilles Bocchius Concivis meus propoſuit: hoc eſt funambulonem, cum inſcriptione: *Tenere medium ſemper eſt prudentiæ*, id quod jam ante relatum eſt. Admonemur autem in hoc, ut lento paſſu per fortunæ domos progrediamur, & vigilanter provideamus, quomodo arbor fortunæ, dum dona ſua largitur, ſcandenda ſit, ne dum faſtigium illius contigiſſe videamur, repentino caſu præcipitemur. *Lib. 3. Emblem.* Fortuna.

Ruſnerus & ipſe doctiſſimus, & ingenioſiſſimus ſcriptor, Juvenculum Narciſſum depinxit, ſpeculantem ſe in fonte, apponens judicioſiſſimum lemma, quod ad noſtri cognitionem nos impellit: *Noſce teipſum*. Cum ſimili alluſione Florentius Juvenem delineavit ſedentem, cui ad latus dextrum ſimulacrum virtutis erat, & ad ſiniſtrum voluptatis, adjungens ſententiam: *Lubricum Juventutis*. Prætendit autem demonſtrare per hoc Herculem, virum generoſiſſimum, qui blanditiis libidinis ſollicitatus, & è contra virtutis impulſu excitatus, hujus poſterioris iter tandem ingreſſus, ad ſupremum gloriæ culmen elevatus eſt, palmas meritorum decerpendo, quas ei copiosè tantorum laborum honorata exantlatio cumulavit. Studuit inſuper hoc ipſo Juventutem exhortari, ne per lubricum incontinentiæ, cum Theodota, vallem mundanarum delitiarum ingrediatur, in qua tribuli, & ſentes nunquam deficiunt: Sed ut potius cum Socrate feliciter acclivi virtutis innitatur, in quo fru- *Embl. 35.*

ctus æternæ retributionis conſequuntur, & nil niſi tramites lucis ſplendeſcunt.

Obviare donis fortunæ.

Denique ut noverimus, quemque fortunæ ſuæ fabrum eſſe poſſe, & quod cum omni virtute noſtra illuc niti oporteat, ut tantundem ab ea adipiſcamur, quantum exhibet: Juvenem depinxit, elevantem manus ad ea capienda, quæ de arbore fortunæ labebantur: animam huic ſymbolo inſpirans, ſequenti lemmate: *Nihil ignavis votis.* Nec enim omnes nos Themiſtocli ſimiles eſſe arbitremur, cui etiam dormienti fortuna Civitates & Provincias integras in rete portavit: aut verò Galbæ, de quo Suetonius, quod eo tempore, quo diadema imperiale ſumpſit, ſibi viſus fuiſſet, præcedenti nocte ſomniare, fortunam ſtetiſſe præ foribus ſuis, cui etiam prompta voluntate aperuerit. Prudentiſſimè nos Plutarchus docet, qua ratione optimè fortuna utamur, his verbis: *Quidam antevertunt fortunam, ipſamque occupant:* De reliquo, optimè Juvenalis:

Plutar. in ejus vita. — *Sueton. in ejus vita.* — *De tranquil.* — *Iuv. Satyr. 7.*

Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul.
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.

Intelligantur univerſa hæc cum ſobrietate debita.

Poterit item memoratum Emblema, cum majori adeo proprietate ad hoc referri, ut noverimus, manus noſtras elevandas eſſe, & ad ſummum Jovem (Deum, inquam, qui eſt vera ſors noſtra) preces noſtras erigendas. Ad quod Coronatus Cantor meus intendit, dum nonnullibi ait: *Omnes gentes plaudite manibus:* & alibi: *Extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Dominum.*

Homo ſimilis pomo.

Terminatâ figurâ Juventutis, nunc ad homines jam adultos progrediamur: ubi Aldrovandus inter primos aſſerit, vidiſſe ſe ſimilitudinem hominis, qui ſubtus arborem poma quædam colligebat, cum ſequenti Epigraphe: *Homo pomo ſimilis:* inveniſſe adjunctum tetraſtichon:

Cruda ut adhuc ramis alieno tempore poma
Nivellantur, humi putria lapſu jacent.
Præcipiti fato ſic aut rapiuntur acerba,
Aut effœta annis corpora noſtra cadunt.

Inter opera D. Anſelmi in Ep. ad Tim. c. 6.

Dixerim non immeritò hoc Emblema optimè à patientiſſimo Job intellectum fuiſſe, quando ajebat: *Dies mei pertranſierunt, tanquam naves poma portantes.* Verum ſiquidem eſt, quod ait S. Anſelmus, aut qualiſcunque ille ſit, qui ſub nomine hoc ſuper S. Paulum commentatus eſt: *Sicut poma habent ſuos vermes, ita divitiæ vermem ſuum habent.*

Amor meretricius.

Eruditus vir Coſtalius repræſentans ſtatum eorum periculoſiſſimum, qui meretriciis amoribus indulgent, in quantamque ruinam, tam corporis quàm animæ degenerent, hominem depinxit calamitoſiſſimum, quantumvis ſtaturæ eminentis eſſet, monſtrantem collum ſuum dipſade, hoc eſt ſerpente venenato cinctum, qui lethifero morſu ſuo patientem ſiti perimat. Idem ipſum Alciatus figuravit, demonſtrans hominem larvatum, qui piſcem Sargum prehendebat, hoc lemma ſubſcribens: *In amatores meretricum:* alludens ad aquatilis hujus proprietatem. De amoribus tam periculoſis (veſtigia eorundem diſſuadens) Ovidius, qui alioquin tot & tanta de iiſdem amoribus ſcripta poſteritati dedit, has admonitiones adjungit:

Ovid. de Amore.

Quale ſit id quod amas celeri circumſpice mente:
Et tua læſuro ſubtrahe colla jugo.

Ad figurandam crudelitatem, qua non raro homo contra hominem per modum belluæ feroceſcit, (Ita ut ſi *homo eſt homini Deus*, etiam *homo homini Carnifex, & Lupus dicendus ſit*) Doctiſſimus Camerarius Lupum piſcem exhibet, qui proprios filios devorat: juxta illud quod in communi proverbio fertur: piſcis major minorem conſumit: Significationem illuc adjunxit, his verbis: *Propriis non parcit alumnis.* Atque ita hominem huic aquatili comparat, concludens ſequenti carmine:

Homicida.

Lucius in proprium ut ſævit genus impleat alvum:
Sic ipſi ſeſe conficiunt homines.

In Oreſt.

Hinc verum Euripides dixit: *Crudelitas, & vindicta gentes, & Civitates perdidit ſemper.*

Honor debitus virtuti.

Ad demonſtrandum itidem, quod virtuti ſuus ſemper honos, & applauſus debeatur, Coſtalius hominem figuravit, aſpectu venerabilem, currui triumphali inſidentem, quem copioſus phaleratorum equorum numerus trahebat; intendens vir ille eximius, Ideam divini Platonis exponere, ſubſcribens lemma quod ſequitur: *Honor debitus viro docto.* Veriſſima enim eſt ſententia jam alibi ex Ariſtotele citatâ: *Virtuti perfectæ non fit condignus honos.* Pompejus Magnus victoriarum ſuarum inclytam famam obliviſcitur, dum famæ, quam à Poſidonio Philoſopho habebat, ſolùm intentus eſt. Vilipendit ſonitum tubarum triumphalium, tantum ut Philoſophi hujus conſortio fruatur, quocum etiam, depoſito omni faſtu, familiariter agit, qui tamen nec Principibus, nec Regibus cedere noverat.

Ethic. 4. — *Plinius.*

In ſumma olim veneratione erant Poëta Ennius apud Scipionem, Homerus apud Alexandrum, apud Dionyſium Plato, Iſocrates apud Græcos, Dio apud Trajanum, & apud Domitianum Statius, & horum ſimiles, quibus ſcriptorum paginæ refertæ ſunt, utpote in quibus eorum memoria celebratur: Etenim

Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum,

inquit Horatius.

Hæc virtus multis paſſibus Fortunam ſuperat: nec enim cæca hæc, & inſtabilis, ad latus virtuti collocanda eſt; hæc enim decora, firma, & conſtans eſt. Florentius vir ingenioſiſſimus figuram hominis togati repræſentat, qui reſtibus fortunam ligat, humi ſtratam: verba illa nervoſiſſima ſubſcribens: *Sapiens ſupra fortunam.* Idem confirmat magnus Orator Tullius: *Caput*, inquit, *ſapientis eſt liberum, & poteſtas eſt benè vivendi, ut velis. Fortuna virtutem ſequitur:* inquit Livius.

Cic. in Paradoxis. — *Liv. Dec. 1. lib. 3.*

Reuſnerus ſcriptor apprimè eruditus, ut demonſtraret, ex uno quidem latere humanam caducitatem, ex altero, quantum proſit ad vitæ æternæ lucrandam poſſeſſionem memoria mortis, Juvenem exhibuit, qui cervicalis loco calvaria utebatur, apponens hanc ſignificationem: *Vive memor Lethi:* cui diſtichum ſequens adjunctum erat, quod rem multò luculentius indicat:

Vive pius, moriêre pius, viveſque beatus
Poſt mortem: vita mors via ſancta novæ eſt.

Ad Cyprian.

Hinc S. Hieronymus ait: *Qui ſe quotidiè recordatur moriturum, contemnit præſentia, & ad futura feſtinat.* Non minus & illa Tullii ſententia mihi memoratu digna videtur, quippe qua meliorem ex ore ſacro non opinor prodire poſſe: *Ex hac*, inquit, *vita diſcedendum eſt, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo.*

De ſenectute. — *Embl. 16.*

Prædictus Reuſnerus præterea hominem fingit, ſedili ſuper puteum inſidentem, cujus capiti pendens

Peccatum & ejuſdem caſtigatio.

dens gladius imminet: circumquaque inſuper quinque gladii collocati ſunt, qui puncturis ſuis ferire minitantur, cum inſcriptione ſequenti: *Hominis peccantis ſymbolum.* Fortaſſis inſinuare volens, quod quotieſcunque peccaverit homo, toties manu gladium, ad ſemetipſum mortaliter lædendum, contrectet: prout ſæpius contingit. Ad quem ſenſum referri poteſt, quod Cythariſta Regius inquit: *Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur.* S. Chryſoſtomus, & ipſe peccatum vulneri comparat, dicendo: *Gravior eſt culpa poſt veniam: renovatum vulnus pejus dolet poſt curam.*

Pſalm. 36.

Flor. lib. 1. Embl. — *Tyrannorum infelicitas.*

Non multum diſſimilis eſt inventio Florentii; exhibet enim figuram tyranni, ejuſque infelicitatem, per hiſtoriam Demadis. Aſſidebat hic menſæ lautiſſimæ, invitatus à Dionyſio, ſed ſupra caput ei tenuiſſimo filo alligatus pendebat gladius, iſque evaginatus, cui declaratio ſubſequens annectebatur: *Miſerrima tyrannorum vita.* De hac infelicitate, ille apud Plutarchum declamabat: *Mirabor ſi tyrannum videro ſenem:* Et ſicut Phalereus vult: *Tyrannus metuit turbam, metuit ſolitudinem, metuit ſatellitis abſentiam, metuit ipſos etiam cuſtodes: nec armatos illos apud ſeſe, nec inermes videt libenter.* Habet ſemper, ſicut Oreſtes, quod dormire vetet: habet, in ſimilitudinem Tantali, menſam fugitivam, habet ſaxum Siſyphi, Ixionis rotam, vulturem Titii, qui ei viſcera corrodit.

Plutarchus de Conviv. ſapient.

Hoc ultimum in eodem ſenſu expreſſit Reuſnerus, pro Emblemate ſumens, & ſubſcribens: *O vita miſero longa!* Id quod evidentius manifeſtat, ſequenti Diſtycho:

Sic inconſumptum Titii, ſemperque renaſcens
Sæpius ut pereat, non perit omne Jecur.

Conſilii benè ponderati bona.

Porrò ad indicandam utilitatem, quæ ex cunctatione conſilii, benè ponderati provenit, præfatus Florentius hominem depingit, piſcantem in igne. Quod ſymbolum à Paradino quoque jam alibi citato uſurpatur, ſed hic loci cum ſignificatione diverſa; ait enim: *Moroſis cedendum.* Fortaſſis innuens, quod ſicut ignis inſufflandus non eſt, ne forte nimio ardore ſe conſumat; ſic nimium indigeſta velocitas, & maturatio operationis, non rarò negociorum ruina ſunt. Sic cunctatio Fabii Maximi plena conſilio, ea fuit, quæ animum, & robur nimium æſtuans vaferrimi viri Carthaginenſis fatigavit, & ſopivit: unde & Mantuanus in perſona Senatus ait:

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Interim nimis inconſulta Conſulis Marcelli celeritas, penè univerſam Rempublicam peſſumdederat.

Difficultas doctrinarum.

Coſtalius rurſum, ut demonſtret, quantùm veritas, & quantum præterea doctrinarum profunditas, difficulter inveniri poſſit, & exhauriri, hominem exhibet, qui neſcio quid in puteo piſcaturus videtur, apponens ſequentem declarationem: *Veritas in puteum demerſa.* Atque hoc eſt, quod Increata Sapientia, Redemptor noſter, interroganti Judici: *Quid eſt veritas?* reſpondere dedignata eſt, potius obmuteſcere viſa. Divina ſiquidem myſteria imperſcrutabilia ſunt: unde non immeritò replicari hic poterit, quod eidem Salvatori Samaritana dixit: *Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt.* Omnipotens Deus Sancto Patriarchæ Jacob puteum itidem revelavit, ſed continuò imperans, ut eundem ſaxo contegeret.

Secreta divina curioſè indaganda non eſſe.

Virtutem præterea, non minus elegantem, quàm ditiſſimam, Emblemata repræſentant, conjuncta ſimulacris, ſicut in præcedentibus jam patuit, & in ſequentibus ultrà demonſtrabitur. Primo itaque loco præmemoratus Florentius hominem repræſentat, qui arbori ramum inoculans, vel inſerens, hoc lemma adjungit: *Ars naturam juvat.* Pauper enim admodum in divitiis ſuis, & in abundantia ſua avara eſſet natura, niſi Ars operoſa accederet, & occultas ejuſdem virtutes, & plurimùm abſtruſas patefaceret. Producit illa in viſceribus montium ſuorum alpeſtrium, & incultorum, aurum, & metalla reliqua: quemadmodum item in reconditis undarum ſuarum abyſſis uniones ſuos efformat, ſic alexipharmaca ſua contra vim venenatam morborum in herbis ſuis, & ſimplicibus occultat: ita quidem, ut ſi Ars labore, lucubrationibus ſuis, & indefeſſo ſtudio has ejus perfectiones abditas, & quaſi in ſinu emortuas non aperiret, utique in deplorabili ſilentio omnium notitiam effugerent. Sic de ſemine illo univerſali, quo res omnes animantur, & informantur ſagaciſſima Muſa inquit:

Natura per artem elevata.

Lux obnubilata.

Col Foco, onde ſotterra al tutto giova
Natura, Arte lavora,
Che imitar la Natura Arte ſol deue;
Foco che vaporoſo, e non è lieve,
Che nutre, e non divora,
Che naturale: e l'Artificio il troua
Arido, & fa che piova
Humido, e ogn' or diſſecca, Acqua che ſtagna,
Acqua, che lava i corpi, e man non bagna.

Ars multa complet, quæ natura efficere non poteſt, inquit divinus Ariſtoteles.

Phyſic. 1.

Durities hominum.

Apud eruditiſſimum Camerarium figura hominis eſt, qui arboris corticem ſcindit, de cujus inciſione, odoratus balſami liquor emanat: Per quod duritiam hominum, & intractabiles eorum mores percellit, quorum non nulli ipſis adeò plantis magis ruvidi, & indomiti ſunt; hæ enim de ipſis vulneribus ſuis balſami liquorem, & ſaccharum ſuave effundunt, homo autem repetitis ſæpè precibus, ſæpè conjuratus, & ſollicitatus non flectitur, non commovetur, & per modum incudis ad malleum precum inſonat: *Non exaudiam.* Citatus Author autem Epigraphen ſubſequentem, eleganti antitheſi ſuppoſuit: *Vulnere vulnera ſano:* quam mentis ſuæ conceptionem verſu ſequenti evidentius expreſſit.

Dic age, cùm proprio tua vulnera vulnere ſanem,
Stipite cur hominum durior hoſtis homo es?

Educatio liberorum.

Quandoquidem verò jam arborum mentio fit, apud Florentium homo depingitur, qui in vanum annoſam quercum de agro evellere radicitus nititur, cui hæc ſubſcriptio annexa eſt: *A teneris aſſueſcendum:* videtur hoc mutuaſſe de Ponti Incola, ubi ait:

Ovid. de remed. Amor. lib. 1.

Quæ præbet latas arbor ſpaciantibus umbras,
Quo poſita eſt primùm tempore, virga fuit,
Tunc poterat manibus ſumma tellure revelli:
Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.

Intentum ſcriptoris hujus eſt, ut Patres in educatione liberorum ſedulos eſſe perſuadeat, aufferendo illis quod ſuperfluum eſt, & radicare faciens in fertili terra virtutis: verum etenim eſt, quod Spiritus Sanctus docet: *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.* Quantæ hoc ipſum neceſſitatis ſit, Origenes nos inſtruit, ubi ait: *Omnia quæ deliquerint filii, de Parentibus exqui-*

exquiruntur, qui non erudierint ac corripuerint. Juxta illud Leonis Papæ: *Difficillimum eſt, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.*

Vindicta Dei.

Coſtalius divinam vindictam exhibet, quæ ſenſim ſed ſine ſenſu lentè incedens, certa nihilominus eſt calamitoſis illis, quos aliquando deprehenderit: fingit hominem veſtitum tibialiis laneis, tenentem fulgur in manu, cum hoc inſuper titulo: *Vindicta divina:* Alludit autem ad ſententiam antiquorum, qui ajebant: *Dii laneos habent pedes; Quoniam lento gradu ad vindictam progrediuntur:* ait quidã Commentator. Quem ſenſum apertius tetraſtichon ſequens explanat:

Jupiter æthereà, qui fulmina vibrat ab arce,
Intextos lanâ fertur habere pedes;
Tardior ira Dei, & lento vix cognita greſſu
Ultrici inſequitur crimina noſtra pede.

Judex ſincerus.

Apud Coſtalium item homo invenitur, qui menſurâ Lesbia petram quandam menſurat, cum inſcriptione: *Bonus Judex.* Erat autem præfata

Ex adag. Manut. pag. 236.

menſura plumbum filo appenſum, quo cœmentarii utuntur, juxta cujus normam muri conſtruuntur, & quæ ſe muro rurſum conformat. De hoc inquit Ariſtoteles: *Siquidem infinita rei infinita item regula eſt, quemadmodum plumbea Lesbiæ ædificationis Regula. In lapidis enim figura transformatur, & transmovetur: neque manet Regula.* Sic Judicem juſtum oportet ſe omnibus promptum exhibere, & facilem aurem dare, & æquo judicio cauſas ponderare. Optima in hanc rem,

Officiorum.

& penè dixerim ſanctis Patribus digna Ciceronis eſt authoritas ubi ait: *Si judici dicenda eſt ſententia, meminerit ſe Deum habere teſtem, id eſt mentem ſuam, quâ nihil hominibus dedit ipſe Deus divinius.* Simulacrum hominis macilenti, & ſqualidi, qui ſedens, videatur folle ſufflare ignem, & ſuccendere carbones, apud eruditum Florentium invenitur, cum titulo: *In Alchymiſtas:* Sed lucidius ſenſum ſuum ſequenti dyſticho exprimit:

Dum certis incerta ſequor, res (Prodigus) omnis
Vertitur in fumos, & miſeros cineres.

Hoc genus hominum & profugum, & luridum, & laciniosum, promittit, quibus ſtare nequit, demonſtrans ſe Leonem viridem, Aquilam volantem, ſervum fugitivum, Draconem qui ſemetipſum denique devorat: homines annoſi, pannoſi, famelici, qui non niſi ſulphur ſapiunt, & quibus nil niſi miſeranda Paralyſis pro lucro eſt, quam continuo uſu mercurii, & fumorum contrahunt. *Nemo enim dat, quod non habet.* Extra ſphæram naturalem res inquirunt, & illic ubi inveniri nequeunt.

Caducitas humana.

Camerarius moralitatis eximius Magiſter, depingens vitæ humanæ fragilitatem, & ſubſtantiæ noſtræ calamitoſam caducitatem, effigiem hominis repræſentat, intuentem fœni maſſam, cui ſubſcriptum eſt: *Sic omnis caro:* Quod evidentius præſenti dyſticho exponit:

Quisquis es hoc fœni qui ſpectas fortè maniplum:
Reſpice te, fœnum es: Pone ſupercilium.

Quem ſenſum ex Iſaia deſumpſit, ubi ait: *Omnis Caro fœnum, & gloria ejus, tanquam flos agri:*

Iſai. cap. 40. Item c. 28. Pſal. 89.

& alibi: *Et erit flos decidens gloriæ exultationis ejus, qui eſt ſuper verticem vallis pinguium:* Cui concordat Pſalmiſta: *Mane ſicut herba tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat.*

Meditatio.

Imago item hominis ſpectantis ſolem, cum lemmate: *In Deo lætandum:* à Florentino uſurpatur in hunc ſenſum: quod nimirum ſicut ſol, quamvis remotiſſimus à globo terræ ſit, & ſine intermiſſione curſum ſuum perficiat, ab illuminanda nihilominus, & eadem fœcundanda non ceſſat, ſic Animus noſter, quamvis his mortalibus ſpoliis incluſus, aptus tamen eſt ad ſeſe ſublevandum, & meditandum beneficentiam illam nunquam deficientem, quæ de ſupremo Juſtitiæ ſole ad nos derivat: quem imitatur, & à quo ſole vitam ſuam haurit. Senſit hoc inter alios S. Hieronymus, dum ait: *Nil amantibus durum eſt, nullus difficilis cupienti labor eſt. Amemus & nos Chriſtum, & ejus quæramus complexus, & facile videbimus omne difficile, brevia putabimus univerſa, quæ longa ſunt.*

Epiſt. 22. ad Euſtochium.

Libertas.

Ad figurandam libertatem, Coſtalius annulum anguſtum exhibuit, inſuper & manum, de cujus digito detractus fuerat, cum inſcriptione: *Libertas.* Erat antiquitus anguſtus annulus ſignum perditæ libertatis: annulis enim catenæ formantur, quibus mancipia alligantur. Libertas theſaurus eſt, qui non ſecus ac ſanitas, cum primùm perditus fuerit, in pretio eſt. *Ita præclara eſt recuperatio libertatis, ut ne mors quidem ſit fugienda, pro repetendâ libertate:* inquit Cicero: Et Julius Cæſar: *Omnes homines naturâ libertati ſtudent.*

In Philip. ii.

De bello Gallico.

Ad perſuadendum, quàm operoſum ſit, doctrinarum & ſcientiarum perfectionem aſſequi, Reuſnerus imaginem Mercurii depingit incluſam circulo, & Epigraphen ſequentem pro majori claritate appoſuit: *Multa multum legenda:* Atque hoc eſt, quod de Juvenculo Venuſinus Poëta ait:

Multa tulit fecitque puer, ſudavit, & alſit.

Hoc ipſum inſinuare voluit Ovidius, dum ait:

Ardua per præceps gloria vadit iter:

Et alibi:

Virtutem poſuêre Dii ſudore parandam.

Reſpondit hoc Socrates Theodatæ, cum videlicet multùm ſibi applauderet, quod plures eo ſequaces haberet: *Siquidem tu,* inquit, *ad declive tendis ad quod facilis eſt via, ego autem ad virtutem tendo, ad quam difficilis eſt áſcenſus.*

Transferamus nunc pedem noſtrum de Juventute, & virilitate, ad ſenectutem, ut tractatum hunc, cum ætate univerſa hominis concludamus. Offert ſe hic nobis, pro more ſolito, Florentius inter primos, demonſtrans picturam hominis ſenis, projicientis ſcyphum, hominis item adoleſcentis, qui de manu cavâ ſibi phialam efformans, præterfluentem lympham fluminis haurit, & ebibit: apponens hanc inſcriptionem, ut videlicet myſterium manifeſtum fiat: *Sapiens ſupervacanea bona negligit.* Hæc Idea de Diogene ſumpta, qui puerum intuitus ſic bibentem, vas ſuum quo potare ſolitus erat, & quod cincturæ ſuæ appenderat, abjecit. Sicut Crates Thebanus quoque, ut Philoſophiæ ſtudium tantò felicius conſequeretur, divitias ſuas in profundum maris demerſit. Bias Prienenſis derelictis ampliſſimis poſſeſſionibus in patria ſua, tum ab hoſtibus obſeſſa, faſciculum librorum humeris ſuis imponens abiit, decantatum illud proferens: *Omnia bona mea mecum porto.*

Embl. 41.

Res ſuperfluæ.

Monſtratur item apud Coſtalium figura ſenis, qui Alphabetum apud Ludimagiſtrum quempiam doceri videtur, ſicut doceri ſolent Infantes, ad majorem autem declarationem adjungitur lemma: *Omnium rerum ſatietas, præterquam*

Inſatiabile eſt deſiderium ſciendi.

diſciplinæ. Voluit autem pictura hac magnum illum Catonem nobis ponere ob oculos, qui Orator optimus, ſummus Senatorum, inexorabilis Cenſor erat: & qui jam annum agens ætatis ſexageſimum, non erubuit prima græcæ linguæ rudimenta doceri: ad quod ſe ſponte ſua contulit, nec prius deſtitit, quàm cum græcum Idioma perfectiſſimè calluit, factus è diſcipulo magiſter. De quo tam ſapienter Cicero: *Optimè virtus ſeipſam novit, quàm ſit amabilis:* Et Apoſtolus: *Non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu.*

In Lælio.

Non diſſimile eſt Emblema hoc illi alteri, quod Coſtalius erexit, effingens hominem decrepitum, incumbentem margini fontis, qui ad radices montis ſcaturiebat, cum inſcriptione: *Dii laboribus omnia vendunt.* Prætendebat autem repræſentare Heſiodum, Poëtam veterem, qui ætate ſua extrema & jam fatiſcente, lauro primùm coronatus fuit, cum omnem ætatem ſuam anteactam continuis ſtudiis & lectione, & componendis poëmatibus triviſſet. Sic urſa non niſi longo tempore lambendo partus ſuos perfectos reddit. Ajebat Pittacus apud Volaterranum: *Totius honeſti dux, & fundamentum continentiæ Labor inprimis eſt.*

Quam difficile ſit prænoſſe futura contingentia.

Florentius rurſum indicare volens, quàm imperceptibile ſit omne quod venturum eſt, & quantum in viſceribus, & penetralibus caſuum incertorum recondatur, imaginem ſeniculi exhibuit, ſedentis capite detecto, eoque calvo, in prato quodam: interim de volantis aquilæ unguibus teſtudo gravis ſuper glabram calvariem decumbentis delabitur, & virum enecat. Sic hiſtoria infelicem Æſchyli caſum recenſet. Eſt autem aquilæ conſuetudo hæc, delectatur eſu teſtudinum, ſed cum quod ab intro eſt, non niſi rupta teſta, conſequi poſſit, levare ſe in altum conſuevit, in ſubjacentes rupes præcipitando quod tenet. Unde in hiſtoria jam memorata, cum volucris illa intuens in calvitiem Poëtæ expoſitam, eandem pro ſilice ſumpſiſſet, teſtudinem demiſit, & inopina morte nequicquam tale metuentem occidit, ſic enimverò in propoſito Emblemate caducitatem vitæ noſtræ erudimur, diſcentes quod Plutarchus inquit: *Sæpè præterito futurum: nam occultum aliquando deterius eſt manifeſto, aliquando utilius.*

Simulacra fæminarum cur hic collocata ſint.

Quamvis autem in præcedentibus nullam mentionem fecerim ſimulacrorum, & figurarum muliebrium, eo quod fæmina non ſit perfecta illa Androgina Platonis, & longè ſit à virilitate, quæ hominem in perfectione ſua conſtituit: Hic loci nihilominus, cum hujuſcemodi ſimulacra, ab iis qui me peritiores ſunt, & ſapientiores, virtutem, & perfectionem Emblematibus impertiri dicantur, à me quoque nefas erit, ſi prætereantur, tanquam partes integrantes, & quæ complementum præmemoratis adjungunt: idque potiſſimum, cum de Deitatibus, & Numinibus tractamus, quæ fabuloſa ſunt.

Labor vincit concupiſcibile.

Proponit itaque Florentius imaginem Dianæ, armatam arcu, & ſagittis, inſequentem veſtigia Cervi, cum hac Epigraphe: *Labor amoris domitor.* Finxerunt olim Poëtæ Amorem omnium Deitatum victorem eſſe, excepta Diana: hæc enim indefeſſis laboribus data, nec vinci, nec his laqueis irretiri potuit, quibus orbis univerſus illaqueatur; cujus lac, & faſces otium eſt hominum enervium, & remiſſorum. Hic eſt ſenſus Ovidii:

Otia ſi tollas, periêre Cupidinis arcus:
Deſpectaque jacent & ſine luce faces.

Et cum hoc alius:

Otia ſi tollas, periit vaſana libido,
Quam labor aſſiduus, duraque vita domat.

Alludebat ad hoc Commentator Teſtius, deplorando robur flacceſcens Reginæ Adriacæ, contra Thraces, ſic habens:

L'otio de le grand' Alme Poeſ. Par. 3.
Remora infeſta, che le impreſe eccelſe
Travia con lente offeſe, e pigri danni;
L'otio delle tue, palme
Il fiore affaſcino, l'otio divelſe
Sul più bel volo à la tua gloria i vanni,
Che non crebbe in tant' anni
All' Arrabo ladron, ne cor, ne ſenno,
Sol le delitie tue migliore il ſenno.

Pudor matrimonialis, & cuſtodia domus. Emblem. 12.

Ad denotandum pudorem, & cuſtodiam matrimonialem, quæ conjugatam decent, item domus curam, quæ eam concernit, & quàm raro eam egredi oportet, Junius imaginem Veneris exhibuit, ſed capite tecto ſedentem, & multis ligaminibus in ſedili quodam tecto pellibus retentam. Hinc Marchio Virgilius Malvezzus ajebat: *La donna in caſa e buona da tutto, fuori di caſa non e bona da nulla:* hoc eſt *mulier domi commorans ad omnia utilis, extra domum ad nil omninò.*

Simile eſt Emblema Veneris Eleinæ, cum teſtudine ad pedes, quam eruditiſſimus Alciatus deſcripſit. De quo jam ſupra meminimus: hic ſolùm Plutarchi ſententiam adjungo: *Uxor modeſta & ſapiens, præſente tantùm viro à cæteris conſpici, eodem abſente domi ſe debet continere.*

Ingenium.

Tranſeo de figuris fæmineis ad nudas Calvarias, ubi Florentius caput hominis ſupra ſceleton poſitum introducit, ſupra cujus nudum verticem corona Regia ſpectetur, manu ſceptrum tenens, cum Epigraphe: *Vivitur ingenio:* id quod, meo quidem judicio, melius exprimi non poterat: Tangit autem eos, qui terrenis rebus ſe ingurgitant, corpus ſuum impinguando, & incraſſando: De quibus vas Electionis inquit: *Eſca ventri, & venter eſcis:* & alibi: *Quorum Deus venter eſt:* E contra Tullius: *Ut vivam edo, non ut edam vivo.* Vivere ingenio, eſt coronam capiti imponere, & ſceptrum manu arripere. *Sic patefacit* (verba ſunt docti Commentatoris) *omnia eſſe inania, præter famam, quam homo vivens adipiſcitur.* Sic Ovidius temporibus ſuis canebat:

Embl. 19. 1. Cor. 6. Philip. 3. 19. Aldrovandus.

Fit vivax ſcriptis virtus, experſque ſepulchri
Notitiam ſeræ poſteritatis habet.

Advocatus avarus.

Coſtalius denuò humanam nobis ſtatuam in columna collocatam exhibet, cujus facies ſolaribus radiis percutiebatur, portantem lemma quod ſequitur: *In Advocatos.* Alludit autem ad ſtatuam Mennonis, quam in Æthiopia fieri curavit, quæ (dum ſole oriente, radii in faciem ejus ferirent) verba quædam exprimebat: unde introducitur hæc eloqui: *Vox mihi, dum aderis.* Intendit Author iis Advocatis improperare, qui ad perorandum, aut ſcribendum adduci nequeunt, niſi prius auri radiis perculſi fuerint; aurum autem apud Philochymicos nomine ſolis vocatur: unde alius non immeritò canebat:

Juris Conſultus promittit, & accipit aurum.

Hoc genus hominum ad vivum Regius Cantor

exprimit, dum ait: *In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus.* Hinc Poëta:

Auro pulſa fides: auro venalia Jura.

Lib. 1. Embl.

De figuris ſimplicibus, tranſeamus ad varias, ubi non una ſed quamplures inveniuntur. Primus ſe offert Reuſnerus vir doctiſſimus: qui imaginem Deucalionis, & Pyrrhæ nobis exhibet, reparantium (prout Poëtæ commentantur) genus humanum, projiciendo retrorſum ſaxa, quæ in homines convertebantur, apponens Epigraphen: *Mille hominum ſpecies:* Idem ipſe nihilominus Adamum quoque & Evam delineavit, vicinos arbori ſcientiæ, cum inſcriptione: *Vita, & Mors:* Intelligendo ſtatum liberi arbitrii, quo quiſque hominum, prout libitum fuerit, in hanc vel illam partem inclinat. Hæc eſt ſententia illa S. Spiritus: *Poſuit hominem Deus in manu conſilii ſui:* & alibi: *Appoſui tibi ignem, & aquam, ad quodcunque volueris applica te.*

Vitia quantum fugienda.

Ad perſuadendum nobis, ut omni virtute noſtra à vitiis elongemur, Coſtalius vir ingenii quoſdam repræſentat, manducantes in cubiculo, ubi receſſus, vel locus communis erat, inſcribens vulgatum Pythagoricum: *In ſcaphis ne edito.* Pari elegantia hoc ipſum, Alciatus expreſſit fingendo hominem, cum proboſcide animalium immundorum deformem, qui ſe pluribus aliis præſentat, cum inſcriptione: *In dies meliora:* indicans per hoc quoque, procedendum nobis eſſe (ſiquidem à vitio receſſerimus) de bono in melius: ſicut animalia illa ſolent, quæ ruminando, retrorſum non incedunt, ſed inſtinctu naturali ſemper in anteriora tendunt.

Embl. 190.

Huic non diſſimile eſt ſymbolum invictiſſimi Caroli Quinti, cum Epigraphe: *Ulterius.* Unde non ſine ratione cantare nobis licet:

Nulla dies abeat, quin linea ducta ſuperſit.

Virtus victa.

Rurſum ad demonſtrandum, quàm non raro virtus à vitio vincatur, & quod in pugna rationis cum ſenſu, ſæpè adhoc adigitur, ut ratio oppreſſa, ſenſibus cedat, Florentius Perſonam cum habitu regali introducit, decoratam diademate, & corona: ſed quæ loco ornatæ manus, & lateris, in locum inquam ſceptri & gladii, colum fæminarum contrectat, & de fuſo fila deducit, idque in medio plurimarum mulierum, adjuncto titulo: *Miſera ſervitus, ſervire voluptati.* Hæc imago vel veracis Sardanapali eſt, regis effæminati, & laſcivi, qui femellis ſuis, & Concubinis intermixtus lanificio operam dedit: aut verò Herculis fila in ſinu Omphales ducentis, viribus ſuis jam labefactati. Hinc Cygnus Sebeti, hoc eſt Marinus nobilis cantabat:

Galleria.

E con veſti, e manili, e cuffio, e gonna
Lo Spavento d'Eſperia è fatto donna.

Quod univerſum ſequenti tetraſticho exprimitur:

Imbelli digito dum carpis fila, columque
Fæmineos inter Sardanapale greges,
Servus es infamis: quid enim ſervilius illo
Quem premit imperiis fœda libido ſuis?

Bona, & utilitas divitiarum.

Quiſque ad acquiſitionem divitiarum promptus & proclivis eſt, honorum & commodorum intuitu, quæ eas conſequuntur. Hunc ſenſum quidam in homine expreſſit ſedente in throno, & circumdato ſervis quatuor, quorum unus flores ei quoſdam offerebat, alter lancem fructibus plenam, tertius vitem maturam, ultimus veſtes pretioſiſſimas: interim ad portam mendicus procumbebat miſeriis refertus; adjunctum erat lemma: *Divitibus tempus omne commodum:* Quod totum evidentius explicitum eſt, ſequenti metro, quod quamvis aliquantum videatur prolixum, Lectori tædium creare non debet:

Magnifica medius ſedet alta dives in aula:
Circumſtant varii quatuor hinc famuli.
Venus habet veris flores, fructus gerit alter,
Æſtatis cornu divite ſuppeditans.
Porrigit in calatho maturas tertius uvas,
Multiplicem veſtem denique quartus habet.
Aſſiſtit foribus mendicus homuncio, panem
In lacera, geſtu ſupplice, veſte rogans,
Scilicet hoc ſignum, quod agentibus otia tuto
Commoda tempora ſunt omnia divitibus;
At contra ſignum, quod mendicantibus omni
Tempore deficiunt omnia pauperibus.

Oportet quæ juſta ſunt à Deo poſtulari. Iacob c. 4.

Multi ſunt; qui ſe poſt tot tantasque orationes à Deo non exauditos queruntur: Sed reſpondet his S. Jacobus: *Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis.* Quidquid ab Altiſſimo petitur, juſtum eſſe oportet, & divinis præceptis non adverſum, ſi exauditio ſperatur. Coſtalius hoc ipſum oculis & mentibus noſtris exhibere voluit, depingendo Principem in regali ſolio ſedentem, habentem fulgur in manu, aquilam verò ſub pedibus, ubi præter hæc mulier apparet, falce munita: Hæ binæ imagines Themidem & Jovem repræſentant, hunc tanquam univerſitatis Monarcham, cujus eſt gratias elargiri, illa verò, utpote Dea Juſtitiæ, indicat, non niſi quæ juſta ſunt, poſtulanda eſſe: hinc Commentator concludit: *Deus immortalis ad hominum cupiditates, & prava deſideria non eſt pronus; imò crimen eſt putare quod præſtantiſſimum Numen ſitim nefarii deſiderii, & ſceleratæ cupiditatis explere velit.* Hinc Coronatus Cantor inquit: *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*

Aldrovandus.

Similis ſenſus à Florentio declaratur: Hominem enim coronatum producit, qui dextram ſuam ſceptro inſignem monſtrabat, ad cujus latus imago nihilominus ſpectabatur Juvenculæ, quæ gladium cum bilance gerebat, & quæ haud dubie Juſtitiam figurabat: totum autem ſequenti titulo animabatur: *Juſtè fiunt, quæ à Deo:* quam ſententiam adjuncto dyſticho dilucidius exponebat:

Cur Jovis aſſiſtrix Themis eſt? Quod juſta putanda,
Quæ divina Dei mens, rataque cuncta velit.

Antiqui de throno Dei inſeparabilem Juſtitiam eſſe arbitrati ſunt, idque merito. Hinc Pſalmiſta: *Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.*

Tempus difficultates ſuperat.

Tempus item, ſicut ex una parte cum acuta falce ſua res omnes reſcindit, & detruncat, & perpetuis proceſſibus ſuis abolet, & cancellat, ſic rurſum plurima accommodat, & componit, quæ per horas ſuas nimium præcipites corrumpuntur, & perturbantur. Totum hoc Coſtalius exprimere conatus eſt, dum binos homines expoſuit, quorum unus caudam integram equi apprehendit, volens eam evellere, ſed irrito conatu, alter verò eandem rem adorſus, jam nunc pilum, rurſum poſt hæc alium trahit, ac ſic pedetentim omnes evellit, cum inſcriptione ſequenti: *Exemplum ſapientis, & ſtulti.* Convenit huc, ni fallor, ſecundum literam Ponti incola dum ait:

Tempore Pœnorum compeſcitur ira leonum.

Sic

Sic magnus vir Thales inquit: *Sapientiſſimum omnium tempus eſt, cuncta invenit, cuncta componit.* Huc referenda, quæ tam eleganter in hunc ſenſum Eccleſiaſtes per ſpiritum ſanctum ait.

Vita humana.

Idem Author, qui ſupra, binas hominum effigies exhibet, ridentis unius, alterius plangentis, adjungendo titulum: *In vitam humanam:* Per hæc duo ſimulacra decantatos illos, & jam ubivis inclytos viros, Heraclium, & Democritum expreſſit: quorum alter ad quodcunque gaudium ſibi propoſitum inconſolabilis erat, quidquid jucunditas & cachinnus aliorum ad gaudium pelliceret: Alter verò eo uſque contrarium vivendi genus ſecutus eſt, ſemper ridens, ut nec mors ipſa, terribili vultu ſuo à propoſito ridendi eum dejicere potuerit: quippe qui actiones humanas, tanquam ludicras, & levitate plenas, explodebat, & exſibilabat. De hoc riſu & planctu inter modernos, diffusè ſcripſerunt, à me jam memoratus Comes Franciſcus Bernus Ferrarienſis, cujus famoſiſſimus calamus & in arte oratoria, & in Academicis, & in theatris, alas ei ad famam inclytam tam illuſtres dedit, ut quamvis extinctis corporis ſui exuviis, integra nihilominus ſæcula tranſiturus ſit: Sicut & Patriæ meæ elevatiſſimum ingenium Franciſcus Bonomius, qui non minus illo ſuperiore & ipſe methodo maximè elaborata, & fœcunda uſus eſt, ita ut jure ſibi merito, quantum quiſque alius gloriolam lauream vindicare poſſit.

Riſus, & planctus.

Comes Bernus.

Doctor Franciſcus Bonomius.

Ambitio.

Concludo hanc Emblematum materiem rurſum cum Florentio, qui & hic more ſuo, ingenioſus, ad condemnandam ambitionem, & elevandam gloriam, & meritum, viatores duos exhibet, quorum unus ſolem verſus procedit, alter eidem humeros dorſumque vertit, quorum alterum umbra antecedere, & quaſi fugere videtur, alterum eadem umbra ſubſequitur, cum inſcriptione: *In ambitioſos.* Sic eſt, ſequitur gloria ſe fugientes, & fugit inſequentes. Irritus conatus ambitioſorum eſt, ad ſolem honoris procedentium, & in lumine dignitatum mundanarum ambulantium. Totum hoc præfatus Author ſubſequenti dyſticho explanat:

Gloria ſic humiles amplectitur. At ſibi quisquis
Poſcit ſi nimia hanc ambitione, fugit.

Quod idem eſt cum illo ſequenti (juxta quod Aldrovandus commentatur:)

Cum ſequeris fugio, cum fugis, ipſa ſequor.

Elevatiſſima ſunt Emblemata, quæ de famoſiſſimo ſic dicto *Canno chiale* Comitis Emmanuelis Theſauri prodierunt; quippe quæ non ſolum ad compoſitionem earundem faciendam documento eſſe poſſunt, & pro Magiſterio, & Inſtructione prodeſſe, ſed etiam moralitate ſua ad formandos mores maxime accommoda. Partus omninò admirabiles, provenientes de ſublimi intellectu illo, qui lumen, & normam præbuit & arti oratoriæ, & lapidariæ, & ſymbolicæ. Ego inter omnes, quotquot in hoc genere ſcripſerunt, hunc ultimum eligendum exiſtimavi, & pro commoditate eorum, quibus liber ille ad manum non eſt, hæc quæ ſequuntur, appoſui. Nec verò rubori mihi erit, ea ſicut ſunt, non immutata tranſcribere, dum tenebras atramenti mei immiſcere nefas duxi, ubi lumen tam elaboratæ ſcientiæ effulget.

De iis, qui perſecutionem patiuntur à ſervis ſuis.

In primo igitur loco Actæonis fabula repræſentatur, dum cervi caput gerens, canes proprios fugit, cum lemmate: *Quos pavit, pavet:* alludens ad eos, qui, quos olim ſervos habuerunt, nunc Perſecutores patiuntur. Eſt autem Emblema quinquageſimum ſeptimum Alciati, quod ille de Favorino ſumpſit apud Stobeum: quamvis applicatio mea differat.

Nimia feſtinatio damnū infert negociis.

In ſecundo, Equus effrænis apparet, qui ad præcipitium properat, cum Epigraphe: *Quod præpes, præceps:* ſignificando, quod præpropera feſtinatio in negociis, præcipitio proxima ſit. Fabula in Emblemate quinquageſimo quinto Alciati eſt, quam ille de Phædro Platonis deſumpſit.

Vanus Conatus eſt adverſum potentes.

In tertio Pigmæi ſunt, qui Herculem ſatagunt captivitati tradere, dum ſoporatus eſt: cum Inſcriptione: *Volunt, non valent:* alludens ad eos, qui cum debiles ſint, contra Potentiores inſurgunt, qui demum evigilantes, non ſecus ac formicas à ſe repellunt, ſicut in Emblemate Alciati 58. invenitur, quod ille de imaginibus Philoſtrati mutuatus eſt.

Inemendabiles.

In Quarto Æthyops eſt, qui lavari, ſed dealbari nequit, cum lemmate: *Allues, non ablues:* indicans eos, qui ex ſui natura ad malum proni, nec malis nec bonis emendantur, ſicut in Emblemate Alciati 59. videri poteſt, quod ille à Luciano tranſcripſit. Lib. 2. Epigr. Græc.

Error, & litigium.

In Quinto Niobe eſt, quæ liberos ſuos mactari videt à Diana offenſa, cum Epigraphe: *Ubi crimen, ibi diſcrimen.* Vide Emblema Alciati 67. Quod Alciatus de ſexta Juvenalis ſatyra deſumpſit.

Non oportet ſuimetipſius nimiam curam agere.

In ſexto, Narciſſus eſt, ſuimetipſius amore captus, & in fonte ſe demergens & ſuffocans, cum Inſcriptione: *Se perdit, qui ſe quærit.* Sicut iis evenit, qui Philautiæ ſe donant, hoc eſt amori proprio, ſecundum Emblema ſexageſimum nonum Alciati, quod de Pauſania *in Bœoticis* mutuatus eſt.

Invidia.

In ſeptimo invidia eſt, in figura Furiæ, manducantis cor ſuum, cum ſententia ſumpta ex Ovidio: *Carpit, & carpitur unà.* Invidus enim, dum alios rodere intendit, ſemetipſum corrodit: Sic Emblema Alciati ſeptuageſimum primum eſt, ſumptum ex Ovidio 2. Metam.

Voluptas mundana.

In octavo Tantalus ſitibundus apparet in medio aquarum fugacium, cum lemmate: *Affluunt, ſed effluunt:* Symbolum mundanarum deliciarum eſt, quæ maximè deſunt, illic ubi maximè abundant. Emblema octuageſimum quintum, quod Alciatus de Horatii 1. Serm. Sat. 1. excerpſit.

Aulicus.

In nono Ariſtippus eſt, devinctus catenis aureis, cum inſcriptione: *Ditior, ſed impeditior:* Symbolum hoc Aulicorum, qui quamvis de aula Principum utile ſuum conſequantur, ſed non niſi vendita libertate, ſicut in Emblemate octuageſimo ſeptimo apparet, quod Alciatus de Apophtegmate Diogenis hauſit contra Ariſtippum, qui ut ſplendide in aula Dionyſii viveret, Philoſophicam libertatem amiſit, interim Diogenes non niſi leguminibus veſcens, & vilibus indutus, ſuimetipſius dominium poſſidebat.

Facundia.

In decimo Hercules eſt, trahens populum catenis aureis, de ore illius prodeuntibus, cum Epigraphe: *Sua vi*, hoc eſt, *ſuavi.* Pro ſymbolo Eloquentiæ, quæ pro libitu ſuo animos, quocunque placuerit, impellit. Emblema 181. Alciati, quod de Galeno mutuo ſumpſit, in ſuaſoria *ad Artes*, in principio operum.

Conſilium ſenum, robur Juvenum.

In duodecimo Æneas Juvenis eſt, qui patrem ſenem portat, cum lemmate: *Hic regit, ille dirigit:* Significando, quod in actionibus illuſtribus con-

ſilium

filium ſenum neceſſarium ſit, & fortitudo Juvenum. Emblema eſt 195. ex Virgilio deſumptum.

Vis & virtus exſtirpandi vitia.

In decimotertio Bellerophon producitur inſidens equo alato, & Chymæram occidens, cum lemmate: *Vis, & virtus:* Significans, quod ſi Princeps extirpare vitia intenderit ſubditorum ſuorum, oporteat eum robore inſigni, & virtute dotatum eſſe; quemadmodum Bellerophon, qui eques armatus, tantæ magnanimitatis fuit, ut, ne delicto ſuccumberet, maluit calumniis opprimi, juxta Emblema 14. Alciati, deſumptum ex ſcholiaſte Homeri.

Invidia.

In decimo quarto Ganymedes apparet, alis aquilæ in cœlum ſublatus, interim canes in terra eum allatrare non deſinunt, cum Epigraphe: *Latrant, non lacerant:* pro ſymbolo Invidorum, quibus via patet ſemper ad detrahendum, ſed nec dilacerare, nec nocumentum ullum iis afferre poſſunt, qui virtute in ſublime tolluntur. Emblema 4. Alciati, ſumptum de Statio, quod Statius de ſympoſio Xenophontis mutuatus eſt.

Regimen malum.

In decimo quinto Phaëton eſt, qui regendi ſolaris currus impos, quaquaverſum incendia diſpergit, cum lemmate: *Incendit, quocunque incedit.* Symbolum eorum, qui regimine perverſo ſubditos peſſumdant, & propriam, & alienam patriam depopulando. Juxta Emblema 56. deſumptum ex imaginibus Philoſtrati.

Meretrices.

In decimo ſexto Syrenes prodeunt, quæ prænavigantes dulciter invitant, ſed interimendos, & devorandos, cum Inſcriptione: *Vorant, quos vocant.* Quod Meretricum ſymbolum eſt. Ex Emblemate 116. mutuato ex Odyſſea Homeri.

Beneficiis aliorum ruinam quærere.

In decimo ſeptimo & ultimo, Circe Maga eſt, quæ Heroibus liquorem dulcem in patera propinat, ut in feras beſtias eos convertat, cum Epigraphe: *In beneficio veneficium.* Quod ſymbolum eorum eſt, qui benefaciunt, ut perdant. Juxta Emblema Alciati 66. ſumptum ex Plutarcho in libello *de vita Homeri.*

Hæc univerſa cuique documento eſſe poſſunt, (iiſdem Authoris verbis prolata) ut quotieſcunque tibi viſum fuerit, ſupra thema quoddam propoſitum Emblema formare, poſſis ſine labore ſubjecta fabuloſa, aut hiſtorica invenire, unde ſymbola componantur, argutæque ſententiæ vel lemmata, ad eadem explicanda.

Incredibile eſt, quanti theſauri de ditiſſimo ingenio hoc, tanquam de abundanti aurifodina proferantur. In materia præſertim memoratorum Emblematum, illa inſigniora ſunt, quæ pro adornando floridiſſimo, & delicioſiſſimo Raconigii horto elaboravit: Volens ſiquidem Sereniſſimus Princeps Thomas omnes angulos lectulorum myſterioſa quadam ſtatua, una cum baſibus, numero ſexaginta & una decorare (Hortus enim ille, non ſecus ac firmamentum ſtellis, ſic floribus verno tempore amœniſſimus eſt) in unaquaque ſtatuarum unam imaginum cæleſtium, quæ numerum hunc adæquabant, repræſentavit; porrò quæque ſtatua Emblema ſuum format, una cum Epigrammate baſi inſculpto, ad fabulam explicandam, & morale quoddam documentum applicandum. Quæ huc collocare prætermitto, quippe quod nec ſubjecta univerſalia, nec huic materiæ ſatis congrua ſint, jam enim alibi hæc materia dilucidata eſt, tot aliis videlicet Emblematibus. Nec verò etiam de meo quicquam adjungo, ob rationem jam ſupra allatam, cum videar in hoc genere ſat præſtitiſſe, & cum Lectori ob oculos plura Alciati Emblemata poſuerim, ad hoc ab Authore præmemorato invitatus: quamvis illuc Lectorem ablegaverim. Venio nunc ad

NUMISMATA.

Utilitas proveniens è ſtudio Numiſmatum.

NIhil eſt, ut quidem arbitror, quod curioſitatem humanam, cum tot aſtutiſſimis inventionibus oblectet, tamque utile ſit (quippe quæ documentis plurimis nos inſtruunt) quam uſus monetarum, & Numiſmatum. Hæc à ſummis Principibus, & à primis orbis terrarum Monarchis adinventa ſunt, tam ut commerciorum uſus expeditior eſſet, quàm ut his mediantibus fama nominis & virtutis eorum latiſſimè propagaretur. Utile hoc ſtudium eſt Pictoribus, & ſculptoribus, tam propter ſituationem & varietatem figurarum, & earum diſpoſitionem, quàm quod multarum, & feracium inventionum refertum ſit. Utile eſt humanarum literarum ſtudioſis, abundant enim Hieroglyphicis, ſymbolis, Emblematibus, ſententiis, ſignificationibus: & nunquam non ad ſenſum quendam moralem alludunt: nec enim latet, quam ingenioſis inventionibus, præter cumulum divitiarum, & faſtigium potentiæ, viri illuſtres etiam hac via ponderationum, & operationum mentis nomen ſuum dilatârint, & famam ſuam divulgaverint.

Complura antiquorum monumenta reſtant, quæ ad ſimilia facinora virtutis ſeram adeo poſteritatem pelliciunt. Plura ſimulacra apparent, quæ per modum methodi inſerviunt, & regulam nobis ſuggerunt ſolidarum inſtructionum. Hic varia Inſtrumenta, & animalium, & naturalium apparentiarum occurrunt, ſicut ſunt plura genera coronarum, veſtimentorum, & imaginum. Denique cum tanta ſit numiſmatum varietas, tantus in ſtaturis hominum & deorum ornatus, quem varietas deinceps inſcriptionum, & lemmatum, comitatur, nil ibi eſt quod non linguæ, ut ita dixerim, ſplendore doctrinam, & magiſterium ſapiat.

In his apud veteres ſtudioſus admodum fuiſſe legitur Aſinius Pollio, qui Romæ volumen ex his integrum compoſuit: præter eum & Marcus Terentius Varro. Athenis Gymnaſium ad hunc finem erectum erat; unde eſt quod Orator quidam Athenienſium Ciceroni numiſmata nonnulla in donarium transmiſit, è quorum una parte inciſæ erant imagines Mercurii cum Pallade, ab altera Herculis, ut denotarent ſapientiam fortitudini ſociatam eſſe oportere. Exhinc poſtmodum & Romæ tales monetæ à M. Tullio Nobiliore impreſſæ ſunt, & conſecratæ, tanquam à viro Anteſignano ſtudiorum, & Muſarum.

Habuit & noſtris ſæculis ſtudium hoc tam utile, tam proficuum, & curioſum verſatiſſimos Indagatores, & ſequaces: Quorum inter modernos Hubertus eſt, Golazius, Herbipolita, Venlonianus, Jacobus de Rio, Jacobus Sadoletus, Cardinalis Cæſar Baronius, Joannes Huticchius, Wolffgangus Lazius, Jacobus Strada, Æneas Vicus, Gabriel Simeon, Sebaſtianus Erezzus, Abraham Ortelius, Fulvius Urſinus, Levinus Torrentius, Abraham Gorleus, Andreas Scotrus, Levinus Hulſius, Wilhelmus Choul, Antonius Peſus, Joannes Sambucus, Martinus Rota, Thomas Treterus, Antonius Auguſtinus Epiſcopus Tarragonenſis, Marquardus Freherus, Adolphus Occus, Caſparus Vaſarius, Jacobus Biæus, Conſtantinus Landus, Stephanus Umandus, Joannes Glandorpius, Pater Andreas Scotus de Soc. JESU, & alii, qui tam ſæcula ſua, quàm noſtra, & poſterorum illuſtrârunt. Ego igitur, cum in opere præcedenti, ubi partium humanarum tractatus eſt (ubicunque occaſio tulit) hanc materiam tam proficuam jam percurrerim; deeſſe officio meo arbitrarer, ſi tantum argumentum hic loci ſilentio præterierim.

Quatuor anni tempora.

Exordiar, ordine ſupra jam obſervato, ab ætate pucrili, ut ſic deinceps per gradus, omnem hominis ætatem emetiar. Æneas Vicus Nummum Commodi Imperatoris exhibet, in quo quatuor infantes apparent, quatuor anni tempora figurantes: ajunt complures, quod eorum tres nudi ſint, unus veſtitus; quorum primus cophinum manu teneat plenum floribus, utpote veris indicium: alter dextera falcem regat, ad ſecandam meſſem, non niſi Æſtate maturam: tertius rurſum cum cophino repleto fructibus ſpectetur: quartus denique veſtimento indutus, baculum ſuper humeros teneat, in quo ſuſpenſa ſit avis, jam emortua, idque ad indicandam hyemem.

Apollo cum Muſis.

In numiſmatibus aliis Adoleſcens corona redimitus cernitur, cum Tripode aurea: regens in dextra ſua ſagittas, in ſiniſtra ſtringens cytharam, ingens autem coluber ad pedes ejus collocatus eſt: illic inſuper Laurus eſt cum Corvo, & ſubtus hanc Laurum novem adoleſcentulæ ſunt, & non procul hinc fons ſcaturire cernitur. Vult Erizzus in his ſimulacris Apollinem figurari, una cum Muſis in Parnaſſi monte, ſecus fontem Caſtalium: quamvis ſimulacrum Apollinis in aliis nummis aliter figuratum inveniatur. In horum aliquo Juvenis cernitur ſtans, ſiniſtra lyram tenens, homo item nudus alligatus ad arborem, de ramis autem pendet fiſtula: in quo victoria deſignatur, quam Apollo contra ſtolidiſſimum Marſiam cantu obtinuit.

Mercurius.

Erizus porrò Adoleſcentem repræſentat, portantem humeris ſuis arietem: ſignificans Mercurium. Aliter nihilominus in numiſmate quodam Hadriani imperatoris figuratus eſt: illic enim imago eſt Juvenis, tenentis caduceum manu dextra, & fingentis ſe altera Imperatorem apprehendere, cui lemma ſubjunctum eſt: *Felicitas Auguſti.* Sed in numiſmate quodam æreo Vitellii homo cernitur cum virga, ſerpente, & noctua ad pedes, quæ Æſculapium ſignificant.

Æſculapius.

Ab altero latere imago eſt hominis ſtantis, & ſuper ſcipionem, qui ſerpente circumdatus eſt, innixi, quæ figura item Æſculapium denotat. Rurſum illic apparebat mulier, tractans colubrum, nominata Hygia, vel Dea ſalutis. Hæ imagines juxta Erizzum, portendebant, hunc Principem gloriatum fuiſſe, ſe totius terrarum orbis Medicinam eſſe, atque idcirco has ſibi monetas excudi voluiſſe.

Superbia Domitiani volentis adorari.

Tranſeamus de ætate puerili ad conſiſtentem: Ubi in monetis Domitiani figura hominis venerandi exhibetur, qui tribus fæminis genuflexis ad portam templi præbere dexteram videtur: Eouſque ambitionis progreſſus eſt hic inſenſatus, ut per hæc ſignificari voluerit, ſe in nummo Numinis adorationem exigere. Hinc annotandum (inquit Commentator Aldrovandus) quod ante Dictaturam Julii Cæſaris, ſola deorum effigies, & præcipuè eorum, qui cum ſingulari veneratione in gentiliſmo colebantur, excuſa fuerit, & in monetis exſculpta.

Sacerdos ſacrificans.

Videbatur item in argenteo Nummo ſculptura Auli Poſthumii: Erat autem aſpectus venerabilis viri cujuſdam, qui manum videbatur ſuper caput Tauri collocare, ad eum ſacrificandum: per quod veterum mos erat ſacerdotem Dianæ immolantem exprimere.

Sacrificia Imperatorum.

Conſulis ſacrificium.

Rurſum alius nummus eſt aſpectu trium hominum inſignitus, quorum quiſque ſacerdotali amictu veſtitus erat: ad quorum pedes multa ferarum & animalium genera mactata cernebantur: per hoc Imperatorum ſacrificia denotabant. Item perſona alia, veſtita ſacerdotali habitu, quæ videatur ſcropham quandam in fanum introducere: Symbolum Conſulis erat, qui gratias Dianæ Deæ referebat, ob victoriam obtentam: hæc viſa ſunt in numiſmate æreo Conſulis Marcelli.

Mars Propugnator.

Non deſunt præterea in monetis armatorum hominum effigies, quorum plures tanquam militaribus trophæis condecorati ſunt: diverſimodam autem ſignificationem habent: inter quas Armatus, qui dextera ſua ſcuto innitatur, & qui manu telum apprehendat, in actu procedendi, in univerſum pro ſimulacro Martis Propugnatoris ſumebatur. Hoc Numen nihilominus & aliis inſuper modis, & cum diverſis ſignificatis repræſentatum fuit, in argenteo ſiquidem nummo Caracallæ comparebat homo ſe armans caſſide, lorica, utraque periſcelide, & umbone, quo Mars ultor exprimebatur.

Mars ultor.

Hæc item figura in nummo æreo Mammeæ cernebatur, & rurſum in argenteo alio Imperatoris Adriani. Adhuc aliter in moneta ærea Vitellii homo cataphractus apparet, cum galea nimirum, & thorace, & femorum armis, geſtans ſiniſtra ſua clavam, dextra victoriam alatam; quo Mars victor exprimitur, ſecundum quoſdam: In moneta etenim ærea Antonini Pii eadem figura eſt, ſed armata pugione, & trophæo.

Mars victor.

Honor.

Quotieſcunque tamen (inquit doctiſſimus Aldrovandus) ſimulacrum apparet hominis galea tecti, cui latera itidem, & femora armata ſint, quod dextra ſceptrum geſtet, ſiniſtra haſtam, pede dextro teſtudinem calcans, juxta quod Choulus tradit, Honorem repræſentat. Prædictus author memoriæ dedit ſe hujuſmodi figuram in moneta quadam ærea Vitellii vidiſſe: figuram itidem aliam hominis, qui dextra haſtam, & ſiniſtra globum mundi tenebat, ſignificantem Imperatorem ſupremum univerſitatis, Deum.

Deus.

Imperator tyranni victor.

Imperator gentes barbaras ſibi ſubjugans.

Siquidem verò jam memoratum ſimulacrum captivum habeat, ſubtus pedes vinctum, Imperatorem denotat depreſſiſſe, & ſubjugaſſe tyrannum. Si quidem eadem figura, in dextra manu haſtam geſſerit, in læva ſceptrum, & præfato pede hominem proſtratum humi depreſſerit, ex altera verò parte animadvertantur homines inſtructi vaſis quibuſdam, de quibus aquæ defluant, Erizzus authumat, figuras has alludere ad Imperatorem, qui diſſipata, & fracta inimicorum potentia, Armeniam ſubjugaverit, & Meſopotamiam, crudeliſſimoſque Parthos: aquæ autem Araxem, & Euphratem flumina repræſentant.

Idem ſimulacrum, premens hominem in terram pro-

Victor item Teutoniæ.

projectum, cum urna, juxta mentem ejuſdem Authoris, denotat Imperatorem expugnantem rebellem Germaniam: Imo verò idem Author conſiderando in numiſmate hominem, qui læva pilum, inſtrumentum militare, teneat, dextera verò videatur coronare hominem onuſtum armis, & ſpoliis, cui bini Captivi ad pedes provoluti jaceant, ex his conjecturandum inquit, eum ſuper Teutones victoriam obtinuiſſe.

Italia reſtituta.

Homo item erectus ſtans, & ſiniſtra lanceam contrectans, qui dextram fæminæ Genuflexæ præbet, quæ videatur mundum in manibus geſtare, docet, ſecundum mentem Authoris præfati, Italiam mediante Imperatore priſtinæ libertali ſuæ reſtitutam, & ad ſtatum priorem reductam eſſe: unius & alterius indicium, in præmemoratis perſonis repræſentatum eſt. Homo item, qui corpore ſuo haſtæ innixus ſit, cum imagine quadam mulieris, quæ in dextera ſua gubernaculum navigii teneat, in ſiniſtra Cornucopiæ, ubi præter hæc rurſum alia mulier ſit, quæ dextera ſua militem coronet, juxta ejuſdem Authoris mentem, fortunam & victoriam Imperatoris deſignant.

Fortuna & Victoria.

Fides.

Cum armatus homo haſtam premit, & de loco eminenti, non ſecus ac de Exedra quadam ratiocinari populo videtur (ſic nummus æreus Imperatoris Commodi præſeferebat) prout Choulus tradit, *fides* exprimitur. In quibuſdam præterea nummis apparebant homines, militibus ſimiles, qui arrectis auribus loquelam hominum videbantur excipere, cum hac Inſcriptione: *Adlocutio*. Symbolum hoc erat eorum, qui vigilanter, quid ſibi operandum, animadvertunt.

Effigies hominis ſedentis ſupra ſtruem ſpoliorum, ſcutorum, & omnis præterea generis armorum, ſed manum ſuam ſubtus genu collocantis (juxta Erizzum Commentatorem) Regem Dacorum denotat, ab Imperatore ſuperatum, & vinctum. Pari modo in nummo quodam Darii Regis Perſarum, quem Alexander devicit, effigies quædam inſculpta erat, facientis telum.

Rex Dacorum ab Imperatore Superatus.

Apparent item plures figuræ hominum equitantium, quæ multa myſteria, & ſignificationes continent: itaque ad Lectoris utilitatem neceſſarium duxi, hæc in hunc locum referre. Homo itaque armatus, inſidens equo, munitus haſta, flagello, ingenioſum Hieroglyphicum erat Martis, nam & equus, & arma illa & velocitatem, & furorem ſpirant. Neptunus item in moneta quadam Tarantina, argentea, eadem forma repræſentatus fuit, ſecundum Chouli opinionem.

Mars.

Neptunus.

Porrò nudum quoque hominem ſculpebant, eumque galeatum, inſidentem equo, cui pannus ab humeris defluebat, ventis agitatus, in dextera item telum cernebatur, duo verò in læva: atque hæc rurſum Neptuni erat effigies.

Imago Caſtoris Numinis per hominem equo inſidentem figurabatur, haſtatum in ſiniſtra &, cui ſtella in vertice capitis reſplendebat. Per hæc Parthorum Provincia delineabatur. Figura hominis equitantis in equo alato, qui telum jacere in monſtrum quoddam videbatur, cui caput leonis erat, reliquum corpus Draconi ſimile, valoroſiſſimum Perſeum ſignificabat, qui cum Chymæra dimicaſſe fingitur: quamvis per hæc Bellerophontem quidam denotatum arbitrentur: ſed in idem coincidit, cum uterque fortiſſimus, & ſingulari prudentia dotatus fuerit. Simulacrum hominis equo ſuo decurrentis, & haſta leonem ferientis, idea eſt generoſi illius, qui in ſpectaculo publico certamen inire auſus eſt cum belluis, & victor tamen diſceſſiſſe legitur. Bini homines equitantes, qui in teſſeram mutuæ amicitiæ ſibi dextram porrigebant, prout in Philippi Regis argenteo numiſmate apparet, imaginem virtutis deſignant (ſic Choulus tradit.)

Perſeus.

Homo inſidens equo & cum feris juſtificans.

Virtus.

Expeditio Imperialis.

Si in dictis Numiſmatibus homo armatus, iſque equitans viſus fuerit, & viam ſuam proſequens, quem alius pedes præcurrat, alii plures ſubſequantur per hoc Expeditio Imperialis in negotiis belli intelligenda eſt. Item equeſtris homo, munitus clava, qui in actu currentis conſiſtat, celeritatem indicat, qua Imperatores ad belli expeditiones progrediuntur. Si vero quiſpiam equitando alterum haſta percuſſerit, qui in terra jacuerit, imaginem refert Imperatoris victorioſi, contra Sarmatas, vel Gothos, qui ad internecionem uſque debellati ſint.

Victoria Imperialis.

Homo pedeſtris, qui trophæa ſuſpenſa portaverit, & alterum equo inſidentem præceſſerit, quem rurſum alius cum inſigniis militaribus ſequatur, victoriam contra Parthos obtentam indicat. Quemadmodum ſi homo pedeſtris, cum ſignis militaribus in læva, præcedat Equitem, reditum triumphalem Imperatoris ad proprias regiones ſuas demonſtrat, poſtquam hoſtes ſuos fugaverit, & diſſipaverit, provinciamque eorum occupârit. Numiſmata denique ærea Imperatoris Trajani inſignita imaginibus duarum provinciarum, rara ſunt & præcipuè illa, ubi Imperatoris illius ſimulacrum equo inſidens apparet.

ejuſdem reditus in patriam.

Imagines nudæ.

Sæpius item in monetis ſimulacra hominum comparent, idque ſine veſtimentis, de quibus hic meminiſſe non abs re erit. Numiſma argenteum Caji Marcelli, & Lucii Lentuli, hominem nudum repræſentat, cui in dextra fulmen eſt, ſiniſtra ſuſtentans aquilam, cum exiguo altari, & ſtella: quæ docent completa ſacrificia, Jovi conſecrata, poſtquam Jovis fanum in Capitolio fulmine tactum fuiſſet.

Sacrificia Jovi facta.

Imago præterea hominis ſeminudi, ſedentis in eminenti loco, quæ manum dexteram extendat ad aquilam, cum figuris Curruum ſolis & Lunæ; hæc excuſa cernebantur in moneta ærea Alexandri, qui per hoc pro Jove Olympio haberi voluit. Jupiter victor ſequenti forma exhibebatur: ſeminudus homo in ſolio ſedebat, tenens haſtam in ſiniſtra, & victoriam alatam in dextera: quæ olim in moneta ærea Domitiani cernebantur.

Jupiter Victor.

Item alia moneta ærea Neronis ſpectabatur, exhibens hominem ſeminudum, cum fulmine in dextra, & haſta in ſiniſtra, ad demonſtrandam vigilantiam Jovis Cuſtodis: quamvis hoc diverſum aliquantum ſit in nummo argenteo Veſpaſiani, ubi homo nudus apparet, ſiniſtra lanceam tenens, in dextra altare eſt, idque ardens. Choulus interim in nummo argenteo Gordiani eum exhibet cum haſta in dextera, & fulmine in ſiniſtra, quam imaginem dicit Jovis eſſe Vindicis. Eundem Erizzus exhibet in homine nudo, qui dextra fulmen vibret, ſiniſtra avem teneat, quæ volare videatur, & hac ratione Jovem ait fulminantem repræſentatum. Hæ imagines iram divinam exprimunt: quæ non minus Chriſtianis quoque documento eſſe poſſunt: ſicut in triumphis Imperatorum, ad contemplandam potentiam divinam elevari poſſumus.

Jupiter Cuſtos.

Jupiter Ultor.

Diffe-

Jupiter Servator.

Differunt inter ſe, & diſſentiunt Authores in exprimenda Idea Jovis Servatoris, de quo nonnihil etiam referendum eſt. Choulus in nummo quodam argenteo Domitiani hominem nudum monſtrat, qui dextra fulmen gubernat, dum ſiniſtram verſus cœlum erectam tenet, fortaſſis indicans, inde pro ſalute noſtra ſubſidium, & refugium petendum eſſe. Idem Author monetam argenti exhibet Imperatoris Antonini Pii, in qua homo nudus apparet, regens dextrâ ſuâ haſtam, ſiniſtrâ fulmen, per quod ſenſus ille ſupra memoratus exprimitur.

In numiſmatibus præterea & æreis, & argenteis, Imperatorum Gordiani & Maximiniani homo nudus cernitur, gerens nihilominus in dorſo ſuo pannum, cum fulmine in dextra, & haſtâ in ſiniſtra, ad cujus pedes cernitur homo parvulus: quâ figurâ Jovem Conſervatorem exprimebant; Imo verò per hominem ad pedes Numinis conſiſtentem Imperatorem indicant, à Deo conſervatum.

Jupiter Propugnator. Jupiter Stator.

Moneta Alexandri Severi, quæ hominem nudum repræſentat, cum paludamento nihilominus ab humeris defluente, qui fulmen jaciat dextra, ſiniſtra aquilam gerat, Jovem Propugnatorem deſignat. Dum item Jovem Statorem expreſſuri eſſent, eandem figuram exhibebant, ſed quæ dextrâ ſuâ haſtam, lævâ fulmen geſtabat. Choulus eundem nobis exponit, cum paludamento ab humero ſiniſtro defluente, qui globum orbis dextra teneat, cui imago victoriæ, & aquilæ adjuncta ſit.

Attributa veri Dei.

Hucuſque de hac Deitate dixiſſe ſufficiat, ubi nihilominus quidquid de fabuloſo Jove in tot formis profertur, & Propugnatoris, & Conſervatoris, & Ultoris, & Statoris, & hujuſmodi titulorum, ad varia attributa Dei viventis & omnipotentis referendum eſt, quibus ad totius univerſitatis regimen vigilantiſſime providet, ſicut fulmine caſtigationis ſuæ, tam temporalis, quam ſempiternæ cum ſeveritate hominum peccata caſtigat: non minus & panno indulgentiæ ſuæ divinæ, per longanimitatem ſuam ineffabilem, turpitudinem delictorum noſtrorum operit.

Neptunus.

Tranſeamus nunc ad Imagines Neptuni, in quo rurſum eædem qualitates, & conditiones obſervari poſſunt. Itaque in primo loco nummus argenteus Auguſti, & Veſpaſiani apparet, in quo figura nuda eſt hominis Tridente armati, qui pede ſiniſtro mundum premit: quod numiſma ita figuratum fuit poſt reditum horum Imperatorum, cum navali pugna victoriam triumphantes reportaſſent, atque hac ratione Numini illi gratias retulerunt.

Moneta poſt victoriam navalem.

Pari modo homo nudus, cum pallio ab humeris dependente, & ventis agitato, inſidens navigio, quod binis equis trahitur (ſicut moneta quædam argentea Marci Agrippæ exhibet) eandem cum priori ſignificationem habet. Sic in nummo quodam argenteo Pompeji navigium quoddam, & in ejuſdem medio turris obſervata fuit, in cujus faſtigio ſimilitudo hominis nudi cum Tridente apparebat, per quod Neptunus figuratus fuit, cum in pacifico fræno undas ſuas retinet. Rurſum in alia forma Homo nudus, qui à renibus deorſum verſus, per modum Sirenarum in caudam piſcinam, ſquamoſam, eamque duplicem deſinat, Neptunum adiratum notabat. Denique Numiſma argenteum Demetrii hominem nudum habet, qui cum Tridente ſuô quaſi percuſſurus apparet, eundem Neptunum deſignat: in parte poſtica ejuſdem numiſmatis, figurata erat navigii prora, cum imagine victoriæ alatæ, quæ in dextera ſua coronam portabat, in ſiniſtra palmam, quod ſymbolum victoriæ navalis eſt. Atque hic finem pono in conſiderandis hujuſce generis monetis; magis elaboratam indaginem; curioſorum ſtudiis relinquens: interim eos, qui iter tam periculoſum, quale eſt, quod in undis Oceani fit, inſtituere deſtinaverint, hortatos volo, ut vexilla ſua non fabuloſo Neptuno, ſed Altiſſimo Creatori ſuo, & Redemptori orbis erigant, in eoque omnem fiduciam ſuam collocare non obliviſcantur.

Item Victoria navalis.

Mercurius & Hercules.

Alia præter hæc numiſmata invenire licet, quæ diis, & deabus inſignia ſunt, inter quæ Erizzus quandoque binos homines, eoſque nudatos & ſtantes contemplatur, quorum unus clavæ, alter caduceo innititur, talaribus indutus, hunc Mercurium annotans, illum Herculem eſſe: has figuras autem ſibi invicem conjunctas voluerunt, ut Imperatorem denotarent, in cujus perſona fortitudinem ſimul & ſapientiam deſiderabant. Homo nudus, cum clava in manu, cujus medii humeri & pectus leonis exuviis recincta ſint, ſimulacrum conſuetum Herculis eſt, quod frequentiſſime in veteribus monetis exprimebatur: ſæpè etiam hoc eodem virtus Imperatorum notabatur. Itidem cum figura hæc clavam extollit, ad feriendum ſerpentem, qui circa arborem pomiferam volvatur, & eidem innixus ſit, brachium autem ferientis pelle leonis coopertum ſit, juxta opinionem Errizi, Herculem indicat poma de Heſperidum hortis rapientem.

Sapientia & fortitudo in Imperatore neceſſaria.

Hercules poma Heſperidum rapiens.

Jam verò ſiquidem in indagandis numiſmatibus, in quibus ſimiles figuræ occurrunt, proſequi voluerimus, inprimis Nummus argenteus Aureliani apparet, qui imaginem hominis Coronati & diademate circumdati exhibet, totum fulgoribus, & micantibus radiis illuſtrem, cum pallio ab humeris defluente, qui hominem ſecus pedes ſuos captivum intueatur: per quod ſimulacrum complures ſolem intelligendum arbitrantur, tum videlicet, cum in ortu ſuo reſplendet. Item in Numiſmate Conſtantini, homo nudus eſt, tectis nihilominus pudendis, manu ſiniſtra Cornucopiæ geſtans, in dextra verò ingentem phialam, aut ſcyphum, per quæ Genium ſignificari volunt, præcipuè Romanorum.

Sol oriens.

Genius.

Sic per hominem ſeminudum, qui in dextra haſtam teneat, Cornucopiæ in ſiniſtra, cui caput caſſide tectum ſit, prout moneta quædam ærea Marci Aurelii continet, juxta Choulum, Honor indicabatur. Denique in moneta Herennii exſculptus eſt homo nudus, qui humero ſiniſtro ſenem portat; per quod prudenter Choulus officia pietatis, & compaſſionis intelligit. In numiſmate argenteo Julii Cæſaris, homo apparet, qui item virum quendam decrepitum bajulat, in ſiniſtra imaginem ferens mulieris, munitæ galea, & haſta, per quas figuras pius Æneas, deſcribitur, Patrem ſecum portans, & Palladem. Ecce quot virtutes, & affectus hic repræſentantur, ad quarum unam quamque ſi debitam reflexionem adjunxiſſem, ad paginas uſque centum opus hoc excreviſſet.

Honor.

Ut

Ut interim quod cœptum eſt, in ſuo ordine proſequamur, plura numiſmata ſunt, quæ ſicut illic homines præferebant equeſtres, hic curru ſublimes proponunt, idque ad ſignificandos rurſum affectus, & virtutes. Inter primos Erizzus eſt, qui refert, quod ſi homo ſuper currum poſitus monſtretur, quatuor Elephantis provectus, cum ramo lauri in dextra, & ſceptro aquilino in ſiniſtra, ſymbolum ſit Imperatoris, qui victoriam obtinuerit, & hoſtiles plagas debellaverit.

Imperator victorioſus.

Homo item geſtans manu dextra ramum, & ſiniſtra ſimile quid Clavæ, ubi præter hæc figura Cameli cernatur, & ſtruthionis, Provinciam Arabum deſignat, ab Imperatore devictam: quamvis nonnulli ſint, qui Imperatorem prout omnium hoſtilium nationum domitor eſt, in homine, qui currui quadrijugis equis vecto inſideat, deſignatum arbitrentur.

Provincia Arabum.

Mars.

Mars item ſculpebatur curru vectus, & flagello crudeli armatus.

Jupiter Tauro inſidens.

Sequuntur figuræ hominum, ſed non in curru, ſedentium. Unde Erizzus per hominem Tauro inſidentem, Deitatem Jovis intelligit: idque non ſine ratione, taliter enim in raptu Europæ videri ſe fecit. Simulacrum item hominis ſedentis, qui manum ſuam extendat, pollice depreſſo, in moneta Marci Catonis Proprætoris ſpectatur: denotat autem victoriam conſilio & prudentiâ obtentam.

Victoria conſilio obtenta.

Cum autem homo ſedens, in dextra ſua globum orbis tenens, & à muliere alata coronatus apparuerit, Erizzus inſinuari Imperatorem inquit, qui ob Britanniam debellatam, coronam promeruerit. Quotieſcunque demum (ait idem Author) in monetis victoriæ effigies apparuerit, quæ Belli ducem quendam coronaverit, id imperatorum gloriæ adſcribendum eſſe: unde & in hujuſcemodi monetis, ex altero latere ſemper Imperatoris imago eſt.

Imperator Triumphans.

Imperator fame liberans populum.

Quandoque etiam homo ſedens ſupra ſolium elevatum, & à Victoria coronatus cernitur, cum imagine mulieris quæ ſpicas quaſdam præſentat; per quod Imperator, aut Princeps deſignatur, qui propriis ſumptibus ſuis, & è fiſco ſuo proprio, ſubditos egentes, ab oppreſſione famis liberaverit: idcirco etiam in monetis Titi Veſpaſiani homo animadvertitur, qui manibus ſuis mulierem geſtat, quæ libello, & Cornucopiæ onerata eſt, ubi non minus figura navis eſt, quæ cophinum repletum ſpicis portat, ad demonſtrandam Principis induſtriam; qui laboribus ſuis, & itineribus factis, abundantiam regionibus ſuis intulerit. Figura ſiquidem mulieris, juxta mentem Valeriani, inſigne ſpicarum præ ſe ferentis, imaginem habet abundantiæ, & Annonæ.

Princeps abundantiam procurans.

Tarenti origo.

In Numiſmate Tarentinorum homo cernitur delphino inſidens, qui originem Tarenti demonſtrat: hæc enim urbs prima ſui fundamenta ſe Herculi debere authumat: quamvis per hoc ipſum ſimulachrum in monetis aliis Pauſanias velit Phalantum Lacedæmonem deſignari, hominem inclytum, ob ſapientiam, & fortitudinem. Alii inquiunt, Telemachi imaginem eſſe, filii Ulyſſis.

Reſpub. reſtituta.

Cùm porrò numiſma cernitur exhibens figuram ſtantem, quæ manum ſuam ad fæminam ſupplicem extenderit, Authores per hæc Rempublicam à Monarcha qui eam prius devicerit, reſtitutam intelligunt. Id quod exinde majorem ſibi authoritatem nanciſcitur; cum in moneta quadam Imperatoris ſimulacrum appareat, qui in genua prolapſum erigit, his Characteribus ſubjunctis: *Reſtitutori Galliæ.*

Judæa capta.

Homo item erectus ſtans, habens multitudinem armorum à tergo, ad cujus pedes mulier mœſta conſideat, ramum palmæ gerens, juxta ſententiam Chouli, hujuſmodi numiſmata tum excuſa fuerunt, cum Judæa bello cœpta eſt: quamvis admodum diverſis & ſimulacris, & figuris inſignita & impreſſa ſint.

Auguriis deditus.

Denique homo pedes, intuens in avem, juxta Erizzum, hominem denotat, qui deſiderio præſagiendi, quæ futura ſunt, auguriis intendit.

De his ad alia feror, diverſos brachiorum & manuum actus conſiderando. Quamvis enim nonnulla de his in volumine primo retulerim, nihilominus quod illic non cum tanta univerſalitate, & copia me extenderim, hæc quæ ſequuntur ſuperioribus adjuncta volui. Itaque in moneta quadam Alexandri Auguſti ſimulacrum hominis advertitur, qui læva ſua haſtæ innixus, dexteram exporrectam tenebat, ſed digitis dimiſſis, & pollice pendente, adjuncto ſequenti verbo: *Reſtitutor.*

Principis reditus in patriam.

In alia rurſum moneta, cui inſulptum erat: *Trajanus Imperator:* figura Imperatoris apparet, qui dextram ſuam dextræ Numinis porrigit, quod cum omni majeſtate ſedili ſuo inſidet. In inferiori parte numiſmatis hujus hæc verba legebantur: *Adventus Aug:* alludendo ad felicem Principis reditum in ditionem & ſtatum ſuum. Cum item in numiſmate figura hominis apparuerit, qui dextram ſuam dextræ alterius conjunxerit, præſente muliere quadam armata, denotat, juxta Erizzum, quod Imperator Imperium ſuum alteri largiatur, & in alium devolvat, conſentiente Roma univerſa.

Translatio Imperii in alterum.

Congratulatio, quæ Principi fit.

Homo genu flectens, qui dexteram ſuam Imperatoris dextræ conjungat, ſecundum quoſdam, congratulationem innuit, quam Provinciæ imperatori, præſertim Phryges, triumphanti exhibent. Porrò bini homines, jungentes dextras, duorum Principum concordiam figurant: ſi autem duorum alter thalari toga indutus, alter pallio videatur (quæ ſimulacra in moneta quadam Caji Egnatii apparent) cum interim ex adverſo latere Cupido alatus cernatur: his figuris Concordia deſignatur, quam oportet inter literas ſimul & arma verſari. Sic Gabriel Simeon in Quadro quodam per hominem togatum *Pacem* expreſſit: & in alio, per hominem pallio tectum, occaſionem ſumpſit exprimendi *bellum.*

Concordia Principum.

Fides.

Simulacrum humanum, gerens dexteram extenſam, & porrectam, atque eodem tempore læva ſua oblatum ſuum ſuper altare collocans (ſicut moneta Antonini Pii continet) *fidem* demonſtrat: Ejuſdem ſortis moneta quædam aurea eſt Lucii Ælii Cæſaris, cum inſcriptione: *Pietas:* In nummo quoque Gordiani Pii ſimulacrum eſt hominis, qui manus in cœlum levat, cum inſcriptione: *Pietas Aug:* Denique in moneta quadam Juliæ Piæ ſimulacrum Veneris cernitur, qua dextram extendit, ſiniſtrâ haſtæ ſuæ incumbit, portans ſecum Epigraphen: *Venus Genitrix:* volens per hoc inſinuare, vana credulitate Romanos authumaſſe gentem Juliam genus ſuum derivare à Venere. Non minus per hoc parturientibus fæminis augurare felicitatem intendebant.

Pietas.

Venus Genitrix Romanorum credita.

Cum

Cum autem monetarum infinitus penè ſit numerus, eorumque uſus jam ubique receptus, tantique momenti ſit, ut non immeritò fundamentum commerciorum appellari poſſit, ſicut omnium quoque poſſeſſionum, & bonorum temporalium: cumque præter hæc ingenia moderna tantarum inventionum feracia ſint, & tantis ſignificationibus copioſa, in tanta farragine ſcriptorum, qui de his fuſiſſime rationati ſunt, quippe quod brevitatis amicus ſim, ea quæ rariora, aut pretioſiora mihi viſa fuerint, tam ob materiæ vel metalli, quam ob ingenii excellentiam ſelecturus ſum. Uſus enim antiquorum erat monetas, vel de cupro, vel ære, vel aurichalco formare: illa enim hominum ætas tum tempeſtatis minus avara erat, quam hodiedum: ſæcula tum aurea vigebant, cum avaritiæ tyrannis necdum invaluiſſet: poſtquam hæc imperium & dominationem indebitam ſibi vindicavit, ſub jugo ferreo humanum genus ingemiſcit.

Sæcula aurea olim erant, necdum avaritia prædominante.

Monetæ Imp. Auguſti raræ.

Rara ſunt Numiſmata argentea Imperatoris Auguſti, præcipuè tamen ea, quæ ex uno latere coronam quernam repræſentant; rariſſima adhuc quæ Cæſares equo inſidentes exhibent. Talia ſunt, quæ ex ære fuſa Imperatoris Titi Veſpaſiani cernuntur, præcipuè quæ Judææ captivitatem demonſtrant. Ejuſmodi conditionis ſunt monetæ Tyberii: illæ nimirum, quæ ex uno latere effigiem templi continent.

Item Caligulæ.

Rara item ſunt numiſmata ærea, cum Auguſti effigie, quæ ex uno latere ſculptam exhibent coronam roſtralem. Similia ſunt his numiſmata Caligulæ, præſertim quæ ſimulacro Deæ Pietatis condecorata ſunt. Ejuſdem item conditionis ſunt, quæ Claudium Imp. ferunt, quorum latus inverſum bina Cornua copiæ exhibet.

Item Neronis.

Pauca præter hæc numiſmata ſunt ærea Neronis, quarum pars poſtica roſtratam navem gerit. Propemodum omnes monetæ abolitæ ſunt, quæ Imaginem Poppeæ præſeferebant. Conſimilis raritatis ſunt nummi Imperatoris Galbæ, monſtrantes ſtatuam victoriæ: in pari gradu ſunt Alexandri Severi, in quibus duo capita apparebant: ſummæ autem raritatis ſunt, quæ imaginem templi inſculptam poſſidebant. In eundem modum dicendum de numiſmatibus Commodi, in quibus Deorum genitrix cernebatur: ſed omninò interierunt, quæ quatuor anni tempora, in quatuor diverſis pueris referebant. Inveniuntur utique plura Antonini numiſmata, ſed rariſſima ſunt, quæ effigiata ſpectantur, cum Imagine Italiæ, repræſentantes Anchiſen portatum Æneæ humeris. Idem dicendum de iis, in quibus Imperatoris Trajani imago cernitur, ubi plures figuræ comparent.

Item Galbæ.

Item Commodi.

& Antonini.

& Trajani.

Rara admodum ſunt numiſmata Lucii veri, quæ quantitatem imaginum gerunt, præſertim ea, quæ effigiem Imperatoris circumferunt, coronati per matronam quandam, in qua Roma intelligitur. Raræ item ſunt monetæ Marci Aurelii, ubi plures item figuræ occurrunt: rariſſimæ, ubi templum Dianæ Epheſinæ cernitur. Sic nummi Nervæ cum ſimulacro Romæ ſunt renaſcentis. Paris raritatis ſunt nummi Caracallæ, in quibus ſimulacrum Herculis apparet: imò quaſi deperditi ſunt, qui Herculem exhibent, occidentem hydram. Numiſmata Getæ cum ternis figuris hominum equitantium difficulter inveniuntur; ſicut & illa Alexandri, in quibus effigiem ſuam excudi fecerat, cum effigie

Matris ſuæ Mammeæ. Item numiſmata Gordiani Junioris, cum pluribus figuris ſupra pontem. Difficilis item inventionis ſunt, & rara eorum memoria eſt, quæ ſimulacro Herculis, & Mercurii inſigniuntur.

Vix reperiuntur monetæ Regis Philippi, cum effigie ſua, & ex altero latere filii: ſicut perpetuæ oblivioni data ſunt numiſmata Martiæ, cum imaginibus Philippi, hoc eſt Patris, & filii. Omnium denique rariſſima ſunt Vitellii, propter quod in magno pretio ſunt. Tales quoque ſunt, quæ effigiem habent vultuum, Caligulæ, Neronis, Claudii, Germanici, Druſi, Galbæ, Titi, Nervæ, Paulini, Lucilli, Criſpinæ, Severi, Getæ, Caracallæ, Juliæ Piæ, Juliæ Mammeæ, Maximi, Maximiani, Papieni, Balbini, Philippi Junioris, Decii Junioris, Treboniani, Voluſiani, Valeriani ſenioris, & Galieni, aliorumque, quæ cum magno labore, multo tempore, cum magna reſervatione, & diligentia excuſa fuerunt.

Numiſmata Vitellii in magno pretio.

Quæ numiſmata rara ſint, & hinc pretioſa.

Has raritates huc afferre ſtatui, ut cum hæc conditio talis ſit, quæ pretium rebus adaugeat, ſi quis in harum poſſeſſione aliqua eſt, æſtimationem rei noverit, & cum quanta cura cuſtodienda ſint, non ignoret. Scio non deeſſe alias ab his diverſas: Sed ego cum doctiſſimo Aldrovando ne faſciculum in immenſum adaugeam, his quæ attuli acquieſcendum eſſe ratus ſum.

Sed ſilentio inter alia prætereundum non eſt volumen inclytum Doctoris, Valerii Chimentelli, viri eminentis in univerſitate Piſenſi, quod typo datum eſt in doctiſſima patria mea Anno 1656. ubi ſtudioſè admodum, & copioſè ratiocinatur ſuper ſtatuam quandam Piſanam, eamque marmoream, de Honore, Officiis, Gradu, conditione omnium ſedium imperialium, & ſequentium, adducens quaſdam heroum ſedentium monetas, pares iis quas jam ſupra attulimus. Itaque ad demonſtrandam reverentiam, & honorem, qui Imperatori debetur, Romani, præter alia, conſuetudinem habebant, etiam durante Interregno, ut in medio Senatus, aut Conſilii binas ſedes collocarent, ſimul ſtatuam, & ſimulacrum defuncti. In cujus rei fidem plura teſtimonia Authorum in medium profert. In duabus illic ſedibus elevatæ perſonæ binæ ſpectabantur, una haſtata in dextra, & altera coronata lauro, quæ ſimul confabulari videbantur, cum lemmate, quod numiſma illud circumdabat: *Cajus Sulpitius Platorinus.* Item imago alterius, ſedentis, toga longa induti, cum victoria alata in dextra: in medio monetæ hæc legebantur: *Imp. Cæſar.* Rurſum alia haſtam in ſiniſtra portabat, coronata ramis olivarum, gerenſque volucrem in dextra, præmemoratum augurium indicans. Porrò illic alia figura eſt, quæ manum ad ſerpentem extendit, interim ibidem ſupra columnam parvulâ ſimulacrum hominis erectum eſt, qui lauro arbore circumdatus apparet, quæ in terra plantata eſt; porrò ſedes, cui inſidet, has literas gerit: *Salus Auguſti.* Concordat hoc cum iis, quæ ſupra meminimus. Figura abundantiæ, cum Cornucopiæ in manu, pariter ſedebat: alia togata erat inſidens ſedili antiquo, cum ſceptro Belliducum in manu dextra, cui verba ſequentia in gyrum ſcripta erant: *Securitas Auguſti.*

Statua defuncti Imperatoris in ſede collocata.

Salus.

Securitas.

Perſonæ quatuor ſedentes, quarum ſedilia ſupra ſcabellum elevata erant, & quarum una lanceam, altera Cornucopiæ tenebat: in latere

dextro

Liberalitas.

Felicitas ſæculi.

dextrò quaſi quadrum aliquod erat: ad pedes ſolii hujus rurſum quiſpiam erat, admirans præfatas ſiguras quatuor, appoſitâ hac declaratione: *Liberalitas* Auguſti: alludendo ad magnificentiam Principis hujus: rurſum quatuor homines in alto emicant, qui ſe invicem ſpectare videntur, unus autem ſubtus ſoliũ eſt, qui ſuperiores omnes intuetur: adjunctæ ſunt literæ *felicitas ſæculi.* Item duæ figuræ cum eadem actione, veſtitæ paludamentis imperialibus, quarum una dextram extendit porrigens denarium, coronata lauro, cum expreſſione ſequenti: *Liberalitas Auguſti.* Idem præmemoratus excudi fecit monetam auream, è proprio genio ſuo, quod ſolidiſſimum erat, ubi ſedes non diſſimilis cathedræ ſpectabatur, in medio alterius ornamenti admodum elegantis, quod de diverſis perſonis in inferiori parte ſuſtentabatur, inter quas mytratæ multæ erant, quædam palmas manibus geſtabant, à parte ſuperiore ab Angelis regebatur, ſubtus quos altare cernebatur cum Cruce: quæ ad ornamentum illud alludebant, quod felicis memoriæ glorioſiſſimus Pontifex Alexander ſeptimus, Cathedræ, in qua primus omnium Pontificum S. Petrus ſedit, fieri curavit, ſequentem ſententiam adjungens: *Eccleſiæ fundamentum, Prima ſedes, fidei Regula.* Unde abundantiſſimam, & liberaliſſimam remunerationem reportavit de eo, quod rationi & judicio, pietas & Liberalitas Alexandri præmemorati ſociaverat: itaque de ampliſſimo hoc dono præfatus Author inquit: *Quod cùm reverenter, tum fideliter præſto: Quoniam ubi hæc ſcripſeram, in ipſa editionis mora, aureum ejuſdem typi numiſma juſſit ad me mitti ſanctiſſimus Dominus noſter, cujus nihil non eſt aureum, mens, lingua, manus.*

Cathedra S. Petri in Roma.

De his, horumque ſimilibus aliis monetis, & numiſmatibus, hominum ſedentium, copiam liberaliſſimam adducit vir ille prudentiſſimus, veraces ſuper hæc Authores ſuos, in libro eruditiſſimo, intitulato: *De honore Biſelii;* producens: quem librum dixerim meritò in cujuſvis eruditi, curioſi, & viri literati Muſæo collocandum eſſe. Atque hæc, in præſenti materia ſufficiant; tranſeamus nunc ad aliam huic non diſſimilem, ſed inſuper neceſſariam, ad humana inquam

SIMULACRA.

Ars Sculptoria nobiliſſima.

TAm nobilis, tam ſublimis, tam illuſtris ſculptoria ars eſt, ut cum prima ſui rudimenta, & principia de arte plaſtica deſumat, in manufacturis ſuis ipſius Dei operationem recognoſcat: ſempiternus enim ille ſculptor, *formavit hominem de limo terræ,* ad cujus imitationem humana induſtria ſe transferre auſa, non ſolum in promiſcuis petris, ſed in marmoribus quoque, formas hominum æternitati propemodum dare ſtuduit: Et quamvis longiſſimo ſæculorum decurſu, etiam hæc monumenta corroſa ſint, & temporum injuriæ ceſſerint, nihilominus per tanta annorum & ætatum ſpacia ex reliquiis ſuis docent, ſe ipſam adeo mortem & interitum ſuperare. Plaſtices primus Author, prout Plinius refert, Dibutadius Sicionius eſt; aut vero Ideochus Rethus, & Theodorus ex inſula Samo: quam primi in Italiam tranſtulerunt Eucirrappus, & Engrammus. Poſthæc per incrementa artis à tabulis, à cera, à gypſo, & à luto figulorum ad ferienda, & vulneranda marmora ferrum arripuerunt, Lyſippi, & Parrhaſii, & Praxiteles, & nunquam ſat laudatus Phydias, qui opere unico, quod inter ſeptem mundi miracula recenſitum fuit, Jove nimirum Olympico, nomen ſuum æternitati transſcripſit. Qui deinceps, cum Minervam ex auro fudiſſet magnitudine viginti ſeptem cubitorum, cum admirabili ordine, & exquiſito artis magiſterio, in ſcuto quodam Conflictum Amazonum & Gygantomachiam, item in pedum ſolea Lapithum, & Centaurorum pugnas fabrefecit.

Primus Author Plaſtices.

Jupiter Olympicus à Phydia ſculptus.

Præter hos in conſimili arte admirabiles non minus erant Polycrates, & Euphranor, & Myron, & Alcimenes, & tot alii, quorum hiſtoriæ meminerunt. In his copioſi ſunt Petrus Crinitus inter alios, & Rhodiginus. Tam nobilis, inquam, hæc ars eſt (prout ingenioſe admodum Georgius Vaſarus refert) ut multas ſimulartes, huic congeneres complectatur, ſicut ſunt quæ figuris elevatis vel è terra, vel gypſo, vel cera, vel ebore, vel ligno fiunt: ejuſdem generis eſt metalla fundere, item in lapidibus pretioſis exſculpendis, aut in chalybe laborare, & alia horum ſimilia, quæ & numero, & materia picturam exſuperant.

Lib. 1. de hon. Diſcip.

Hinc eſt quod ſculptoriæ Artis fautores & diſcipuli, eam pictura nobiliorem, & magis utilem deprædicant, eo quod artis opera, & monumenta celebritatem nominis Authori ſuo, propter durationem fidelius conſervant, quam telæ pictorum: quæ etiam in abditiſſimis, & munitiſſimis cubiculis facilè corrumpuntur, & depereunt: interim quæ ſculpta ſunt per varias anni tempeſtates, & ſæculorum periodos, injuriis temporum impavida reſiſtunt: eandem primitivam formam conſervando in omni loco, ſitu, & parte, id quod pictoriæ arti denegatum eſt: Sculptoria ſiquidem ubivis locorum opera ſua exponit: hinc ars veraciſſime dici poteſt, non mentiens, nec fingens colorum fallaciis, ſed cuncta naturaliter repræſentans.

Ars ſculptoria ſecundum quosdam picturæ præfertur.

Picturæ facilè depereunt.

Denique ſculptorem ſummi judicii, & ſummæ providentiæ oportet eſſe, antequam enim ad tractandum, aut incidendum marmor progrediatur, neceſſe eſt, ut omne opus jam mente præconcipiat, & quaſi delineatum conſervet, antequam in opus prodeat. Hæ & harum aliæ conditiones non abſimiles ad operarium laude dignum requiruntur.

Sculptores judicioſos eſſe oportet.

Per has, & hujuſmodi alias rationes ergò, inter infinita ſimulacra, facta in forma hominum, quæ quotidie oculis noſtris patent (diverſa nihilominus à ſtatuis, de quibus loco ſuo & tempore mentionem habebimus) veſtigia doctiſſimi Aldrovandi inſequens, prout ante jam factum eſt, & deinceps facturus ſum, ea quæ maxime neceſſaria, quæ utiliſſima, & potiora mihi viſa fuerint in medium allaturus ſum. Ob nimiam vero multiplicitatem eorum, applicationibus faciendis ſuperſedendum ratus ſum, legentis judicio permittens, ut pro libitu ſuo, & ſicut maximè viſum fuerit, ad uſum & ſervitium ſuum ea convertat.

Itaque inter Authores maximè conſpicuos, qui de ſimulacris Numinum, & deorum gentilium diffusè ſcripſerunt, Cartarus unus eſt: qui maxime oblectatus eſt ea ſimul colligere quæcunque inter antiquos obſervata ſunt: pro beneficio ſtudioſæ poſteritatis ſat amplum volumen relinquendo, figuris condecoratum, quibus ea, quæ memoravit, ad vivum expreſſit. Ego verò ne volumen volumine obruam, Lectorem eò remiſſum volo, ſi quidem in his latius erudiri deſiderat. Mihi ſuffecerit ea huc collocare, quæcunque Aldrovandus ad manum dederit.

Imagines falſorum deorum Cartari Rhegiani.

Opti-

Optimum principium eſt, quod ab Authore omnium, & Creatore deſumitur: itaque ut ab eodem auſpicia noſtra mutuemur, paucis demonſtrabo, qualiter ab antiquis, & quali figura hæc divina majeſtas oculis hominum repræſentata fuerit. Hominem olim Ægyptii comparere faciebant, veſtitum colore cæruleo, cum circulo ornato ſtellis in dextra, ſceptrum autem & pennam in ſiniſtra: de ore ejus ovum prodibat, ex quo infans excludebatur. In ſceptro majeſtatem regiam intellectam voluerunt, in penna difficultatem rerum temporalium, in circulo ſtellis coronato, conformitatem mundi aſtralis ſuperioris cum inferiore, motum item circularem Cœli, & Mundi: per ovum, cui infans incluſus erat, Vulcanum denotabant, hoc eſt ſymbolum ejus caloris, qui viventes progenerat, & informat.

Imago Creatoris, quomodo ab antiquis repræſentata.

Calor informans.

Rurſum ad explicandam magnitudinem, & omnipotentiam Creatoris, & univerſitatis Authoris, ſculpebant, imo & depingebant Infantem ſedentem in arbore ſemper viridi: alludendo ad ævum illud æternum, quod nil de ſenectute novit. Ante adventum Salvatoris ipſis adeo Paganis diviniſſimum ſacro-ſanctæ Trinitatis myſterium aliquatenus patefactum fuit, ſiquidem Deum Phydium Sabinorum triplici facie ſculptum exhibuerunt: quod jam alibi à me memoratum eſt: hæc autem figura tantopere apud eoſdem in veneratione fuit, ut cum omni obſequio, & reverentia quidquid fide publica ſancitum vellent, juramento apud ſimulacrum hoc firmarent: in ternis verò figuris his, quæ ex uno loco ſurgebant, impreſſum erat: *Honor, fides, veritas:* quæ cuncta jam alibi à me fuſius applicata ſunt.

Deus nunquam ſeneſcens.

Sacratiſſima Trinitas gentilibus innotuit.

Deus Phydius trina facie cultus.

Ad demonſtrandum autem, quàm vana fuerit eorum ſuperſtitio, præterire nequeo, quin huc ſequentes verſus collocem:

Jupiter, Orta freto, Saturnus, Bacchus, Apollo,
Mercurius, Pallas, Juno, Diana, Ceres,
Neptunus, Pluto, Janus, Mars, atque Cupido,
Numina ſunt, falſis annumeranda diis.

Sit mihi interim licitum, tanquam in tranſitu, eorum ſimulacra hic proponere, ut nimirum diverſitatem figurarum humanarum intueamur, quibus olim eorum dii intellecti, & compoſiti fuerint. Exordiamur à primo in Cœlis, quem omnium quoque Numinum primum crediderunt, Saturnum inquam, quem cum exhibere vellent, Senem fingebant, capite diſcooperto, in dextra armatum falce, & involuctrum quoddam in ſiniſtra, cui quatuor infantes juxta pedes jacebant. Senem finxerunt, eo quod deorum omnium primus creditus ſit: capite detecto, eo quod ætate illa primitiva (quæ ſæculum aureum dicebatur) veritas ridenti & aperto vultu ſe videndam dabat: falx inſuper denotabat, nil in orbe terrarum eſſe, quod non proceſſu temporum deficiat: quod verò ſenex ille devorare involucrum videbatur, ſymbolum item erat, omnia conſumi, & devorari tempore: denique pueri quatuor ad pedes projecti, quatuor elementorum figuram præſeferunt.

Saturnus.

Veritas.

Alii Saturnum aliter expoſuerunt; vetulum eum fingendo, ſeminudum, cum figura ſerpentis in dextra, per modum circuli, caput coopertum habens panno viridi, videbatur autem lento paſſu incedere. Quod omne facilè declarabitur, ſi per ſerpentem anni circulus intelligitur, qui in ſemetipſum convertitur, involvitur, torquetur, & unitur. Per viridem pannum ver, per canitiem nivale, & brumale hyemis tempus, per inceſſum lentogradum, tarda ſphæræ Saturni revolutio indicantur.

Alia Saturni ſignificatio.

Alii Saturnum cum ſerpente pinxerunt, qui caput ei circumdabat, caput apri in dextra, & leonis in ſiniſtra: in hac figura trium Capitum repræſentatur tempus præſens, præteritum, & futurum. Hæc univerſa ſunt, quæ de præmemorata Deitate dicta volui, remittendo lectorem ad Mythologias prudentiſſimas, & ad omne id, quod cum Cartaro, doctiſſimus Giraldus, in eruditis Syntagmatibus ſuis poſteritati dedit.

Alia adhuc Saturni imago.

Figuræ Jovis, quem antiqui inter Deos maximum æſtimàrunt, Cœlorumque Dominum, in variis formis, & modis apparuerunt: ita quidem, ut ſi omnia inventa & cogitata, ſi ſignificationes omnes huc adducere quis tentaverit, Anticyram navigaverit: itaque lectorem meum non niſi præcipuis fatigabo. In primis delineatus erat in figura hominis nudi, & ſine ventre, in ſiniſtra ſceptrum gubernans, in dextra aquilam: per nuditatem partis ſuperioris & claritatem & lumen intelligebant, quibus ſe altiſſimus Deus intelligentiis cœlorum manifeſtat, & revelat: per partem inferiorem, quæ veſtita erat, intellectum volebant, Deum ab hominibus cognoſci non velle: id quod ſacræ literæ teſtificantur: *Deum nemo vidit unquam.*

Jupiter.

Deus manifeſtus in cœlis, inacceſſibilis hominibus.

Demonſtrabatur item per imaginem hominis ſedentis in tribunali, cui fulmen erat in dextra, in ſiniſtra lancea; ſicut jam paulò ſupra in monetis exhibuimus: In hac forma Jovem Patrocinantem, & Cuſtodem intellexerunt. Rurſum alii ſe eum ſedentem vidiſſe ajunt, figuratum ſupra binos Tauros, ambabus manibus ſtringendo fulmen: ſic Jovem Ultorem deſignatum voluerunt. Ad hoc Poëta quidam Ethicus reflectendo, ajebat:

Item imago Jovis.

Cartarus.

Siquoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

Demonſtrabatur item cum fulmine in dextra, & pelle caprina in ſiniſtra, intelligendo per hoc, quod divina majeſtas non niſi juſtiſſimis de cauſis caſtiget delicta noſtra, in pelle enim præfata univerſas humani generis actiones deſcriptas fabulati ſunt. Cùm porrò nativitatem Palladis expreſſuri eſſent (ſi mythologos antiquos ſequimur) hominem proponebant, qui bipennem utraque manu prehenſam, in ſublime tollebat, quaſi qui caput Jovi ſecare conaretur, de quo vulnere deinceps hæc Tritonia enata ſit: interim Jovem ſedentem exhibebant, declarantes in hoc fortitudinem, & ſapientiam Motoris illius ſempiterni.

Cur Jupiter cum pelle caprina videatur.

Pallas.

Figura hominis, qui bilancem auream regit, & quæ nunc in illam, nunc in alteram partem declinet, denotat: omne bonum, & malum, hoc eſt & præmia juſtorum, & flagella ſceleratorum, & pœnas reorum de manu Dei provenire. Hinc optimè S. Bernardus: *Deus timeri exigit ut dominus, honorari ut pater, ut ſponſus amari.*

Deus Juſtus.

In Cant. Serm. 83.

Ad ſignificandam item divinæ tutelæ ſecuritatem, hominem figurabant de latere dextro, fæminam de ſiniſtro ſtantem, uterque manum dextram infantulo porrigebat, qui iter quoddam ingrediebatur; quorum hic puerulus nos homines, mulier vero providentiam divinam, homo à dextra Deum ipſum denotabat. Hinc S. Auguſtinus. *Deus medicamentum eſt non ſano, regula eſt plano, habitatio eſt deſerto.* Quidam inquiunt per præmemoratum hominem figurari honorem, in fæmina veritatem, fidem reſervatam in puerulo.

Tutela divina.

Serm. 9. in Ioan.

Honor, veritas, & fides.

Apud varias nationes diverſimodè figura Jovis

expreſſa

Jupiter diverſimodè figuratus; ab Ælianis.

expreſſa fuit: ſicut enim variæ earum cogitationes erant, intentiones, cognitiones & deſideria, quiſque pro arbitratu ſuo hanc Deitatem formabat. Æliani eum per hominem exprimebant fabricatum ex auro, & ebore, collocatum in ſede regia, coronatum præterea ſertis ex olivarum ramis compoſitis, cum imagine victoriæ in dextra, cum ſceptro in ſiniſtra, cujus extremitatem aquila occupabat, globus in quo ſimulacrum illud erectum erat, de auro fabricatus fuit, contextus variis animalium, & florum figuris. Eximium opus, niſi tenebris ſuperſtitionum, & infidelitatis denigratum fuiſſet.

A Leontinis:

Leontini Jovem in figura hominis monſtrabant, cum aquila in ſiniſtra, cum haſta verò in dextra.

Ab Arcadibus.

Eundem alii (inter quos Arcades ſunt) in forma Adoleſcentis nudi repræſentant, tenentis pateram, & Scyphum in læva, tyrſum verò in dextra, cujus ſummitatem aquila inſidebat, & qui cirum quaque pampinis decorabatur.

à Cretenſibus.

Cernebatur olim in Creta ſimulacrum humanum, auribus deſtitutum, quod Jovis eſſe dicebatur: Inſinuando per hoc, quod qui thronum occupat, non ſecus ac Jupiter, quemque in publico, neminem in privato auſcultare teneatur, omnium verò ei curam habendam eſſe. Hoc præceptum item Platonis eſt:

De Conſul.

Nunquam decernas, inquit, *niſi tu prius audias omnes.*

Jupiter quaternis auribus repræſentatus.

E contra Lacedæmonii pro Jove hominem demonſtrabant, quatuor auribus inſignitum, volendo per hoc indicare prudentiam Principis, cui ad omnia applicatam aurem eſſe oportet, quem ad omnia vigilantiſſimum eſſe neceſſe eſt: nec id ſolùm, ſed malum cum patientia tolerandum, quo eum populus ſæpè cavillatur. Sic Antigonus, ſic Alexander, ſic Scipio ſecum ſtatuerunt, prout de his paginæ & volumina ſcribentium referta ſunt.

Idem in tribus oculis.

Ex eadem ratione alii ſimulacrum Jovis tribus oculis dotant, in hoc naturam Principis denotantes, quam ejuſmodi eſſe oportet, ut ad omnia invigilet, & omnibus intenta ſit, quamvis internis oculis iſtis divinam quoque potentiam Cœlo, terra, marique imperantem figurent. Denique apud nonnullos in aſpectu hominis eſt, qui dextra avem, in ſiniſtra fulmen gerit, coronatus varietate florum.

Apollò.

Poſt Jovem non immeritò primum ſibi locum vendicat Apollo, qui idem eſt, quod Sol. Cum enim hic ſit vitæ Diſpenſator, magna mundi lampas, Cœli oculus, coronatus diademate aureo, juſtum eſt, ut hic ei gradus ſtatuatur. Itaque inprimis qui Apollinem exhibuerunt, eum in figura Adoleſcentuli decori vultus apparere fecerunt, capillis quaquaverſum aureis, pallio purpureo & deaurato induti, qui in dextra ſcutum geſtet, facem in ſiniſtra; quæ omnia juſtiſſimam analogiam habent cum ſole, quam non difficulter deprehendet, quicunque vel micam ſanæ mentis poſſederit.

Achæi.

Apud Achæos in perſona hominis nudi apparebat, calceati nihilominus, qui pedum uno caput bovis calcabat: fortaſſis indicando beneficium, quo campos noſtros fœcundat, qui labore boum coluntur.

Quod agri beneficio ſolis fœcundentur.

Lacedæmones quaternis manibus, & auribus ſapientiam indicant.

Apud Lacedæmones ſimilacrum humanum monſtrabatur, quaternis manibus dotatum totidemque auribus, quo ſapientiam figuratam volebant, cujus Anteſignanum & Principem ſtatuebant Apollinem, ad ſapientiam enim, ſine copioſa auditione. & ſtrenuo labore, non ſolum operoſum eſt pervenire poſſe, ſed omninò factu impoſſibile. Erat illic effigies Numinis hujus, tecta caſſide, triginta cubitorum longitudine, arcu & haſta inſignis, ad denotandum robur, & potentiam Solis; quamvis Cartarus velit, per hanc figuram ſimulacrum Martis intelligendum.

Sol repræſentatus in Juvene.

Ad denotandas inſuper alias conditiones Solis, Juvenem depingebant, qui ſagitta ſua jam in arcu ad ſagittandum aptata, lacertam percuſſurus videbatur, hoc declarantes, quod cum ſol radiis ſuis terram ſiccaverit, de putredine hujuſcemodi animalcula progenerari vetet: unde in præfata quoque forma figuratus fuit, ſed inſuper pede talpam conculcans.

Item aliæ imagines ſolis.

Imago hominis, cui caput ex parte una rarum eſt, ex altera conſitum capillis, pro ſole acceptata fuit, intelligendo per hæc ſolſtitium hyemale, & æſtivum, hoc eſt, dies longos, & abbreviatos. Aſpectus hominis nudi, de cujus cervice duo cornua prodeant, qui miſſili ſuo vel ſagitta percuſſurus videatur hominem, pro imagine Apollinis aut verò ſolis acceptatur, qui radios ſuos ſupra terram diffundat. Homo denique in petra quadrata, qui caput leonis exhibeat, cum cornu bovis, in utraque manu, ſolem indicat, qui à Perſis *Mura* nominatur.

Lunæ imagines.

Si commenta Poëtarum intueamur, dixerunt hi Phœbum, & Dianam uno partu à Latona & Jove prognatos: unde cum ille Phœbus, hæc Phœbe nominata ſit, non immeritò poſt fratrem, hoc eſt ſolem, in figuris & ſimulacris ſoror ſubintrat. Hæc autem varia nomenclatura inſignitur, hoc eſt: Hecate, Proſerpina, Luna: variis item imaginibus copioſiſſime à ſcriptoribus delineata legitur, è quibus varia inſuper myſteria deducunt. Ego verò, qui brevitatem ſector, quacunque iter mihi compendioſiſſimum patuerit, illuc ingrediar.

Luna quomodo apud Ægyptios figurata.

Itaque figura hominis nudi, cum vultu qui niſum avem repræſentet, indicium & Hieroglyphicum Lunæ erat apud Ægyptios: indicando per hoc, quod Luna à ſole lumen ſuum mutuetur, præfata autem avis ſoli in ſacrificium immolari ſolita fuerit: prout alibi meminimus. Cartarus idem ſimulacrum exponit, ſed cum capite arietis, demonſtrando, quod Luna ſoli juncta, cum in domum hanc arietis pervenerit majorem mortalibus humiditatem diſpertiatur.

Tempora.

Menſis partitio.

Juxta mentem Heſiodi in figura quoque hominis tricipitis repræſentatur, idque ob rationes jam ſuperius adductas: ob Dianam nimirum in terra, Lunam in Cœlo, Proſerpinam in Inferno. Denotantur hic quoque tempora præſens, præteritum, & futurum. Poterit item ſymbolum eſſe menſium, qui in Calendas, Nonas, & Idus dividuntur. Alii hac forma Tricorporem, & Triformem Geryonem ſignari volunt. Alii rurſum in hoc Regnum Hiſpaniæ intelligunt, quod cum vaſtiſſimum ſit, tripertitum eſt, cujus Rex Gergon fuiſſe dicitur.

Mercurius informat omnia.

Spiritus aſtralis hominis.

De hoc triplici vultu ad videndas Icones, & Imagines volantis & velocis Dei, inſtabilis inquam Mercurii tranſeamus, qui ob rigorem ſuum dictus eſt Cauſa agens, Anima informans, & metallorum, & mineralium, & mixtorum, imò & fructuum, & florum: verus ſpiritus aſtralis hominis, ſicut aſtra dici queunt ſpiritus Mercuriales Cœli.

Mercurius ſcientiarum Inventor.

Hic Mercurius primum in imagine ſua Juvenem repræſentat, cui pileus alatus ſit, cum thalaribus in utroque pede, in manu Caduceus. Plures etiam ſerpentem caduceo adjungunt. Alii eum in figura quadrata exhibent, dum aſſerunt eum quatuor pulcherrimarum, & maximè neceſſariarum Profeſſionum Inventorem fuiſſe: Grammatices, Muſices, Geometriæ, & Palæſtræ: hæc univerſa ſunt, quæ de hoc ſimulacro dici poſſunt.

Mars.

Homo item à capite ad calcem uſque armis gravatus, qui ferociter vultu, & oculo protervo haſtam vibret, ſiniſtra flagellum circumgyrans, & concutiens, qui quandoque ſit equiti, quandoque pediti ſimilis, quandoque curru ſublimis vehatur, effigies conſueta furibundi Martis eſt; per quam tria præliandi genera denotarunt, hoc eſt vel equitum, vel peditum exercitus, vel denique curribus inſidentium.

Fama Martem præcedens.

Notandum tamen, quod effigies famæ alatæ, cum buccina in ore, hoc Numen ſemper præcedat, idque juſtiſſima ratione, nec enim peripetia aut Cataſtrophe ulla terrarum orbis eſt, quæ magis famam occupet, quam caſus & fortuna Martis, per quem funera inopina, & acerbi eventus, propter igneam ſui naturam ſæpius progignuntur. Hic Mars itidem per hominem figuratur protractum in curru à quatuor equis, qui flammas de naribus & ore, & oculis evomunt, ad demonſtrandam naturam igneam Planetæ hujus.

Amor.

Hic locus me tandem ad fortiſſimum deorum omnium (ſi mortem exceperis) conducit, qui teſtificantibus non ſolùm hiſtoriographis, ſed Phyſicis quoque, & Poëtis, expeditiſſimus ſemper extitit ad ſubvertendum, ad jaciendum tela ſua ignita, non in orbe terræ ſolum, ubi principale centrum illius eſt, ſed in cœlo quoque, in Mari, in ipſis adeo Inferni ſpecubus. De Amore loquor, vero ſpiritu æthereo, Elementari, & naturali, de quo veraciter Ovidius:

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.

Hic ego in amplificationum copia non ultra diſtendar, ubi tanta Authorum multitudo jam ante me deſudavit: ſed ſine ulteriori mora ad figuras ipſas, quæ affectus Amoris repræſentant, digrediar.

Capido in forma pueri.

Sed & hic de multis pauca, de mari non niſi fontem tangendo, inter primos ſe mihi eruditiſſimus vir Euſthatius offert, qui Cupidinem in forma pueruli nudi exhibet, cum pedibus alatis, curru aureo vectum, cui fax flagrans in dextra eſt, arcus in ſiniſtra, ad cujus plantas pedum evaginatus gladius eſt, ſecus ſimulacrum hoc ſpiſſiſſima turba omnis conditionis, ſortis, & ætatis hominum eſt: inter quos nihilominus obſervatu dignæ ſunt mulieres duæ, quarum una candorem nivium & lactis exuperat, altera obſcurior nocte, & carbonibus nigrior eſt. His videlicet homo ſagax fortitudinem, & vires Amoris explicuit: contra heroës enim arma ſua exercet, contra fæminas facem, contra feras arcum, pro volucribus autem alas plumaſque aſſumit. Nudus pingitur, ut & aquis innatando incendia ſua illuc jaciat. Binæ mulieres, candida, & nigra, hæc noctem, illa diem repræſentant, tam enim nocturnis, quam diurnis temporibus inhumanus ille deſævit.

Cur Amor cæcus pingatur.

Imago interim maximè conſueta Amoris eſt, ut puſio nudus exhibeatur, cinctus arcu, & ſagittis, & oculis faſcia tectis. Quæ enim vulnera tam atrocia, tam lethalia ſunt, quam quæ à cæco infliguntur? Singularis in hoc admodum eſt conſideratio plena acumine, quam verſatiſſimus Poëta Aldrovandus adducit, concernit autem cæcitatis myſterium, non quod veraciter cæcus ſit (inquit) ſcriptum enim eſt: *Oculi ſunt in amore duces*, ſed quod ſequaces ſuos excæcet. Verba ejus hic ſequuntur.

Cæcus an ille fuit, cæcum qui finxit Amorem?
Cæcus Amor non eſt; Lynceus ille nimis.
Nam vigiles ſunt illi oculi, pætique, trucesque,
Quos collimatos ad ſcelus omne parat.
Hic blandè illiciis nunc utitur: hicque tribunal
Imperii primùm deligit eſſe ſui.
Excubat unus in his, & ab his ſua ſpicula torquet;
Sive homines tentet, ſive ferire deos.
His oculos, pectus malè cauti figit Amantis,
Mox miſer, accepto vulnere, cæcus abit.
Sic quia fortè facit cæcos ſua caſtra ſequentes,
Caſſus ob id duplici lumine fertur Amor.

Amor cum clavibus.

Alii Cupidinem nudum, & alatum dederunt, duas ei claves in manus collocando, ad declarandum, quod cuſtos duarum ſit Portarum cæleſtium: unius, cum Animæ ad informanda & inhabitanda corpora humana deſcendunt, alterius, cum de hoc mortali ergaſtulo ſolutæ, ad ſphæram ſuam revertuntur. Credebant autem veteres amorem eſſe qui aditum ad ſempiternas regiones illas adaperiat. Hinc illud quoque ſanxerunt, unam hominum portam eſſe, alteram deorum.

Amor depoſito arcu liram tractans.

Verſatiſſimus Aldrovandus memoriæ dedit, vidiſſe ſe imaginem Amoris, qui depoſito arcu Liram tractaverit. Eſt autem omninò hæc ſententia Euripidis, qui Mundum liram nominavit, volens per hoc ſignificare vel conſonantiam animorum, qui ritè compoſiti ſunt, in quos facile Amor ſubintrat, aut verò quod omnes actiones ſuaviter ducente amore ad finem ſuum perducantur (ſic non immeritò quidam navigio lemma ſequens ſuppoſuit: *Carmine docet ire*) aut verò ad demonſtrandam proportionem decori vultus, qui debita compoſitione ſua harmoniam muſicam imitetur.

Amor Sanctus, & vitioſus.

Porrò ad exhibendum Amorem Sanctum, & Amorem vitioſum, binos infantes figurarunt, hunc Erotem, illum verò Anterotem appellando. Hi ambo nudi erant, pariter ambo armati arcu, & pharetra, ferociter invicem præliantes, idque ut alter alteri palmam præriperet, quam nunc ille, nunc rurſum alter compreſſis manibus tenaciſſime ſtringebat. His duobus Amoribus elevatiſſimus vir Alciatus uſus eſt in emblemate centeſimo primo, ſubſcribens hæc: *Amor virtutis, alium Cupidinem ſuperans*, adjungens Erotem ligatum ab Anterote ad arborem quandam, interim arcus & ſagittæ illius ab igne conſumuntur: totum autem hoc ſequenti Epigrammate animatum eſt:

Aligerum, Aligeroque inimicum pinxit Amori,
Arcu arcum, atque ignes igne demens Nemeſis;
Ut quæ aliis fecit, patiatur: at hic puer olim
Intrepidus geſtans tela, miſer lacrymat.
Ter ſpuit inque ſinus imos: res mira! crematur
Igne ignis: furias odit amoris amor.

Amor reciprocus.

Poterit nihilominus, prout doctè ſentit Cartarus, hæc figura ad reciprocationem amoris transferri, dimicando pro palma, cum jam ille, jam rurſum alter victorioſus evadit, aut devictus: quin potius nemo eorum ſuperatur, cum certamen ſuave ſit, quod ſit in Amore.

Amor extinctus.

Ad demonſtrandam itidem oblivionem, & inconſtantiam Amoris, puerum depingebant alatum, & nudum, qui facem ſuam in torrente extinguebat: qui torrens Lethi dicebatur, oblivionem inducens: per facem autem extinctam, ſic Cupidinis ardores indicabant extingui. De hoc effectu dulciter Commentator Teſtius canebat:

Quell' incendio amoroſo Poeſ. Tom. 3.
Che ſi vorace nel mio Cor s' appreſe,
Spento hà de gl' anni il miſerabil verno;
D' un aureo crin vezzoſo,

E di due ſtelle in un bel volto acceſe,
Sangue freddo, Alma algente, or ſi fà Scherno;
Che di veleno eterno
Tinto non è lo ſtral d'Amor, ne dura
Da lungo gel mortificata arſura.

Bacchus.

Ego quoque non minus has faculas Amoris depono; frequens enim, & diuturna earum contrectatio, non niſi periculo plena eſt: quamvis de his ad faces Bacchi progrediar, non ut illic inebriari velim, ſed non niſi extremis labris delibaturus. Exhibetur ille inprimis in imagine pueri nudi, ſedentis ſuper ſaxum, qui utraque manu uvam teneat. In alia rurſum forma apparet, homo nimirum prolixâ barbâ, veſtitus oblongo paludamento vel pallio, in antro quodam proſtratus, circumdatus, & amictus vitibus, & pampinis, qui manu propinare ſcyphum videtur.

Bacchus pro Numine tutelari cultus.

In inclyta Civitate Heraclea Bacchus univerſaliter pro Numine tutelari acceptatus, & agnitus fuit. Demonſtrabatur autem cum cyatho in manu dextra, cum racemis quibuſdam uvarum in ſiniſtra. Quamvis alii rurſum in figura hominis nudi eum exhibuerint, cum botro uvæ in dextra, & pelle tygridis in ſiniſtra. Alii præterea in figura Juvenculi imberbis, hedera redimiti. Quidam de antiquioribus in præmemorata forma eum figurarunt, coronatum uvis, cum flagello in dextra, cum papaverum capitibus in ſiniſtra; per hæc indicando, quod qui meracius poculantur, de vapore muſti ſomno plerumque opprimantur. In ſimulacro flagelli, pœnæ & dolores repræſentantur, quibus ſe venundant, quicunque nimiæ bibacitati indulgent: id quod in præſenti dyſticho expreſſum eſt:

Scilicet, ut vino plenus det corpora ſomno,
Poſtridiè pœnas ſe meruiſſe ſciat.

Has figuras ſibi Alciatus uſurpavit, in Emblemate viceſimo & quinto, ſcilicet, ut bona, & mala vini exponat, puerum hunc nudum in pergula, vel æſtivo Xyſto collocavit, erat autem pro more ſolito vitis undecunque obumbratus & contextus, pampinis item coronatus, tympanum percutiens. Poterit autem ſedulus Lector ex ipſo Authoris fonte melius ſitim aviditatis ſuæ reſtinguere, illic enim ad rem præſentem plura utilitati ſuæ profutura inveniet. Emblema his verbis ſubſcriptum eſt: *In ſtatuam Bacchi*, cum prolixo Epigrammate.

Nymphæ Baccho junctæ, hoc eſt: Vino aqua immiſcenda.

Porrò & Nymphæ Baccho ſociæ ſunt, quæ ſi ſecundum metaphoricam ſignificationem ſuam exponantur, cùm Nymphæ in deorum numero ſint, præſidentes aquarum lymphis, indicare veteres voluerunt, ſalutare, magisque ſanitati conducens futurum eſſe, ſiquidem vino aqua immixta fuerit: Ne forte fumoſo vapore ſuo in ſublime latum, phantaſiam cerebri interturbet, & Rationis ſubverſio ſubſequatur.

Neptunus.

Sed cum hic mihi ſit aquarum facta mentio, ad imagines Neptuni tranſitum facio, qui Numen Maris æſtimatus eſt. Itaque figura ejus prima apparet, in capillatura cærulea, cum Tridente, & buccina, vel tuba in ſemetipſam multum retorta, ſtans in concha quadam marina, quam bijuges equi protrahant, qui poſtica ſui parte in piſcem terminantur.

Quare Neptunus cum tridente.

Tridentem interim peritiſſimi viri Neptuno aſſignarunt, vel ob imperium trium Marium, vel ob ternam aquarum differentiam, marinæ, fontalis, & lacuſtris: quibus omnibus Numen illud præſidere finxerunt.

Neptunus iterum aliter figuratus.

Rurſum aliter in perſona hominis nudi formatur, cum tribus zonis vel cincturis in dextra, & pallio, quod de humeris pendebat. Alii in eadem figura exprimenda hominem nudum expoſuerunt, pede proram navigii prementem, cui delphinus in dextra, in ſiniſtra verò tridens erat. Quoties verò hoc idem ſimulacrum in concha marina apparuerit, quæ à quatuor equis trahatur, cum muliere ad latus, quæ vultu decora ſit, una cum puerulo, qui delphino inſideat, juxta viros literatos, Neptunum deſignat, cum Amphitrite, & puerò Palemone. Iterum, ſi homo nudus ſpectetur, regali diademate redimitus, qui dextra tridentem gerat, ſiniſtra verò videatur algam, aut paleas geſtare: in his commoditas aquarum denotatur: quippe quæ navigationis beneficio tantopere humano generi ad commoditatem & utilitatem inſerviunt: unde adhuc ſub Judice lis eſt, an plus utilitatis de terra, an verò de aquarum elemento trahatur.

Neptunus, Amphitrite, & Palemon.

Utilitas navigationis.

Ex altera parte, ut unà cum Neptuno, de reliquis quoque Neptuni ſociis loquamur, qui pariter cum hoc numine à ſuperſtitioſa vanitate paganorum venerationem obtinuerunt, & obſequium: ſiquidem homo proponitur, cum capillis, qui ſimilitudinem apii paluſtris teneant, ſquamnis coopertus, qui oculos viridi colore tinctos repræſentet, circa ventrem alas quasdam, vel pinnas per modum delphini habens, inferiori verò ſui parte in piſcem degenerans, hanc effigiem Tritonis eſſe inquiunt. Sicut figura hominis caneſcentis, cum barba promiſſa, capillis ſparſis per humeros ſuperciliis hiſpidis, & ſimul unitis, cui pectus viridante muſco tectum ſit, ab inferiore parte, ſicut in figura jam prius memorata, piſcium formam imitetur, Tritonis ſocium, nomine Glaucum demonſtrat. In figura hominis ſenis, unà cum muliere ſibi coæva, qui ambo currui inſideant à duobus piſcibus protracto, quem quidam Tritones præcedant, comitati multitudine Nympharum, & turba piſcium, univerſi ſub Cuſtode unico: Neptunus intelligendus eſt, per fæminam Thetis, per Nymphas flumina, quæ ſe in mare effundunt, per currum Oceanus, qui terram circumdat, rotæ verò rotunditatem terræ ſubindicant, juxta quod Ovidius canit:

Triton.

Glaucus.

Ovid. Metam.

Terra pilæ ſimilis, nullo fulcimine nixa:
Aere ſubjecto tam grave pendet onus.

Et hic ego rurſum à mari pedem ad terras refero, ubi ſe imago cujuſdam repræſentat, qui tantum æſtimationis, & venerationis in orbe terrarum poſſidet, quippe qui arte ſua, & profeſſione inter homines tanta bona operatus eſt, ut ſæpè extremum mortis ictum retardarit. Æſculapium dico, quem antiquitas Protomedici nomine, & primi omnium Archiatri cohoneſtavit. Figurabatur autem, & intelligebatur in Apollinis filio, eoque Juvene, in veſtimento pallii, cum pini fructu in manu dextra, cum baculo, & ſerpente in ſiniſtra. Demonſtratur item in imagine adoleſcentis, qui ſiniſtrâ fimbriam veſtimenti ſui tenebat, quod omni genere fructuum adimpletum erat: in dextra binos gallos portabat, alludendo fortaſſis ad volucris hujus integram ſanitatem, aut ad vigilantiam, & indefeſſum eorum ſtudium, quicunque arti medicæ operam dare voluerint.

Æſculapius.

Simulacrum barbatum.

Alii præterea ſimulacrum hominis depingunt, cum barba ſpiſſa, cum pileo in capite, & qui pal-

lio

lio tectus ſit, habens in dextra imaginem adoleſcentulæ alatæ, in ſiniſtra bacillum, ſerpente circumdatum, cui gallina, & nocturna avis vel bubo ad pedes ſit. In quibus gallina diætam ægrotantis exprimit, noctua verò, quod ſymptomata morborum nocturnis temporibus, plus quàm diurnis incrementa, & acceſſus habere ſoleant; prolixa barba probatum medicum maturæ ætatis requirit, utpote quem oporteat una cum poſſeſſione doctrinæ, longiturnam quoque experientiam comparaſſe.

Medicos ætate maturos eſſe oportet.

Fingunt nonnulli Æſculapium barbatum in nativitate ſua prodiiſſe, hoc eſt, cum pilo hiſpido ſecus mentum; alii aſſerunt, eum pauco poſt partum ſuum tempore barbatum evaſiſſe: idque denotare, quod ſagacitate medici plerumque morbi facies mutari poſſit, ideoque evitandum ne occaſio debita è manibus labatur, juxta illum magni Hippocratis Aphoriſmum, qui inter primos legitur: *Occaſio præceps, experimentum periculoſum.* Sufficiant hæc, quæ de monumentis hiſtoriographorum, & Poëtarum adducta ſunt.

Æſculapius in nativitate barbatus.

Pan.

Succedit his alia rurſum perſona, honore Numinis condecorata. Simulacrum eſt, repræſentans ordinem, & harmoniam mundi: Pan nominatum: unde panicus terror derivat. Hæc effigies primam ſui adorationem in urbe Panos habuit, ſitâ in Ægypto. Figurabatur autem Pan, cum imagine lunæ è vicino, tenens flagellum in ſiniſtra, quod verſus illam elevare videbatur. Per hæc innuebant, quot res luna, ad vitam humanam neceſſarias, & proficuas ſubminiſtret.

Communis autem hujus Dei effigies, homo cornutus eſt, coronatus corona pinea, cui aures caprinæ ſint, facies flammas ſpirans, barba ad pectus uſque demiſſa, coopertus pelle pardorum, tinctâ maculis, cum paſtorali pedo in dextra, cum fiſtula (ſeptem cannis fabrefacta) in ſiniſtra. Cui medietas inferioris corporis ſimilitudinem caprinam habeat, cum cutis undequaque pilis numeroſis & condenſis tecta ſit. In hac forma antiqui reſtringere, vel epilogare mundum volebant. Nomen Pan enim apud Græcos, univerſitatem ſignificat: per cornua radii ſolares ſignificantur, & lunares: per rubedinem vultus focus elementaris: aër per prolixitatem barbæ; per pellem maculatam octava ſphæra exprimitur, ornata, & interpuncta ſtellarum multitudine: per pedes contortos, & obliquos, revolutiones anni; per fiſtulam vel ſambucam, ſeptem cannis inſtructam, gyrus ſeptem planetarum: per pedes denique caprinos, quibus femora & tibiæ villis ruvidis ſcabrisque inhorreſcunt, terra hiſpida, tot ſpinis, & dumetis, & arboribus, & plantis conſita.

Pan nomen quid ſignificet.

Numen hortorum nefandum.

Affine huic ſimulacrum aliud eſt, quod honeſtas, & pudor taceri jubet, utpote abolendum: erat autem hortorum Numen: ſufficiat dixiſſe hæc: & ſatis fuerit, meminiſſe, quod ſilentio prætereunda ſint. Nimium opprobrioſæ ſunt Lampſacenum memoriæ, quæ cum rubore ipſorummet ſcriptorum, qui hæc referunt, recenſentur.

Janus.

Æſtimatione digniſſimum ſe Rex Janus reddidit, ob eximias qualitates, tali viro dignas: itaque & hic, pro more gentis, in deorum numerum relatus eſt, & ſimulacra obtinuit. Hic & altaria, & vota ſua habuit. Conſueta autem effigies ejus homo biceps erat, ad indicandam prudentiam dignam Principe: utpote qui providenter & in futurum proſpiciat, & præteritis quæ eventura ſunt commenſuret.

Prudentia Princip: neceſſaria.

Alii rurſum retulerunt hanc figuram taliter compoſitam, ad indicandum & principium, & finem anni: cum Janus in medio collocatus, utrumq; reſpiciat. Alii eum quadricipitem oſtendunt, prout in anteriori volumine jam fusè meminimus. Adjungo nihilominus hanc ſignificationem, idipſum idcircò factum, ad demonſtrandum, quod ipſi rerum omnium primordia conſecrata, & dedicata fuerint: non minus quatuor quoque anni tempora his figurari.

Principia & fines rerum Jano conſecrata.

Mythologicè quidam hic quatuor ejuſdem filias ſignificari voluerunt, quæ dolore ob funus patris oppreſſæ, laqueo vitam finierint. Curioſum eſt noſſe, qua ratione hic vitam ſuam terminarit, ut tanto evidentius pateat, quo tandem ebrietatis mala delabantur, ſicut & ingratitudinis.

Janus enim à quibuſdam pro Noë vini vel muſti inventore habetur: cumque urbis ejus inquilini meracius bibiſſent, neſcientes geniminis virtutem, temulenti facti, ſe veneno infectos rati, contra Inventorem potionis inſurgendo, eum barbarica ferocitate lapidarunt. Grave exemplum omnibus, potiſſimum Principibus, ut ne gratias ſuas indignis, aut Idiotis, & rerum ignaris diſpertiantur.

Janus inventor vini.

Ægyptii quoque venerationem & cultum præſtiterunt Canopo, qui diuturno tempore navem Menelai gubernavit, & rexit. Figurabatur autem in ſimilitudine hominis obeſi, & propemodum ex omni parte rotundi, cui collum obliquum erat, tibiæ breviſſimæ. Quamvis Goropius in Hieroglyphicis ſuis eum in puero repræſentet, cui caput opertum ſit, cum magnis auribus, qui manus & brachia tam inordinatè commoveat, ut manus dextra in ſiniſtro latere, & è contra in dextro manus ſiniſtra ſpectetur: quod reliquum erat corporis terminabatur quadratâ baſe, in qua characteres quidam Hieroglyphici pandebantur: In manu verò dextra literam A. geſtabat, cum funiculo, ſiniſtra falce gravata erat, puer autem ejus ætatis, cujus eſſe ſolent, cum prima rudimenta, hoc eſt Alphabetum docentur.

Canopus.

Harpocrates.

Magiſtri quàm neceſſarii.

Succedit his Imago, & figura Harpocratis, qui Deus ſilentii eſt: quem olim in forma pueri expreſſerunt, digito ſuo ſuper labia collocato, quaſi qui ſignum tacendi præbeat: nec verò in hoc ſolius ſilentii myſterium erat, ſed inſuper denotabat, quemque hominum regula, vel indice quodam indigere, quo ad curſum vitæ ſuæ ritè dirigendum, ad loquelam, & mores bonos rectè inſtituendos, utatur: homine, inquam, qui optimis eum conſiliis informet, imbuat, & exerceat: ſicut pueris Magiſtri dari conſueverunt. In hoc punctum M. Tullius collimavit, cùm inter alia ſic ajebat: *Nullum munus melius, majusve Reip. afferre poſſumus, quàm ſi doceamus, atque erudiamus Juventutem, præſertim his moribus, ac temporibus, quibus ipſa prolapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda, atque coercenda ſit.*

30. De Divinat.

Lib. 5. Hierog.

Harpocrates in puero figuratus.

Hoc eodem ſimulacro admonemur, ſapientiam non niſi longa meditatione, & ſilentio acquiri. Goropius alibi pro numine Harpocratis puerum delineavit, ſedentem ſupra baſem circularem, qui dextra os ſibi comprimebat, in humero ſiniſtro pharetram portans, ſagittis repletam: In capite aurem aſininam gerebat, frons lunæ imagine decorabatur. Inter Ægyptios hoc ſimulacrum notiſſimum fuit, portans digitum labiis impoſitum, demonſtrans, cum quanta parſimonia de diis, & de Principe loquendum ſit, juxta vulgatum axioma: *De Principibus*

aut

Silentium quantum proſit.

De Educandis liberis.

aut benè, aut nihil. Quod verò ſilentii obſervationem concernit, hac doctrina ſcriptorum volumina repleta ſunt. Nihilominus magni Plutarchi præceptum huc collocare præterire non poſſum: *Magna eſt ſapientiæ tempeſtivum ſilentium, & omni certè eſt ſermone præſtantius.*

Silentium quomodo apud Romanos figuratum.

Apud Romanos in templo Angeronæ effigies erat, quæ videbatur os clauſum, & ſignatum habere, indicans hoc phanum non niſi labiis compreſſis, & cum ſilentio ſubintrandum. Hoc ſimulacrum propè altare deæ Volupiæ collocatum erat, ſic nominatæ, quod dolores & afflictiones fugare crederetur. Doctiſſimus Cartarus in alia rurſum forma ſimulacrum Silentii inducit; Juvenem exhibet imberbem, & nudum, qui dextram ori applicabat. Quamvis alii Juvenem omninò mutum repræſentent, figuræ inamœnæ, quæ pelle lupi cooperta, ſicut & pileata eſt: cui ſimulacro nihilominus undequaquè infinitos & oculos, & aures adjunxerunt: per hoc ſapienter innuentes, multa & audienda, & videnda eſſe, ſed locutionem, quantum poſſibile ſit, parcam eſſe oportere, ideoque & ſine ore Idolum hoc prodibat. Pileus libertatem tacendi indicabat, ſed non loquendi, tracta fortaſſis metaphora ab eo, quod qui rem quandam mente conceptam profundius meditari voluerit, etiam in turba hominum ſibi pileum ob oculos deorſum trahere ſoleat. Indicabat hoc idem pellis lupina, ſiquidem qui lupum viderit, teſtificantibus Phyſicis, & ipſa quoque teſte experientia, loquelam amittit.

Silentium in Juvene muto expreſſum.

Hercules.

Sed hic loci recuperare & loquelam, & calamum neceſſe eſt: pertigimus enim ad ſimulacra Herculis: de quo viro quamvis plura jam relata ſint, ſi tamen cuncta huc referre quæ reſtant ſtuduerim, vix vaſtiſſimum volumen ſuffecerit, ad materiam hanc ſolam pertractandam. Ut verò aliquid etiam, pro debita ſobrietate, quam mihimetipſi præſcriptam volui, in medium de eo proferam: inprimis illud dicendum, figuram ejus plerumque in ſimilitudine nudi hominis apparere, idque erecti in pedes, cum trophæo in dextra, clava autem in ſiniſtra; quamvis alii in trophæi locum, leonis exuvias ſubſtituant; in altera laurum viridem.

Hercules tribus pilis armatus.

Quidam cum tribus pilis, vel haſtis armatum exhibent, idque in dextra, in læva verò clava eſt: alludendo, ni fallor, ad hoc, quod tria monſtra ſuperaſſe legitur, aquaticum, viperinum, & quadrupes; aut verò quod in cælo, in terris, & inter Inferos præclarus & inclytus fuerit: quippe per quem Cerberus obmutuit.

Plures ſe imaginem ejus vidiſſe aſſerunt, ſtimulantem dextra binos Tauros, ſiniſtra autem clavam regendo, indicantes fortaſſe Taurorum ſigno bina flumina Aſopum, & Cephiſum, quæ ſub ditionem ſuam redegit: de quibus mythologicæ ſententiæ, tam abundantes, quàm prolixæ ſunt, ad quas benevolum lectorem remitto, ſiquidem in his longius diſtineri voluerit.

Cyathus ab Hercule pugno occiſus.

Quotieſcunque item figura robuſta apparuerit, pugno Juvenem percutiens, qui ei ſcyphum propinet, Hercules ſignificatur, qui adoleſcentulum, nomine Cyathum pugno mactavit, eo quod indecenter ſibi eundem porrexerit, pincernæque officium malè adminiſtraverit. Sic imago hominis elevatæ, & robuſtæ ſtaturæ, quæ ſcyphum portat, pro Hercule Potatore ſumitur, fingunt enim Poetæ, talem ei cyathum dono Apollinis veniſſe. Cum item ſtatura hominis occurrerit elevata, quæ pharetra, ſimul & clava armata fuerit, Hercules concipiendus eſt, accinctus ad præliandum cum Minoë pro Thebanis.

Item alia Herculis figura.

Icones præterea, quæ hominem repræſentant pelle leonis veſtitum, cum clava in ſiniſtra, qui videatur cum omni fortitudine ſua alteri Tripodem de manibus violenter eripere, ſitque ille Juvenis imberbis, cui è vicinio ſint imagines muliebres, quarum prima arcu & pharetra armata ſit: altera nobilis, & plena majeſtate matrona ſit: Tertia caſſide tecta ſit, & lorica, ſcutum Gorgoneum geſtans: Prima Dianam figurat, altera Latonam, tertia Palladem: veſtimentum è pelle leonis conſutum, jam cuivis notum, quod Herculem indicet, qui cum Juvene Apolline de Tripode eripienda luctetur.

Item alia.

Non ignoratur item figura Gallorum, jam alibi allata, in qua, ad demonſtrandam eloquentiæ fortitudinem, Herculis formam illic memoratam expreſſerunt, de cujus ore plures catenæ egrediebantur, trahentes promiſcuam plebem. Denique in homine robuſto apparet, qui Gygantem de terra ſublevat, cum majori cum poſthæc impetu in terram allidens: ubi conflictus Herculis cum Anthæo deſignatur. Atque ita variè, & diverſimodè ſtimuli gloriæ ſapientibus, & virtuti deditis adduntur, dum per diverſos Authores, cum varietate quoque labores Herculis proferuntur, de quibus plura ſignificata deducta ſunt. Inter hæc copioſiſſimus, & verſatiſſimus eſt magnus ille Ethicus Alciatus, in Emblemate cui titulus: *Duodecim certamina Herculis.*

Vulcanus.

Aliud rurſum Numen occurrit, quod quamvis aſpectu deforme ſit, non minus tamen ſignificativum eſt earum rerum, quæ ad vitæ humanæ levamentum, & ſalutem neceſſariæ ſunt. Vulcanum loquor, qui ignium Deus eſt, qui quamvis inter Cyclopes ſit, cui Inſula Lemnus confinium datum, hujus nihilominus operâ inquiunt de capite Jovis ſapientiam prodiiſſe: qui etiam, quamvis deorum eſſet turpiſſimus, in conjugem ſibi formoſiſſimam mulierum Venerem duxit. Nunc verò, ut de omnibus aliquid, quamvis id modicum ſit, producam, omnium oculis hic Cyclops facile dignoſcitur, eo quod pede ſuo claudicet: cui vultus ipſis carbonibus ſuis nigrior, qui plerumque ſeminudus eſt, capillo caput ſuum tectus, eodemque cæruleo, vicinus Incudi, malleoque inſtructus: Hæc eſt Vulcani figura.

Cartarus.

A peritioribus item, figura ejus eſſe dicitur, quæ ex omni genere metallorum fuſa, è lignis quoque compoſita fuit, tam grandis, ut manibus ſuis utrumque fani latus contingeret. Quâ formâ Serapidis quoque Numen apud Ægyptios, & Alexandrinenſes cernebatur.

Anubis.

Rurſum in figura apparuit, habente vultum caninum, cum caduceo in ſiniſtra, & palmæ ramo viridi in dextra, quæ Anubis dicebatur. Mythologici nihilominus, ſiquidem rem è fundo intueri voluerimus, veram ejus formam, quæ ſequitur, deſcripſerunt: Senis nimirum imaginem incurvati, & pallidi, ore aperto, & ſcipione in manu, quocum terram percutit. Quæ Icon Momum quoque repræſentat, detractorem eximium, & de diis mala quæque ſpargentem.

Comus Numen lætitiæ.

Item ſi Juvenis apparuerit, floribus redimitus, facie rubicundus, cum haſta in ſiniſtra, face ardente in dextra, cui videatur cythara è manibus elabi, qui item per fiſſuram portæ inſpiciat, Deus Comus intelligitur, hoc eſt Numen deliciarum, & hilaritatis, & facetiarum.

Cerus, vel Occaſio.

Juvenis itidem nudus, cum capillitio longo circa frontem, Numen erat Occaſionis, cum thalaribus ad pedes, ſtans ſupra petram ſphæricam, cum lemmate:

Fronte capillata, poſt hac occaſio calva.

Genius.

Elegantes admodum & plauſibiles ſunt figuræ Genii (quiſque enim juxta genium ſuum vivere deſiderat) ſicut è contra ſuperiores illæ Vulcani Incendiarii inamœnæ, horrorisque plenæ ſunt. Genii olim ab Æleis manifeſtati ſunt, qui ut Deum Soſipolum exprimerent, infantem fingebant, qui pallio multicolori indutus, ſtellis undique ornato, dextra Cornucopiæ gerebat.

Genius bonus, & malus.

Alii eum in forma adoleſcentis figurârunt, cum funiculo in ſiniſtra, & lance vel diſco in dextra, quæ liquore repleta ſuper altare quoddam effundebatur, ornatum & ſparſum floribus, manifeſtando per hæc Genium bonum: E contra figuram exhibebant fuſcam, aſpectu horribilem, lupina pelle indutam, atque hæc idea erat Genii mali.

Dii Penates.

Succedunt his dii Penates, qui in binis hominibus telo, vel haſta in manu dextra armatis exprimebantur: Erant autem Numina cuſtodiæ domorum aſſignata.

Lares.

Poſt hæc Lares apparebant, in forma Juvenum duorum, qui caninis pellibus veſtiti erant, cum figura canis ſecus pedes. Apparebant item (prout quidam memoriæ tradiderunt) duo adoleſcentes, induti pannis, qui nihilominus ſub axilla dextra in faſciam ſimul conglomerabantur, innodati ſuper humerum ſiniſtrum.

Terminamus hic ſimulacra virorum, è quorum infinito alioquin numero, quibus libri farciti ſunt, hæc pauca collegimus, meo quidem arbitratu, meliora, & præſtantiora. Sed quia concentus muſicus incompletus videtur, ubicunque fæminarum interventus nullus eſt: Cùm & hæ non minus affectuum, & paſſionum, & conſuetudinum optima exemplaria ſuggerant, plures quoque earum à doctiſſimis viris, ad utilitatem hominum in ſcenam productæ ſunt: Hinc & ego, pro more meo, jam ſupra uſurpato, in eandem materiam digredior.

Et primo quidem loco ſe mihi mulier offert, quæ in dextra ſua haſtam vibrat, & cui noctua in ſiniſtra eſt. Nec multa quidem expoſitione indiget, quiſque enim hic Palladem agnoſcit, aut Minervam: unde & ſequens Dyſtichon huic loco accommodum eſt:

Nocte vigent ſenſus: hinc eſt ſacrata Minervæ
Noctua, quætriplici lumine nocte videt.

Minerva.

Ante altare Minervæ, quod olim in Capitolio collocatum erat, tria ſimulacra apparebant genuflexa, quæ Niſidum nomine à quibuſdam appellabantur: hoc eſt deæ patrocinantes viribus, præſertim Parturientium, dum partus doloribus ad mortem uſque torquentur.

Venus.

Omittam hic ſimulacra, & figuras Veneris, Deæ ſalacis, & inhoneſti incendii Diſpenſatricis: idcirco & eam ſolum laſcivo oculo intueri, ruinæ lethalis cauſa eſt. Hinc Baſilius inquit: *Fuge ſpectare, ut ſalveris.* Suffecerit mihi dixiſſe, hanc in imagine decoræ mulieris apparuiſſe, cui color in vultu vividus, mixtus roſis, & liliis, cui oculi vivaciſſimi, conducta curru deaurato, quem binæ Columbæ trahebant, comitata inſolente puerulo ſuo Cupidine.

Juno.

Comparet inter hæc fabuloſa Juno ſuper currum aureum, quem depicti pavones trahunt: in quibus aeris diverſimodè colorati varietas exprimitur: eſt autem illa venerandi aſpectus, quam Jovis conjugem, & magnam Cœli Reginam dixerunt. Figurabant eam cum cingulo in manibus, nec ſine ratione ab antiquis Uriplaca nominata fuit, quippe quod placare diſſidentes inter ſe crederetur, præſertim conjuges (prout ſæpe fit) Atque ita Romæ ſimul, & in Græcia ſimulacrum ejus erectum erat, ad quod continuò, ſiquidem uxorem inter & Maritum lis orta eſſet, tanquam ad oraculum currebatur. Ego verò Conſultius figmentum hoc ad Protectionem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ tranſtulero, quæ videlicet non fabuloſa Uriplaca, dextram iraſcentis Dei continet, ne in vindictam juſtiſſimam peccatorum in furore ſuo feratur. Quæ materia pulpito aptiſſima eſt, & in qua præſtantiſſimi viri calamos ſuos exercuerunt, inter alios S. Anſelmus, qui ait: *Dudum cælum & terra ruiſſent, niſi Maria precibus ſuſtentaſſet.*

Conciliatrix rixarum conjugalium.

Protectio B. Virginis Mariæ.

De Excell. Virginis.

Cur tres Gratiæ Junonis.

Juno non minus & ipſa, in æmulationem Cythereæ, Gratiis comitata incedit, quæ hæc ſibi nomina vendicant: Euricle, Euphroſyne, & Paſithea, quarum quæque invicem ſibi manum porrigunt, cum hac corporum diſpoſitione, ut earum una ſe pectore plano, altera tranſverſo latere, tertia in dorſo appareat; idque ad demonſtrandum varios affectus, & multiplices commotiones Gratiarum: *Gratia enim gratiam parit.* Sententia eſt M. Tullii: ſicut enim infortunia, ſic gratiæ quoque dicendæ ſunt nunquam ſine ſocietate, & ſodalitate eſſe. Tres dicuntur, cum potentiæ vitales totidem ſint: totidem virtutes Theologicæ: totidem Mundi, Archetypus, Elementaris, & Angelicus: omne etiam Ternarium morale huc referri poteſt.

Parcæ.

Sicut autem proſpera, ſic adverſa quoque fortuna (prout dictum eſt) ſemper comitata eſt; unde Gratiis Parcæ ſuccedunt, quæ hæc nomina ſortitæ ſunt: Clotho, Lacheſis, & Atropos: quarum una humanæ vitæ ſtamen filare, altera convolvere, tertia truncare dicebatur. Hæ divæ plerumque fatales nominabantur, eo quod nemini parcant, ſed quiſque noſtrum earum inevitabili arbitrio ſubjectus ſit. Quidam literatus has verſu comprehendit:

Suſtinet ipſa colum Clotho, trahit altera ſtamen,
Prærumpit vitæ tertia fila ſoror.

Vocantur autem ab Heſiodo in Theogonia ſua filiæ Jovis, & Themidos, quod idem eſt, ac Juſtitiæ. Homerus originem earum neceſſitati adſcribit. Alii eas de primo Chaos provenire, alii de Nocte, alii de Maris undis tradiderunt: de quibus Martialis:

Lanificas nulli tres exorare puellas
Contigit, obſervant quem ſtatuere diem.

Quid Parcis attribuatur.

Ptolomæus, Seneca, & Chryſippus, his ſororibus effectus omnes tam naturales, quàm voluntarios, omnes inclinationes ad vitia æque, ac virtutes, paſſiones omnes animorum, omnes concupiſcentias, & deſideria, attribuunt: quidquid item fortunæ adſcribitur, quæcunque fortuitis caſibus, bonis ſimul & malis, his tribus Parcis aſſignantur.

Ex his facilè videre licet in quanta mentis cæcitate hæc delira gens delituerit, tollens Providentiam Dei viventis, & eam in inſenſatis numinibus his collocans. Quandoquidem verò hi mente alioquin capti, nihilominus ſagaciſſimè ſtatu-

ſtatuerunt Animas defunctorum, poſt exilium vitæ hujus vel ad locum damnatorum, ad recipiendas pœnas ſceleribus ſuis dignas, deferri, vel ad Campos Eliſios, ut illic fructum laborum, quos in terris ſuſtinuerint, pro meritis recipiant: Sic & ego inſenſibiliter me ad imagines infernales conductum video: Inter quas

Pluto.

Primus occurrit Pluto, homo fuſci coloris in vultu, habeno redimitus, in tribunali ſedens, cui Cerberus triceps ad pedes recumbit. Aliter item repræſentatus fuit: id eſt in forma hominis, qui virgam teneat, & clavam in dextra. Alibi concomitatus muliere cernitur, quæ in tribunali item, ſed diverſo conſideat, & dextra clavem teneat. Ille in ſolio ſuo reclinatus, ſe Dominum Inferarum partium eſſe demonſtrat: Altera Proſerpinam furto ſublatam denotat, quæ eadem eſt cum Luna. Per clavem cuſtodiam animarum intellectam voluerunt. Cerberus idcircò datus, ut terrore damnatos percelleret, eorumque carnes devoraret: aut verò terram denotat, quæ tumulatos ſuos quaſi devorare videri poſſit: tum proinde Cerberum ad cuſtodiam Inferorum ajebant collocatum, ut videlicet terrore ſuo exitum de his tenebroſis ſpecubus vetaret.

Figura Numinis tutelaris.

Ex opinione Valeriani figura item biceps, vel duorum capitum humanorum, quæ in tumulo appareat, cum binis literis D. M. (quibus Dii Manes denotabantur) Numen Tutelare ſignificatum fuit, ſub cujus patrocinio defuncti ſtare credebantur.

Charon.

E vicinia Inferni pingebant item ſenem, horrido aſpectu (cujus oculi per modum flammæ ſcintillabant) barbæ oblongæ & implicatæ, veſtimento lacero, quem Charontem appellavit antiquitas.

Tantalus.

Illic rurſum imago erat hominis ad labra uſque in aquas immerſi, ad quarum ripas arbores fructiferæ ſunt: atque hæc figura tantopere jam decantati Tantali eſt.

Orpheus.

Non deſunt aliæ quoque formæ huic loco convenientes: Orpheus enim prodit, homo veſtitus toga Philoſophica, ſonans cytharam, cum multitudine variorum animalium, & arborum, quæ moveri ad eum auſcultandum videbantur.

Eloquentia.

Quamvis Coſtalius præmemorato ſimulacro uſus ſit ad robur eloquentiæ ſignificandum, quam Euripides Reginam, Ennius Flexanimam nominavit.

Gygantes.

Succedunt his ſimulacra Gygantum, qui à veteribus Icones ſuas in ſtatura hominum elevatorum obtinuiſſe leguntur, quibus partes corporis vel membra nervoſa & extuberantia erant, capilli per humeros latè ſparſi, barba ad pectus uſque demiſſa: ſed quorum pedes, & femora ſpiras colubrorum imitabantur: ad indicandum, quod fortitudo malè adminiſtrata degeneret in vitium.

Typhon.

Inter hæc proceræ ſtaturæ monſtra ſpectabilis erat Typhon, pennis coopertus, vaſtiſſimus ore, ex quo flammæ ferebantur, cujus caput ſtellas tangebat: una manuum ad Orientem, altera vergebat ad ſolem occiduum.

Divina virtus.

In quo Creatoris Omnipotentia notabatur, qui totus magnitudo eſt, totus velocitas, totus flamma in rerum omnium clariſſima intelligentia, cujus potentiæ omnia ſubjacent, qui ubique viſu ſuo pertingit, nec angulus terræ tam eſt reconditus, tam longinquus, quo divina virtus ejus non penetret, & abſtruſa in lucem producat.

Propè ſimulacrum illud aliud quoque ſtatuerunt, quod cum fœdo auſu videretur pudenda alterius contingere velle, ſubito in Crocodilum transformatur: fortaſſis per hoc innuendo, in monſtrum degenerare doctrinam omnem, quæcunque ſupra cæteras elevare ſe ambitioſè ſtuduerit.

Perſeus.

Figuræ item Nympharum, quarum plures ſimul Adoleſcenti caſſidem præſentant, quædam verò ex iis thalares, Perſei magnanimitatem, & propoſitum audax exprimunt, quo ad Meduſam mactandam ultro ſe obtulit.

Oreſtes, Titius, Prometheus, Syſiphus, Ixion, Rhadamantus & Minos.

Inter Infernales Imagines ſpectari poterit, qui viſcera ſibi dilaniat, in quo Oreſtes: Item alius, catena devinctus, & vulture diſcerptus, in quo Titius, aut Prometheus intelligendus: figura Syſiphi illic eſt volventis fatale & laborioſum ſaxum ſuum: Illic rota eſt circumvoluta, & ſuper eam Ixion: atque aliæ inſuper pœnæ, & tormenta, quæ à ſcriptoribus recenſentur. Figurantur item bini ſenes, tabulæ cuidam aſſidentes, aut ſolio ſublimes, cum urna ſuffragiorum vicina, in quibus Rhadamantus, aut Minos Tartarei Judices deſignantur.

Porrò ſicut ager diverſis contextus floribus, & ſcena variis formis figurarum diverſificata, ſingulare decus adipiſcitur; ſic non minus ornatæ, & ingenioſæ figuræ erunt, ubi ad humanarum paſſionum expreſſionem, & doctrinas ethicas producendas, tantopere ad mortalium vitam ritè degendā neceſſarias, humanis figuris, figuræ brutorum & ferarum intermixtæ fuerint.

Sphynx ſecus portas Templorum, & Palatiorum collocata.

Ex harum numero ſphynx eſt, tantopere ab hiſtoricis, Phyſicis, Mythologis, Poëtis, Hieroglyphicorum formatoribus decantata, quæ ad portas Principum, velut ſignum quoddam eximium collocabatur. Erat autem monſtrum hoc formoſiſſimæ mulieris facie decoratum, ſicut & pectore: alas nihilominus magnæ volucris, vel aquilæ portabat: pedibus, & unguibus leonis gloriabatur: nec ſolum in veſtibulis palatiorum, & Magnatorum cernebatur, ſed potiſſimum in phanorum Introitu. Erat autem ſymbolum ſacrum, duarum virtutum inſigne, prudentiæ, & fortitudinis: imago ſiquidem feræ vigorem, imago hominis prudentiam denotabat: quæ res ſimul junctæ, nodum potentiæ inextricabilem, & indiſſolubilem, exprimebant.

Lib. 5. Stromatum.

Tradit S. Clemens Alexandrinus, in quodam phano, quod Pilum nominaverint, in urbe Dioſpoli, infantem cum ſene apparuiſſe, ſimul & niſidem avem, proinde piſcem, & Crocodilum, cum inſcriptione: *O qui naſcimini, & interitis; Deus odio habet impudentiam.*

Atque hic ſenſus, ni fallor ſphyngis erat, quæ mortalibus propoſuiſſe dicitur ænigmata, in quorum ſolutione ſi defeciſſent, continuò morte caſtigabantur, de monte præcipitati. Utque ad propoſitum myſterium regrediar, dicendum, quod in forma piſcis odium intellectum fuerit, in puero mortalium nativitas, in ſene mortalitas, in ave Deus, in crocodilo imprudentia.

Corpus hoc monſtruoſum Alciatus uſurpavit ad formandum Emblema centeſimum octuageſimum octavum, cui Epigraphe hæc correſpondet: *Submovendam ignorantiam.* Oedipus ſolus refertur Ænigma ſolvere potuiſſe, quod ad hominem ſpectat: *Manè quadrupes, meridie bipes, ſerò tripes.*

Homo manè quadrupes, meridiè bipes, veſperi tripes.

A Cebete nihilominus pro ſymbolo ignorantiæ ſumitur ſphynx: Mythologi verò non ejuſdem ſententiæ ſunt: per faciem enim virginalem concupiſcentiam, & voluptatem intelligunt, quibus homo euſque excæcatur, ut in naturam belluinam degeneret: plumæ, quæ univerſum

verſum caput ejus cooperiunt, levitatem, & animi inconſtantiam (juxta eosdem) ſignificant. Pedes leonis ſuperbiam, huic animali propriam, denotant: Sic enimverò voluptas prima quidem fronte delectat, ſed in fine ſuo amaritudinem, & monſtruoſitatem generat: dixit hoc Alciatus in emblemate 85.

- - - - meretricius ardor
Egregiis Juvenes ſevocat à ſtudiis.

Hæc de his dixiſſe interim ſufficiat.

Mundus.

Præter illa autem & multæ res inanimæ in humanis ſimulacris repræſentantur: Hinc Cartarus ad exprimendam eſſentiam, primumque Mundi ſtabilimentum, hominem effinxit pedibus obliquis, & contortis, veſtitum verſicolore pallio, qui ſupra caput globum magnum portabat: Nemo autem tam rudis eſt, qui neſciat hoc globo mundum figurari: pedes diverſimode formati, & intorti, indicant mutationes locorum non ad hoc prodeſſe, ut quocunque mortalium genus ſe conferre voluerit, non in Mundo remaneat. Per veſtimentum variegatum coloribus, varias influxiones, & ſtellarum varios aſpectus intellige.

Ventus Boreas.

Uſa eſt antiquitas humanis quoque figuris, ad ventorum varia flamina demonſtranda. Simulacrum Boreæ repræſentabant in vultu, quod buccas tenebat inflatas, capillis candidis, & quaſi nive tectis, cauda ſerpentina, & alis celerrimis in pede: in quibus diſtinctiſſimè, & velocitas, & cæteri effectus rapidi, & ferociſſimi venti hujus denotantur.

Auſter.

Alter huic oppoſitus Auſter, vel Nothus, juxta ſententiam præfati, exponebatur in figura hominis alati, cui vultus obſcurus erat, & frons obnubila, cum capillis, barbaque humida, vel madente, per quæ nymbi, & pluviæ, & humiditas, huic vento propria deſignantur, juxta illud Ovidianum:

- - - - - contraria tellus
Nubibus aſſiduis, pluvioque madeſcit ab Auſtro.

Eurus, Ventus Orientalis.

Cùm præterea ventum ab Oriente ſpirantem figurare vellent, hominem nigrum exhibebant, eundemque alatum, cum imagine ſolis, cujus vultus colore igneo ſuccenſus videatur, ſic Eurum fingebant.

Zephyrus.

Delineando item Juvenculum, facie tenerum, & delicatum, nudum, alatum, & floribus coronatum, in hoc Zephyrum intelligebant, hic enim Vernalis, & floridi temporis præcurſor eſt: hinc fabula eum Floræ deæ maritum fecit.

Porrò quod omne tempus in menſes reſtringitur, in quorum aliquo quiſque noſtrum natus eſt: tum proinde & anni tempora his circumgyrantur, ſicut & annorum circuli; juxta quos menſes ſæpenumerò illuſtres actiones notantur, ſintque non rarò vitæ humanæ norma, viderer defuiſſe multum præſenti tractatui, ſi de his ſimulacra prætererim, & expreſſiones illorum neglexero, quas non minus in figuris humanis expoſuerunt.

Januarius.

Hi juxta Philoſophos variè figurati ſunt: ut autem à Januario exordium noſtrum deſumamus, qui Princeps anni eſt, juxta ordinem Eccleſiaſticum: hic quamvis in figura bifrontis Jani notetur, copulat enim, & colligat, cum fine anni expirantis principium naſcentis: Euſthatius nihilominus, eum Juvenem depingit, benè veſtitum, qui manum lævam in altum erigit, & dextra ſua canibus blandiri videtur, quaſi eos ad venationem ſtimulaturus: hic menſis enim aptiſſimus venationi & leporum, & aliarum ferarum eſt.

Februarius.

Februarium vetulum finxerunt, pellibus veſtitum, & nudipedem, aſſidentem ardenti camino. Elegans figura, ad manifeſtandam temporis illius calamitatem, quod non aliunde nomen Februarii ſibi nactum eſt, quàm quod febrium multitudo in hoc naſcatur, quibus etiam dedicatus dicitur.

Martius.

Martius inter alios à memorato Authore in figura militis exhibetur, qui totus armis cataphractus eſt, proviſus haſta, & ſcuto, quod ſimulacrum Dei Martis eſt, cujus tutelæ menſem hunc dedicatum volebant: nec minus & illa alluſio vim obtinet, quod militum eſt, cùm æſtivo tempore in caſtris fuerint, his anni inclementiis in hybernis ſuis degunt. Sed renaſcente anno rurſum ſe in campum exponunt, & hactenus quieſcentia arma rurſum induunt, & ad præliandum accinguntur.

Aprilis.

Aprilem Juvenem fingunt, cui prima lanugo oboriatur, in habitu paſtorali, cum capra, & capreolo, & agnis noviter natis: hic enim menſis potiſſimum eſt, in quo hæc, ſimiliaque animalia multiplicantur.

Majus.

Rurſum Majus floreſcentibus pratis ſuis luxuriat, apparens (prout idem Author ait) in forma formoſi adoleſcentis, qui deauratis comis, per humeros fluentibus conſpicuus eſt, roſis inſuper redimitus, in campo viridi, & undique floſculis conſito comparens.

Junius.

Præter hæc aſpectus trux & ſcaber in medium venit, reliquo corpore veſtitus, ſed manu nudus, nudus brachiis, & pedibus, coronatus corona linea, cum falce in manu: in quo juſtiſſima ratione menſis Junius exprimitur, jam enim falx metentium in opere eſt, & fœna ſecari conſueverunt.

Julius.

Imago hominis pileo tecti, & qui nudus propemodum in campis appareat, Julium repræſentat: in quo menſe calorum exceſſus veſtimentis laborantes exſpoliat, ut colligendæ meſſi tanto promptius intendant.

Auguſtus.

De Menſe Auguſto eruditiſſima Muſa Dn. Joannis Ciampoli inquit:

Di Campi incoronato
Cavalcando un leon paſſegio il Cielo.

Hoc eſt: *Fulgure coronatus, inſidens leonem, cœlum pertranſeo:* Figuratur autem in imagine hominis nudi, cum cyatho in dextra, ſiniſtra ſua tegens pudenda ante balneum: ſunt autem indicia Menſis hujus, in quo foris aquæ, intus vinum quæritur.

September.

September hanc ſequentem figuram obtinuit: homo eſt capillos per humeros ſparſos, & pedes nudos demonſtrans, qui dextra vitem premit, & ſiniſtra botros ejus evellit: quæ actio Vindemiæ tempus indicat, quæ illo menſe matura eſt.

October.

Cùm porrò adoleſcentulus apparet, multis avibus onuſtus, prope quem perdix in agro ſit, October ſignificatur: tum enim temporis aucupia potiſſimum vigent.

November.

Homo item pileo coopertus, cum bobus, & aratro apparens, Novembrem figurat, vel quod imminente brumali frigore, jam domum de cultura agri boves reducantur: vel quod ſemen ſciſſæ terræ traditum ſit.

December.

Figura item hominis ejuſdem formæ cum ſuperiori, qui corbem plenam ſeminibus ferat, Menſem Decembrem denotat. Agricolarum uſus eſt, cum hos menſes in humano habitu expreſſuri ſunt, ut homines demonſtrent, quemque eorum inſtrumento illo armatum, quod laboribus cuique menſium propriis neceſſarium eſt. Alii Juvenem depingunt demonſtrantem Zodiaco ſignum cuique Menſi deſtinatum, in quod ſol tum

temporis ingreditur: Quod univerſum fœcundis verſibus, qui ſequuntur, expoſitum eſt:

Martius atque aries producunt tempora Veris:
Aprilis ſecum torvi fert cornua tauri;
Floribus adducit Geminorum ſidera Majus;
Solſtitium æſtivum cancri fert Junius axe;
Quinctilem menſem Leo fervidus igne perurit;
Auguſto meſſes ſecum trahit aurea virgo;
Æquat September noctes examine libræ;
Scorpius Octobrem pugnax cubat ore minacem;
Exerit Arcitenens medio ſua ſigna Novembris;
Solſtitiumq; affers hyemis, Capricorne, Decembri;
In medio Jani madidi ſtat ſidus Aquari;
Procedunt duplices in Februa tempora piſces.

Cæſar Ripa.

Qui in his ſimulacris & figuris, nec ſolum in his, ſed in omni adeo re, quæcunque in mundo poſſit exprimi, doceri velit, vel Pictorum, vel colorum tanta ubertate, vel animalium exhibitione, vel variarum doctrinarum compendiis, aliisque inſuper eruditionibus, tam ſacris, quàm profanis, ingenioſum volumen Cæſaris Ripæ evolvat; qui liber gravibus materiis abundat, ſicut & inventionibus vivaciſſimis: ubi cumulus virtutum omnium vivis, ut ita dixerim, coloribus depingitur, ſicut & ſigna earum, & affectus, & paſſiones humanæ: de quo fuſius hic profari inutile videtur, cum facile ad manum ſit liber, jam ubique typis expreſſus. Hinc & ego, ne folia foliis reduplicem, id ſolùm de eodem excerpſero, quod Menſes omnes in forma puerorum, vel adoleſcentum repræſentat: idque non ſine magna ratione; cum enim tempora in horas diſtribuantur, & dies, & menſes, & annos, horas utique decuit in infantes partiri, dies adoleſcentiæ dari, menſes Juventuti, annos virilitati, denique tempus generatim ſenectuti. Hæc diviſio rurſum in verſu ſequenti continetur:

Menſes in forma puerorum.

Abſolvit curſum duodenis menſibus annus:
Quattuor hebdomadas menſis complectitur unus:
Hebdomada eſt ſeptem rurſum diſtincta diebus:
Quæque dies conſtat viginti quattuor horis:
Nec tamen integris numeratus partibus annus
Ter centum, cum ſexaginta quinque diebus
Perficitur; Si ſex tamen addas inſuper horas,
Integer inde dies quarto fit quolibet anno:
Hinc Biſſextilis tum denique naſcitur annus.

Nec magis accurata, nec vero magis propria hæc diſtributio temporum fieri poterat, nec mirum id quidem, quod de fœcundiſſimi viri ingenio hic partus proveniat.

Flumina.

Non minus curioſum & elegans eſt, qualitates & apparentias fluminum inter priſcos intueri: quæ non minus forma quoque humana introducuntur, propter multiplicitatem beneficiorum, quibus humanum genus ditant, antequam in mare regurgitent: quod niſi fieret, nec ullo effluvio ſe exonerarent, in immenſum ſtagnantia, infrugiferis aquis orbem, quaqua patet, inundatione perpetua ſepelirent. Hæc ſunt quæ dorſo ſuo naves onerarias bajulant, ita ut liber ſit provinciarum inter ſe commeatus, & commerciorum negotiatio, unde ſocietates naſcuntur, & Oceani lucra, ad beneficium univerſale mortalium, & rem familiarem augmentandam, & familiam ipſam alimentandam, non ſolum quod multitudine piſcium, hac videlicet muta generatione viventibus eſcam præbeant, ſed quod inſuper herbis & plantis irriguo humore vitam præbeant.

De his igitur mihi in compendio dicendum eſt, & pro epilogo notitia ſuggerenda. Siquidem igitur ſimulacrum nudi hominis occurrerit, in terra extenſi, capillis in aërem disjectis, cum barbâ promiſſa, cui caput bicorne videatur, incumbens urnæ, quæ copioſas ex ſe undas videatur evomere, hæc imago fluminum eſt, jam ubivis uſurpata, & acceptata.

Eorum imago.

Tyberis.

Cartarus Tyberim expreſſurus, ſenem repræſentat, frondibus & fructibus redimitum, humi cubantem, cum arundine in manu: ſic enim fertilitas camporum monſtratur, qui alluvio fluminis hujus fœcundantur, & humectantur: his enim inundationibus ſolum illud, non ſecus ac fimo ubere ingravidatur.

Padus.

Figura item hominis nudi, cornuti, & in terra proſtrati, brachio ſuo hydriæ incumbens, quæ copioſam aquam ejicit, ſimulacrum Padi eſt, qui Rex Italicorum fluminum dici poteſt. Obſervatu interim dignum eſt, quod flumina à ſcriptoribus univerſis cornuta exhibentur, ad denotandam obliquitatem, quo curſum ſuum proſequuntur: vena enim eorum cum viva ſit, novis identidem aquis ſine intermiſſione ſuggeſtis fluenta urgentur, & promoventur: ſed cum hæc ipſa rivorum evagatio libera ſit, libertas eorum hinc apparet, quæ eis, quamvis ſenſu carentibus, à Benefactore ſupremo conceditur.

Cur flumina cornuta dicantur.

Quamvis alii ſint, qui hæc cornua eò referant, quod tam varium ſit colliſarum undarum murmur, quo boum mugitum imitantur.

Nilus.

Senex itidem, Crocodilo inſidens, cui Hippopotamus adjunctus ſit, incumbens brachio ſuper urceum, ſicut illi ſuperiores, quem ſexdecim pueri vagabundi circumdant, figura eſt vaſtiſſimi Nili; Infantes autem numeroſi incrementa ejus denotant, quæ in locum pluviarum Ægyptiacis agris ſuffecta ſunt, quos è lecto ſuo egrediens, tanquam palando fœcundat, id quod in Tyberi jam meminimus: itaque & hoc ei lemma ſubſcriptum fuit: *Inundatione ferax:* Eſtque Idea Perſonæ eloquentis, aut divinæ beneficentiæ.

Sufficiant hæc, quæ de fluminibus præcipuis contingere voluimus.

Quamvis præmemoratus Ripa ſat abundanter de virtutibus capitalibus ſe explicuerit, nihilominus deeſſe operi meo mihi viderer, ſi non de his quoque nonnihil, duce Aldrovando, in medium proferrem, Introducit itaque ille Cartarum de novo, qui hominem depingit, cui jugum in collo, compedes in plantis ſunt, adjungens lemma: *Matrimonium.* Præclariſſima figura, quam Spiritus S. jam multò antè præbuit, dum ait: *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua:* Id quod Jeremias in threnis ſuis exhibet, & Iſaias: *Jugum enim oneris ejus:* Inter prophanos Ovidius:

Matrimonium.
Thren. 3. v. 27.
Iſ. 9. v. 4.

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra Juvencæ,
Tam premitur virgo conjuge nupta minor.

Figura conjugii.

Ripa præfatus pomposè veſtitum introducit, cum malo cydoneo in manu, cum ſerpente ſubtus pedes: alludendo ad primum hoc, quod noviter nuptis dari conſuevit, utpote Veneri dedicatum, ex mandato Solonis, ſicut plura hujus rei teſtimonia in effigie numiſmatum inſculpta occurrunt. Præter hæc ſimulacro annulum in manus præbet, verum Sponſalitiorum indicium. Vipera ſub plantis pedum projecta demonſtrat, quidquid detrimentum charæ conjugi allaturum eſt, hoc pede conculcandum eſſe, ſicut illam quoque oportet viperarum naturam evitare, quæ inebriata voluptate in congreſſu ſuo maritum occidit.

Pictura Juvenis, inſigni veſtimento ornati,

Proſper rerum exitus.

cum patera in manu, ſimul & ſpica, in ſiniſtra verò papavere, ſecundum Authorem jam citatum, felicem rerum eventum indicat.

Æternitas.

Aſpectus hominis Elephanto inequitantis, æternitatem præfigurat, forte alluſione facta, ad quadrupedis hujus longiſſimam vitam, nec enim creditur ullum ad tam ſeros annos vitam protrahere. Ripa autem in muliere tricipiti eam exhibet, quæ ſiniſtra ſua circulum teneat, indicem dextræ elevando. Tria capita trium temporum, anteacti, præſentis & futuri monumentum ſunt: Digitus elevatus firmitudinem ſtabilitatis indicat, circulus æternitatis figuram ſemper habuit. Rurſum in figura matronæ eam effinxit, quæ in dextra mundum regit, cum velo, quo facies ejus cooperta eſt, ſignificando per hæc tempus, quod nunc præſens non eſt, in æternitate occultatum eſſe.

Figura æternitatis.

Porrò & alia fæmina apparet, veſtimento viridi induta, quæ aut colubrum in dextra tenet in ſe invicem contortum, aut ſupra ſphæram ſedet, & ſolem in manu geſtat: quæ imagines univerſæ myſterium æternitatis exprimunt, quod altè omnium memoriæ, pro ſalute animarum, imprimendum eſſet.

Antiqui quomodo Imperatoribus ſuis proſperitatem annorum apprecati fuerint.

Sed ut ad memoratum Elephantem revertar, antiqui dum longitudinem annorum, & rerum omnium proſperitatem Imperatoribus ſuis apprecaturi eſſent, eum curru ſublimem exhibebant, ab his animalibus protractum.

Item Infantes duo, in lectum reclinati, & ludentibus ſimiles, alluſionem habebant, ad felicitatem ſæculi: quod fortaſſe ad Oden Horatianam reſpicit: *Innocentiam ubique tutam.*

Favor.

Figura item adoleſcentis cæci, ſupra rotam quandam, cui pedes alati ſint, qui nihilominus in firma ſtatione ſua conſiſtat, indicium erat olim favoris, & gratiæ: Ripa tamen author eſt, alas antiquitus ei potius dorſo affixas fuiſſe. Juvenem itidem armatum finxerunt, cum ingenti ſcuto in manu, collocato in terra, ubi mare depictum erat, cum Delphino, cujus dorſo puerulus inſidebat, lyram ſonans, & dextra ſua ſceptrum verſus terram reclinans: quarum rerum expreſſiones longæ, & copioſæ ſunt, quamvis utiles, atque idcirco Lectorem meum illuc ablego.

Honor.

Puer veſtitus purpura, quem Cupido Lauri ſerto coronat; & qui ad templum virtutis conducitur, ſimulacrum honoris eſt. Ripa haſtam dexteræ ejus adjungit, Cornucopiæ ſiniſtræ, ad demonſtrandos glorioſos effectus, qui ab eodem derivantur. Haſta, Cornucopiæ, & laurus tres præcipuas cauſas figurant, unde potiſſimum honor accreſcit, hoc eſt ſcientia, divitiis, & armis.

Histribus paratur, ſcientia, divitiis, armis.

Rurſum homo repræſentatur, venerabilis aſpectu, palma redimitus, cum armillis aureis in manu, & collari aureo circa collum. Rurſum aliter in moneta Antonini Pii Honos exprimitur, veſtitus indumento oblongo, cum corona laurea ſuper caput: In alia Vitellii, cum haſta in dextra, pectore ſeminudo, ad pedem ſiniſtrum collocata caſſis, propriâ ejus capillaturâ odornata eſt. Cornucopiæ, ſicut & caſſis eas res demonſtrant, quibus honor acquiritur.

Quies.

Porrò quies figuratur in forma hominis, ponentis pedem ſupra alterum. Sæpius apud veteres hæc figura in tumulis mortuorum cernebatur, videlicet ad augurandam defunctis requiem. Alii authumant, quod ejuſmodi figura quandoque otium, quandoque meditationem exprimat. Adjungit Ripa, quod manu dextra perpendiculum teneat, indicando per hæc, quod muri æqualitas noſci non poſſit, niſi perpendiculum firmiter fixum ſit.

Pietas.

Imago mulieris quæ duorum virorum dextras conjungit, imaginem Pietatis repræſentat. Hanc virtutem Ripa diverſimodè repræſentat. Inprimis adoleſcentem exhibet, candidi coloris, aſpectu decoro, oculis grandioribus, naſo aquilino, alatum humeris, rubicundo veſtimento indutum, cui flamma in capite eſt, ſiniſtram cordi imponens, Cornucopiæ repletum omnium rerum, ad utilitatem humanæ vitæ ſpectantium, abundantia, in dextra erat. Aliter item ciconiam adjungit, brachium ejus dextrum altari impoſitum eſt, cum gladio: ad latus Elephas eſt, & infans. Aliam adhuc figuram exhibet ſedentem, quæ phialam dextra tenet, cubito ſuper infantem inclinato; hæc in numiſmate Tyberii ſunt.

Pietas figurata in duobus fratribus.

Apud eundem Authorem Pietas in perſonis duorum Juvenum apparet, qui currum poſt ſe trahunt, idque in recordationem duorum fratrum Cleobis & Bitonis, qui matrem ſacerdotem ad phanum deæ Junonis, curru vectam, traxerunt. In numiſmate Antonini Pii mulier cernitur, cum infante uno in brachio, altero pedibus ſuis conſiſtente. Ex Prolixitate, quâ hic Author in expoſitione præſentis ſimulacri, ſimul & in deſcriptione virtutum, quæ illud concernunt, extenditur, facilè videri poteſt, cum quanta alibi abundantia, & ubertate in iisdem materiis verſetur: itaque ad eaſdem ingenioſum, & ſtudioſum lectorem meum remitto.

Furor.

Interim, ut de aliis quoque affectibus humanis nonnihil referam, conjungendo ſimul, & epilogando utrumque Authorem, Cartarum, & Ripam, unà cum atteſtatione Aldrovandi inprimis ſe mihi ſimulacrum furoris offert, in figura hominis horridi, cum vultu ſanguinolento, qui ſuper ſtruem galearum, ſcutorum, & gladiorum ſedens, manus nihilominus in tergo ligatas monſtrat. Hanc figuram Ripa rurſum aliter exhibet, in homine nimirum, qui facem accenſam geſtat; aut in adoleſcente, cui oculi ligati ſunt, & qui faſcem de haſtis compactam vibrare videtur. Ad utrumque alludit Virgilius, dum de militari confuſione mentionem habet:

Jamque faces, & ſaxa volant; furor arma miniſtrat.

Ad demonſtrandam iram, & indignationem vehementiſſimam, in dextrà quidam caput Meduſæ collocant, cujus immodicum & indomitum furorem adhuc evidentius exprimunt immittendo gladium evaginatum dextræ, quæ in actu feriendi ſit, in ſiniſtra umbonem, in quo ſculptus vel depictus eſt leo, in ſummitate verò galeæ ſerpens eſt, multis in ſe ſpicis convolutus, & contortus: quæ figuræ inordinatum affectum hunc ad vivum exprimunt.

Terror.

Imago itidem Terroris, qui à prædicto Authore Minervæ ſocius nominatur, ſub figura adoleſcentis minitabundi exprimitur, cui vultus diverſi ſint, quos pro libitu transformare poſſit, manus habens complures. Quamvis alii ſint, qui puerum repræſentent, cum capite leonis: alii cum habitu, & vultu muliebri, aſpectu nihilominus horribili: adjungit Ripa, tenere eum ſcuticam in manu, caput habere leonis.

Talis erat apud Eleos ſculptura in Agamemnonis ſcuto. Pauſanias antiquo commento tradit, Martem, imperante Jove, cum inter Argi-

vos, & Thebanos bellum ſuſcitaturus eſſet, Terrorem ſibi ſocium aſſumpſiſſe, ſeque ut præcederet juſſiſſe.

Fortuna. Ad ſuperiores illos vehementiſſimos humani cordis affectus annectendam ratus ſum fortunam, cæcam, & ſtultam, cum pede ſuper rotam, ſtantem in actu, quaſi quæ volare, vel avolare intendat. Erat hæc imago conſueta inconſtantis deæ hujus: Cartarus inſuper addit, ligatos eam oculos, in ſiniſtra verò cornu aureum habere, in dextra ſceptrum; quæ cuncta, ſequenti verſu comprehenſa ſunt, quos è manibus labi non patiemur:

Viſa tibi pictor fortuna eſt fœmina? viſa eſt
Cur? quia fœmineo lubrica more fluit.
An Dea dic ſodes? Dea nota utcunque per orbem.
Cur globulo inſiſtit? Labilis inſtar aquæ eſt.
Cur oculis captam pinxiſti? Non videt illa,
Vel quibus hæc ſpirat, vel quibus ipſa nocet.
Cur pars una vacat, pars plena eſt altera barba?
Ejus quod ſubſit ſexus uterque pedi.
Cur nuda? Quod quidquid habet pueroque ſeniq;
Inconſulta etiam, donet ad uſque cutem.
Et cur pennigeram? vehitur quicunque favore
Illius, ex humili ſcandit ad aſtra loco.
Fundamenta pedes ſtandi at cur dempſeris? hæcq;
Quæ ferat haud ulla ſint ſtabilita baſi.
Cur cornu læva auricomum, cur dextera ſceptrum
Geſtat? opes illud ſignat, & Imperium.
Sic tibi mens illam pingendi libera. Nam cum
Fortunam appellas eſſe Chimæra poteſt.

Fortuna variè figurata. Ripa his ſuperaddit, eſſe eam ſubtus arborem, quam haſta admodum prolixâ percutiat, ex qua deinceps varia profeſſionum, variarum inſtrumenta decidant. Refert idem Author, quod ab aliis cum globo cæleſti ſuper caput monſtretur, tenens manibus præfatum Cornucopiæ. Alii rurſum eam repræſentant brachio dextro ſuper rotam quandam inclinatam. Alii navigio imponunt, ſine gubernaculo, malo veliſque impetu ventorum effractis. Plures eam effingunt tenentem dextrâ Cornucopiæ, cum ſiniſtra ſuper caput Cupidinis recumbente, qui circa veſtimenta ejus ludere videatur.

In Numiſmate Hadriani ſedere ſupra Lectiſternium videbatur, ad cujus pedes gubernaculum erat navis. Atque hæc fortuna aurea erat, quam in cubiculo Imperatorum collocare olim conſueverant, quamdiu Imperii fræna tenebant, & inter vivos erant.

Multò fuſius in his, quæ per compendium attuli, & in aliis præter hanc materiis Ripa diſtenditur, & dilatatur, ſicut Aldrovandus ſequentibus verbis concludit: *De monſtris.* *Qui plura in hoc genere ſcire deſiderat, Iconologiam Ripæ, viri literis ſummi, adeat: Ubi ſimulacra mundi, elementorum, fluminum, ventorum, quatuor anni temporum, quatuor mundi partium, & plagarum; imo anni, menſium, dierum, horarum, temporamentorum, dignitatum, triumphorum, ſcientiarum, facultatum, artium omnium, nec non Muſarum, item virtutum, & vitiorum; quinque corporis ſenſuum, variarum animi affectionum, & tandem ortus vitæ, & interitus, ſumma cum voluptate intuebitur.* Cum hac authoritate tam eximia finem ſimulacris hujuſcemodi recenſendis pono.

SIMULACRA CÆLESTIA.

QUi aſtrorum contemplationi & ſcientiis ſe dedunt, ſive ut mentem humanam oblectarent, ſive ut ſignificationem, veram catenæ aureæ quam Homerus olim & poſt eum Apologi confinxerunt, Deum ſimul & homines vincientem, tanto clarius exponerent, non contenti, quod ſupernas ſiderum influentias curioſius obſervando deſcripſerint, & in aureos eorum orbes, quibus nitidiſſime reſplendent, acumen oculorum ſuorum fixerint, in iiſque, ut ita dixerim, ſe pleno pectore immerſerint, tam effluvia, eorum, quàm motus diſcutiendo: plura quoque humanæ ſimilitudinis ſimulacra illuc collocarunt: eorum, inquam, imagines, quos pro more patriæ, & gentis, in ſignum gratitudinis, aut venerationis honorare dignati eſſent, inter Numina eos referendo, quippe quod heroicis & glorioſis actionibus in orbe terræ ſe inclytos feciſſent, atque ideo deorum arbitrio in cœlos rapti, & tranſportati fuerint. Sic opinio inter Paganos vigebat. Quam autem frivola, quam nullius momenti, quam mendax hæc eorum credulitas fuerit, quotidianis documentis inſtruimur.

Ego tamen, ut nil intactum relinquam, quod utilitati publicæ aut ſervire, aut neceſſarium eſſe poſſit, utque eam claritatem, & lumen præbeam, quod à Catholica doctrina non abhorreat, ea adducturus ſum in compendio, quæ inſtructionem quandam habere poſſint.

Apparent autem figuræ, quas diximus, immixtæ figuris animalium, ſeu ferarum, quarum aliquas uſui noſtro ſervientes, in medium adducturus, & expoſiturus ſum. Ordo earum in hac forma diſpoſitus eſt. Primæ nobis ocurrunt Urſæ, alio nomine Orion & Caliſtho nuncupatæ, quarum caudæ retortæ ſunt, averſo ordine reſtrictæ. Fugit inter has obliquus Draco: ſubtus earum pedes Serpentarius prodit, cujus pedes frontem Scorpionis contingunt. Ex uno latere Arctophylax eſt, ſub cujus pedibus figura Virginis cernitur, quæ ſpicam geſtat in manibus. Retrorſum, vel à tergo Leo recumbit, & in æſtivo ſolſtitio Cancer ſunt, & Gemini, tangunt autem genu aſtri, quod Aquator dicitur: Caput Geminorũ, & caput præfati ſideris conjunguntur ſecus Tauri cornua. Capreoli majores proximi Urſæ ſunt, hæc autem à parte dextra in vicinio coronæ ſerpentem habet, quem Serpentarius manu tenet, ſicut & ſtellam Herculis: hic autem pede ſiniſtro ſummitatem Draconis ſeptentrionalis calcat, monſtrando ſe libræ brachium unum porrigere, alterum ſtellæ, quæ Corona dicitur.

Interim Cephei pes ad urſam uſque minorem tendit, qui ſtellam Cygni manu dextra apprehendit, ſub cujus cygni alas aſtrum Equi pedem extendit, ſupra hunc extollitur Aquarius, cui Capricornus vicinus eſt. Subtus pedes Aquarii ingens Cetus Auſtrinus animadvertitur, ante Cepheum ſtella item Caſſiopeæ: Poſt ſidus Herculis Perſeus pedem extendit: deinceps cum admirabili & intricato nexu, ſuper caput Perſei, Caſſiopea involvi videtur. Inter cygnum, & hominem genuflexum Lyra conſtituitur: in quorum medio ex parte Orientis Delphinus cernitur, ſubtus caudam ejus Aquila comparet; Atque hic ordo conſtellationum Aquilonarium eſt.

Succedit pars Auſtralis, quæ ſic habet. Sub aculeo Scorpionis Ara ſita eſt, aut Altare, ſub corpore ejus pars anterior Centauri. Ex altera parte ſubtus Circulum Auſtralem pes Sagittarii cernitur: è vicinia Centauri cauda Hydræ & Corvus collocata ſunt Nonprocul à genubus Virginis, id eſt à ſiniſtra parte Orionis Urna eſt; ſub

ſub cujus pedibus Padus, vel Eridanus fluvius decurrit, de quo admirabiliter Commendator Teſtius: *L' Eridano ſtellato in Ciel campeggia. Eridanus ſtellatus in cœlo ſitus eſt.*

Hic ſtella Leporis reſplendet, cui à tergo ſcintillat Canicula, ad cujus Caudam Navigium eſt. Ad pedem Tauri manus Orionis extenditur: Anticanis autem, vel Procyon ſuper caput Arietis invenitur; Cetus item ſupra piſces fulgurat. Hanc conſtellationum ſeriem Poëta Auſonius eleganter admodum ſequentium verſuum contextu exponit: nec enim ſine detrimento præſentis operis omitti poſſent, ubi facilè humanæ figuræ, quamvis aliis intermixtæ ſint, dignoſci poterunt.

Auſonius. *Ad Boreæ partes Ariti junguntur & Angues:*
Poſt has Arctophylax, pariterque Corona, Genuque
Prolapſus, Lyra, Avis, Cepheus, & Caſſiopea,
Auriga, & Perſeus, Deltoton, & Andromedæ aſtrum,
Pegaſus, & Delphin, Telumque, Aquila, Anguitenensque,
Signifer inde ſubeſt: Bis ſex & ſidera complent,
Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, & Urnam
Qui tenet, & Piſces. Hi ſunt in partibus Auſtri:
Orion, Procyon, lepus ardens, Syrus, & Argo
Hydrus, Chiron Thuribulum quoq;, Piſcis & ingens,
Hunc ſequitur Piſtrix, ſimul Eridanique fluenta,
Acarnar, Corvuſque, Lupus, Craterque, Corona.

Arctophylax. Inter has inquiunt, quartam figuram humanam eſſe, de hac enim fabulantur, Bootem, aut Bifolcum, qui alio nomine Arctophylax dicitur, Cuſtodem Urſæ adoleſcentem eſſe Helicem, atque hunc prius fœminam inquiunt fuiſſe nomine Caliſtum, Lycaonis Arcadiæ Regis filiam, Transmutatam in ſtellam maximam, circumdatam & irradiatam ſtellis viginti, & duabus, Arcturus. quibus totum illud ſidus componitur. Inter latera ejus reſplendet Arcturus celebre aſtrum apud Poëtas, cumque tardioris motus ſit, ita ut vix ortus ejus, vel aſcenſus dignoſci poſſit, de eo illud dictum eſt:

Urſæ tarda ſequens veſtigia, nomina ſumpſi.
Arctum qui ſervat, dicitur Arctophylax.

Sidus Herculis. Conſtellatio quinta nomen Herculis ſortita eſt, qui alio nomine Erigonaſinus, Geniculator, & ſaltator dicitur, ab Auſonio item Genu Prolapſus: dextra manu clavam geſtat, quaſi pugnaturus, coronatur autem ſtellis viginti, & octo. Cepheus. Figura nona ſeptentrionalis aſpectum Cephei repræſentat: erat hic quondam Rex Æthyopum, Maritus Caſſiopeæ, filiæ Andromedæ, quæ cum Orcæ Marinæ ad devovandum expoſita eſſet, ope Perſei periculum imminens evaſit, quam deinceps generoſus ille ſibi in Conjugem duxiſſe fingitur. Duodecim autem ſtellis coronata eſt, & ſic loqui dicitur:

Aſtra colo, dedit hoc tumidi mihi bellua Ponti:
Aſpice me nitidam: Sors mala læta fuit.

Caſſiopea. Caſſiopea dehinc in via lactea ſedere cernitur, tredecim ſtellis inſignita, atque hæc Borealis conſtellatio decima dicitur, quam ſic loquentem faciunt:

Obliquo licet ore, tamen torquemur ab axe
Sydereo; facie non nocet, axe nocet.

Perſeus. Sequitur conſtellatio undecima, quæ Perſeum præfatum repræſentat, Liberatorem Andromadæ: hic in dextra gladium gerit, in ſiniſtra Meduſæ ſcutum, aut verò caput Gorgoneum: juxta Aſtronomos recentiores dictum, *Caput Algoli;* viginti ſex ſtellas continet, tres informes, cujus hæc videntur verba eſſe:

Non genus aut ſanguis, ſed me ſuper æthera virtus
Suſtulit: hic homines, hæc facit eſſe deos.

Pro duodecima Conſtellatione; quæ humana effigie apparet, Andromeda cernitur, catenis vincta: quod ſidus integrum viginti tribus ſtellis perficitur. Andromeda.

Pro decima quarta ſeptentrionali Bellerophon eſt, & ipſe humanam formam repræſentans. Bellerophon. Quamvis autem hic, juxta mentem Pauſaniæ, Hippolitus credatur caſtitate celebris, filius Theſei, Hippolytus. Eniochus. concordat nihilominus major ſcriptorum authoritas Eniochum Athenienſem hoc inſinuari, quem ajunt inventorem artis fuiſſe, qua currus vel eſſeda fabrefiunt: hunc poſtea Erichtonium, Conductorem, vel Agitatorem, appellatum, unde ſic loqui introducitur:

Ars nocet, ars prodeſt: amiſi fulmine vitam:
Hac petii radios, hac ego ſiedereos.

Vigeſima Conſtellatio Borealis, appellata Ophiicus, Angvitenens, vel Serpentarius, monſtrat ſe ſerpentem tenere. Serpentarius. Communis opinio hoc Æſculapium indicari cenſet; quippe quod è ſerpentibus optima theriaca fiat, quam medicina ſibi creberrimè uſurpat. Æſculapius. Coronatur autem quatuor vicenis ſtellis.

Orion prima Conſtellatio Auſtrina eſt, triginta octo ſtellis perfectionem ſuam conſecuta, Orion. in humero ei dextro eſt, quam Bellatricem inquiunt: altera ei non impar in pede dextro reſplendet. Hæc ſtella ab antiquis Romanis Jugula nominata fuit, unde apud Plautum quidam famulorum admiratus immobilitatem cœli, inquit: *Neque Jugulam, neque Veſperuginem, neque Virgilias occidere.* Referunt autem Orionem Bœotiæ Principem fuiſſe, qui ab Atlante Aſtronomiam didicerit: ob excellentiam verò profeſſionis poſt mortem ſuam hæc lucida domicilia meruiſſe: itaque inſequenti modo loquens introducitur:

Invidiæ flammis petiit me terra, ſed iſte
Me furor invidiæ ſuſtulit ad ſuperos.

Succedunt Gemini, quorum diſcuſſio prolixa futura eſſet, niſi brevitati me addixiſſem: Gemini. figuratur autem his tertium Zodiaci ſignum, delineantur in duplicata maſculorum figura: quos credunt (cum hoc ſignum ſol introierit) quidquid in terrarum Orbe natum fuerit, præcipuè tamen ſemina, & herbas vegetare, & augmentum largiri. Dixerunt Antiqui Caſtorem & Pollucem uno partu geminos in lucem editos, Caſtor & Pollux. poſtea in cœlum traductos, quorum hæc verba ſunt:

Sum frater: frater junctus mihi creditur unus,
Unus nos animus, binaque corda tenet,
Unus amor: mentemque unam duo pectora ſervant:
Qui dubitat, fratrem non amat ille ſuum,

Inter cætera Zodiaci ſigna duo adhuc in forma humana ſpectantur.

Sextum locum virgo occupat: hæc filia Icari Virgo. fuiſſe dicitur, ſoror Penelopes, quæ mortuo patre, quem ruſticorũ quidam, vino pleni mactaverant, euſq; indoluit, ut laqueo ſibi vitam finierit: unde vices ejus miſerata Numina, in hanc formam transmutarunt: influit hoc ſidus ſanguinem aduſtum, dignitates procurat, ſiquidem Lunæ junctum fuerit. Ajunt item Aſtronomi, cum hoc ſignum ſterile ſit, ſolem quoq; cum in domũ hanc introierit, terram infrugiferam reddere: Exhinc veraciter hyemales venti levari occipiunt, quorum vi & plantis & herbis incrementa ſua præpediuntur: hinc de eodem ſigno ſic Muſa loquitur:

Erigon,

Erigon, Fortuna, Ceres, vel filia Phœbi,
Nuncupor; hæc lucis nomina dant tenebræ.

Aquarius.

In undecimo Zodiaci loco Aquarius humanâ formâ apparet, verſans de urna ſua aquas: de quo non obſcuri effectus apparent: cum enim ſol aſtrum hoc tetigerit, continuis imbribus, & nivibus, terra irrigatur, & cooperitur. Aſtronomi cum Poëtis inquiunt: hunc Aquarium Ganymedem fuiſſe, qui raptus à Jove, ſideris hujus locum obtinuerit, quem hoc dyſticho deſignent:

Errant qui dicunt me Cecropa, ſum puer Axes;
Nunc Pincerna tamen, raptus ad aſtra, Jovis.

Signa Zodiaci repræſentata in figura humana.

Non deſunt Authores varii, qui ſimulacra Zodiaci effingendo, quantum poſſunt non niſi in figuris humanis ea repræſentare ſatagunt. Joannes Angelus Operarius inſignis, & ingenioſus, delineando quod inter ſigna primum eſt, in figurâ illud humani capitis exhibuit: rurſum in homine tenente evaginatum gladium dextrâ ſuâ, prima Arietis facies inſinuatur: alius item ſtans, togam indutus, ſecundam faciem præmemorati demonſtrat: ſic in aliis quoque ſimulacris humana facies cernitur.

Cumque, juxta mentem præfati Authoris, homo obſervatur aratrum premens; cum tabella Infantium in manu, ubi Alphabetum annotatum ſit, primam faciem Tauri denotat. Item ſi homo animadvertitur, in pedes erectus; cui dextra prolongata ſit; & qui ſiniſtra cingulum ſibi adaptare videatur, vult hac figura primam geniorum faciem deſignari: atque ita in expreſſione aliarum facierum præfati ſigni, varias hominum figuras, cum diverſimoda membrorum poſitura exhibet.

Quandoque homo mutilus manibus decimum ſeptimum ſigni hujus gradum indicat: Juxta Aſtronomorum ſiquidem ſententiam, qui in faciei hujus aſcenſu naſcuntur, plerumque ſegnes ſunt, nauci homines, tardi ingenii, ad nil utiles.

Sequitur Cancer: quod ſignum, juxta Georgium Venetum, in perſona pectoris humani apparet: diverſimodè illud repræſentans: exhibet enim figuram Maris, & fæminæ, dextris eorum invicem copulatis, per quam ſignum jam memoratum intelligit. In eundem modum cæteros quoque gradus exequens.

Idem Author in imagine hominis, leonem inſidentis, primam ejuſdem Planetæ faciem demonſtrat: ſicut in effigie ſeminantis triticum, virginem deſignat. Rurſum togatus quiſpiam, inſpiciens libros quoſdam apertos, primam Libræ faciem denotat: ſimilitudo duorum hominum invicem dimicantium, primam Scorpionis faciem exhibet. Simulacrum hominis erecti, qui gladium ſiniſtra gerit, primam Sagittarii partem ob oculos ponit: illic figura hominis cooperti pallio, qui deambulare videtur, cum loculis in manu ſiniſtra, indicium eſt primæ faciei in Capricorno. Cum autem hominem fingit geſtantem utraque manu volucrem, primam Aquarii partem exponit: figura item bajuli, qui ſuper baculum briſurcatum incumbit, imago eſt piſcium: quamvis iidem, juxta eundem Authorem per binos pedes humanos annotentur.

Tam Copioſæ denique Aſtronomorum præcedentium chartæ ſunt, quæ à Neotericis noſtris dilucidantur, ſignificationes & influentias harum Conſtellationum, & ſignorum cæleſtium, exponendo quæ vel ad mortalium decrementum, vel ad eorum favorem ſiunt, ut, ne in horum ulteriori proſecutione ultra menſuram diſtinear (quippe quod tantæ eloquentiæ viri, jam ante me in his ſudaverint) ſicut item, ne forte in ſcopulum quempiam ſecuritate nimia impingam, ad offendendam innocentiam, qua utilitatibus Lectoris conſultum volo, præterire complura mihi decretum ſit, quæ alioquin non invenuſta, quin potius curioſa admodum futura non dubitaverim. Non poſſum tamen, quin de nativitate ſignorum (quæ à nobis jam memorata ſunt) illud referam, quod ſuper textum quendam Ptolemæi, accuratus ſimul, & eloquens Author Pontanus commentatur.

De ritu Cæl.

Prior itaque Ptolemæus in quadrageſima quinta ſententiarum ſuarum, quarum numero centum ſunt, ſic ait: *Quiſquis genituræ ſuæ dominatores, aut aſcendens in ſignis humanis non habet, ab humanitate alienus etiam ſibi ipſi erit.* Supra quod Pontanus copioſè admodum commentatur, cujus primas periodos huc colloco: *Naturalis hominum propenſio ad manſuetudinem, & lenitatem, aut ad paſſiones his contrarias, natalibus, & ſtellis tribuitur: pro ſignorum qualitate, in quibus ii, qui genituræ dominantur, inveniuntur, proque aſcendentis ſigni natura. Et ſigna quidem humanitatem, ſociabilitatem, manſuetudinem, hoſpitalitatem, civilemque conſuetudinem conferentia ſunt illa, quæ hac eadem cauſa de hominum nominibus vocata ſunt: Gemini, virgo, Aquarius, & Sagittarius.*

Sufficiant hæc in materia ſimulacrorum Cæleſtium, de quibus jam abundè tractatum eſt.

STATUÆ.

Statuæ quam utilitatem habeant.

AFfines, ut ita dixerim, & coætaneas, ejuſdemque naturæ cum ſimulacris eſſe ſtatuas nemo negaverit: de ſtatuarum enim poſitura etiam ſimulacra deducta ſunt: Cum igitur ob multiplices cauſas non illicitum ſit ad ſimulacra evagari, propter ſignificationum utilitatem, quibus abundant, & quorum nobis expoſitionem Magiſtri artis hujus ob oculos ponunt, quantò magis hæc eadem, imò & fortior ratio pro nobis militat, ſiquidem in ſtatuarum conſideratione, in earum figuratione (dummodo, prout oportet, in tanta rerum commixtione, quæ obſcura ſunt, diſſolvantur, & enodentur) ab aliorum objectorum inutilitate eas depurando admirabilem conſiderationem & meditationem inſtituerimus, præſertim ſi in formatione ſua ſimilitudinem actionis, quam exhibere debent, ritè conſecutæ fuerint.

Prima ſtatua à Deo formata.

Hæc ſtatuarum notio ſibi omnem quoque rationem ſupra de ſimulacris memoratam vendicat, quarum primitivum Authorem ipſum Deum recognoſcit, qui primam hominis ſtatuam formavit, ex immobili eam mobilem diviniſſimo flatu ſuo faciens, inſpirando animam rationalem. Homo deinceps eundem imitatus, contra ipſam annorum, & temporum injuriam ſe ſculptoria arte æternitati dare & condecorare auſus eſt. Sagax enimverò inventum, quo virtus, & meritum præmia ſua conſequuntur.

Definitionem horum operum ſic habe: *Statua eſt ſimulacrum, ex materia ſolidiore, quod alicui vel mortuo, vel etiam viventi, ob præclara in Rempublicam merita, tanquam duraturum Mnemoſynon,*

mosynon.

moſynon, poni olim conſuevit loco aliquo conſpicuo. Minus autem generalis ſtatua eſt, quàm Imago, cum & pictura idem valeat in imaginibus.

Primum ſtatuæ inventorem inquiunt fuiſſe Saruch, filium Reu, de progenie Sem Patriarchæ deſcendentem, prout Geneſis caput undecimum refert. Alii Belum aſſerunt primum. Ægyptii ſtatuas non niſi ſola oculi æſtimatione factas evitabant, hinc certa quadam cubitorum menſura utebantur, qua ſe adæquatam operi ſuo quadraturam, debitamque proportionem conſecuturos arbitrabantur: hinc Diodorus ait: *Res profectò miranda, diverſos artifices variis in locis ita in unam menſuram convenire, ut quandoque ex viginti, quandoque ex quadraginta partibus unica ſtatua componeretur.*

Lib. 1. Cap. ult.

Dædalus.

Pindarus laudibus Rhodios extollit, tanquam in profeſſione hac miræ induſtriæ & artis. Inter antiquos ſtatuarios potiſſimum celebrati ſunt Dædalus, tantopere à Pauſania, Diodoro, Ariſtotele, Theocrito, Athenæo, Feſto, Homero aliiſque encomiatus: hinc Mythologici eum alatum finxerunt.

Phidias.

Poſt hunc Phidias eſt, ſicut opus ejus, Jupiter Olympicus, ex ebore, & auro conſtructus, aliaque inſuper teſtificantur, quibus nomen ſuum æternitati dedit. Polycletus Sicyonius item in ſtatua Herculis, ſublevantis Anthæum, ad eum ſuffocandum, ſicut & in aliis idem conſecutus eſt. De Myrone Pauſanias eruditè ſic habet: *Primus hic multiplicaſſe varietatem videtur: quàm Polycletus ſymmetria diligentior.*

Polycletus.

Myron.

Inter ſculptores, quos antiquitas celebrat, Praxiteles eſt diligentiſſimns & accuratiſſimus, Theledeus, Theodorus, Pythagoras Samius. Ariſtides Polycleti diſcipulus, Arceſilaus, Canucus, Eutichides, Carterus, Ariſtonidas, Onatas, Æginetas, Argoracritus, Parius, Theophanes, Callimachus, Xenocrates, aliique, quorum nomina paſſim in ſcriptorum paginis occurrunt.

Statuæ quibus collocatæ.

Eriguntur autem, & fundantur ſtatuæ inprimis omnipotenti Deo, tanquam omnium præterea Numinum Principi, & ut cum Chriſtianis loquamur, omnium Sanctorum ſupremo Monarchæ. Deinceps omnium nationum communi conſenſu & Heroibus, & iis qui virtutum vel diſciplinarum encomiis celebrati ſunt (ut Rhetores) inter quos Leontinus Gorgias eſt, & Demoſthenes, & Iſocrates: item Poëtis, inter quos Homerus, Heſiodus, Virgilius, Opianus, Claudianus, & ſimiles: Non minus & muſicis hic honor datus eſt, ut Arioni, hinc Volaterranus inquit:

Cernis amatorem qui vexit Ariona Delphin?
A Siculo ſubiens pondera grata mari.

Præter hunc & Pindaro. & Eunomio, & hujuſmodi aliis. Porrò & Philoſophis, ut Platoni, Menedemo, Chryſippo, Epicuro, Gargetico, de quo Laërtius, & Tortellius: *Item Patria, quæ ſtatuis æreis illum decoravit:* Inter modernos Junio Ruſtico, Favorino philoſopho]: Item Aſtrologis, ſicut Beroſo: itidem Medicis, ut Antonio Muſæ (de quo Suetonius) Item Athletis, ſicut Praxidamæ Æginetæ, Polydamanti, Archiæ, Autolico, Aſtilo Crotoniatæ, & aliis compluribus: Item Pontificibus Maximis, quorum ſtatuis provinciæ plenæ ſunt, & regiones, & regna: Item Ducibus, ut Mennoni, Miltiadæ, Cononi, Cabriæ, Timotheo, Epaminondæ, Philopœmeni; inter Romanos Camillo, Marcello, Lucullo, Q. Flaminio, ſicut & Cæſaribus quotquot fuerunt: Item Cenſoribus, inter quos Cato & alii ſunt: Item Legiſlatoribus, ut Soloni, Hermodoro, Demarato, Lycurgo, & ſimilibus: Item Præceptoribus Scholarum, ut Verio Flacco, Cornelio Frontoni. Nec fæminis quidem hic honor denegatus eſt, ut generoſæ Corinnæ, Treienæ, Lienæ, & audaciſſimis Cleliæ, Camillæ, Caiæ, & aliis. Hæ ſtatuæ ſic plerumque erectæ erant, ut vel ſapientiam, vel fortitudinem, vel pietatem, aut patriam ab inimicis liberatam repræſentarent, aut ut obtentam victoriam inſignem memoriæ poſteritatis conſcriberent.

In Auguſto.

Fæminis ſtatuæ collocatæ.

Sculptores moderni.

Sed ne in longinquis hiſce recenſendis immorer, & aliquando etiam ad modernos ſculptores tranſire poſſim, quorum nec talenta, nec merita antiquitati cedunt, opportunum mihi videtur, inhærendo præſertim iis, quæ maximè inclyta fuerint, per earum particularitates repræſentantes hominum, & deorum formas, ad utilitatem legentium digredi.

Demetrio Phalereo ſtatuæ 360. collocatæ.

Græci igitur, ut nomen Demetrii Phalerei ſummis honoribus condecorarent, tercentum & ſexaginta ei ſtatuas erexerunt; quamvis Plinius referat, hæc eos ad numerandos anni dies feciſſe: tot enim dierum numero ea hominum ætate annus cenſebatur. Ut eundem numerum exprimerent, ſtatuam non niſi unam erigebant, ſed cui digitus medius, annularis, & minimus verſus plantam ejuſdem manus plicati erant, cæteri erecti, in ſiniſtra autem unguis pollicis comprimebatur indice, digitus medius verſus palmam incurvatus erat. Statuam Jani Deum anni ſic figurabant: in dextra numerus tercenteſimus, in læva ſexageſimus notabatur, prout in tractatu voluminis prioris jam ſupra de numeris expoſitum eſt.

Statuæ in antris collocatæ.

Vetus conſuetudo fuit (cujus myſterium deinceps declarabitur) ut ſtatuas in cavernis collocarent, eas potiſſimum, quæ mulierem venuſtam, & formoſam, hoc eſt, Venerem repræſentabant: volendo per hoc pudicitiam viris inculcare, & diſſolutionem quorundam ſugillare. Qui enim maximè rationis uſum everterunt, brutis animantibus æquiparandi, inſenſuales hujuſcemodi affectus prorumpunt in publico, à quo ſenſati, & honeſti viri omni pacto ſibi abſtinendum eſſe noverunt. Hinc Pauſanias Cellulæ cujuſdam, quæ nocturnæ, vel ſicut quidam populi Maliaſtæ dicti ajunt, *nigræ* Veneri ſacra erat, mentionem habet.

Venus nigra.

Antequam verò ad ſtatuas deſcendamus, quæ geſtu ſuo, plura myſteria in ſe comprehendebant, neceſſarium arbitror, eas imprimis adducere, quæ vel oculis, vel capite iſtiuſmodi abditos ſenſus continebant. Manaſſes Rex Judæorum ſceleratiſſimus, poſtquam Prophetam Domini Iſaiam, medium ſecari Serra juſſiſſet, in memoriam facinoris, tanquam laude digni, ſibi ſtatuam erigi imperavit, quinque capitibus decoratam, & compoſitam: prætendebat autem Gens illa hac multiplicitate capitum pluribus eum oculis dotatum fuiſſe, quam erat Propheta, quem *Videntem* appellare conſueverant. Sed calamitoſus ille, de fumiferis ſpecubus tyrannidis ſuæ, abſit ut tantundem oculis ſuis cerneret, quantum Propheta ſanctiſſimus.

Manaſſes Rex ſibi ſtatuam erigit.

Statua habens oculos tres.

Statua item Jani bicipiti forma erecta fuit, ad demonſtrandum, juxta quod jam ſupra retulimus, tempus tam præteritum, quàm futurum. Pauſanias tradit, vidiſſe ſe ſtatuam tribus oculis inſignem, eamque in altari ſpacioſo, & eximio,

palam expoſitam, ad quam Rex Priamus ſe receperit, Troia jam capta, & deſolata: quæ ſtatua deinceps à Steneleo filio Capaneæ in Argivos translata fuit. Sed ecce, quemadmodum in tribus oculis, corporis unius, tres perſonæ Patris, & Filii, & Spiritus Sancti repræſentautur, quæ cum tanta providentia, & omnipotenti virtute ad tutelam Mundi, & Cœli præſident, & vigilant: ſic & veteres illi triplicatam Jovis providentiam, quâ trium Regnorum, Cœleſtis, Terreni, & Inferni gubernationem adminiſtrat, intellectam voluerunt.

Statua habens oculos in occipitio.

Quandoque etiam in occipitio oculos ſculpebant, ſicut inter alias figura Juſtitiæ ſpectabilis erat, ad demonſtrandum, quantopere Juſtum Judicem à corruptela munerum deceat alienum eſſe, quippe quibus in bilance æquipendium obſervari nequit.

Statua M. Aurelii.

Proinde ut ad ſtatuarum geſtus conſideratio noſtra ſe vertat, ſtatua Marci Aurelii occurrit, quæ equeſtris, & ex ære fuſa, ante oſtia Laterani ſpectabatur, dextram tenens reſupinam, aliquantum inclinatam, digitis verò disjunctis, pollice deorſum verſus pendente: quibus deſignatum erat, hunc virum gloriam illam conſecutum fuiſſe, ut Caduceator, Mediator, & Pacificator in mediis armorum incendiis fuerit, & pacem Regnis, & Coronis recuperârit.

Item Titi Livii.

Sic Titi Livii ſtatua, ante oſtia Prætorii patrii ſtabilita, indicem ori impoſitum gerebat, indicans hunc literatiſſimum Hiſtoriographum inclyto calamo ſuo innumera ſimul complexum fuiſſe, quæ, (ab oblivione alioquin ſepelienda) poſteritatis memoriæ feliciter transmandârit.

Item Regis Sardanapali.

In Tarſo ſtatua quondam apparuit Regis Sardanapali, quæ manus ita compoſitas gerebat, ut una alteram quatere videretur: erat autem hic geſtus hilaritatis & voluptatis indicium, quibus ſe homo diſſolutiſſimis moribus totum ſacrificabat.

Statuæ ſine manibus.

De his ad ſtatuas illas progredior, quæ ſine manibus exhibitæ ſunt: inter quas primum ſibi locum vendicat bicipitis Jani, ſed ſub bino capite trunca manibus, & pedibus, quo ſapienter admodum vigorem, & omnipotentiam divinam deſignabant, quæ ſine ope horum membrorum, ſolo intuitu, ſolo nutu perterrefacere, & concutere orbem univerſum poſſit.

Mercurius quare Cyllenius dictus.

In hac forma apud Athenienſes Mercurii effigies penè omnes expreſſæ fuerunt: hinc Cyllenius nuncupatus fuit, more Græcorum ſic eos nominantium, qui manibus deſtituti eſſent: hoc eodem nihilominus demonſtrare intendebant, orationem, quamvis geſtu omnino privata fuerit, è robore ſuo, & energia nil amiſſuram eſſe.

Alia rurſum ex hoc, non minus elegans conſideratio enaſcitur. Duplicem ratiocinationem eſſe philoſophorum Scholæ nos docent, quarum prima penetralia mentis non egreditur (prima intentio nominata) altera verbis facunda eſt (& intentionis ſecundæ nomen ſortita eſt) Itaque cum Priſci hac ratione ſtatuas ſuas finxerunt, nobilitatem, & æſtimationem palam facere ſategerunt.

Statuæ 25. famulaſum.

Micerinus Ægyptiorum Rex, circa tumulum, & cadaver defunctæ filiæ ſuæ, viginti ſtatuas ancillarum fieri curavit, quarum quæque trunca manibus erat, hoc eodem demonſtrans, juſtiſſimam ſceleratarum pœnam, cui eas vindicta debita ſubjecit, dum inceſtuoſo adulterio complices fuiſſe deprehenſæ ſunt, quas viventes ſic mutilari Rex præcepit. Apud Thebanos, prout ſupràmeminimus, Judicum omnium ſtatuæ ſine manu erant, ſignificando procul à muneribus, & largitione Judicem eſſe oportere.

Quod ſi nobis inſtitutum eſſet ſtatuarum omnium meminiſſe, quotquot varios digitis geſtus efformant, earum numerus infinitus in hiſtoriis nobis occurret: quarum nonnullas tamen huc proferemus, ne has paginas debito complemento ſuo fraudemus.

Statua effæminatos repræſentans.

Pierius Valerianus ſtatuæ cujuſdam mentionem habet, ornatæ veſtimento barbarico, quæ choreas ducere videbatur, cum digitis ſupra caput; erat autem ſymbolum enervatæ, & effæminatæ mollitiei. Rurſum alibi una, vel plures ſtatuæ obſervatæ ſunt, quæ dextra ſua faſces geſtabant, ſiniſtra ſic compoſita, ut digitus minimus, quaſi in circulum contortus, medium plantæ manus contingeret; quo geſtu fortitudinem unionis repræſentabant, eumque cujus hæ ſtatuæ erant, ſemel conſularem dignitatem conſecutum fuiſſe.

Locus hic exigeret, ut omnium digitorum motus, quibus numeri figurantur, & unde ſtatuas ſuas antiqui cum tanta exactitudine formârunt, mentionem ſuam haberent: ſed cum in voluminis hujus Parte prima jam abunde in hoc genere diffuſi fuerimus, Lectorem illuc, ſiquidem plura deſideraverit, remiſſum volo.

Transeamus nunc cum omni brevitate de manibus ad pedes: ubi illud meminiſſe non prætcribo (quamvis id jam ſupra tetigerim) quod cum olim hominem in geſtu figurare vellent, quo videretur alterum aggredi, pedem ſtatuæ, ad anteriora âliquantum porrectum exhibebant.

Hermanſal ſtatua, in Saxonia.

Succedunt his ſtatuæ, per modum ſimulacrorum, inſculptæ armis, vexillis, ſcutis, fructibus, floribus, aliiſque ſignis, quibus myſterium quoddam exprimitur. Doctiſſimus vir Goropius unius mentionem habet, quam in Saxonia viderit, nuncupatam Hermanſal. Erat autem ſtaturæ ingentis, repræſentans hominem armatum, qui in dextra vexillum militare geſtabat, cum roſæ effigie, in ſiniſtra libram, pectore omninò inermis cujus ſcuto Leo inſculptus erat, & cui vicinus cernebatur urſus. Hæc ſtatua in floridiſſimo campo erecta erat: vexillum autem multis faſcibus ad haſtam unam colligatis componebatur. Goropius jam citatus inquit, in imagine hac intelligi poſſe, nunquam pacis tempora tam firmiter ſtabilita eſſe, nec viciſſim armorum rabiem unquam adeo furibundam eſſe, ut non pax illa interturbari, belli motus ſedari poſſint. Per inerme pectus, animus ſignabatur impavidus, qui ad repentinos tumultus facilè non concutitur. Per urſum urbis habitatoribus inſinuatur, cum quanta ſtrenuitate eis contra inimicum, & communem hoſtem eundum ſit. Leo qui in umbonis cælatura apparebat, animum regium denotat, & verè magnanimum. Vexillum tot ligaminibus, tot trophæis ad haſtam ſuam affixis, denotabat, cives invicem concordes eſſe oportere, ac ſic unitos hoſtium impetum tanto fortius expugnare, vireſque frangere poſſe. Roſa figurata in vexillo iiſdem civibus in ſignum erat, ut debita benevolentia etiam conſilia pacis non reſpuerent, ſiquidem talia eſſent, quæ rationi conſentanea & patriæ ſalutaria crederentur; roſa enim conſecrata Deæ amorum, benevolentiæ, & unanimitatis ſymbolum eſt.

Quinam inter veteres ſtatuas promeruerint:

Præter eos quos jam ſupra adduximus qui ſtatuis ab antiquitate cohonorati fuerunt, hic ſurſum perſonas alias è memoria veterum referre non omittemus, qui cum in actionibus verè heroicis ſe exercuiſſent, hæc immortalia monumenta meruerunt: inter quos Seſtor Rex Ægyptius ſtrenuiſſimus, & fortiſſimus militiæ, conſimilem honorem promeruit.

Mutius Scævola;

Sicut eſt Mutius Scævola vir ille ſtrenuus, qui in pœnam erroris, quem præter voluntatem ſuam incurrit, dum Regem Porſenam occiſurus, ad latus ejus alium percuſſit, pleno animo ardenti foco dextram quæ peccaverat, injecit, dicendo inſpectante, & audiente Rege, qui urbem obſederat: *Romanum eſſe, agere, & pati fortia:* Quo prodigio fortitudinis motus Rex obſidionem levando, ſe in patrios fines ſuos recepit.

Horatius Cocles:

Item Horatius Cocles, qui ſolus armatorum torrentem in ponte ſublicio Tyberis ſuſtinuit, qui urbem inundare minitabatur.

M. Curtius:

Item Curtius, qui afflictæ patriæ ut remedium & ſalutem acquireret, ſe in patentem voraginem, & ignem inde efflagrantem, vivus, & armatus injecit.

Pericles:

Inter Græcos item Pericles, non minus lingua diſertus, quàm gladio ſtrenus, unde de eo dictum eſt, quòd cum capite præter ordinem naturæ communem, elevatior eſſet, quotquot ei ſtatuas dedicarunt, earum capita ſemper caſſide aut pileo tecta apparuiſſe, ad defectum hunc quamvis naturalem, operiendum.

Flavius Joſephus:

Flavius Joſephus item hoc honoris adeptus eſt, ob eximium opus quod ea tempeſtate in lucem dederat, *De bello nimirum Judaico.*

Et alii.

Idem conſecuti ſunt ante hunc Numa, Plato, Ariſtoteles, Phocion Athenienſium Princeps, Conon, Evagoras, omnes ſtrenuiſſimi viri, & Duces fortiſſimi, inter quos cenſendus quoque Archias, & Hybleus qui Romæ in foro Trajano olim cernebantur.

Poſtquam autem in hunc campum deſcendi, non diſſiteor me nec oculis, nec calamo ſufficere ad ſylvam illam deſcribendam, marmorum, inquam, neſcio an dixerim in homines transformatorum, an vero hominum in marmora.

De monſtris. Tot ſtatuæ Romæ, quot penè Incolæ.

De quo tam ad rem accommode Commentator Aldrovandus inquit: *Olim Romæ tantus erat ſtatuarum numerus, ut alter populus lapideus eſſe videretur.* Sed ſi virum illum hæc ætas tuliſſet, omne id quod de tempore anteacto refert, huic ætati noſtræ applicare potuiſſet.

Itaque de his ultra, quæ ad manum ſunt, ratiocinationem ſuam velle extendere, aliud utique non eſſet, quam conſarcinare, quæ propoſito noſtro non conveniunt: nec enim prolixa oratione indiget, quod oculis præſentibus ſpectari poteſt: cum promptior ſit ictus oculi, omni ſedulitate ſcriptionis meæ; ſicut & vanum eſt jactare ſe, quod omnem adeo antiquitatem hoc in genere quis exhaurire velit. Siquidem Tempus, magnus, ut ita dixerim, ſæculorum helluo, tot monumenta disjecit, & humi truncos reliquit, qua ratione gloriabitur penna mea, de ruderibus ſæculorum, deperdita eruere? Ne tamen omnino functioni meæ deceſſe videar, quædam etiam de his, imò verò non pauca, quæ mihi ab Andrea Fulvio Antiquario celebri ſubminiſtrata fuerint, in medium afferam, ea videlicet, quæcunque in urbe Principe (de antiquis loquor) continentur, quæ cum Caput ſit Mundi infinita quoque Capita in lapidibus erexit.

Statua Alexandri M.

Videbatur inprimis, tanquam portentum admirabile ante oſtia palatii Cardinalis Ferrerii ſtatua Alexandri Magni inſidentis Bucephalo: quod opus inſigne Praxitelis erat.

Item Paſquini.

Ejuſdem valoris eſt Paſquini ſtatua, quamvis vetuſtate jam attrita, qui miles quondam Alexandri Magni fuerat: de hac penè quotidianæ ſatyræ, dictæ *paſquinatæ* prodeunt: hæc ante palatium Cardinalis Caraffæ, gloriam & titulum *egregiæ* ſibi nacta eſt:

Item Apollonii, & Æſculapii:

Sicut & illa Apollinis, in Horto magni Ducis Thuſciæ. Nec minori applauſu recepta eſt ſtatua Æſculapii, de puriſſimo marmore elaborata, ante fores ejuſdem Caraffæ: item altera Æſculapii in præmemoratis hortis Sereniſſimi Ducis Thuſcani.

Adonidis:

Admirandi artificis eſt ſimulacrum mamoreum repræſentans Adonidem, junctum apro, qui ad eum feriendum inſurgit: invenitur autem in ædibus Epiſcopi Aquinatis.

Duæ ſtatuæ inſignes in Capitolio.

In tam copioſo numero talium monumentorum, quæ in Capitolio conſervantur, duæ inſignes ſtatuæ ſunt, quæ attentionem merentur, quarum una Auguſtum repræſentat, altera Armeniam captivam. Atreus item admirabiliter elaboratus apparet in Palatio Farneſienſi, ſicut & Amazonum una elegantiſſima in villa Julii Tertii Pontificis Maximi: Item cum inſigni arte ſculptæ apparent in hortis Borgheſiis Agrippinæ.

Bacchi ſtatua.

Cum autem Priſci in veneratione maxima tot Numina ſua habuerint, unde & eorum prophana Religio tam eminentem gradum honoris, & æſtimationis conſecuta eſt: inter alias Bacchi ſtatua in horto amœniſſimo familiæ Cæſarinæ, cum ſtupore cernitur, & altera item in eodem vico; ubi mulier inſuper adjuncta eſt, huic numini ſacra peragens. Sic in Palatio Borgheſio ſtatua marmorea Bellonæ eſt. In Capitolio rurſum alia Cereris, de qua Romani ſibi abundantiam eventuram præſagiebant. Altera ejuſdem deæ in vico Julii tertii ſummi Pontificis apparebat: Item hujuſcemodi alia in hortis Cardinalis Ferrarienſis.

Statua Cupidinis:

Cupido item cernebatur in Muſæo Garamberti, cum exquiſitiſſimis ſimulacris Caſtoris & Pollucis in ædibus Com: Fabii Baverii. In Capitolio rurſum figura Julii Cæſaris erat, pretioſiſſimo marmore ſculpta, nec enim niſi digniſſimus tali ſculptura erat, qui cum tanta ſagacitate ſibi orbis penè univerſi dominium acquiſierat. Idem celeberrimum Coloſſum hæreditavit, cui Dacia ſubiecta eſt, qui in hortis Cardinalis Cæſii continetur: Item ſtatua Conſularis in hortis Cardinalis Ferrarienſis cernitur, ſicut & Cleopatra marmorea inſignis, in hortis, qui *Belvedere* nominantur.

Tantoperè ab antiquis gentilibus Idolorum religio invaluit, ut iis plura ſimulacra conſecrarint (fatigando tot operarios, & tot ſcalpella hebetando) Hinc in domo Cardinalis Borgheſii ſtatua Fauni eſt, & in Farneſiana ſtatua deæ Floræ, ſicut Ganymedis in horto Sereniſſimi Ducis Thuſcani.

Fauni:

Herculis:

Hercules, quem Heroëm tot ſæcula, & quaquaverſum cunctæ nationes celebrarunt, plura monumenta ubivis locorum, idque ob egregia facinora ſua obtinuit. Romani eum ex ære fuſum in Capitolio conſervant, opus ſummi Artificis: ejuſdem ſtatua marmorea in hortis Cardinalis Carpegni cernitur: ejuſdem alia eſt in hortis

Cardinalis Ferrarienſis, cum alio ſimulacro ei vicino, ſed incognito. Idem adhuc ingenioſo artificio fabrefactus cernitur in hortis Sereniſſimi Thuſci Ducis, ubi contra leonem luctatur: conſimilis habetur in Muſæo Garimberti, ſicut & in vico Julii tertii ſummi Pontificis M. onſtratur eadem figura in palatio Farneſienſi, in quo potiſſimum admiratione dignus eſt hic Heros, in ſtatura Infantis exſculptus qui binos jugulare colubros videtur.

Ad hæc prodigia pulchritudinis, & ingenii, accedunt alia hominum, ſicut illa Lycaontis elegantiſſima in horto Pontificio: alia Ledæ in vico Borgheſio; pariter ſtatua Minervæ Memnoſynæ in Capitolo: illic rurſum ſunt Marci Aurelii, & Antonii Auguſti, elaboratæ in nitidiſſima petra.

Statuæ fluminibus dicatæ.

Neeminus fluminibus in memoriam gratitudinis ſtatuæ fabricatæ ſunt, præſertim Nilo, quarum una in horto Vaticano inſignis eſt, altera in horto Cardinalis Cæſii: ſicut in Muſæo Garimberti collocata ſunt ſimulacra Terræ, & Naturæ, in horto autem Carpegnano ſtatua quædam Nymphæ. Item alia Paſtoris, & Pſyches adornant vicum Julii Tertii Pontificis maximi, ſicut Pompona in petra elaborata vicum Borgheſium, palatium autem Farneſianum Rex quidam Parthorum horribilis aſpectu: palatium itidem Cæſii, Parthorum Rex captivus, nigro marmore elaboratus.

Statua porphyrio lapide ſculpta.

Plenum miraculi eſt opus factum lapide porphyrio, in vico Julii Tertii Pont. Max. expoſitum, cujus caput nihilominus, & brachia, & pedes ex ære fuſa ſunt, quæ propemodum biblicam illam ſtatuam Regis Nabuchodonoſor expreſſerit. In eodem vico ſtatua deæ cujuſdam incognitæ collocata eſt, ſimulacrum Spei præſeferens. Cum ſumma item admiratione in ædibus Capranicis binæ ſtatuæ, una Sabinæ cujusdam, altera Semeles ſpectantur: item alia Sabinarum de raptu Palatium Farneſienſe adornat, alia domum Epiſcopi Aquinenſis: rurſum alia hortos Cardinalis Carpegni, & Sileni cujuſdam villam Borgheſianam. Cum pari ſplendore, & magnificentia decorantur horti Magni Ducis Florentiæ Sibylla quadam, cum libris Sibyllinis in manu: ſicut ſatyrus quidam in horto Cæſiano, docens puerum. Admirabile artificium eſt ſtatuæ æreæ collocatæ in Capitolio, & binæ aliæ incognitæ, item alia in villa Margaritæ Auſtriacæ, alia in villa Hieronymi de Cupis.

Statuæ Sibyllinæ.

Statua Tyberis.

In horto Vaticano flumen Tyberis cernitur: decet enim, ut flumina, (Tyberis præſertim, utpote nativus) ad hunc pedem tanquam tributarii ſe curſu ſuo inclinent, qui ab orbe univerſo adorationem, & obſequium habet. Comparet præter hanc in Capitolio ſtatua Tigridis fluminis, fabricata manu moderni cujuſdam: ſicut Muſa Thalia, & Tyrus quondam Herculis Conjux in nobiliſſimo Carpegnano horto continentur. Dea item Veſtalis marmore nigro exſculpta erat, quæ nihilominus extremitates manuum pedumque uſque adeo candidas repræſentabat, ut ſtuporem, & exceſſum admirationis hæ ejus ſummitates tam eleganter ordinatæ, & compoſitæ in intuentium oculis provocarent: erat autem ſituata in horto Julii Tertii Summi Pontificis. Majorem admirationem adhuc præbent tam ob eximiam ſublimitatem ſaxi, quàm operis artificium ſtatua Zethi, & Amphyonis, qui in fontem præcipitare videntur Dyrcen, cornibus Tauri alligatam: quo ſimulacro horti Farneſiani obſervationem majorem conſecuti ſunt. Scripſit hanc hiſtoriam Apollodorus *de Deorum origine.*

Item Zethi & Amphyonis.

Chinenſes celebres in ſtatuarum erectione.

Chinenſes in fabricandis ſtatuis Idolorum inter alios maxime inſignes cenſentur, ita ut Hiſtorici regionum illarum memorent, eas ultra omnem menſuram illic excelſas fieri, ut longiſſima locorum diſtantia videri, & adorari poſſint: exponuntur itaque in locis eminentibus, & apertis, ne incolas locorum, aut peregrinos unquam latere poſſint.

In ejus vita.

Hucuſque doctiſſimus Aldrovandus: ſed ut aliquid etiam de Andrea Fulvio mutuemur, ſciendum erit, quod nomen ſtatuæ à ſtatuendo, quod eſt locare, & firmare, deſumptum ſit. Inde eſt quòd de Tyberio Suetonius inquit: *Statuas, atque imagines, niſi permittentem ſe poni, prohibuit:* Et Plinius ait: *Statuarum artem familiarem fuiſſe, & vetuſtam;* atque ita ut materias magis reconditas, & idcirco curioſiores aggrediamur, in foro boario conſecrata fuit ab Rege Evandro Herculis ſtatua, quæ triumphalis appellabatur, & quæ pluribus poſtea anathematibus condecorata fuit à Cæſaribus, quotiescunque in triumpho redirent. Sic alia Jani à Rege Numa dedicata fuit, juxta mentem Tulii, qui ſic ait: *Majores noſtri ſtatuas multis decreverunt, ſepulchra paucis.* Et Fulvius memoratus, qui cum Aldrovandi authoritate convenit, ſic habet: *Fuerunt in urbe ſtatuæ olim ſine numero, & pedeſtres, & equeſtres, ex omni materia, ſed præſertim marmoreæ: quæ hodie, ſiqua extant, pro majori parte comminutæ, ac naribus præſertim mutilatæ apparent: vi, caſu, vel temporum injuria, aut vetuſtate.*

Tyberius non niſi ſuas ſtatuas collocari permiſit.

Philip. 7.

Locus interim, ubi olim ſtatua M. Antonii, aut Lucii Veri ante Lateranum apparebat, nunc ſtatuâ Sixti quarti ſummi Pontificis condecoratus eſt. Olim item imperator in equeſtri ſtatua in foro ſpectatus fuit, ante phanum Veneris Genetricis. Curioſum eſt noſſe monſtruoſam figuram equorum, quam priſcis ſæculis exhibebant, haruſpices, pro augurio dignitatis, & eminentiæ, prout refert his verbis Suetonius: *Utebatur equo inſigni, pedibus prope humanis, & ungulis ſciſſis anteriorum pedum, quem natum apud ſe haruſpices Imperium orbis ſignificare Domino pronunciaſſent, magna cura aluit, nec patientem ſeſſorem alterius prius aſcendit.*

Monſtruoſa figura equorum in ſtatuis repræſentata.

Fuit in eodem foro ſtatua aurea Domitiani, ſubtus quam (prout nummi ejuſdem docent) flumen Rhenus labebatur, ad ſignificandum, quod Germanos debellarit, unde ſe Germanicum appellari juſſit, de quo Suetonius: *Domitianus,* inquit, *non ſinebat ſibi poni, niſi auream, aut argenteam ſtatuam, ut Deum etiam ſe viventem, coli præcepit.*

Domitianus non niſi aureas vel argenteas ſtatuas ſuas fieri permiſit.

Pluribus ſæculis imago Conſtantini Magni duravit, cum ſculptura Sillæ ante Roſtra, & inſcriptione ſequenti: *Imperatori Fortunato.* Fuit illic alia Quinti Marcii, tota equeſtris, in foro dedicata, ubi ſimul elevatum delubrum Caſtoris & Pollucis cernebatur. Plinius Author eſt, primum Spurium Caſſium ſimulacrum Deæ Cereri erexiſſe, hic tamen, quod Regale diadema affectavit, à Patre ſuo occiſus eſt.

Lib. 14. Nat. hiſtor.

Refert citatus Fulvius conſuetudinem Græcorum fuiſſe, ut Heroum ſuorum ſtatuas nudas exponerent, Romanorum, ut veſtitas: nihilominus Romuli, & Camilli ſine veſtimento in templo Caſtoris viſæ ſunt. Togatæ erant Marci Tremellii, Marci Attii Navii, quas de ære equeſtres Tarquinius erexerat: Ejuſcemodi erant Horatii Coclitis in Comitiis, item Mutii, & Clœliæ, quarum jam mentio facta.

Græci heroes ſuos nudos figurârunt.

Nævius quoque Poëta ad immortalitatem honoris ſui, monumentum ſimile conſecutus eſt, ſicut Authores referunt: illud quoque: Actium Poëtam in templo Camœnarum propriis ſibi manibus elegantiſſimum ſimulacrum erexiſſe, quod ei antiquitas fortè ob eminentiam virtutum indulſit. Sic in Urbe quoque, quam Miraculum orbis non immeritò quis dixerit, ante Portam Capenam tres ſtatuæ in monumento Scipionum apparebant, duæ Publii, & Lucii Scipionis, & una Q. Ennii Poëtæ: hinc Plinius inquit: *Prior Africanus Q. Ennii ſtatuam ſepulchro ſuo imponi juſſit.*

Lib. 7. Natur. hiſtor.

Bruti ſtatua.

Rurſum veteres Romani ſtatuam æream Junio Bruto fuderunt, qui in Reges Romanos gladium ſtrinxit: memorabile enim eſt, cum quanto animo Tarquinios fugarit: adjunctæ erant literæ aureæ, quæ ſequuntur: *Utinam & tu Brute viveres!* optimum valoris encomium, quod in animo poſteritatis indelebilem memoriam imprimit, quamvis ipſum factum jam per tot ſæcula elongatum ſit.

Statua cum crepidis.

Longiſſimo tempore in Capitolio duravit ſtatua M. Æmilii Lepidi, Adoleſcentuli, qui ſupra pectus ſuum diploma, vel bullam quandam gerebat: erat autem veſtitus toga prætexta, idque idcircò, quod hoſtium aliquem in prælio occiderat, & civium quempiam ſervaverat. In eodem monte ſimulacrum Lucii Scipionis cernitur, chlamyde veſtiti, & in pedibus crepidati: cum enim diuturno tempore hoc veſtimento uſus eſſet, hac forma ſculpi voluit. Statua item pedeſtris Sillæ ibidem apparet, de quo M. Tullius.

Philip. 9.

Statuæ Legatorum occiſorum.

Ante roſtra quatuor ſtatuæ ſunt, repræſentantes Legatos, quos mactavit Lartes Rex Virentium: ſuprà quod doctè commentatur Fulvius: *Etenim majores noſtri, qui pro Repub. mortem obierunt, pro brevi vita diuturnam memoriam reliquerunt.* Illic item Concordiæ ſignum erat, quod Q. Martius fieri curavit, & in templo publico collocavit, & quod deinceps à Cajo Caſſio Cenſore tranſportatum eſt.

Monumenta Heroinis erecta.

Erigebantur olim Heroinis quoque monumenta, ad æmulationem Heroum: unde Suetonius: *Erant & fœminarum exempla: & in Claudia familia quæ navem cum ſacris Matris Deûm Ideæ, adhærentem Tyberino vado extraxit.* Hæc illa Veſtalis eſt, quæ cingulo ſuo virginali ad ſe navigium traxit, quod jam in aquis periclitabatur. Sed ut ad Heroës revertamur, per complura tempora ſimulacrum Auguſti viſum fuit, poſitum in ſummitate Mauſolei ejus, ſicut & aliud Lucii Septimii. Sic in columna quoque, in modum limacis fabricata binæ erant Imperatorum ſtatuæ, Trajani, & Antonini Pii. Gallienus vaſtiſſimum Delubrum quoddam fabricare cœpit, duplicis adeo magnitudinis, cujus alioquin Coloſſi etiam celſiſſimi eſſe ſolent. Sed morte præventus exceſſivum opus illud, quod ſupra montis Exquilini faſtigium collocare deſtinarat, ut omnium oculis ſpectari poſſet (prout Tremellius Pollio meminit) imperfectum permanſit.

Alexander Severus Opus eximium de exquiſita petra porphyrite in palatio ſuo inſtituit: plura item ſimulacra per urbem, in Coloſſi forma erigi imperavit, cum de longinquis regionibus operarios, & Artifices magni nominis convocaſſet; quorum plurima in Atriis collocavit, ut imagines funeralium eſſent, quæ jam facta, aut facienda eſſent. In publico autem ſimulacra cerea exponebat: Unde Ovidius canit:

Simulacra cerea.

In Faſtis.

Perlege diſpoſitas generoſa per Atria Ceras.

Et Poëta Satyricus:

Iuven.

Tota licet veteres exornent Atria Ceræ.

Dignum ſcitu eſt noſſe, inquit Fulvius, qua ratione ſtatuæ olim ſic compoſitæ fuerint, ut de iis amoveri capita, & reponi potuerint, in eorumque locum rurſum alia ſubſtitui: Sic Plinius docet, dum ait: *Surdo ſtatuarum diſcrimine capita permutantur.* Hoc potiſſimum in ſtatua Cæſaris Auguſti obſervatum fuit, idcirco & rei ejus Author condemnatus fuit. Rationem exponit Fulvius, dum ait: *Nec mirum videtur, quod ſtatuæ capitibus careant, quoniam capita faciliùs feruntur, quàm cæterum corpus: nam in vultu omnis decor, & ſtatuarum eſt gratia: ideo pro majori parte capite carentes cernuntur. Præterea quoniam ea pars eſt fragilior, & ad læſionem paratior: nam hodie ab his, qui ſunt antiquitatum ſtudioſi, furtim auferuntur: multæque clanculum ſublatæ, aut emptæ alio deferuntur, præſertim Florentiam, & Venetias.*

Statuis olim amoveri capita poterant.

Hinc ut malo huic, & diſſidiis, quæ inde pullulabant, obviaretur, ſanctus Pontifex Gregorius Magnus particulari diplomate mandavit, ut maximè miræ & ſtupendæ ſtatuæ in Tyberim præcipitarentur, ne fideles ab vero & Chriſtiano inſtituto abſtraherentur, divagando affectibus ſuis per hæc vana. Imò verò & has prompas, & hanc gloriam plures vilipenderunt, homines nimirum ſenſati; cum interim alii inſipienter his delectati ſint, ſicut in ſequentibus apparebit.

S. Greg. Magnus mandat ſtatuas in Tyberim præcipitari.

APOPHTEGMATA DE STATUIS.

CUm prudenti mordacitate olim famoſus ille Macedo Alexander Magnus, Mileti Civibus improperavit, quod plures eorum ſibi excelſiſſimas ſtatuas erigi fecerint, præſertim ii, qui in ludis Pythiis, & certaminibus Olympicis victores evaſerant, dicendo: *Ubi erant tam magna corpora, cum barbari veſtram urbem obſiderent?* Unde Plutarchus, qui hiſtoriæ author eſt, ſic ait: *Salsè taxavit illorum ſtultam ambitionem, & in ſtatuis tantùm poſitam virtutem, in corde verò timiditatem.*

Segnicies reprehenſa.

In Apopht.

Cato quondam, Cenſorio ſuo rigore, quem tamen ſemper cum magna ſobrietate mentis adhibuit, videns diverſimodè nunc huic, nunc rurſum illi & ſtatuas & ſimulacra erigi, cum inſuper exſtimulatus fuiſſet, ut & ſibi talem ſtatui curaret: Miror (inquit, cum ſolita ſeveritate ſua) hos ambitioſa vanitate inflatos: Malim, inquit, de me quærant homines, quamobrem Catoni non ſit poſita ſtatua, quàm quare ſit poſita. *Sentiens* (ſubjungit Plutarchus) *ſe malle res præclaras gerere, ut olim ſcientes illum promeruiſſe ſtatuam, mirentur, non eſſe poſitam.*

Cato contemnit ſtatuas.

In Apopht.

Non poſſum præterire hic, quin palliatam Scipionis Africani ambitionem deteſter, qui vir alioquin tantum ſapientiæ militaris lumen, &

Superbia palliata.

virtutis tam conſpicuæ erat. De Corinthiis enim memoratur, quod ei, inter Imperatorum ſtatuas, ſuam quoque deſtinarint erigere, in eodem videlicet loco, ubi illæ Cæſarum collocatæ erant. Ad oblationem honoris hujus cum fucata ambitione paucis reſpondit: *Sibi diſplicere turmales:* inſinuare volens: ſe valore ſuo communem Imperatorum valorem exuperâſſe, & idcirco locum ſibi proprium, & ab aliis ſejunctum deberi. Intellexiſſe autem hoc aliter, juxta Eraſmum, potuit, ſe videlicet inter ſtatuas armatas locari nolle, *ſentiens*, prout ille exprimit, *in turba occultari quod additur.*

Homo imperitus ſtatuæ ſimilis.

Dicere conſueverat Socrates, ſibi admiratione omni digniſſimum videri, quod humanum genus tantopere allaboret, tantopere deſudet, ut ſculpti lapides quam ſimillimi ſibi evaderent, nec ſibi cordi ducerent, quod duritie, & ruſticitate morum ſuorum iidem ipſi lapidibus quàm ſimillimi ſint. Quidam authumant hunc Philoſophum, antequam ſe ſtudiis ſacraverit, hanc artem ſculptoriam exercuiſſe.

Parum abeſt, ſi ſolum motum exceperis, quin hujuſmodi homines inſcitia ſua intractabiles, & obſtinatione indurati, marmoribus comparandi ſint: nec enim audiunt, nec vident, nec ratione utuntur, & non ſecus ac ſaxum aliquod, illic immobiliter perdurant, quo eos Artifex infamis paſſionum fixerit.

Diogenes deteſtatur opifices ſtatuarum.

Diogenes ſtatuarum Opifices deteſtabatur, dicendo: *Bonos viros Deorum eſſe ſimulacra: Deorum nempe, qui cùm ſint optimi natura beneficiunt omnibus, nocent nemini. Hæc imago melius lucet in ſapientibus, & bonis viris, quàm in ſtatuis.* Ex quo facilè concipitur, quantum vir ille ab hujuſcemodi operibus abhorruerit: nec dixerim an quicquam melius à quovis Ethico, quamvis ſacro, dici poſſit. Statua repræſentat id, quod eſſe poteſt, vir autem ſapiens vera Imago ejus dici poteſt, quod verè eſt. Vir ille eſt Diogenes, qui nunquam ſine fine aliquo operatus eſt, cumque in eo actiones quædam viderentur contra omnem ordinem fieri, tantò magis cum judicio fiebant: hinc in acerbiſſimis hyemis frigoribus ſtatuas æreas, & marmoreas amplecti ſolebat, interrogatus qua ratione motus id ageret, reſpondit, ſic aſſuefieri ſe, ut potentium, & Magnatorum repulſas cum longanimitate patiatur. Quantum exemplum virtutis, non ſolum cuivis Aulico præſcribendum, ſed univerſis etiam, quotquot ad ſubjectionem coguntur, & ſub majorum Dominio degunt.

Diogenes in hyeme amplexatus ſtatuas marmoreas.

Scipio ſtatuas abolet.

Refert Plutarchus de Scipione Juniore, quod dum Carthaginem jam expugnatam, & edomitam intraſſet, & non minus ſtatuis quam penè incolis repletam inveniſſet, ut ſpatii plus habitatoribus vivis procuraret, levando ſaxorum impedimenta, præcipue eorum, quæ de Sicilia illuc allata fuerant, publico edicto proclamari juſſerit, debere quemque civium ſtatuas ſibi proprias auferre, reliquas curioſis amatoribus dono dederit. Contrarium in pecuniis egit, & rebus in quibus pretium eſſet, dicendo non egere ſe iis, quæ locum ſpatioſum requirerent, atque interim nulli uſui profutura ſint. Sic Plutarchus refert. *In Rom. Apoph.*

Favorinus moderatè fert, quod ſtatua ejus dejecta fuit.

Favorinus Philoſophus, cum ei relatum eſſet, Athenienſes ſtatuam ejus æream funditus ſuſtuliſſe, vel dejeciſſe (quam ejus nomini antehac erexerant) idque propterea, quod propoſitioni cuidam Imperatoris Hadriani ſe oppoſuerit, nil motus injuria, ei qui hoc ſibi retulerat, cum ſumma animi compoſitione reſpondit: *Utilius erat Socrati ab Athenienſibus privari ſtatuâ, quàm haurire cicutam:* Sic enimverò homo ſapiens Socratica tolerantia vanæ gloriæ oſtentationem irridendo exploſit. Videtur Tullius hunc deſcripſiſſe, dum ajebat: *Ut adverſas, ſic ſecundas res immoderatè ferre levitatis eſt; præclaraque eſt in omni vita æqualitas, idemque vultus, eademque frons.* Egit hoc Phocion cicutâ, idem Epicurus meus Gargeticus, qui cum doloribus intenſiſſimis tormentatus eſſet, quibus ei viſcera laniabantur, & interrogatus, qualiter ſe haberet (juxta quod Laërtius memorat) reſpondit: *Diem hunc feliciſſimum ago.* Unde apparet, inquit Comes Theſaurus, hominem jam veteranum, non tyronem fuiſſe.

2. Offic.

Phil. Moral.

Contemptor ſtatuarum.

Rex Ageſilaus dum intellexiſſet, Græcos in urbibus ſuis determinaſſe, ut Principibus, & Heroibus, viris inſuper fortibus, in memoriam actionum illuſtrium ſtatuas erigerent, ſic illis reſcripſiſſe fertur: *Mea nulla ſit imago, neque picta, neque ficta.* Plutarchus, qui idem factum recenſet, ſic ait: *Negligebat adulationes horum, vir prudentiſſimus, malens inſculpi prudentum & bonorum hominum pectoribus.* Capitolium ipſum, Coloſſos quotquot ſunt, & Exquilias, & fanum omne Jovis Olympii, pectora ſapientum exuperant, quæ veri montes, veræ baſes ſunt, in quibus ſimulacra virtutum, & meriti elevantur. Loci enim illi, quamvis ſublimes & inclyti, nihilominus immoti permanent, ubi ſemel ſedem obtinuerunt: ſed hæ baſes animatæ quoquo verſum nomen ſuum, & facta illuſtria circumferunt.

Ageſilaus vetat ſibi ſtatuam poni.

Præfatus Ageſilaus Rex ille magnanimus etiam in extrema vitæ ſuæ periodo decretum illud ſtabilire voluit: Cùm enim in portu Menelai graviter ægritudine preſſus decumberet, ubi etiam poſt breve ſpacium temporis vitæ ſuæ terminum conſecutus obiit, inter alia documenta plena ſalubritatis, quibus aulæ ſuæ miniſtros moribundus inſtituit, & hoc non minus ſalutare impreſſit (prout Plutarchus nos docet) *Ne quam fictilem, aut alias imitatam corporis ſui imaginem facerent:* poſthæc ſubjunxit: *Si quod præclarum facinus geſſi, hoc erit monumentum mei, ſin minus, ne omnes quidem ſtatuæ, cum ſint vilium, ac nullius rei opificum opera, illuſtrabunt mei memoriam.* Author hiſtoriæ admiratus tam heroicæ virtutis eminentiam, ſic concludit: *Quis non miretur in bellatore pectus tam philoſophicum?* Ad hoc omne reſpiciens Poëta ſic ait:

In Lacon.

Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.

Intellexit hanc veritatem inter authores patriæ linguæ noſtræ non vulgaris Commentator Teſtius, dum inter complures ſic in hanc materiam ſcribit: *Part. 1.*

Gloria viva ad huom ſpento
E' una dolcezza in ſogno, e pur non viene,
Se non doppo il morir gloria ſincera.

Virtutem neceſſario gloria ſequitur: ajebat M. Tullius; unde non immeritò ubicumque virtus in promptu eſt, alia ſimulacra neceſſaria non ſunt. Tranſeamus de his ad *1. Tuſcul.*

PROVERBIA.

Ornamenta proverbiorum.

QUemadmodum ſplendidiſſima byſſus, opere polymito, & aureo variè intertexta; prata

prata varietate florum luxuriantia, cœlum luci diſſimis ſtellis illuſtre, Regium diadema ſcintillantibus gemmis fulgurans, tam decorum ſpectaculum formant, ut intuentium oculi ſtupore corripiantur, ſic Proverbium eſt, quod præter majeſtatem ſuam, quam ab ipſa adeo vetuſtate mutuatur, & hæreditate ſibi vendicat, etiam expreſſionibus ſuis, gratia omni repletis, tam in genere facetoſo, quàm gravi, acceptabile eſt. Adjungit doctiſſimus, & maximè elaboratus Manutius: *Si ſcitè, & in loco intertexantur adagia, futurum eſt, ut ſermo totus antiquitatibus, ceu ſtellulis quibusdam fulgeat, & figurarum arrideat coloribus, & ſententiarum niteat gemmulis, & feſtivitatis cupediis blandiatur: denique novitate excitet, brevitate delectet, authoritate perſuadeat.* *In Præfat.*

Cum igitur hoc verum ſit, meliorem eſſentiæ partem præcipuumque ornamentum huic operi detracturus eſſem, ſiquidem quæ huc ſpectant, omiſerim; immorabor autem huic univoco nomini Hominis, quem deſcribendum aſſumpſi: Nec verò etiam omittendum mihi, ut per ætates ejus progrediar, conſideratione utique non minus eſſentiali: item per virtutes, & affectus, cujus materiæ vaſtitas ampliſſimum adeo volumen excederet: potiora nihilominus huc afferemus, epilogando Manutii tabulam ſecundum titulos ejus.

Hic itaque à principio benevolum Lectorem precatum volo, ut ſiquidem in applicationibus parcior fuero, non mihi vitio vertatur, facta conſideratione ad rei, & materiæ multiplicitatem, & copiam; quin etiam nonnullibi non niſi ad propriam & naturalem ſignificationem me reſtringam. Exordiar autem à Dominio, quod homo ſupra Creaturas omnes obtinuit, quo privilegio à prima ſui inſtitutione à Plasmatore dotatus fuit, quippe qui omnium nobiliſſimus, & excelſiſſimus eſt.

Pauca in præſentia magnatum loqui oportet.

In primo igitur loco ſe mihi illud offert: *Homo Herus, ſervo monoſyllabus.* Quo ſignificatur ſervos in conſpectu Dominorum, ſubditos in Principum, parcos ſermone eſſe oportere. *Sufficit,* inquit Manutius, *ut annuant, vel renuant.* Huic illud alterum conſimile: *Cum principe non pugnandum:* hinc Poëta canit:

Ardua res homini mortali vincere Numen.

Exercitium.

Virum Reſpublica docet: innuitur his verbis, neminem ad gubernacula, & regimen aptum eſſe, qui non prius per inferiora miniſteria decurſu temporum exercitatus fuerit. *Diuturnum in operibus exercitium plus confert, quàm pulchra inſtructi ſermonis adhortatio:* verba ſunt Thucydidis.

Regimine cognoſcitur vir.

Ariſtoteles, vir ille ſublimis, qui orbi univerſo ſcientiæ ſuæ lumen impertivit, etiam in proverbia manum applicuit: unde, ut demonſtraret, quantopere qualitates maximè dignoſcantur in iis, qui majoribus officiis, & functionibus præſunt, ſic ait: *Virum indicat magiſtratus.*

Metalla in Lydio lapide dignoſcuntur. Si in acie pugna cœperit, & conflictus atrocitas imminuerit, quanta Thraſonum copia ſe producit, qui viſa nuditate gladii, continuò, tanquam lethali ictu jam vulnerati, turpiter in fugam vertuntur? Exercitium Cotis illa eſt, quæ facilè monſtrat cujus temperaturæ fenum ſit. Ajebat Plutarchus: *Magiſtratus virum, & vir magiſtratum oſtendit.*

Ambitio.

Qui primum ſibi locum in Conventu, vel converſatione extorquent, ſic à Marco Tullio perſtringuntur: cellunturquoque *Senator ſine provocatione, Legatus ſine mandatis.* Cuique liberum eſt per officia, & dignitates evagari conceptione, & provinciarum gubernationem, & magiſtratum, & ſenatoria munera ſibi adſciſcere, ſed qui ſuper his ſpeciali Diplomate inveſtiti non ſunt, in vanum ſe in poſſeſſionem immittunt. His verbis item eorum arrogantia cenſuratur, qui officia ſine merito ambiunt. Hæc propoſitio evidentius in lucem datur à Livio, illic, ubi de magno Legislatore Publicola ſic habet: *Ab urbe condita priſcis Romanorum temporibus provocatio à Magiſtratibus ad populum erat.* Sic M. Tullius alibi: *Senator,* inquit, *voluntarius lectus ipſe de iis, qui ſe negotiis alienis adminiſtrandis, etiam non accerſiti ingerunt.* Tales Rabbini in Judaiſmo erant, de quibus S. Matthæus: *Amant primos accubitus in cœnis, primas cathedras in ſynagogis, ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.*

Lib. 2.

Philipp. 13.

Cap. 23.

Felicitas obtenta.

Caſtellum in aere non fabricat, qui poſtquam finem, & intentum ſuum conſecutus eſt, hæc verba protulerit: *Rex ſum:* hoc eſt nemini, quantumvis eminenti conditione ceſſerim. Mos enim hic à primis ſæculis deſumptus eſt, quem in ſcena Plautus uſurpavit: Manutius veteres etiam altius ſe elevaſſe inquit, dum dicerent: *Deus ſum:* & præmemoratus Author adjungit: *Verba ſunt Lyci Lenonis ſperantis ſe divitem fore, ſi quenquam benè nummatum ad ſe traxerit.* *In Penul.*

Rex ineptus ad regimen.

Porrò de homine, qui ad ſublimia nitatur, cum tamen ad nil omnino idoneus ſit, Proverbium illud uſurpatur: *Rex Tragicus:* Quæ metaphora de miſerculo quodam tracta eſt, qui in ſcena perſonam Principis exhibet, & regalibus paludamentis veſtitus, quam ſimillimus videri poſſit ei, quem repræſentat: Sed terminata actione, rurſum prioribus, communibusque veſtimentis ſuis induitur, rurſum priſtino ſtatui ſuo infelix redditur; ſicut Rex inter chartas luſorias eſt. Hoc Proverbio impetebat Dionyſius (quem fortuna pari modo his viciſſitudinibus ſuis deluſit) quotquot in primordio Principatuum ſuorum decidebant. Concludit Manutius: *Tum depoſita perſona, qui paulo antè fuerat Agamemnon, aut etiam Jupiter, treſſis homuncio diſcedit domum.*

Poterit hoc item de fugacitate mortalis vitæ noſtræ intelligi, de quo erudite Lipſius: *Humana cuncta fumus, umbra, vanitas, & ſcenæ imago, verbo ut abſolvam, nihil.* Huc referendum illud Davidicum: *Velut ſomnium ſurgentium Domine imaginem illorum ad nihilum rediges.*

Aut Cæſar, aut nihil.

Vetus paræmia (*Aut Cæſar, aut nihil*) tot marmoribus inſculpta, tot monetis impreſſa, etiam hoc altero exprimebatur: *Aut Rex, aut Aſinus:* quod idem cùm illo: *Aut victor, aut victus.* Itidem aliter ſic: *Aut ter ſex, aut tres tali.* Euſthatius in Odyſſea, affirmat deſumptum hoc ab iis, qui in ſic dicto *horologio* ludunt: hi enim ſphæram appellabant, ubi index ſi in puncto ſexto ſtetiſſet, depictus Rex cernebatur, ſed in tertio numero Aſini figura erat. Propè iiſdem verbis ait Plato in Theæteto: *Qui aberraverit, is deſignabitur (quemadmodum ii qui ſphæra ludunt) aſinus; qui verò nil aberrans vicerit, Rex noſter eſto.*

Adjutorium improviſum.

Vulgatiſſimum illud eſt: *Homo homini Deus:* quo magnificè inſinuatur, quanti ponderis, quantæque æſtimationis oporteat eſſe ſubſidium, quod in majoribus neceſſitatibus, homo homini præbet. Quod antiqui in tanto pretio habuerunt, ut dicerent, ipſam adeo divinam mentem in

hoc

hoc occupatam, ut auxilium mortalibus ſubminiſtret. Hinc Inventores legum, & vini, & ſimilium, quæ uſui humano neceſſaria ſunt, Deos fingebant; ſic Ægyptii Ciconias adorabant, quæ certo quodam anni tempore ad profligandos, & occidendos ſerpentes egrediebantur. Romani item in veneratione anſeres habebant, quorum ſibilo olim Capitolium ab invaſione Gallorum defenſum fuerat, vigiliis alioquin dormientibus. Unde M. Tullius inquit: *Concludendum belluas à barbaris propter beneficium conſecratas.* Hinc Sol, & Luna, & elementa tantam ſibi in gentilibus religionem, & reverentiam conciliarunt. Hinc Scythæ, teſte Luciano, per ventos, & per gladios ſuos jurabant. Et Plinius: *Hic eſt vetuſtiſſimus referendi benè merentibus gratiam mos, ut tales Numinibus adſcribant.*

Adoratio beſtiarum.

Lib. de Nat. Deor.

In Texon.

Hiſt. Nat. 2.

Homo homini lupus.

Huic proverbio illud alterum ex adverſo eſt: *Homo homini lupus:* quamvis illi connexum videatur: ſicut binæ imagines in fano Angeronæ, Antevortæ, & Poſtevortæ. Admonemur autem præſenti adagio, ut ne hominibus novis, & peregrinis nos credamus, ſed non ſecus ac de lupis vereamur; unde & eleganti interlocutione Manutius ait: *Lupus eſt homo homini, non homo; qui qualis ſit, non novi.* Huc ſpectant proditiones, quæ conculcata omni humanitate, & pietate, more luporum ferociunt, & more tygridum omnia diſcerpunt. Has naturæ injurias, utpote ſtatui politico omninò contrarias, magnus ille hiſtoriarum Princeps Livius intellexit, dum ait: *Major dimicatio eſt cum perfidia, & proditione ſociorum, quàm cum hoſtibus.* Huc pertinet quod quidam Poëtarum inquit:

Lib. 1. Decad. 1.

Eſt homo, qui locuples inopi nil donat amico:
Qui rapit hic lupus eſt, qui dabit, ipſe Deus.

Honoris deſiderium.

Inter attributa, quibus maximè decoratur, & ſe ſuſpiciendum in populo reddit homo, præcipuum eſſe dixerim *honorem.* Hujus intuitu quidam prodigere vitam ſuam non verentur, honeſtas enim vitæ prævalet: unde eſt, quod laudabilius, & ſibi conſultius agunt, qui alios præveniunt, quàm qui præveniri ſe honore patiuntur: nec verò ſimplex & nuda dicendi conſuetudo eſt, dum illud in communi fertur: honor eſt in honorante, non in honorato, quin potius proverbium antiquum, & ipſi Ariſtoteli non incognitum, teſtificante Manutio: *Homo honorans ſeipſum honorat.* Quapropter ad Romanos Paulus ſcribens, ſic univerſis fidelibus inquit: *Honore invicem prævenientes, ſollicitudine non pigri.* Qui de ſemita hac recedunt, aut animi remiſſi ſunt, aut ſemetipſos vilipendunt: dixit hoc inter alios M. Tullius: *Eſt animi anguſti, atque demiſſi, honorem, atque dignitatem contemnere.*

Honor in honorante non honorato.

1. Tuſcul.

Bonum Sapientiæ.

De dignitate & authoritate hominis ad ſapientiam ejus deſcendamus. Qua in re, id quod de Biante Prienenſi legitur (qui patriam ſuam incendio conſumptam videns, ſolâ vili ſarcinâ ſuper humeros ſuos onuſtus, dixiſſe auditus eſt: *Omnia bona mea mecum porto:* divitias ſuas ſibi in ſola mente ſua conſtituens, virtutem intelligendo) hoc proverbium enatum eſt: *Homo ſapiens ſua bona ſecum fert.* Virtus ubique ſibi viam ſternit: nec enim vadum ullibi tam procelloſum eſt, nec tam impervium, quò virtus non facilè eluctetur:

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.

Sapientia nunquam eget.

Silii Italici verba ſunt. Huic affine, & conſequens illud alterum eſt: *Homo ſapiens non eget.* In virtute enim veræ divitiæ collocatæ ſunt, vera commoditas, & animi tranquillitas. Affirmat hoc Seneca: *Bonum,* inquit, *& optabile eſt, quidquid ex virtutis geritur Imperio.* Quamvis moderna temporum noſtrorum perverſitas contrarium ſequatur; unde continuò dictum illud Poëticum recrudeſcit: *Povera è nuda vai Filoſofia. Pauper Ariſtoteles cogitur ire pedes.* Vel: *Doctæ artes turpiter mendicant.* Sic in lacrymis Muſarum memini me olim ceciniſſe:

Per opprimerci ſolo
Ha la Palla Fortuna, e Palla ignuda,
Non più veſtita d'or fugge, e non riede,
E tarpato è nel volo
Cigno, qual pur di poverta impaluda
In nero fango, e gravi pietre al piede,
Miſero haver ſi vede;
Ne più val contro al fulminar l'alloro,
S'arſo va quaſi l'Appollineo Coro.

Negari interim nequit, ſapientem, has paupertatis anguſtias, & fortunæ novercantis aſperitatem facilius perpeti, quàm non fecerit homo ignorans & idiota: Sapientia etenim & conſilio, & maturis inventionibus præſtò eſt. Inde eſt, quod ſententia Plinii Junioris jam in proverbium abiit: *Homini ſapienti ratio pro neceſſitate.* Hinc etiam Ovidius:

Sapiens ubique tutus.

Omne ſolum forti patria eſt, ut piſcibus æquor,
Et volucri vivido quidquid in orbe patet.

Legatur ſuper hæc *Homo literatus* eruditiſſimi, & ſenſatiſſimi Viri Danielis Bartoli, illic enim ſapientiam in calamitate quoque non infelicem intuebitur: repræſentat igitur ſapientem etiam manicis, & compedibus & vinculis conſtrictum, ſuper hæc & infirmatum, his tamen non obſtantibus, non minus cæteris hominibus beatum.

Hinc illud alterum priori non abſimile enatum eſt: *Omnia ſapienti facilia:* Nec enim res ulla tam eſt ardua, tam difficilis, quam virtus non exuperet: *Pertinax virtus omnia vincit,* inquit Livius.

Conſtantis virtutis omnia, etiam difficillima exſuperat.

Decad. 1.

Nemo mortalium omnibus horis ſapit. Tam excellentis Ideæ, tantæque energiæ hoc proverbium eſt, ut quidam arbitrati ſint, per Oraculum quoddam illud prolatum, & in lucem datum eſſe: alii tamen Juniori Plinio illud attributum volunt, prout patebit. Eſt autem ſenſus parœmiæ, in orbe terrarum quenquam non eſſe, cujuſcunque demum intelligentiæ ſit, qui non quandoque in errorem labatur, & inter ora hominum quamvis inſipida volitet: Niſi enim ſapientes quandoque fallerentur, & impingerent, nil ſupereſſet ignorantiæ, quo ſtupidam mentem ſuam paſceret.

Etiam ſapientes, quandoque errant.

Inter alia hæc Plinii verba ſunt: *Si verum facere judicium volumus, ac repudiata omni fortunæ ambitione, decernere, nemo mortalium eſt felix:* Huic rurſus aliud proverbium confine eſt: *Alius de alio judicat dies, ſupremus de omnibus.* Apud Comicum Ariſtophanem aliud dictum legitur, quod Euripidis inquiunt eſſe: *Haud vivit ullus omnibus felix modis, ſiquidem univerſis in rebus mortalium nil continenter undecunque proſperum eſt.* Hinc Horatius: *Nihil ab omni parte beatum.* Et Simonides: *Nemo vacat prorſum malo, neque crimine.* Hinc & illud in vulgata noſtra:

Non eſt perfecta felicitas inter mortales.

In ranis.

O vita noſtra di travagli piena,
Com' ogni tua allegrezza poco dura,
Il tuo gioir, è come aria ſerena

Ch' alla fredda ſtagion troppo non dura;
Fu chiaro à terza il giorno, a Veſpero mena
Subita pioggia, ch' ogni coſa oſcura.

Scientia ſuperficialis.

Quidam ſcioli, multa ſibi præſumunt, dum non niſi *curta res domi eſt,* & inops ingenium: qui dum *ſtridenti ſtipula* miſerum quoddam carmen diſcerpunt, cujus medietas nihilominus ſi quid boni continet, furto aliunde, vel è Petrarcho, vel alibi ablatum eſt, & nihilominus ſupercilio Cenſorio ipſis adeo Academiis ſe cenſurandis ingerere non erubeſcunt; in hos illud introductum eſt: *Homo Thales. Ironia proverbialis in ſtultum, qui ſapiens haberi ſtudeat,* inquit Manutius. Fuit Thales unus è numero ſeptem ſapientum, & eorum ſapientiſſimus, cui homines farinæ hujus ſe quam ſimillimos videri volunt: Sed labor fruſtraneus eſt, ad hujuſmodi ſublimitatem non pertingent, quantumcunque ſibi ſcalam fabricârint, tot gradibus elevatam, quot annis à præmemorato Philoſopho disjuncti ſunt.

In avibus.

E ſcena Ariſtophanis proverbium prodiit: *Homo Thales Meto.* Et alibi: *Quâ gratiâ illum proinde ſuſpicimus Thalem:* Sic apud Plautum: *Salve Thales:* Cum ſtultus ſalutatur. Ubi tranſitus fit de ſummo ſapientiæ faſtigio, ad imam profunditatem hebetudinis & inſipientiæ.

Ponderare loquelam ſuam.

Item ſapiens vir, qui loquelam ſuam ponderat, nec ore ſuo proferens niſi quod aptum, quod benè compoſitum eſt, his verbis indicatur: *Pauciloquus, ſed eruditus.* Laudabilis eſt enim qui digna auditu profert. Hunc loquendi modum Lacedæmonii ſecuti ſunt; unde figura Laconiſmi oborta eſt, tantopere ab Oratoribus deprædicata. Proinde de Menelao dictum:

Non is multa quidem, verùm argutiſſima. Quippe Pauciloquus.

Iacob. 5.

Homo parcus in loquendo, minus aliis pedem illidit. Hinc S. Jacobus Apoſtolus: *Sit ſermo veſter eſt eſt, non non.* Et Euripides: *Silentium,* inquit, *ſapientibus reſponſi loco eſt.*

Quemadmodum de umbra lux magis illuceſcit, & nigredo candori incrementum dat: ſic inſenſata ſtultitia, & ſtoliditas inſulſa, fulgorem, & claritatem, & utilitatem, & cætera bona ſapientiæ plurimum auget, ſiquidem ei oppoſita fuerit. Hinc neceſſarium mihi viſum fuit, proverbia nonnulla huic loco conſentanea adducere.

Stupiditas, quæ nullius rei pretium novit.

Stupidior Praxillæ Adonide. De iis dictum, qui euſque inſenſati, & hebetes ſunt, ut nec factum à facto, nec bonum à malo diſcernendi facultatem habeant. Tractum adagium, de Praxilla quadam Poëtiſſa apud Sicinios: hæc in quadam ode ſua confinxit, Adonidem aliquando de inferis reſuſcitatum, ut Mundi ſtatum, qualem hodierna ſæcula agunt, intueretur: interrogatum deinceps quidnam illi maximè placeat, reſpondiſſe: *Solem, cucumeres, mala.* Ubi Manutius eruditam ponderationem adhibet, dicens: *Quod cùm vehementer inſulſum videretur, cucumeres, & mala cum ſole componere, proverbio dici cœptum in homines nullius Judicii.*

Homo amens.

Aliud item genus hominum eſt infelicis memoriæ, de quibus vulgus noſtrum inquit, *Dal naſo a la bocca: De naribus ad os:* Talis erat Miletes quidam, qui proverbio locum dedit: *Stultior Melitide eſt.* Hic Aldus ait: *E feliciſſimis illis fatuis, quos Homerus ſuo carmine nobilitavit.* Magna fortuna homini fatuo, quod tam nobili calamo, tam eximii Poëtæ æternitati datus ſit. De hujus amentia Euſthatius memorat, quod Troja jam everſa ſe Regi Priamo præſentaverit, auxilium ſuum ſpondens, id quod Regem, etiam in media lacrymarum acerbitate ad ridendum commovit.

Narrat Zenodotus proverbium hoc potiſſimum in ore Comicorum verſari; erat enim homo ſupra memoratus tam infirmæ memoriæ, ut vix numerum quinum emetiri poſſet: Ducta etiam Conjuge, euſque eam verebatur, ut ne oculo quidem luſco eam intueri auſus fuerit, metuens ne apud matrem reus incuſaretur. Numerantur ab Ariſtophane ſodales ejus, Butalion quidam, & Corebus. Suidas etiam cum præfato Ariſtophane concludit: *Hactenus abjectiſſimi inhiantes Mamachutæ Melitide diſſident.*

Digitum in os mittere.

Solent homines infimæ ſortis, & Idiotæ, dum videri quempiam volunt non tam obtuſæ mentis eſſe, quàm vulgò creditur, his verbis uti: *Mitte ei digitum in os.* Credideram hactenus ſententiam nimium plebeam & trivialem potius hominum eſſe omninò ignobilium, & de communi plebecula, ſed non minus inter eruditos quoque hoc dicendi genus invenio: in adagio enim fertur: *Stulto ne permittas digitum:* cui confeſtim additur, *ut ne palmam etiam devoret.* Hic nihilominus in ſenſu contrario demonſtratur, ſtultis ne minima quidem permittenda, ne ad graviores errores dilabantur. Canis latrans offenſæ proximus eſt, nihilominus ſæpè viatores ad eundem approximant. *Parva parva non ſunt, ſi ab his maxima prorumpunt:* Sententia eſt S. Chryſoſtomi. Principiis morborum ſuccurrendum conſulit medicorum ſchola:

Stultis nec minima indulgenda.

-------- Serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras:

Juxta Ovidium.

Doceri proprio damno.

Quantum bonum eſt, callere prout oportet, quidquid in rebus humanis eſt, ut ſiquidem eſſectus proſperi, aut ſiniſtri evenerint, homo prudens in his recto tramite incedat. Dicere conſuevimus, conſultum eſſe aliorum malo ſapere potius, quàm proprio ſuo. In conſimili ſignificatione proverbium illud jam obtinuit: *Malo accepto ſtultus ſapit.* Quidam originem dicti hujus ſequenti Apologo adſcribunt. Indignatum Jovem, quod Prometheus ſtatuæ quam finxerat, raptis furto ignibus à ſole, vitam infuderit, idcirco imperaſſe Vulcano, ut de terra infantulam effingeret, quantum poſſet affabrè elaboratam: Cui Deitates omnes & qualitates, & dotes ſuas largitæ ſunt: nomen puellæ *Pandora* datum. Huic Jupiter vas dono præſtitit, cui mala univerſa, quæ mundo continentur, incluſit. Ut autem ad Prometheum revertamur, hic fratrem habuit, Epimethum nomine. Prometheus igitur prævidens mala ſubſecutura furtum ſuum, edocuit præmemoratum fratrem, ut ne donum ullum à Pandora ſibi oblatum acceptare vellet; qui nulla habita conſilii ratione, raptus pulchritudine adoleſcentulæ, vas illud ſibi præſentatum non renuit: Id verò incautus effudit, & omni cumulo malorum, quotquot excogitari poſſint, ſe continuò oppreſſum vidit. Unde Heſiodus inquit:

Prometheus, Epimethus, Pandora.

Accepit, tactusque malo tum denique ſenſit.

Et idem Author aliquantò ſuperius:

---------- tandem ſua pœna nocentem
Conſequitur, paſſusque ſapit tum denique ſtultus.

In ſympoſio.

Hanc admonitionem conſideratione digniſſimam ſuggerit Plato: *Quæ ſanè tibi dico, Agathon,*

ne ab hoc fallaris, ſed ex cognitis his, quæ nobis acciderunt, caveas: nec juxta proverbium, veluti ſtultus, poſt acceptum vulnus ſapias. Sic Plautus ait: *Felix hic ſapit, qui alieno periculo ſapit.* Et Tybullus:

----- Felix quicunque dolore
Alterius diſcis poſſe carere tuo.

Confrontatur huic alterum illud: *Quæ nocent, docent.* Quantò melius eſt ſententiam illam è Græco traductam ſequi:

Aliena ſpectans doctus evaſi mala.

Sic Manutius verum eſſe aſſerit, quod experientia docemur: *Mortales pudore, & jactura doctiores evadere.*

Conſilia ſtultorum quandoque ſalutaria.

Ratione non caret, nec abs re eſſe dicendum eſt proverbium, jam vulgò notum: mulieres, & ſtultos, nonnunquam ex improviſo conſilia ſana ſuggerere: dum mulierum memini, de gregariis illud intellectum volo, non de iis quas inclyti natales, & liberalis educatio, optimis doctrinæ & prudentiæ inſtitutis imbuit. Proverbium igitur paulò ante memoratum, & quod plebeias & indoctas mentes concernit, ab Aulo Gellio uſurpatur, illic nimirùm, ubi in adagium receptum inquit verſum eſſe, qui ſequitur: *Lib. 2. c. 6.*

Sæpe etiam eſt olitor valdè opportuna locutus.

Apparet ex hoc, Habitu non fieri Monachum, & in viliſſimis vaſis nonnunquam pretioſiſſimos liquores reponi: *quippe admonemur*, inquit Aldus, *non eſſe faſtidiendam ſalutarem ſententiam propter authoris humilitatem.* In eundem ſenſum M. Tullius: *Sæpè ſub pallio ſordido lucet ſapientia.* Tales erant Cleanthes, Bion, Socrates, Calliſthenes, & conſimiles alii: Plautus ait: *Ut ſumma ingenia ſæpè in occulto latent!* Et convenientius adhuc ad rem noſtram Æſchylus: *In Tuſcul.*

Sæpè etiam ſtultus fuit opportuna locutus.

Moriones & Mimi aulici.

Ejuſmodi ſunt quandoque dicteria Mimorum, vel Morionum in aulis Principum. Sicut noviter in Sereniſſimi Principis cujuſdam aula contigit, ubi Sannio videns Dominum ſuum momordiſſe Epiſtolam, quæ malè, & contra mentem ſuam ſcripta fuerat, in hæc verba prorupit: *Contra folium quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam?* Suetonius item Author eſt, ſcurram quendam, dum Cæſarem ſimul & Pompejum vidiſſet, Cæſari dixiſſe: *Salve Rex*; alteri vero: *Salve Regina*: ex eo, quod poſterior hic non minus priore regnum affectaret. Sed hæc agendi ratio dum nimiam ſibi libertatem vendicat, plena periculo eſt. Hoc non obſtante, ſæpè nihilominus hujuſcemodi conſilia, hac præpoſtera methodo ſuggeſta, felicem eventum conſecuta ſunt, ſæpè cum benevolentia acceptata.

Stultus ſtulta loquitur,

Concludamus adagia fatuitatis unicò adhuc, quod per ora hominum & linguas volitat, & quo uti conſuevimus, dum quempiam ſiniſtrè locutum reprehendimus, quod videlicet teſta, vel ſcatula odorem alium non evaporet, quàm quo repleta eſt: Unde illud eſt: *Stultus ſtulta loquitur.* Id quod Euripides ita profert: *Stulti ſtulta eſt oratio.* Et Seneca: *Apud Græcos in proverbium ceſſit: Talis hominibus fuit oratio, qualis vita.* Et à Græcis deſumptum eſt: *Hominis figura oratione agnoſcitur.* Ajebat Democritus: *Oratio eſt vitæ ſimulacrum, & corporis veluti umbra, nam in nullo ſpeculo magis, expreſſiusque relucet corporis figura, quàm in oratione: In hac namque pectoris imago repræſentatur, neque ſecius homines ex ſermone, quàm ex tinnitu ærea vaſa dignoſcuntur.* De his ad alios ſonitus tranſeamus, fatuitatis enim eſt commorari longius cum fatuis.

In Bacch.
Ad Lucillum.
Apud Laert.

AMICITIA.

IN Campo ſocietatis humanæ fructuoſiſſima penè, & maxime decora planta, quæ in altum exurgit, & jucundiſſimè floret, Amicitia eſt. Umbræ ejus ſecuriſſimæ ſunt, radices immortales: fructus omni utilitate fœcundi. Hanc oportet, ut quiſque hominum excolat, & eam amplificet. Hinc cum beneficia ejus tanta ſint, neceſſarium arbitror ejuſdem quoque documenta, proverbia, & præcepta huc collocare. Et ut verum Amicum diſcernere ab amico falſo poſſimus, de *ſimulatione* prima nobis erit diſcuſſio, de qua dictum eſt: *Nemo verbotenus Amicus.* Tractum adagium ab Odyſſea Homeri: *Animum præmollibus iſte lenitabat dictis, at mens diverſa parabat.* Amicitia ficta,

Vitium hoc ſceleratiſſimum eſt, & omninò enorme, corrumpitur enim hoc ſocietas hominum, fides proditur, ejuſdem pulchritudo deturpatur, & vincula fidelitatis franguntur. De hac S. Auguſtinus inquit: *Simulata æquitas, non æquitas eſt, ſed duplex iniquitas, quia iniquitas eſt, & ſimulatio.* Itaque ſimulatorem dupliciter reum facit, imò culpam ei omni opprobrio dignam attribuit. Hanc turbam Amicorum qui non niſi fucati ſunt, quam ſimillimam pomis eſſe dixerim Pentapoleos, quorum externa facies ſpecioſa eſt, & colorata, ab intro non niſi cinis, & putredo. *In Pſal. 67.*

Quantumvis autem nodus amicitiæ indiſſolubilis ſit, nemini tamen licitum eſſe debet, ſic amicitiæ vinculo ſe illigare, ut amici intuitu, ab eo quod rectum, quod juſtum, quod honeſtum eſt, ſibi recedendum eſſe putet. Hinc illud dictum: *Amicus uſque ad aras.* Altare enim res Deo ſacra eſt, & venerabilis, quam prætergredi, prophanum eſt, & impium. Nunquam amicitiæ intuitu faciendum aliquid contra æquitatem.

De hoc doctrina ampliſſima eſt in Aulo Gellio: Et proverbium illud ſuperius originem ſuam traxiſſe ajunt à Pericle ſummo Oratore, qui cum ab amico rogatus eſſet, ut falsò juraret, reſpondit: *Oportet me commodare amicis, ſed uſque ad aras.* Et Plutarchus: *Uſque ad aram ſum amicus.* Antiquitus qui jurabant, manu aram contrectabant, uſque adeo etiam inter paganos religio honorem ſuum, & venerationem habuit. *Noct. Attic. lib. 1. c. 30.*

Porrò qui in cultu amicitiæ indulgere amicorum defectibus non norunt, nodum amicitiæ ſine mora temporis diſſolvent: In hunc ſenſum ergo parœmia illa nata eſt: *Amici mores noveris, non oderis.* Hinc Manutius: *Noſcenda ſunt ut corrigas, aut certè minuas. Siquidem nulli futurus eſt amicus, qui nihil vitiorum in amico ferre poſſit.* Et S. Paulus: *Alter alterius onera portate.* Amicorum mores ferendi.

Sol de longiquo reſplendens, & circumgyrans, non tam amicus agrorum eſt, nec calorem multum impertit: id quod de amicis optimè dictum, quippe quod amicus amico in neceſſitatibus præſtò eſſe debet: unde illud eſt: *Non ſunt amici, qui degunt procul.* Athenæus dicti hujus Author eſt: deinde & Ariſtoteles: *Loca quidem non dirimunt amicitiam, ſed officia interrumpunt.* Quapropter & Heſiodus ſæpius ad convivia, ſæpè ad prandendum unà, vocandos ſuadet eſſe amicos. Propertius ait: Amicitia longè diſſita frigeſcit. *Dipnoſoph. 4. Moral. ad Nich.*

Quantum oculis, animo tam procul ibit amor. Procul ab oculis, procul à corde.

Nil interim eſt, quod magis amicitiæ teneritudinem offendat, nec aliud toxicum magis peſtilens, quàm prælationis ambitio: hinc dictum eſt: *Amicitia æqualitas*: aut: *Amicus alter ego.* Inter dicta Pythagoræ hoc quidam annumerant, ſicut illud quoque: *Amicorum omnia communia.* Hoc Socrates edocuit, dicens: *Omnia bonorum eſſe virorum, non ſecus, quàm deorum*: hoc item Euripides, & Terentius. Hinc Plato, Ariſtoteles, Tullius, & Martialis, *Candido* cuidam improperabant, qui omni penè momento ſententiam hanc in ore geſtabat. Pythagoras autem eandem uſque adeo mordicus tenuit, ut domui ſuæ exactiſſimè cultam, & obſervatam voluerit. De æqualitate, & de eo quod memoravimus, *Alter ego*, Stagirita inquit: *Quoties volumus vehementer dicere amicus, unà inquimus, Anima mea.* Non ab hoc diſſentit Plato, dum ait: *Juvenibus, & ſenibus, doctis, atque indoctis, ſtultis ac ſapientibus, robuſtis ac debilibus, omnia æqualia exhibenda ſunt, attentis tamen cujuſcunque dignitate, & officio.* Innumerabiles ſuper hoc doctrinæ Sanctorum ſunt. Æqualitas in amicitia neceſſaria. *Moral. 8.*

Sorte ſua contentum eſſe.

Statu & conditione ſua, quam ei Deus, & natura impoſuit, contentum eſſe, nec verò ſupra amicum ſe elevare velle, fundamentum eſt, quo amicitiæ perpetuitas nititur: Unde illud eſt: *Amicitia ſtabilium, felicitas temperantium.* Volunt proverbium hoc à ſententia quadam Ariſtotelis profluere, cui illud adjunctum eſt: *Amicitia virtute, non pecuniis, aut formâ concilianda eſt: etenim ſi rebus caducis concilietur, caduca ſit & ipſa neceſſe eſt.* Hinc Ethicus inquit: *Amicitia, quæ deſinere poteſt, nunquam vera fuit.* *Ibid. 7.*

Amicitia immortalis.

Titus Livius in quodam fragmento ſuo, quod *Aurea Magontia* intitulatur, de cineribus bellorum Macedonicorum, & Aſiaticorum, id quod ſequitur, detexit: *Vulgatum illud, quia verum erat, in proverbium venit: Amicitias immortales, inimicitias mortales eſſe debere.* Sic verum eſt, quod hic præclarus animi character etiam ultra mortis terminum procedat. Ornamentum quod uſque adeo ipſi Deo acceptabile eſt, ut de ore ejus egreſſum ſit: *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Nihilominus hodierna tempora noſtra, in tanta corruptela ſua contrarium demonſtrare, inquit Manutius his verbis: *Verum eò rediere mores mortalium, ut ſimultates ſint immortales, amicitiæ plus quàm vitreæ.* Legatur ſuper his Emblema centeſimum ſexageſimum Alciati (cui Epigraphe ſuperaddita eſt: *Amicitia etiam poſt mortem durans*) refertum eruditione & doctrina.

Apertum eſſe oportet erga amicum.

Nec verò præter hæc unquam veracitas amicitiæ conſtabit, niſi alter alteri mentem aperiat. Quod his verbis expreſſum eſt: *Amicitiæ perſona.* Sicut enim non cognoſcitur, qui larvatus eſt, ſic omni pacto in amicitiæ fœdere larva detrahenda eſt, & animus palam ferendus: juxta illud Manutii: *Vultus ab animo diſcrepans, perſona verius eſt, quàm vultus.* Sic doctiſſimus Paradinus in ſymbolis hominem exhibet, bacillo larvatum quendam percutientem, adjuncto lemmate: *Amico ficto nulla fit injuria.* Sic item Martialis cuidam Lentino, qui ſe Juvenem fingebat, tingendo capillos & barbam ſuam, cum tamen jam provectæ ætatis eſſet, ait:

Mentiris Juvenem tinctis Lentine capillis:
Tam ſubitò corvus, qui modò cygnus eras.

Non omnes fallis: ſcit te Proſerpina canum:
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

Effectus veræ amicitiæ eſt, non ſolum opera, ſed conſilio quoque neceſſitatibus amicorum ſuccurrere: unde proverbium illud ſubſecutum eſt: *Amicorum eſt admonere mutuum.* Ajunt autem hoc dictum originem ſuam debere Homero, qui ſic habet: *Bonus eſt affatus amici admonitoris*: propter quod & in proverbium abiit. Admonitio reciproca inter amicos.

Maximè autem robur amicitiæ dignoſcitur cum in variis fortunæ utriuſque eventibus, opportuno ſubſidio ad manum eſt: unde proverbium illud eſt: *Nil homini eſt opportuno amico amicius.* Quod dictum de ſcena Plauti prodiit. Unde apparet, quod quæ non debita occaſione exhibentur, vim ſuam deperdant, nec ad penetrale cordis pertingant, ideoque ſicut ſole luceſcente nix, ſic & illa beneficia diſſolvuntur. Amicitia vera in dubia fortuna maxime apparet.

Quemadmodum item ubi fons chriſtallinas & dilucidas aquas regurgitat, illuc quiſque ad hauriendum properat, ſi verò exiccatus fuerit, ſolitarius eſt, & omninò negligitur: ſic proverbium vetus experientia comprobatur, quod: *Felicitas multos amicos habeat.* Quamdiu fortunæ vultus arridet, ſequaces non deerunt, ſed in periculis & calamitate, etiam qui intimi videntur, tergum vertunt, & ſe elongant. Mos perverſus qui omnem adeo ætatem pervaſit. Solem aves ſalutant, cum oritur, ſed cum occumbit, vix obſervatur; Pindari ſenſus eſt: *In rebus adverſis nulli ſunt, aut pauci amici.* Quadrat huc Ovidii dictum: *Donec eris felix* &c. & illud alterius: Amici fortunæ, & felicitatis.

Tempore felici multi numerantur amici.

Et illud:

Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.

Interim vix ullus Lydius lapis eſt, quo magis valor amicitiæ probetur, quàm neceſſitate.

In electione itaque amicorum illud obſervandum eſſet, quod in quibuſdam ſtellis fixis, quæ in circuitu ſuo, non niſi ſæculo integro ſemel in ſtellifero Cœlo comparent. Figura Lesbia adhibenda eſt: faciendum cum Urſis, qui partum ſuum ſedulo lambunt, antequam in lucem proferant. Hinc exactiſſimum proverbium illud invaluit: *Amicos ne citò pares, & quos paraveris, ne rejice.* Sententia proverbialis magni Pythagoræ eſt: quod ſi amicus theſaurus eſt, magna mater noſtra, natura, inquam, in viſceribus montium vix integro ſæculo auri libram progenerat. Conſimile huic illud alterum Pythagoræ eſt: *Ne cuivis porrigas dextram*: hoc eſt, non continuo jungendam dextram, & familiaritatem promiſcuè ineundam: ſic Solon, ſic Apollodorus, & Diogenes ſentiunt. Examinandi amici, antequam pro talibus acceptentur.

Quamvis autem Amicus alter Ego dictus ſit, evitandum nihilominus, ne ultrà debitum gravetur, aut ad ea adſtringatur, quæ extra ſphæram activitatis ſunt, aut vires ejus excedunt. Quod ſi deinceps hoc agendi modo nodus amicitiæ ſolvatur, non immeritò illum omninò fractum, non ſolutum dixerim. Comprobatur quod diximus ſequenti adagio: *Nemo cogendus amicus*: quod cum illo convenit: *Ab amico juſta ſunt petenda*: item cum illo, quod ſupra jam retulimus: *Amicus uſque ad aras.* In eundem ſcopum collimavit, ut reor, Tullius, dum ait: *Si amicitiam ad uſum referamus noſtrum, non ad illius commodum* Non niſi juſta ab Amico exigenda. *2. De Natur. deorum.*

quem diligimus, non erit iſta amicitia, ſed mercatura utilitatum ſuarum.

Nullum Amicum, & nimios habere, utrumque periculoſum.

Sicut autem ſtatus eorum periculo non vacat, qui ſine adminiculo, & ſine adjutorio ſibi ſolis vivunt: quos vitem dixerim nulli ulmo affixam, quæ facilè de terra eradicatur; ſic è contrario nimia Amicorum familiaritas, nimia in iis fiducia damno proxima eſt, nec enim ſciri unquam poteſt, cui fides adhibenda. Hinc illud proverbium authoritatem obtinuit: *Neque nullis ſis Amicus, neque multis.* Hic ſenſus de carmine quodam Heſiodi mutuatus eſt:

Nec multis, ac nec nulli dicaris amicus.

Lib. moral. 9.

Corroborat hoc ipſum Stagirita, dum ait: *Circa nullius amici conſuetudinem vivere ferinum, atque injucundum eſt; rurſus nec vehementer amare poſſumus ſimul multos.* Lucianus matura conſideratione hæc refert: *In Toxaride apud Scythas complurium amicitiam non aliter infamem fuiſſe, quàm apud alias gentes unius mulieris cum pluribus viris conſuetudinem.* Contra amicitias fucatas ea quæ ſequuntur in uſu ſunt: *Linguâ amicus: Amicus ſalute tenus:* quod cum ſuperiori, *Verbotenus*, coincidit. Alterius de lingua, jam in tractatu ejuſdem linguæ in priori volumine meminimus.

Amicitia inter pericula maximè patet.

Nil in orbe terrarum eſt, quo evidentius amicitia ſe palam faciat, quàm periculo, & occaſione. Fornax eſt, in quo aurum Chymicum evolat, & aurum verum retinetur. Sol eſt, qui minimas adeo maculas diſcooperit. In periculo Amicus ſincerus à Deceptore diſcernitur. Veraciſſimum inde proverbium emanavit: *Amicus certus in re incerta cernitur.* Sententia Ennii eſt. Deinde Vegetius; *Adverſis,* inquit, *in rebus rara eſt fides.* Et Ovidius:

1. De Triſtibus.

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Homo ſolus infelix.

Quemadmodum verò ſol inſeparabilis à luce eſt, ſic Sancti Spiritus effata longè ab omni cenſura ſunt, ait autem ſcriptura: *Væ ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe.* Calamitoſa conditio, in ſummis neceſſitatibus ſuis non adeſſe, qui manum porrigat: idcircò proverbialiter dictum eſt: *Amicus magis neceſſarius, quàm ignis, & aqua.* Sicut enim binis his elementis ad degendam vitam carere non poſſumus, ſic nec amicitia: duo etenim commoda potiora amicitiam conſequuntur, ſicut ignem, & aquam: uſus nimirum, & delectatio: quid enim utilius igne? quid aquâ jucundius? Hinc non immeritò Horatius:

Nil ego contulerim jocundo ſanus amico.

Et Euripides: *Dulce eſt tueri hominis amici lumina.* Quapropter & in proverbio jam uſurpatur, tolerabilius eſſe ſine argento vivere, quàm abſque amico.

COMMODITAS.

TAm deſiderabilis, tam jucundus eſt ſol Commoditatis, & bonorum terreſtrium, ut non raro inveniantur, qui poſthabitis cæleſtibus, terrenis appetendis inhient: atque ita diem in noctem vertant, in tricliniis ſuis penè tumulati, ubi ad lucernæ modicam lucem ea quæ degendæ vitæ neceſſaria ſunt, aſſidue ponderent, & compendiis ſuis, indefeſſi invigilent. Itaque & in hoc genere materiæ, quæ tam homini inviſcerata, tam connaturalis eſt, neceſſarium duxi, tantiſper commorari.

Divites ſe pecuniis defendunt.

Marcus Tullius dum prorogari à ſenatu ſententiam condemnationis contra Verrem animadverteret, quamvis eum jam convictum quiſque agnoſceret, idque ob hominis opulenti largitiones: ſagaci Ironia Judices perculſit: *Homo pecunioſus damnari non poteſt.* Quod uſque adeo in populo obtinuit, ut deinceps in proverbium verſum fuerit, & in exteras quoque gentes dilatatum: de quo non ægrè ubivis locorum funeſta exempla occurrunt, ſicut & ejus, quod Stagirita inquit: *Divites, & nimis potentes non ſubjiciuntur, nec volunt ſubjici.* Et alibi: *Pecunia ſeditionem efficit, & malignitatem.*

Polit. 2. & 3.

Homo inclytus pecuniis, non animo.

Porrò ſiquis nec ingenita indole, nec intuitu virtutis, res encomio dignas operetur, ſed ſolo impulſu laudis, & quod ſe poſſeſſionibus ſuis potentem, & divitiis prævalidum noverit, hoc adagium adhiberi ſolitum fuit: *Generoſus ex crumena.* Intelligendum, inquit Manutius, de homine aſpero, intractabili, & duro, qui nihilominus, divitiarum energia ſe venerabilem, & ſuſpiciendum reddit. In hujuſcemodi hominibus ambitio, & faſtus ut plurimùm prædominantur: juxta illud Manutii: *Solet ferocius hoc genus hominum inſoleſcere, quàm qui majorum imaginibus clari ſunt.*

Nobilitate generis gloriantes.

Rurſum alii Imaginibus proavorum ſuorum, & nobilitate generis ſe extollunt, in quos ſequens Ironia contorquetur: *Generoſior Codro.* Hic nobiliſſimus erat, & antiquiſſima Proſapia illuſtris, natus Melanthone, ſexto filio Nelei, de quo Neſtor genitus. De Melanthone refertur, quod cum Xantho in Boetia, qui Athenienſium Princeps erat, dimicando victor evaſerit, & inde principatum ſibi aſcierit. Succeſſit ei Codrus piiſſimus, qui ſe ultrò hoſti occidendum objecit, ut patriam ſuam liberaret, & poſt ſe filios reliquit Mentorem & Neleum. De his duo ſermones mei extant, quorum unus pro titulo gerit *Pericles*, in quo palam facio, quantopere vir ille eximius virtutem natalibus ſuis copularit; alter: *Luna illuminata:* alludendo ad Romanos, qui ſe nobiles jactabant, ab Arcadibus originem ſuam deducendo, quos primos poſt diluvium ajunt vidiſſe Lunam: quod eis non magnopere profuturum fuiſſet, niſi impellente virtute viam ſibi ad triumphos ſtraviſſent.

Abſentem eſſe quandoque proficuum, quandoque nocivum.

Quemadmodum ſæpè conſultum & utile eſt, procul eſſe ab occaſione, plura enim pericula vitantur: ſic è contra incauti non raro in damna incredibilia & inopina propter abſentiam incurrunt: Exprimitur autem ſequenti adagio: *Homo abſens hæres non erit.* Sic enimverò ſæpenumero qui à Teſtatore procul abſunt, pingui hæreditate fraudantur. Eadem ratio in aliis quoque rerum eventibus eſt. Propter quod de Rege Turno inquit Virgilius, dum in mediis ille periculis verſaretur, quod jam etiam inter noſtros vim adagii obtinuit: *Urget præſentia Turni.* Julius Cæſar item, cum de glorioſo incœpto ageretur, ut diadema ſibi Romanum imponeret, his verbis uſus eſt: *Ire oportet, & Imperatoriam gerere majeſtatem.*

Utilitas alieno labore parta.

Alienam metis meſſem: aut vero: *Alii ſeminant, alii metunt:* De iis dicitur, qui dum diu in re quapiam fatigati ſunt, alios ſibi prælatos vident, qui fructum inde colligunt, & alienos labores in utilitatem ſuam vertunt. Deducta metaphora eſt de ſeminante, & metente. Accidunt autem in aulis Principum hujuſcemodi caſus, non

raris

raris vicibus, aut inter literatos infauſtos, qui aut coquum ut dicitur aut Muſicum vident à latere ſuo egredi, & alius inde gaudet. In eundem ſenſum, & cum ſimili allegoria, in Idea talis perſonæ Claudius Achilinus ait:

Corron la meſſe mia falci inimiche,
Mi depredano i ſolchi: & quella mano
Che nulla ſeminó, miete le ſpiche.

Dictum hoc fuit ab Ariſtophane de Cleone, qui gloriam Demoſthenis in urbis Pilenſis occupatione uſurpando præripuit: quam Demoſthenes ſudore ſuo ſibi paraverat: ſed alter hoc decus ei abſtulit. Denique difficile eſt Oratori loricatum incedere.

Propriæ utilitati nimium ſtudere.

Si quis item nimis cupidè utilitatibus ſuis intentus ſit, his verbis ſignificatur: *Homo quiſque rem ſuam meminit.* Quod proverbium primitus in ſcena Plauti à Mercatore quodam prolatum fuit, perſtringit autem communem mundi conſuetudinem, qui aliorum commoda negligit, & ſuis propriis intentus eſt: hoc ipſum apud Gellium Poëta Ennius refert: *Hoc tibi ſit argumentum ſemper in promptu ſitum, ne quid expectes amicos facere, quod per te queas.* Sic Terentius: *Quidquid-cordi eſt facilè meminimus, & plerumque oblivionis mater eſt negligentia.* Hæc pro præſenti argumento ſufficiant.

PROBITAS, ET RECTITUDO.

Pietas omnibus utilis.

QUod alimentum eſt corpori, hoc rectitudo, & ſinceritas eſt in animo: hac forma dixerim hominem informatum eſſe: huic rectitudini, & per hanc vivere homo præcipuè dicendus eſt. Itaque de hac præcepta, & proverbia quædam appoſiturus ſum; nec enim omnia afferri queunt; quæ ſuperſunt ſpacia, iis relinquenda ſunt, quibus latius evagari libitum fuerit.

Ut verò de pietate, virtute heroica, & generoſa exordiar, de ea dictum eſt: *Boni viri lachrymabiles:* hoc de iis intelligendum, qui pleni compaſſione ſunt, qui facilè ad teneritudinem incitantur, & commoventur, ad preces flectuntur, & ſupplicantium voci ſe inclinant. Unde Manutius huic puncto propius accedens, ait: *Illacrymari dicuntur, qui miſereſcunt:* Et Ovidius: *Quibus poſſint illacrymaſſe feræ.* Horatius Plutonem inquit nulla miſeratione tangi, ejus verba hæc ſunt:

Non ſi trecenis, quotquot eunt dies
Amici places illacrymabilem
Plutonem tauris. . . . .

Et Dido apud Virgilium, accuſando duritiem Æneæ ſic ait:

Num fletu ingemuit noſtro, num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit, aut miſeratus amantem eſt?

Huc ſpectat, quod de Heraclito ſemper flente memoratur. Adagium autem quod ſupra retulimus, ad Zenodotum referunt.

Occaſio palam facit, quid in homine ſit.

Sola caſtra ſunt, quæ verum militem demonſtrant, & ubi tempeſtas maximè procelloſa eſt, ibi Navarchi ars & experientia ſe produnt: occaſio, inquam, eſt, prout dici ſolet, quæ virum manifeſtat. Sicut Latinorum proverbium ſonat: *In diſcrimine apparet qui vir.* Quidam hoc ſequens dictum Idomeneo Duci Cretenſium attribuunt:

Illic qui vir iners, qui ſtrenuus ipſa docet res.

De homine liberali in iis rebus, quas labore ſuo ſibi acquiſivit, poſito in comparatione alterius, qui de bonis hæreditariis vivit, verbum quoddam uſurpatur, quod prima ſui fronte ſubobſcurum eſt, ſed facili expoſitione declaratur: *Promere* enim idem eſt, quod elargiri, cum econtra *Condere* eorum ſit, qui ſua recondunt, & diligenti cuſtodiæ tradunt. Unde de diſpenſatore, qui de rebus acquiſitis proximo ſuo erogat, quod ſequitur, dictum eſt: *Homo magis promus, quàm condus.* Hoc virtutis eſt, dummodo prodigalitate in vitium non degeneret. Idem hoc Peripateticus docet: *Liberalitas eſt virtus animi, honeſtorum ſumptuum miniſtra.* Artaxerxes dicere ſolitus eſt, teſtificante Plutarcho: *Multò regalius eſt addere, quàm auferre.*

Homo promus, & condus quid ſit.

De vitio, & virtute.

1. Apophteg.

Vera tolerantia in adverſis.

Inflexibilitas, & intrepiditas, qua quis fortunæ adverſantis injurias perpetitur, & tanquam ſcopulum ſe fluctuationi oppreſſionum invicto pectore opponit, ſequenti proverbio expoſitum fuit: *Homo quadratus:* ſumpta comparatione à ſaxo quadrato, quod qualitercunque projectum fuerit, erectum ſtat. Inde eſt, quod diſcipulus prædilectus Civitatem ſupernam Paradiſi ſe in hac figura vidiſſe teſtificatur: *Et Civitas in quadro poſita erat, & longitudo ejus tanta, quanta latitudo.* Hinc Simonides ait: *Bonum virum eſſe verè pedibus, manibuſque quadratum.* Sic Ennius & Scaliger Metropolim Romam in forma quadrata ædificatam meminerunt:

Quid ſit homo quadratus.

Apoc. 5.

Ecquis exter erat Romæ regnare quadratæ?

Sic apud Platonem quoque homo Androgynus appellatur: *Verè rotundus*, verè ex omni parte quadratus. Pythagoras ſe hoc nomine *Quaterna* à ſuis nominari juſſit, tanquam qui ſe quatuor elementis compoſitum dici vellet. Non deſunt in hoc apud alios Authores validiſſimæ rationes.

Homo ad omnia promptus.

Affine huic, & quadantenus ſimile illud alterum eſt: *Omnium horarum homo:* Per quod homo intelligendus eſt, qui ad omnia ſe promptum exhibet, tam ſeriis, quàm facetis, tam adverſiis, quàm proſperis aptum (ſicut Echinus terreſtris eſt, qui fores ſpeluncæ ſuæ, prout ventus flaverit, aperire ſolet) homo inquam, qui omnium moribus ſe accommodare novit. Talem nominatum fuiſſe Aſinium Pollionem refert Fabius. Sic Imperator Tyberius binos compotatores ſuos ajebat omni hora paratos eſſe, prout dici ſolet, *emollire os ſuum.* Sed hoc in vitium incurrit. In his Ælius Geminus Servilius legendus, qui eleganti verſu hæc proſequitur, quos huc ob prolixitatem collocare inconſultum cenſui: ſi quis verò legendi cupidus eſt, Aulum Gellium conſulat.

Noct. Attic. Lib. 12. c. 4.

Ariſtippus in habitu muliebri.

Inter philoſophos Ariſtippus dicitur, imperante Dionyſio, non verecundatus eſſe, in habitu muliebri choreas ducere: quam inſipientiam Plato nihilominus cenſurat, dum ait: *Vel in Bacchanalibus oportere pudicum eſſe.* De hoc Horatius: *Omnis Ariſtippum decuit color.*

Caſtitas etiam paganis nota.

Candidiſſima gemma caſtitatis, & pudicitiæ, ad cujus emptionem divinus ſe Negotiator accinxit, poſthabita omni altera, etiam inter gentiles non ignota fuit: è quibus illud prodiit: *Melanione caſtior.* De hoc referunt, quod animo ſuo imperaverit ne videre quidem fæminam, imò tantùm ab eis abhorruerit, ut procul ſe ab earum contubernio in ſpeluncam quandam abdiderit. Poſthæc locum illum deſerendo, per abrupta, & declivia montium, ſolo cane ſocio, evagatum eſſe, canem autem ad perſequitandas feras aluiſſe. Hujus adagii Ariſtophanes mentionem habet.

In Lyſiſtrata.

In

Super miſſus eſt. In conſimili forma illud alterum in uſu erat: Caſtior Hippolyto: qui ejuſdem cum illo ſuperiore temperaturæ erat. Et ut verum fateamur, S. Bernardus hanc virtutem uſque adeo inſolitam inquit, *ut in carne præter carnem vivere, non humanæ vitæ eſſe, ſed cœleſtis*, affirmet: *Angeli enim*, inquit, *ſine carne vivunt, virgines in carne triumphant.* *Homo novus*: De iis dictum,

Illuſtres propria virtute.

qui nec ulla cognatione, nec illuſtri proſapiæ clari erant, ſed propriis ſe meritis elevaverant: ſicut *Terræ filius* de iis dicebatur, qui de obſcura familia, & plebeia parentela erant: Gygantes hoc nomen obtinuerunt, unde M. Tullius ad Atticum ſcribens, ſic ait: *Huic terræ filio, neſcio cui, committere Epiſtolam tantis de rebus non audebam.*

Quod illud alterum concernit, Athenienſes ſe inter homines novos cenſeri, æſtimationi & honori ducebant. De his Manutius: *Qui ſibi nobilitatem virtute peperiſſent, nullis majorum imaginibus illuſtres, novi homines dicebantur*: Quos

Filius Cœli.

item cœli filios nuncupabant, ſicut Juvenalis de Catone ait:

Tertius à cœlo cecidit Cato ....

Sic de eleganti Nave quadam Herodotus inquit: *Navis autem illa erat, ut videtur, è cœlo delapſa.* Hanc metaphoram ſcena protulit, quæ plerumque perſonas è cœlo deſcendentes, & illuc revolantes, artificio & machinis ſuis exhibet. Hæc autem vera nobilitas dicenda eſt: Unde M. Tullius de ignobilitate generis correptus, ſic reſpondere ignorantibus ſolebat: Nobilitas mea, propria virtute parta, in me principium ſumit, in vobis veſtra deſinit.

Potentia ſuperior victa ab inferiore.

Cum verò ſuperior poteſtas arte & ingenio ſuperata fuerit ab altera, quamvis inferiore, & quæ minorum virium ſit, hac mordaci, & falſa percellitur ſententia: *Hominem velocem tardus aſſequitur*: Quæ de famoſiſſimo Homeri ore prodiiſſe traditur, fundata in curioſiſſima fabula claudicandis Vulcani, qui Venerem ſuam ſuſpectam habens de Martis contubernio, fortiſſimum, ſed inviſibile rete fabricavit, quo ambos deprehendit, & ſpectaculo deorum publico expoſuit: unde Author præfatus inquit:

Sic uti nunc Vulcanus, ut eſt veſtigio tardus
Mavortem cœpit.

Huc ſpectant Apologi vulpis, & corvi: hunc enim ille in auferenda præda prævenit, quamvis pedeſtris eſſet, alter animal volatile: item cancri cum vulpecula, & polypo, qui plus operatur in limo ſuo, & paludoſis capillamentis, quam reliquum piſcium genus velociſſimo curſu. Super hæc Manutius admirabilem ſenſum habet, ſic inquiens: *Unde fit cum ipſæ ſint ſegnes, tamen aliquando capiantur, mugilem habentes in alvo.*

Huc rurſum Theognidis verſus referendus,
Callidus, ac tardus celerem inſectando prehendit.

Hinc aliud adagium natum: *Aquilam teſtudo vincit*: citatum à Diogene in vita Menedemi philoſophi. Item de ſatyra Poëtæ Achæi, quæ Omphale appellatur, illud eſt: *Capta eſt profectò celer ab imbecillibus, & aquila tempore brevi à teſtudine.* Concludit Manutius: *Hos ſenarios, ait, uſurpare ſolitum Menedemum in eos, qui ſecum in civilibus honoribus contenderent. Accipi poteſt per Ironiam, aut ſimpliciter ubi, quis potentiorem arte vincit, & quod viribus non poteſt, aſſiduitate conficit.* Applicari huc poterit, quod vulgò dicitur, veſperè tam equum claudum, quàm ſanum redire in ſtabulum; & Ovidius de Vulcano præſertim inquit:

Mars quoque deprenſus fabrilia vincula ſenſit:
Notior in cœlo fabula nulla fuit.

Hæc dixiſſe ſufficiat de iis: quæ fabula nobis, & hiſtoriæ, & Allegorici in medium proferunt: cum vaſtiſſima ſuperſint, quæ de probitate, de Inſtitutione morum, & conſimilis argumenti afferri poſſint.

VITIA.

FUndatiſſima, & ſupra omne præceptum ſtabilita, & ex inſtinctu naturæ tracta regula eſt; *Oppoſitorum eadem eſt diſciplina*: quam Peripateticus cum tanta exactitudine intimavit: hinc eandem cætera philoſophorum turba unanimiter amplexa eſt: natura enim ipſa, prout dictum eſt, hanc veritatem magiſterio ſuo declarat: experientia item diſcimus, (ut exemplo utamur) ea quæ ad *candorem* magis exponendum oculis concurrunt, eadem ipſa concurrere ad manifeſtandam nigredinem,

Hoc ſuppoſito, cum jam de probitate, & ſinceritate hominis tractatum ſit, in oppoſito vitium eſt. Hinc ut è vitii deformitate, tanto ſpecioſior & encomiis ſuis dignior, & veneratione debita honoratior virtus appareat, cum hæc ſit genuina numiſmatis facies, vitium autem facies inverſa: poſtquam unum argumentorum jam diſcuſſum eſt, alterum quoque referre conſentaneum duxi, imò & neceſſarium. Cum verò vitiorum pediſſequi numeroſiores ſint, quàm virtutis, latior uti ue præceptorum in hoc genere congeries expectari debeat: idque tantò magis, ut perverſitas mortalium ab his arceretur: habita tamen ratione voluminis, quod non pro ſolis proverbiis inſtitutum eſt, eandem æqualitatem in his, quam in ſuperioribus adagiis perſequar, præſertim quod alia me argumenta præſtolentur: itaque initium in his tale adorior.

Qui furtis olim, & nefariis artibus dediti erant, appellabantur *Homines Ambrones.* Pompejus Feſtus refert, originem dicti hujus deberi populo Gallico, qui ob inſolitam maris inundationem pulſatus, ſedibus ſuis, & in varias mundi plagas nunc huc, nunc illuc delatus, furtis & latrociniis, aliiſque artibus non minus ſceleratis vitam degebat, in tam copioſa agmina diſciſſus, tamque potens, ut iidem authores aſſerant, numerum ad triginta uſque millia increviſſe, atque ita formidabilem factum tam ferocitate animorum, quàm diſciplina militari cruentis præliis inclytum in feruore pugnæ clamare ſolitum: *Ambrones, Ambrones*: ſive id factum ſit ad perterrefaciendum hoſtem; aut verò ut ſe palam faceret, & ſocios ſibi adſciſceret: qui deinceps auctus numero, & virtute, adverſarios ſpernendo, ipſos adeo Romanos in fugam conjecit: inter quos Manlius fuit, & Cepio. Demum à Liguribus primùm ſubjugatus eſt, poſthæc à C. Mario: denique ad aquas Seſtias cum Cymbris & Teutonibus ad internecionem deletu. Sic Florus, & Plutarchus commemorant. Ex quo apparet, *Lib. 68. In vit. Mari.* quantopere perſequendi ſint impii, qui cum fidem nullam teneant, fidem nullam promerentur, juxta vulgatum illud:

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Prius flumina de curſu ſuo naturali deflectent, prius ignium ardores gelu conficient, & mon-

tium juga deſcendent, & totius naturæ ordo interturbabitur, quam ut crimina ſine vindicta ſint, & culpæ reatus ſine caſtigatione. Quotidiana horum experientia eſt, apud priſcas item nationes in proverbium abiit: *Virum improbum vel mus mordeat*: indicando, quod impietas non ſolùm majores feras, ut & minuta animalcula pro inimicis habeat: *Sceleroſum mordeat & mus*: hemiſtychium heroicum eſt. Quidquid ſe torqueant, impiorum pœna calcaneum eorum ſubſequitur.

Poſterius dictum nihilominus & in eos vertendum, qui leviſſima de cauſa, & facili punctura, in rixas & diſſenſiones ſcinduntur, lamentando ſe læſos, & magnam offenſam ſimulantes; in hunc ſenſum Epigramma Græcum ait:

Vulgò ajunt, vel murem etiam mordere ſceleſtum.

Sed malè ſibi conſulunt, qui tam frivolis de cauſis titillantur, ad hujuſmodi incendia rixarum excitanda.

Ejuſdem ſortis gens alia eſt, tam perfrictæ, tam duræ frontis, ut nec Græcorum, nec Romanorum ſapientiſſimi ſufficientes ſint, ad eorum opiniones evertendas. His nimirum culices pro Elephantis ſunt, qui corpora gygantum, non niſi formicarum inſtar æſtimant. De his optimè dictum: *Homo ſemper contradicens.* Cum nunquam horum contentio ſatur ſit, contradictionem ubique in promptu habent. Hac aſſertione quondam Galenus Julianum corripuit, qui contra erudītiſſimos, & ponderoſiſſimos Hippocratis Aphoriſmos, fel maledicentiæ ſuæ evomere auſus fuerat, forte ſi ſuperis placet, nec idoneus quidem ad eoſdem intelligendos.

Non ſine magna ratione eſt, quod Manutius ait: *Eſt vitium quo quis garriendi finem facere neſcit: hoc vitio maximè laborant ſtulti, & imperiti*: Quis neget tales fatuos eſſe, cum hominis ſenſati ſit aliorum conſilia non reſpuere, ut quæ meliora ſint, eligendi facultas ſit. Hæc obſtinatio, & durities quot familias evertit, quot provincias depopulata eſt, quot Civitates exhauſit,

De Reſur. Dom. Serm. 3. Ep. 210.

imò verò quot regna peſſumdedit? *Obſtinati in ſuo ſenſu, peſſimi*: inquit S. Bernardus. Et S. Auguſtinus: *Pertinacia*, inquit, *non ſinit hominem corrigi.* Per hanc duritiem, ſæpè ab altercatione verborum ad criminalem proceditur. Ut huic errori obvietur, doctiſſimus Alciatus Emblema centeſſimum & octuageſimum formavit, adjungendo Epigraphen: *Doctos doctis obloqui nefas.*

Malè item loquuntur, qui potius ex conſuetudine, & communi uſu ſermocinantur quàm ut fundum rerum penetrent: in quos vulgatiſſimum illud dicitur: *Satis homini, ſatis humanitati.* Ajunt hoc de Marco Varrone originem trahere. Advertendum autem humanitatis nomen hic pro curioſitate ſumendum. Cum autem exitus cujuſpiam rei de bono in melius proceſſerit, ambigendum non erit conſuetudinem vim legis obtinere poſſe: ſed ſi inde diſcordiæ & lites oboriantur, omni pacto tollenda, & abolenda eſt. Docu-

In Synon: lib. 2. In ſerm.

it hoc cum exactitudine Iſidorus: *Conſuetudo*, inquit, *authoritati cedat: pravum uſum lex, & ratio vincat.* Et S. Cyprianus: *Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt.*

Homo item qui minimis de cauſis in pavorem & terrorem conjicitur, hoc proverbio appellari ſolet: *Cervinus vir*: nec enim timor ullus eſt, qui hujus feræ timori æquiparari poſſit. Leviſſimus auræ flatus, & folium vento raptum, & ramorum agitatio, timidiſſimam belluam ad velociſſimam fugam impellit. Homerus etiam in Iliade Achillem introducit, qui ſocordiam, & pavorem Agamemnoni objiciens, ſic increpat; *quod impudentiam habeat in occupandis aliorum præmiis, & cor cervinum quoad congreſſum*: Vix calamitas eſt, quæ pejor ſit corde timido: de quo dictum quod nec centum homines animare & armare illud poſſint. *Exercitus maximi*, inquit, *Pro Cœlio.* Cicero, *ſæpè fuſi ac fugati ſunt terrore ipſo, impetuque hoſtium, ſine cujuſquam non modo morte, verùm etiam vulnere.* Nihilominus & illud in confeſſo eſt, timorem quandoque bonorum cauſam eſſe dum ab operatione malorum operum coërcet: *Ad terrorem incutiendum, quædam ultrà fidem, verecunda tamen, amplificantur*: inquit Demoſthenes.

Qui inter veteres ab omninò opere ceſſabant feriari dicebantur: ſicut dies feriales erant, cum in tribunalibus judicia & civilia, & criminalia requieſcerent, cum nemini pœna infligeretur, nemini moleſtia fieret: hi dies etiam ſine labore tranſibant. Ut ergò olim ad otioſorum ſupinam negligentiam alluderent, qui dies vitæ ſuæ continua tranſigunt inertia, proverbium illud inventum fuit: *Ignavus ſemper feriæ*: aut verò: *Hominibus pigris ſemper eſt feſtum.* Proprium hoc Tarentinorum erat, qui dimidiam anni partem perpetuis feſtivitatibus conſumebant. De illo priori Theocritus ait: *Semper feriæ inertibus.*

Vetus conſuetudo erat, inquit Manutius, ut agri cultoribus dies quidam honeſtæ remiſſionis indulgeretur, quo ſe à laboribus reficerent; ſed homo ſocors hanc relaxationem ſine intermiſſione appetit, unde ei palatum amaritudine deinceps oppletur. Injucundæ ſunt literæ Scholaribus ignavis, mercatori pigro negotia inſipida, militi otioſo haſta oneri eſt; nec enim dulcedine fructuum gaudent, qui de indefeſſo laborantium exercitio progerminantur. Veraciter Plato: *Exercitium*, inquit, *confert ad corpus & animum.* *De ſcientia.* Materia hæc vaſtiſſimum tractatum habet, quæ immenſa etiam volumina adimplevit: ſed aliò mihi eundum eſt, & inprimis illud occurrit: *Ignavis vertitur color.* Mirum eſt in quantam hebetudinem, miſeriam & infelicitatem ignavi dilabantur: nec enim unquam eò pertingunt, ut nigrum ab albo diſcernant: ignorant quid rationis, quid officii, quid honeſtatis ſit, ſed in ſpecierum perpetua confuſione rem unam pro altera ſumunt: quibus univerſus mundus non niſi larvatus & inverſo ordine collocatus eſt. Hoc proverbium ab Homero uſurpatum eſt in Iliade, dum ſic ait:

Vertitur ignavi color, & variatque ſubinde:
Nec mens certa manet, verùm huc, illucque vacillat,
At migrans è corde, pedes in utroſque reſidit,
Palpitat & valdè cor ei præcordia ſubter:
Fata putanti animo accipiunt, quoque ſtridere dentes.
Contrà Forti nec variat color: at neque valde
Areſcit. ....

Sed hæc hactenus.

Porrò cùm omnis extremitas violenta ſit, eſſe nequit quin vitioſa ſit: unde non ſine ratione dictum eſt: *Nullum violentum perpetuum.* Inter plurima autem, quæ in vitium cadunt, à veteribus nimia loquacitas numeratur ſicut à contrario intem-

intempeſtivum ſilentium. Utrumque his verbis deſignatur: *Statua taciturnior :* & alterum : *Homo Bombilius.* Duo hæc extrema ſunt, nimium videlicet dicacem eſſe, aut verò per modum ſtatuæ ſine omni loquela. Unde dictum illud emanat : *Eſt tempus quando nihil, eſt tempus quando aliquid.* De nimiis fabulatoribus illud: *Lingua gravius caſtigatur, quàm ullum probrum: nec magnæ res ſuſtineri poſſunt abeo, cui tacere grave eſt.* Bombilio ſpecies apis eſt, ſed adulterina, inepta ad formandum & componendum mel, perpetuo murmure garrula, quæ ſuper tecta ſe levans, non niſi irrito ſuſurro aërem adimplet. Quantum igitur abſtinendum nobis à nimia taciturnitate, unde non abſimilis ſimulacro videri quis poſſit marmoreo, ſic non minus ab altero cavendum, per quod non immerito cenſuram fatuitatis incurrimus, teſtante Demoſthene: *Stultus haud tacere poteſt.*

Hugo de diſciplina monaſtica.

Non ſunt irritandi crabrones.

Nec verò niſi inſipientiæ indicium eſt, examen veſparum contingendo irritare, poſtquam ſemel quis punctura illarum læſus eſt: Hinc offenſam ſemel acceptam, ſtultum eſt redintegrare, & renovare commovendo. Exprimitur hoc ipſum ſequenti adagio : *Homo temulentus dormiens non eſt excitandus.* Quæ metaphora ab ebrioſo deſumpta eſt, qui cum ſemel jam vino madidus belluarum more deſævit, in actiones efferas & inſenſatas prorumpendo, conſultiſſimum eſt, ut cum ſemel ſoporatus eſt, non excitetur, ne majoris turbulentiæ cauſa ſit. Totum hoc à Theognide refertur : *Sopitum ebrium non oportere excitare à ſomno.* Triviale inter Italos proverbium eſt, canem dormientem exſuſcitandum non eſſe. Quod pariter ſequenti proverbio declaratur : *Malum benè conditum, ne moveas :* adjungit Manutius : *Non eſt refricandum odium, cum jam tempus induxit in oblivionem. Non eſt renovandum animi vulnus, cùm jam obduci cicatrix cœpit.* Theognides illud verſu ſequenti exponit :

Canis dormiens non excitandus.

Vetus odium non refricandum.

Ne quiſquam è nobis ſomno pellat Simonida
Oppreſſum vino, quem ſopor altus habet.

Vafrities.

Homo vafer, verſipellis, veterator, qui nullo pacto in deceptionem adduci poſſit, his verbis olim exprimebatur : *Nec Deus, nec homo.* Alii rurſum hanc ſententiam iis applicant, qui cum ſemel rem quandam cœperint, ad finem ejus pertingere ſatagunt, nullo habito nec Dei, nec hominum reſpectu. Hinc Horatius:

Non Dî, non homines, non conceſſere columnæ.

In Pythiis.

Quod aſtutiam præmemoratam attinet, Pindarus ait: *Nec Deus illum fallit, nec homo, nec factis, nec conſiliis.* Quantùm autem hæc communi utilitati maximè proficua eſt (dummodo in finibus ſanæ rationis permaneat, & in fraudulentiam non degeneret) imò & laudem meretur, tantùm è contrario vafrities damnabilis, quæ inflexibilitatem cordis inducit, & à tramite rectitudinis recedit.

Inconſtantia & levitas animi.

Tranſeamus à tenaci duritie ad nimiam levitatem inconſtantiæ, & mutabilitatis: propter hoc, *Homo Euripus,* per proverbium dictus eſt. Continua enim agitatio, & motus inæquales hominis inconſtantis, perpetuam fluctuantis animi exundationem producunt, non ſecus ac fretum Euripi, quod fluxu, & refluxu nunquam intermiſſo hac illacque jactatum, in gyros ſuos convolvitur. Intelligi hoc ipſum de volubili, & ancipiti fortunæ curſu poterit: quæ nunquam ubi ſemel pedem fixit, in eodem ſtatu firma permanet. *Quadrabit* (verba ſunt Manutii) *in fortunæ vices, quæ res mortalium velut æſtu quodam, ſurſum & deorſum jactat, ut rectè dixerit Plautus, Dii nos quaſi pilas homines habent.* Euripus interim anguſta pars maris eſt, inter Aulidem Bœotiæ portum, & Eubœam inſulam, quæ tam vehementi curſu, & recurſu repugnantibus inſuper ventis raptatur, ut rates & navigia infido æquore abſorbeat.

Euripus.

Homo infidelis.

Græci item præſens adagium ad hominem infidelem traducunt : nec enim fides ſtare apud quenquam poteſt, qui perpetua inconſtantia jactatur. Exprimit hæc ad vivum Gregorius Nyſſænus, dicendo : *Vides quæ ſit conditio rerum noſtrarum, & quæ rota quadam negotiorum humanorum curſu circumagatur : nunc his, nunc illis florentibus, ac marcentibus : Dum neque proſperitate, neque adverſitate, ut ajunt, nobis conſtat, ſed quàm ocyſſime in diverſum mutatur : ut auris, ac literis in aqua tranſcriptis plus fidere liceat, quàm humanæ felicitati.* Vides hic ad unguem uſque Euripi cujuſdam deſcriptionem factam.

Dominandi ſitis exitioſa.

Conſimile huic ſuperiori eſt illud alterum : *Viro Lydo negotium non erat, ſed foras profectus, ſibi paravit.* Hoc adagium à Cræſo Rege Lydiæ profectum ajunt, qui cùm proſperè in patria ſua degeret, nimio regnandi deſiderio, Cyrum aggreſſus eſt : ſed infeliciter dimicans, ab hoſte ſuperatus, in immenſas calamitates ſeipſum impulit. Sic inextincta illa dominandi ſitis, tandem in hydropiſin degenerans, laborantem ad extremum extinguit.

Mores hominum patriæ conveniunt.

Id quod vulgò dicitur, malum eſſe volucri, in opaca valle natam eſſe, (nec enim unquam poſthæc ab umbroſo domicilio ſuo recedit, aliamque præter hanc regionem terræ nullam æſtimat) ſequenti adagio intimatur : *Hominum mores regioni correſpondent :* quod tantundem eſt, ac illud ſolitum : qualis patria, talis mos. Hoc Proverbium de collectaneis Plutarchi ortum eſt: *Ut triticum in nonnullis agris degenerat in aliud genus, Soli vitio, ita pro qualitate regionis variantur hominum ingenia.* Hac parœmia cum ſenſato Laconiſmo Rex Cyrus magnus Perſiæ Rex uti voluit : dum enim Perſæ ſupplicaſſent, ut de ſituatione quadam montoſa, & hiulca, in aliud ſolum & feracius & commodius tranſportarentur, indulſit quod petebatur, adjuncta nihilominus conditione, ut ſerviendum ſibi eſſe, non imperandum noſſent, ſequenti dicto eos confundens : *Ex mollibus regionibus homines molles naſci ſolere.* Intelligens, quod de tetricis, aſperiſque eorum moribus, & dominandi libidine, ſuavis guſtus, & dulcedo fructuum bonorum enutriri nequeat.

Sardanapalus.

Cum ſe mihi proverbiorum quædam offerunt, quæ vulgi ore jam trita ſunt, libentius huc colloco, ut eorum fundamentum, & origo innoteſcant. Nec enim facile, & cum vanitate quadam introducta, ſed obſervatorum diligenti attentione prius ponderata ſunt. Vix jam inter plebeios eſt, qui cum hominem effæminatum intueatur, immerſum in voluptatibus gulæ, & ventris, non eum Sardanapalum appellet : idque cum ratione : luxurioſus enim ille epulo, tam in concupiſcentiis, tam in vino ſuo abſorptus erat, quamvis regali diademate redimitus, ut non niſi inter fæminas, & Eunuchos, perpetuo vitam inertem traheret. Hoc proverbium autem

autem primitus in ſcena Ariſtophanis inſonuit. Erat autem præfatus Rex filius Nini Regis, quem providum, & magnæ æſtimationis fuiſſe teſtificantur: Interim peſſimus ille, ut tanto evidentius diſſolutos mores ſuos in lucem daret (quaſi qui gloriæ ignominiam duceret) monumento ſuo funebri inſcribi quæ ſequuntur, imperavit : *Ede, bibe, lude.* Tanquam is, qui cæteras res humanas nihili penderet. Itaque hic Legislator impietatis fugiendus eſt.

Homo tractabilis.

Affine ſuperiori illud alterum videri poterit: *Homo cera tractabilior :* cum hæc omninò mollis ſit, quæ ad omnem calorem deſtruitur, & flacceſcit: In quo propenſio ad vitam mollem & laſcivam intelligitur : niſi forte magis proprium fuerit, ad hominem illud referri, qui cum bonæ indolis ſit, non ſecus ac cera faciles in ſe impreſſiones & imagines virtutis recipiat. Omne hoc ad malum quoque applicari poterit, unde Horatius :

Cereus in vitium flecti : monitoribus aſper.

Et Perſeus:

Artificem tuto ducit ſub pollice vultum.

Et rurſum Horatius:

- - - *Argillâ quidvis imitabitur udâ.*

Summa igitur cura allaborandum, ut ponderata utilitate, & uſu vitæ, imagines virtutis potius, quàm vitii, imprimantur animis noſtris.

Homines intractabiles.

Huic docilitati aliud genus hominum ex adverſo poſitum eſt, inhumanorum, & intractabilium : ad quorum mores exprimendos, antiquatum proverbium eſt : *Homo Scytha :* jam enim uſus obtinuit, ut hujuſcemodi ferocis & obſtinati, durique genii homines, barbaros & Scythas nominemus.

Scythæ, inhumani.

Hæc enim natio omnium maximè immitis, crudelis eſt, & inexorabilis, imbibens inclementiam ſuam, à frigidiſſima cœli ſui intemperie, & perpetuo gelu, quo maxima anni parte indureſcit, ita ut plauſtra ſuper illud ſine metu vectari poſſint. Ad preces gens illa ſine auditu eſt, nec enim calorem nutriunt, unde cor illis ad miſerationem ſuccendi poſſit.

Homo Tenedius quid ſit.

In eundem ſenſum incidit illud alterum : *Homo Tenedius.* Refert enim Suidas, fuiſſe Regem Tenedi, tantopere inflexibilem, & inhumanum, ut retro judices ſuos lictorem ambulare ſtricto enſe imperaverit (Juxta conſuetudinem Romanorum) qui leviſſima de cauſa, cujuſcunque etiam minimi delicti reum plecteret. Juſtitia hæc, cum ſummam extremitatem transcendat, impia, & abominabilis eſt. Proverbium enim Vetus habet : *In omnibus modum ſerva.* In omni item lege Eutrapelia, & Epicheia locum ſuum invenit.

Sufficiat hæc de vitio retuliſſe, ad cujus extirpationem, formicarum modo innumera ſunt proverbia : de quibus ego, ne hoc volumen his ſolis impleatur, ad alia inſuper argumenta me transfero.

OPERATIO HOMINIS.

Quantum homini operatio conveniat.

Exercitatio tam eſt propria, tam connaturalis homini, ut ab opifice manu omnipotentis Dei non niſi idcircò creatus videatur: vix enim in paradiſum voluptatis collocatus fuit, & imperium altiſſimi continuo audiit : *Ut operaretur, & cuſtodiret illum.* In hoc punctum, & in hunc ſcopum omnes ſenſus animi ejus collimant. Quam veritatem etiam Paganiſmus concepit: quod ex eo palam fit, ſiquidem intueri placuerit, cum quanta anxietate, & applicatione olim à Lacedæmoniis Gymnaſia inſtituta, & frequentata fuerint, item Bibliothecæ Ægyptiorum, Muſæa Alexandrinenſium, Naumachiæ Romanorum, Lycæa & Academiæ Athenienſium.

Occupationes, & exercitia antiquorum.

Sic enimvero animus humanus allevamentum ſuum, & ſi quæ mœſtitia irrepſerat, aut faſtidium agitaret, nullum aliud potentius remedium, quã in occupationibus hujuſcemodi invenit. Unde ad ſpectaculorum varietatem Amphitheatra, & Circi dedicati ſunt; hinc Cæſtus eſt, & Palla trigonalis, & horum ſimilia: Hinc ſcenæ hiſtrionum, & palæſtræ, & ſtadia, & Pancratia, & tali ſunt.

Homo creatus ad laborem.

Præceptum, quo Deus primo parenti noſtro imperat, ut cuique rei nomen ſuum imponat, juxta originem, & eſſentiam, & qualitatem illarum, ad quid aliud tetendit, niſi quod hominem in omni ſcientiarum genere exercitatum, & excultum voluit?

Sic enimverò ad alterius naturam cognoſcendam, totius propemodum Philoſophiæ partes emetiri conſtrictus fuit: ita commentatur Plato. Juxta Lactantium, in rectitudine hominis conſideranda, neceſſe fuit, ut ad ſublimitatem Theologicam ſe elevaret. In eloquio ſuo ad componendam linguam, ne ſiniſtra ratiocinatio eſſet, arte ei Rhetorica opus fuit. Luminoſæ cœli lampades, & ſtellati firmamenti decoræ faces ad Aſtronomicam eum cognitionem allectarunt. In poſſeſſione mulieris, quam ei ſociam Creator dedit, herilis, familiaris, & domeſticæ vitæ normam edoctus fuit, Regula eorum quibus cura domeſtica incumbit. In ampliſſima illa Inveſtitura denique, qua vaſtiſſimum & abſolutum univerſitatis Dominium obtinuit, Princeps, & Monarcha orbis terrarum factus, ſe politicis ſtudiis addictum vidit: ſicut ex eo quoque, quod ſe Factori ſuo ſubditum eſſe oportere cognovit, obedientiæ, & ſubmiſſionis magiſterium habuit. Ut paucis expediam, proprium ei, & omnino connaturale eſt, exercitari: hinc non mirandum, quod Plato inquit: *Exercitatio confert ad corpus, & animum.*

In Crit.

Exercitatus à principio.

De ſcientia.

Conſideratis igitur his attributis, tantopere connaturalibus homini, de quibus integra compilari volumina poſſent, non abs re arbitratus ſum & ego, inter alia proverbia, quæ de variis rebus afferri in medium poſſent, eorum aliqua huc collocare, quæ ad hominum varias operationes ſpectant. Variæ enim occaſiones, variis proverbiis cauſam dederunt, prout ex ſequentibus facilè patebit.

Inconſtantia.

Ad denotandam igitur inconſtantiam hominis, qui nullibi in una ſtabili & firma mente perdurat, ſed continuis viciſſitudinibus hac illacque diffluit, nunc hac, nunc rurſum alia opinione fluctuans; hæc ſententia mordax adinventa fuit : *Nunc palliatus, nunc togatus.* Pallium Græcorum habitus erat, toga Romanorum.

Quænam alia gens tam inſtabilis, tam nunquam eadem, quàm hiſtrionum, aut Comicorum: qui quavis veſpera mundum ſcenicum deponunt? Senſit hoc Demoſthenes, dum ait : *Similis eſt vita theatro. Quocirca ſæpius peſſimi quique honoratiſſimum tenent locum inter homines.* De levitate autem S. Gregorius: *Inconſtantia,* inquit, *ex levitate generatur.* Et alibi: *Inconſtantes ſeipſos negligunt.*

In Paſt.

Ex loquela cognoſcitur homo.

Proverbium item toties jam memoratum, quo dicitur, quod ex loquela cognoſcitur homo, aliter ſic exprimitur: *Qualis vir, talis oratio :* id quod illi Ariſtotelico analogum eſt: *Verba ſunt ſenſus eorum,*

eorum, quæ in corde habentur. Et cum illo altero: *Tractant fabrilia fabri.* Miles de militaribus, & actionibus caſtrenſibus audire amat, agricola de ruralibus, & ſic in omni deinceps profeſſione, & diſciplina. Ajebat Cleon, nemini philoſophorum inferior, quamvis nomine non tantopere inclytus: *Quanta res eſt, tanta & oratio, quâ uteris, eſſe debet.* Et Demetrius Phalereus: *Sermo*, inquit, *non diſcrepat à mente:* unde ne ſiniſtrè quicquam è verbis concipiatur, neceſſe eſt, obſervari id, quod quidam optimè ait: *Prius veniat ſermo ad limam, quàm ad linguam.*

Apud Plutar. Apopht.

Nunquam integros exercitus periculo exponendos.

Ænygmati de ſphynge propoſito ſimile videtur id quod ſequitur: *Victus flet, & victor interiit:* ſed tale non erit conſideranti damnum cum utilitate, quæ ex victoria cruenta & ſanguinoſa proveniunt, ſiquidem enim ſe præcipui Belliducum perditioni dederint, & flos exercitus deperierit, laudabile non eſt, qualicunque obtenta victoria, triumphum canere. Plutarchus dicere ſolitus eſt: *Non ſolùm vincere, ſed & ſcire vincere ſpecioſum eſt, in his præſertim rebus, in quibus victoria detrimentum parit.* Plauſibilis laurus non eſt, quæ plus ſanguinis, quàm ſpoliorum dedit, & quæ tam cruento imbre irrigata eſt.

De educandis Liberis.

Animus effæminatus.

Effæminata mollities, vitaque delicata, quæ animos enervat, ad laborem alioquin induratos, & aſſvefactos, jam alibi cenſurata, etiam ſubſequenti proverbio percellitur: *Vita ſponſi.* Convenit cum illo altero: *Muſica vita:* tangit autem eos, qui inter ſymphonias, & dulcedinem cantilenarum, in medio ſenſualitatum, & mollium voluptatum vitam degunt.

Suidas ait, hoc proverbium ab Ariſtophane in ſcena cum applauſu uſurpatum fuiſſe, qui ſic habet: *Sponſi quidem profectò vitam vivitis.* Adjungit Manutius: *Propterea quod Proci frondibus, & ſertis coronari ſoleant, & delicatius, nitidiuſque coli, vel quod molles videantur nuptiis inhiantes.*

Lib. 8.

Rhodienſes apud Athenæum hoc nomine appellantur, & eorum urbs, urbs procorum. Homerus hanc hominum ſpeciem *Sponſos Penelopeos* appellat, quibus nil aliud cordi eſt, quã convivari: homines inimici laborum, & exercitii.

Fide ſed cui vide.

Id quod in ore omnium quotidie verſari ſolet, non ſolùm hominum plebeiorum, ſed agricolarum quoque; nempe non fidendum cuiquam eſſe, niſi prius modium cum eo ſalis conſumpſeris, tam apud veteres in uſu fuit, ut altiſſimis conſiderationibus indigeat, quarum nonnullas in medium afferam.

Diſtinctius illud exprimi non poterit, quàm ſupra memoratis verbis: *Nemini fidas, niſi cum quo prius modium ſalis abſumpſeris:* Hoc eſt: Neminem ad penetrale cogitationum noſtrarum intromittendum, niſi prius in plures annos mores ejus affectuſque diſcuſſeris, quo videlicet Tempore facile menſuram ſalis præmemoratam abſumes. Hinc magnus Stagiræ Præceptor: *Præterea autem ſpacio & conſuetudine opus eſt. Quapropter in proverbium abiit, ſalis modius.* Sic Theognides: *Haud noſſe ingenium nec viri licet, aut muliebre, ut nec jumenti, ni experiare prius.* Et Theophraſtus apud Plutarchum: *Non oportet amantem judicare, ſed amare poſteaquam judicaveris.* Quod ſi fieret, non tot funeſti & acerbi caſus quotidie aures noſtras percellerent. In hunc ſcopum M. Tullius inquit: *Multos modios ſalis edendos eſſe, ut amicitiæ munus expletum ſit.* Quam ſententiam Euripides quoq; in theatrum produxit: *Vide quid agas, qui tua arcana credas iſti; modium ſalis poſtquam ederis, tua tum demum iſti fidas.*

Lib. 8, moral.

In Comment.

De Amicitia.

In Helena.

Homines irreſoluti.

Porrò in eos, qui mente indeterminata dies uſque integros protrahunt, antequam quæ in capeſſendis conſiliis occeperunt, aliquando concludant, illud in adagio dictum eſt: *Homines agones.* Sic apud Romanos olim nominabantur ſacrificuli, vel augures, qui dum victimam cæſuri eſſent, jam altari ſuperimpoſitam, quandoque longo temporis ſpacio, bipenne ad feriendum levata conſiſtebant, præſtolantes plebis aſſenſum, & identidem interrogantes: *Agone?* id eſt: placetne plebi ut feriam, an verò à cæde abſtinendum? Propter quod Ovidius in conſuetudinis hujus memoriam inquit:

In faſtis.

Semper agens rogat: nec niſi juſſus agit.

Hæc autem agendi cunctatio non minus exitioſa quandoque eſt, quam nimium præcipitata celeritas. Unde non immeritò ſequentia ſymbola adinventa ſunt: Delphinus anchoræ illigatus: papilio inſidens cancro: aquila juncta teſtudini, & inſuper hujuſmodi alia, quæ docent, in omni actione, dum neceſſitas exegerit, maturandum eſſe.

Maturandum cum neceſſitas exigit.

Homines, Qui malorum ſuorum fabri ſunt.

Homo itidem, qui culpa ſua, & incuria in malum delabitur, & ruinas ſibimetipſi fabricat, ſequens proverbium antiquitus obtinuit: *Iciens ictus eſt.* Unde & ejuſdem ſententiæ de plebe adagium illud emanavit: *Chi è cagion del ſuo male, pianga ſe ſteſſo:* hoc eſt: *qui malorum ſuorum cauſa eſt, non niſi ſemetipſum deploret:* Quod originem ſuam à commento tali deſumpſit. Hercules aliquando ſub ſilentio noctis, ad ſplendorem Lunæ ingentem ſtatuam intuitus, furem eſſe opinatus, qui perforandis domibus occaſionem quæreret, apprehenſo ſaxo ſimulacrum percuſſit, ita ut illud quidem repentè corruerit, petra autem quæ jacta fuerat, violenter repercuſſa in jacientem proſiluerit, & graviter læſerit. Expoſuit ejuſcemodi aliquid Commendator Teſtius ſequenti verſu:

Hercules jaciens ſaxum in ſtatuam.

Come Uſbergo talhor, quallora il tenta
Deſtra armata ferire, il ferro ſteſſo
Violento ritorce, e, in ſuo rifleſſo
Contro l' Autor del colpo, il colpo auventa.

Percutiens percutitur.

In idem incidit adagium, quod ſequitur: *Percutiens idem & percuſſus:* hoc eruditè admodum uſurpavit Philoſtratus, qui de quodam Capaneo ſic habet: *Fulmine percuſſus Capaneus dicitur, qui prior (niſi me fallit opinio) Jovem jactantia percuſſerat.* Sic Mythologi commento fabuloſo, ſed ſagaci, quod non niſi à peritis intelligitur, inquiunt: Nioben ſeptena prole inflatam, præſumpſiſſe, ut Apollini & Latonæ cultus debitus tolleretur: unde factum, ut in eodem fano, ubi rebellionem hanc meditabatur, Cœlum (ſic Marchio Ludovicus Malvezzus ait) una cum Apolline:

Ben ſette volte, è ſette
Folgorò ſtrali, & fulminò vendette.

Hoc eſt:

Fulgura ſeptenis vicibus de vindice cœlo
Jacta . . .

Ex Curtio.

De Philippo Macedonum Rege memorant, quod cum vanè gloriatus eſſet, ſe ſagitta ab arcu ſuo emiſſa ipſas ſtellas ferire velle, atque interim adverſo obtutu ipſum firmamentum contemplaretur, eadem ſagitta miſerè & lethaliter emittentem excæcarit. Denique hoc ipſum manifeſtius exponit rurſum alia parœmia, quæ canem vellicandum eſſe vetat dormientem; iterum aliud de naſo: *Urſi fumantem ne tentaveris naſum.*

Exitus proſperi, & inopini.

Caſus item fortuiti & fortunati, qui homini felici obveniunt, abſque ut ei labore conſtent, aut cura, ſequenti ſententia indicabantur: *Dormientes rete trahit:* Tracta metaphora à piſcatoribus, quibus etiam ſoporatis piſces in rete labuntur. Miltiadis ſomnia olim proſperitatem Themiſtoclis inquietabant: audierat enim, quod fortuna, etiam illi ſtertenti regna integra obtulerit, atque idcirco nomen *felicis* ei inditum: hinc Plutarchus, qui hiſtoriæ author eſt, eum ſic loquentem introducit: per Ironiam nihilominus, & in eos, qui hoc factum recenſebant: *Si hujuſmodi Urbes capio dormiens, quid me facturum arbitramini, ſi vigilavero?* Alluſit ad hoc Terentius, qui cuidam ſic improperat: *Quid credebas dormienti hæc tibi confecturos deos?* Sic M. Tullius: *Si non idem mihi licet, quod iis, qui nobili genere nati ſunt, quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus deferuntur.* Sæpè etiam uſus hanc dictionem fert: Plus ille fortunatus eſt, quàm ſapiens. Concludo num Palide Comico: *O civitas, Civitas, ut tu quidem es felix magis, quàm provida.*

In Adelph.

Act. ulti. in Verrem.

Ex Athenæo.

Paupertas ubique ſecura.

Paupertas hoc bonum certum, & infallibile poſſidet, quod quamvis ubique afflictiones & gravamina inveniat, ab inſidiis nihilominus ſecura eſt: nec enim prædatorem habet quod vereatur, nec concuſſionem ſpoliatoris nuda pertimeſcit. Hinc proverbium enatum: *Centum viri pauperem ſpoliare non poſſunt.* Hæc paupertas fera eſt in ſylvis ſuis ſine metu latitans, cum nullũ rete ſibi expandi noverit. Hinc nõ immeritò Horatius:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Paupertas contenta P. Danielis Bartoli.

Videatur de his liber Patris Danielis Bartoli, Cedro dignus, qui titulum præſefert: *Povertá contenta:* hoc eſt: *Paupertas contenta:* contra divites nunquam contentos. In quo libro, cum eloquentia admirabili, ipſas adeo miſerias appetibiles, ipſas anguſtias deſiderabiles reddit. Illic etiam in rem præſentem accomodè, & convenienter proverbio noſtro recenſet fuiſſe aliquando pauperculum, qui nocturnis vigiliis fures ſenſerit domui ſuæ ſibi viles pannos, quibus utcunque veſtiebatur, diſcutientes: itaque cum ſumma animi tranquillitate, & ſerenitate in altum erectus, inclamare cœpit: Eho viri bini, quid agitis? Mirum admodum eſſet, ſi quod ego plena meridie non invenio, vos in medio tenebrarum deprehendatis. Itaque verum eſt, quod *Paupertas omni caret metu, intrepidè ubique verſatur:* Sic Manutius inquit.

Perſeverantia.

Perſeverantia, quâ cœptum ſemel opus perficiendum eſt, hanc ſibi ſententiam peperit: *Studium generat ſtudium, Ignavia ignaviam.* Huc ni fallor accommodari poterit, quod Coronatus Cantor inquit, ſicut peſſimum eſt de meliori in pejus decidere; *abyſſus abyſſum invocat:* ſic optimum: *de virtute in virtutem* conſcendere. Sicut illic principia evitanda ſunt, ita hic non prius deſiſtendum, donec finem aſſequamur. *Tardè aggredere, quod aggreſſurus es, perſeveranter verò proſequere.* ajebat Demetrius Phalereus. Et S. Bernardus: *Nititur quis fruſtra*, inquit, *niſi innititur; quod enim ſæpius agitur, crebroque retentatur, aliquando ſuccedit.*

In Cant. hom. j.

Quot capita, tot ſententiæ.

Inter proverbia vix ullum eſſe, inquit Manutius, quod magis in ore hominum verſetur, quàm illud: *Quot homines, tot ſententiæ.* Jam in ore plebeiorum communiſſimum eſt, eorum etiam qui idioma latinum ignorant. Terentius primus eſt, qui theatro hanc ſententiam dedit: cui illa altera confinis eſt: *Suus cuique mos eſt.* Perſius hoc paulò fuſius explicuit:

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus,
Velle ſuum cuique eſt: nec voto vivitur uno.

Huc ſpectat Horatianus ille:

Qui velit ingenio cedere rarus erit.

Idem alibi hoc ipſum ſub eleganti allegoria concluſit, dum ait:

Tres mihi convivæ propè diſſentire videntur.
Poſcentes variò multùm diverſa palato.

Ita enim mortalium opiniones in corde eorum fixæ ſunt, ut auſim dicere, parum abeſſe, quin illic non ſecus ac numina latriæ cultum obtineant.

Serò ſapiunt Phryges.

Si quis porrò malorum ſuorum eventum non niſi ſerò agnoſcat, tum præſertim, cùm remedium omne jam tardum & fruſtraneum eſt, ſubſequenti etiam vulgato adagio exprimitur; quod quanto vulgatius eſt, tantò magis huc collocandum cenſui, ne origo ejus ignoretur: *Serò ſapiunt Phryges.* Hoc primitus in ſcena Livii Andronici productum eſt, appellata *Equus Trojanus:* Derivavit autem à Trojanis, qui miſerè, & cum irreparabili damno ſuo, nimium tardè errorem ſuum agnoverunt, quod equum illum ab hoſte per fraudulentiam fabricatum intra muros ſuos improvidi ſuſceperunt, ex quo deinceps incendiarii urbis, & populatores deſcenderunt. Tam prius ſana ſed vana conſultatione de reſtituenda Menelao Helena agere cœperunt, quod ſi maturius egiſſent, non tam exitioſæ ruinæ patriam & penates ſuos dediſſent.

In Oreſte.

Hinc Euripides: *At nunc profectò ſerius ſapis benè, cùm tunc penates turpiter reliqueris.* Sic Demades, atteſtante Plutarcho, ajebat: *Athenienſes nunquam decernere pacem, niſi pullis veſtibus indutos. Innuens* (ſic commentatur Manutius) *eos bellandi cupidiores, quàm ſat eſt, nec niſi de clade ſuorum admonitos de pace cogitare.*

Proprium malum ſuum ſibi adſciſcere.

Capta gladium. In eos dictum, qui propria mala ſua ſibi ultrò adſciſunt: & quamvis ſanioribus conſiliis abſterreantur, ut cœptis deſiſtant, nulla horum habita ratione, per fas, nefaſque finem ſuum inſequuntur. Proverbium autem primam ſui originem traxit ab eo, quod memorant: Corinthi quondam ſacrificium Junoni Acriſiæ (quæ ſtatua erat, à Medea collocata) inſtitutum fuiſſe: cumque illuc capra conducta eſſet, Aruſpicem, ne morti daretur, occultaſſe cultrum ſub terra, illam autem eouſque pedibus humum egeſſiſſe, donec ferrum detegeret, quo factum ut lethali vulneri miſera ſuccubuerit. Conſonat autem illi alteri: *Ovis cultrum:* Et cum vulgari illo, jam ſupra memorato: *Chi è cagion del ſuo mal, pianga ſe ſteſſo.* Ejuſdem ſenſus eſt, quod ſequitur: *Ipſe ſibi mali fontem reperit.* Sic Poëta Æſchylus: *Nunc mali fons eſt repertus, ut videatur omnibus.* Quidam fontium inventi ſunt, quorum aquæ, cum potata fuerit, exitium potantibus adfert.

Dare, & recipere.

Cum autem in materia damni, & inutilitatis verſemur, non prætereundum eſt, quod uſus obtinuit, dum dicitur: *Chi va per dare, biſogna, che ſi prepari per ricevere: Qui dat, neceſſe eſt, ut ad recipiendum ſe præparet.* Nec ſaccus unus ſuffecerit, binos eſſe oportet. Exponitur hoc ſequenti adagio: *Cornix ſcorpium.* Cornicula dum ſcorpionem apprehendit, eum ſe occiſuram credit, & inde cibandam: ſed miſera non aduertit, quod caudam venenatam intorquens ſcorpius, punctura lethali prehendentem ferit, ita ut pernicioſo vulnere accepto calamitoſè neci tradatur. Inter Authores Græcos in hunc ſenſum Epigramma quoddam verſatur, quod ita Latinitati datum eſt:

Scorpius a terra prorepſerat, idque vidente
Corvo, qui cœno victitat in liquido.

Corripuit viſum, fugitque, ſed hic ut hum:am ales
Contigerat, telo mox ferit, atque necat.
Ecce tibi, quod huic avis inſidioſa parabat,
Inde ſibi miſeram provocat ipſa necem.

In eundem ſenſum Horatius:

Græcia capta ferum victorem cœpit.

Itaque in quibuscunque actionibus, & incœptis, diligenter quæ poſt eventura ſint, ponderandum, nec committendum, ut, ſicut vulgò dicitur, ſtulte oculum amittamus, dummodo inimicus noſter ambos amittat.

Negotium pernitioſum.

Expedire ſe de negotio quopiam, quod intricatum, moleſtum, & pernitioſum ſit, hac eleganti metaphora exprimitur: *A lupi venatu.* Venatio quotumcunque animalium aut ferarum penè omnium, & jucunditate plerumque & utilitate ſua non caret; ſed non ita de lupis dicendum, de quorum venatione vix ſine diſpendio, ſine damno tædio, vel difficultate diſceditur: unde Manutius concludit: *Neque enim tutum eſt, lupum inſequi, neque is facile capitur, cum reliquarum ferarum venatus non vulgarem adferat voluptatem.*

Mores tetrici, vel ruſtici.

Intractabilitas, & mores tetrici hominis ſcabri, duri, & ruvidi in ſermone, de quo nulla unquam ſuavitas, nulla expectetur humanitas, his verbis demonſtratur: *Scabroſior leberide.* Eſt autem leberis nomen à Græcis mutuatum, ſignificans pellem, vel corticem, aut exuvias piſcis, vel ſerpentis, quas abjicere per ſenectam ſolent: duræ autem, & aſperæ, & pungentes ſunt. Hæc durities autem vitium eſt, quæ hominem de civili converſatione eliminat, quæ ſylveſtrem animum inducit, ita ut feris belluis æquiparandus ſit. Dictum de Nerone, Claudio, Caligula, & maximè de Vitellio, qui in ore hæc habuit: *Benè olere occiſi hoſtis cadaver, melius civis:* Homo impius, non Imperator ſed truculenta bellua: unde Seneca de eodem ipſo ajebat:

Calcat jacentem vulgus:
Inviſum opprimit.
Decet timeri Cæſarem:
At plus diligi.
Metuant neceſſum eſt:
Quidquid exprimitur grave eſt.

Durities in præbendo auxilio.

Pari modo de homine immiſericorde, qui ſiccis oculis deperire ſineret pauperculum potius, quàm ut manum ei ſubſidio minimo porrigeret, illud olim dicebatur: *Exigit à ſtatuis farinas.* De farina panis componitur, qui unicum vitæ hominis ſuſtentaculum eſt, cujus pars exigua, pro nihilo reputanda eſt: nihilominus verum eſt, quod quantumvis ſtatuæ apertas gerere manus videantur, in vanum eſſe ſubſidium vitæ ab iiſdem præſtolari: ſuccurrentium figuram habent, cæteroquin cum ſenſu careant, & motu, ſupplicantium vota non animadvertunt.

Simile huic eſt alterum: *Et à mortuo tributum colligis.* Hæc politica tyrannidem ſapit, quæ thronum lubricum parat, & præcipitio vicina eſt, vitro fragilior. Hinc S. Ambroſius: *Summa*, inquit, *benignitate opus eſt, ut non tantum publica ſtet gubernatio, ſed etiam privata jura tueamur. Plurimùm juvat benevolentia quæ omnes ſtudet beneficiis complecti, devincire officiis, oppignorare gratiis.* Et in vita Dionis hæc verba ſunt: *Nullum imperium tutum, niſi benevolentia munitum:* aviditas enim deturpat, violenter rapit, conquaſſat, & dilacerat.

Homo nubens lucri intuitu.

Curioſum lectu, ſed non idcircò approbatione dignum, quod ſequitur. Si quis ſolo lucri intuitu, nulla alia deinceps de cauſa, conjugem duxerit, ſive illa vetula, ſive deformis ſit, hac ſententia notabatur: *Candidulum linum lucri cauſa ducis:* Author proverbii Dionyſianus inter Græcos fuit; apud quos Lini nomine uxor appellabatur: ſive quod mulierum eſt, linum tractare manibus, aut verò quod nomine lini apud eam nationem nodi, & ligamina appellabantur, in quo ſenſu & lana quandoque ſumitur: quocirca veteres dum Numinum ſuorum longanimitatem declarare vellent, quod videlicet tam lentè ad vindictam procedant: *Dii noſtri*, inquiebant, *laneos habent pedes.* Sed multùm operoſum eſt ſtatum conjugalem in perfectione amoris conſervare, ubicunque plus argentum, quàm affectus, in pretio eſt.

Deluſus falſa apparentia.

Si quis in cujuſpiam acquiſitione rei ſe ſub apparenti bono deluſum animadverterit, in quo tamen ſpem ſummam collocaverat, & ſe non niſi falſo ſomnii phantaſmate deceptum ſentiat, hac ſententia denotabatur: *Umbra pro corpore.* Anſam ad proverbium hoc Æſopus præbuit, eximius ille fabularum inventor, deſcribens Apologum Canis, qui cum umbram carnis, quam ore geſtabat, in præterfluente intuitus eſſet, eandemque perſequeretur, veram carnem amiſit, quam reliqua canum turba devoravit, & corroſit, & non niſi falſum ſimulacrum conſecutus eſt. Quod eleganter verſu Jambico expreſſum, & ſic Latinitati datum eſt:

Juxta fluentem defert carnes canis,
Dum pronus os in amne conſpicit alteras,
Et hians deorſum, ut eaſce carnes prenderet,
Amiſit has quoque, quas tenebat antea.

Conſiderabile damnum eſt, quod tali modo incurritur.

Alienis negotiis nemo ſe immiſceat.

Ad inſinuandum, quod negotiis nemo immiſcere ſe debeat, quæ ad ſe non ſpectent, ſequens loquendi modus introductus eſt: *Di chi è la briga, la nutrichi: di chi è la caſa, penſi al coperto: Cui actio competit, hic eam proſequatur: ad quem domus pertinet, de tecto ſollicitus ſit.* Id quod apud Græcos primùm, proinde apud Latinos quoque: erudito illo & eleganti hemiſtichio expreſſum fuit: *Curabit prælia Conon.* Conon ſtrenuiſſimus, & fortiſſimus Athenienſium Dux fuit: qui à primæva juventute ſua armis excultus, in conflictu nihilominus maritimo à Lyſandro, Duce Lacedæmonum, & ipſo maximè provido, & magnanimo ſuperatus fuit.

Conon Athenienſium dux ſtrenuus.

Sed poſt prælium cum ſolicitudine & cura diſperſas huc illucque copias in unum colligens, exercitum redintegravit, & terreſtri acie denuò hoſtem adortus, cum utrimque ferociſſimè pugnatum eſſet, victoriam retulit, hoſte profligato; ac ſic Rempublicam ſuam priori libertati reſtituit, Patris Patriæ nomen indeptus, & ſententiæ ſuperiori anſam præbens. Hinc Homerus in Iliade ſua inquit: *Viris curæ ſunt bella futura.* Et Turnus apud Virgilium:

Libertati priſtinæ patriam reſtituit.

Arma viri, bellumque gerant, queis bella gerenda.

Nemo comparere debet illic, quo rocatus non eſt, nec audere in iis, in quibus expertus non eſt, multum clamoris, parum lanæ.

His item vetamur, ne compareamus, quò vocati non ſumus; vel in rebus iis, in quibus nullum nobis experimentum eſt, manum non applicemus: ne in nos improperium Apellis cadat: *Ne ſutor ultra crepidam.*

De perſona ſtaturæ eminentis, ſed cui nullum robur ſit; aut verò de oratione prolixa, ubi facta nulla ſunt, dicitur: *Arcadium germen:* ſententia ſatyrica eſt:

- - - - - quod læva in parte mamillæ
Nil ſalit Arcadico juveni. . -

Arcades ſtupidi.

Arcades olim rejecti, & condemnati ſunt, eo quod gravis eorum auditus eſſet.

Hinc eſt, quod Athenæus illis improperat, ob eandem

eandem aurium duritiem, nunquam intra eorum muros ſonoram muſices profeſſionem admiſſam eſſe, nec verò eos cuiquam liberali ſtudio invigilaſſe, quo videlicet eorum genii & ingenia docilitatem, & manſuetudinem nanciſcerentur: unde fieri, ut tam propter aëris intemperiem, quàm ob loci alpeſtris ruviditatem, ingenia eorum ruſtica ſylveſcerent, & demum intractabilia redderentur. Lucianus eos ſtupidos nominat, ex eo, quod aliud, quàm ſe à Luna ortum ſuum ducere, non noviſſent, nunquam autem animum, ad intelligendam vel unicam Aſtrologicam lectionem, inducerent, quam ſcientiam nihilominus nemo tum temporis non callebat. Itaque verum eſt verba factis æquanda eſſe. Quæ materia vaſtiſſima eſt, & qua chartæ univerſæ repletæ ſunt.

Largitio facienda, ubi copia ſuppetit.

Ubi copia magna eſt, ibi multa hauriri poſſunt: ubi area repleta eſt, ibi facilis & larga, & non inamœna diſpenſatio eſt: Quiſque ad fontem properat, qui ebullit, & redundat. Expreſſum fuit hoc ſequenti ſententia: *Cui multum eſt piperis, etiam oleribus immiſcet.* Ubi parum eſt, contraria ratio conſequitur. Antiquis conſuetum erat multum piperis immiſcere oleri: unde Martialis:

Ut ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam ſæpè petet vina, piperque coquus!

Duo potentes, non ſibi benè cohabitant,

Huic ſimile illud alterum eſt; *Putre ſalſamentum amat origanum.*

Bini potentes, qui paris authoritatis ſunt, difficulter admodum in una eademque domo invicem, dimidiato & diſpertito Dominio cohabitant. Atque hoc eſt, quod triviali proverbio dicitur: duo galli ſe ægrè in eodem Ornitrophio patiuntur. Hoc ipſum apud antiquos eleganti ſimilitudine expreſſum fuit: *Mons cum monte non miſcetur:* unde Manutius: *Non convenit inter pariter elatos, aut pariter potentes.*

Plinius recenſet, contigiſſe aliquando, ut in plena meridie bini montes ſibi invicem vicini, concurrerint, ſeque invicem colliſerint cum ingenti concuſſione, & deinceps rurſum ſeparatos, idque cum incredibili ſpectantium admiratione. Huc reſpicit Emblema Alciati jam alibi memoratum; *Doctos doctis obloqui nefas.*

Labor in omni re neceſſarius.

Nemo tam ineptus ſit, ut opinetur ſine labore fructificaturos eſſe agros: labor unicus eſt, qui rebus perfectionem adipiſcitur, imò verò qui rebus eſſentiam tribuit. Non acuitur culter, niſi cote in gyrum acta: nec in optatum portum ſuum navis appellit, niſi prius cum labore in alto velificaverit: *Laboribus Dii omnia vendunt:* hujus ſententiæ, juxta Lipſium, ipſi Gentiles erant. Hoc inter alia ſequenti adagio repræſentatum fuit: *Lutum niſi tundatur non ſit urceus.* Neceſſe eſt, ut terra manu multum tractetur, & concutiatur, antequam vas vel viliſſimum effingi poſſit. Quod proverbium primam ſui originem ab homine quodam traxit, plebeio quidem, ſed qui à ſcopo non aberravit: ſolitus autem erat inter figulos commorari, cum autem ſemel ex ore ejus prodiiſſet, in adagium dehinc aſſumptum fuit. Dicebat Heſiodus: *Operando viri pecunioſi fiunt, & dites, atque laborando laborans multò magis amatur à diis:* Et ſummus Oratorum: *In omni doctrina infirma eſt omnis perceptio ſine ſumma aſſiduitate exercitationis.*

Apud Stobæum.

3, Ad Heren.

Hic denique loci, ubi in tanta proverbiorum inundatione, quibus Aldi Manutii volumen adimpletum eſt, ſententiæ ſibi invicem ſuccedunt, & non ſecus ac Meander aliquis in ſe ſæpius recurrunt, principio utilitatis, quæ ex labore, & ſudore operationum progignitur, finem hunc connecto: *Sine labore tranſire non poſſumus æſtum hujus ſæculi:* Verba ſunt S. Gregorii Magni. Omnis ars, omnis ſcientia, omnis virtus, exercitatione, & labore indiget.

13. Moral.

Temperans non eſt, inquit Muſonius, niſi qui reduplicatis actibus ebrietati, & intemperantiæ reſiſtit. Nunquam in prudentem virum evadet, qui ut malum à bono ſecernat, nunquam ſatagit. Semper glorioſa mors eorum eſt, qui Belli ducum officio ſtrenuè fungentes, in medio conflictu, & in furore armorum mortem oppetierunt: aut qui literarum ſtudiis addicti, inter volumina, & atramentum vitam clauſerunt: aut eorum, qui artifici manu poſteritati monumenta tam inſignia conſignarunt, ut indelebilem nominis ſui memoriam ſibi pepererint. Vivet inter ſphæras ſidereas nunquam intermoritura recordatio Archimedis, qui potius illuſtre pectus ſuum hoſtilibus armis transfigendum obtulit, quàm ut manum à formatione circulorum mathematicorum amoveret. Denique: *Per labores virtus incedit:* Sententia eſt præfati Heſiodi: Sic inſuper verum eſt: *Quod lutum niſi tundatur, non ſit urceus.* Tranſeamus nunc de exercitio marium, ad exercitia fæminarum.

Stob. ſerm. 27.

Memoria virorum induſtrioſorum æterna eſt.

MULIERES.

In Medea.

NOn ſemper veritati conſentaneum eſt, quod Euripides inquit: *Mulieres ad bona ſunt ineptiſſimæ, malorum verò effectrices ſapientiſſimæ.* Quantum me concernit, inæqualitas ſexus virtutis æqualitem, me quidem Judice, non tollit: nec enim eas in hoc genere, vel judicio, vel valore ab viris diſcreverim: earumque actiones, una cum actionibus marium jungendas cenſeo. Idque tantò juſtius, quod mulier de viſceribus, & de coſtis viri erecta ſit, ejuſdem cum illo vultus, & formæ, rationali anima non ſecus ac ille dotata: de omni adeo eſſentia ejus participans, conſimilis eidem, imò verò non immeritò dixerim, ejuſdem cum illo entitatis. Hinc cum plura jam proverbia ad ſexum maſculinum ſpectantia produxerim, perfectioni voluminis hujus demptum aliquid arbitrarer, ſi inter tanta, quæ de fæminis proferuntur, non huc aliqua attulerim: ea nihilominus methodo, qua in vitiis & virtutibus virorum ratiocinatus ſum: unde ex tanta maſſa, quæ ad manus eſt, non niſi pauca ſeligemus.

Virtus mulierum æquiparanda virtuti virorum.

Pudicitia.

Exordiar à pudicitia: quæ virtus inter cæteras ſingularitatem habet, utpote plus quàm reliquæ decora: quam Saluſtius ſub nomine munditiei intellexit, unde ſic ait: *Viris labores, mulieribus munditiæ conveniunt.* Hinc ut ejus candor omni pacto conſervetur, omniſque occaſio ejus lædendi, vel denigrandi tollatur, in proverbium abiit: *Mulier pudica ne ſola ſit uſquam.* Hanc virtutem teſtimoniis undique circumvallatam eſſe oportet, ut ſemper ſint, qui operationes ejus inſpiciant: Quam conſuetudinem olim Penelope coluit, de qua Homerus: *Haud ſola, aut illam famulæ benè comitatæ.*

Diana apud Mythologos nunquam niſi cum conſortio Nympharum ſuarum apparet: hinc cum in cæleſtibus eadem ſit, quæ Luna, hæc nunquam ſine famulitio ſtellarum eſt. Et inter antiquos pretium gemmæ hujus non ignorabatur: ob quod Euripides ajebat: *Ornamentum eſt, quod ornat, ut inquit Crates: ornat autem quod honeſtiorem mulierem facit. Talem verò præſtat non aurum, non ſmaragdus, non coccus; ſed quæcunque gravitatis, moderationis, & pudoris ſpeciem adhibent.*

In Androm.

Silentium mulierum.

Huic caſtimoniæ comes datur taciturnitas, ut rarò loquantur. Sicut enim loquacitas indicium eſt procacitatis, petulantiæ, ambitionis,& jactantiæ; ſic modeſtia, quam in fæmina hoſpitari oportet, ſiquidem ſilentio conjuncta fuerit, majorem ſplendorem, & decorem ſibi adſciſcit. Ex quo proverbium obortum eſt, tractum de ſcena Sophoclis: *Mulierem ornat ſilentium.* Elegantius ei veſtimentum nullum eſt, & quo magis decoretur: Sic præcitatus Comicus dixit: *Decus addit uſque fæminis ſilentium.* Sic juxta mentem præmemorati concludit Servius (*Servius.*): *Mulier animal naturâ loquax, nulla re magis cohoneſtatur, quàm ſilentio, maximè apud viros, cùm de rebus ſeriis agitur.* Id quod de Homerico verſu deſumptum videtur, qui ſic habet: *Fueritque viris oratio curæ.* Non inveniet hic falco, quod deprædetur, ubi nulla loquacitatis, & multiloquii eſca eſt.

Negotium proſpere ſuccedens.

Cùm item negotium quoddam proſperè ſucceſſerit, quantumvis illud cum exigua applicatione mentis tractatum fuerit (ſicut in exemplo, ſententia quædam favorabilis, in actione quadam litis remiſſè & frigidè agitata) his verbis olim exprimebatur: *Parit puella, etiamſi malè adſit viro.* Adoleſcentula, quæ in flore Juventutis ſuæ, viro nondum adulto nubit, facilè concipit: contrarium evenit, cum ætate jam provecta eſt: hinc non immerito ſimilitudinem talem in negociis proſperè ſuccedentibus, quæ tamen nulla cura ſingulari tranſacta fuerint, veteres ſecuti ſunt. Contrarium ad ingenia illa applicandum, quæ quamvis optimos præceptores ſortita ſint, majorem hebetudinem inducunt, in quibus dici poterit: quod oleum, & opera perdantur.

Quemque ſua ſorte contentum eſſe debere, nec ſublimius niti, quam par ſit.

Ad demonſtrandum præterea, quantopere deceat quemque in ſtatione, & gradu perſiſtere, in quo eum Deus, vel natura collocatum voluit, nec conſultum eſſe ad faſtigia dignitatum & muniorum aſpirare, quibus ferendis humeri impares ſint, ſequens parœmia adinventa fuit: *Tuæ ſortis uxorem ducito.* Semper conjugalis thalamus cuique deteſtandus eſſe debet, ubicunque paſtoralis,& paupercula puella viro Principi conjuncta fuerit (nec enim hujuſcemodi exempla deſunt, quamvis inter rariora ſint) & nunquam non verum erit, quod Ovidius, jam alibi citatus, inquit:

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra Juvenci,
Tam premitur virgo Conjuge nupta minor.

Et Moyſes & Jeremias magnopere reformidarunt, ille quidem ad regimen, hic ad populi converſionem aſſumi: unde eis ſingulare robur cælitus datum neceſſe fuit, ad hæc munia ritè obeunda. Tyberius Imperator in primordio regni ſui, dum gubernaculi onere gravaretur, agnoſcere ſe ajebat: *Quàm arduum,& quàm grave regendi ſit onus.*

Homo nauci, dum elevatur.

Rurſum alius, qui ſe in ſtatu eo, in quem citra meritum elevatus fuit, pro debito continere nequit, in vituperabile proverbium illud incidit: *Mulier Imperator; Mulier miles.* Cum ignavia,& ſtoliditas in ſublime faſtigium elevantur, nunquam auſpicium proſperi finis concipiendum. Tales enim nec aures, nec manus, nec oculos poſſident: Unde nec vident, nec in opus aliquod ſe impendunt: non ſecus ac mulieres, quæ (ſi de iis in univerſum loquendum eſt) ad imperandum natæ non ſunt. Hinc Athenæus (*Lib. 3.*) Alexium ſuum loquentem introducit: *Natura fæminam in hoc finxit, non ut imperet, ſed ut pareat.* Verſus autem Græcus in latinum tranſportatus ſic habet: *Natura non dedit imperare fæminis.*

Mulierum regimen non rejiciendum.

Plato tamen nec condemnat, nec verò etiam rejiciendum gubernaculum vel regimen fæminarum, nec eas à Reipublicæ adminiſtratione removendas cenſet, dummodò cautiſſimè de capacitate earum experimentum ſumatur. Alluſit ad hoc, quamvis tacite, Æſchinus contra Timarchum, dicendo: *Cum vidiſſet domum opulentam, maleque gubernatam, cujus dux erat mulier ſuperba, & excors.* Sed melius ſignificatio ad hominem, inquit Manutius, transfertur, qui Inventorem ſe novæ rei, quam ignorat, per temeritatem jactat: Unde Virgilius ait:

--- *Tanti dux fæmina facti.*

Et Galenus eleganti figura Ironica Philoſophaſtrum quemdam Ariſtotelem nominat. Ab hoc errore quiſque ſibi præcavendum eſſe norit: hinc illud alterum proverbium ſuperiori conſonat: *Mulier ne tollat gladium.*

Levitas animi.

Porrò inconſtantia, mutabilitas, varietas, imò verò fatuitas perſonæ, quæ levis animi eſt, quæ mentem ſanam non poſſidet, his verbis exprimitur: *Mulieris animus:* refert hoc Philoſophus Dionyſianus. Pari modo illud in uſu eſt: *Muliebre ingenium:* quod ſic ab Ennio confirmatur:

Vos etenim Juvenes animos geritis muliebres
Illaque virgo viri. ....

Et Terentius: *Novi ingenium mulierum, nolunt ubi velis, ubi nolis cupiunt ultrò.* Denique pauciſſimi Authorum ſunt, qui de ſexu muliebri, ſi de eo univerſim ſumpto loquamur, benè ſentiant: interim negari nequit, quod Ariſtoteles inquit (*3. de Anima.*): *Mulier eſt majoris pietatis, quàm vir.*

Infidelitas mulierum.

Ad indicandam mulierum infidelitatem, quæ cum omnia tuta videantur, tum potiſſimum fidei deſunt, & fidem frangunt, illud expreſſum fuit, quod longo uſu convaluit: *Ne mortuæ quidem credas mulieri.* Hæc hyperbole proverbialis eſt, ait Manutius, per quam monemur blandimentis mulierum fidem nullam adhibendam, quippe quæ fallaciis & dolis repletæ ſint. Dionyſianus ſupra memoratus hoc primum uſurpavit: qui de Noverca quadam meminit, quod etiam in morte ſua privigno vitam ſuſtulerit: dum enim in extremo vitæ ſpiritu cum fato ſuo luctaretur delirando, pyramidem quandam marmoream in caput pueri præcipitavit, quo ictu miſere mortem oppetiit. Dixit ſuper hæc Philoſophus Antiphanes: *Ego mulieri hoc unum credo, quod à morte non reviviſcat.* Et Mantuanus (*Æneid. 4.*):

--- *Varium & mutabile ſemper*
Fæmina.

Et S. Ambroſius (*Serm. 44.*): *Fæmineus ſexus ad decipiendum uſitatus.* Unde non mediocri ſagacitate opus eſt, ut has ſyrenum allectatrices, & doloſas voces evitemus; nec ſine ratione cuique conſulendum, ut cum Ulyſſe ſe ad arborem prudentiæ alligari faciat, quamdiu in periculoſo Mundi Oceano fluctuat.

Exitus rerum infelix.

Cum rerum exitus infortunatus, infelix, & minimè ei fini conveniens, in quem ordinatæ & conceptæ fuerant, inopinatò evenerit, hoc proverbium inductum fuit: *Mulierum exitia:* qui enim ſic infortuniis ſuis immoriuntur, plerumque cum omnimodo bonorum ſuorum exterminio pereunt. Hinc commentator Manutius inquit: *Mulieres omnium ferè calamitatum Autores fuiſſe viris dicuntur.* In cujus rei teſtimonium Pandoram memorat, quæ de vaſe ſuo omne malorum genus in orbem univerſum effudit.

Troja-

Trojanum excidium non niſi Helenæ debetur, cujus ſe vadem præbebit Paris. Hercules à Deianira interemptus eſt: Item fabulæ de Leda, Europa, Danaë, & Semele, quæ ipſum adeo Jovem in exilium è cœlo pepulerunt, item Syringa cum Pane, item Daphnes cum Apolline, idipſum teſtificantur. Nec tamen univerſa hæc ſolis fæminis vitio vertenda, inquit citatus Manutius: *Sed potius hoc convenit ſtultitiæ virorum, qui tantùm indulgeant mulierculis, ut velut amentes amore, in quodvis malum ſequantur:* & paulò infra ea refert, quæ fortius dici non poſſent: *Ita viri rejiciunt in fæminas, ſi quid ipſi deliraverint.*

Qui ad ordines ſacros admiſſi non ſunt, ad eorum munia exercenda admitti non debent.

Qui ad eos ordines promoti non ſunt, quibus ad miniſteria ſacra habilitantur, ad eorum munia exercenda admitti non debent, ita ut calices,& vaſa ſacra contrectent: quod ſi ſe ingeſſerint ultrò, tanquam indigni rejiciendi ſunt; quippe quod auſu temerario caſtigationem potius mereantur. Totum hoc ſequenti ſimilitudine optimè declaratur: *Herculis ædem mulier non intrat. Velut ſi prophanus cerdo* (commentatur Manutius) *ad altiſſima ſacræ philoſophiæ myſteria illota mente irrumpat.* Hoc adagium de religione antiqua natum eſt, quâ mulieribus vetabatur Herculis indigetis fanum introire: tanquam iis, quæ huic Numini opprobrio eſſent, ob delectamenta, quibus Omphale Lydorum Regina hunc Heroëm taliter faſcinavit, ut eum ad fila uſque trahenda pellexerit.

Proverbium hoc attigiſſe, imò verò lucidius declaraſſe videtur animarum noſtrarum Redemptor, tum cum ad primam Chananææ mulieris petitionem reſpondit: *Non licet ſanctum dare canibus:* ſicut alibi in Apocalypſi legitur: *Foras canes.* Contra hujuſcemodi perſonas indignas Pontifices Maximi Cenſuras fulminant, & Canones,& Bullas, & Decreta: non minus & diplomata Cæſarea, & ſancti Partes contra eos ſunt: quin & ipſæ gentilium leges ajunt:

--- *Procul ô, procul eſte prophani!*

Sagæ, vel Lamiæ.

Sceleratiſſimæ Megæræ, quæ veneficiis ſuis mundum infectant, omni pacto in cineres redigendæ, & ignibus exterminandæ eſſent, quippe quod interſit in compoſito humano membra cancro depaſta deſecare,& ferro ſeparare. Contra has jure optimo, tanquam Inferni, & Dæmoniorum aſſeclas, ergaſtula, & carceres, & tribunalia ſacra panduntur: hæc hominum fæx ſequenti proverbio ſignificata fuit: *Theſſala mulier.* Hujus origo potiſſimum in aureo Apuleji Aſino, citato à Manutio, legitur. Et Horatius inquit:

Quæ ſaga, quis te ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit Deus?

Plautus (*In Amphitr.*) volens quempiam nominare magum, Theſſalum appellat. Hinc Strepſides, perſona ſcenica apud Comicum Ariſtophanem, in nubibus, conſilium à Socrate petit, an ſibi hujuſcemodi mulieris incantatione utendum ſit, quæ Lunam in cœlo contorqueat. Creditur venenum ſtygium provinciæ illius ab incantatrice Medea illatum: memorant enim, hanc fugiendo, ex propoſito nefando, in regiones illas ſcrinium adimpletum veneficiis, & aliis conſimilibus herbis, & medicamentis dejeciſſe, cum habitatorum damno, ut in ſolo illo pullularent. Plinius item author eſt, magiam in iis regionibus maxime plantatam & propagatam fuiſſe. Itaque, quicunque animi ſani & prudentis eſt, has vicinias, utpote abominabiles, ſibi tanquam peſtem fugiendas eſſe ducet.

Actiones indecentes ſtatui.

Si quis, præter quam perſonæ ſuæ condignum eſt, contraque omnem decentiam, actionibus ſeſe dederit, quæ nullo ei pacto conveniant, hoc mordaci dicto percellebatur: *Anus ſaltat.* Quemadmodum autem turpe fuerit videre vetulam, cui gravis ſenecta jam in fronte aniles rugas ſulcaverit, deformem, contortam, & omninò ineptam reddendo, in choro Juvencularum tripudiantium & ipſam ſaltare, ſic non minus indecens eſt, videre virum maturitate plenum Juvenilibus exercitiis pueraſcentem, imo cum puerulis jaciendis nucibus vacare.

Huic vicinum illud alterum eſt: *Camelus ſaltat:* cum res præpoſtera ſit, videre animal tam ponderoſum ſaltu laſciviens. Ejuſdem ſententiæ eſt, quod dicitur: *Nero muſicatur:* fœdum etenim eſt Imperatoriam majeſtatem inter muſicos diſſolutos Orcheſtam ſalire: ſicut alium quoque Imperatorem Domitianum ſagittare muſcas: Horatius de vetula quadam libidinis efferatæ ajebat:

Telanæ prope nobilem
Tonſæ Luceriam, non cytharæ decent,
Nec flos purpureus roſæ,
Nec poti vetulam fece tenus cadi.

Recenſet Plutarchus, quomodo Pericles vir famoſiſſimus, cum à vetula Elpinice moleſtaretur, dignum perſona ſua reſponſum dederit: *Unguento, anus cum ſis, caveto inungier.* Correſpondet rurſum illud: *Anus bacchatur.*

Pudicitia ad finem uſque vitæ conſervata.

Flos Virginitatis, & pudicitiæ, ad finem uſque vitæ illibatò conſervatus (quo munus aliud æquè pretioſum inveniri nequit, nec in vita humana margarita majori æſtimatione digna) hac expreſſione deſignatus fuit: *Anus Eriphus.* Hæc vetula, memorante Apollodoro apud Zenodotum, ad decrepitam uſque ætatem florem virginitatis intactum cuſtodivit: unde præfatus Author inquit: *Perinde quaſi adhuc anus eſſet per ætatem & puella quod adhuc innupta.* Quidam ſentiunt, inquit Manutius, in Sicilia genus quoddam Locuſtarum eſſe, quæ copulam non norint, & quæ priori nomine appellentur, item alio nomine *Mantinæ.*

Imò verò negari nequit eouſque hunc decorum virginitatis florem acceptabilem eſſe, ut cor Altiſſimi Dei induxerit, de cœli ampliſſimis regnis ad terras deſcendendi, ut illic in puriſſimo Virginis utero conciperetur. Hic ſemel amiſſus, recuperari nunquam poteſt: unde Claudianus doctiſſimè:

Cum caſtum amiſit polluto è corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.

Oculi muliebres quantorum malorum cauſa.

Majora & graviora ſunt incendia, quæ ab intuitu,& radiis oculorum muliebrium excitata ſunt, quam quæ de officinis,& focis,& fornacibus, aut domorum conflragrationibus prodierunt: his enim oculorum flammis integræ quandoque regiones,& regna conſumpta ſunt: cujus rei vivum exemplar in Paride & Helena Trojanum excidium tam funeſtum præbebit. Ad hoc ipſum exprimendum olim dicebatur: *Mulieris oculus.* Laconiſmus Græcus, qui inter Latinos ſic ferebatur: *Mulieris oculus ſpeculum juvenibus eſt.*

Hoc loco innumerabiles lamentationes, exaggerationes, querimoniæ, & Epiphonemata luxuriant tam Poëtarum, quàm Amantium in delirationibus ſuis. Solum in hoc genere, cum mihi brevitatis ſtudium indixerim, ſententiam Mantuani adducam, qui ſic ait:

----- *Uritque videndo*
Fæmina.

Et

In Medea.

Et Ovidius:

Ut vidi, ut perii, ſic me malus abſtulit error.

Lib. 4. Hexaemeron;

Fuit, qui diceret: *Oculi ſunt in amore Duces*; alius ſic: *Oculi ſunt in amore cruces.* Et S. Baſilius Seleucienſis: *Fuge ſpectare, ut ſalveris:* Et Coronatus Cantor meus: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.*

Infidelitas mulierum.

Revertor ad infidelitatem mulierum, de quibus illud Satyricum dicitur: *Nec mulieri, nec gremio credendum.* Exponit adagium hoc Feſtus Pompejus, & idipſum experientia ſuffragante conſolidat, in teſtimonium tot fæminas adducens, quæ toties in gremio res etiam ſummi momenti occuluerunt, ſed communi malo loquacitatis correptæ, inopinata inadvertentia totum prodiderunt, fallente eas memoria, & debita circumſpectione. Denique non poſſim ego, quin Ovidianæ ſententiæ adhæream:

De remed. Am.

Neve puellarum lacrymis moveare caveto:
Ut flerent oculos erudiere ſuos.

Et Valerius Maximus inquit: *Audax eſt ad omnia, quæcunque amat, fæmina, & artificioſa eſt nocere cum vult:* Et Euripides: *Mulieres ad bona quidem ineptiſſimæ, malorum verò effectrices ſapientiſſimæ.* Quod jam ſupra citatum.

Servitium pluribus promiſſum.

Imprudentia hominis, qui idem beneficium, aut favorem, aut ſervitium, aut quidvis aliud perſonis pluribus ſpondet, hanc ſibi ſententiam conſcivit: *Unicâ filiâ duos parare generos.* Non credo familiam ullam eſſe, quæ non ſæpè occinat proverbium illud, quod videlicet inconveniens ſit, de unica filia, aut nuru una duos ſibi generos formare. Convenit etiam ei, qui pro unico favore alteri præſtito, retributionem à duobus efflagitat.

Quæ parœmia ſapienter adinventa in annalibus antiquorum reperitur. Hoc autem vitium tam homine ingenuo indignum eſt, ut & danti, & recipienti omninò deteſtabile eſſe oporteat. Siquidem gratia gratis datur, iniquum eſt, ut alieno fine diſpenſetur. Heſiodus optime conſuevit dicere: *In referenda gratia debemus imitari agros fertiles, qui multò plus afferunt, quàm acceperunt:* Id quod pariter M. Tullius uſurpat.

De claris Oratorib.

Pes unus in pluribus calceamentis teneri nequit.

Fæx adeo vulgi noſtri, etiam qui in eo adhuc ſpectabiliores ſunt, hoc uſu induxerunt: *Non poterſi tenere il piede in più ſcarpe; pedem in calceamentis pluribus teneri non poſſe.* Populares antiquorum ſic ajebant: *Non potes Thetidem ſimul & Galatheam amare.* Erat olim, prout Phyſici aſſeverant, Galatea flumen, fluctibus marinis contrarium. Hinc Manutius commentatur: *Non potes idem diverſa ſequi, velut literas, & pecuniam, voluptatem, & gloriam, mundum & Chriſtum.* Hoc ipſum vivaciſſime ex inemendabili ore Salvatoris noſtri expreſſum fuit: *Nemo poteſt duobus dominis ſervire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet. Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ.* Et in Proverbiis: *Vult & non vult piger.* Et Redemptor noſter ad Dilectum diſcipulum de quodam Epiſcopo ait: *Utinam aut frigidus, aut calidus eſſes: ſed quia tepidus es, incipiam te evomere.* Nec minus perſtringit illud, quod Elias Propheta ad Idololatras inquit: *Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus,* ſequimini eum. Quod vitium non minus deteſtabile eſt, quàm ſuperius illud.

Matth. 6.

Prov. 13.

Apocalypſ. 5.

3. Reg. 18.

Experientia in rebus agendis.

Indicaturi olim hominem in rebus agendis excultum, & expertum, hunc loquendi uſum induxerunt: *Anus ſubſultans multum excitat pulveris.* Id quod aptius quadrare videtur iis, qui diutino experimento rerum pluribus negotiis intricantur: Sicut è contra etiam, quibus nulla propemodum experientia eſt, cum temerè talibus ſe ingeſſerint, ingens pulverum copia ſe elevat, ingens difficultatum, & dubiorum ſe cumulus intelligentiæ objectat, qui facilè in confuſionem negotiantem involvat. Inde & illud alterum adinventum fuit: plus valere denarium unicum praxeos, quàm centum theoriæ: *Experientia eſt rerum magiſtra:* ſic omnes ſcholæ vociferantur. Et Julius Frontinus: *Non trepidat de eventu inventionis ſuæ, qui probatis eam experimentis comparavit.*

In Præfat.

Negotium intermiſſum.

Cum quis ultra negotio cuidam, jam ſemel cœpto nec inhærere, nec illud proſequi, nec poſſit, nec velit, utpote quod inutile ei, aut importunum, aut vitiatum, aut denique conſummatum fuerit, ſic olim dicere ſoliti ſunt: *Anus veluti equus profundam habebit foſſam.* Quemadmodum enim equi jam ſenio confecti, anus ſimiliter jam decrepitæ, illi quidem ſervitio inhabiles, vetula autem jam inviſa, vel in foſſam deturbantur, vel in profundum ſepulchrum jaciuntur, ut omnis recordatio ſimul extinguatur, ſic de omni negocio, de quo fœnus deinceps non ſperetur, multò conſultius memoria aboletur. Pari ratione fæmina, quæ in ætate juvenili amatores ſuos habuit, cum ſenicula defloruerit, vetus reminiſcentia ejus, ſicut & amores diſpereunt: prout Horatius de Lyco inquit. Severinus Boëtius ſic habet:

Metr. 1.

Venit properata malis inopina ſenectus,
Et dolor ætatem juſſit ineſſe ſuam.

Terminemus tractatum hunc cum ſenectute: reor enim me, ſi non literaliter, ſaltem figuratè ætatem hominis totam tranſcurriſſe: qui autem uberius in his emolumentum ſuum capere intenderit, legat inter alios Aldum Manutium, de quo hæc pauca ego quoque mutuatus ſum. Interim tranſgredior ad æquivoca.

ÆQUIVOCA.

Quid ſint æquivoca.

HÆc juxta Comitem Emmanuelem Theſaurum (ſcriptorem temporum noſtrorum ita elevatum, & luminoſum, ut cum doctiſſimo ſuo Tubo optico Ariſtotelico videatur velut alter Columbus, novas, & incognitas antehac diſcooperire terras, novosque mundos figurarum, & troporum patefacere) æquivoca inquam hæc ſunt, quæ eloquentiam maximè adornant, eamque quaſi cothurnatam, & chlamydatam apparere faciunt. Hæc, æquivoca ſunt, ingenioſiſſima commenta Intellectus humani, unde maxima pars acuminum ſalſatorum procedit, unde phraſes elegantiſſimæ, & conceptus Poëtici prodeunt, unde ars oratoria decoratur, & argutæ facetiæ formantur. Itaque ſicut hi conceptus aliud non ſunt, quàm enthymemata cum urbanitate quadam fallacia, ſic inter acceptabiles, ingenioſasque cavillationes ab Authore noſtro annumerantur Æquivoca: Idem Author pro confirmatione hujus, Ariſtotelem adducit, qui ait: *Alter locus eſt penes æquivocationem: ut ſi mus laudandus diceretur, quoniam myſteria inde dicantur.*

1. Rhet.

Hinc ſubſtantiæ Metaphyſicæ ſunt, quas Dialectici ſecundas intentiones, & anteprædicamenta nominant: ut ſunt genera, ſpecies, individua, & termini grammaticales, nomen, cognomen, verbum. Quorum quodque tantò magis delectabile eſt, quantò facetius, & argutius eſt: quæ etiam facile de decem Categoriis Ariſtotelis deducuntur. Huc pertinent etiam Anagrammata, quæ tantum in Academiis pretium obtinent, ſicut & in congreſſibus: quin ſupra virgulas, & puncta æquivocatio cum delectatione inducitur: ſicut in ſequenti verſu:

Porta patens eſto, nulli claudaris honeſto.

Virgulæ non ſuo loco collocatæ ſenſum pervertunt.

Ubi comma illud, ſi aliò transponatur, videlicet ante *claudaris*, negativam indecentem efformat. Invigilandum ergò cuique eſſet, ut loco debito & virgulas, & accentus collocet, quippe quod horum unicus, non ubi oportet conſiſtens, univerſam quandoque periodum mutilet, maximè in iis quæ prælo dantur: ubi hic error, in textum gliſcens, quandoque ſenſum integrum deturpat, denigrando compoſitionis authores, quos oportebat de atramentis ſuis lumen & claritatem attendere.

Æquivoca etiam in ſcenis locum obtinent.

Æquivoca interim tam in rebus veris, quam fabuloſis locum habent: atque hæc potiſſimum ſunt, quæ in ſcenis agnitiones, peripetias, & Cataſtrophes componunt: quæ oſtentui & miraculo ſimilia operantur.

His maturè conſideratis, cum apud doctiſſimum Aldrovandum plures hominis æquivocas voces invenerim, ut quod reale & verum eſt, diſtingui à fictione poſſit, & ut præterea diſcerni poſſit, qualiter æquivocatio hæc uſurpanda ſit, opportunum, & neceſſarium judicavi, inde aliquas huc collocare.

Nomen igitur *Homo*, ſine omni æquivocatione de compoſito & corpore humano deſumptum eſt, quod anima rationali intellectiva dotatum eſt, per quam & integritatem, & perfectionem ſuam conſequitur: per ſuperiorem autem nomenclaturam non ſolùm *homo* intelligitur qui jam adultus eſt, nec ſolum qui ſpiſſis adhuc ignorantiæ tenebris involvitur, ſed uterque, tam adultus, quam Infantulus. Præter hæc intelligendus, qui perfectum jam temperamentum ſuum, & compoſitionem tam internam, quàm externam conſecutus eſt. Sub hoc nomine item comprehenduntur ſapientes, qui ob multiplicitatem & omnigenam eruditionem & intelligentiam ſpeciatim ſibi *hominis* nomen vendicant, quos Latini potiſſimum *viros* nominant: de quibus rejiciuntur inerudìti, & qui ætatis infantilis ſunt. Et hic demum principium ſuum ducunt æquivoca ſuper *hominem*, dum hic veraciter qualitates omnes requiruntur, quæcunque ad ſtabiliendum verum *hominem*, in ſenſu perfecto neceſſariæ ſunt.

Sapientes verò homines dicti.

Per hominem apud Latinos promiſcuus ſenſus utriuſque ſexus comprehenditur, tam maris, quàm fœminæ. In ſacris bibliis, per eandem vocem *hominis*, prout alibi meminimus, concipitur multitudo, & turba hominum. In uno loco etiam per ſenſum allegoricum à S. Matthæo ſub intellectu Dæmonii uſurpatur: unde in parabola ejus, qui ſemini bono ſuperinjecta reperit zizania dicitur: *Venit inimicus homo & ſuperſeminavit zizania*; juxta mentem plurium Expoſitorum, hic ſathan intelligitur, qui in campo virtutum zizania vitiorum diſſeminat.

Cap. 5.

Botanici, vel Simpliciſtæ herbam quandam, aliter nominatam Balſaminam, nomine *hominis* appellant, hæc enim ſe erigendo, & calamo ſuo ſe in altum levando, cum eleganti proportione corporaturam hominis æmulatur. Pictores & ſculptores, cum formam humanæ ſimilem delinearunt, aut exſculpſerunt, ſine contradictione eam hominis nomine appellant. Marſilius Ficinus in locis quamplurimis, commentando Platonem, refert eum nomine hominis animam rationalem, poſitam in interiore, & per ſenſus exteriores apparentem intelligere, prout eruditiſſimè cum eo Theologi conveniunt.

Cum hac partitione, aut diviſione alii rurſum interiorem, exterioremque hominem aſſumunt, & intelligunt.

Dialectici Hominem pro ſpecie ſpecialiſſima & principali ſumunt, propoſitionem indefinitam jactando, cujus minor extremitas vox ſit: Et ſic Homo ad propoſitionem univerſalem reducitur: & in tali ſenſu accipiendum, quod Apoſtolus ad Corinthios inquit: *Probet autem ſeipſum homo:* Quamvis hæc vox *hominis* individua quandoque perſonam denotet particularem: Sic dictum illud Geneſeos intelligendum: *Homo non erat, qui operaretur terram.*

Porrò variæ voces huic voci hominis adjunctæ, variam quoque ſignificationem inducunt. Unde quotieſcunque in ſacris literis exprimitur: *Homo Dei*, id Oleaſter de Prophetis intelligendum aſſerit: ubi verò legitur: *Homo corporeus*, S. Auguſtinus docet, illic hominem mundanum, & carnalem accipiendum.

3. Reg. c. 13.

8. De Civ. Dei.

Marſilius Ficinus per hominem ignitum, cujus ſæpenumero in ſacris literis fit mentio, authumat dæmonium intelligendum. Cum item de homine grandi dicitur, id Scaliger ad mundum univerſum applicat, è contrario mundus paruus de homine accipiendus.

Chymica quæ Spagytica dicitur, & quæ humano uſui tam proficua adinvenit, & adhuc quotidie invenit, alembicum ſuum, vel urinale diſtillatorium, cum omni complemento, *hominem pileatum* appellat.

Ars metallica ſublimius levatur, & operationes ſuas *matrimonio* æquiparat, quod inter virum & mulierem contrahitur, ſicut & magnificis nominibus *Regis & Reginæ* condecorat. Hinc Philoſophi cuncti in Turba: *Veneramini regem, & ejus uxorem, quia neſcitis quando indigetis his, quæ Regem, & ſuam uxorem emendant.* Sic nomine maſculi & fæminæ nominantur, ob reciprocam & actionem & paſſionem. Hinc Roſinus: *Artis auri arcanum ex mare & fæmina conſiſtit.* Appellantur item Pater, mater, & filius, ob generationes reciprocas. Hinc Hermes: *Pater ejus Sol eſt, mater Luna.* Et Roſarium Philoſophicum: *Ipſa ut pia mater nutrit filium ſuum*; Quandoque ſolius fæminæ mentio fit, ſubtracto nomine maſculi. Hinc Theophilus in Turba: *Mulier fugiens generos.* Ubi per *mulierem* humiditas petræ intelligitur, quæ ſæpè inconſtans, & inſtabilis de igne fugit. Multoties *Homo* tantum appellatur, & Homo compoſitus de corpore, ſpiritu, & anima: hinc inter alios Raſis: *Lapis noſter primò ſenex, ultimò juvenis, quia albedo eſt initio, rubedo in fine.* Turba ſolet *accipere arborem, & imponere ei magnæ ætatis hominem.*

Aliis item denominationibus humanis hæ mutationes appellantur: cum titulis, inquam, & vocibus *fratrum, ſororum, patrui, Avi, Soceri, Generi, ſervi rubicundi, virginis, pueruli, Hominis eleganti veſtimento induti, Regis qui aurato Diademate coronatus eſt.* Atque ita tot metaphoris, ænygmatibus, peregrinis vocibus, & ſignificatis è longinquo deſumptis artem ſuam occultarunt:

ita ut penè factu impoſſibile ſit, etiam maximè peritis, ad perfectam eorum cognitionem penetrare; propter quod & univerſam artis molem quidam argumento nullitatis adſcribunt: cùm omninò inconteſtatum ſit, raros ætate noſtra Jaſones eſſe, quibus contigit hoc Vellus aureum abripere: aut raros Oedipos, quibus datum ſit diſſolvere, non unicum ſolum, ſed tam copioſa ænygmata, quæ de ſphynge hac metallica proponuntur, & in medium allata ſunt.

Apud Latinos quicunque robore eximio dotatus eſt, *Viri* denominationem aſſumit: Inter milites, quicunque pectoris intrepidi, & ſtrenuæ virtutis eſt, nomen item *Viri* ſibi vendicat: ſic de omnibus dicendum, quotquot vel in literis, vel in manu artifici, vel in conficiendis negotiis eximiam operam navant; quotquot in ſcientia quadam, vel profeſſione qualicunque excellunt, & illuſtrantur.

Cum igitur hæc æquivoca jam abunde tractata ſint (nec enim in his materia tam fertilis eſt, ut fuſiorem dilatationem velit, quippe quod ipſa æquivocata nomina ſuccincta, & brevia admodum ſint) de his tranſeundum ad

SYNONYMA.

ANtiqui ſtabilierunt, & confirmarunt, hanc vocem *hominis* ſine aſpiratione, interjectione, aut dimidiata voce exprimendam, & proferendam eſſe. Hinc eſt quod S. Auguſtinus inquit: *Lib. 1. Confeſſ. c. 18.* *Mirandum eſt profectò, quomodo filii hominum pacta literarum, ac ſyllabarum accepta à majoribus diligenter obſervent, deinde pacta æterna ſalutis perpetuæ negligant.* S. Iſidorus hanc vocem hominis ab *humo* derivari docet, certum enim eſt eum ab humo primitivam formationem, & compoſitionem ſuam traxiſſe. Subſcribit opinioni huic Varro, dum ait: *Per hominem humor terræ caliginoſæ ſignatur, quæ mollis, & tractabilis eſt, ideoque rotam figuli ſequitur, ut homines nominis etymo ad nutum, & imperium ſummi Dei circumducendos ſe eſſe intelligant.*

Goropius eruditè opinatur, hominem in primitiva ſignificatione, & lingua ſua *Hoomet* appellatum fuiſſe, quæ vox altiſſimam mentem, & animam in homine ſublimiſſimam denotat. A Latinis item *vir* à *vi* dicitur, quippe quod fœminam robore plurimum antecedat: Vel *vir* à *virtute*: in qua ſibi omni ſtudio, tam in anima, quàm in corpore proficiendum eſſe perſuadere debet.

Apud Hebræos plura item nomina ſortitur: inprimis vocabulum *Adam* eſt, quod terram ſignificat: Item *Gheber*, hoc eſt fortis, robuſtus: item *Methim: mortales.* Alio nomine *Enos*, hoc eſt fragilis, obliviosus, denique *Iſch*, hoc eſt *vir* nominatur. In hoc poſteriori vocabulo (juxta annotationem Borgonii) cum virum ſignificat litera Jod adjuncta eſt, quæ potiſſimum altiſſimo Deo ſacra eſt; itaque non niſi maribus datur; hæc eadem litera Jod deeſt in hebraico, cum *Iſcha* mulieri datur; cui res ſacræ, earumque uſus & miniſterium interdictum eſt: Sæpius memoratum nomen Iſch cum virum ſignificat, idem eſt quod virtute & robore præſtans.

Idem Goropius ſubinfert, virum in teutonica lingua Menſch appellari, quod idem eſt, ac *liber*, alludendo ad arbitrii libertatem. *Menſich* enim, juxta hunc authorem, idem eſt ac *ſeipſum ducens.* Appellatur paruus mundus, vel Microcoſmus, ſicut alibi jam diffuſius retulimus: ſic eum ætate ſua divinus Ariſtoteles, ſic vir peritiſſimus Averroës appellavit.

Poterit præterea, juxta doctiſſimum Aldrovandum, mens dici (quæ in cerebro conſiſtit) propter cœlum Empireum, ubi divina majeſtas reſidet.

Ex ea ſui parte, qua cogitativus, & imaginativus eſt, ſphæris cæleſtibus, imò & intelligentiis comparatur; ob partem ſenſitivam divinorum miniſtrorum Ideam refert: huc ſpectant oſtia diverſa, per quas omnigenæ rerum ſpecies introducuntur, in quibus æmulationem quandam habet, cum ſeptem firmamenti Planetis. Itaque ſi Solem & Lunam cœli oculos nominamus, hæc bina ſidera in oculis figurantur. Os item, in quo faciei venuſtas conſiſtit, jucundum, & tranquillum Veneris ſidus, vel aſpectum ejus exprimit: Naſus ſceptrum Jovis, & Mercurii caduceum: porrò ob ſiccitatem ſuam aures Martem, & Saturnum repræſentant: Sicut nævi & maculæ, quæ in vultu, in hoc videlicet humano cœlo apparent, ea quæ in octava ſphæra continentur, hoc eſt cæteras ſtellas figurant. Denique inferiores hominis partes, per quas fæcum tranſitus eſt (ut cum venia loquamur) eas umbras, opacitates, & caligines figurant, ad quas animæ reprobæ, dæmonia, vel ſpiritus rebelles condemnantur, utpote creaturæ ingratæ, quæ non immeritò excrementis terræ, & corporis fæculentiis comparari poſſunt.

Stabilitis denominationibus hiſce, S. Auguſtinus in doctiſſimo libro ſuo *de harmonia*, cum ſententia Ariſtotelis, omniumque Philoſophorum concordat: hominem videlicet participare ſenſu cum animalibus, eum vegetari cum plantis, intelligere cum Angelis.

Hic idem, juxta Georgium Venetum, dum vel contemplando, vel ruminando divina myſteria, vel divinam mentem interpretando ſe exercet, *Angelicis* occupationibus vacat, eorumque officium adimplet: Cùm verò etiam ea rectitudine, qua ſibi permiſſum eſt, cæteris dominatur, quadantenus *Arch-Angelorum* miniſterium glorioſum exequitur: cùm eoſdem cæleſti quadam fortitudine arcet à malo, & ad bonum faciendum pellicit, *principatus* cæleſtes imitatur: cum eos, qui militanti Eccleſiæ rebelles ſunt, & orthodoxæ fidei noſtræ contrarii, procul à fidelium conſortio fugat, *Poteſtatum* ſupernarum ſpeciale adjumentum nanciſcitur: authoritatem conſequitur à *Dominationibus*: & ut propoſitum ſibi finem apprehendat, levamen habet à *thronis*, lumen ſingulare à *Cherubim*, denique amorem perfectum à *Seraphim.*

Non igitur abs ratione eſt quod à S. Joanne Homo, paruus mundus appellatus fuit, illic ubi ait: *Et Mundus eum non cognovit.* Ab Italis *huomo* vocatur, à Gallis *un homme*, ab Hiſpanis *Elvaron*, à Germanis ein Menſch.

Cum porrò indiviſibilis ſocia viri ſit mulier, poſtquam ſynonyma unius jam adducta ſunt, reliquum erit, ut eadem quoque de fæmina adducamus. Fæmina à Latinis etiam *mulier* dicitur, quaſi *mollier*, idque ob mollitiem, & teneritudinem, ſicut Varro author eſt: ſed priori nomine intelligendæ ſunt, quæ thalamum conjugalem jàm norunt virginitate amiſſa. Super hoc memoratur,

moratur, cum quidam Ciceronem reprehendiſſet eò, quod vir jam ſexagenarius puellam nomine Popiliam Virginem matrimonio ſibi junxiſſet, reſpondiſſe eum: *Cras mulier erit.* Ulpianus interim mulieris nomine appellat, cujuſcunque demum ſtatus, aut virginalis, aut conjugalis ſit.

Apud Hebræos mulier *Iſcha*, quaſi *virago* appellatur, quippe quam Protoplaſtes de primævi parentis coſta formavit: aut ideo quod homini in adjutorium data eſt, aut verò quod in ſocietate viri, eam rei quoque familiari intendere neceſſe fuit, atque ita animum eam gerere oportuit non mollem, aut demiſſum, ſed fortem, & virilem: aut verò denique, quod pro communi hominum progeneratione producta & plaſmata eſt.

Alio item nomine *Necchevah* hebraice dicitur, de radice *nacchab*, quod concavitatem denotat, eo quod proles in cavitate uteri contineatur, idque in abſcondito uſque ad præſtitutum ſibi tempus; quod nomen non ſolis mulieribus, ſed animantibus quoque ſexus fæminei attribuitur. Adhuc alia nomina mulier in eadam ſacra lingua ſortitur, ut *Naſchim* &c. quamvis hoc magis mulieri jam viro datæ conveniat.

Ab Italis Donna nominatur: De quo nomine *Guarini.* Poëta quidam ait, *chi diſſe donna, diſſe danno: Qui Donna dicit damnum dicit.* Et ut verum fateamur, Evæ exemplo hoc manifeſtum ſit, quæ optimè noverat, quantum poſteritati damnum intuleriſſet: Unde Latinus quidam inter Poëtas dixit:

Eſt mulier tanquam generalis Regula; quare?
In multis fallit regula: ſic mulier.

Et alius:

Amiſit coſtam cauſa mulieris Adamus,
Uxoris cauſa perdidit ipſe animam.

Quamvis in Carmine ſuo, quod Italico nomine *Zampognam* appellat, Marinus dicat:

Donna, chi diſſe donna, diſſe dono.

A Gallis mulier, *une femme*, ab Hiſpanis *Mugier*, à Germanis ein Weib / oder Frau nominatur: His terminatis tranſeundum ad differentias.

DIFFERENTIÆ.

RErum differentia tantopere neceſſaria eſt, ut eam lapidem Lydium non immeritò quis dixerit, quo rerum omnium diſtinctio, & vera cognitio oboritur. Nec Mercurius unquam, juxta Mythologos, laudabilius egit, quàm cùm Batti errores vindicando, eum nova metamorphoſi in figuram eam, quam merebatur, reduxit.

Inter maximè neceſſaria prædicamenta, à divino Ariſtotele adducta, differentia eſt, per quam quæque res in eſſentia ſua propria conſtituitur, & cognoſcitur: per hanc enim una ab altera ſeparatur, uniuſque & alterius identitas pateſit. Sine hac Mundus in primitivum chaos delaberetur, juxta illud Poëtæ:

Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis.

His ſtabilitis neceſſarium erit videre, qua ratione ſicut plantæ inter plantam, ſic hominis ab homine differentia ſit. Ubi inter prima ſe mihi offert ſapientis hominis, ab inſipiente, indocto, & ignorante: hic agreſtis eſt, ruvidus, ſcaber, ſemper utile præponens honeſtati: alter verò (quamvis animum nec dum diſciplinis excultum habeat) logica nihilominus naturali dotatus eſt, quæ nulli non rei & dignitatem, & decorum præferat. Horum poſterior ſemper ſibi ob oculos laudem, honorem, gloriam, fidem, & omne virtutum genus collocat: alter, utpote brutis animantibus coæquandus, non niſi ad emolumenta ſua, & voluptates, & vitiorum fruitionem inhiat.

Si quis matura mente, & ſedulo varietatem morum conſiderare ſtuduerit, non difficulter in homine qualitates univerſas cæterorum animantium ad vivum epilogatas, & expreſſas deprehendet. Quidam eorum more tygridum crudeles ſunt, quidam ut lupi rapaces: quidam in ſerpentum ſimilitudinem veneno ſqualent: quidam fortitudinem leonum imitantur: quidam leporum pavorem, quidam vulpium vafritiem. Illic invenitur canum invidia, inhoneſta delectatio porcorum, toxicum lethale viperarum, ſtoliditas jumentorum, lentitudo boum, placiditas agnorum. Et ſic per plura capita evagari licebit, ſicut in priori volumine per partium enumerationem patuit; quo etiam Joannis Baptiſtæ Portæ volumen repletum eſt.

Quidam aſſerunt hæc ſæpenumero aut de climatis qualitate provenire, aut de Horoſcopo nativitatis: in quo, qui humana ſigna in Geneſi ſua nacti ſunt, naturæ clementis, & benignæ ſunt, faciles ad ignoſcendum; quibus hæc ſigna deſunt, barbari evadunt, truces, immites, ſeveri, intractabiles. Ut ad Climata revertamur, Indi feruntur manſueti: Parthi ex adverſo, ſicut & Scythiæ incolæ feroces, & inhumani, præcipue Tartarorum gens.

Qui porrò Interlunii tempore naſcuntur, ut plurimum vitæ brevis eſſe, aut ſi ſupervixerint infirmæ complexionis dicuntur, idque ſecundum authoritatem Peripatetici. Qui durante terræ motu gignuntur, ſemper in metu & pavore futuri ſunt.

Viri, juxta Ovidium intellectus acutioris, magiſque vegeti ſunt, qui ſic ait: *Epiſt. 18.*

Urimur igne pari, ſed ſum tibi viribus impar:
Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.

Ingenia proinde virorum etiam inter ſeſe omnimodo diſcrepantia ſunt: prout quotidiana exempla indigitant: Unde Horatius: *Lib. 2. Epiſt.*

. . . Non omnes eadem mirantur, amantque.
Carmine tu gaudes, hic delectatur Jambis
Ille Bioneis ſermonibus, hic ſale nigro.

Eorum quidam diſciplinas, & vitam ſolitariam amplexantur. Redeant hic in memoriam affectus hominum, & paſſiones, occurrant Oeconomiæ, vita politica, artes liberales, & mechanicæ, ſtudia, profeſſiones, exercitia, & alia hujuſcemodi plura, in quot differentias hominum vitam conſcindunt? Hinc Perſius canit: *Sat. 3.*

. . . mille hominum ſpecies, & diſcolor uſus.
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Et idem author alibi adhuc vivacius: *Lib. 3. Eleg.*

Hic ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus utilis armis,
Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Majori admiratione dignum eſt, videre in eodem puncto, eundem hominem ſibiipſi non conſtantem, varie & affectibus, & voluntate diſpari, & paſſionibus diſcerptum; unde non raro in momento temporis opinionem variat, per modum Ixionis, qui perpetuis circumvolutionibus

tionibus rotæ torquetur, nec unquam firmitudinem, aut quietem habet. Hæc differentia inter plures alias penè præcipua eſt. Unde Severinus Boetius ait: *Rotam volubili orbe verſamus, & ſumma infimis, & infima ſummis mutare gaudemus:* & Ovidius: *Prof. 3.* *Lib. 2. Amor.*

Quod licet, ingratum eſt: quod non licet acrius urit:
Quod ſequitur fugio, quod fugit ipſe ſequor.

Hunc ſenſum Catullus explicuit, dum ait:

Odi, & amo: quare id faciam fortaſſe requiris?
Neſcio, ſed fieri ſentio, & excrucior.

Idem dici poterit de eſculentis, inter quæ quod hodie placuit, cras diſplicebit, & propediem rurſum arridebit. De his nihilominus proprietatibus individualibus, differentiæ ſpecificæ ſtatui nequeunt: hæ enim non niſi formæ ſubſtantiali aſſignantur.

De monſtris. Nec verò hic diffuſius ego de cunctis hominum differentiis ſcripturus ſum, videlicet de diſpoſitione eorum, de figuris diverſis, ſive in naribus, ſive in formatione oris, oculorum, aurium, labrorum, in ſitu capitis, & pedum, in pelle, pilis, aut quavis alia parte: in his enim te, benevole Lector, ad erudiriſſimum, & facundiſſimum Aldrovandum ablego: hic tibi homines ſylveſtres, Satyros, Centauros & horum ſimilia ob oculos ponet: quamvis hoc eodem Authore duce nonnihil etiam de Gigantibus, & Pygmæis paulò poſt dicturus ſim.

Plinium non tam vanum Authorem eſſe, ut vulgo creditus. Interim non tam hyperbolicæ, tam ampulloſæ, & vanæ ſunt (inquit præfatus Author) Plinii paginæ, illic ubi inter alia, etiam in materia formarum, & diverſarum ſtaturarum, quæ inter homines occurrunt, ea quæ omnem poſſibilitatem videntur excedere, commemorat. Nec enim multimoda experientia deeſt, quæ de terris Orientalibus, antehac incognitas nobis hominum formas, & vix credibiles retulit, de quibus hic nonnulla, inſequendo veſtigia tanti Authoris, ob oculos poſiturus ſum.

Non deſunt calami, qui referunt circa fontem Gangis fluminis inveniri hominum genus, & loci incolas, Aſtomos (hoc eſt ſine ore, & conductibus excrementiciis) appellatos, univerſo corpore hirtos, & piloſos, qui ſolo odore naribus attracto vivant, & reſpirent. Horum mentionem Plinius habet, qui item de certa quadam gente meminit, quæ lingua deſtituta ſit, cujus loco & geſtu, & nutibus loquatur.

Præter hunc Joannes Mandavilla Inſulam quandam, nominatam Defracan, deſcribit, quam certum quoddam pygmæorum genus incolat, qui ſolo pomorum ſylveſtrium odore paſcantur: unde cum iter aggreſſuri ſint, & domo diſceſſuri, non niſi herbas odoriferas pro victu ſumere, quibus ſolis vitam ſuam conſervent.

Cap. 23. Adjungit Solinus ſortem quandam Æthiopum eſſe, qui in locum oris non niſi minutum, ſimplexque foramen habeant, per quod admota canna liquorem fugant, unde alantur, vitamque degant. Strabo hoc genus hominum exſibilabat, interim ejus meminit S. Auguſtinus: idque etiam apertiſſimis verbis S. Iſidorus confirmat. *Lib. 15. 16. De Civ. Dei cap. 8.*

Ad radices altiſſimorum montium in Scythia habitatores inveniuntur, quibus non ſolum calvities naturalis eſt, ſed mentum quoque ampliſſimum, naribus uſque adeo ſimis, & demiſſis, ut iiſdem privati videantur: de quibus fusè admodum Lycoſthenes tractat. *Lib. 6. c. 3.*

Rurſum alios adducit Plinius, labiis penè totis deſtitutos, qui intimas Orientis partes incolunt. Lycoſthenes item dum Nigritas depingit, eos homines inquit ſtaturæ admodum proceræ, ſed quibus labrum inferius propemodum ad pectus uſque propendeat: pars enim interior, ob calorem climatis difficulter invenitur, imò verò facillimè computreſceret, ſi non ſale ab iis emendaretur. Hæc veritas à S. Iſidoro confirmatur, & à Cadamoſto, qui ait: *Hi populi ſunt nigerrimi, proceræ ſtaturæ, habentes labrum inferius ad pectus uſque promiſſum, cujus interna pars rubore ita ſaturato eſt referta, ut aliqua exulceratione vexari videatur: ideoque eorum dentes majores noſtris conſpiciuntur: imò duos habent reliquis eminentiores.*

Ut de labris ad aures digrediamur, Veſalius Anatomicus inſignis refert, noviſſe ſe Patavii binos homines, qui aures ſuas, per modum digitorum commoverint. Pomponius Mela, & Strabo de quibuſdam gentibus memorant, quas Phaneſias nominat, aut Satmollas, auribus uſque adeo prolixis, ut eas more veſtium in terras uſque demittant. Sicut Pigafetta Author eſt, inhabitatores Inſulæ quæ Gilo dicitur, & inter Moluccas ſituata eſt, aures ad humeros uſque demittere; è vicinia alios eaſdem uſque adeo longas gerere, ut iis corpus totum cooperiant.

Pater Euſebius Societatis JESU in navigatione Hollandorum, & Anglorum refert, populum eſſe Turanuccos appellatum, quibus aures tam longæ ſint, ut terram contingant: idem ait de iis qui Caliſurniam inhabitant.

Sed video me ad partes hominis monſtruoſas devolutum, quæ quamvis in apparentes, & individuales differentias inter ſe hominum conſtituant, nihilominus cum propoſitum ſit mihi, in fine voluminis hujus de hoc tractatum brevem adjungere, hic ea tranſeundo, nonnihil de natura Gigantum, & deinceps ex adverſo de Pygmæorum relaturus ſum.

GIGANTES.

De his inprimis Poëtarum quidam ait:

Monſtra, Gigas Nanuſque duo contraria formis;
Vir gigas immanis; Nanus inanis homo.

Plures antiquorum rati ſunt, neminem mortalium altitudinem ſeptenorum pedum excedere poſſe: unde Herculem ad hujuſmodi magnitudinem evaſiſſe aſſerunt: hoc non obſtante, quidam ajunt inventos, qui ad novem pedes, totidemque uncias excreverint, inter quos fuiſſe, qui Gabarus appellatus fuerit. Confirmat hoc ipſum Solinus, qui refert Æthiopes Syrbotos ad altitudinem duodecim uſque pedum excreſcere: alibi memorat, quoſdam Indos eſſe, qui cum facilitate, & celeritate elephantos conſcendant.

Oneſicritus author eſt in quibuſdam Indiæ locis, ubi umbræ non ſunt, ſtaturas hominum quinque cubitales, & duplicati palmi eſſe. Item Olaus Magnus in ſeptentrionalibus plagis hujuſcemodi homines reperiri inquit, præcipuè in Helſingenſi Regno, ſubdito coronæ Suecorum: ubi inventus ſit, qui novem cubitos proceritate attigerit, ſociatus duodecim aliis ſtrenuiſſimis Commilitonibus ſuis, & fortiſſimis Athletis. *Lib. 5. c. 2.*

Imò

Imò verò recenti adhuc memoria narratur in provinciis Suecorum, & Gothorum viſos fuiſſe, qui per plura ſtadia bovem aut equum humeris ſuis portarint: hic etiam equitem armatum, una cum equo ſuo, cum in medio curſu eſſet, in terram cadere faciebat. Sic Virgilus, qui in recenſendo valore Turni Poëtica licentia hyperbolico genere uti videtur, non ſine ratione, imò & veraciter ajebat:

Saxum antiquum ingens campo, quod forte jacebat
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis,
(Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus)
Ille manu raptum valida torquebat in hoſtem.

Ubi ex magnitudine ſaxi facile dejacientis fortitudine, & ponderoſo corpore dijudicari poterit. Ejuſdem altitudinis, & proceræ ſtaturæ Imperator Mauritius erat: Unde Plinius refert, quod annulus, quem in minori digito portabat, Reginæ & Conjugi ſuæ pro armilla manus ſat ampla ſervierit.

Rurſum fidem non excedit, quod quidam recenſent, in comitiis Imperialibus quondam Auguſtæ habitis, Maximiliano Imperatori hujuſmodi fortem, & vigoroſum gigantem exhibitum fuiſſe, qui pro nutrimento ſuo (citra ſatietatem) paucis buccellis mediantibus, capram integram deglutierit.

Pigafetta jam ante memoratus, utpote Author illibatæ integritatis, recenſet, ſe apud Cannibales Armeniæ populum vidiſſe gigantem portentoſæ celſitudinis. Hollandi item ſulcando Magellanicum mare, atteſtantur, inveniſſe ſe hominem novem cubitorum longitudine. Sic Americus Veſpucius, qui & ipſe regiones antehac incognitas peragravit & plagas prius ignotas detexit, affirmat ſe in Inſula quæ idcircò gigantum dicitur, ejuſmodi proceræ ſtaturæ homines inveniſſe.

Magis autem recens eſt, quod P. Melchior Nugnez S. J. in literis quibuſdam (in quibus Regem Chinenſem comprehendit) affirmat in Civitate regia, provinciæ ejus, quæ Pequin nominatur, cuſtodes inſolitæ magnitudinis eſſe, hoc eſt, quindecim pedum. Hi autem ſatellites Regii ſunt, quos Princeps ille magnis impenſis, & ſtipendiis alit.

Ejuſdem formæ Gigantes Americani ſunt, quos Patagones appellant, qui faciem ſuam diverſicoloribus plantarum, & herbarum ſuccis depingunt. Sic eos deſcribit Cornelius Judæus, de quibus ita inquit: *Patagones populi Gigantæa ſtaturæ undecim palmos alti fuerunt, inventi à Ferdinando Magaliano Luſitano; hi in animantibus mulis ſimilibus in varia loca equitant, & ex horum pellibus quaſdam veſtes inconcinnas parant, & arcubus delectantur. Denique horum Juniores coloribus primum crines, deinde totum corpus afficiunt, ut coram aliis eleganti forma conſpicui evadant.* *Tract. 4. Coſmogr.*

De monſtris. Aldrovandus portentum adducit, quod, niſi ab Authore inclyto originem traheret, inter fabulas cenſendum arbitrarer: ait autem his verbis: *Neque recenſebimus mulieres Selenitides, quæ, contra naturam aliarum ova pariunt, unde naſcentes homines ad Giganteam creſcunt ſtaturam, teſte Lycoſthene Raviſius Textor adſtruit.*

Cap. 6. Celebris, & authentica memoria gigantum in ſacris literis eſt: ita in Geneſi legitur: *Gigantes erant ſuper terram in illis diebus:* Et in Numeris: *Vidimus monſtra quædam filiorum Enac, de genere gigantæo, quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* *Cap. 13.*

Clariſſima memoria eſt Gigantis Goliathi, qui monſtruoſæ magnitudinis erat, quem in funda ſua Paſtor David dejecit. Sicut de Civitate Rabba quæ Ammonitarum erat, & de Philadelphia, regia & Metropoli regionis illius, de gigantibus loci incolis à filiis Loth occiſis memoratur. Erat urbs illa, non minus ac aliæ habitatoribus ſuis abundans, ſicut & omni genere victualium fœcunda: quæ deinceps à Gigante eximio expugnata fuit, quem melius non expreſſerim, quàm iis verbis, quibus eum ſacræ literæ *Og Regem Baſan* appellant. Lectum ejus ferreum pro miraculo tum temporis monſtrabant, novem cubitorum longitudine, altum quatuor. Hæc Civitas deinceps à Davide deſtructa, & populus, utpote rebellis Deo, ab eodem exterminatus fuit. Denique à Ptolomæo Ægypti Rege omnis regio iſthæc ſub ditionem redacta fuit, nomine Philadelphiæ inſignita, quod in noſtra uſque ſæcula conſervat. Habuit autem, donec ſedem ſuam Archi-Epiſcopalem in decore ſuo conſervavit, mytras Epiſcopales duodecim, quæ ſub Juris dictione illius & obedientia tenebantur.

Hæc quæ memoravimus majorem ſibi fidem conciliant ex oſſibus immenſæ molis, quæ ex iis monumentis, vel ſepulchris, ubi hæc portenta hominum tumulata ſunt, deinceps prodierunt. Sigibertus memorat in litore Uticenſi, vicino Africæ, Gigantis dentem tam inſolitæ magnitudinis inventum, ut quamvis in plures partes ſejunctus fuerit, earum major menſuram centum dentium, prout noſtri ſunt, adæquaverit.

Petrus Simon ſcripto reliquit in expeditione quam adortus eſt Alvares in terris noviter diſcopertis, cum à Patribus Societatis villa quædam ædificaretur, in effoſſione luti molarem dentem apparuiſſe, qui magnitudine manum hominis æquarit, ita ut noſtris dentibus comparatus, eorum tercentum, aut quadringentos formare potuerit.

Præter dentes traditio Fulgoſi eſt Carolum ſeptimum Regem Galliæ, in partibus montuoſis Narbonenſis provinciæ, prope Valentiam, obſervaſſe cadaver quoddam, cujus dimenſio triginta pedes occupaverit. Imo verò recenſet Textor Cadaver Orionis inventum fuiſſe in Inſula Creta quadraginta ſex cubitorum. Porrò & Corpus Pallantis, anno ſalutis milleſimo triceſſimo nono, juxta quod refert Vincentius Bellovacenſis, Romæ inventum fuit, cujus ſublimitas Civitatis muros æquaverit. *In offic. Tom. 2.* *Spec. Hiſt. cap. 34.*

Idem Author de S. Maglorio atteſtatur, qui magnæ Britanniæ quondam Epiſcopus fuit, quod ut fidem Chriſti propagaret, ſe in plagas illas tranſtulerit, atque illic gigantæum corpus invenerit, quod pro converſione plurium hæreticorum ad orthodoxam fidem, in vitam revocarit, à quo deinde variarum rerum inſtructionem acceperit, numeroſo etiam annorum ſpacio eum qui reſuſcitatus fuerat vitam ſuam prolongaſſe, poſtquam nihilominus luſtrali aqua ſacri baptiſmatis tinctus fuiſſet. *Gigas reſuſcitatur.*

Multi recenſent, ſub Paulo Tertio Pontifice Maximo inventa fuiſſe oſſa magnitudinis inſolitæ. Adhuc hodiedum in nobiliſſima Civitate Veneta Templum eſt, quod antehac ad Patres

 Cruci-

Cruciferos ſpectabat, in quo os de glorioſiſſimo S. Chriſtophori latere conſervatur, tam monſtruoſæ proceritatis, ut penè omnem fidem exuperent, quæcunque de hoc memorant.

Ut de vicinioribus loquamur: In Eccleſia S. Laurentii (Portæ Stieræ) in auguſtiſſima patria mea Bononienſi, certò conſtat, procerum gigantem tumulatum eſſe: qui quondam invictiſſimo Imperatori Carolo V. à ſervitiis fuerat: cujus Epitaphium id quod diximus confirmat.

Quidquid hactenus de ſtatura marium diximus, idem de mulieribus dicendum. Author enim, qui *libros de natura* ſcripſit, enarrat, in plagis Occidentalibus inventam fuiſſe fæminam altiſſimæ ſtaturæ: Conſimilis alia in hac patria mea, paucis annis ab eo tempore, quo hæc ſcribo, inventa fuit, quæ huc appulit, & ſe ſpectandam dedit. Sic item Juſtini Thracis ætate, mulier quædam de Celiera dicitur fuiſſe adducta, immenſæ molis, quæ qualemcunque hominem etiam longiſſimum cubito integro exuperabat. Denique S. Auguſtinus mulieris cujuſdam Gygantææ meminit, quam Roma, antequam à Gothis devaſtata eſſet, cum ſumma admiratione vidit. Hucuſque Aldrovandus. Sed de aliis quoque nonnihil producendum.

Lib. 15. d. Civit. Dei.

Commentum Mythologorum eſt Gigantes Terræ filios fuiſſe, cæleſti ſanguine generatos. Fuerunt autem ante Diluvium, ſicut de Scripturis præmemoratis verificari poteſt. Finxerunt Poëtæ hos prodigioſos homines cum Diis belligeraſſe, & Schalas ſuperimpoſitis ſibi invicem montibus ſtruxiſſe, ut cœlum contingerent, quorum ingenioſas mythologias doctis, curioſisque diſcutiendas relinquo.

Nonminus his conſideratione dignus eſt eruditiſſimus Comitis Theſauri diſcurſus in Gygantomachia ſua, quæ connectitur volumini Panegyrico, qui libri ſine conteſtatione digniſſimi ſunt, ut virorum doctorum manibus terantur. Cur autem Terræ filii nominati fuerint, accuratæ Expoſitiones Sanctorum Ambroſii, & Auguſtini perluſtrentur.

Cap. 4. De Noe & Arca. Lib. 15. De Civ. D. c. 23.

Denominantur gigantes ab Hebræis *Naphal, Nephalim*, quod in Idiomate ſuo idem eſt ac: *cadentes, irruentes*: Sed hic cum ſagaci Ironia actio pro paſſione ſumitur, potius enim alios cadere faciebant. Primus inter Rabbinos Salomon delirando authumat, eos *cadentes* dictos, quod de genere duorum Angelorum ſint, Aza, & Azaële, qui de cælo lapſi ſint, quam opinionem S. Ambroſius, & Philo condemnant.

Burgenſis arbitratur, Gigantes primos ſub ſpecie humana, dæmonia fuiſſe. Pejus ſentit Valeſius, eos prolem fuiſſe generatam à dæmonibus, quos Incubos vocant; quæ opinio, utpote fabuloſa, meritò à S. Auguſtino rejicitur. Certum interim eſt fuiſſe olim, & nunc eſſe gigantes, etiam poſt adventum Redemptoris, qui altitudine, & mole corporis reliquum genus hominum exuperarint.

In addit. ad Poſtillam Lyrani.

15. De Civit. Dei. c. 13.

Dixerunt Poëta, eos pedes ſerpentinos habuiſſe, femora ſquammoſa, contorta, & mollia more colubrorum: idque, ſicut alibi memoratum eſt, ob vitioſam eorum naturam: ſic de terra editos, in pœnam, & caſtigationem temeritatis, qua Jovi bellum moverunt, & eum deturbare cœlo nec quicquam moliti ſunt. Hinc Ovidius:

1. Metam.

Tum Pater omnipotens miſſo perfregit Olympum
Fulmine, & excuſſit ſubjectum Pelion Oſſæ.

Occaſionem huic fabulæ, authoritate plenam, dedit Textus ſacræ Geneſeos, quæ ſic habet: *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi Uxores.* *Cap. 6.*
Homerus in Odyſſea eos putat filios Neptuni & Iphimediæ: atque hos ipſos eſſe, qui facta ſibi Schala de Oſſa, & Pelio montibus, Jovi bellum exuſcitarint. Ovidius diffuſe facinus illud deſcribendo, initium ſuum ſic format:

Terra feros partus, immania monſtra, gigantes
Edidit, auſuros in Jovis ire domum.

Æſtimarunt antiqui, eos in cavernoſis, & ſubterraneis, paludoſis, & ſulphureis Phlegræ deſertis latibula ſua habuiſſe. De Typhœo confingunt, eum tanti roboris fuiſſe, ut ſolus univerſam Siciliam movere potuerit: hyperbole omnem fidem excedens. Plus veritatis in narratione illa eſt, qua dicuntur fratricidæ Cain filii, ſicut & Patriarchæ Seth fuiſſe gigantes, & ſic tam filios Dei, quàm filios hominum nominatos.

Primus poſt diluvium Gigas Nemrod erat, de quo Septuaginta Interpretes ſic aiunt: *Ipſe erat Gigas, tum mole corporis, tum robore: tum crudelitate.* Sic in Pentateucho Enac de ſtirpe dicitur gigantum; atteſtante itidem Beroſo, Civitas Enacim & ipſa Enos appellata fuit, in qua tanquam in Metropoli ſua univerſo penè mundo dominabantur: confiſi, etiam in terribili fortitudine, extorſiones barbaricas ubivis gentium exercebant, opprimendo ſubditos ſuos.

Exploratores, quos in terram promiſſionis Moyſes ablegarat, vidiſſe ſe ajebant monſtra gigantæa, nominata ab Hebræis Nephalim. In Prophetia Amos ſic legitur: *Tradidi Amorrheum, cujus altitudo erat, tanquam cedri, & robur ut quercus.* Beroſus Noë Patriarcham in numero gigantum cenſet. In exercitu Philiſthæorum inventus fuit Saph Gigas, qui in prælio contra Davidem occiſus fuit. Sic Jesbibenob gigas Davidem è vita ſuſtuliſſet, niſi Abiſai filius Sarviæ in auxilium accurriſſet. In eodem exercitu ultra primum Goliath, alius quoque inventus fuit ejuſdem nominis, quem idem David peremiſſe legitur: hic autem gigas præter proceram ſublimemque ſtaturam ſex digitis manuum, pedumque dotatus fuit.

Cap. 2.
Lib. 5. Antiq.
2. Reg. 21.

Poëtæ aſſerunt Atlantem omnium gigantum maximum fuiſſe, unde eum humeros ſuppoſuiſſe cœlo: idque ut alluderent ad viri hujus eximiam Aſtrologiæ ſcientiam, quippe qui ingenii ſui ſubtilitate illuc pertigit, quo cæterorum Aſtronomorum nemo poterat: vel quod montium quidam fuit, hoc inſignitus nomine, qui culmine ſuo ipſas ſphæras cœli tangere videtur. Hinc de animato Atlante Virgilius:

- - - - - - ubi Cælifer Atlas
Axem humeris torquet ſtellis ardentibus aptum.

In eadem proceritatis æſtimatione habiti ſunt olim, Briareus, Enceladus, Porphyrion, Adamaſtus, Oromedon, Gages, Titius, & alii ex Poëtarum fabulis inclyti. Inter hos quoque Typhæus eſt, vel Typhon, cujus longiorem deſcriptionem hic prætermitto, quippe jam alibi factam, cum veraci mythologia: hic enim ad alia magis vera, & ſubſtantioſa vocor.

Hera-

Heraclides Ponticus Author eſt Herculem altitudinis quatuor cubitorum fuiſſe, & pedis unius. De Antheo Plutarchus & Strabo commemorant, quod ſepulchrum ejus à Quinto Sertorio in Affrica apertum fuerit (poſtquam Civitatem unam è Barbaricis debellaſſet) atque illic Coloſſum illum ingentis magnitudinis detexiſſe, qui ad cubitos uſque ſexaginta pertigerit: itaque eum, pro loci veneratione, refeciſſe monumentum, victimas, & ſacrificia litaſſe.

In Sertorio, Lib. 17. & Gabinto.

Antiqui fabulati ſunt, poſt Anthei mortem uxorem ejus Tingem nupſiſſe Herculi, de qua deinceps Siphax Rex, & ipſe Gigas, magnæque potentiæ prognatus ſit. Atteſtatur Plinius, imperante Oraculo detectum fuiſſe cadaver Oreſtis, quod ſeptem cubitorum inventum ſit. Sic in Inſula Salamina, inundatione quadam factum, ut vis fluminum Ajacis oſſa procera alluendo diſcooperuerit, qui quondam in Exercitu Trojanorum inter Heroës numeratus fuit.

Lib. 7. c. 16.

Polyphemus Gigas ex Cyclopibus dicitur Neptuni filius fuiſſe. De Polydamante filio Niciæ Pauſanias & Suidas inquiunt: *Omnium hominum, Heroibus exceptis ſuæ ætatis, ſtaturâ maximus fuit: & præter Olympicas victorias de Pancratio peculiari fortitudinis gloria illuſtris.*

Paus. in Atticis.

Apud Theocritum habetur, quod fæmina quædam, nomine Praxinox Syracuſana, de Marito ſuo loquens (ut inſolitam magnitudinem ejus exprimeret) eum ſic appellarit: *Vir tredecim cubitorum.* Philoſtratus memorat, quædam corpora aut verò mortuorum oſſa inventa fuiſſe, tam monſtruoſæ longitudinis & latitudinis, ut hæc quidem viginti duos, longitudo triginta cubitos attigerit.

Eraſm. in Adag.

De Poro magno Indiæ Rege Dio refert, eum exuperaſſe longitudine quemvis elephantum quantumque ſublimem: Hunc Regem Alexander Magnus bello devicit. Ganges Rex Æthiopum decem cubitorum erat: de quo Suidas ait: *Ea formæ præſtantia erat, quali nemo unquam mortalium fuit.* Phlegon Author eſt in Dalmatia ſpeluncam inventam, quam Dianæ inquiunt, in qua plura corpora apparuerint, quorum coſtæ ſedecim Spithamas exceſſerint. De certa quadam Claudia Martialis inquit:

Mart. lib 8.

Summa Palatini poteras æquare Coloſſi,
Si fieres brevior, Claudia, ſeſquipede,

In Vir. Her. Attici.

Agathon Athenienſis, referente Philoſtrato, homo erat monſtruoſæ fortitudinis, nec minoris proceritatis. Maximinus Imperator altitudinem octo & dimidii pedum attigit: ad cujus rei argumentum calcar ejus producitur, vel calceamentum, quod uno pede longius ſit, quam cæteri hominum habere conſueverunt. Hinc de re magna per proverbium dici ſolitum eſt: *Caliga Maximini.* Magnus ille Author Certaldi, memoriam quandam refricat, quæ recenſet in Sicilia, non procul Trapano, inventum fuiſſe corpus gigantis, quod nihilominus ad primam commotionem continuò in pulverem redactum fuerit: de conjectura verò, quæ haberi potuit ab oſſe femoris, id quod integrum remanſit, concludi potuit, corpus illud ducentorum cubitorum fuiſſe. In cujus rei teſtimonium appenſum fuiſſe prodigioſum dentem ſecus altare glorioſiſſimæ Virginis Annuntiatæ. Feraciſſima gigantum fuit ſemper Anglia, & Dania, & Helſinga, prout ajunt Candemus, Saxo Grammaticus, & alii.

In Geneal. Deor.

Sigonius refert Martinum Turranium Mediolanenſem exorbitantis ſtaturæ fuiſſe: hic ea tempeſtate, qua Chriſtiani poſt Chriſtum natum anno milleſimo centeſimo & quandrageſimo octavo, Civitatem regiam Damaſcum oppugnarunt, à barbaris captus fuit, & martyrio generoſiſſimo pro fide JESU Chriſti vitam ſuam terminavit, nobiliſſimam familiam ſuam ſplendore inſigni condecorando. Denique habitatores Antverpiæ monſtrare ſolent figuram gigantis altiſſimi, quondam Imperatoris Braboni, qui Brabantiæ nomenclaturam dedit: Hic enim Princeps, & tyrannus regionum illarum erat. Monſtratur autem prædicta figura, poſtquam devotio, & proceſſio glorioſiſſimæ Virginis Aſſumptæ jam conſummata eſt.

Lib. 11. Regni Italici.

De gigante hoc complura diſticha prodierunt, cum quibus hanc veritatem concluſurus ſum, dari nimirum gigantes. Et quibus primum ſic ſonat:

Cernitis immanem hunc, immenſa mole gigantem:
Talem olim, ut fama eſt, tulit Andoverga Tyrannum.

De oſſe coxendicis hi verſus habentur:

Tanta hæc horrifici fuerit ſi coxa gigantis,
Cætera quanta illi membra fuiſſe putes?

Supra dentem, palmo majorem, ſic Poëta inquit:

Faucibus immenſis dens hic ſtetit ore voraci:
Quiviſſet ſolidos ille vorare boves.

De invictiſſimo brachii valore ſic ait:

Quàm fuerit forti munitus robore ſævus
Ille vir, hic cubiti pars monet iſta ſui.

De vaſta proceritate humerorum ſic legitur:

Ardua terribilis ſcapula hæc eſt crede tyranni,
Quid reris quantum ſuſtinuiſſet onus?

De tibia, & femore, ex quibus moles illa horrenda menſurari poſſet, ſic habetur:

Geſtavit vaſtum vaſta hæc ſi tibia corpus,
Enceladum æquavit (non dubium) ille gradu.

Goropius tam vaſta inquit, tamque ampla fuiſſe hæc oſſa, ut potius Balenæ cujuſdam, quam gigantis credita fuerint.

Quemadmodum verò hæc magnitudo corporum immenſa eſt, & ſtaturam communem hominum ſupereminet, ſic non minus enarratio eorum hiſtorica in immenſum augmentari poſſet: Ego verò his paucis limitibus contineor, tantummodo ut veridicum eſſe palam faciam, fuiſſe olim Gigantum genus, & eſſe adhuc: nec ſolis fabulis, & commentis fictitiis & hyberbolicis Poëtarum hæc adſcribenda eſſe. Quæ autem tibi jam allata ſunt, benevole Lector, in tantum proſunt, quod hic compendiata vides, quæ alibi vaſtiſſimis voluminibus continentur.

Stabilita hac veritate, reliquum erit videre quidpiam de horum virorum exotica fortitudine, deque eorundem actionibus inclytis. Et ſicut altitudo eorum tibi admiranda viſa fuerit, ſic non minus admiratione digna videbuntur, imò & hyperbolica, quæ inter innumera tibi paucis expediam: quamvis utrobique talia aſſerantur, quæ de calamis fide dignis, & veracibus, omni æſtimatione, & veneratione plenis fluxerunt.

In primo igitur loco Adrianus Junius Author eſt, in feſtis nuptialibus Caroli Pulchri, magni Franciæ Regis, productam fuiſſe mulierem, in cujus comparatione quævis elevatiſſimæ

ſtatu-

ſtaturæ, nanorum vel pygmæorum ſimilitudinem geſſerint: tam inſueta, tam peregrina erat molis hujus figura. Hæc ambabus manibus duo vaſa lignea portabat, repleta cereviſiâ, quorum quodque quadringenta pondo Italica continebat: trabem item tam ponderoſam levabat, & non ſecus ac bacillum tractabat, cui octo homines vix ſufficerent portandæ, vel movendæ, quamvis nervoſi, & robuſti eſſent. Hæc fæmina portentoſa à Wilhelmo Comite cognomine Bono ex Hollandia adducta fuerat, ſi tamen fides tanto authori de tanto monſtro haberi debet.

Milo Pythagoræ diſcipulus, patriâ Crotonienſis, tam fortis evaſit, ut in pedes erectum homo non eſſet qui movere de ſtatione ſua poſſet. Siquidem manu pomum preſſiſſet, aut quidvis aliud, nemo erat, qui illud ei ſe eripuiſſe gloriaretur. In ludis Olympicis hæc inimitabilia præſtitit, occidendo ſolo pugno bovem, eundemque per plura ſtadia portando, unoque die conſumendo. Hic aliquando, dum in Porticu Philoſophorum eſſet, videns columnam ruinæ proximam, continuò accurrens, inaudito robore eandem ſuſtinuit, tot tantoſque viros in ſecuritatem collocans, qui ad hujuſcemodi exercitia affluxerant. Denique ſtationem ſuam deſerens, & periculo ſe ſubtrahens, ruinam loci poſt ſe traxit, abſque ulla circumſtantium læſione. Narrantur hæc à Cælio, Juvenale, & Gellio.

Cleomedes. Actiones conſummatæ crudelitatis, & feritatis ſunt, quæ de Cleomede Aſtipalenſe recenſentur. Hic aliquando ſine armis fuiſſe fertur: contigit autem ut cum Lacco Epidanio, Luctatore famoſo, ſolis manibus, dimicarit, quem primo ictu pugno interemit. Sed quod à ſodalibus ſuis maximè horrendum viſum eſt, ſumma barbaries fuit, quâ erga corpus mortuum uti voluit: cum enim fumantem iram ſpiraret adhuc, manum lateri ejus applicuit & cum furibunda violentia de pectore ejus, palpitans cor euulſit, ſimul cum inteſtinis. Itaque ob hoc facinus coram Judice comparere juſſus, plus quàm ante inexorabilis, introeundo Scholam publicam, ubi centum pueri ſub Ludimagiſtro ſuo congregati morabantur, columnam, cui ædificium univerſum incumbebat, apprehendit, totamque fabricam, excuſſâ columna, ſuper capita tot innocentum præcipitavit, unde ad unum omnes miſerè extincti ſunt. Cùm ergò ex his ſibi mortem certam auguraret, in Dianæ phanum ſe contulit, atque illic ſepulchrali lapide levato, ſubtus illum ſe abdidit, vivumque tumulavit: atque ita vitam, neſcio an majori cum gloria, quàm ignominia
In vita Romul. terminavit. Author hiſtoriæ Plutarchus eſt.

Titormus, de quo plena ſunt volumina hiſtoricorum, Poëtarum, & Comicorum, præfatos omnes exuperavit. Certabat hic cum Milone, atque ut ei experimentum aliquod fortitudinis & virium ſuarum redderet, deſcendit cum eodem in Evenum, locum, ubi ſaxa ad ædificandum ponderoſiſſima continebantur: quorum unum loco movens, geſtanſque brachiis, tandem in ſat longinquum ſpatium ejaculatus eſt: aliis rurſum vicibus, eodem vigore, qui lacertos tales decuit, idem ſaxum procul à ſe jecit, idque ſæpius cum tanta dexteritate, & agilitate ut non niſi pila videretur. Tandem illud ipſum reſumendo, per magnum itineris intervallum humeris ſuis geſtatum in via publica, tanquam generoſum tropheum valoris collocavit. Milo & ipſe neruos ſuos adhibens geſtare brachiis molem hanc tentavit, ſed vix de ſitu ſuo levare potuit.

Aliud rurſus virium ſuarum documentum, & illud pene incredibile dedit; Cum enim indomitus Taurus, & furens, citiſſimo impetu per campos ferretur, in occurſum ejus procedens reluctantem tenuit, & refrænavit, idque non niſi unica manu prehenſo pede poſteriori: ad hæc præſens erat Milo jam memoratus, qui plenus ſtupore exclamavit: Prô Jupiter, nunquid non alterum nobis Herculem mundo reſuſcitaſti? Totum hoc à Cælio memoratur, rerum antiqua- Cap. 69. lib. 11.
rum ſcriptore diligentiſſimo. Velleius Paterculus memoriæ dedit, Junium Valentem tanti roboris fuiſſe, ut currum vehementiſſimo impetu protractum, in medio curſu ſuo ſiſteret. Copioſa ſunt volumina Curtii, Juſtini, Diodori in recenſendo heroico facto Lyſimachi, qui leonis faucibus objectus, eo quod Caliſtheni, venenum petenti, miniſtraſſet, ſemetipſum in tanto periculo animavit, brachium dextrum hiantibus belluæ faucibus immittendo, eandem ſuffocavit, linguamque adhuc palpitanti evulſit. Unde poſtea tam Alexandro charus evaſit, ut cum forte vulneratus eſſet in prælio, Rex ei manibus propriis plagam alligarit.

De Polydamante Græco Luctatore, homine ad quodvis auſum egregium exercitato, idem Cælius refert; quod cum in monte Olympo inermis eſſet, leonem inſignis magnitudinis, qui ſibi obviam fuerat, occiderit. Item armentum boum introeundo, illic ferociſſimum Taurum manu prehendit, nec prius tremendam beſtiam dimiſit, niſi poſtquam in fortiſſimis ſe tenentis manibus ungulam avulſam dereliquit. Hic etiam cum majori robore præcipitatos currus in medio feruore curſus retinebat.

Ad famam tam inſoliti roboris Darius Rex accurrit, & virum amplo ſtipendio cumulavit: Cui etiam valorem pectoris continuò monſtravit: provocatus enim à tribus Perſis, pugnam non abnuit, ſed ipſe ſolus tres adortus, momento brevi occidit. Sed ſicut evenire plerumque ſolet nimium in ſe confidentibus, cum aliquando in ſpeluncam, unà cum ſodalibus ſuis introiſſet, idque tempore pluvio, ſaxum ingens moveri loco cœpit, ruinam meditans, quam reliqui ſine mora evitarunt: ipſe verò viribus ſuis credendo, dum molem ſuſtinere vellet, miſere ſub ruina conquaſſatus interiit: Si tamen Cælio fides debetur.

Omnem præterea credulitatem excedit, quod Lib. 7.
idem Author de inenarrabili fortitudine, ſimul & ruſticitate Agathonis Athenienſis refert. Hic quamvis jucundiſſimi aſpectus eſſet, comæ prolixioris, naribus aquilinis, vultu hilari, pectore ſpacioſo, & altitudinem pedum octo attingens, ſemper pelle lupina horridus incedebat, plerumque ſylveſtres feras venando perſequebatur, nil veritus etiam immaniſſimas Pantheras, & tygrides & urſos, imò nec Leones: Qui tam in habitu corporis, quam in cæteris alimentis ſuis, omne id cavebat, quod mollem reddere, vel delicatum poſſet. Unde verificari in illo potuiſſet, quod de Achille dictum, qui ſe leonum & urſorum medullis cibare ſolitus ſit.

Sabinus Syrus, ſummi roboris vir, ſummo ſibi honori ducebat, præſentiſſimis & vehementiſſimis

tiſſimis objici periculis: hic ſub Tito Veſpaſiano militans primus fuit, qui muros Hieroſolymæ victor conſcendit, atque illic vexillum Romanum figens coronam muralem promeruit.

Memoria item dignum eſt, quod à Plinio refertur de Tritano quodam, milite valoris gigantei, qui ab hoſte inſolente in ſingulare certamen protractus, indignum judicavit, contra quem armatus in arenam deſcenderet; itaque ſolo pugno, imo pollice dextræ ſuæ eum humi proſtravit, dedignatus autem occidere, captivum Duci ſuo adduxit.

Porrò & illud incredibile videtur, & prodigio ſimile, quod de Tidæo filio Ænei Regis Celidoniæ Tortellius meminit: eum videlicet in Mycea ſibi parem robore non inveniſſe: Ablegatum ad Etheoclem, provocaſſe ad certamen Thebanum, qualiscunque eſſet, ei inſuper quæcunque arma vellet, ad electionem liberam relinquendo. Quos cunque autem adortus eſt, eorum victor cum ingenti gloria evaſit. Quia vero Thebani jactantiam viri amaro animo ferebant, inſidias ei per fortiſſimos viros in primo Juventutis flore eximios collocarunt: ſed eorum damno factum: ille enim, non ſecus ac alter Samſon inter Philiſthæos, aut Hercules inter Pygmæos deſæviendo, cunctos miſera ſtrage trucidavit.

Non minori admiratione dignum eſt, quod de Seleuco Nicanore Rege Syriæ memoratur: hic enim ſtaturâ ſuâ excelſus, eo tempore ſacrificio cuidam intervenit, quo Taurus ſylveſtris de manibus ſacerdotis evaſerat: Seleucus vix manu fugientem tetigerat, & confeſtim cum ſtupore circumſtantium, inter quos Alexander Magnus erat, qui ad ſpectaculum tam inſigne præſens erat, immotum ſtare fecit.

Omnem etiam fidem exuperat quod Petrus Crinitus de Firmo Imperatore narrat. Hic hirſutus erat corpore, & piloſus, ſtatura ingenti (quem Aurelius latronem Ægyptium vocabat) Firmus nomine, ſed adhuc firmior factis, ſpeculum ſe Juventuti præſtitit inſolitæ fortitudinis, Cum enim reſupinus jaceret, incudem pectori ſuperpoſitam conſtanter perferebat, tundentibus deſuper duobus fabris, qui binos malleos gravi pondere inſignes manu geſtabant. Itaque per Antonomaſiam communi Nomine Cyclops appellabatur.

Denique in promptu ſunt volumina Cælii, Juſtini, Plutarchi, Plinii, & Raviſii, & aliorum, qui de incredibili valore heroum narrant; De Ariſtomene Meſſenio, qui cum paucis aſſeclis totos exercitus in fugam vertebat: & (recentioris memoriæ) De Fuſio Salvio, qui cum prompitudine ſchalas aſcendebat, tenens manu ducentarum librarum pondus, tantundem ſuper humeros, præter hæc & pedibus ejuſdem ponderis onus trahens: De Mario Servilio homine Conſulari, à nemine unquam ſuperato: De Bitone, qui teſtificante Pauſania, per magnum terræ ſpatium Taurum portavit, cui in Argo, ob memoriam incomparabilis fortitudinis, ſtatua erecta eſt: De Cynegyro Athenienſium contra Perſas Duce, qui cum hoſtes ad mare uſque perſequendo fugaſſet, & illi naves jam conſcendiſſent, manu dextra harum unam apprehendit, quam ſibi ſentiens hoſtili ferro truncatam, ſiniſtram applicuit: illâ quoque amiſſa protinus rabido dente hoſtile lignum mordicus tenuit. Idem recenſetur de Lucio Glauco Romano, qui navem quandam Aſdrubalis pari modo retinere auſus eſt. Horum fidem faciunt Plutarchus, & Juſtinus.

Volaterranus memoriæ dedit de Enthymio Valente Luctatore Locrenſi, quod immane ſaxum humeris ſuis ad portam uſque Civitatis ſuæ bajularit, pro indicio & tropheo fortitudinis ſuæ illuc ſtatuens. Sed melius talentum ſuum applicuit, cum Temeſcum Uſurarium cupidiſſimum, eouſque manibus conſtrinxit, ei mortem minitando, donec eum ad reſtitutionem male quæſitorum adegit, & patriæ ſuæ egentibus, quæ rapaci manu extorſerat, reſtituit.

Stupendum eſt, quod de Pyrrho Epirotarum Rege Plutarchus memorat, quem nobilitas ingenii, & faciei decor, Aquilam regum appellari fecit: Hic enim militem adorſus, qui infeſtus exercitibus ſuis, plurimam ubique ſtragem exercebat, tam fatalem plagam capiti ejus inflixit, ut non prius mucro ceſſarit, quam cum virum medium ſecavit.

Indicium generoſi pectoris, ſimul & devoti erat, quo miles quidam nomine Pluto Juvenis admodum erga Patrem ſuum uſus eſt. Cum enim eum in feruore conflictus captivum duci cerneret, tanto furore exarſit, ut de oculis flammas fulgurare viſus, prædatoribus infeſtus inſtiterit, & inſolita violentia charam prædam ex inimicorum manibus eripuerit. Hæc de Valerio Maximo deſumpta ſunt.

Qui proinde exoticarum virium, & actionum heroirarum prodigia inſuper alia deſiderat, virtutem rariſſimi valoris inventurus eſt in operibus Santovini ſcriptoris, qui portentoſos ſucceſſus Alexandri Caſtriotti Epiri Principis commemorat, qui inter alia Turcico nomine Scanderbeg nominabatur. Audiet illic de duellis admiratione digniſſimis, & quibus victor exiit, ita ut Amurath eum benigniſſime ſuſceperit. Cernet illic, quomodo hic ipſe ab inſolente Tartaro provocatus, ei tanta cum ſapientia ambitionem retuderit, ut nunquam ad geſtanda deinceps arma induci potuerit. Sicut cum in venatione eſſet, ſolus ipſe truculentiſſimas feras domabat. Ipſe ſolus item Jajam & Zampſam, notæ valoris Mahometanos occidit, idque in præſentia Imperatoris ſui. Cuncta hæc à Pontano narrantur.

Superfluum hic loci ratus ſum de fortitudine Herculis plura deducere, jam enim vulgò tam nota ſunt, ſicut chartæ, & telæ. Imò verò jam tonſoribus, & lixis trita ſunt, omniumque linguis ubique terrarum celebrata. Nihilominus contra ſententiam ejus, qui dixit: *Nec Hercules contra duos*: cum in ſuperioribus jam de Gigantum certaminibus ſingularibus, eorundemque facinoribus inclytis plura attulerim, quædam etiam, quamvis pauca hic exempla in medium proferam, quæ tantò eminentiora erunt, quantò illuſtrius eſt, videre ſimul plures cum pluribus dimicantes.

In primis ergo Florus, & Eutropius recenſent, quatuor millia Numantinorum, in prælium contra Romanorum exercitum proceſſiſſe, cum horum numerus ad quadraginta millia conſcenderet, Numantinos nihilominus viciſſe, & cum ſtrage ingenti inimicum in fugam conjeciſſe: nec à perſequendo tam celeriter deſtitiſſe, niſi invictiſſimus Dux Romanorum Scipio,

prudentiæ ſuæ vallo, trepidantium impetum retinuiſſet.

Utque ab his ad ſæcula moderna deſcendamus: Julius Barbaranus typo dedit, Brancium de Luſcis, nobilem Venetum, tanti roboris fuiſſe, ut penè quamvis reſtem eſtringeret. Hic aliquando in ſicariorum turbam incidens, cum nudata manu in confertos rueret, ſola nominis fama univerſos fugavit. Ejuſdem memoriæ ſunt, quæ de factis illuſtribus idem author refert, de iis inquam, quæ Wilhelmus Puſterla, nobilis Mediolanenſis perpetravit: Hic enim ſæpius cum adverſariis ſuis conflictans, omnes debellavit, ſubegit, & confudit. Idem vir (teſte ſupramemorato ſcriptore) opponens ſe ferociſſimis equis, eoſdem ſola manu domabat: quodvis etiam ferrum, quo ungulæ equi ferrantur, ſine mora frangebat: In lucta tantarum virium, ut impoſſibile videretur, ſolum à ſolo vinci.

Deplorandum eſt, quod Sabellicus nobis nomen Galli cujuſdam, viri glorioſiſſimi conticuit: hic, inquam, nobilis dum in Chriſtianorum exercitu contra Turcas anno Redemptionis 1522. militaret, tam animo, quàm corpore robuſtiſſimus cum tercentum equitibus ſuis medias hoſtium turmas penetrans, ad ipſius Ottomanni præſentiam pertigit (facinus, in quo forte Mutius ipſe, vel Cocles trepidaſſet) eumque infeſta lancea graviter percuſſit, idem faciens vibrato gladio. Quandoquidem vero veſtimentum Galli auro dives, eum credi fecit Ladislaum Regem Hungariæ, ex omni latere à Turcis circumdatus, & in medium circuli compulſus, infracto animo pugnam redintegravit, pluresque humi proſtravit: ſed cum hoſtium cuneus nova ſemper incrementa ſumeret, poſtponens vitam miſeram glorioſæ morti (cum jam plenus victoria eſſet, decalvato, & evicto primo Capite) tandem inter arma glorioſè occubuit.

Simile in argumento ſuo eſt, quamvis in circumſtantiis ſuis diſſimile, quod de Teutone quodam refertur, ea ætate qua Iſaac Imperator Orientis regnavit. Cum nimirum Germani Iconium vi armorum obtinuiſſent, hic de quo diximus, tam corporis robore, quàm animi magnitudine egregius, exercitum Turcarum pedes ſequebatur, manu ſua conducendo equum: cum igitur quinquaginta equites invadunt; ſed ſine mora ille objecto ingenti ſcuto, contra hoſtium ſagittas, & cætera armorum genera ſe inaudito valore defendit, quidquid in eum jaceretur, non ſecus ac feſtucas leviſſimas æſtimans: Inter quos Mahometanus quidam, abjecto arcu, & apprehenſo gladio, impellens equum, in Germanum violentus accurrit, ut cominus tantò vehementius pugnare poſſet: itaque ingenti plaga gladii ferire caput Antagoniſtæ ſui cœpit, certam ſibi victoriam ſpondendo: Germanus autem nil in ſtatione ſua commotus, non ſecus ac columna ærea impetum ferientis ſuſtinuit. Converſus poſthæc ad inimicum ſuum, more fulminis gladium ſuum vibrat, & unico ictu utrumque anteriorem pedem equi amputat; ſicut falce ſecari fœnum conſuevit; reduplicatá deinceps plaga in caput Turcæ furentem enſem impegit, ita validè, ut in duas eum partes hiante vulnere ſecarit. Ad portentum illud fortitudinis Mahometica turma ſtetit attonita, & cum nemo ultra conſerere manus cum victore auſus eſſet, pleni confuſione diſparuerunt: Teuto circa veſperam hyberna ſua illæſus repetiit. Totum hoc Nicetas commemorat.

Adjungo hic Exemplum, quod quamlibet credulitatem excedit, & quod uni cognatorum meorum ex intimis meis contigit, Anno ſalutis 1658. cujus nomen (habita ratione venerationis quam ei debeo) ſub ſilentio mihi prætereundum eſt: ſic enim decet. Suffecerit noſſe, quod cum eum inimicorum ſat numeroſa turba equeſtris invaſiſſet, ille verò non niſi pedes in media tempeſtate, qua cœlum integrum ſusque deque inverſum videri potuiſſet, non alia re defenſus eſſet, quàm armis ad concipiendum ignem, & jaculandum aptis, ſolus ſe contra tot viros retrogrado greſſu tutatus eſt, atque ita undique globis plumbeis, non ſecus ac grandine impetitus, illæſus nihilominus evaſit, donec in loco muris circumſepto ſalutem integram invenit: ſicut hodie dum adhuc proſperè agit, & plenus ſanitate vitam ſuam degit: de conflictu tam ancipiti, tamque inæquali aliud damnum non paſſus, quàm quod unguis ei dextri indicis vi globi ablatus eſt: hic ergò index indicium eſt victoriæ & trophei, quod de actione tam celebri retulit.

Sed hæc authorum ſimilia nonnullis hyperbolica, aut glorioſis Thraſonibus propria videbuntur, quos Itali in Comœdiis ſuis *il Capitan Spavento* nominare conſueverunt: quem Comes Theſaurus ſic loquentem introducit: Ego non dormio unquam niſi ſuper centum culcitras, repletas cincinnis Suecorum, inductas ciliis vel palpebris eorundem: Non veſtio niſi pelles Elephantorum, quos mucro meus in fruſta conſciderit, & quas non niſi minimi, digiti mei extremo ungue ſolo attactu decorticavi: Non bibo niſi ſanguinem Maurorum, quos calce contrivi, non ſecus ac racemum aliquem in torculari: Non edo niſi pultem de Tartaris in pulverem redactis, in alembico ferri mei reverberatis: & ſi quidem in mentem venerit me aſſatura reficere, pullum gallinaceum ad ſphæram uſque igneam in altum ejaculor, qui ſi aſſatus, calens adhuc, & fumigans per aërem delapſus fuerit, eum patula gula deglutio.

Capitan Spavento in Comediis

Figur hyp. Canoch. Anſ.

In eundem modum miles Plauti gloriabundus inquit:

Curate ut ſplendor meo ſit clypeo clarior
Quàm ſolis radii eſſe, cùm ſudum eſt, ſolent.
Ut ubi uſus veniat conſerta manu
Oculorum perſtringat aciem in acie hoſtibus.

Nihilominus ſi nunquam gigantum quiſpiam extitiſſet, nunquam eos tanta authoritas, tot illuſtres calami ſolidaſſent, nunquam Hiſtoriographi tam inſignes, tam fide digni de iis memoraſſent.

Deſcendamus nunc de ſublimi faſtigio staturarum, ad eas quæ infimæ ſunt: Perfectæ enim Philoſophiæ axioma eſt: *Oppoſitorum eandem diſciplinam eſſe*: Conſequens igitur eſt, ut cum jam ſatis de gigantibus tractatum ſit, nunc in ſcenam prodeant

PYGMÆI.

NOn minus conſideratione digna eſt virtus unita, quàm quæ diffunditur, & diſperſa eſt: quantum verò hæc eadem virtus in Gigantibus ſe dilatavit, tantum ſe in homuncionibus, quos Pygmæos dicunt, reſtringit, & abbreviat, unde etiam prout ſupra de gigantibus, ſic de his poſterioribus mihi meritò ratiocinandum eſt.

In primis autem utrorumque par eſt opinionum invicem conflictatio: Ariſtoteles enim dari Pygmæos Author gravis eſt: Ad quod Mantuanus reſpiciens ajebat:

Lib. 8. hiſt. de Animal.

Inter Pygmæos non pudet eſſe brevem.

De Animal. c. 12.

Hæ atteſtationes interim jam ſufficere poterant, ab Authoribus tam dogmaticis, tam inclytis productæ.

Plinius refert hujuſcemodi homuncionum plenam eſſe Thraciam: Idem ait ſub eodem climate grues dari, præcipuè ſecus flumen Strimon appellatum, cum quibus eis conſueta eſſe certamina. Pomponius Mela Author eſt, eor in Arabia interiori ſedem fixiſſe. Philoſtratus eos inquit inter naturæ monſtra collocandos. Concluxit Olaus magnus, non dubitandum, quin tales dentur: & inter modernos Jovius authenticam de his fidem facit: In Legatione enim Moſcovitica, eos in Japoniam uſque collocat: Luſitani item teſtificantur in Tartarorum regnis eos inveniri. Gemma Friſius recenſet, contigiſſe aliquando ut navis repleta hujuſcemodi Pygmæis neſcio quo fortunæ caſu in Norvegia appulerit.

Lib. 4. Hiſt. Nat. Cap. 11.

Lib. 3. cap. 4.

Lib. 2. de Gen. Septent.

Odoricus de rebus Indicis atteſtatur, vidiſſe ſe Pygmæos altitudine tricubitales, eoſque abſoluto quinquennio jam generationi aptos eſſe, octavo ætatis ſuæ anno ſeneſcere. Argenſola liberiori calamo utitur: ait enim Inſulam quandam Orientis eſſe, inclytam propter aurum, quod exinde trahitur, illic homunciones eſſe, ac veros Pygmæos.

Nec verò locorum varietas irritam, aut vanam reddere debet opinionem prædictas humanorum corporum abbreviaturas dari: pari enim ratione (cum oppoſitorum eadem ſit diſciplina) non minus fabuloſæ videri poſſent hiſtoriæ gigantum.

Ad majorem credulitatem formandam interim in confeſſo eſt, & experimento quotidiano novimus Nanos quam plurimos eſſe, qui veritatem hanc in ancipiti non relinquunt. Quidam nomine Marcus Antonius Siſiphus domi ſuæ homuncionem aluit, tam exiguum, ut duorum pedum menſuram non excederet. Nanus item, cui nomen Canopas, binos palmos, & pedem longitudine efficiens, apud Juliam Auguſti Neptem in delitiis erat. Idem Auguſtus hujuſmodi alium, nomine Lucium, ſtaturâ duorum pedum, publico nonnunquam ſpectaculo videndum produxit.

Nicephorus hujuſcemodi alterius mentionem habet, qui in Ægypto natus tam brevis erat, ut nunquam ei ſimilis inventus fuerit, cujus mater & ipſa minima erat: ille vero tam incredibilis parvitatis, ut longitudine aliquantum perdicem exuperaret: vixiſſe eum ad annum quintum & viceſſimum, dotatum prudentia admirabili, & ſenili. Majorem huic rei fidem tribuit authoritas Patris Euſebii Soc. Jeſu, qui in hiſtoriis ſuis naturalibus recenſet, annis præcedentibus viſum in Hiſpania homunculum ſeptennem, qui barbam jam oblongam ſpiſſamque produxerit: eum anno decimo in flore, & vigore jam virili, filium genuiſſe.

Clariſſima, & omni exceptione major eſt authoritas doctiſſimi Aldrovandi, qui ait, ſex annis poſt abſolutionem voluminis, quod de monſtris conſcripſit, vidiſſe ſe Bononiæ in ſervitiis Illuſtriſſimi Ducis Crequii Nanum, triginta unciarum altitudine: cujus etiam imaginem delineatam reliquit in Inſcriptione, poſita in Palatio ſenatorio, intra cubicula doctiſſimi Muſæi ſui, cujus verba hæc ſunt: *Michaël Magnanus, annos natus unum & quadraginta, in oppido Baronis de Seſſonagio, ſito in Delphinatu, prope Gratianopolim, Nanus illuſtriſſimi & Excellentiſſimi D. Caroli de Crequy Paris Mareſcalchi Franciæ, Proregis Delphinatus, & Ludovici XIII. Franciæ, & Navarræ Regis Chriſtianiſſimi ad ſanctiſſimum Urbanum Octavum Oratoris, Obedientiæ anno MDC XXXIV.* Eodem tempore Illuſtriſſimus Senator Ferdinandus Coſpius in opulentiſſima domo ſua duos hujuſcemodi puſiones alebat.

Non deſunt tamen è contraria parte Authores non minimi, qui tale hominum genus, vel naturæ compendia dari omninò negant. Inter primos eſt Albertus Magnus, qui non abnuit dari Pygmæos, ſed perfectos homines eſſe non cenſet, potius beſtiarum genus homini quàm ſimillimum; quæ opinio cum Ariſtotelica communis eſt, qui dum talium homuncionum genus eſſe aſſeruit, non idcirco eos in verorum hominum numero collocavit. His rationibus nixus Sueſſanus, eos in humano genere dari manifeſtè negavit, eoſque vero rationis uſu privatos: idque tantò evidentius confirmat, quod religione careant: hæc enim juxta Platonem, non niſi homini ſoli convenit. Quamvis etiam apud Ezechielem eorum mentio habeatur: rationibus noſtris (prout Author memoratus inquit) non contradicit; conſtat enim Prophetam hic intelligi voluiſſe homines grandes, & proceros, quos non oporteat pede, ſed potius cubitis menſurare (Pygmæi autem à cubito dicti)

Qui pygmæos dari negent.

Cap. 27.

S. Hieronymus Pygmæos *Pugilatores* appellat; Athleta enim nomen ſuum latinum, *Pugillator*, à Græcis mutuatus eſt, quod cum *Pygmæis* cognationem habet. Ex ſententia aliorum homines in ſublimitate turrium collocati Pygmæi appellabantur; de longè enim conſiderati, omninò parvuli videntur, & non niſi cubitales: quæ ſententia non omninò rejicienda.

In Comm. ad Ezech.

Scaliger inter plures alios & ipſe Pygmæorum genus negat, hàc ratione utens, quod noſtra ætate nullum tale ſuperſit: ſed argumentum debile & invalidum eſt; pari modo enim probatum eſt fuiſſe olim Gigantes, quamvis nulli tales ætate noſtra ſint. Harum opinionum optima eſt acutiſſimi Cardani, qui memoratos homunciones in genere ſimiarum collocat: Cui ſuffragatur Marcus Polus in hiſtoria Indica: Hic enim inſulæ cujuſdam meminit, quæ Baſmanus dicitur à multitudine ſimiarum, quas venatores vi de latibulis ſuis ſylveſtribus intra muros ſuos compellunt, eaſque per totum radendo, exceptis pudendis, & barba, dehinc mercatoribus vendunt, poſtquam eos jam ſiccatos quibuſdam vaſis ligneis incluſerunt, & camphora condiderunt: atque hi deinceps per orbem ambulantes beſtias illas nomine Pygmæorum demonſtrant.

Lib. 3 Relat. Indic.

Ut ad eos revertamur, qui Pygmæos dari aſſerunt, Baſilides quidam, apud Athenæum inquit, inveniri tales, qui cum grucibus præliando, perdices inſideant, quas itidem in locis illis majores eſſe. Quamvis Menecletus inquiat, eos contra grues æquè ab perdices illas militare. Diſſentit ab his Plinius, qui majorum ſententiam ſequens, ſic habet: *Inducias habet gens Pygmæa abſceſſu gruum, cum iis dimicantium.*

Lib. 9. cap. 27.

Lib. 9. cap. 22.

Comentator Homeri Euſtathius ait, eorum ſta-

tùram ne ad cubitum quidem pertingere: denominatos autem à *pygon*, quo ſpacium illud intelligitur, quod ab oſſe manus, ad os cubiti intercedit, aut verò à principio digiti minoris. Plinius eos idcircò homines ſpithamæ nominat. Sic Gellius ſcriptum reliquit: *Pygmæi, qui longiſſimo ſunt, non ſuperant pedes duos, & quadrantem.* De his memorant, quod ſibi arietum cornua capitibus affigant, ut tantò longiores appareant: plures autem ſentiunt, eos in præliis ſuis arietibus inſidere, inter quos Hecatæus eſt.

Lib. 7.

Multi inquiunt in montibus eos Indorum habitare, quibus Oceanus è vicino ſit, prout Bartholomæus Anglicanus, per authoritatem Publii ratiocinatur, & his apertis verbis utitur: *Supra hos (Aſtomos) extrema in parte montium Spithamæi Pygmæi narrantur, ternas ſpythamas longitudine, hoc eſt ternos dodrantes non excedentes, ſalubri cœlo ſemperque vernante, montibus ab aquilone oppoſitis: quos à gruibus infeſtari, Homerus quoque prodidit.* Ariſtoteles tradit in cavernis eos commorari. De hoc S. Auguſtinus non diſſentit (videlicet Pygmæos dari) ſicut apud nos Parthi monſtruoſi ſunt: quam opinionem etiam Scholiaſtes ſequitur, ſicut & Ludovicus Vives: quamvis Strabo alterius mentis ſit.

Lib. 7.

16. De Civit. Dei cap. 8.
Lib. 3. Geogr.

Euſtathius ſentit, quod prælia pygmæorum cum gruibus comparationem habeant Trojanorum cum Græcis. De quibus Juvenalis:

Ad ſubitas Thracum volucres nubemque ſonoram
Pygmæus parvus currit bellator in armis;
Mox impar hoſti, raptuſque per aëra, curvis
Unguibus à ſæva rapitur grue . . . .

Et Joannes Baptiſta Mantuanus:

Pygmæi breve vulgus, iners plebecula, quando
Convenêre grues longis in prælia roſtris,
Sublato clamore fremunt, dumque agmine magno
Hoſtibus occurrit, tellus tremit, Indica clamant
Litora, arenarum nimbis abſconditur aër
Omnis, & involvit pulvis ſolemque, polumque:
Et genus hoc hominum, naturâ imbelle, quietum,
Mite, facit Mavors pugnax immane, cruentum.

Quidam ſunt, qui Pygmæos ajunt longitudine infantum eſſe, cum ſextum, aut ſeptimum annum attigerunt, prout in Epiſtola quadam, ſcripta ad Pontificem Maximum habetur. Scripſit ſuper hoc, per modum Poëmatis copioſiſſimum Tractatum, Latino verſu exaratum, Jacobus Lectius Juris Conſultus & Poëta non minus magnæ intelligentiæ, magnique nominis: id quod videre licet in theatro magno mundi univerſalis.

Magnam verò injuriam me facturum arbitrarer & tanto Authori, & volumini meo, ſi quidem id quod doctiſſimus Comes Theſaurus in amplificatione Nani, vel Pygmæi profert, non hic memorarim. Hic ergo, in Tubo ſuo optico Ariſtotelico (vel ſic dicto *Canochiali*) modum præfixit ad aperiendam ingeniorum cognitionem, idque oratoria eloquentia, omnibus numeris abſoluta, poſtquam ſupra decem categorias Ariſtotelis, & ſupra quamque in particulari praxin elegantem demonſtravit, per quam evagari quiſque mente ſua, omnis lingua omnis calamus in eadem exercitari non difficulter poſſit. In Indice Categorico methodum evidentiſſimam format, pro argumento aſſumens eſſentiam, & perſonam Nani, vel Pygmæi. Feliciſſimus Nanus, qui docet Orationem Giganteam inſtruere, tantundem fructuoſam, quantum eſſe poſſunt hiſtoriæ jam adductæ: Ipſis enim viris doctis proficua, proficientibus autem ad ſingularem doctrinam maxime utilis ut reor eſt præſens

DESCRIPTIO.

A quantitate.

QUem vides, imò quem non vides, puſio eſt; homo ſuo nomine brevior: Embryo verius, quàm homo, vel homuli fragmentum: cui metiundo Geometicus digitus ſit longè immenſior: infuſis per feneſtram radiis grandiores pervolitant minutiæ. Talium puſionum ſi clepſydram impleas, tenui fluxu horas diriment. Propius inſpice nec artus numerabis, nec membra. Pes eſt, ubi caput: unde incipit, eò deſinit: lineam diceres in puncto, punctum in linea. Quanta veniret tam rara parvitas, ubi ineptiæ ſunt in pretio? Sanè majora ſubhaſtari poſſunt, non minora; Rerum minimarum Phœnicem publicari putes. Hunc ſi alloqueris anhelitum preme, ne afflatu diffletur. Si corruat, nec lædi poteſt, nec lædere: adeo nec onus eſt, nec oneri.

A qualitate.

Deformis an elegans, furvus an fuſcus ſit, neſcias. Tantillæ ſubſtantiæ neſcit color hærere: eſſe tamen fateare, neſcio quid hilo ſimile, puſillisve maculis, quas fucatæ puellæ pro nævo gerunt in gena. Mirum! tam parva res vocem edit, ac ſonitum, nocturnis culicibus ſimilis, quos audis, non vides. Iratum caveto, ſcintilla eſt puſilla, & ardens, vel ſynapis granum parvum ſed pravum.

Ex relatis, & Cauſis.

Sunt qui affirment Lædeo ex ovo genitum, ſunt qui ridiculam Æſopici montis fœturam vocent: utrumque falsò, nam puſioni comparatus mus, mons eſt: Lacertæ oculus Pantheon. Alii myrmidonia putant ex formica natum, ſed nihil ſecius, nam longè grandiores formicarum partus erumpunt: Sola hujus genitrix concepto fœtu non tumuit, neque cum peperit ſe matrem ſenſit. Quid ſi nubat? Sanè ſi pari nubat, atomum atomo junxerit Hymenæus: ac ſi thalamum fœcundet, duo tantuli nihilum gignent. Nugari voluit repueraſcens natura, talem ſibi pupam molita: vel in oſtentum ingenii hominem traxit in Epitomen; formicam ex ebore ſudavit Callicrates, quam videre non erat; Myrmecides currum, quem abderet muſca: utriuſque diligentiam natura vincit, artis gloriam affectans maximam. In parvo eburneus ſit, an carneus haud ſatis liquet, fallente oculos materia. Quidquid eſt, ad perfectum hominem nihil adeſt, nihil deeſt, materiam dixeris ſine forma, formam ſine materia: corpus ſine corpore: quod ſophorum barbaræ claſſes ens vocarent rationis, hoc eſt figmentum ingenii.

Ab actione & paſſione.

Conjice quas vires habeat vix verus vir, ne cum muſca quidem certaverit æquo marte: nullo tamen victricis præmio, cum ſanguinis tantum non habeat, quod ſorbeat muſca. Agere nihil poteſt, ſed nihil pati: Ignem non pavet, neque gelu, qui neque rareſcere poſſit, neque denſari: invictus æquè miles, & pugil munitus, quia minutus: quem ſua parvitas pugnis intactilem, ferro inſectilem facit: obſeſſus obſidium ridebit, cui una hordei mica in annum ſufficiat.

A tempore.

Quam degat ætatem rogas? Sæculum Neſtoreum facilè tranſiliet, morti inobſervatus, quæ certius in majora collineat: quamquam cum homo ſit, & non homo, jam vitam inter ac lethum medius pendet. Majori periculo eſt bruma, dum Pygmæis inimicæ volitant grues. At ſi diris calculis ſuſpendium Puſioni decernas, Arachnes carnifex erit, & laqueus filum.

Sedeat,

A ſitu.

Sedeat, an ſtet, an jaceat dubitas? in puncto planitiem tangit: hunc in ſubulæ acumen induc, acumini accreſcet nihil. Hunc rhedæ impone, proceriorem aurigam Myrmecidis quadriga ſenſit. In Pyri acate major Apollo ſedit inter Camœnas. Equo imminens nihil eminet: craſſiora corpuſcula jumenti è dorſo equiſones dentata ſtringunt ſtrigili.

A loco & motu.

De domicilio quæritas? Nimis amplum theatrum foret limacis cochlea. In cochleari naufragabitur, ut in Oceano. In frumenti gluma pila ludet: per aciculæ forulum triumphum aget. Felix latro, quem neque arcere poſſis, neque coercere, ferrum non rumpet, ac erumpet apparitoribus non apparens. Abeat, redeat, ambulet, redambulet ultrò citroque hoſtilia caſtra, & aciem diſcurrat clandeſtinus, in turba exploratorem aget ex tuto.

Ab habitu.

Quale induſium tam minutulo corpori? Acinaceum paſſæ ſpolium braccas dabit, manicas, caracallam, pallium, abollam, ac dimidio majus ſupererit pro baſylico ſyrmate. Quod ſi armigerum malis, arnici piſciculi ſquammulam pro clypeo induet, ariſtæ acumen pro lancea, arenulæ micam pro lorica. Quid multa de modico? Hunc alii galeæ criſtam, baliſtæ ſignum, clypei umbonem, menſæ analectum, articularis unguiculum, pedis aſtragalum appellant, ſed ſuperba hæc nomina. Alii cumini ſemen, arenæ ſcrupulum, aciculæ caput, limæ ramentum, areæ pulviſculum, pulicis pupillam, accari particulam, ſed nimis adhuc adulatoria. Plus dicunt, quàm minus dicunt. Nonæ literulæ apicem vocant, alii brevem Poetarum ſyllabam, libræ æquamentum, Democriti atomum, impalpabile momentum, Mathematicorum individuum, arithmeticum nihil, ſed nondum aere punctum. Vis doceam, quid ſit parvus homo? Magnum malum.

Metaphora conglobata.

Sed de minimis rebus his, tam felici eloquentia amplificatis, quæ in argumento tam minuto, tam vaſta, tam ſpacioſa apparent, hæc dixiſſe ſufficiat. Nunc ad perfectionem compoſiti humani, hoc eſt ad eos progrediamur, qui virum ſimul & mulierem repræſentant, qui Hermaphroditi appellantur, aut vero

ANDROGYNI.

HOc nomen perfectionem, & complementum indicat: quid enim perfectius dari poteſt eo, quod omnem ſtatum, complexionem, & omnem eſſentiam humanam complectitur? Philoſophia naturalis hoc ſemper in ore ſuo gerit; *Materia appetit formam, ſicut fæmina maſculum.* Itaque tanto magis appetibile erit, quod utrumque ſexum ſimul continet. Tale ergò hominum genus, ſiquidem ſua ſorte contentum fuerit, non habebit unde radios ſoli, nec ipſi Jovi dignitatem, & magnitudinem ſuam invideat.

Mythologi aſſerunt Androgynum de Mercurio, & Venere natum, ſicut paulò infra de Idylio Salmacis nonnulla delibabimus, quod genus ſcriptionis cum tam ſonora melodia per dulciſſimam Muſam compatriotæ mei Hieronymi Preti, cygni æterna memoria digni, in lucem prodiit. Vocantur autem genus promiſcuum: & in tertio genere hominum collocantur, hoc eſt medii inter maſculum, & fæminam.

Lib. 1. Theor. cap. 6.

Memoriæ dedit Hieronymus Montius, ſe Hermaphroditum noviſſe, qui cum maritum duxiſſet creditus fæmina filios, filiasque generârit; deinceps nihilominus fracta fide, fæminarum contubernium quæſierit, & ex iiſdem non minus prolificaverit.

Lib. 3. Annal.

Columbus ad ſtabiliendam fidem Androgynorum, vidiſſe ſe aſſerit, & cognoviſſe hujuſcemodi hominem, utrumque ſexum præferentem: qui poſtquam vita functus eſſet, & cadaver diſſectum, illic vaſa ſpermatica tam maris, quàm fæminæ inventa fuiſſe, nec aliud illic diſcrimen apparuiſſe, quam quod quadruplicia eſſent, quæcunque in ſexu ſimplici non niſi duplicia ſunt.

Anatomici, ſicut & Medici periti, diverſas Androgynorum ſortes ſic in ordinem redigunt. Quatuor ajunt differentiis hujuſcemodi ſpecies hominum diſterminari. Primus Hermaphroditorum mas eſt, qui de ſexu maſculino potiſſimum participat, validus, & fortis: Sexus fæmineus autem non niſi ſubobſcurus eſt, nec virtutem ſeminalem, nec actionem habens. Secunda ſpecies, Hermaphroditus fæmina eſt, qui fæmineæ complexionis eſt, menſtruas fluxiones, & decrementa patiens: quod in eo maſculinum eſt, non niſi figuram habet, non realitatem, vel activitatem. Tertium genus eſt eorum, qui quamvis proportionem omnem, & figuras utriuſque ſexus demonſtrent, actus nihilominus non niſi ordinarios, eoſque admodum imperfectos exercent. Quarta ſpecies & ultima eſt, quam ſupra depinximus, quæ in utroque ſexu perfecta eſt: Imò verò juxta Ariſtotelem his una mamillarum virilis, altera muliebris eſt.

Ex Aldrov.

Inter multos Naſamoni ſunt populus Africanus, qui frequentia hujuſcemodi hominum, ſecundum quod Plinius refert, laborat, præſertim Civitas Virginia. Hi tantopere Indianis exoſi dicuntur, ut eorum operâ non ſecus ac jumentorum utantur, graviſſimas iis ſarcinas imponendo, eo quod eximii roboris ſint: Inter onera iſta præcipuè annona regia eſt, cum in prælium Reges procedunt. Cum defuncti fuerint, ſolemni eos ritu ad ſepulchrum comitantur. Sed quicunque eos portarunt die integro deinceps lavant, credendo ſe cadavera contagioſa, & peſtilentialia contigiſſe.

Quæſtio inſignis eſt, à multis ventilata, an hi ad matrimonium admittendi ſint? ſapientiores eos admittunt, ſed quò naturæ robur inclinaverit, & ſexus prævaluerit: idque intuitu prolis, ſacramenti, & inſtituti; habita etiam ratione fragilitatis carnalis. Stabilitum autem eſt per Canones, & à Juriſperitis, quod ſi qui in quarto ordine inveniantur, in utroque ſexu perfecti, mediante juramento adigendi ſint, ut in eo genere ſexus ſe teneant, quem prius elegerint. Quod ſi deinceps, prout fieri poterit, & factum eſt, mutatio ſexus evenerit, iidem aſſerunt, ne tum quidem, niſi ſuperveniente legitima diſpenſatione priorem electionis nodum diſſolui poſſe. Imo Pareus clariſſimus Author ſentit, quod pœna capitalis in eos ſit, quicunque gradum ſemel acceptatum prævaricati fuerint.

Lib. 5. c. 6.
Multis in locis.
1. Decret.

Ab Athenienſibus, Romaniſque ſuperſtitioſis Androgyni monſtrorum loco habiti ſunt, itaque & hæc inter alia monſtra in flumina, vel mare jaciebantur, dumque ad aquas ducerentur, puerorum, ſicut & puellarum chori carmen hilaritatis occinebant, idque per urbem totam: dehinc donum Junoni ferebatur: & tali de cauſa per vias Civitatis & veſtibula Diis & ſtatuas, & templa erigebant. Hæc Alexander vir magni nominis recenſet.

Lucius & Etodius narrant ſub Conſulatu Q. Martii, & Philippi, horum aliquem ex Umbria

 alla-

allatum fuiſſe, ætatis duodenarium: quem cum civitas abominata eſſet, decretum fuit, ut extra Jurisdictionem Romanam procul ab urbe occideretur, & diſpergeretur. Simile contigiſſe in patria Lunigiana, cum L. Metellus, & Q. Fabius Maximus Conſulatum gererent; cum enim talis allatus eſſet, Haruſpices in alto mari eum mergi præceperunt. Idem ſub Conſulatu Publii Africani, & Caji Fulvii in campo Ferentino evenit: ſub Domitio & Fannio in foro Veſſano. Alius item ſub Conſulibus Lucio Aurelio, & Lucio Cæcilio natus, cum decem annorum eſſet ſub Conſulibus Quinto Metello, & Tullio Didio inventus fuit: Perterrefacti inſolito monſtro Romani publicas ſupplicationes in conſulatu Cn. Cornelii Lentuli, & P. Licinii Craſſi indixerunt.

Denique Imperator Conſtantinus decrevit, ut memorati partus, tanquam monſtruoſi, tertii generis, & inſoliti, è vivis tollerentur: idque ni fallor, cum gravi ratione: ſi non aliis de cauſis, ſaltem ob caſum fœdum, quem relaturus ſum, quamvis calamus ſcribentis à narratione abhorreat: nihilominus cùm inter Boëtii hiſtorias cenſeatur, ut tanto magis periculum talium monſtrorum pateat, non omittendum ratus ſum. Anno ſalutis noſtræ milleſimo, quadringenteſimo ſexageſimo primo, in urbe quadam regni Scotici, quæ Litquus nominatur, horum ſceleratorum quidam, & ipſe Androgynus, filiam herilem dormientem inveniens, inhumaniter, & barbarico auſu imprægnavit.

Lib. 3. De gen. Animal. c. 9. Curioſum non minus eſt noviſſe, qua de cauſa ſic naſcantur. Juxta Ariſtotelem ita eorum generatio fit: *Si nimirum formatrix facultas, paribus ad utrumque ſexum effingendum viribus in materiam incumbat.* Lib. 11. c. 49. Quod portentum homini cum quadrupedibus commune eſt, prout Plinius refert: idque primitus Neronis tempore contigiſſe.

Tom. 7. Annal. 564. Miraculum prodigio plenum eſt, quod Eminentiſſimus Baronius recenſet, idque de Beato Eutychio. Inveniebatur, inquit ille, in urbe Amaſea Androgynus Chriſtianorum more cum muliere ejuſdem fidei, & devotionis conjugatus: Hic cum prolem ſibi optaſſet, quotieſcunque talis in lucem edebatur, immaturus, & præcox fructus, ante debitum tempus apparebat: itaque cum non niſi imperfecti eſſent continuò nati moriebantur. Quid conſilii in re tam anxia, tam afflicta? id quod unicum ſupererat, & optimum eligentes, divinam opem implorant: imitantes Sareptanam viduam, quæ ut vitam filio ſuo impetraret, Prophetæ Eliæ virtutem ſollicitavit: aut verò Sunamitidem, quæ Eliſæi adjutorio uſa eſt, cum filium ſuum in cœnaculo mortuum vidit. Itaque & illi ad B. Eutychium convolant, & humili prece conteſtantur, ut mediator apud Deum altiſſimum eſſe velit, ab eodemque obtineat, ne impoſterum nata proles tam ſubito fato è vivis rapiatur. Profudit hic ſanctus fervidiſſimas preces ad authorem vitæ, ut ne mors invita domum hanc introiret: deinceps manu ſua vas ſacri olei apprehendens, utrumque conjugatum inungit. Fluebat oleum hoc de binis imaginibus, una Redemptoris crucifixi erat, altera Virginis glorioſiſſimæ, idque in Civitate Soſipoli. Porrò (cum fæmina tum temporis gravida eſſet) filio naſcituro nomen Petri impoſuit: Quid ſi filia naſcatur? inquiunt conjugati. Reſpondet ſanctus, talem non naſcituram. Cum jam filius feliciter obtigiſſet, recepto ſacramento regenerationis & impoſito præfato nomine, una cum eo ad ſanctum properant: à quo repetita benedictione humaniter accepti, cum ſumma exultatione domum remittuntur. Idem eis poſtea in ſecundo filio evenit, cui nomen Joannes impoſitum, ſic jubente eodem viro ſancto, poſtquam devotionis debitum compleſſent, & à viro Dei in templo benedictionis gratiam impetraſſent.

Sed hic finem & coronidem his paucis periodis & in hac materie impono: quidquid enim diverſis in locis alibi expreſſum reperi, huc epilogatum collocavi: nec omittam deinceps in appendicibus adjungere, quidquid interea temporis notatu dignum occurrerit. Termino, inquam, tractatum hunc, cum ſuaviſſima harmonia concivis mei Hieronymi Preti, qui in Salmace ſua, admiratione digniſſima, poſtquam Nympham hanc à Mercurio raptam demonſtravit, ſic concludit:

Si diſſe: E Giove cidılla;
Quand'ecco (o meraviglia!)
L'una all' altro s' uniſce,
L'un nell' altra ſi cangia;
Egli in lei ſi transforma, ed eſſa in lui,
E un inviſibil nodo
Fa di gemino corpo un corpo ſolo;
Entro il femineo corpo
Maſchio vigor ſi conchiude,
E nel corpo virile
Si miſchia, e ſi confonde il ſeſſo imbelle:
L'un e altra par anco
Eſſpira, e parla, e ſente
Vive par egli ancora, e vive anch' ella
Ne piu dirſi potrebbe, e queſti, e quella.

De portentis his tranſeo ad

PRODIGIA.

Prodigia cæleſtia ſigna ſunt iraſcentis Dei.

CUm in magna firmamenti ſcena inſueta apparent prodigia, & impreſſiones meteorologicæ, impius eſt, quisquis oculum in hæc ipſa non advertit, aut conſiderare vilipendit. Hæc enim ſigna magni ſphærarum Motoris loquela ſunt, quæ cum extra ordinem, & communem naturæ curſum ſint, meritò cum pavore viventium intuenda ſunt. Huc reſpiciunt verba Pſalmiſtæ: *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & paravit illum.* Item: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Supra quod Joannes Ciampolus ſic ait:

Sono eloquenti i cieli,
E con voce di rai ſempre novelle
Han per lingue le ſtelle.

Inter alia Cometes lingua ignita eſt, quæ nos docet, cum omni ſedulitate divinam caſtigationem effugere.

...... dirum mortalibus omen
Spargens ſanguineos flammato vertice crines:
Ille quidem morbosque ferens, inopinaque bella.

Sic Pontanus inter cæteros refert.

Sed de his mihi ſcopus non eſt plura tractare, cum jam abunde in ſuperiori volumine dictum ſit, idque in tractatu capillorum: ſolùm adducturus ſum portenta, prodigia, figuras, & aſpectus humanos, quotquot in cœlo apparuerunt.

Plinius in primo loco ſcriptum reliquit, anno ante adventum Redemptoris noſtri ter milleſimo, Lib. 28. c. 2.

ter centeſimo ſexageſimo octavo, Romæ, in fodiendis fundamentis fani, quod Jovi Capitolino ſacrum erat, inventum fuiſſe caput, quod recens de buſto abſciſſum videbatur: atque idcirco Haruſpices loco illi nomen Capitolii dediſſe: præſagierunt autem Romam caput orbis futuram. Sed de prodigiis hiſce terreſtribus, de quibus alibi jam memoratum eſt, tranſeamus ad conſideranda cæleſtia.

Anno ſalutis milleſimo, quingenteſimo ſexto in Regno Hungariæ, ſupra Civitatem dictam Barbeſca, die ſexta Octobris ſpectaculum in cœlo viſum fuit, Juvenum duorum, quorum alter gladio, alter acinace Turcico armatus erat; qui acriter invicem dimicarunt, donec ille qui armis Ottomannicis inſtructus erat, loco cedere coactus, & proſtratus fuit: Scutum hic gerebat inſignitum luna dimidiata, cui ſtella è vicinio erat: alter autem nudus in ſcuto ſuo binas aquilas demonſtrabat: Indicio ſat evidenti aquilas imperiales generoſam reportaturas eſſe victoriam, contra Lunam Ottomannicam.

Demonſtris. Aldrovandus hic inquit: *De humanis effigiebus prodigioſis infinita extant monumenta*, quamvis ille hæc deinceps in breve compendium reducat. Recenſet autem & illud quod ſequitur: Anno Redemptionis milleſimo, quingenteſimo quinquageſimo tertio, juxta quod Job Fincellius refert, ante calamitoſam mortem Mauritii Imperatoris, ſupra vicum quendam urbis Timigræ, apparuiſſe imaginem hominis, ſtaturæ giganteæ, quam proinde in nubibus ſenſim diſparuiſſe.

Pari modo Marcus Friſcus in meteorologiis narrat, eodem anno in Palatinatu apparuiſſe binos homines certantes in aëre, eoſque mirabiliter armatos, qui & ipſi poſtea evanuerint. Præter hæc anno, quo Veſpaſianus Imperator Hieroſolymam deſtruxit, non ſolum ſtella, gladium figurans multo tempore ſupra infelicem Civitatem ſuſpenſa apparuit, ſed armati quoque in aëre ferociter invicem præliantes viſi ſunt, ſic referente Textore.

Sic Anno Domini noſtri quadrageſimo nono ultra centeſimum, prout Fincelius memorat, ſupra Caſtellum Vutlandiam, cœlo ſereno apparuit homo elevatiſſimæ ſtaturæ, cujus veſtimenta Principem Germaniæ præſentarunt: ad cujus latus apparuit Leo ſimul, & agnus: hæc forma viri conatu omni allaborabat, ut coronam quandam manu raperet, propter quod & gladium vibrare, & rotare cœpit, cum jam coronam aliam ſibi pedibus ſuis ſubſtraviſſet: deinceps ſimulacrum hoc per nubem quandam obductum fuit. Hæc figura in operibus Lycoſthenis repræſentatur.

Annis, quibus Imperator Mauritius gubernacula imperii tenuit, in cœlo effigies viſa fuit hominis incogniti, qui monachum referebat, & gladium contra alium quempiam, dignitatis eximiæ ſtringebat. Haruſpices, id quod deinceps evenit, hoc portento Imperatoris ſubſecuturam mortem, quam gladio perpetrandam, præſagierunt. Textor hujus narrationis Author eſt.

Bugattus narrat in obſidione Brixiæ plura comparuiſſe prodigia: inter alia Mediolani ſupra porticum Matthæi Viſcontis ſimulacrum humanum notatum fuiſſe, armis ſplendidiſſimis inſigne, idque lucido, & ponderoſo equo inſidens: poſt biduum eandem formam rediiſſe, ſed loco unius duos equites apparuiſſe, invicem confligtantes; ſine mora deinceps diſparuiſſe.

Anno milleſimo ſexcenteſimo, quinquageſimo ſexto, cœlo ſereno Norimbergæ in aëre eques viſus fuit, qui manu una canem regebat promiſcuum, altera venaticum. Sol tum temporis diverſicolor erat, ſupra quem vas repletum ſanguine videbatur, quo ſol aſperſus fuit: Juxta ſolem aquila cernebatur ſine pedibus, expanſis alis: & in media opacitate duarum nubium ſereniſſima, & elegantiſſima Iris apparuit.

Anno ter milleſimo, nongenteſimo, quinquageſimo quarto, Druſus, Tyberii frater, contra Celtas expeditionem habuit: obviam huic facta eſt mulier prodigioſa, altiſſimæ, inuſitatæque ſtaturæ, ſic eum alloquens: *Quo pergis Druſe: non potes hæc omnia ex fatis videre.*

Confeſtim poſt viſionem hanc repentino morbo correptus, vitam ſimul & victorias terminavit.

Sic anno nongenteſimo viceſimo octavo ſupra milleſimum, cum populi quidam, nominati Brutii, de Civitate ſua profecti eſſent, ad ineundum cum hoſte prælium, eis obviam proceſſit Æthiops ſubobſcurus, quem milites gladio transfixerunt: ſed non multo tempore poſthæc (Erant enim Brutii colonia Romanorum) Caſſius, & Brutus Conſules occiſi ſunt.

Anno item ab urbe condita ſexcenteſimo decimo quarto, centeſimo ante natum Redemptorem, Livius recenſet, plures ſtatuas, effigiem humanam præſeferentes, cœlo decidiſſe.

Sed ne in monſtrorum hiſtoriam evagari mihi contingat, interim quæ in terris evenerunt, prodigia tranſeunda mihi ſunt, prout ſtatutum eſt, & ſolis æthereis vel cæleſtibus intendendum.

Magnus Aldrovandus Author eſt Anno poſt creationem mundi ter milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo tertio; ante partum Virginis quadringenteſimo, & ante ruinam, & caſum Athenienſium, qui Olympiade nonageſima ſecunda contigit, Cometem terrore plenum apparuiſſe: qui cum formam hominis præſentârit, neceſſarium arbitror, ut hic locum ſuum inveniat. Erat autem phænomenon hoc figuræ quadratæ, quadrum funeſtum ad repræſentandam turbulentiam, & confuſionem. In medio hujus manus apparebat ſcintillans, gerens pugno ſuo gladium ignitum: hic autem prope capulam dilatatus, paulatim in acutiſſimum mucronem terminabat, ſupra quem lucidiſſima ſtella ſcintillabat. Digiti manus ſpecies quaſdam, lancearum, & haſtarum ejaculari videbantur, à dextro harum latere dena hominum capita cernebantur, è quibus unum haſta transfixum apparebat: ſat autem monſtrabant, in hac tragica ſcena recitatores non deeſſe. Dixiſſes capita hæc concurrere, & declarare capita mundi, tot malorum cauſam, caſtiganda eſſe: & quod eadem non pro meritis punita à ſummo Judice vindictam ſeveram exigant. Comparuerunt autem, ut teſtimonium redderent funeſtum earum rerum, quæ eventuræ erant exitum futurum. Circumquaque & haſtilia erant, & lanceæ & tela, quæ millenis invicem modis confuſa, & intricata omnium rerum turbationem indicabant: videbantur enim hæc arma ſimili modo disjecta, prout ſolet, in agris, poſtquam horrida ſtrage binæ inter ſe acies concurrerunt, & ſanguinolento prælio terra undequaque ſpoliis, vel exuviis dimicantium diſſeminata eſt.

Non minoris extravagantiæ, videbantur illic in dextra parte confuſionis hujus, quæ de bellicis inſtru-

ſtrumentis erat, quinque capita, duo adoleſcentulorum, bina ſenum, in forma jam præſcripta, tanquam hominum quibus caput truncatum. Stella quædam è latere majus lumen præbebat horridiſſimis iſtis chaſmatibus: una item, non minus differens ab hac, à Nicia ſervo Epicuri obſervata fuit, eodem tempore, quo ad Pythoclem in Amphipolim relationem meteororum portabat: prout in vita Philoſophi hujus refertur.

Hic interim de prodigiis humanis in cœlo viſis ſcriptionem terminamus, nec tamen omittendum arbitramur, quod Mantuanus noſter de Cometis, & chaſmatibus ait: *Lib. 10. Æneid.*

Non ſecus ac livida ſiquando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor,
Ille ſitim, morboſque ferens mortalibus ægris.
Naſcitur, & lævo contriſtat lumine cœlum.

Deſcendo nunc de cæleſtibus, nec enim aquilina mihi pupilla oculorúm eſt, qua tantos ſplendores intueri poſſim: optimè memor Phaëtontes in præcipitium ruere, & cadere Icaros. Propter quod de cœlo ad hominem deſcendendo, non digrediar ab hoc, ut in compoſitione ejus, & natura diſcutiam

MIRABILIA.

INgens capitulum ſive tractatus hìc ſecuturus eſſet, ſiquidem pro materiæ abundantia procedendum eſſet (cum infiniti ſucceſſus ſint, infiniti caſus, admiratione pleni, qui inter mortales humana viciſſitudine eveniunt) nihilominus de infinitis pauca referam, & mare illud immenſum in vadum reducam, quantum factu poſſibile fuerit, non epilogando, quod ſine fundo & fine eſt, ſed inde quod oportet reſecando.

Capilli una nocte cani facti.

Primo loco ſe mihi offerunt capilli uno noctis intervallo caneſcentes. Schenchius enim memorat, inventum in aula Cæſaris Juvenem, qui ſtuprum cum virgine per violentam oppreſſionem commiſerit, propter quod ad capitale ſupplicium damnatus ſit, nocte autem quæ pœnam hanc præceſſit, quam truncatione capitis ſuſtinuerit, totum incanuiſſe: unde, ſi in manu magiſtratus non permanſiſſet, agnoſci eum vix potuiſſe, ſicut nec Imperator eum agnoverit. Conſimilem caſum à majoribus meis narratum memini, qui in patria mea Bononienſi evenit. Sed plus admirandi ſunt, inquit idem Author doctiſſimus, Infantes, qui cum canitie nati, proceſſu ætatis in capillos nigros deflorverunt. *Infantes cani.*

Polyſth. cap. 19.

Solinus refert, populos Albanos hoc nomine dictos fuiſſe, quod omnes cum canitie in lucem prodirent: de quo naturalis ratio in obſcuro non eſt. Capilli enim à primordio ſuo phlegmate nutriuntur, quod tractu temporis in ſanguinem degenerat. Raſis item memorat ſe hominem noviſſe, qui dragmate unico vitrioli potato, unico noctis intermedio, quidquid canitiei in capite geſſerat, totum amiſerit: qui uſus tamen non admittendus, & quem Galenus in genere internorum medicamentorum omninò excluſit.

Sanctimonialis rurſum juveneſcens. *In obſervat.*

Refert Dodoneus de monacha quadam, quæ ætate jam ingraveſcente, & annorum multitudine incurvata, ſenſim canitiem ſuam perdiderit, & nigredinem in comis ſuis contraxerit: faciem ejus antehac ſulcatam rugis planitiem induxiſſe, pectuſque repletum fuiſſe: ita ut nova hac metamorphoſi, & ſpecie refloreſcente eam puduerit.

Mulieres barbatæ. *Lib. 8. devariet.*

Non defuerunt præter hæc, mulieres, quibus genæ, & mentum barbatum apparuit: unde refert Volſius in Gynecæo Alberti Ducis Bavariæ fæminam inventam, cui ſpiſſa barba, & hirſuta, nigri coloris, de vultu penderit. Et in Muſæo publico Bononienſi, imago cernitur mulieris germanæ, quæ hanc patriam meam tranſeundo, mentum videri fecit barba nigra, duas ſpithamas longa, decoratum.

Acutiſſimi oculi.

Tranſeamus de his ad oculos. Leguntur fuiſſe, qui acutiſſimis oculorum pupillis dotati fuerint. Unde Plinius recenſet, inventum fuiſſe oculis tam lynceis, ut de Promontorio Sicilienſi quod Lilybæum dicebatur, Carthaginenſium claſſem è portu exeuntem viderit. Monſtro æquiparatur quod de acumine Callicratis dicitur, qui in ebore formicas elaborabat minutiſſimas, quarum membra nihilominus ſigillatim diſtingui poterant. Corroborat Plinius has narrationes ſuas, adducendo quoſdam, qui iracundia ſuccenſi, euſque oculos ſuos inflammarunt, ut hoſtes ſuos faſcinarint. Idem contigiſſe olim (inquit) in Scythiæ fæminis, quæ Bithyæ nominatæ ſint, & quæ duplici oculorum pupilla dotatæ fuerint. Imò verò, prout Solinus inquit, qui oculos ſic compoſitos habent, vix effugiunt, quin ſalivas, & halitum lethalem habeant. *Lib 7. c. 2.*

Inimici ſolo viſu faſcinati.

Literæ lectæ nocturno tempore ſine lumine.

Cornelius Gemma author eſt, ſe temporibus ſuis noviſſe quempiam, qui nocturno tempore ſine omni lumine, vel face quamvis ſcripturam legerit. Idipſum Suetonius de Imperatore Tyberio affirmat, quod nimirum nocturno tempore objecta quælibet diſtinctè cognoverit.

Porrò cum de viſione oculorum mentio fiat, non omittenda ſunt hic quæ de ſympathiis, & antipathiis memorantur: Scaliger tradit, fuiſſe quempiam qui ſolo intuitu ſiſymbrii aquatici, tantopere in horrorem inciderit, ut continuò ad repentinam fugam compelleretur. Marcellus Donatus item aſſerit ſe nobilem Mantuanum noviſſe, nomine Hippolytum Lanzonium, qui eouſq; ad aſpectum riccis. Spinoſi terreſtris expavere ſolitus ſit, & inhorreſcere, ut confeſtim viribus deficiens, in ſyncopes inſolitas delapſus ſit. Non deſunt plures, qui viſo fele, vel ſerpente, potiſſimum vipera idem paſſi ſunt. Quidam nomine Abenzoar de ſemetipſo teſtificatur, ſe nunquam ne minimum quidem vulnus videre potuiſſe. *Exerc. 274. In lib. de Med. Hiſt. c. 4.*

De acumine oculorum ad omnimodam privationem eorundem deſcendamus: conſiderando res exoticas, quas nonnulli, etiam oculis privati, operari potuerunt.

Cæcus operationes ſuas æque ac videns, perficiens.

Memoria recenti admodum de Patre quodam recolo, appellato Dominico Cavazzonio, Canonico Regulari Lateranenſi, in Canonicatu inſigni S. Affræ Breſciano, qui cæcus erat: ita tamen in literis verſatus, tam humanis, quàm divinis, ut quatuor annuales continuos in pulpito præmemoratæ Eccleſiæ fecerit, diebus feſtivis omnibus prædicando. In omni circulo argumentabatur, in omni Academia perorabat, omne forum conſcendebat: cauſas juridicas non intermiſſo labore dictabat, ad omnem actionem fori appellabatur: tantam habens in urbe notitiam (ut de monaſterio nil referam) ut iter ſuum ſine duce ſine offenſa æque peregerit, ac quiſque alius nullo oculorum defectu impeditus.

Sic de Diodoro Stoico refertur, quod oculis orbus, tam perite Geometriam docuerit, ut Diſcipulis normam debitam dederit, quà exactiſſime

lineas

lineas ſuas ducerent. Didymus Alexandrinus Euſebiæ Prælatus à pueritia uſque cæcus erat, non obſtante tamen cæcitate Dialecticam erudítiſſime docuit, ſicut & Geometriam: multos item poſt ſe commentarios ſupra Pſalterium reliquit, ſic teſtificante Volaterrano.

Statuarius cæcus.

Non procul ab ætate noſtra Joannes Gambaſius Volaterranus, inſignis ſtatuarius Florentinus Romam ſe contulit. Anno autem ætatis ſuæ viceſimo oculis orbatus per decennium ſculptoria arte ſua abſtinuit: nova dehinc cupiditate allectus, quod intermiſſum fuerat exercitium reſumpſit & marmoream ſtatuam quæ Coſmum hujus nominis primum, Ducem Thuſciæ repræſentabat, manu palpans, cum ſibi maſſam cretæ afferri juſſiſſet, tam effabrè elaboravit, ut eandem ſimilitudinem, quam prototypon gerebat, ad vivum expreſſerit, ad ſtuporem & miraculum intuentium. Sic enimverò tactu delicatiſſimo reparavit, quod oculorum cæcitas denegârat. Hic proinde (cum ſic Dux memoratus imperaſſet) Romæ comparens, Urbanum Octavum feliciſſimæ, & glorioſiſſimæ memoriæ, ſummum Pontificem, tam artificosè exſculpſit, alia inſuper opera ſua impreſſit, & cum ſumma gloria perfecit, ut non immeritò in ſeram poſteritatem uſque transferenda nemo ſit qui ambigat.

Ulyſſes Aldrovandus & ipſe ætate ſua lanionis meminit, qui quamvis oculorum uſum privatus omninò eſſet, ſolo nihilominus pondere animalia æſtimare noverat quorum commercium exercebat, quæ deinceps mactata venum exponebat. Cognoſcebat item per numeros ſuos pondera ſtateræ, aut bilancis, monetarum item imagines, & gravitatem, & pretium. Equitabat ſine periculo, aliaque officia ad artem ſuam ſpectantia ſine mora exequebatur (id quod ad ſummam ei laudem vertebat, ſiquidem tanto authori fides adhibenda) Quamvis enim res exotica humanam videatur fidem exuperare, aſſeverat nihilominus vir doctiſſimus, ſe propriis eum oculis vidiſſe.

Senex recepto vulnere viſum receperat.

Non minus mirabile quod Dodoneus de nonagenario ſene refert, qui non niſi manu palpans gradiebatur, oculorum defectu: contigit autem ut in fronte plagam reciperet, quâ non ſolùm non obiit, ſed inſuper à cæcitate ſua liberatus fuit, recuperata valetudine, & viſu; idque cum admiratione, & ſtupore omnium, quotquot eum antehac noverant.

Aldrovandus ut ſupra.

In annalibus Mundi recenſetur Imperatorem Veſpaſianum ſalivâ ſuâ, quâ cæci oculos inunxerit, ei viſum recuperaſſe: cæcum autem, ut hanc ſibi medelam quæreret, per ſomnium à Serapide Numine impulſum. Veritatem rei narrantis fidei committo.

Inconteſtatum interim eſt, quod de Chriſtianiſſimis Franciæ Regibus Dei munere tributum eſt, ut ii ipſi unà cum ſeptem filiis legitimo thoro natis, ſalivâ ſolâ, ſignoque crucis formato in collo laborantium ſanare ſtrumas, virtute cæleſti poſſint: quod eorum privilegium ipſe ego non ſolum oculis vidi, ſed in perſona uterini fratris mei experientiai didici.

Tumultus belli procul auditus.

Quidquid de oculorum acumine relatum eſt, pari ratione de auditu dicendum atque è contrario De duritie, & gravedine illius. Plinius Author eſt, tumultum bellicum, quem Sibaritarum Urbs deſtructa quondam excitârat, ab Olympiis auditum fuiſſe: quorum Urbs à præmemorata quamplurimis milliaribus diſſita erat, teſtificante idipſum doctiſſimo viro Oroſio. Memoriæ dedit Hippocrates, vir famæ inclytæ, certum quendam, nomine Alycanorem, perſonam facetam, & jucundæ converſationis, invitatum ad epulas, tubarum, cythararum metu declinaſſe, cum tamen cæteris vicibus id nihili penderet. Non minus curioſum, & riſu dignum quod, Scaliger adducit, fuiſſe qui inſonante cythara aut fidibus cieri ſe ad urinandum, magnumque ſibi ad hoc ipſum provocari pruritum fatebatur. *Lib. 5. Morb. pop.*

Exerc. 44.

Quod linguam denteſque concernit, traditio Raviſii eſt, Atym Crœſi filium, cum ſemeſtris ætatis eſſet, & militem vidiſſet levato brachio Patri necem minitantem, jamque gulæ gladium immittentem, etiam in cunis jacentem, *ne Patrem mactaret*, exclamaſſe. Ab eodem Authore commemoratur Eclem, Athletam Samium, cum ſortes à ſodalibus ſuis injuſtè gubernatas vidiſſet, incitante iracundia, prorupiſſe in ſubitam loquelam, claraque voce auditum, cum antehac omnino mutus fuiſſet.

Mutis loquela ſubitò data.

Item alii repente obmutuerunt.

In contrario idem author recenſet, conjugem Nauſimonis Athenienſis, cum filios ſuos in inceſtu deprehendiſſet, tam fœdi criminis horrore, cum reliquum vitæ ſuæ tempus nullum linguæ impedimentum ſenſiſſet, continuo ſine voce, ſine omni linguæ uſu permanſiſſe. Plinius refert, eſſe homines, qui verum ſub linguis ſuis venenum gerant. Hinc Iſidorus confirmat in Africa familias quaſdam fuiſſe, quæ ſi in arborem, aut hominem, aut quodvis animal inſufflaſſent, ſubitò, quæ hoc flatu contacta fuerant, interiiſſe. Aldrovandus item memorat noſtro ſeculo militem repertum, per Cataloniam vagantem, qui quemcunque allocutus eſſet, etiam ſi familiariter & amice id faceret, in proceſſu ſermonis flatu ſuo infectaſſe, & demum ſubitaneam mortem intuliſſe. *Lib. 7. c. 2.*

Circa dentes obſervatum fuit, quoſdam cum iiſdem natos, alios omninò ſine dentibus fuiſſe, alios vice oris non niſi foramen quoddam geſſiſſe (de quibus alibi jam relatum eſt) inter hos poſteriores Pruſſiæ, Regis Bithyniæ filius fuit: ſicut è contrario de Timarcho Meſtoris Cyprii filio legitur, eum cum duplicato dentium ordine genitum, ſicut & Direpſimam filiam Mitridatis Regis.

Hercules tres dentium ordines habuit.

Jon Chius, apud Cœlium virum eruditiſſimum, tres dentium ordines Herculi attribuit: nec verò mirum id videri debet (inquit Author) Columbus enim Anatomicus modernorum temporum celeberrimus aſſerit, ſe infantem noviſſe, qui pariter triplicato dentium ordine dotatus fuerit. *In lib. Anatom. cap. 10.*

Odoratus. *Cent. 2. Cur. 36. In lib. de Med. hiſt.*

Circa odoratum non minus admiratione digna occurrunt: Amatus enim ſcriptor Luſitanus, memoriæ dedit, noviſſe ſe Monachum ordinis Prædicatorum, nobilem Venetum, familiæ Barbarinæ, qui ſolo odore roſarum deliquium pati conſueverit. Marcellus Donatus ait, vidiſſe ſe militem, alioquin ſat ſtrenuum, & infracti animi, qui odorem rutæ uſque adeo averſatus ſit, ut cum primùm eam ſenſiſſet, non ſecus ac perſequente inimico effugerit.

Inventi ſunt, qui ſolo potionis, vel medicamenti odore purgati ſunt, eandem operationem conſecuti, quam ſi medicamentū ipſum ſumpſiſſent. Hæc de odore. Illud tamen non omittendum, quod Quintus Curtius de Alexandro Magno commemorat, de corpore ejus ſuaviſſimum odorem cum ſudore evaporaſſe.

De guſtu item prodigioſa quædam recenſentur,

unde

Guſtus.

unde Luſitanus ille jam ſupra citatus refert, extitiſſe nonnullos, qui omne genus opſonii, quod è piſcibus conſtabat, abhorruerint: ſiquidem etiam quavis alia carnium compoſitione immixti fuiſſent, continuò guſtatos admirabilem nauſeam, imò & animi deliquium inopinum peperiſſe. Braſavola medicinæ Doctor meminit, cognoviſſe ſe Juliam Tarraconenſem, filiam Friderici Regis Neapoleos, quæ nullam unquam carnium ſortem guſtârit: ſiquidem etiam caſu talem ſumpſiſſet, ſine mora incredibilia paſſam ſymptomata.

Conciliator Aponenſis (prout Matthæus Gradenſis memorat) tantam lactis nauſeam habuit, ut vix aſſidere potuerit, ſi qui commenſalium eodem veſcerentur. Sic Marcellus Donatus inquit, hominem nobilem ſibi notum fuiſſe, qui certum quoddam farciminis genus de ovibus piſcium confectum (quod Itali *Cacciale* nominant) tantopere in odio habuiſſe, ut non ſolùm inde guſtare horruerit, ſed & viſu ei intolerabile fuerit. Hæc de eſculentis, & poculentis dicta ſint.

Pontanus vir eruditiſſimus recenſet, ſibi notum fuiſſe quempiam, qui toto vitæ ſuæ decurſu vinum non guſtaverit, propter quod & nomen Abſtemii obtinuerit. Imò verò cum Ladislaus Rex Neapolitanorum, eum non niſi minimum guſtare juſſiſſet, incomparabilem nauſeam, & animi averſionem ſuſtinuiſſe. Dum hæc ipſa deſcribo, tractare mihi contingit cum duobus abſtemiis Patre ſimul & filio, utroque Barbitonſore. Hi in conviviis, à vino abhorrentes, ſibi ſitulas aquæ afferri rogant, qua ſitim reſtinguunt: reduplicando in eſculentis, quodcunque in potu parſimoniæ dederint. Hi ipſi nihilominus cum vindemiæ tempus eſt, integras vineas evacuant, voraciores enim canibus, uvarum multitudinem deglutiunt. Apparet ex his, quanta ſit naturarum, & complexionum inæqualitas.

Præfatus Pontanus de certo quodam Androne Argivo meminit, quod uſque adeo ſitibundus non fuerit, ut cum per ariditiſſimas Lybiæ arenas iter ageret, ubi intolerabilis æſtus peregrinantes ſæpe extinguit (in quibus locis etiam Mumiæ formantur) ille tamen abſque omni deſiderio bibendi tranſierit.

Morſus ſerpentum ſolo contactu ſanatus.

Non hic tacendum de rebus aliis miraculo plenis, quæ ſenſus humanos contingunt. Refert Plinius (id quod de Crate Pergameno ſe habere inquit) in Helleſponto hominum genus eſſe, Ophiogenos dictum, qui contactu ſolo ſerpentium moribus medeantur. Imo idem Author aſſeverat, Pirrhum Regem Epirotarum, pollice pedis dextri lienoſos, vel ſpleneticos ſolo contactu curaſſe, eoſque ab omni tumore, & inflatione liberaſſe: cujus cadaver pro more Patriæ cùm in rogo flammis conſumptum eſſet, pollex ille incombuſtus apparuit.

Lib. 3. obſerv. 63.

Commemorat Schenchius civem quendam Uratislaviæ incidi ſibi venam feciſſe, de eadem autem non ſolum ſanguinem, ſed immixtas ſanguini puriſſimas lactis guttas prodiiſſe, cum pridie ejus diei lacte victitaſſet. Dodoneus author eſt, Syrum quendam, cum ei filius natus, materque præmatura morte adhuc lactentiè vivis ſublata eſſet, admoviſſe mamillis ſuis puerum, qui identidem ſugendo, tandem lac puriſſimum emulſerit, ac deinde à Patre lactatus fuerit. Nec verò hæc ab Ariſtotelis doctrina diſſentiunt, qui ſuſtinet, etiam de papillis marium, ſi continuata ſuctione ſollicitatæ fuerint, lac demum cieri poſſe.

Multo magis ſtupendum eſt, oſſa dari quæ abſque medulla ſint: nihilominus à Solino habemus, certum quendam Licdamum Syracuſanum, hominem robuſtiſſimum, poſtquam è vivis deceſſiſſet, confractis oſſibus inventum fuiſſe ſine medulla. Hinc evenit, ut nunquam ſitibundus eſſet, nec ſignum unquam vel minimi ſudoris dederit. Hic autem è certaminibus olympicis nunquam niſi victor reverſus eſt.

Rurſum de cute admiranda memorantur; dicuntur enim nobiliores Britanniæ minoris cum macula quadam candidiſſima in lateribus naſci: in quorum nativitate hæc nota non apparet, eos (meo quidem arbitratu parum ſapienter) tanquam dulteros, & ſpurios excludere: ſic apud impiam gentem hanc etiam maculæ honori ſunt.

Solinus æſtimat, riſum in infante noviter nato, ante diem quadrageſimum portentoſum eſſe. Zoroaſter nihilominus in primo ſui ortu riſiſſe legitur: Craſſus econtra Avus ejus (qui in certamine Parthico occubuit) nunquam in vita ſua riſiſſe viſus eſt. Cum verò Zoroaſter homo ſummi ingenii, multarumque artium fuerit, præmemoratus Solinus authumat, riſum præcocem, indicium eſſe proſperi eventus: Nil autem è contrario, vel raro admodum ridere; augurium ſiniſtrum eſſe. Intereos, qui nunquam riſère, Anaxagoras cenſetur patriâ ſuâ Clazomenius, Item Cato Cenſorius, Craſſus, Socrates, & alii. Sic & alii inventi ſunt, quibus è ventre flatus nullus, nec ex ore ructus auditus. De Pomponio Poëta, & Antonia Druſi filia legitur, quod ſputum nullum ejecerint. De Xenophane & Philomene philoſophis memorant, quod à riſu abſtinere non potuerint. Quorum hic poſterior cum aſellum ſuum intuitus eſſet, mira dexteritate (ſi qua ei ineſſe poteſt) de quadam arbore quam domui ſuæ vicinam in horticello plantaverat, maturas ficus decerpere, uſqueadeo immoderatè in riſum ſolutus fuit, ut (teſte Laërtio) mortem ſibi conſciverit.

Riſus portentoſus.

Nimio riſu mors ſubſecuta.

Non minora ſunt: quæ de ingenio, & memoria hominum producuntur; Illuſtres fæminæ ſunt; quæ ſtudiis ſe dedicando, ad miraculum uſque profecerunt: inter quas Aſpaſia eſt, & Sophia, & Elpice Conjux Boëtii, Cornelia Grachi mater, quæ, juxta Ciceronem, in ſcribendis Epiſtolis eruditiſſimis eximia erat: In arte oratoria Manto, Tireſiæ vatis filia, illuſtris fuit, ſicut & Erinna Poli, Argentaria Poëtæ Lucani uxor, Cornelia Scipionis Africani, Damophila Græca, Hipatia Alexandrinenſis, Leontia, Theane, Zenobia, Diotima, Arete, Eudoxia, Proba, Fabiola, Marcella, Euſtochia, Amalezunta, Corinna, Hortenſia: & inter modernas, Hildegardis, Caſſandra, Conſtantia, Gilberta, Irene, Alexandra, victoria Colonna, & aliæ, quæ tot ſcriptorum volumina cum honore adimplent.

Ut de his ad viros progrediamur, Petrarcha memorat, Clementem Sixtum, id quod ſemel legiſſet, inamiſſibili memoria tenuiſſe. Sic de Diacono quodam urbis Eliæ, cui nomen Valens erat, Euſebius Cæſarienſis refert, quod univerſam ſcripturam ſacram memoriæ mandaverit. Idem de Joanne Palæſtino cæco refertur: qui ex improviſo interrogatus ſuper iis, quæ etiam maxime in ſcripturis recondita habentur, ſine hæſitatione memoria non fallente recitabat.

Joannes Majolus memorat, Anno Domini milleſimo centeſimo vigeſimo octavo in Civitate Sinueſſenſi, adoleſcentulum univerſas literas ſacras veteris teſtamenti verſui dediſſe; idque tantò magis admirabile, quod pecorum cuſtos erat: ajebat autem, ſe quidquid intelligentiæ poſſideret, totum à glorioſiſſima cœlorum Imperatrice adeptum, quàm peculiari devotione venerabatur.

Plinius famam Cyri obliterari non vult, quem ait recentiſſima memoria quemque militum ſuorum in exercitu (cum tamen infinitæ multitudinis eſſet) nomine ſuo compellaſſe: gloriabatur etiam ſe conſuetudinem, & affectiones eorum noſſe.

Rex Mitridates, viginti duabus Nationibus imperans, uniuſcujusque earum linguam callebat, & ſententias, ſi quæ dandæ erant in vernacula earum lingua pronunciabat.

Seneca tam profundæ traditur memoriæ fuiſſe, ut ducentenos verſus integros ſola recitatione auditos, repeteret, idque etiam ordine retrogado, nullo intercurrente errore.

Doctiſſimus Aldrovandus inquit, ſe Juvenem illuſtrem noviſſe ſpectabilem ob admirabile talentum ſuum; qui centum concluſiones die uno propoſuerit, eaſdemque vigoroſiſſime defenderit: centum etiam argumenta in contrarium allata repetierit: id quod fidem excederet, niſi ab Authore tanto ſolidatum eſſet.

Qui plura de portentis hujuſcemodi deſiderat, præter theatrum vitæ humanæ famoſiſſimi Beierlinch, copioſas officinas adeat Textoris, & Joannis Felicis Aſtolphi, illic enim exempla memoratu digna, ex ſtupenda inventurus eſt: ſicut è contrario eorum, quibus infeliciter memoria omnino evanuit, argumento lamentabili humanæ calamitatis.

Sæpe adeo in primo exitu, quo de ventre matris proles egreditur, eventus proſperi conſiderantur, in quibus referendis non niſi quæ mirabilia viſa fuerint expediam, exploſis iis, quæcunque vanam ſuperſtitionem ſapiunt. Narratur (ſive id per fabulas mixtas hiſtoriis, ſive per hiſtorias immixtas fabulis) de Telepho Herculis filio, quod imperio Avi ſui feris expoſitus, ſed à Cerva nutritus fuerit.

Semiramis item, fæmina maxime inclyta, cum primum in lucem edita eſſet, continuò de vita ſua periclitata eſt: infantula enim in vicinia ſtagni cujuſdam (quod in Syria eſt) expoſita, fame utique periiſſet, niſi aviculæ ei alimentum præbuiſſent. Poſthæc à Paſtoribus regiis educata, & in aulam Regiam adducta, Regis ipſius nuptias conſecuta eſt: cujus opera valorem & robur imperii conſolidans, vindictam rigidam de inimicis ſuis exercens, regnum ſibi ereptum recuperavit: idque etiam ſucceſſu temporis amplicavit, & auſcit. Quod factum una cum ſuperiori, non diſſimilem cum Romulo & Remo, eventum habet.

Pyrrhus Æacidæ filius ſtrenui militis poſtquam de ſplendore regio per adverſam fortunæ ſortem decidiſſet, nihilominus in media hoſtilium ſagittarum tempeſtate & nimbo illæſus, Glauco miniſtro dehinc recommendatus, denique redintegratis viribus, regnum ſibi jam præreptum recuperavit, & glorioſiorem thronum, quàm fuerat antehac, ſtabilivit. Cyrus vix natus eandem fortunæ novercantis viciſſitudinem paſſus eſt; nam & ipſe feris expoſitus, caſu potius, quàm conſilio à matre ſervatus, & defenſus fuit.

Ad hæc exempla adjungi poſſunt dies natales, in quibus facta memorabilia occurrerunt: inter quæ inſignius illud eſt de Invincibili Imperatore Carolo Quinto: qui Vigeſimo quarto Februarii natus, eodem ad Ticinum hoſtem ſuperavit, numeroſiſſimo Regis Galliæ exercitu fuſo eodem die à Clemente ſeptimo ſummo Pontifice, in auguſtiſſima patria mea diademate imperiali coronatus eſt. Hi dies & felicitate pleni fuerunt. Inter infauſta hæc quæ ſequuntur exempla ſunt: Antipater Sidonius annuo nativitatis ſuæ die, ſemper febribus infeſtatus eodem etiam die, diem ſuum obiit.

Mirabilia item ſunt, quæ de corporum robore memorantur: præter illa enim, quæ ſupra de Gigantibus, de paſtore Davide ex ſacris literis relata ſunt (ubi idem ipſe ait: *veniebat leo, vel urſus, & arripiebam mentum eorum, & ſuffocabam eos:* nec ignotũ eſt, qua virtute ſola funda armatus, ingentem illam machinam, portentoſum Goliath, qui terror Iſraëliticæ gentis, ſimul & terræ Palæſtinorum univerſæ erat, feliciter poſtraverit) Majolus recenſet, vidiſſe ſe Aſiaticûm hominem, præſente Marchione de Peſcara, qui ingentem marmoris globum manibus prehendens, trium pedum magnitudinem implentem, in altum magnis viribus jecerit, iiſdemque rurſus decidentem tenuerit: quem etiam non ſecus ac pilam aliquam huc illucque, velociſſimo motu impulerit.

Refert Olaus Magnus de Suecis, & Gothis quibuſdam, viris conſpicuis, quod virtute maſcula, imo Gigantæa in humeros ſuos bovem, aut equum ſuſtulerint, & ſpacio ſat longo bajularint: ſic item pondera, quæ mille libras multum exuperabant, iiſdem humeris longo itinere ſuſtentabant. Complura facta fortitudinis in modernis hiſtoriis de Uberto Cruce Mediolanenſi memorantur: Hic enim circa annum ſalutis 1290. omnem equum etiam effrænem, immotum tenebat: cum in medio curſu præceps rueret: hic præterea jumentum quovis onere frumentario gravatum ſine difficultate portabat.

Fortitudo animi.

Majori admiratione digni ſunt, qui non tam corporis viribus, quàm invincibili magnanimitate animi præcelluerunt; ſicut illud de Leæna Meretrice, quæ per Narmodium, & Ariſtogitonem tyrannos graviſſimis torturis ſubiecta, adduci nequaquam potuit, ut vel minimum proderet eorum quæ interrogabatur.

Sicut Anaxarchus, qui ne excidium impiorum diſcooperiret, qui ſe tormentabant, dentibus ſibi linguam amputavit; eodem etiam tempore, quo in mortarium conjectus tundebatur, hæc reſpondit:

Tundite Anaxarchum, ſydera celſa petit.

Impavidus erat Teramenes philoſophus, qui ad venenum ebibendum impulſus, illud manu imperterrita apprehendit, & non ſecus ac dulciſſimum liquorem epotavit, dicens ſe illud Clitiæ propinare, ei qui ſibi mortem parabat.

Dio Syracuſanus, intellecta filii ſui morte, quem non ſecus ac ſèmetipſum amaverat, non interrupta oratione, quam cœperat, cum magna intrepiditate dixit: Ite & funus ei parate. Fortitudo eximia fuit Epicuri, qui doloribus viſcerum penè diſcerptus, cum jam morti proximus eſſet, interrogatus, quomodo haberet, hoc reſponſi dedit: *Diem hunc feliciſſimum ago.* Hoc quod alibi jam retulimus. Copioſa in hoc genere exempla occurrunt de Ariſtide, de Hadriano, Bibulo,

Antigono, Lycurgo, Thucydide, Harpalo, Diogene, Sertorio, Mutio, Attilio Regulo, Paulo Æmilio, Xenophonte, Pompejo, Q. Fabio, Auguſto, Maſſiniſſa, Metello, Epaminonda: Hi enim non ſecus ac imota rupes in mediis perſecutionum, vel adverſantis fortunæ fluctibus reſtiterunt, prout illis per diverſos Authores encomium tantis viris dignum tribuitur.

Homines forma ſua ſibi invicem ſimiles.

Porrò cum rarum ſit admodum, vultus ſibi omninò ſimiles invenire, etiam majori conſideratione digna ſunt quæ referam: quorum idcircò etiam non niſi pauca huc collocari poſſunt. De his in libro Judicum cap. 14. & 15. fit mentio. Solinus de certo quodam Artemone meminit, qui tantam cum Antiocho Rege Syriæ ſimilitudinem habuit, ut Laodicea Regina præfati Regis Coniux, poſtquam ille fato ſuo functus eſſet, diuturno temporis ſpatio, in regali palatio Artemonem tanquam Regem exhibuerit, donec neceſſitate compluſa, eum palam in defuncti thronum ſubſtituit. Tantorum ſæpè malorum radix hæc facierum ambiguitas eſſe poterit.

Lib. 21. c. 8.

Ludovicus Vives S. Auguſtini Scholiaſtes, aſſerit, fuiſſe quendam Mecliniam nomine, cui bini uno partu nati ſint filii, uſque adeo & vultu, & forma corporis ſimiles, ut non ſolum extranei, ſed ipſi adeo Parentes, nō niſi ægrè alterum ab altero diſcernerent. Singularis in hoc Alberti Magni autheritas eſt, qui aſſeverat, vidiſſe ſe in Germania gemellos, conformitatis tantæ, ut vix diſtingui invicem potuerint: imò verò & geſtus illorum, & affectiones animi, & vox, & loquela eadem erant; & quod majori admiratione dignum eſt, utrique ſimul ægrotantes, utrique ſimul ſanabantur.

In lib. de Anima. c. 5.

Ad propoſitum noſtrum memorabile eſt, quod eruditus Fulgoſus refert, de binis videlicet Præſulibus digniſſimis Mendardo Epiſcopo Noviodunenſi, & Ghildardo Epiſcopo Rothomagenſi fratribus, qui uno partu in lucem editi, eodem die in ſolium Epiſcopale collocati, eodem defuncti eodem canonizati ſunt: unde de his apud Majolum hoc carmen legitur:

Una dies peperit, mitras dedit altera, mortem
Altera, & in ſanctos lectus uterque fuit.
Felices fratres, quorum communis origo,
Vita, corona, obitus, gloria, feſta dies:
Quin communis erat mens, & cor: dicite ſed vos
Corde ſi uno poſſint corpora bina regi.

De gemellorum diſſimilitudine & affectibus contrariis, plura in proëmiali operis hujus diſcurſu relata ſunt: itaque Lectorem illuc remitto. Hoc ſolum hic meminerim, in diſparitate vultuum tanto ampliorem divini opificis gloriam reſultare, divitiaſque omnipotentiæ infinitæ tantò evidentius pateſieri: ſic enim ordinem, & conſtitutionem naturæ requiſiſſe: ut videlicet tantò ſecurius Herilis dignitas, & domeſtica fides conſervetur; in tanta enim facierum æqualitate errores, & æquivoca cum irreparabili damno occurrerent, utpote ubi nulla perſonarum eſſet, nec ordinum diſtinctio.

Agilitas & levitas corporis.

De agilitate item & levitate corporis memoratu digna narrantur. Majolus præmemoratus hominem introducit, de Canariis Inſulis oriundum, qui in calcaneo ſiniſtri pedis, diuturno tempore immotus ſtans, ſe fundibulariis in ſcopum collocavit, non niſi octo paſſibus ab iis diſtans: ſed cum dexteritate & celeritate tanta in ſe ſaxa volitantia evitare noverat, jam ſe levando, jam incurvando, jam declinando, jam toto corpore ſe movendo, ut ſemper illæſus perſiſteret.

Eruditus vir Textor commemorat, Philetum Coum corpore tam levi, tenuique fuiſſe, ut ſoleas ſibi plumbeas affixerit, ne vento inſufflante tolleretur. Plinius plurimorum memoriam habet, qui agilitate curſus ſibi pares non invenerunt: Inter quos Philippidem nominat, qui curſu non intermiſſo ſpacium ducentorum ſtadiorum (quale erat ab Athenis uſque Lacedæmonem) emenſus ſit. Alium item inventum, qui à meridie ad veſperam uſque, curſum ſeptuaginta millium paſſuum confecerit.

Authores moderni in hiſtoria novi Mundi, memoriæ tradiderunt, in Mexico tabellarios, vel curſores publicos inventos, qui cum tanta celeritate, & rapiditate curſum ſuum peregerint, ut quemvis velociſſimum equum æquipararint: inter quos fuiſſe, qui ſpatio dierum quatuor, ſeptuaginta leucarum iter peregerint. Quotidie funambulones ſpectantur, qui in funibus ſuis cum morte jocari videntur (ſecuri nihilominus de vita ſua) mediante agilitate membrorum.

1. Pan. Silv. var. Lect. cap. 21.

Adjungantur his, qui admirabili celeritate equis inſidendo apparuerunt. Pontanus & Alexander temporibus ſuis vixiſſe hominem ajunt, nomine Calanum, cognomine Piſcem, qui toto penè vitæ ſuæ tempore in aquis degebat, & quantò major erat æſtuantis maris intemperies, tantò ille jucundius inter fluctus ferebatur, & ſine metu per medios vortices, & aquarum periculoſos turbines enatabat. Petrus Meſſias temporibus ſuis fuiſſe quendam inquit, vocatum Nicolaum, qui ſi in aquis non eſſet, de periculo mortis ſibi pertimeſcebat.

Inedia, & victus.

L. 2. Dimh. Celeſt.

Alia rurſum mira circa inediam, & victum referuntur. Pontanus aſſerit fuiſſe hominem, qui nunquam in vita ſua nec aquam nec vinum potârit. Strabo teſtatur Æthiopes nunquam infeſtari ſiti, quotieſcunque herba *loto* veſcantur. Quidā tradunt Venetiis fuiſſe, qui continuatis quamplurimis diebus nullum omninò cibum ſumpſerit: hominem temperamenti omninò frigidi.

Lib. 3. Obs. 41.

Philinus (teſtificante Textore) homo quidam ſic nominatus, dum vixit, nullo cibo alio, quam lacte victitavit, alii ſola urina. Refert Schenchius de certo quodam Franciſco Peluſio Lugdunenſi ſexagenario, quod cum puteum effoderet altitudinis quadraginta pedum, terra deſuper collapſa ad triginta pedes uſque, hominem in profundo vivum ſepelierit; Ille verò in cavitate deliteſcens, ſex diebus & noctibus illic ſine alimento vixit, non niſi urina ſua ſtomachum reficiens: donec tandem evacuata terra miſeram hanc vitam trahens, cum ſtupore omnium extractus fuit.

Quanto tempore ſine victu vivere quis poſſit.

Sententia Plinii eſt, poſſe hominem ſine victu ad undecimum uſque diem pertingere. Quamvis experientia me hocipſum docuerit, plures enim Infirmos eouſque inediam protraxiſſe memini.

Lib. 11. cap. 54.

Notandum eſt, quod ſicut multi inventi ſunt, qui famem, prout dictum eſt, tolerarunt, ſic plures rurſum viſi, qui rebus non commeſtibilibus victitarunt. Atteſtatur Aldrovandus vidiſſe ſe Bononiæ Anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo viceſimo ſexto, hominem infimæ ſortis, qui pro mercede data (quam ei ob monſtruoſum factum dabant) vaſæ terrea, & vitrea, & clavos, & corium, ligna, anguillas, piſces vivos, & aviculas cum plumis, aliaſque inſuper res conſimiles

deglutiebat, ſine diſpendio vitæ, vel ſanitatis, easdem ſicut ſumpſerat, per ſedem emittendo.

De ſymptomatibus & accidentibus humanis incredibilia memorantur: quorum nonnulla hic allaturus ſum, ſequendo veſtigia, quæ mihimet præſcripſi.

Schenchius in fæmina quadam partum obſervavit, eumque in perfectione ſua ritè formatum, quem ad annum uſque viceſimum in utero conſervarat, donec ſuperveniente mulieris morte extractus, & per modum ſaxi durus apparuit. Pari modo Anno à Creatione mundi 6095. obſervata fuit mulier, quæ ætatis ſuæ trigeſimo quinto è vivis deceſſit, habens uterum in modum petræ induratum, qui ad libras uſque ſeptem gravis erat, cum veſica, & peritonæo ſimiliter duriſſimo.

Lib. 4 Obſ. 185.

Lib. de abd. rerum Cauſ.

Idem Schenchius de muliere refert, quæ tredecim annorum ſpatio in utero ſuo ſceleton embryonis portavit, omnino à reliquo corpore ſegregatum. Idem author de muliere quadam, in Caſtello dicto Pomponio hæc obſervatu digna notavit, quod cum longo tempore ſceletum pueri in utero ſuo mortui portaſſet, tandem illud, quamvis cum præſentiſſimo vitæ ſuæ periculo, è latere ſuo ſibi ſcindi curaverit, atque ita fœtum mortuum eduxerit. Porrò cum vulnus jam obductum convaluiſſet, vivus ex eodem utero infans prodiit, nec per antecedens vulnus ſterilitatem incurrit: quin paucis ab hinc annis novam rurſus prolem in lucem edidit.

In lib. Anat.

Fernelius memòrat, natam aliquando Infantulam juncturis & articulis adeò relaxatis, ut in quamcunq; vellet partem eos flecteret. Sed illud magis ſtupendum quod Olerius recenſet, mulierem, ſine omni omnino oſſe (ſcilicet iis quæ dura & majora ſunt) vixiſſe, & corpus ſuum gubernaſſe: E contrario Columbus aſſerit, fuiſſe Romæ in Hoſpitali (quod Incurabilium dicitur) hominem, tam calamitoſum, ut nullum corporis membrum movere poſſet, excepta lingua, oculis, ventre, & thorace, totum enim ſceletum illius concretum, & non niſi uno oſſe compoſitum erat.

Lib. 3. Obſ. 312.

Circa urinæ affectus, inventi ſunt, qui immixtos urinæ vermes, aliaque animalium genera ejecerunt: Argentarius refert annotaſſe ſe Draconem alatum. Auget miraculum Schenchius, qui aſſeverat ex his partibus immixtum urinæ ſcorpionem vivum prodiiſſe, quem ipſe viderit. Colligi de his poterit, generari in humano corpore non ſolum vermes, ſed alia inſuper animalia: ſicut Aldrovandus fidem facit in Hungaria homines fuiſſe, de quibus ſerpentes vivi, & naturales ejecti fuerint.

Ariſtoteles Author eſt, homines tam undequaque clauſos prodiiſſe, ut nec minima quidem in partibus infernis foramina viſa ſint: Sueſſanus hanc affectionem marmoream nominat. Quod verò admirationem auget, idem author conteſtatur, hujuſcemodi homines longo tempore ſupervixiſſe. Unde Schenchius memorat filiolam Hebræi cujuſdam, nomine Teutonici purgamenta ventris in poſteriori corporis parte ſimul coagulaſſe, quæ deinceps tranſpiratione inſenſibili evaporârint, qua ſubſecuta, tumor ſubſederit. Sic de homine quodam narratur, quod cum ei loca hæc à chyrurgo nimium audaci, per ſectionem aperta eſſent, tam copioſus inde ſanguis manârit, ut continuò per evacuationem tantam exanimatus ſit.

Lib. 4. de gen. animal.

Lib. 2. c. 4.

Albertus magnus refert, ſicut & Sueſſanus, vidiſſe ſe complures hominum eorum, qui perforati non erant: præter homines Ariſtoteles ſibi vaccam oblatam, quæ & ipſa imperviain iis partibus fuerit, aliquanto tamen tempore vitam protraxerit; quamvis autem à chyrurgo reiteratis vicibus aperta fuiſſet, concreviſſe nihilominus aperturam. Vivebat proinde animal, & excrementa, in unum coacta ſiccabantur, ac deinceps in veſicam delabebantur. De excrementis loquendo Mercurialis in opere, quod de iiſdem compoſuit, ait vixiſſe Romæ quempiam, qui toto vitæ ſuæ tempore, feces non niſi ore reddiderit.

Pariter Schenkius de Anno milleſimo, ſexcenteſimo & triceſimo memorat, in urbe Conſtantienſi certum quendam Andream Conſulem Mendicantium vixiſſe, qui viginti continuis annis excrementa ſicca vomuerit: non obſtante hoc, mediocriter ſanum fuiſſe, & officium ſibi creditum naviter adminiſtraſſe, ad ſeros uſque annos vitam ſuam prolongando. Idem Author proſequitur, puellam vicennalem Coloniæ repertam, quæ triduanis vomitionibus per periodum ſe exonerabat; quam nulla medicamina, aut clyſteres eo reduxerint, ut hic inteſtinorum periſtalticus motus alia via, quod egerendum erat, expelleret. Interim ſymptoma hoc Patientem continuis diſpendiis naturæ exercebat: hinc non niſi cubare ſemper adacta fuit, contractis femoribus: forte ob accidentis violentiam, quam in actu tam præpoſtero ſentiebat: nec tamen ingenium illi defuit, aut color vividus, quem omnino floridum habebat. Aliæ item obſervationes ab eodem ſcriptore producuntur, in præmemorato volumine, in ſexageſima nimirum & octava libri tertii, ad quem remittimus Lectorem, ſiquidem his diſtineri longius libuerit.

Tom. 2. offic.

Circa matrimonium, & connubia, reſtant mirabilia non minus inſignia, in quorum infinitate pauca admodum producemus, cum aliò avocari me videam. Obſervemus cum doctiſſimo Aldrovando mulierem, quæ viginti duo matrimonia contraxiſſe legitur: ſicut tempore Damaſi Papæ virum qui viceſimam conjugem tumulatam vidit.

Martialis de quodam, qui mulieres ſibi ſeptem matrimonio, unam ſcilicet poſt alteram junxerat, ſic per irriſionem inquit:

Septima jam Phaleros tibi conditur uxor in agro:
Plus nulli, Phaleros, quàm tibi reddit ager.

Succedunt mortui reviviſcentes, idque ſine ope ſuperhumana. Quos caſus tamen ſi à ſæpius præcitato Aldrovando adducti non eſſent, cum copia Authorum Claſſicorum, tamquam vero multum abſimiles, hic præteriſſem. Refert nihilominus Pamphilus Phareus, juxta quod Textor meminit, de nonnullo, qui graviter in prælio vulneratus, ſignum expirantis præbuit: in hac exanimatione ſua diebus ſeptem decubuit, ſed cum in rogum unà cum cadaveribus aliis cremandus ferretur, inopinatò revixit.

Aviola, homo Conſularis, juxta Plinium, in rogum ſublatus, ſpiritum vitæ reaſſumpſit, ſed quod flammarum vis ei exitum non præbebat,

vivus inter flammas conſumptus eſt. Idem adhuc Corſidii cujuſdam meminit, qui cum ad foſſam ubi tumulandus erat, deductus eſſet, eos ipſos, qui ſe deduxerant, domum reconduxit: ejuſdem memoriæ fæmina eſt, quæ ſeptem diebus viſa exanimis, repentè ſpiritum ſuum recuperavit. Idem Author de quodam refert, qui in Sicilia jubente Pompejo decollatus, cum diem integrum inhumatus in litore jacuiſſet, eidem Imperatori vivus apparuit, & poſtquam mandata Deorum Infernalium ei tuliſſet, rurſum occubuit. Sed hæc, ſi fidem merentur, magicis artibus attribuenda ſunt.

His, quæ jam allata ſunt, illa inſuper apponantur, quæ de perſonis narrantur, vel nimio dolore, vel nimio gaudio expirantibus; quod nonnullis etiam per violentiam amoris, vel timoris evenit. Unde Plinius memorat, quendam cui Conſulatus dignitas abnegata fuerat, tanto dolore oppreſſum, ut una cum ſpe potiundæ dignitatis, etiam vitam amiſerit. Chilon Philoſophus, intellecta filii ſui victoria, in ludis videlicet Olympicis, tam læto nuncio nimium exhilaratus interiit. Sic Dionyſius tyrannus, unà cum Sophocle, audita relatione victoriæ tragicæ, uterque nimia profuſione ſpirituum ob inſolitam gaudii emotionem, curſum vitæ ſuæ terminavit.

Simile quiddam de fæmina quadam refertur, quæ filium ſuum in prælio occiſum intelligens, cum deinceps inſperatò reducem vidiſſet, cum vitæ ſuæ diſpendio in jubilum, qui vires ſuas excederet, prorupiſſe, & extinctam eſſe.

Vera ſint, an fabuloſa, quæ de Piramo & Thyſbe narrantur, uterque vitam nimio amore prodegit. Sed veracius de peregrino quodam milite memoria eſt, quod cum feliciter Palæſtinæ loca ſacra viſitaſſet, ubi Redemptorem converſatum legimus, denique in Oliveti montem pertingens, ultra progredi nequiverit, enthuſiaſmo ſummi amoris correptus, atque ita immenſo gaudio perfuſus, vitæ & viæ ſuæ terminum optatum invenerit.

Cum deinceps cadaver jam defuncti apertum eſſet, hæc in corde ejus verba conſcripta apparuerunt: *Amor meus IESVS.*

De timore non modica exempla ſunt, ſed quorum mihi nulla hic loci occurrunt.

Aſtolf. Officin. Joannes Baptiſta Velus de certo quodam Thoma Feſtaro Vicentino meminit, qui omnium hominum judicio viginti horis mortuus viſus fuit, cumque ad ſepulchrum tolleretur, ſe de feretro erexit, & ſat longo deinceps tempore in vivis permanſit. Traditio Valerii Maximi eſt, quod Genitius Prætor poſt gravem valetudinem de capite ſuo ſibi duo prodire cornua, alterum arietis, alterum vituli ſenſerit. Idem Author tradit Georgium de Epiro, cum defuncta mater ejus ad ſepulchrum portaretur, incluſum adhuc ventri matris, admirabili naturæ violentia de corpore mortuo vivum prodiiſſe, & vagitu continuato auditum, id quod à veſpillonibus, vel pollinctoribus, à quibus mortua ferebatur, cum ſtupore obſervatum, & depoſita ſandapila infantem inventum, & ſine mora nutricibus traditum, & in vita conſervatum fuiſſe.

Laertius memorat de Epimenide Candiotto, quod cum à Patre ſuo ad paſcendas oves aliquando miſſus eſſet, ſpeluncam quandam introierit, atque illic in ſoporem incidens, non niſi quinquageſimo ſeptimo anno evigilarit, cum jam fratres ejus, unico excepto, è numero vivorum ſublati eſſent. Philiſtratus, & Hippoclides, unico partu nati, cum plures annos vixiſſent, eodem die ſimul ambo defuncti ſunt.

Stupendum eſt, quod Thomas Facellus in prima Decade ſua Sicilienſis hiſtoriæ recenſet: Margaritam Edenburgi Comitiſſam Anno ſalutis noſtræ 1286. ætatis quadrageſimo primo, die Veneris ſancto, circa diei horam nonam tercentum ſexaginta quatuor pueros maſculos, & fæminas, omnes vivos peperiſſe: cui rei fidem faciunt Inſcriptiones publicæ, & præfatorum corporum numerus annotatus: quæ etiam ſat longo temporis ſpatio in civitate viſa fuerunt: maribus nomen Joannis impoſitum, fæminis Eliſabetha, à Guidone nimirum Epiſcopo, & Suffraganeo Trajectenſi, qui eos baptizavit: ſuſcepto lavacro baptiſmatis, una cum matre omnes extincti ſunt; ſepulti in Eccleſia Cathedrali, in monumento, cui literæ inſculptæ fuerunt, hiſtoriam facti continentes. Plures opinati ſunt caſtigatione divina id factum, ob temerarium judicium, quo Eliſabetha præmemorata peregrinam quandam mendicantem ſugillavit; hæc enim præ foribus Eccleſiæ ſtans binos in brachiis infantulos bajulans eleemoſynam flagitabat, quam Comitiſſa aſpere rejecit, ſuperaddens verbis injuriam, eam ſiniſtræ famæ arguendo: mendica ad purgandam innocentiam ſuam hoc miraculum, quod jam allatum eſt, ab Altiſſimo petiit, quod proinde evenit.

Curioſum, quamvis Tragicum eſt, quod traditione Raviſii habemus, unde memoria gratitudinis, etiam in feris obſervari poterit. Hic ergò narrat, in Ægypto aſpidem fuiſſe, quæ ad menſam pauperculæ familiæ cujuſdam quotidianis vicibus acceſſerit: & non ſecus ac catellus de micis decadentibus paſta ſit. Contigit forte, ut animal venenatum hoc ſubtus menſam pareret, animalculum verò quod excluſum noviter è ventre fuerat, inſiliens in pedem pueruli, qui ad matrem familias domus pertinebat, eum lethaliter vulnerando occidit. Aſpis quæ genuerat, indignum facinus intuita, ſimul & beneficii memor, quo alimenta ei tamdiu ſubminiſtrata fuerant, in partum ſuum invecta, & ultra modum ferociens, non prius deſtitit, donec & ipſe ſecus infantem mortuus occumberet: quo perpetrato extra domum ſe contulit, nec deinceps unquam viſa. Evidenti ſigno, quod ab ingratitudinis vitio natura ipſa tantopere abhorreat, ut etiam, qui alioquin homini inimiciſſimi & infeſtiſſimi ſunt ſerpentes, erga benefactores ſuos gratitudinis memoriam conſervent.

Aſpis commenſalis hominum læſione.

Si quod narraturus ſum fidem meretur, non ſemper ſpiritus phanatici, per dæmonum poſſeſſionem, aut inimicam potentiam operantur, ſed naturali quodam naturæ inſtinctu præſagire futura poſſunt. Singulare admodum eſt, quod ſuper hac materia Joannes Villanus narrat, de quodam Berto Farzetto Florentino, qui noctis tempore levare ſe, & inſidere lecto conſueverat: hic de mirandis rebus loquebatur: cumque ab iis, qui vigiles erant, de re quapiam interrogatus eſſet, aptiſſimis reſponſionibus non deerat. Contigit, ut eadem nocte qua Joannes duodecimus Pontifex Maximus expiravit, hic

hic de quo loquimur in alto mari navigaret, & improvisò ſe levaret, repetitis vicibus clamando: Hei me. Evigilant itineris ſocii, & quid ſibi vellet, inquirunt; reſpondit ille: hominem nigrum intueor, qui clava ſua columnam quatit, per quam fornix ingens ſuſtinetur: paucis dein momentis, denique, inquit, perculſus, & mortuus eſt. Interrogatur quiſnam ille? reſpondit, Pontifex noſter. Hæc verba diligenter à ſodalibus ſuis notata, cumque Acrem in continentem appuliſſent, præſagium viri experientia verum comprobatum eſt: Etenim Viterbi in cubiculo, ubi Pontifex cubabat, ſuper caput ejus fornix deciderat.

Impoſſibile illud alterum videtur, quod nihilominus ut verax ab Aſcanio Cenſorio de uxore quadam Sartoris in Thuringia narratur, quæ nomen Nebre habuit. Hæc cum gravida eſſet, & jam tempus edendi fetus propinquum, triduò etiam partus doloribus conflictata eſſet, denique in egreſſu filioli, ſimul ingens ſonitus, non ſecus ac bombardæ crepitus erupit, tam ingenti flamma ſimul exiliente, ut parturienti pannos, & manus vultumque obſtetricis ambuſſerit, totumque cubiculum ſulphureo odore adimpleverit. Hac ratione fabula Jovis cum Semele verificari videtur.

Hæc igitur aliaque portentoſa, quæ à me hactenus relata, & ſtupenda, & admiratione plena ſunt, & quæ in natura rerum contigerunt (ſiquidem fides integra Authoribus adhibenda) huc collocanda duxi, ut debitum his paginis numerum adimplerem: In quo nihilominus fidem non niſi penes authores ſtare volui; & inde ſequelas deduci, quæ non niſi de doctrinis Philoſophiæ naturalis ſolidiſſimis trahantur: excludendo conventiones magicas qualeſcunque, aut obſervationes alioquin vanas, vel ſuperſtitioſas. Qui plura his deſiderat, volumina magni viri Delrio adeat, vel Rogerii Bacconis *De mirabilibus artis & naturæ*: vel opera Raymundi Lulli, vel Patris Kircheri, magiam naturalem Portæ, Syntagmata doctiſſimi Giraldi, & tot aliorum, qui de his ampliſſime ſcripſerunt: avocant enim me aliò

HISTORIÆ ET RITUS.

DEſcendimus hic in Euripum, ad quem ſecurè enavigandum, utique nobis navigio opus eſſet, quod altiſſimis lateribus proviſum ſit: hic arenæ campus eſt, cujus multitudinem ſi quis numerare velit, quæ infinita eſt, utique Teleſcopiis ei opus eſſet.

Si quotquot in orbe homines ſunt, prout à principio voluminis hujus dictum eſt, animatum miraculum dici debent, omni itidem hora, variorum ſucceſſuum affectionum, & morum cauſa ſunt: hæc enim tam infinita ſunt, ut eadem recenſere pene idem ſit ac folia arborum numerare velle. Quot enim millia millium, quot myriades hominum in ſæculis tranſactis nos anteceſſerunt? Præter hæc cum omnes paginæ, omnis hæc voluminum immenſa multitudo non niſi hominem reſpiciat, eorumque facta recenſeat, ut quid mihi arrogare auſim, hæc innumera recenſere velle?

Interim ſi hunc titulum præterire ſilentio voluerim, utique de poſteriori hoc volumine tractatum inſignem omiſſurus eſſem, cum in altero nunquam omiſſus ſit: nimium è contra evagari, monſtruoſum prolixitate ſua opus futurum eſſet. Itaque id mihi propoſitum erit, ſicut in capitulis, quæ præceſſerunt, ut non niſi facta caſusque paucos in medium proferam, talia nimirum quæ cognitione digna ſint, & in legentium utilitatem cedant; Divertendo ſemper de virtute hominis (de qua ratiocinandi finem quis inveniat?) & immorando hujus nominis univoco, & eſſentiæ. Cum enim ſuper nomen hoc *hominis* individui ſint, propriique ſenſus, his potiſſimum diſtinebor.

Unde ut de viſu exordiar (interim ea quæ ſancti viri amore pœnitentiæ ducti laudabiliter in hoc genere operati ſunt, omittendo, quippe quod his plenæ ſint Sanctorum Legendæ) id ſolum hic, ad quorundam etiam Chriſtianorum confuſionem adduxero, quod de Philoſopho Democrito refertur, qui ſummo virtutis ſtudio, & amore pulchritudinis illius inductus, ne forte per irrequietam mentis agitationem ex occurſu objectorum terreſtrium quæ in ſenſus incidunt, & vanitate ſua obfuſcant, à contemplatione ſublimi perturbaretur, ſibi ipſi oculos excæcavit. Nonnulli autumant id factum, ut incentiva concupiſcentiæ à ſe tolleret, quæ evitari non poſſint, quamdiu oculorum illic obtutus eſt.

Steſichorus Poëta, teſtante Politiano, cum acerrimo carmine in Helenam, ejuſque opprobrioſam Laſciviam invectus eſſet, ſubitò occulta de cauſa luminibus ſuis orbatus eſt; cùm palinodiam deinceps ceciniſſet, iterum recuperavit: quæ hiſtoria, quanquam ab Aldrovando tanto viro referatur, mihi (ut verum fatear) apologo quam ſimillima videtur. Non obſcura nihilominus de Homero traditio eſt, eum à Juventute ſua cæcum fuiſſe: quamvis alii ſentiant id ei in ſenectute contigiſſe: alii rurſum ex morbo chronico: Ovidius ab apibus hoc ei malum veniſſe: nec mirum hominem vel Vatem tam melliſluum cum examinibus apum commercium habuiſſe. *In Ibin.*

Calamitoſus Beliſarius, poſt tot laborum laureas, tam generoſe adeptas, poſt Vandalos edomitos, Perſas devictos, poſt toties à barbarorum incurſionibus liberatam Italiam, eo quod fortunæ vultus nimium proſper & ſerenus eum arridebat, cum Imperatoris ſui ſuſpicionem affectati regni incurriſſet, ne forte apertis oculis nimium coronarum ſuarum fulgorem intueretur, miſerè demum excæcatus fuit. Ob quod tugurium ſibi vile in via regia fabricans, victum quotidianum mendicando petebat (qui tranſactis vitæ diebus immenſos divitiarum theſauros poſſederat) identidem illud repetendo: *Viator da obulum Beliſario, quem virtus extulit, & invidia excæcavit.*

De variis corporis ſymptomatibus memoratu digna referuntur, quorum huc nonnulla collocabimus. Scribit Plinius, Philadelphum Ægypti Regem, paſſione vomica mirum in modum tormentatum fuiſſe, ſed eum ſanitatem perfectam ex vulnere, quod in prælio inflictum fuerat, acquiſiſſe. Sic qui tantopere optatam mortem quærebat, in prima acie, ejuſdemque fronte dimicando, ſalutem & vitam inſperatò obtinuit.

Sic Servius Claudius Eques Romanus, nonnunquam podagra vexabatur, idque cum tanto dolore, ut ſæpiſſime mortem optarit: quam ut ſibi adſciſceret certo quodam medicamine venenato pedes ungebat: multùm verò abfuit, ut inde offen-

offenderetur, quin & omnem dolorem, & morbi radicem nil tale ſperans, extinxit.

Quod ſucceſſus attinet, qui ingenium ſat hebes indicant, memoriæ tradit Cælius de vetula quadam, Acon nominata, quod uſque adeo garrula fuerit, ut ſæpe ſpeculum ſuum manu arripiens, garrire cum imagine ſua cœperit, quaſi id cum una familiarium ſuarum ageret. Minus aliquantùm inſipienter egiſſe videtur Claudius Imp. (prout Sabellicus memorat) qui ſibi in hæredem quendam Domitium Hermetem adoptavit, virum qui nullo ad ſe pacto pertinebat: Britannicum legitimum filium ſuum prætereundo.

Conveniunt hæc cum inſipientia certi cujuſdam nomine Cippii, coram quo alius ejuſdem nominis dormire & nutare fingebat, ut tantò facilius uxorem ſuam deprehenderet plus quam pudor conjugalis permittebat familiariter cum altero illo agentem (& ut dici ſolet, cornua ſibi imponentem) Ex quo deinceps adagium enatum videtur, à Tullio uſurpatum: *Non omnibus dormio.* Quandoquidem verò ſomni mentio hic incidit, quoſdam ſuper hunc caſus jam olim annotatos, ſicut de vigilia quoq;, memorabimus. Plinius de puero quodam refert, qui ex itinere laſſus, in cavernam terræ introiens, ſpatio ſeptuaginta quinque annorum dormierit, ex quo deinceps evigilans, faciem Mundi converſam agnoverit, omniaque in formam aliam redacta.

Aldrovand. De monſtris.

E contra de Cajo Mecenate memoria eſt, triennio eum ante obitum tam exoticis vigiliis moleſtatum, ut nunquam ſomnum capere potuerit. Nec id tam mirum vel novum; de Nicolio enim, qui Ciceronianas phraſes tam eleganter edidit, hoc traditur; eum longo decennio vitam ſuam ſine ſomno egiſſe: ſed deinceps gravi valetudine correptum, ex eadem reconvaluiſſe, & priorem ſomnum recuperaſſe.

Varia parricidia.

De Parricidiis, & fratricidiis, aliiſque hujus generis violentiis myriades voluminum repletæ ſunt, quarum tamen aliquæ huc referentur. Traditur Ozias fuſte ingenti Prophetam Amos proprium patrem ſuum percuſſiſſe, eò quod Regis Jeroboam mandata ſpernendo verbum Domini prædicaſſet. Vix anni ſpacium eſt à tempore, quo hæc ſcribimus, cùm filius quidam infanda barbarie in patrem ſuum inſurrexit, & recurvo ferro eum graviter in capite vulneratum occidit, idque leviſſimis de cauſis.

Telogonus homo impius Ulyſſem patrem ſuum, de Trojano bello revertentem victorioſum, occidit. Sola item regnandi cupiditate ſacrilega Nicomedes Pruſiam patrem ſuum, Regem Bithyniæ è vivis ſuſtulit. Conſimile perpetravit Nero in matre ſua, eo quod nimium oculatam ad penetranda conſilia ſua intima rebatur. Sic Oreſtes, ulturus nefandum ſcelus matris ſuæ genuinæ, quæ maritum, Agamemnonem, Patrem ſuum occiderat, barbaricis modis eam è mundo ſuſtulit.

Cælius de Mitridate memorat, quod uſque eo impietatis pertigerit, ut & matrem, & fratrem, treſque filios, totidemque filias ſuas interemerit. Cor ferum, repletum toxico, quod malo ſuo ad aliorum necem adinvenit, & à quo tamen ipſe in vita ſervatus eſt.

Joannes Maria, filius Joannis Galeazzi Ducis Mediolanenſis piæ memoriæ, matrem ſuam peremit, eo quod cum nimia eum ſeveritate arguebat, & diffamabat. Qui plura his petit, Theatrum Mundi percurrat, ubi quatuor uſque paginæ, caſibus tam funeſtis repletæ ſunt.

Viciſſim Patres non deſunt, qui proprios filios ſuos necarunt. Herodes Judeæ Rex, juxta Macrobium, præter immanem illam Innocentum carnificinam, nec tribus quidem filiis ſuis pepercit. Hippomenes Athenienſium Princeps, cum filiam ſuam in adulterio deprehendiſſet, ſequenti modo eam caſtigavit, ſed qui humanitatem omnem, imò & barbariem excedit: equo enim eam colligavit, utrique alimentum ſubtrahens; equus fame compulſus, miſeram denique devoravit. Hinc proverbium Ciceronianum exortum: *Homo magis impius Hippomene.*

Mulier devorata ab equo.

Traditio Petri Criniti eſt, Herculem Epilepſia correptum, & mente motum proprios filios ſuos devoraſſe. Manlius Torquatus, referente Livio, filium ſuum ſecuri percuſſit, eo quod imperiis ſuis non obtemperaſſet, tam ſevera lege in eum vindicans, qui nondum dato ordine dimicandi, patris mandatum tranſiliit, contra Samnitem in ſingulare certamen deſcendendo.

Caſſius item, qui juxta Plutarchum, militare ſignum pro Romanis contra Latinos portabat, filium ſuum, eo quod cum hoſtibus de porta aperienda convenerat, interemit. Diodorus denique (authore Cælio) cum plures filios genuiſſet, omnes, excepto unico, jugulari fecit, non alia de cauſa, quàm ut unicus ille ſuperſtes cumulum bonorum temporalium tanto majorem poſſideret. Innumerabilia præter hæc exempla ſunt Maritorum, qui conjuges ſuas, item conjugum quæ maritos occiderunt.

Mortes voluntariæ, & propriis manibus illatæ.

Ut hæc prætereamus, illos memoremus, qui ſibimetipſis violentas manus intulerunt. Lactantius Firmianus Cleantem Philoſophum nobis proponet, qui cum ſibi de animarum immortalitate perſuaſum haberet, novum vitæ genus poſt hanc tranſitoriam promittens, ſibi ipſi mortem conſcivit: homo miſer, qui pagana cæcitate deceptus, unde vitam ſecuturam ſibi felicem pararet, media digna non invenit. Refert Menander, quem Textor citat, Publium Terentium, propter quod centum & octo fabulas, à ſe de græco in latinum translatas, amiſiſſet, ſeipſum miſerè in aquis ſuffocaſſe. De eodem Authore eſt, Empedoclem, ut æternitatem nominis ſibi compararet, in ardentes montis Æthnæ voragines ſe præcipitem dediſſe.

Sic Labienus Poëta, cum opera ſua flammis data vidiſſet (ob nimiam eorum libertatem & mordacitatem) idque decreto magiſtratuum, proprio ſuo dedecori ſuperſtes eſſe renuens, ſibi ipſi fatum ſuum maturavit.

Hipponax Poëta, qui verſus ſuos jambicis edidit, cum à pictore quodam inepto cum deformitate inſigni depictum ſe vidiſſet, tam ægrè rem tulit, ut verſibus venenatis omnem bilem ſuam in eum effuderit, idque tamdiu, donec pictor tot injuriarum impatiens, ſibi ipſi necem intulit: nomen pictoris Bubalus erat: verè bubalus, animal ratione carens, qui vitam ſuam prodigens, tam frivola de cauſa, fune terminarit. Hinc proverbium à Cicerone in Epiſtolis familiaribus uſurpatum: *Hipponacteum præconium.*

Huic non diſſimile eſt, quod de Archilocho Poëta Pario narratur: repudiatũ à ſocero ſuo Lycambe, qui filiam ſuam nomine Neobolon ei pactam alteri collocaverat, tam in eum ignominioſe

inſurrexiſſe, & jamborum ſuorum petulantia, uſque adeo perſecutum, ut infeliciſſimum Patrem, una cum filia ad laqueum & mortem compulerit. Unde Venuſinus Liricus, factum hoc exponens, ſic ait:

Archilochum proprio rabies armavit Jambo.

Sardanapalus Aſſyriorum Rex, homo tam imbellis, & effæminatus, videns ſe regno exui, & ſtatus ſui infelicitatem novis ſemper incrementis pejorari, ingentem pyram in medio Regiæ ſuæ exſtruxit, atque illuc quod pretioſiſſimum de ſupellectili ſua erat, injiciens, facemque admovens, in medias flammas proruit, in hoc ſolo ſe virum præſtans: ſi paganorum more loquendum eſt. Facinus hoc Ovidium ad hos verſus induxit:

In Ibin.

Inque pyram tecum chariſſima corpora mittas:
Quem finem vitæ Sardanapalus habet.

Themiſtocles Athenienſis, Nicoclis filius, invidia Concivium ſuorum expulſus patria, ad Regem Artaxerxem ſe contulit: qui dum eum contra patriam ſuam dimicare compuliſſet, reveritus tam nefarium ſcelus, cum venena deeſſent, ſumpta glyrium multitudine, & expreſſo ſanguine, quem poterat, totum epotavit, mortem ſibi accelerando.

Sic ſceleratus Nero, cum à Patribus conſcriptis condemnatus eſſet, ut in latrinam immundam ſepeliretur, ſica ſibi guttur transfixit, & nefandam vitam, ſibi ipſi carnifex factus, ademit: hinc Auſonius de eodem cecinit:

Matricida Nero proprii vim pertulit enſis.

Portia Catonis filia, referente Plutarcho, intellecta Bruti nece, quem Maritum habuerat, ferrum ad necandam ſe quæſivit, ſed cum hac de cauſa diligenter cuſtoditum eſſet, rodendo, & maſticando carbones, obſtinata deſperatione infelicem animam ſuam æternitati transmiſit.

Fatum Cleopatræ (quæ ſe aſpidi mordendam dedit in brachio, cum noſſet, ſe à Cæſare Auguſto captivam ductam iri: atque ideo ſe veneno extinxit) tam ubivis notum, & in tabulis tam frequenter depictum cernitur, quàm & illud Lucretiæ, quæ honore adempto, vivere recuſavit.

Memorabile factum eſt, quod Joſephus Hiſtoricus de Herode ſceleratiſſimo recenſet: qui videlicet commiſſo tam nefario Infanticidio, peremptis tribus filiis ſuis Alexandro, Ariſtobulo, & Antipatro: in graviſſimam infirmitatem delapſus eſt, ita ut de fœtenti corporis putredine enati vermes, vivo prodierint, quocirca & ſuæmetipſius vitæ ſatur, ſemetipſum è vivis ſuſtulit. Poſt infamem Judæ ſtrangulationem, ſuccedit mors Pilati, Judicis iniqui, qui Redemptorem noſtrum morti adjudicavit; hic enimverò pœnitudine ſuper hac tam impia tam ſacrilega ſententia ductus (referente Gregorio Turonenſi) propriis ſuis manibus ſibi necem intulit.

Per hanc occaſionem ſe varia mortis genera præſentant, quibus plures occubuerunt: inter quos (ut paucos de infinitis referam, quorum tamen majorem copiam liberum eſt Lectori invenire in authoribus iis, quorum ſtudium eſt de his ſpeciatim tractare) Marcus Catullus Lutatius Orator eſt: Hic teſte Valerio Maximo, cum Conſulatus ſui Collegam Marium haberet, ſocium etiam bellorum, & triumphorum quos de Cimbris tulerunt, tandem ab eodem (forte quod in bellicis hiſce adminiſtrationibus in ſimultates invicem incurrerunt) in cubiculum incluſus, fumi multitudine ſuffocatus fuit. Hanc item fortem dicitur Zoë, uxor S. Martyris Nicoſtrati ſubiiſſe, hanc eandem ſancta Felicula virgo, quæ cum nullis ſponſionibus à Chriſtiana fide avelli poſſet, imperante Flacco Comite, in latrinam fœtentem præcipitata fuit.

Non indigne hic ferat amicus Lector, ſiquidem eum in hac generoſa Martyrum Lucta, ad ſequentes Hiſtoriographos transmiſero: quorum unus eſt Petrus Victor, item Metaphraſtes, & Surius, & Lipomannus, Baronius in annalibus, P. Antonius Gallonius, & alii: à quibus mutuò ſumpſi argumenta & ideas, quæ in Secundam Partem Centuriarum contuli, quæ de Elogiis ſunt: quod volumen, intitulatum: *Cruciatus Martyrum per Encomia digeſti*, prælo commiſi. Nunc de his progrediendum mihi video ad

APOPHTEGMATA.

SI quid in ſcholis doctum legitur, palmam, ni fallor, Apophtegmata ſibi vendicant: quæ brevitate Laconica, ſententias cum caſuum eventu copulant. Elegantiſſima ſcena ſunt, in qua plures facies, ſibi invicem ſuccedentes, & brevi gyro diverſificatæ, una alteram pulchritudine exuperare contendit. Limpidiſſima ſpecula, quæ à ſole virtutis, tam perſonarum, quàm ſententiarum multiplicitate, refractos radios, & ſplendores quaquaverſum emittunt. Pretioſiſſima textura operis polymiti, vel acu picti, ubi tot egregia facinora repræſentantur: Vivi Oratores qui dicta cum factis adunando, tot vividas figuras ſubminiſtrant, & diſpertiunt.

Ego verò inter tot millena, quæ ad beneficium hominis jam typo data ſunt, non niſi pauca producturus ſum: idque ut in materie tanti ponderis volumen noſtrum inane non videatur. Itaque quantum licuerit, ea quæ acumen & doctrinam inſignem præſeferunt, afferentur: & non niſi ſpicilegium tenue de uberrimo, & ſpacioſiſſimo campo inſtituemus, ita tamen ut hoc modicum nutrimento eſſe poſſit, & cibum ſapientiæ ſolidum præbeat iis, quibus ea cordi eſt, ad negotium animi & profectum ejuſdem applicare.

Interim tamen, quidquid ad miſeriæ & calamitatis humanæ deſcriptionem pertinet, prætermittemus, cum primitivi propoſiti noſtri ſit, dignitati hominis volumen iſthuc inſcribere.

Offert ſe mihi inprimis Plotinus Philoſophus, qui ab Amelio pictore ſollicitatus, vel ſe typo imprimi, vel coloribus depingi permitteret, idipſum recuſavit, dicendo: *Quid? an non ſatis eſt nos imaginem hanc circumferre, niſi imaginis imaginem relinquamus poſteris oſtendendam?* Non imperitè dijudicavit corpus noſtrum non niſi ſimplex animæ veſtimentum eſſe; unde Pythagoras: *Minimum*, inquit, *hominis eſt videre eum: qui nihil aliud videt, quàm corpus.* Eraſmus vir literatiſſimus dicere conſueverat, ſenum vitam talem eſſe oportere, ut juvenibus ad præclarè agendum, norma & regula ſit: concludit autem ſic: *Cum optima via ad ſenectutem ſit eruditio.* Idcircò à plurimis populis, & nationibus ſenes in veneratione ſumma habiti ſunt, & in ſenatusconſultis non niſi ſeniorum authoritas prævalebat. Hinc Ovidius:

In Adagiis.

Nec niſi poſt annos patuit tunc curia ſeros:
Nomen & ætatis mite ſenatus habet.

Cùm porrò vitium videatur ſemen virtutis opertire velle, nonnulla Apophtegmatum adferemus, quæ ad vitiorum exterminium ſpectant: quantum

tum enim mihi virium eſt, ad hæc extirpanda contendam, iis armis utendo, quæ mihi ab authoribus meis ſuggeſta fuerint.

Ariſtonimus Philoſophus humanam vitam theatro comparabat, ubi peſſimus quiſque primum locum occupat. Archita dicere conſuevit: *Quemadmodum ſumma diligentia adhibita, piſcis absque ſpinis inveniri nequit: Similiter neque homo reperiri poteſt, qui aliquid non habeat doloſi admixtum.* Admirabilis comparatio eſt, qua Diogenes erga paraſitos, aliosque aliis vitiorum generibus ſubjectos utitur: *Similes*, inquit, *eſſe arboribus per præcipitia naſcentibus, quorum fructus non homines, ſed vultures, & corvi comedunt.* Inſinuando hujuſcemodi genus hominum, qui gulæ & voluptatibus ſe mancipant, verè homines non eſſe.

Ex Laertio in ejus vita.

Idem Diogenes cum adoleſcentem libidini, & mollitiei datum videret, ſic eum alloquebatur: *Non te pudet rejicere, quod tibi natura conceſſit? Non te pudet virtutis ſtragulas pudefacere? Natura te virum fecit, tu autem temetipſum in fœminam fingis.*

Hic idem aliquando in propatulo fori ſtans, innumera plebis multitudine circumfuſus (quorum quiſque ſententiam quandam, aut mordax dictum ab hoc cane, cujus dentes tamen mordendo ſanabant, cum aviditate aucupabat) exclamare cœpit: *Adeſte homines:* cumque plures reſpondiſſent: *En adſumus:* baculo, quem ſemper manu geſtabat, elevato eos à ſe pellere cœpit, dicens: *Homines voco, non ſterquilinia:* Intelligens ad communem hominum ſortem non pertinere, quicunque in promiſcua fæce populi dignum aliquid humano ingenio nil didicerunt.

Magnus ille Stilpo, qui homo vixit inter feras, ut fera inter homines viveret (verba Laertii ſunt) aliquando tamen in ſocietate quadam plurium inventus, hoc à quodam improperium audiit: *Quidam te belluam Domeſticam admirantur:* imò verò falleris, inquit ille: *Quia ſolent beſtiæ peregrinæ in ſpectaculum adduci, vulgares nemo admiratur.* Sic egregiè ſeipſum defendendo, potius cavillatoribus ſuis talionem reddidit, eos ſine ratione eſſe demonſtrans.

Anacarſes Philoſophus, referente Stobeo, interrogatus quid maxime noxium eſſet, reſpondit: ſi de viris loquimur, *ipſi ſibiipſis:* dictum eximium: veriſſimum enim eſt, quod Evangelium inquit: *Inimici hominis domeſtici ejus.* Quod ſi terror juſtitiæ, & legum abeſſet, homo hominem devoraret. Cato, ſpeculum illud tolerantiæ, verè Socratico pectore injuriam ſibi aliquando allatam, non niſi ſubridendo recepit, & ſuſtulit. Quidam enim impudentiſſimè in faciem ejus ſputare auſus eſt: ille verò ſereno vultu opprobrium inſolens, ut virum magnanimum decuit, ſupportando, non aliud rependit, quam illud: *Affirmabo cunctis Lentule* (tale nomen ſcurræ huic erat) *falli eos, qui te negant os habere:* In hunc modum hominis petulantiam repreſſit.

Admirabile factum eſt, quod de S. Canuto Angliæ Rege recenſetur, in quo adulatores pro merito percelluntur. Hic enim cum ſe præter ſolitum ab iiſdem laudibus elatum adverteret, thronum ſuum ſibi ad Oceani litus portari juſſit, dumque illum pro more inſediſſet, authoritate regia inquit: *Impero tibi, o mare, quod meæ ditionis es, ne in terram aſcendas, neque veſtes Domini tui madefacias:* ſed mare imperium regis non audiens, contra vetitum, continuò prout ante ſuper litus ejectum, thronum regium alluendo madefecit: Unde ille ad palpatores ſuos, quos ſecum duxerat, converſus inquit: *Sciant omnes orbem inhabitantes vanum eſſe Regum potentiam, neque Regis nomine planè dignum quempiam, præter illum cujus nutui cœlum, terra, & mare obtemperant.* Hoc dicto coronam regiam ſine mora depoſuit, & nunquam poſthac reſumpſit. Cyrus Rex ille Politiæ intelligentiſſimus (ſicut nos Plutarchus docet) ſententiam ſequentem uſurpabat: *Homines qui ſibi prodeſſe nollent, cogi debere, ut aliis famularentur:* ſugillando per hæc animas ſerviles, & gregarias, quæ cum ſeipſas regendi impotes ſint, aliorum regimini ſubmiſſas eſſe oportet, ut eorum fræno retentæ, deſidioſa vita ſua, & ineptiis mundum non inficiant.

Vitia mulierum.

Non infructiferum reor, hic vitia quædam mulierum percellere, ut qui ſapientes ſunt, eaſdem, dum hæc legerint, doctrina ſalutari, à pernitioſis hujuſcemodi vitiorum ſequelis avertant. Secundus Philoſophus interrogatus aliquando, quid fæmina mala ſit, reſpondit: *Viri naufragium, domûs tempeſtas, quietis impedimentum, vitæ cupiditas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, ſumptuoſum bellum, ſollicitudo confidens, leæna complectens, exornata ſcylla, animal malitioſum, malum neceſſarium.* Theophilus Imperator, cum ei uxor ducenda eſſet, per plures mundi plagas electas virgines, tam decore, quàm modeſtia inſignes perquiri fecit: inter quas Iſaciam virginem formâ præſtantem, non minus & virtute attentius contemplatus, in hæc nihilominus verba prorupit: *à muliere emanarunt mala:* ſed ſagax puella reſpondit: *à muliere res etiam meliores prodierunt.*

Diogenes aliquando plures mulieres intuitus, ſecum fabulantes, hoc dictum divulgavit: *Aſpis à vipera venenum mutuatur.* Pariter Democritus, interrogatus cur mulierem ſibi parvam admodum duxiſſet, cum ipſe ſat eminentis ſtaturæ eſſet, ſapienter reſpondit: *Ego in malo eligendo, quod minimum erat elegi.* Protagoras quæſitus cur inimico ſuo filiam in matrimonium dediſſet, pro reſponſo dedit: *Quia nihil illi dare poteram deterius.* Idem Philoſophus videns vetulam eleganter adornatam, laconiſmo mordaci ei improperavit, dicendo: *Si viris, falleris, ſi ſepulchro, ſat ornata es.* Sciſcitatus Solon ut mentem ſuam de ducenda uxore exponeret, pulchro dilemmate reſpondit: *Si turpem duxeris, habebis pœnam, ſi pulchram, communem.* Socrates, juxta Laertium dicere conſueverat: *Mulierem decoræ, & egregiæ formæ eſſe templum ſupra cloacam ædificatum.*

Revertamur ad viros, & motivum quoddam honoris vel honeſtatis adducamus; ut utriuſque pretium & æſtimationem noverimus: cujus rei ſimilitudinem aptam Socrates affert, dum ait: *Equus generoſus judicabitur, non quidem ſumptuoſè ornatus, ſed eximius natura: Itidem nec vir honeſtus qui opib⁹ dives, ſed qui anima egregius erit.* Antiſthenes hanc propoſitionem dedit: *Quæ bona ſunt, honeſta & pulchra ſunt; quæ verò mala, turpia.*

Stobæus ſerm. de virtut.

Laert. lib. 6.

Plutarchus de Laconibus teſtatur, quod pro nulla re alia tantopere diis ſuis ſupplicarent, quàm pro iis bonis, quæ honeſtatem ſibi conjunctam haberent: Cui doctiſſimus vir Beierlinch adjungit: *Tantùm valebat apud homines gentiles rerum honeſtas.*

In Apophth. Laced.

Theatrum vitæ Hum. litteraH.

Concludo hic cum ſententia aurea ſummi Aventini Oratoris: *Nihil turpe faciendum eſt bono viro, etiamſi ex omni parte lateat, etiamſi omnes deos, homineſque celare poſſimus, nil tamen in nobis avarè, nil injuſtè, nil libidinosè, nil incontinenter eſſe faciendum. Sapientis enim eſt proprium, nihil quod pœnitere poſſis, facere: ſed ſplendide, conſtanter, graviter, honeſtè omnia.*

Cicero 3. de offic.

Honeſtas igitur pretioſiſſima gemma eſt, quam quiſque qui rationi convenienter vitam ſuam inſtituit, meritò & in fronte, & in pectore ſibi portandam eſſe perſuadere debet: nobiliſſima lux eſt, quæ immortali laurea animam condecorat. Qui plura de his exigit, Proëmialem ſermonem operis hujus conſulat: Ego verò humanæ calamitatis Apophtegmata hic præteriens, cum ad ſcopum meum non colliment, convertor ad nonnulla humanæ dignitati convenientia

PROBLEMATA.

NOn minus neceſſaria, curioſa, dogmatica, & ſapientia repleta ſunt Problemata, nec Apophtegmatis ullo pacto cedere videntur. Sunt autem argumenta problematica, quæ in propoſitionum difficultatibus diſſolvendis, rationes ſuas, & dogmata in medium proferunt, mentem nihilominus in libertate ſua relinquunt, ut concipere, credere vel concludere id poſſit, quod maximè voluntati & inclinationi libuerit. Quod privilegium cæteris argumentorum generibus denegatum eſt: conſtringunt enim quodammodo intellectum, ut quo propoſitio vibraverit, aut conſequentia impulerit, illuc concurrat, & ſe victum reddat.

Problema plauſibile idcirco eſt, quia curioſum, & varietate doctrinarum, & rationum, quas de viſceribus aut Philoſophiæ, aut rationis excavat, cuicunque literarum ſtudioſo, vel amico deſiderium ſuum adimplet.

Hic ergò rurſum inter tot, tantosque authores, qui huc adduci poſſent, feraciſſimum volumen eſt Ariſtotelis, & inter modernos quæſita Alexandri Taſſoni, Poëtæ & Philoſophi ingenioſiſſimi, præter hos, liber, qui *Perche* dicitur; horum quiſque ſagaciſſimis inventionibus refertus, & ditatus eſt.

Ego verò pro genio meo, veſtigia rurſum verſatiſſimi Aldrovandi mei inſequens, quædam huc proferam, quæ cognitioni, utilitati, & univocationi hominis, earumque rerum quæ ad hominem ſpectant, maximè conſentanea videro: Erunt autem potiſſimum ea, quæ ad ætatem, partes, congreſſus, doctrinas & morbos ſpectant.

Barba ſenum & infirmorum cur augeatur.

Quod partes attinet, illud inprimis in quæſtionem venit: Cur comæ, & barba in ægrotantibus, barba etiam in ſenibus augmentum ſumant, potius quàm in ſanis & Juvenibus. Reſpondent nonnulli, quod illi quidem humore excrementitio abundent, plus quam impuberes, aut bene valentes: calor enim naturalis in utroque debilior, minus & conſumit, & diſſipat, quam in iis qui vegeti, & robuſti ſunt.

Quæritur item curiosè, cur natura os homini minus dederit, quam cæteris animantibus, vel quadrupedibus: potiſſimum verò, quod qui brevis ſtaturæ ſunt, os majus habere conſueverint. Operoſa reſponſio non eſt, ſi dixerimus ſufficere homini & ad debitam proportionem, & pro reſpiratione, & loquela, & cito hujuſcemodi os: cum è contra in aliis animantibus præter reſpirationem, & alimentum, etiam ad ſui tutelam, aliasque functiones corporis inſerviat.

Requirunt alii cum curioſitate quadam, cur homo ſolus & manibus, & brachiis, dotatus ſit: cætera animalia ad majorem laborem cæteroquin nata, his fraudentur. Reſponſum datur, quod cum beſtiæ & ingenio, & judicio careant ad ritè operandum, his membris eas non indigere, quippe quæ vicarii & miniſtri rationis dici debent: quod enim ratio meditando ruminat, manus ad actum practicum reducunt, & viſui exponunt.

Naſcitur item quæſtio alia de amplitudine pectoris, cur homini planum ſit, animalibus autem in acumen deſinat. Ad hoc Problema non tam facilis expeditionis, recurrendum erit ad Galenum, qui tradit, id factum propter uſum manuum; aliam enim pectoris formam iis impedimento futuram fuiſſe, ne ad tam varias vitæ actiones exequendas tam promptus eſſet. Cum etiam belluæ tam anteriores, quàm poſteriores partes ad motum progreſſivum directas habeant, pectus iis in tali forma aptiſſimum erat: In homine ratio diverſa eſt.

Lib. 13. de uſu partium cap. 13.

Quidam rurſus admirantur, cur homo in comparatione reliquorum animalium, pedes habeat majores: ſed non conſiderant, quod cum homo erectus incedat, ſimili baſe indigeat, ad corporis ſui ſimulachrum ſuſtinendum. Hæc breviter de membris delibaſſe ſufficiat.

Quod ætatem attinet, quæritur inprimis, cur hominis complexio, & temperamentum proceſſu temporis, & mutatione annorum, & ipſum quandoque mutationem ſuam patiatur, vel infirmitatem, vel è contra ſanitatem producendo: tam enim bonæ qualitates in deteriores degenerant; quam ſiniſtræ in bonas. Reſpondetur ad hæc: quandoque calidum naturale, quod adoleſcentiam gubernat, tam infirmum eſſe, ut ſuperfluitates excrementitias diſſipare nequeat, quandoque tam validum, ut non ſolum ea diſcutiat, ſed nonnunquam præcoci effectu, & ante tempus radicale humidum conſumat.

Non minus & illud curioſum eſt noſſe, cur pueri melius quàm ætate provecti memoriâ valeant; ratio adfertur: in hac ætate corpus molliuſculum eſſe: facilius autem huic, quam ſiccitate jam indurato objecta imprimi. Adhuc aliud in hac tenera ætate conſideratu dignum occurrit: cur infantes leviſſima quandoque de cauſa affectionibus animæ ſuæ nunc huc nunc illuc ferantur, cur nunc hos, nunc rurſum alios complectantur, ament, & oſculentur? Huic quæſtioni S. Clemens Alexandrinus obviat, dicens: auditu generari ſenſum delectationis: ideoque adoleſcentis cujuſdam amorem non admirandum de quo dictum:

Quod nunquam viſæ flagrabat amore puellæ.

Quærunt nonnulli, cur infantes proniores ad ridendum ſint, quam ætate maturi. Reſpondetur non tam id fieri ætatis levitate (prout quiſq; fortaſſis opinabitur) quàm quod Venus, ætatis hujus fautrix, jocos, & riſum amat, qui è temperamento ſano, ſicut & venuſtas oriuntur.

Idcirco priſtinis temporibus Gentilitas conſuevit infantes, qui jam augmentum ætatis ſenſiſſent, jamque viribus ſuis niti poſſent, ad templum Veneris deducere: cum deinceps ad annos pubertatis perveniſſent, rurſum illuc pergebant, ſinum nucibus plenum portando, quas ad veſtibulum altaris effundebant: intelligendo per hæc, ſe nucum luſus, & crepundia puerorum relinquere. Alia adhuc reſponſio in promptu eſt: pueros, inquam, abundare ſpirituum copia, unde facilis generatio ſit riſus.

Hoc Problema à Ficino declaratur, cum ait: removendum ab illa ætate, quidquid mollitiem indu-

3. De Repub. Platonis.

inducit, ſicut inter alia eſt ſi vel nimius pueris riſus, vel fletus nimius indulgeatur.

Quod pubertatem vel Juventutem concernit, rurſum interrogatio eſt, qua de cauſa factum ſit, quod (ſicut in capitulo mirabilium retulimus) quidam ex improviſo timore, præmatura ſenecta, capillos nigros in canos transmutarint. Reſpondetur tam intenſo pavore ſanguinem à partibus extimis ad interiora ferri, hinc facile, quæ in ſummitate ſunt, temperiem quandam frigidam concipere, formando concoctionem imperfectam: idcirco pilos hanc canitiem & albedinem ſibi adſciſcere.

Quæritur præter hæc, cur ſenibus cerebrum frigidum ſit, & cibis repleti minus dormiant adoleſcentibus, jam enim vulgo notum illud Poëtæ:

Nam ſatur irriguo gaudet tumeſcere ſomno.

Creditur hoc, de imperfecta concoctione ciborum provenire, quæ in ventriculo ætatis hujuſcemodi non niſi ægrè admodum fit: hinc vapores malè digeſti in caput ſublevantur, vigilias & inſomnia producendo. Somnus enim ex vaporibus ritè concoctis promovetur. Nec ignorandum illud, ſenes diuturno temporis tractu, ob ſiccitatem corporis exhauſti, duritiem vel aſperitatem quandam contraxiſſe, quam adoleſcentia neſcit, quæ in florida Juventa, & ſuccoſis membris necdum ulla duritie correpta eſt.

Tranſeamus nunc ad conſiderationem ſcientiarum, docilitatis, & capacitatis quæ in homine eſt, ubi plura occurrunt, quorum primum ſit: Cur hominum literatorum, & verè ſapientium multò minor ſit numerus, quam idiotarum. Volunt quidam cauſam adſcribendam, quamplurimis impedimentis, quæ diſcentibus ſe præſentant: præcipuè infirmitatibus, quæ corpus ut plurimùm exiccant, & miſerè torquent: ſæpè etiam immatura morte in medio flore ſtudiorum, & ingenii quidam tolluntur. Nonnunquam etiam floridiſſima ingenia, quæ literis apta eſſent, ignorantia parentum, in conſimilem arenam non ablegantur: aut verò premente paupertate, facultatibus ad id non ſuppeditatis, victum ſibi oſtiatim mendicare coguntur.

Verax in hoc teſtimonium eſt Protagoræ Philoſophi, viri ſapientis ætate illa, qui dum Juvenculus eſſet, ad procurandum ſibi vitæ ſuæ alimentum, in urbem ſæpius è ſylvis ventitabat, conſciſa ligna vendendi. Hunc aliquando Democritus videns, in urbe retinuit, & rudimentis Philoſophiæ inſtituit, ex quo deinceps vir tantus excrevit, ut Platonis laudem tam eximiam conſecutus ſit.

Alii aſſerunt (idque non immeritò) malum hoc evenire, quod moderna ſæcula, tam avara, virtutem dignis præmiis defraudent, in quorum vices paraſiti, & palpones ſubeant, viriſque literatis anteponantur. Ego quoque in Muſarum lacrymis hoc fatum deplorans, in hæc verba prorupi:

Ne piu trovano i vati
Sedere a lor favore i Mecenati.

Qui ſenſus à latino illo verſu mutuatus eſt:

Sint Mecenates, non dêrunt, crede, Marones.

Nec rejiciendum tamen eorum reſponſum, qui ajunt, idcircò literatos pauciores eſſe ignorantibus, quod virtus habitus ſit propria electione acquiſitus, non robore virium: quod porrò virtus in medio ſit, extremitatum autem ambæ in vitium degenerent, & in vitio miſere prædominentur: hinc mirum non eſſe, quod vitiorum major abundantia ſit, quam virtutis, quæ non niſi unica eſt; ad vitium infinitæ ſemitæ ſunt, ad virtutem una eſt, eademque laborioſa, multoque ſudore per eandem ad virtutis apicem eluctandum eſt.

Quærunt nonnulli cur tot ingenia, tamque eximia (nec enim negari poteſt plurima dari) promptiſſima alioquin ad comprehendendum quidvis difficile, & ad operandum res grandes, laudeque dignas, ab hoc nihilominus tramite aberrent, talenta tam ſublimia ad ea quæ abjecta ſunt, diſtrahendo, & non ſecus ac animantia bruta, moribus ſuis in deteriora ſe vertendo. Si cauſam quæris, non alia eſt, quàm quod ingenii ſui excellentiam, & perſpicacitatem ad partem ſenſitivam, & ignobiliorem & deformem declinant, magis ſemper magiſque in abyſſum hanc ſe immergendo: quantoque ſubtiliores, tantò peiores; qui acuti ad malefaciendum, quod affectibus conceperunt, hoc conſimili effectu in opus producunt.

Quæritur denique cur viri felicioris, & facundioris ingenii ſint, quàm fæminæ: reſpondetur dominari in his humiditatis abundantiam, quæ acrimoniam, acumenque ingenii obtundunt, & confringunt. Niſi forte illud magis ad rem accommodè cum Poëta dixerimus:

Cur minor uxorum eſt, marium prudentia major?
Eva fuit Coſtæ filia, non capitis.

Succedunt his problemata pathematum, vel paſſionum humanarum. Inveſtigatur inter alia, cur fæminæ gravidæ, in comparatione animalium dum fœta ſunt, plura alterationum ſymptomata, vel pathemata incurrant. Reſpondetur, otio ſuperfluitates excrementitias adaugeri, è quibus proinde diverſi generis infirmitates, & morbi proveniant. Fæmina quæ uterum gerit, plerumque in otio majori eſt, quàm animalia quæ ad victum ſibi procurandum ſine intermiſſione occupantur, & fatigantur.

Similiter in quæſtione eſt, cur podagrici ut plurimum procliviores ad affectus venereos ſint. Reſpondent nonnulli, hoc de eorum moribus provenire, cum morbus podagricus filia ſit Bacchi & Veneris: Aut verò, quod tali infirmitate oppreſſi, ſupini decumbant, & in hujuſcemodi corporis ſitu, ad genitales partes materia copioſior defluat. Niſi forte poſterior ratio, quam allaturus ſum primas tenebit: nempe quod podagrici humore tenui, & acri ſuperabundent, qui ad Venerem vehementius prolicit.

Alii quærunt: Cur hactenus medicamen perfectum ad tollendam podagram inventum non ſit: poterit rependi ad hæc: materialem pathematis hujus cauſam materiam calidam eſſe immixtam frigidæ, hinc indicationem ejus complicatam eſſe, & curationem proinde difficillimam: adjungitur, quod partes hac fluxione laborantes, articuli ſint: qui cum ſui natura frigidi ſint, nec idcirco expulſivam facultatem ſat vehementem habeant, quæ quod infuſum eſt expellat, aut omnino conſumat, fieri proinde, ut quotidianis incrementis morbus ingraveſcat, & ad malum corrigendum articuli omninò impotentes evadant.

His curioſitatibus rurſum aliæ ad manum ſunt, non invenuſtæ, nec impropriæ, quarum una indagatione majori digna eſt; nempe: Cur homo ſolus inter animantia in hecticam vel phtyſin labatur. Quidam autumant id fieri ob hominis naturam tam delicatam, ex quo facilem illam pulmonum putrefactionem oriri. Quamvis alii ſentiant, qualitatem hanc perverſam ex varietate eſculentorum provenire, ex chylo vel crudo, vel indigeſto, vel duro, aut quavis alia ratione malè affecto. De hoc materias naſci acres, & mordaces, quæ fomenta ſint infirmitatum. Dicunt itidem hoc genus morbi exinde potiſſimum gigni, quod homo ut plurimum erectus ſtet, ac ſic materiæ à capite defluentes, tantò promptius in pulmonem labantur: propter quod in cætera animalia hanc corruptionem non cadere, cum in tali corporis diſpoſitione non ſint.

Rurſùm quæritur, cur nonnulli præmemorato morbo correpti, aſſidua navigatione ſanati ſint? Reſponſio hæc eſt; qui multum navigant, eos ſæpè vomitu purgari, atque inde materialem morbi cauſam auferri. Dici item poterit, per aërem maritimum temperamentum corporis immutari, & ſic efficientem morbi cauſam conſumi.

Quæſtio rurſum curioſa eſt, cur plures ſint, qui ſomniando ſe è ſtrato ſuo levent, deambulent, ſcalas deſcendant, rurſumque aſcendant, ratiocinentur, arma apprehendant, aliaque inſuper operentur, ſicut in Capitulo de mirabilibus tractatum eſt. Cauſa eſt: quod noctambulones hi ſubtili turgidoque ſanguine abundent, atque ideo ferventiores ſpiritus in iis excitentur, qui activitatem influant ad functiones, & actiones inſtrumentales: cumque hic ſanguis in ſublime feratur, evenit, ut virtute hujus commota membra ad conſimilia opera pelliciantur. In quo illud animadvertendum, homines huic ſymptomati ſubjectos, corporis plerumque relaxati eſſe, & exiguæ molis, quibus agilitas ſpiritus ineſt, animuſque ardens, & fervidus.

Item alia quæſtio exoritur, cur, in calore exceſſivo prorumpente ſudore, is primum in capite emergat, imò etiam profuſius ab hoc, & à vultu promanet, quam de reliquo corpore. Præcipua reſponſio eſt, meatus in capite, præſertim in facie largiores, apertioreſque eſſe, id quod in capillorum exuberantia deprehenditur, qui majorem illic, quam alibi proventum habent.

Adhuc quæritur, cur homo ad ſternutationem pruritu quodam provocatus, hoc ipſum repetitis vicibus continuet. Reſponſio palam eſt, ſi copia materiæ perpenditur, quæ unico ſternutamento diſſipari plerumque & conſumi non poteſt.

Curioſa item, ſi ulla alia, ſequens quæſtio & Problema eſt: Utrum cæci, & gibboſi, aut aliter contorti, aut in quavis corporis parte mutilati, aut defectuoſi, in ſupremo judicii die, cum hoc eodem defectu, quem à natura vel morbo contraxerunt, reſurrecturi ſint. Hic, ut more Chriſtiano, imò cum ſanctis loquar, ſine hæſitatione dixerim, animas ſalvandorum, & electorum utique corpus ſuum recepturas, cum qualitatibus & in ſtatu perfecto: damnandorum aliam rationem eſſe, hos enim non tantum quæ prius memorata ſunt, recepturos, ſed deformiores adhuc, magiſque imperfectos reſurrecturos. *Reſurgent corpora juſtorum ſine ulla corruptione.* Dictum eſt S. Cæſarii Arelatenſis.

In hunc ſenſum ſingulares verſus ſunt ex Prudentio deſumpti, qui ſic habent:

Qui jubet ut redeam non reddet debile quidquam:
Nam ſi debilitas redit, inſtauratio non eſt.
Quod caſus rapuit, quod morbus, quod dolor hauſit,
Quod truncavit edax ſenium, populante veterno:
Omne reverenti reparata in membra redibit.

Præter hæc juxta S. Auguſtinum: *In die noviſſimo reſurrectionis reſurgent monſtra ipſa in decoram, & cœlo dignam formam reſtituta.*

Quæritur item: Cur ex itinere, aut quovis opere laborioſo feſſi, cum quietem ſumpturi ſunt, ſæpius in latus alterum decumbant, & ſic alterum ab altero prematur. Dicunt nonnulli, partes compreſſas majorem experiri requiem. Sed ſolidior reſponſio hæc eſt: fatigationem potiſſimam ſui originem à diſſipatione ſpirituum haurire: atque ideo ſi partes quædam corporis compreſſæ fuerint, horum ſpirituum evaporationem inhiberi, atque exinde quietem majorem eſſe.

Porrò & illud quæritur, qui fiat, quod hominum nonnulli quæ cominus ſunt, non niſi viſu ambiguo diſcernant, quæ eminus, diſtinctè & clarè: alii ex adverſo quæ longius diſtant non niſi confusè, quæ propiora ſunt clarè videant. Solvitur dubium: ſi dixerimus, provenire hæc de ſpiritu viſivo: hic enim dum in exitu ſuo craſſior eſt, res è vicinio poſitas non diſtinctè intuetur, remotas diſtinctius, eo quod itineris majori ſpacio extenuatus, ſubtilior, & perſpicacior ſit. Ex altera parte ſi ſpiritus ſubtilis eſt, & paucus, quæ propè ſunt apertiora habet, in elongatis hebes eſt, eo quod tanto intervallo diſſolvatur, & evaneſcat.

Quærunt aliqui, cur inter homines ſint, qui longiori tempore carere alimento poſſint: recenſet enim Textor fuiſſe quempiam, nomine Abaſam Hyperboreum, qui ſine ullo cibo vixerit. Pariter Albertus Magnus refert, inventam Coloniæ mulierem, quæ ſine omni alimento per triginta dies uſque vitam prolongârit. Portentum hoc melancholiæ attribuitur. Similiter de Scoto viro illo ſubtili & erudito narratur, eum ſpeculationibus intentum, ſæpiſſimè dies aliquot ſine cibo præteriiſſe. Imò verò Albertus Magnus Author eſt, cognoviſſe ſe hominem melancholicum, qui quadraginta dierum intervallo ſine alimento fuerit, non niſi aquam bibens, idque in duobus aut tribus diebus ſemel. Inferendum de his, non omnem melancholicum humorem cauſam diuturnæ inediæ eſſe, ſed ſolum qui in locis ſibi naturalibus, in ventriculo, hepate, aut venis meſeraicis continetur, participans de pinguedine.

Temeritas Phaëtontica videtur, hoc eſt, penetrare velle cœlorum abditos receſſus, ſi quis conſiderationi huic ſe ingerat, cur omninò homines naſcantur, quibus tamen tam vicina mors, tamque celer ad terminum ſuum iter eſt.

Huic quæſtioni, cum ſagaci, & pia reſolutione occurrit Lactantius Firmianus, dicendo: Contingere hoc ipſum, ut doceantur mortales tanto melius Creatorem ſuum agnoſcére, & divertendo ab operationibus malevolis, occaſionem nanciſcantur, vereri eum, & timere, & venerari.

Oritur ex hoc difficultas alia: Utrum homines ſylveſtres, quibus veri notitia deeſt, non niſi cum feris habitando, ſalutem conſequantur, & in eodem ſtatu perſeverando, ſi è vita diſceſſerint, ad locum conſolationis, & ſalutis perveniant. Reſolvit difficultatem præſentem S. Auguſtinus, dum ait: *Quando in hominibus ferinis, & etiam monſtrificis aliquod rationis vel mentis veſtigium cognoſcitur, tunc procul dubio inter homines connumerandi ſunt, etiamſi ſylveſtris ſint naturæ: quia tractu temporis dociles, & divinis rebus habiles fieri poſſunt.*

Non minus & illud conſiderabile eſt noſſe, cur homines tantopere ab humanis corporibus, & à ſepulchris abhorreant. Ratio in promptu eſt, ſi conſiderare libeat, quantum quiſque à propria deſtructione, & rebus ſibi adverſis, per in-

ſtinctum naturæ abhorrere, quantum ea deteſtari ſoleat. Quæritur item quare nauſea nobis fiat, & aggravemur rebus quæ fœtent, confortemur autem, & delectemur benè olentibus? & hic reſponſio non operoſa eſt perpendenti, ſpiritus humanos, quibus corpus noſtrum regitur, ſuavitate recreari, fœtore autem mirum in modum diſpergi, & diſſipari.

Multi deinceps inquirunt, unde proveniat, quod plus nutrimenti nobis ſit à carne quàm à quovis alio cibo: fortaſſis idcircò (dixerint eruditi) ſimile ſimili gaudere, & ab eodem nutrimentum ſumere magis conducibile, ſicque carnem celerius progenerari à carne.

Curioſum item eſt noſſe qua de cauſa, cum ſtridorem quendam aure percipimus, ut eſt, ſtridor ferri dum limâ politur, horror quidam internus nos concutiat. Sciendum in hoc, ſonum acutum, cum celeritate motûs aëri circumfuſo imprimi, & confeſtim eadem punctura feriendo tympanum auris, nõ ſecus ac telum aliquod pungens intima viſcerum penetrare: unde non immeritò parturire in nobis horrorẽ hunc videtur.

Inveſtigant nonnulli itidem, cur in ſcandendis gradibus, aut locis acclivibus fatigemur, reſpirationes frequentes exhalando, cum quæ declivia ſunt, & plana deſcendentibus, aut ambulantibus, eandem fatigationem non pariant.

Hic neceſſe erit, ut ad primordia conſtitutionis noſtræ retrogrediamur, quæ quatuor elementis componitur, quorum duo gravia ſunt, duo item levia, quæ ſimul immixta, certam quandam naturam formant: hinc qui campeſtria plana obambulant, nec levibus, nec gravibus offenduntur: econtra fit in quovis aſcenſu, ubi quod ponderoſum & grave inter humores, comprimit ſimul & aggravat corpus, hinc defatigatio eſt, & laſſitudo, & ſudores.

Poterit item non inſulſum eſſe, inquirere, cur ſub aprico ſolis, media æſtate ſol fugiatur, quam conſuetudinem cætera animalium habere non advertuutur; Solutio expedita eſt, conſideratâ hominis qualitate, qui cum tener ſit & delicatus, ſolares radios in ſe ferientes ſufferre nequit.

Quidam explorant, cur tanta ſit in ciborum varietate palatuum diſtinctio, tanta appetituum inæqualitas. Æquè manifeſta eſt, & hæc reſponſio, ſi ventriculorum qualitates introſpectæ fuerint: in quibuſdam enim incluſus talis humor eſt, in aliis rurſum alius. Illic humor mordax eſt, alibi melancholicus, rurſum alibi phlegmaticus, aut bilioſus: & ſic de qualitatibus reliquis dicendum, unde guſtuum tanta diverſitas eſt. Hinc etiam fuga, hinc appetentia quorundam comeſtibilium.

Pari modo non ineptum fuerit interrogare, cur homines qui caſtra & militiam ſequuntur, plerumque longius vitam protrahant, & ſaniores degant. Non improprium erit dicere, in militaribus executionibus effæminatam Veneris laſciviam frænari, quæ alioquin plurimum enervat, & ſpiritus vitales diſſipat, ac ſic vitam abbreviat. Illud etiam in conſideratione habendum: caſtrenſia exercitia, continuatis diſcuſſionibus excrementa corporis evacuare, è quibus alioquin, tanquam è ſentina morborum abundantia procreatur.

Dignum itidem ſcitu eſt, quæ cauſa ſit, quod quidam hominum verè pectora Romana poſſideant, infracti animo, audaces, & prompti ad quævis ardua, ad quodvis periculum ineundum, quidquid factu illuſtre eſt, ſine metu exequantur, imò verò & tormentis ſuſtinendis fortiſſimi ſint. Reſoluitur hoc, conſiderando, quod ſi atra bilis ſublevata fuerit, ad cerebri regionem ſupremam occupandam, quaſi mentem extra ſphæram imaginationis rapi: unde humor hic non minus capax eſt ad quodvis enorme crimen exſtimulandi, quam ad facinora laude digna.

Apponamus his problemata rurſum alia, quorum unum hoc ſit: Cur noſtra ætate gigantes non generentur: cum non ambigatur tales in prioribus ſæculis genitos fuiſſe. Plinius rationem humori aduſto aſſignat, qui hacce ætate noſtra ut plurimùm viget: Hæc ejus verba ſunt: *Minores propemodum indies fieri obſervamus homines, & raros parentibus proceriores, conſumente ſeminum ubertatem exuſtione.* Ubi demonſtrat, præcipuam cauſam tam ex ſanguinis, quam ſeminis aduſtione provenire. Mortales enim, intemperantiæ ſenſuum dati, modum & menſuram neſciunt. Hinc plures Plinii mentem aſſequendo, rationem potiſſimam Mundo attribuunt, quod videlicet jam inſeneſcat: exhinc fieri, quod vigor ille priſtinus defloruerit, & continuata tot ſæculis ſeminatione, victus & calor ejus diminutus ſit: ex hac radice provenit, quod ſtaturarum potius decrementa, quàm augmenta cernantur. Idem de Nanis dicendum, quorum nunc copia major eſt,

Lib. 2. cap. 16.

Quare gigantes non naſcantur temporibus noſtris.

A pluribus viris doctis obſervatus fuit naturæ actus, dum ad focum accedimus: quod videlicet manum illi objicimus, palmam verſus ignem torquendo. Reſponſio non ambigua eſt, ſi dixerimus id fieri, ut internæ partes tanto promptius & celerius calefiant: palma enim manus pluribus arteriis, & venis, partibuſque ſenſitivis conſtat, quibus mediantibus calor ſine mora ad extremitates tendit: atque ideo naturali inſtinctu hæ palmæ inter prima calori præſentantur.

Non invenuſta quæſtio eſt (utcunque objectum horridum ſit) quæ à pluribus formatur, cur qui reſte ſuſpenſi ſunt ſemper ad ſolem converſum vultum habeant. Plures inquiunt ſic videri, non verè ſic eſſe, ſed quod facies, dum ſemper in hoc ſitu obliqua ſpectetur, etiam verſus ſolem contorta credatur. Quamvis alii cum majori fundamento dicant, calorem ſolis in cauſa eſſe, qui attrahendo ad ſe quod humidum eſt, melius per hanc, quàm per aliam corporis partem id faciat.

Pari modo & illud nunquam ſatis elucidatum quæritur, cur cadaver occiſum, contra homicidam ſuum moveatur, ſanguinemque ebulliat; prout multoties animadverſum eſt. Hic inter plurimos authores, eorumque rationes, hanc unicam referam: provenire hoc de ſpiritibus tam percuſſi, quàm percutientis. Hæc nihilominus à literatioribus rejicitur, ſi ſanguis frigore jam ſtagnaverit: nec enim quenquam latet, ſanguine refrigerato ultra ſpiritus evaporare non poſſe. Pomponacius authumat (ſed paucam fidem inveniens) quod anima mactati contra occiſorem ſuum efferueſcat, ac propterea quæ memorata ſunt, evenire. Sed hæc admitti nequeunt: anima enim à corpore jam ſeparata, iracundiam non admitit, cum procul ſit à membris ſuis, è quibus alioquin iram fovet. Doctiſſimus Aldrovandus ſentit, id non omnibus accidere, obſervatos enim fuiſſe, qui etiam præſente percuſſore cruorẽ nullum emiſerint: ſi quod tale autem obſervatum ſit, caſu factum, & propterea, quod venæ defuncti abundantiori, & aquoſiori ſanguine redundaverint.

Quare occiſi præſente occiſore ſanguinem ejiciant.

Circa ſexum muliebrem æquè ac circa virilem, quæſtiones numeroſæ adducuntur: inter alias & hæc: cur fæminarum, cadavera prona, virorum ſupina aquis innatent. Reſpondetur, ubera uterumque fæminarum cava eſſe, idcircò aquis gravida deorſum verſus anteriores partes trahere, utpote graviores poſterioribus: viciſſim in viris anteriora occluſa, hinc cum per aërem ingenitum intumeſcant, leviora eſſe.

Porrò illud in quæſtione eſt: Cur fæminæ ſarcinas in capite, viri portent in humeris: reſpondetur inprimis hanc propoſitionem non ſemper veracem: experientia enim docuit, & docet quotidie, eſſe inter viros, qui graviſſima æquè in capite bajulent. Sicut in urbe noſtra & ego quam plurimos, ſarcinis ſericis onuſtiſſimos vidi, qui non niſi has in vertice tulerunt. His non obſtantibus quidam ſapienter authumant, ex eo quod calvaria virorum commiſſuris pluribus compingatur, quæ facile relaxari poſſint, hinc dolores, & incommoda oriri: id verò mulieribus non accidere, quarum calvariæ magis integræ & compactæ ſunt.

Rurſum illud interrogare non abſurdum eſt, cur fæminæ non raris vicibus plus quam viri furore iracundiæ exardeſcant; veriſſimum ſiquidem eſt, quod Spiritus S. teſtatur: *Non eſt ira ſuper iram mulieris.* Reſponſio eſt: quod ſexus hic, præſertim in Juvenibus humorib⁹ excrementitiis & vitioſis abundet: unde fit, ut iracundia flagrante & ebulliente, humores præfati fumum ſuum per conſtitutionem corporis univerſam diſſeminent, ex quo deinceps ira ingraveſcat.

Præter hæc non indignum ſcitu eſt, cur mulieres viris loquaciores ſint. Quidam hoc humidiori earum cerebro attributum volunt, cui plura idcirco objecta, & ſimulacra rerum imprimantur: quæ propediem nihilominus eadem levitate è memoria evaneſcant: ideoque maturare eas, ut quod conceperunt, continuò expromant, ne recordationem effugiat, lingua ſubitò miniſterium mentis explente. Conſilia igitur quæ celanda ſunt, inſipienter fidelitati mulierum committuntur. Plura de his in medium ferri poſſent, ſed nolim ego fortunam Orphei in medio Bacchantium experiri, præſertim quod ne cantu quidem illi æquiparari ullo pacto poſſim.

Revertor ad viros, ubi illud occurrit: Cur plerumq; homines indigi fœcundiores in prolificando, præſertim in generatione filiorum, quàm divites ſint; promptum reſponſum eſt, divites exercitiis quotidianis deeſſe, non niſi lecticis, & rhedis vectos: hinc calorem naturalem excrementitios humores minus conſumere, proinde etiam ſemen frigidius & humidius generationi minus aptum fieri, & generationi obſtaculo eſſe: econtra ubi frequens exercitatio eſt, ubi labor, ubi defatigatio, ibi partes interiores generationem promovent, ſemen temperatius, & nobilius invaleſcit. Adjungatur his nimia quandoque in divitibus cohabitatio mulierum, quæ vires opprimit: cum pauperes laboribus diurnis intenti, moderatiores in hoc ſint, ideoque ſibi vires adaugeant.

Illud quoque conſiderabile eſt, quod quidam ambigunt: Qua lingua, vel idiomate infans uſurus eſſet, qui in vita ſua loquentem neminem audierit, nec linguam ullam edoctus ſit, & tamen ætatem jam maturam, fandique propriam contigerit. Scribit Herodotus Pſammeticum Regem Ægypti, curioſitate motum (more Principum) experimentum tale ſumpſiſſe. Binos infantes de plebe hominum, noviter natos nutriri juſſit, ita tamen ut vox humana ad eorum aures nunquam pertingeret. Cum ad ætatem jam maturam pertigiſſent, coram ſe ſtatui juſſit, ſedulo vocem colloquentium attendens; Convenerant autem infantes inter ſe in unica hac voce *Bech*, quam cum nemo Ægyptiorum intelligeret, patuit deinceps in lingua Phrygia, ſic *panem* nominari. Ex quo proinde Phryges ſibi anſam ſumpſerunt, ut ſe Ægyptiis ſapientiores crederent. Idem ipſum in hiſtoria Joannis Tzetz authoritatem, & confirmationem habet.

In Euterpe.

S. Hieronymus, cum Origene, recenſet, Infantulum fuiſſe præmemorata ratione elevatum, ita ut nullius unquam nationis vernaculam linguam audierit, cum in ætate jam ſermonis capace eſſet, de ſemetipſo binas voces hebraicas expreſſiſſe, *Lechem*, hoc eſt panem, & *Jain* vinum. Alexander Taſſonius authumat, plures infantulos ſimul nutritos, qui nunquam ſermoni ulli interfuerint, aut mutos futuros, aut ſi maturi fuerint, lingua nova uſuros, ab aliis non intellecta, nec cuiquam aliarum nationum Idiomati conformi: quot etiam dena infantulorum ſeparatim nutrita fuerint, tot ſimul linguarum idiomata proventura.

Digna item præ aliis quæſtio videri poterit, cur cum homines capillis ruſis, flavis, furvis, nigris, candidiſque naſcantur, non etiam virides comæ appareant; præſertim quod juxta Peripateticum *homo arbor inverſa ſit.* Quare enim non iidem pili prodeunt, ſicut in plantis rami? Doctiſſimus Cardanus dubium enodat, dicendo: *Quia pilus denſa ſubſtantia eſt, neque lucis capax.* Interrogatus Scaliger cur capilli virides non naſcantur, reſpondit: Cur plantæ nullæ foliis nigris? Videtur autem præfata ſententia ſic eludi poſſe: Si ſubſtantiæ denſæ colorem viridem excludunt, quid de Smaragdis dicendum? Et ſi comæ lucis incapaces ſunt, cur flavæ reſplendeant? Potius ergò ad humores corporis recurrendum, niger enim, qui melancholicus dicitur, colorem atrum producit, flava bilis flavum, ſubrufum, vel fuſcum: defectus caloris canum. Cum autem humor viridis illic non ſit, nec pilus viridis prodit.

Cur capilli virides non naſcantur.

Lib. 4. de ſubtil.

Poſtquam verò de colore viridi mentio ſit, huc illud alterum problema ſpectat: cur oculi viriditate oblectentur, offendantur ſolis ſplendore, ſicut & flammarum. Ariſtoteles in problematibus ſuis plura de his memorat; concludit autem, viride, utpote colorem medium & temperatum, viſui jucundum; candidum verò & nigrum, qui in extremitatibus ſunt, offenſivum. Alexander Taſſonius opinionem ſuam adjungit, dicendo, quod cum oculus ex humoribus compoſitus ſit eum objectis humidis delectari, aut iis quæ ex humido naſcuntur, idque per ſympathiam: ideoque viriditatem iis amœnam eſſe, cum humiditatis effectus ſit: affligere ſolem, & ignem ob ſiccitatem, qualitatem omninò contrariam.

20. 31.

Cardanus ſic ait: *Cæruleus color, & viridis maxime viſum recreant, quod uterque communis ſit, & valdè conſuetus: alter aëris terminus, alter omnium foliorum, uterque etiam ſplendidus, uterque integra conſtat proportione inter album & nigrum.* Ratio hæc multum ſuperiora convincit.

Lib. 3. de rerum variet. c. 14.

Cum verò jam problemata Ariſtotelis introierimus, ad expoſitionem quadraginta duarumque ſectionum, quas ille format, integro nobis volumine opus eſſet: Sed ut curioſitati Lectoris ſatisfiat, ſimul & præſenti operi,

quaſ-

quaſdam inde ſubtrahemus, eas nimirum, quas maximè ſelectas cenſuero, inter quas illa inprimis ſit: Cur in quiete capienda potiſſimum ſiniſtro lateri incumbere, dormientes dextro conſueverimus. Attribuendum hoc fortaſſis uſui noſtro, quo in dicto latere vigilare ſolemus, inquit Peripateticus; itaque in contrario motu contrariam operationem, ſitumque deſiderari. Fortaſſis etiam, cum à ſiniſtris lux ſit, melius in dextro, ubi obſcuritas major eſt, indormiſcimus, hinc dextram præferri. Verum interim eſt plus fatigari deambulantem, quàm recto itinere procedentem: qui cauſam inquirit, pro reſponſo habeat: deambulando nos ſæpius pedem figere, ſæpius inæquali paſſu incedere, ex quo major laſſitudo eſt.

Porrò & illud quæſtione dignum, cur magis incaleſcant, qui ſub ſole aprico conſiſtunt, quàm qui ſub eodem moventur: cum tamen motus calorem adaugere conſueverit: ingenium illud viri tam divini reſponſione non deeſt, dicendo: dum commotio fit, aërem quoque ipſum commoveri, qui cauſa refrigerationis ſit. Videre hoc licet in aqua bulliente, ſiquidem commota fuerit, calor minuitur. Homo qui firmus ſteterit flatum & ſpirationem aëris non ſentit, ideoque augmentum calidi ſubſequitur. Idque tantò magis verum eſt, cum experientia doceat de corpore noſtro aſſiduos vapores, eoſque tepidos promanare, qui circumfuſum aërem calidiorem reddunt: hinc quieſcentibus nobis aër hic circumquaque nos includens calorem corroborat: cum in commotione contrarium eveniat, aëre tanquam flabello quodam nos refrigerante.

Condignum non minus eſt indagare, qui fiat, quod oſcitante uno alter quoque idipſum faciat: par ratio in urinando eſt, in quo & animalia non diſcrepant. Reſolvit hoc vir literatiſſimus, dum ait: *An propter memoriam! Movemur enim ea ipſa parte quoties meminerimus.* Si hoc verum eſt, ratio potiſſimum in homine valebit, hic enim vivacius recordatur. Jumenta autem non ſolum viſu moventur, ſed odoratu quoque, qui in illis promptior & acrior eſt, quàm in homine. Unde eſt, quod in rejiciendis excrementis ſuis eundem locum obſervent, nec prius id faciant, quam cum primum odoratu locum conſuettum exploraverint.

Rurſum non ſine delectatione, & utilitate (quin pro cautela) erit noſſe, unde hæmorrhagia ſit, vel ſanguinis fluxus, qui de naribus provenit, id quod in cæteris animalibus nunquam advertitur, quippe quæ huic infirmitati ſubjecta non ſunt. *An quoniam*, inquit Ariſtoteles, *plurimum cerebri, idemque humidiſſimum homo continet: unde venæ excrementis per ora eodem tendentium nimium repletæ profundere inde coguntur. Sangis enim vitiatus quisque, integro tenuior redditur: talis autem eſt, qui ſe cerebri excrementis miſcuerit, & quaſi in ſaniem degenerat.*

Porrò & illud doctè quæritur, cur animalium quædam copioſa, & numeroſa in partu ſint, alia verò econtra. Eruditiſſimè ad hæc Author noſter ſic ait: *An quod alias vulvas, ſive uteros continent multos, totidemque formandi loculamenta, quibus impleri percupiunt, quibusque ſemen genitale dividendum, inſerendumque eſt: alia contra ſe habent.*

Iterum admirabile eſt conſideranti, cur in homine oculi tam ſibi vicini, & penè contigui ſint, in quadrupedibus ſat longinquo inter ſe ſpacio diſtent: cum tamen magnitudo hominis diſtantiam majorem videatur expoſcere? Reſpondet Ariſtoteles, hominem ſolertia & providentia majori dotatum, ideoque eum unione majori indigere: cumque in eodem homine viſus in anteriori parte collocatus ſit, & objecta inde reſpiciat, eum unitum, & recollectum eſſe oportere. Animantia, cum ſine manibus ſint, etiam è lateribus tutela indigent, nec idcirco eis oculi in locum unum dirigendi, itaque & intervallo majori, & ſeparatione indigebant.

Quod victum hominis attinet, quæſitum eſt, cur homo cibum humidum, reliqua animantia ſiccum appetant. Concludit unico verbo Ariſtoteles, hominem calidiorem eſſe reliquis animantibus, hinc humore refrigerandum.

De animantibus & illud quæritur, quare alia, vix edita in lucem, nutriri per ſemetipſa poſſint, alia nequeant? Reſpondet Peripateticorum Princeps: *An ea poſſunt, quæ in genere, quod memoriæ capax eſt, brevius vivunt? Quocirca ocyus quoque morte eadem omnia occumbunt.*

Æthiopes propriori ſole cocti, & aduſti, cum colore nigro tincti ſint, inter noſtros portento ſimiles ſpectantur: itaque & illi problemati materiem præbent. Quæritur enim, cur denigrato vultu, dentes uſqueadeo candidos gerant, ungues verò pelli reſpondeant? Mirum etiam videri poteſt, cur homo, conſiderata reliquorum membrorum proportione, piloſior, & comatior in capite ſit, contrarium ſit in animalibus?

Solvitur dubium, quod in cæteris animantibus excrementa reſolvuntur in dentes, quorum illis major numerus eſt, aut verò in cornua, & ſetas, Quibus in cornua, caput minus ſetoſum eſt: contrarium dici debet de iis, quibus in ſolos dentes. Adjungit author, evenire hoc alimenti copia, quæ caput ferit, unde poſthæc qualitates excrementitiæ oriuntur: porrò & illud dicendum, quod nullæ reſtent in homine partes, quæ hanc pilorum congeriem ſufferre poſſint. Sed ne problema illud de Æthiopibus prætereamus, mirum non eſt, ungues illorum nigros eſſe, participant enim de colore cutis, cui viciniſſimi ſunt. Dentes item albi ſunt, cum enim hæc natio ſoli vicinior ſit, qui humiditates attrahit, humoresque ſuperfluos, quibus maculari poſſent & infici, tantopere exalbeſcunt, & levigantur: ſicut cera per ſolis radios albeſcit. Maculat calor ſolis cutem, eo quod vitioſas qualitates internas ad ſuperficiem trahit, dentium verò purificat, quas exhalare facit & evaneſcere.

Non item incongruum fuerit noſſe, cur quandoque, dum de ſtrato noſtro exurgimus, vox aſperior & inamœnior nobis ſit quandoque gravior, quandoque ſubtilior? Reſolvitur dubium inſpecta corporis diſpoſitione, quod plerumque dum expergiſcimur malè digeſtum eſt, aut minus ſalubre, & hinc raucedinem hanc arteriæ aſperæ, vel organo, per quod vox formatur, affigit: Corpus etenim cruditate humectatur, caput aggravatur, fauceſque humore inſolito replentur, neceſſe igitur ut & vox incultior ſit, quippe quæ per aſperitatem iſtam inæqualis & hiulca elabitur.

Inditum naturaliter ſali eſt, ut in ignem projectus, crepitet, ſtridorem faciens, quaſi res quæ vocem habeat. Non invenuſtum erit, ut reor, indagare, unde ſtridor hic, & qua de cau-
ſa pro-

ſa prodeat. Reſpondetur, quod cum ſal humorem pauciſſimum includat, cum ſine mora temporis in ſpiritum à flammis converti; & hic ſpiritus eſt, qui ſtrepitum excitat; cum impetu enim erumpens ſalem frangit, unde & fragor ille eſt.

Tranſeamus de voce ad auditum: & quæramus, cur oſcitantibus nobis aures noſtræ obtuſæ ſint, ita ut penè ſurdis conſimiles, nec audire, nec rumorem alium percipere poſſimus. Clara reſolutio eſt: Cum enim oſcitatio fit, os patulum quantitatem aëris majorem intromittit, quo internæ etiam aures feriuntur: cum ergò impeditæ ſint, ſonitus vocis obſtructas aures invenit. Idem evenit quandoque iis, qui de ſomno repentè evigilant, ubi ſimul & interna cum externis confligantur, & hoc ſtrepitu qui ab intrò eſt, motus exterior obfuſcatur, & retorquetur.

Sæpè etiam accidit, ut qui cum timore, vel angore, aut quovis alio pathemate infeſtatus loquitur, hoc faciat voce tremula & trepidante, ita ut ex imo pectore vix verbum ſuum trahere aut profari poſſit. Qui hujus rei cauſam indagat, Peripateticum noſtrum audiat: qui ait, quod qui in anguſtiis & pavore premitur, ſpiritum copioſum profundit, & diſſipat, caloremque diminuit, corde oppreſſo, hinc omninò mirum non eſſe, ſi vox, quæ horum adminiculo formatur, vigorem ſuum amittit, & debilitatur.

Idque in ſimilitudinem fidium, quæ cum in cythara, vel pſalterio remiſſæ fuerint, continuo ſonitum, vel reſonantiam deperdunt.

Ut rurſum ad auditum retrogrediamur, non levis illic difficultas exoritur, unde fiat, quod retento halitu, acutius audire ſoleamus, quàm relaxato; Hinc venationi, vel aucupio intenti, ad percipiendas etiam de longinquo voces volucrium, vel ferarum, ſpiritum tantiſper includimus, quantum quidem vires permittunt. Diſſolvitur quæſtio, ſi perpenderimus, quod recluſo ſpiritu venæ elevantur, & vis ſentiendi locum petit ſuperiorem. Cum enim dormimus deorſum ſe defert: & crebrius tunc reddimus, quam ducimus ſpiritum: minimeque audire valemus.

His quæ diximus, illud quod ſequitur, Philoſophica conſideratione dignum adjungatur, unde veniat, quod pueri, mulieres, ſpadones, ſenesque vocem reddant acutam: cum qui in media ætate ſunt, eam graviorem habeant, & magis obtuſam? Satisfacit Stagyrita noſter, dum ait: Quod motus velocior, etiam acutior ſit: in iis autem, quos memoravimus conſimilis motus eſt, conſequitur, ut vox quoque in acutum deſinat. Adjungatur his, quod qui firma ætate ſunt, plus aëris trahere poſſunt: ex quo tardior ſimul & gravior vox generetur. Pueris & ſpadonibus contrà rem evenire, quoniam minus aëris capiunt. Senes tremulam idcirco vocem emittunt, quoniam eam continere non poſſunt, quomodo imbecillibus ac pueris uſu evenit, cum lignum prælongum parte extrema ceperint. Alterum enim extremum quatitur, quia nequeunt ſuperare quod tenent. Idem de mulieribus, pueris & Eunuchis dicatur; idem etiam trepidantibus hominibus, & metuentibus, & rigentibus cauſam vocis tremulæ afferre credendum eſt. Unde artium liberalium Profeſſores, in primordio orationis trepidare conſueverunt: cum ſtabiliti jam, & multoties exerciti fuerint, cum ſecuritate perorant: Hæc igitur de voce vel acuta, vel gravi, vel ſonora, vel ſtabilita dicantur. Quæ ſimilitudo in iis potiſſimum locum invenit, qui ad Cantum applicandi ſunt.

Non hic, ut opinor, invenuſtum erit, aliquid de odoribus meminiſſe, qui levamen, imò dixerim nutrimentum ſunt odoratûs, quippe qui huic ſenſui plurimum oblectamentum adferunt. Inveſtigant hic naturæ, & arcanorum naturalium indagatores, cur aromatum, ſuffimentorum, vel florum odores minus ſuaves è proximo ſentiantur? Accurata reſponſio Philoſophi noſtri eſt, qui ait: Unà cum odore terreas quoque particulas prodire, quæ ſuo pondere obſtaculo ſint, ne odor conſcendat, hinc aërem, moderatamque diſtantiam neceſſariam eſſe, ut hic odor diſtendi poſſit: particulæ enim, quas diximus terreas eſſe, odores præoccupant, eorumque motum præpediunt, ne ſincerum ſe offerat. Hinc conſequitur, ut nunquam fragrantia rerum perfecta percipi poſſit, quamdiu vel è vicinio ſunt nimium, vel nimium remotæ. Sicut enim colorum, ita odorum quoque proportionem certam eſſe oportet.

Inſuper & illud quæritur, cur odores, quanto plus commoti fuerint, tantò vehementius ſentiantur, cum è contra ſi loco fixi permaneant, minor eorum ſenſus ſit: In promptu Magiſter reſponſum præbet, dicendo: Quod exciti odores plus aëris impleant, quàm quieſcentes: itaque ocyus ad ſenſum noſtrum eos tranſmitti.

Quæritur item cur hyemali tempore minor odorum ſenſus ſit, quàm æſtate, vel cum aër temperatus eſt: reſpondetur: quod aër à frigore immobilior redditur, & rigidior: itaque vaporem ab odorato corpore non æquè proficiſci, ſcilicet propter difficilem delibationis motum, & aëris quo invehitur.

Quærunt item hi ſcrutatores naturæ ſi odor fumus ſit, ſi aër, aut vapor: hæc enim inter ſe differunt: Fumus ab igne naſcitur, reliqua non item. Dicendum autem, odorem purum, & defæcatum ſine fumo ad ſenſum pertingere, hinc cauſa eſt, quod flores cum contuſi fuerint, minus odoriferi ſint: contritione enim partes terreæ in motu ſunt, quæ quod ſubtilius eſt, & acutius obtundunt.

Requirit nunc ordo rerum, ut poſt odores ſuaveolentes, etiam de ingratis odoribus loquamur. Hinc quæſitu non indignum eſt, cur ſubtus alas volucrium, præſertim autem ſubtus brachia hominum odor inamœnus progeneretur: hæc vir noſter ſapientiſſimus elucidat, dicendo: Mirum non eſſe, partes enim illas ſine motu, & ſine reſpiratione eſſe, ſicut aquæ lacuſtres ſunt, vel in quibus cannabũ maceratum eſt. Sic de ſudore in præfatis partibus contento dicendum, generatur enim illic putredo per qualitates internas: quæ cum commotione deſtitutæ ſint, & inexercitæ, malè afficiuntur. Hinc Teſtius de ſtagnante aqua, ſiquidem fluida facta fuerit, ſic habet:

Ma ſe corre, e dirompe
Lacerati tra ſaſſi i rochi argenti,
Fa di ſua purità ſpecchio alle genti.

Porrò cum ad hoc productus ſit homo, ut vita fruatur, & ad hunc finem natus: cum Mundi univerſitas non alia de cauſa creationem ſuam nacta ſit, quam ut hominis nutrimento miniſterium ſuum præbeat: errorem palmarem commiſſurus ſim, niſi de hoc quoque (ubi ſe occaſio tam com-

moda ad manum offert) nonnihil in medium adduxero.

Itaque inprimis magnus ille Stagyræ Princeps inquirit: Cur habitatores Scythiæ, aut Ponti, & ſimilium Climatum, quæ inhoſpita, & ruvida ſunt, moribus tam inculti, tam intractabiles ſint. Declarat hoc ipſum dicendo: optimam hominis temperiem non ſolum corporis, ſed morum quoque ab optimo ſolo derivare: quale etiam cujuſque clima ſit: talem indolem eſſe. Hinc aëris inclementia, vel caloris, vel frigoris exceſſu, perverti, commoverique temperaturam tam corporis, quàm animi.

Cum verò de Ponto, climatisque hujus rigore memoratum ſit, quærit ultra, cur harum regionum frumenta, quamvis frigori expoſita, tamdiu ſine corruptione ſerventur. Hanc reſponſionem ſtabilit: *Quia humor alienus una cum calore evaneſcit: ut in uvis fieri novimus. Alia enim frigore, alia calore exhalant.*

Admirabilis inſuper, & ſcitu digna eſt exotica illa Antiperiſtaſis, qua in locis frigidis, & glacialibus potiſſimum febres calidæ, vel Cauſones generentur: Solvitur dubium, quod nimirum frigus ambiens omnem caloris exuperantiam introrſum urgeat: unde etiam cum exhalationi via non pateat, interclusus calor ille in ſemetipſum agens, alterationes febriles generat.

Quærit item cur Æthiopes, & Ægyptii plerumque pedibus ſuis defectuoſi ſint: ratio hæc redditur: *Quemadmodum ligna, ita etiam corpora animantium depravari à calore.* Confirmatur hoc ex conſtitutione capillorum, qui ob caloris exceſſum genti huic incriſpati, & propemodum ambuſti ſunt.

Conſiderabilis reſolutio eſt, quam ſupra quæſtionem illam format: Cur in locis humilibus, & paluſtribus facilior ſit cura, vel medicatio ulcerum capitis, quam crurum, quæ longiori tempore curationis indigent. In cauſa eſt humor gravis, & terreus, qui de his locis evaporans, caput longius diſſitum magis defæcatum relinquit, idcircò etiam promptiorem medelam admittit, eo quod ad opportunam concoctionem magis diſpoſitum ſit. Sed ulcera quæ in cruribus ſunt, humore illo infecta, non tam facili negotio ſanitatem conſequuntur.

Non minimi etiam momenti ad vitæ noſtræ prolongationem eſt, noſſe: Cur qui in locis patulis, & largis ſunt, tardius ſeneſcant, quàm qui in cavitatibus, aut lacis ſtagnantibus, aut inter ſepta anguſta degunt (ſicut palam fit in agricolis, quos ſi cum urbium incolis, aut ſciatrophis comparare volueris, hos quidem cura aggravatos in eadem ætate multò plus illis, & rugarum ſcabredine, & grandæva canitie decrepitos invenimus) Reſpondet Ariſtoteles: Senectutem putredinem quandam eſſe. Putreſieri autem facile, quod quietum eſt, faciliusque inquinari: ut aqua profluens, & ſtagnans: ſed ubi aër liber eſt, ſicut in locis patentibus, atque idcirco depuratus, & ſimplex, magis etiam humores corporum rectificari; hinc concludit: in locis æditis aërem diverſum aſſiduè propter agitationem puriorem eſſe: in paluſtribus impurum, eundemque ſemper emarceſcere. Hoc cum ſuavitate ſua ſolita Teſtius ſic habet:

Rio, che ſtagna in palude
Tra fetid herbe, e putrefatte zolle,
Torbido in bruna l'aque, e le corrompe.

Adjunxerim his ego, quod humor melancholicus, dum magis incraſſatur, puritatem ſpirituum occludit, ita ut cum vigore ad miniſterium ſuum levari nequeant, atque inde infectum ſanguinem maturiorem canitiem inducere.

Confert non minus ac ſuperior illa, quæſtio quæ ſequitur: Cur qui locis calidis ætatem ſuam degunt, diuturnioris vitæ ſint, quàm qui in frigidis. Non procul hinc ſolutio petenda, reſpondet enim ille: Calorem vitæ conſervativum eſſe, humoremque corporeum ab illo fomentari: cum è contra frigus illum deſtruat, & diſſipet. Hinc conſultum eſt non ignorare, quod complexiones frigidæ, & quæ provectum ætatis habent, unicum præſervationis ſuæ remedium habeant, cibis cum moderatione calidis veſci.

Commento mihi multoties non abſimile hactenus fuerat, cum à quibuſdam fide nihilominus dignis referretur, in regionibus ubi frigus aſperum eſt, temporibus ſuis uſque adeo æſtum per incrementa ſua augeſcere, ut illic maximè invaleſcat, & illic degentibus plus quam alibi moleſtus ſit. Sed inveni & hoc problema à Peripatetico noſtro ventilatum, quod etiam docta reſolutione ſua elucidat, dum ait: fieri hoc abundantia humorum, qui in locis illis contrahuntur; binas inſuper ſimilitudines adducit: Caloris enim opera, inquit, aquam, quæ humorum genitrix eſt, calidiorem reddi: pari modo aër humidior, quàm tepidior facilius incaleſcit: nec opinandum quod ſui natura aër calidior ſit, ſed qualitatem hujuſcemodi ex qualitatibus contrariis nanciſcitur. Sicut ſol cum è nubibus prodit, calidior eſſe ob contactum umbræ videtur.

Conſideratione item dignum eſt id quod experimento quotidiano docemur, eos, qui ſecus profluvia aquarum degunt, coloratiores eſſe, diuturniorisque vitæ, quam qui aquas ſtagnantes incolunt. Hæc loca plerumque ſine incolis, & domibus ſunt, prout valles quoque. E contra Adriatici maris Regina, Venetiæ, medias aquas inhabitans, multa hominum millia in ſe concludit, quorum quiſque rubicundo, vividoque colore tinctus eſt, integra ſanitate gaudens. Ratio jam ſuperius allata eſt, & hic magis roboratur: Venti enim ſpirant, ubi aër liberior eſt, qui continuo motu corruptionem impedit, atque ita humores depravati vetantur, quin corpora item labefactent.

Inde eſt, quod remiges, & naucleri, ex perpetuo motu ſuo, & ipſi coloris vivacitate, & vitæ ſanitatisque integritate prævalent.

Dormimus item, & requieſcimus cum majori facilitate in locis paluſtribus, quàm in apertis: experientia in hoc non deeſt. Reſpondetur cum Philoſopho noſtro, fieri idipſum non tam humoris copia, qui totum corpus circumdando ad ſoporis ſuavitatem pellicit, quàm quod illic corpus refrigeſcit, refrigeratio autem ipſa jam quieti proxima ſit, hinc ſomnum magis conciliet, qui non niſi requies eſt.

Circa diſpoſitionem corporis, non immeritò illud quæritur, cur animata omnia, quorum ſtirps

ſtirps in terra eſt, plus in longitudinem excreſcant, quàm in latitudinem, & craſſitiem. Optimè Philoſophus hæc diſtinguit, ait enim, hanc diſpoſitionem naturalem eſſe, ut triplum augmentum longitudinis ſit, non niſi duplum latitudinis & profunditatis. Hinc longitudo à principio formatur, & in hac potiſſimum incrementum fit: hæc igitur, ut dictum eſt, ſola inſurgit, deinceps largitatem duplicem in augmento ſumit, unam per ſemetipſam, alteram cum longitudine.

Concludo capitulum hoc, quæſtione ſequenti (idque ut morſum malevolorum evitem, niſi forte hoc ipſo illud tanto magis Criticorum mordacitati expono) quàm Philoſophus ſuggerit: Cur dentes, cum oſſa ſint, & carne utique ſolidiores, & firmiores, frigus vehementius patiantur, quàm caro.

Reſolvitur quæſtio, ſi advertatur, qualiter dentes cum meatu tenui radicati ſunt, exiguo calore præditi, atque ita facile frigiditate offendantur, & dolorem ſentiant. Non eadem ratio Carnis eſt, quæ temperamenti mediocris, & ejuſdem habitûs: Dentes autem temperamenti diſſimilis, idcirco etiam promptius per ea quæ illud ambiunt, & infeſtant læduntur: Cumque meatus ejus tenues ſint, & delicati, calor quoque inditus exiguus, & imbecillis eſt.

Cum autem hic carnis mentio fiat, curioſum illud rurſum in memoriam redit, quod ſupra meminimus: Cur ſolis radii & oleum & ceram candidam reddant, denigrent carnem, ſicut caro Æthiopum eſt, & eorum qui ruri agunt. Reſolvitur dubium, ſiquidem obſervatum fuerit, quod ſol de cera, & oleo qualitates excrementitias, terreaſque attrahat, quæ impuritatem illam & obſcuritatem induxerant: ſed cum de carne conſimilem ad ſe humorem trahere nequeat, evenire neceſſe eſt, ut nigredinem illam, aut colorem fuſcum affigat. *Nigricat* enim, inquit Author noſter, *per naturam, quod præhumidum eſt, propter humoris terreni mixtionem.*

In hac igitur menſa, tam variis interrogationibus, & dubitationibus tanquam cibis inſtructa, hæc pauca delibare libuit, quæ palatui curioſitatis tuæ, mi lector, apponerem. Si enim de univerſo etiam quæ ignobiliora ſunt, eligere voluiſſem, utique vaſtiſſimum de his mihi volumen componendum erat. Quod ſi te proinde deſiderium tenet, his longius immorari, præter jam adducta, doctiſſimum Aphrodiſeum conſulere in promptu erit. Nunc ego aliò me verto, dicturus aliquid

DE VOCE.

DE hoc nimirum tam ſonoro hominis inſtrumento: de vivaciſſimo ſigno, quo cordis intima panduntur, quo intellectus ſe palam producit: de *voce* inquam, per quam diſtinguimur à belluis: de ſpeculo, in quod purgatiſſimi radii potentiarum, quibus anima noſtra prædita eſt, reflectunt: De voce, quæ omne dicibile exprimit, & verbis manifeſtat, quidquid abditum in mente eſt.

De hac igitur, Authorum gravium veſtigia inſequendo, (quantum facultas permiſerit) paucis multa ſtringemus; quod reliquum eſt modernæ philoſophiæ cuidam relinquemus; quæ ſat amplo volumine & eſſentiam *vocis*, & qualitates, & conditiones ratiocinando deſcribit.

Hic interim illud dicendum, vix de materno utero infantem egreſſum, & voce, & riſu, & planctu audiri, neſcio an eum credere oporteat, ſuæ gloriæ applauſum proprium formare, aut calamitates ſibi innatas deplorare. Anni ſpacio nondũ abſoluto, jam balbutire incipit, quo finito (juxta diſpoſitionem, & qualitatem, & potentiam) jam diſtinctius fabulatur: annus decimus & tertius loquelæ robur & ſoliditatem impertitur: quæ tamen rurſum ſenectute ingraveſcente diminuitur, & debilitatur.

Hic illud non prætereundum; quod quamvis nonnulli *vocem* ſoli homini propriam eſſe definiant, cum aliud non ſit, quàm aër ſpiritu flagellatus, unde etiam *verba*, quaſi *verbera* nominata, quæ non aliunde, quàm de humano ore pronunciantur: nihilominus nomine *vocis* omne id comprehendatur: quod ſonat, & ſic nulli non animalium competat. Quamvis verum ſit, quod nullum animal, excepto homine, ratiocinetur, nec verba, aut ſermonem formet, quod præter hominem omnibus interdictum eſt.

Ajunt quidam, contra propoſitionem noſtram inſurgendo, & picas, & pſittacos, humanas voces proferre, juxta illud Poëtæ.

Pſittacus humanas depromit voce loquelas:

De pica hoc legitur:

Pica loquax certa dominum te voce ſaluto:
Si me non videas, eſſe negabis avem.

Sed conſiderandum, quod præfatæ aves vocem quidem, quam edoctæ ſunt, replicent, ſed eam intentione & intellectu deſtitutam; carent enim parte rationali, & idcirco ſermocinationis incapaces ſunt. Hinc vox humana articulata nominatur, ſicut & loquela ad exprimendos, & manifeſtandos animi ſenſus, unde M. Tullius ajebat: Tot vocum, quot cordium mutationes eſſe, ſicut eum Eraſmus citat. Ex quo deducitur, Animal in orbe nullum eſſe, quod vocem cum varietate tanta emittat, quanta emittit homo. Cum tot tamen ſint vocum diverſitates, quot urbium, & nationum, nihilominus, eo quod de proferentis intentione proveniant, ad unum ſcopum omnes terminantur, & collimant.

Interim opinio doctorum eſt, varietatem vocum, aut verò accentuum, linguarum, & idiomatum hanc ſui primam derivationem habere: Unde origo linguarum ſit.
Poſt univerſalem illam terrarum inundationem, ſicut ſacræ literæ teſtificantur, Arcam Noë, in qua generis humani breve compendium claudebatur, in altiſſimis Armeniæ montibus quieviſſe. Illic optimum illum Prophetem, cum adjutorio Altiſſimi, reparationi generis humani ſe dediſſe, & ut rurſum orbis terrarum novis incolis adimpleretur, filios, & nepotes, & pronepotes in varias mundi plagas, tanquam totidem colonias, diviſiſſe. Primo loco transmiſiſſe Eſenium in Ægyptum, ad populandam Lybiam Tritamenem: in partes Africæ Japetum, & Priſcum: in Aſiam Orientalem Gangem, quem his locis præſidere fecerit: In Arabiam felicem ablegaſſe Sabum, unde Sabeam regionem derivaſſe: in deſertam autem Arabum, in petream Petreum: in Damaſcum collocaſſe Canalam: in Europam à Tanai ad Rhenum uſque, Turiſconem; huic conjunctum fuiſſe Iſtrum, & Meſam cum fratribus reliquis, à Monte Adula verſus Meſembriam, ad Pontum uſque: præter hos Tyrum,

Arcadium, & Ematium tenuiſſe Italiam, Comerum Galliam, Samotem Celtas, & Jubal Celtiberos.

Hanc verò filiorum & nepotum Noë ſeparationem à Patribus ſuis brevem & immaturam fuiſſe, unde nec loquendi veram methodum, nec morum veram culturam tam exiguo temporis ſpacio perfectionem ſuam conſequi potuiſſe, hancque principalem cauſam fuiſſe, quod linguarum tanta diverſitas prodierit. Inter eos Cham præcipuè, qui ludibrio patrem ſuum habuit, divina caſtigatione, in interiora Arabiæ ſe recipere compulſum fuiſſe, quæ deinceps nomenclaturam ſuam ab eodem obtinuerit. Infelicem hunc poſteritati nil ſacrorum rituum reliquiſſe, dedignatum enim eſſe à Patre ſuo tam benevolo in his inſtrui: unde factum, ut calamitoſa natio hæc, tanquam filia doloſi, & imperfecti Patris, miſerè vitam egerit, in errores inextricabiles delapſa, cui etiam vitioſiſſima, & maximè depravata linguarum idiomata adhæſerint: quin & verus Dei cultus apud gentem infidelem, & barbaram omninò interciderit, & evanuerit.

Sed ut de his ad delibandam reconditæ philoſophiæ cognitionem tranſeamus, inter propoſitiones maximè curioſas, & hæc non minima ſe offert, cur plerumque, qui improviſò evigilant, vocem aſperiorem emittant. Contingit idcirco, quod ſtomachus æquè ac corpus univerſum cruditate humeſcit, & eadem de cauſa aggravatur, maximèque loco ſuperiori: caput igitur plenitudine hac redundans, in fauces humores effundit; neceſſe igitur eſt, aſperitatem vocis inde oriri, quæ non aliunde, quàm ex hac inæqualitate provenit: cum fauces his phlegmatibus quaſi obſeſſæ ſint. Quæ ratio eſt, quod vocis claritas, & tenor confringitur: organa enim eidem aſſignata, regurgitatione chyli infeſtata, incaleſcunt, & propterea humores vehementius attrahunt, & ob aſſumpti cibi humectationem vaſa vocis largiora fiunt.

Rurſum illud memorabile, quod qui flent, acutiorem vocem emittunt, qui rident graviorem. Reſpondet Ariſtoteles: *Quod alteri ob ſuam debilitatem parùm ſpiritus movent: alteri vehementer intendunt: quod facit ut ſpiritus velocius ferri poſſit: velox autem omnis acutus eſt: quippe qui ab intento projectus corpore feratur velociter. Contra qui ridet reſolvitur & debilitatur. Itaque vocem gravius edit. Quanquam ægri acutam emittunt vocem: parum enim aëris movent. At verò qui rident, non ſolùm parum, ſed etiam levius movent. Adhæc qui rident ſpiritum calidiorem emittunt, qui flent frigidiorem: Dolor enim refrigeratio pectoris eſt. Calor itaque multum aëris movet, ita ut tardè feratur. Frigor autem parum ciet. Idem vel in tibiis fieri novimus. Enimvero qui ſpiritu inflant calidiori, multò tardius agunt.*

Proponitur à Peripatetico noſtro & alia difficultas, ab eodemque diſſolvitur: Cur vox humana gravior ſit hyeme, quàm æſtate. Evenit hoc, ob rationes jam ſupra adductas: nimirum quod aër ea tempeſtate anni, tam interior, quàm exterior aliquantum craſſior eſt, & cum talis ſit, tardius movetur, ex tardiori motu gravitas vocis ſubſequitur. Eadem ratio in iis eſt, qui ex potu, vomitu, aut frigore vocem graviorem edunt: ſciendum enim his actionibus fauces interceptas eſſe, iiſdemque fluxiones in guttur decidere, talique conſtipatione illud reddi anguſtius, ſpiritum itaque tardius ferri, ex quo vocis gravitas oriatur.

Echo item, prout Ariſtoteles aſſerit, vocem ſuam ſic format: Cum ſonitus quidam in concavitatem, eandemque ſolidam inciderit, neceſſe eſt, ut repercuſſio ſequatur, dum durities illa illato aëri non cedit: ac ſic vera refractio fit: Cum ergò ſonitus principalis in firmitate ſua perſiſtat, uniformi nihilominus conſonantia reduplicatur, quæ per angulum ſimilem exiſtere ſolet: itaque vox reſonans ſimilis primæ voci redhibetur.

Prima itidem vox animalium, quæ noviter nata ſunt, acutior eſt, quàm perfectorum: vituli tamen gravius mugiunt, quàm boves perfecti. Id evenit, quod de matre ſua vocem mutuantur, vaccæ autem gravius quam boves mugiunt.

Multo fuſior in his eſt ſectione ſuo undecima Problematum divinus Ariſtoteles: ſicut ſexaginta inſuper & quinque aliis ſectionibus elaboratiſſimis, ſublimiſſimo ingenio ſuo difficiles alioquin quæſtiones ſat faciles reddit.

Illic doctrinæ in medium proferuntur, quæ ſtuporem generant, quæ cum elevatiore interpretatione indigeant, quàm mea illa, quæ infimæ ſortis eſt, ad hujuſmodi capaciora ingenia, & doctiores lucubrationes Lectorem tranſmitto.

Interim ne claritate ſua hæ paginæ defraudentur, dum Echo non ſecus ac theatrum aliquod perpendo, in quo mirabilis vocum repræſentatio eſt, præſentis capituli complementum mihi videtur, ſiquidem huc collocavero, quæcunque Maſcardus vir ſummus, quæcunque Azolinus tam diffuſus, denique etiam P. Daniel Bartolus in doctiſſimis ſymbolis ſuis in rem præſentem adferunt.

Deſcriptiones Danielis Bartoli.

EXordium ſumemus à ſcriptore Metamorphoſeon, ubi Nympha introducitur Narciſſi amoribus capta, & de Echo ſic habetur:

- - - - & totidem quot dixit verba recepit.

Et paulò infra:

- - - - - in fine loquendi
Ingeminat voces, auditaque verba reportat.

Hinc item Virgilius: Georg.

- - - - - ubi concava pulſu
Saxa ſonant, vocisque offenſa reſultat imago.

Et in eodem loco:

Et vox aſſenſu nemorum ingeminata remugit.

Quemadmodum enim (ſic ratiocinatur) lux, quæ obliquè ſpeculum ferit, ita & vox (prout ipſemet ſæpius experimento edoctus ſum) ſi in muri cujuſdam planitiem emiſſa fuerit, in repercuſſione ſua fideliter inclinationem ejuſdem anguli obſervat, quem veniendo formarat. Unde & ego ſic opinor, ad formandos proceſſus ſonitus, lineâ potius, quàm circulo utendum eſſe. Quamvis uſitatiſſimum ſit, ut in exponenda voce, ſimilitudine ſaxi utantur: quod cum in ſuperficiem ſtagnantis aquæ projectum fuerit, millenos & millenos circulos à ſe, tanquam à centro derivat: quorum quisque novo principio alteri incluſus oritur, & præcedentem in anteriora urget, ita ut minores fugare, majores fugere videantur; dum illi quidem ſerpendo & natando hos inſequuntur, quantoque magis diſceſſerint, tanto largius ſe extendunt, criſpando aquam regulatiſſimis circumferentiis ſuis: ſic tamen, ut quanto longius à centro protenduntur, tanto minus perceptibiles ſint.

Idem ajunt evenire in aëre, qui cum forte inſonante voce percuſſus fuerit, circumquaque circulis in ſe invicem replicatis fluctuando diffundatur, ita ut ſphæra ſphæræ incluſa ſit: ac ſic tinnitum vocis æquali ſemper & velociſſima dilatatione, ad duodecim uſque miliaria noſtra, in decima quinta parte quadrantis horæ conficere.

Proſequitur Author ratiocinando ſat prolixè, & exemplum hoc proponendo, quod in eundem modum, quo plures voces, quamvis ſeparatæ, chorum nihilominus muſicum, ſub Magiſtro ſuo, non diſſonum efformant, ita, inquit, in vocum multitudine, quæ in Echo illud emiſſæ fuerint, quæque earum cum diſtinctione ſua revertitur: non ſecus ac mille ſolares radii, quæ in idem ſpeculum feriunt, & fulgurant, à ſe tamen invicem ſeparati apparent.

Ab his ad experimentum quoddam deſcendit, & ait: Siquidem (in exemplo) vocem *Falco* expreſſeris, continuo volatu vox illa aërem pertranſit, & quocunque ſe in gyris ſuis extenderit, ſemetipſam ſemper nominat, hoc eſt *falconem*, & pro te loquitur, imo verò tu in ipſa, quamvis longè diſſitus & taciturnus. Vox autem illa neceſſe eſt, ut capite protenſo, & præcedente feratur, hoc eſt ſyllabâ quæ primum prolata eſt, præcurrente, & quæ in prima ſui origine prior de labiis tuis prodiit. Siquidem etiam in volatu ſuo in quippiam impegerit, quod ad formandum Echo non improprium ſit, ſine mora reverberata reſultat, retrorſum abiens, eandē viam repetendo, quam venerat, rectoque tramite, ad aurem uſque revertitur, & illic *falconem* repetit, qui de ore tuo prodierat.

Qui de his ampliora deſiderat, & unà cum ingenio hoc immortali, laurea itidem æterna digniſſimo, penitius in præfatas cognitiones introire voluerit, ſymbolum ejus ſecundum percurrat, illic *Echo ſeptem turrium* intuebitur, & qua ratione natura caſu fortuito materiam ſubminiſtrarit, unde Echo fecundiſſimum & admirabile formetur, ut cum artificio ſingulari ita compoſitum, & ordinatum videri poſſit. Tranſeo nunc ad id quod continet

Deſcriptio Echo ſecundum Patrem Azolinum.

COnſideremus igitur (favente Deo) quæ cauſa, & quæ conditio ſit Echo, & vocis. Naturam vocis ſi diligentius inſpexerimus, omninò admirabilis eſt: pro matre linguam habet, pro obſtetrice aërem, pro faſciis dentes, pro cunis os, pro lacte reſpirationem, pro uberibus pulmones. Vix nata, moritur: vix vitam adepta, eandem terminat: quæ de ore non recedit, & nihilominus in longinquum abit: dum in faucibus oritur, jam in auribus commoratur: vix in lucem edita, jam avolat: ſtans in ore, in plura loca transfugit.

Ubi vitam habet non operatur, ubi operatur non vivit. Non niſi una eſt, & tantopere multiplicatur. Non rumpitur, & tamen in plura diſpertitur: ſemper integra, & dividitur. Hæc vox (quis credat?) ſiquidem in cavernas horridas inciderit, aut in abrupta & inacceſſa montium, inter hos ſilices confracta, inter has rupes repercuſſa; in his ſaxis quaſſata, novas vires aſſumit, novam ſibi vitam recuperat, quam cum cupidè conſervare ſatagit, & plus ſolito ſuo extendere, ut à lapſu temporis ſe redimat, quod ei mortem, parturiente adhuc matre minitatur, velocius ipſo fulmine procurrit, multo levius aëre volatu ſuo ſe proripit, & in profundis terræ ſpeluncis, in alpeſtribus montium, in præruptis cautibus, & horridis ſcopulis, effugium imminenti periculo ſuo inquirit. Ibi dum in medio ſaxorum inhoſpitum ipſa nihilominus fugitiva hoſpes recepta fuit, & præcocis mortis præda jam dudum facta creditur, admirabiliter nova vita induitur, & novis viribus inſurgit.

Quis non miretur artificium in his naturæ? Qualiter Echo illud (quod alioquin aliud non eſt, quam repercuſſa, & relapſa vox) filia formoſa ſit, ſed ſine matre: facundè loquatur, ſed ſine lingua: vivum credatur, cum non niſi aura ſit: ſine ſpiritu ſit, & clamorem edat: ſine ſenſu ſit, & nihilominus minetur: ſine intellectu ſit, & tamen conſulat: vita careat, & ratiocinetur: nil volens multa poſtulet: non vocatum reſpondeat: totum vox ſit, & vocem non habeat; ſemper garriens, nil proponat: ſtet in vicinia, & loco careat: amicitiam ſpondeat, interim inane nihilum ſit. Huc uſque vir facundiſſimus.

Echo deſcriptum à Patre Thoma Carafa.

IN taciturnis cavernoſorum montium receſſibus, ſiquidem fidelis & amore plenus Paſtor amiſſam ovem vocaverit, ſi laſſus venator canem venaticum, ſi Nympha anhelans amatam ſodalem ſuam, ſi feſſus viator doceri viam poſtularit, ſi peritus Muſicus ſuavi melodia cecinerit, ſi belli tubicen tubam ſuam inflaverit, continuo ſonus articulatus, ad reſpondendum promptus, voci Paſtoris, clamori venatoris, lamentis Nymphæ, verbis viatoris, melodicis concentibus Muſici, ſono tubicinis, vices ſuas rependit. Et quis neſcit hanc reſpondentem vocem Echo nominari?

Hæc filia aëris eſt, incola ſummorum montium, nuncia ſermonis, verborum ſagittaria: amatrix quæ lamentatur: aura garriens: eremita murmurans: anima ſaxorum, oraculum ſylvarum, civis umbrarum, cauda verborum, adulatrix vana, Mater & filia nihili.

Echo deſcriptum ab Auguſtino Maſcardo.

AN unquam alienæ vocis æmulum Echo audiſtis? jam enim certus ſum, nunquam illud à vobis viſum. Quidnam rei eſt? Reſpondet Auſonius: quod filia linguæ ſit, & aëris, mater vani indicii, quæ vocem habet ſine intellectu, habitans in auribus hominum, & quæ in tranſitu ſtans ultima ratiocinantis verba furatur: quæ alterius ſermoni male accepto, male intellecto illudit: Hæc vocum interturbatrix eſt, quæ multa promittit, nil obſervans. Dicamus igitur Echo imaginem eſſe, quæ facie caret, garrulam ſine lingua, mulierem ſine corpore, Amantem ſine corde, habitantem illic ubi non eſt, reſpondentem ei

qui non interrogârat, ſermonem terminantem, quem non occeperat: moritur vix nata, longe diſſita à genitrice ſua.

Sed ipſum Echo de ſemetipſo teſtificari apud Sanazarum audiamus:

Vidi, arſi, flevi, triſtemque (heu fata!) repulſam
Spreta tuli, ſum nunc vox, ſonus, aura, nihil.

Tranſeamus à deſcriptione Echo, & videatur

Deſcriptio vocis per Patrem Azzolinum.

Pars. Diſc. 6. De voce S. Joannis Baptiſtæ.

VOx dulcis (loquitur de voce S. Joannis Baptiſtæ) vox ſuavis, ad cujus melodiam harmonicam etiam ſphærarum cæleſtium harmonicus concentus ipſi adeo Pythagoræ inconcinnus videri potuerit: imò muta Orphei alioquin jucundiſſima lyra, non niſi miſerè ſtridens Amphionis fabuloſi cythara, aſpera dulciſoni Apollinis muſica.

Perdunt in æquiparatione hujus canoræ volucres vocem ſuam, quam naturâ magiſtrâ didicerunt: auſim dicere ipſos adeo angelicos ſpiritus non dedignari muſicalibus choris ſuis harmonicam hanc immiſcere vocem.

Vox potentiſſima, quæ non tam ad ſtructuram Thebarum inſenſibilibus ſaxis motum præbet, ſed cæleſtem ſpiritum mortalibus ad fabricandum Empyreum.

Non aufert curſum aquis, ſed frenum ſenſibus injicit: ventos non alligat, ſed ſolvit animas: non ipſa eſt, quæ docet plantas choreas ducere, ſed de corde peccatorum avolare facit molares lapides criminum: non adulatur auribus, ſed perſuadet menti: non percutit ſenſus, ſed ferit eos: non formatur ab aëre, ſed producitur à ſpiritu: non inter dentes volvitur, ſed commoratur in deſertis: non brevibus temporum momentis evaneſcit, ſed æternitati tranſcribitur. Admirabilis vox, quæ ſine telo ſagittat, ſine gladio cædit, ſine igne comburit. Sine verbis prædicat, ſine robore humi ſternit, ſine doctrina docet, ſine artificio convincit, ſine laqueis devincit, & feliciter occidit, dum vitam impertit.

Stupenda res hæc vox, quæ dulcis eſt, cùm aſperitate utitur: aſpera eſt, cum paradiſum promittit: gravis eſt, cum pœnitentiam conſulit: acuta eſt, cum irreligioſos reprehendit: elevatur, cum ſe in nihilum redactam fatetur: quæ ſe inclinat, cum ſe Meſſiâ ſuo indignam reputat: clara eſt, dum agnum cæleſtem demonſtrat: plena eſt, cùm ſeipſam evacuat: reſonat, dum in ſolitudinem ſe abdit: vociferatur dum obmuteſcit: quæ loquitur dum operatur.

Imò verò nec vox angelica tam efficax eſt, ut omnem cæleſtis vocis hujus perfectionem pro merito exprimat. Intellexerit me utique benevolus Lector, id quod dictum eſt, totum ad angelum illum incarnatum, ſanctificatum in ventre matris, hoc eſt ad Sanctiſſimum Præcurſorem Domini Joannem Baptiſtam referri, cùm ajebat: *Ego vox clamantis in deſerto.* Supra quod ceciniſſe me quondam memini ſequentem odam:

Oggi naſce il Battiſta. Oh come Flora
Sparge piu de l'uſato i doni ſuoi,
S'anco de l'Oriente in ſu gli Eöi
Sorge nuntia del Sol fulgida Aurora.
Di notturno ſentiero a trarne fuora
Scintillante ſplendor fiammeggia a noi,
E tal luce vitale al Mondo poi
Del ſol di Chriſto il bel mattin colora.
Oggi naſce Giovanni, à ſuoi vagiti
Inſin d' Averno a la piu eſtrema foce
Treman di Flegetonte i curui liti.
Ai Regi ſia la ſua favella atroce,
E del verbo la via, ſe ſia che additi,
Eſſer dovea ne l'opre ſue una voce.

Deſcriptio Comitis Emmanuelis Theſauri ejuſdem generis.

Panag. Muſ.

QUæ res vanior, quid cogitatu vilius, quod abortivum imperfectius voce? Hæc prolixiorem vitam non habet, quàm quantum itineris eſt, de labiis ad aures. Labia illam parturiunt, & continuò à ſe fugant: Aures eam recipiunt, & ſine mora extinguunt. Tempore quo vivit non ſe oculis monſtrat, nec tactu deprehenditur, nullum de ſe veſtigium relinquit, curſor auræ fugaciſſimus, fragilis ventorum præda, turbo ſtrepitoſus, ſtrepitus volans, volatus ejus ſine pennis, anima expers vitæ, imago incorporea, filia flatus, ſoror ſuſpirii, terror ſomniantium, venenum ſilentii, fulgur aurium, levis, inſtabilis, vana, vagabunda, nubes, ventus, flatus, umbra, nihilum.

Hæc ſubſtantia eſt *vocis*. Quod ſi inter res terrenas, viliſſima cenſentur hæc terna monoſyllaba: Res, ſpes, vox: argutius certè Spartanus ille facundiam infelicis Oratoris cujuſdam explodere non potuit, quàm dicendo: *Vox, vox, & nihil præterea.*

Sed nunquid non ad ſui encomium & laudem locutum dicemus Baptiſtam, cum ſe vocem nominavit? Quamvis enim eadem vox non niſi accidens fugax ſit, quod naſcendo moritur, nihilominus ſiquidem ſe generoſa, & pathetica temperatura ſua in harmonicas menſuras ſuas diſpertierit, ſi unita fuerit, ſi ſe vibraverit, & explicuerit, ſi ſe incriſpaverit, & innodaverit, & in mille flexuoſos meandros, & labyrinthos variaverit, virtutem habet ſedandi, & irritandi animos; ſiquidem etiam cum energia debita moderata fuerit, accenſa bellum fomentat, placata pro miniſterio pacis eſt, medetur mentibus, ferit obſtinatos; concordiâ ſuâ adulatur, vehementius intenſa terrificat, fracta emollit. Hæc Inſtrumentum mirificum Eliæ fuit, qui *verbo continuit cœlos.* In hac loquendi forma Author noſter, facundum hoc præceptorum & doctrinarum lumen, diffunditur.

Alia item vocis & verbi deſcriptio per P. Azzolinum.

O vox, o verbum ſtupendum (loquitur de verbo divino) tam grande, ut nec cœlo includi poſſit, tam exiguum, ut ventri includatur, tam obſcurum, ut nec ab Angelis quidem comprehendi poſſit, tam clarum, ut & ſurdi illud audiant, tam altum ut cæleſtes ſphæras pertranſeat, tam humile ut luto & pulveri immiſceatur, tam dignum ut honor Empyrei ſit, tam rurſum abjectum, ut vilipendium ſit plebis, tam decorum ut in cœlo admirationem habeat; tam indecorum, ut ab eo mundus abhorreat, tam dulce ut paradiſum gaudio adimpleat, tam neceſſarium, ut ſine

hoc vana ſit ſalutis ſpes, tam voluntarium, ut non niſi libero arbitrio apprehendi poſſit, tam potens, ut mundum virtute ſua contineat, & conſervet, tam denique debile, ut inter tormenta vitam ſuam amittat.

Adhæc ego quoque adjungere auſus ſum, quæ ſequuntur. Vox, & verbum tam pulchrum, ut aurum ſtellarum & ſolis congeminet, inſuper tam amarum, ut iratum viventes condemnet ad mortem: neceſſarium eſt, eſt enim dulcedinis omnis principium: voluntarium eſt, quia ſine vi egreditur: exaltat, & deprimit: ad gloriam evehit, & vituperio ſubjicit: potens eſt, conſervans orbem terrarum: rurſum imbecille, quod mortem ſuſtinuit. Hoc verbum ornamentum eſt viridantium foliorum, eſſentia voluminum ſacrorum, verbum quod legitur, quo legitur, & in quo legitur. Mentis æternæ manus, animarum lumen, nuncius cordis, teſtimonium affectuum, conductor motionum, cogitationum revelator, & ipſius eſſentiæ humanæ eſſentia.

Hoc eſt illud verbum quod per os ſpiritus ſancti in Eccleſiaſtico de ſe teſtificatur: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi.* De hoc item ſuper hiſtoriam Adami (de quo in ſacra Geneſi legitur: Audivit vocem Dei in Paradiſo) ſapienter inquit Theophilus Antiochenſis: *Sermo ejus, per quem omnia creavit, exiſtens potentia, & ſapientia Patris, aſſumit perſonam Patris, & Domini univerſorum. Is venit in Paradiſum ſub perſona Dei, & colloquebatur cum Adamo: ſiquidem ſcriptura ſacra diſertè ponit, Adamum dixiſſe: vocem tuam audivi: at vocem quid aliud dixeris, quàm ſermonem Dei, qui ejus filius eſt. Sed intellige hoc loco enarrari ſermonem perpetuò exiſtentem, & inſitum in corde Patris Dei.*

Theoph. Antio. Lib. 2 ad Autolycum.

1. de Anima in Principio addit.

Vox à Peripatetico noſtro definitur, quod ſit *percuſſio aëris, inſpirati ad vocalem arteriam, moti ab anima, quæ in illis partibus eſt:* à Boëtio, quod ſit: *aëris per linguam percuſſio, quæ per quaſdam gutturis partes, quæ arteria vocantur, ab anima profertur:* Item juxtà eundem: *Eſt ſonus cum quadam imaginatione ſignificandi.* Communi logicorum definitione, *ſonus eſt ab ore animalis prolatus, naturalibus inſtrumentis formatus.* Siquidem partici *vocem* voluerimus, dicemus unam univocam eſſe, & tamen plures res ſignificare, alteram æquivocam, quæ ſub diverſis regionibus rerum diverſarum ſignificativa ſit.

Diviſio vocum.

Rurſum vocum aliæ communes ſunt, aliæ ſingulares: illæ & ſingulariter, & diviſim ſumptæ plura ſignificant: hæ autem (ſingulares inquam) de uno ſolo affirmantur. Porrò & aliæ ſunt quæ primæ, vel ſecundæ intentionis dicuntur: dividuntur item in concretas, & abſtractas, quarum illæ quidem ſubjectum indicant cum forma, hæ autem ſine ſubjecto, ut *albedo.* Sunt item aliæ abſolutæ, aliæ relativæ. Denique aliæ finitæ, aliæ infinitæ: item affirmativæ, & negativæ. Copioſus in diſtinctionibus his Hunneus eſt, Author in hoc approbatus.

Huneo, in Prodidagmatibus.

Phyſici nos docent (naturæ exprimenta ſequendo) quod qui gravi voce dotati ſunt, etiam corda grandia poſſideant, quibus thorax dilatatus ſit, & apertus. Quamvis regula hæc in Carolo Magno defecerit, qui, juxta Crancium, & juxta Saxonium, quamvis ſtaturæ ingentis eſſet, vocem admodum minutam habebat.

Lib. 2. cap. 7.

Apud antiquos Stentoris vox nota fuit, quæ omnium & vicinia conſiſtentium aures obtundebat. Sabellicus memorat Thraſibulum Athenienſium Ducem voce ſua omnium concivium vocem exuperaſſe. Ejuſdem vocis erat Carneades Cretenſis philoſophus (ſecundum Plutarchum & Antipatrum) quos Cælius citat. Anſonius certo cuidam, qui omnium animalium voces æmulabatur, hoc improperium ſequenti Epigrammate ingeſſit, quod lectu dignum arbitror:

Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
Caprigenumque pecus, lanigeroſque greges
Balatu aſſimilas; aſinos quoque rudere dicas:
Quamvis Arcadium fingere turpe pecus.
Gallorum cantus, ovantes gutture corvos,
Et quiquid vocum bellua felis habet.
Omnia cùm ſimules ità verè, ut ficta negentur,
Non potes humanæ vocis habere ſonum.

Nil eſt, quo orationis complementum & perfectio tam promoveatur, quam voce; hæc enim ſola eſt, quæ rerum ſignificationes exprimit, quâ ſolâ auditori vel acceptus, vel econtra inamœnus eſt ſermo: unde & operæ pretium judicavi vocum differentias huc collocare.

Varietas vocum.

Itaque à viris literatioribus cùm adjunctis hujuſcemodi cohoneſtata fuit, *altæ* nimirum, & *acutæ.* Æſchines inclytum illum oratorem Demoſthenem hujus vitii inſimulavit: *quod Bœotorum more vociferaretur immodicè, & indecorè.*

Prout Eraſmus teſtificatur naturæ conſimilis erat Hiſtiæus quidam Mileſius, qui Dario ſaluti fuit, dum eum de periculo mortis redemit, admonendo eminus, ut ab hoſtium ſibi inſidiis collocatis præcaveret: hi pontem abſciderant certiſſimo eum periculo ſubjiciendum rati, eo tempore, quo fugam capiebat per Scythiam.

In adagiis Lib. 4.

Inveniuntur itidem voces fictitiæ, quales erant Græcorum, qui præter conſuetudinem naturalem (juxta eundem Eraſmum) & fauces, & ora in loquendo dilatabant, idque voluntariè. De earum multiplicitate S. Auguſtinus inquit: *Quidam voces avium, pecorumque, & aliorum quorumlibet animalium ſic imitantur, & exprimunt, ut, niſi videantur, diſcerni omnino non poſſint.* Clara & ſonora, quæ numerum harmoniæ, & pondus operi qualicunque addit, juxta Poëtarum mentem, verum lumen orationis eſt, inſtrumentum roſtris, & pulpitis aptiſſimum, ſtabilimentum, & fundamentum muſices perfectioris, & ubi chori ordinatiores inſtituuntur. Talem ſe exhibuit Æſchines Tragicus, qui eouſque ſublimem ſe in genere hoc reddidit, ut, Authore Plutarcho, cum à Patre ſuo literas edoctus eſſet, primus in ſcena temporum illorum cothurno uſus ſit.

Eraſm. ut ſupra.

Lib. 4. de Civ. Dei cap. 23.

In vitis decem Rhetorum.

Marcus Cælius quoque (ſic volente Eraſmo) in pleno Senatu de non legitimis natalibus incuſatus, ad eundem Senatum literas tam elegantes dictavit, tamque illuſtri & diſtincta voce eaſdem recitavit, ut ipſe Cicero ſingulari encomio hanc virtutem decoraverit, dicendo: *Unus ex his eſt, qui proclamarunt.* Imperator Piſcenius ejuſdem dotis fuiſſe legitur, quippe qui ad Senatum verba faciens, ad mille paſſus uſque intelligibiliter auſcultatus fuit. Similiter Henricus ſecundus Daniæ Rex, qui, memorante Saxonio, tanti roboris, tamque clarus in dicendo erat, ut non ſolùm à ſibi vicinis, ſed à multùm quoque remotis diſtinctiſſime audiretur.

Lib. 4. Apophth.

Cal. lib. 19. c. 12.

Vox rauca, & obſcura, quæ à Cauſino nigra appellatur, eadem ipſa eſt, quæ maculat, & deturpat, non ſolum orationem, ſed omnem quoque ſermocinationem; quam olim (prout ſentit Eraſmus) Cycloboram appellabant: erat autem hic

Lib. 12.

torrens

torrens quidam, qui univerſam Atticam cum ingenti ſtrepitu pervagabatur. Unde Ariſtophanes de conſimili oratore dicebat: *Clamoſus, avidus, voce Cyclobori obſtrepens*: hæc de Eraſmo.

Sequitur vox aſpera, quâ olim *Phicidiſſare* dicebantur: Eſt autem vox Juventutis, quæ amoribus vacat, & cantilenis amatoriis. Hujus vitii inſimulabantur olim Erythræi, unde adagium illud emanavit: *Erythræenſium Rho.*

Vitioſa item vox eorum eſt, qui in loquendo linguam allidunt, vel qui lingua impedita, vel tarda, vel balba, vel blæſa ſunt. Hæc vox plerumque in iracundis eſt, in ebriis, & pueris; his enim extremitatibus commota lingua, & fauces, & arteria aſpera, ſonum edere nequeunt perfectum. Docet Hippocrates defectum hunc ex redundantia humorum naſci. Propter hoc linguæ impedimentum inter alios inſigniter admodum culpatus fuit olim Battus quidam Thebanus, cui oraculum Phidium illudendo dixit: *Batte ad vocem veniſti.*

Heſych. Eraſm.

Magnus ille Dux & Propheta Moyſes, dum ab altiſſimo ad regimen populi vocaretur, & ut gentem ſuam à ſervitute Pharaonis liberaret, hanc excuſationem prætendit: *Non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius: tardioris, & impeditioris ſum linguæ.*

Exod. 4.

Romani olim in dedicatione, vel conſecratione templorum ſuorum tantæ exactitudinis erant, ut ne verbum quidem, imo nec accentum à Miniſtris prolatum diminutum vellent, ſi ſecus contingeret, in omen vertebant. Hinc Plinius memorat quàm operoſum fuerit Metello ſummo Pontifici, pronunciare vocem illam, *Opifera*: erat enim balbus, & non niſi cum pœna id exprimebat.

Refert Cicero certum quendam Tundanium cognominatum fuiſſe Bambalionem, idque ob linguæ balbutiem; hæc ejus verba ſunt: *Bambalio quidam pater, homo nullo numero: nihil illo contemptius: qui propter hæſitantiam linguæ, ſtuporemque cordis, nomen ex contumelia traxit.*

Lib. 9. Decad.

Titus Livius in decurſu hiſtoriarum ſuarum medio, non prætereundum putavit, qualiter T. Manlius Torquatus, à primæva Juventute ſua, tam ſe impeditum, & blæſum lingua ſua reddiderit, ut Pater eum pene exulare ab urbe fecerit, ne tam hiulca vox inter ſuos audiretur: ille verò ruri degens tantopere ſe in dictione ſua exercuit, ſed non minus in actionibus illuſtribus, ut famæ locum dederit, quæ de facinoribus ejus tam inclytis ubique patuit. Hoc idem Valerius Maximus recenſet, unà cum Plinio. Cedrenus de Michaële Balbo Imperatore refert, eum tantopere & manu, & lingua impeditum fuiſſe, ut plures paginas evolvere quis potuerit, antequam ille vel nomen ſuum articularet, vel ſcribendo exararet.

Lib. 6 c. 9. De viris illuſt. Cap. 28.

Idem de Ludovico Tertio, Rege Galliæ filio Caroli Calvi, & Hermentrudis commemorat Cuſpinus: unde & Balbi agnomen adeptus eſt. Similiter de Wilhelmo Ruſſo Angliæ Rege, Polydorus mentionem habet, eum linguæ tardiſſimæ fuiſſe, præſertim cum efferueſceret irâ. De his pauca hæc dixiſſe ſuffecerit.

Tardis blæſiſque vocibus non minus in conſiderationem trahendæ ſunt præcoces, & veloces: quæ multum in divinationibus, & oraculis negotii faceſſebant: illic enim portentis, & reſponſis ambiguis, incautorum ſimplicitas illaqueabatur. Jam ſupra retulimus, quod hic rurſus recapitulandum eſt, filium Crœſi vix ætatem menſium ſex attigiſſe, cum inimicus patris evaginato gladio eum impetiit, dixiſſe autem clara voce infantulum: *Ne occidas Patrem.* Recenſent id Herodotus, & Plinius.

Guanius, Sigibertus, & Regina authores ſunt, Sigibertum infantem, filium Dagoberti Regis, cum à S. Epiſcopo Amando baptizaretur, &, cum vix quadrageſimum ætatis ſuæ diem attigiſſet, clara voce dixiſſe *Amen.*

Lib. II. cap. 11. In Chron. An. Dom. 633.

Stupendum miraculum eſt, quod Dodechinus de Anno Dom. 1117. recenſet, Cremonæ contigiſſe, ut Infantulus faſciis involutus, dum mater lautis indulgeret conviviis, & familiam cum ſplendore nimio, & opiparis epulis exciperet, humana, eademque diſtincta, virilique voce eam reprehenderit & exhortatus ſit, à luxu nimio deſiſteret, Deum hac de cauſa ei iratum, & jamjam vindictam ſecuturam. Videre ſe nihilominus glorioſiſſimam Virginem proſtratam ante thronum Altiſſimi, & pro familiæ ſuæ ſalute miſericorditer intercedentem.

In append. Mar. Sert.

Scriptor qui Comitum Flandriæ genealogias publico dedit, aliud prodigium recenſet: terminos naturæ transgrediens. Philippus Comes, Alſatiæ Landgravius vix diem nativitatis ſuæ attigerat tertium, ex quo matris uterum egreſſus fuerat, & continuò voce magna exclamavit: *Vacuate mihi domum.* Pluribus poſthæc annis à Patre ſuo populi gubernaculo inter primos præſtitutus, omne genus latronum, ſicariorum, prædonum, rebellium, & ſceleratorum ſibi alliciavit.

Voci præcipiti, contraria eſt vox Serotina, & tarda: unde Cuſpinianus tradit Imperatorem Maximilianum, filium Friderici tertii Imperatoris, & Eleonoræ Imperatricis filiæ Odoardi Portugalliæ Regis, in urbe Nova Auſtriæ natum, ad annum uſque nonum ætatis ſuæ mutum fuiſſe, & vix unum alterumve verbum, idque non ſine difficultate maxima pronunciaſſe, cum Parentum ſuorum ſummo dolore, qui quantò major erat, tantò inſuper gaudium majus fuit, cum ex tam moleſta tarditate linguæ modico temporis ſpacio facundiſſimus evaſit; tanta eloquentia quaſi hæreditate aliqua adepta, ut ipſis adeo exteris miraculo eſſet: ſiquidem eouſque in linguis, latina, gallica, & Italica excelluit, ut deinceps Romanorum Rex electus, applauſum univerſalem præſentium Principum, tanquam eximii oratoris conſecutus fuerit. Interrogatus itidem Pater, qua ratione cum tanta promptitudine tot linguis ſententiam mentis ſuæ exprimeret, reſpondit: *Neſcio quo pacto vel legat, vel loquatur: hoc mihi certè conſtat, quod cùm duodecimum ætatis ageret annum, ſubverebar ipſum aut ſtultum futurum, aut mutum.*

Interim hæ mutationes vocum, quæ veræ miniſtræ ſunt diſpoſitionum & affectuum animi, enunciatrices internarum cogitationum, ab oratoribus apud Cauſinum præter titulos jam memoratos, etiam his nominibus dicebantur: Vox fuſca, inamœna, parva, anguſta, ſubſurda, confuſa, contemptibilis, ruvida, rigida, dura, triſtis, infirma, ærea, acuta, alta, candida, pura, ſuavis, tractabilis, plicabilis, volubilis, cita, volucris, dulcis, mollis, canora, ſtridula, plena, ſplendida, lucida, & ſimilia, ſecundum quod affectus, vel ſenſus, vel paſſiones cordis popoſcerint.

De Eloquent. Lib. 69.

Quin-

Apud Cauſſ. de Eloquent.

Quintilianus ait: *Erit vox lætis in rebus plena, ſimplex, hilaris, fluens; in certamine erecta totis viribus, & velut omnibus nervis intenta; atrox in ira, & aſpera ac denſa, & reſpiratione crebra; Paulùm in invidia facienda lentior, quia non ferè ad hanc niſi inferiores confugiunt.* In quo loco prolixius de materia hac diſcurrit author, ad quem tranſmitto lectorem, qui copioſiora ſuper his deſiderat. Interim ego ad pauca quædam apophtegmata ejuſdem materiæ me converto.

Zenon interrogatus, quid maximè ſingulare, præter potentias animi eſſet in homine, reſpondit: *forma eſt vocis flos, vox autem ipſius formæ flos.* Adjungit Laërtius, qui ſuperiora illa citat; *Nam oratio*, inquit, *compoſita gratiam addit formæ.* Idem adhuc interrogatus, quid neceſſarium eſſet recitanti in ſcena, dicere ſolebat, non ſolum his, ſed omnibus quotquot orationi, vel dictioni ſtuderent: *Vocem magnam, bonaque latera debere eſſe, nec os immodicè diducere.*

Idem Laërtius qui Author citationum ſuperiorum eſt, refert, Carneadem admodum loquacem fuiſſe, unde cum in ſchola aliquando abundantius fabulatus eſſet, præceptor eum juſſit demiſſius loqui, cui ille ſat facetè rependit: *Da mihi vocis modum*, ad quod Magiſter prudentiſſimus: *Modum habes*, inquit, *nempe Auditores.* Volens inſinuare, juxta auditorum numerum, & pro loci convenientia, vocem moderandam eſſe.

Lib. 4 Apopht.

Sic Demoſthenes, juxta Eraſmum, audiens oratorem, magno luctamine, & magnis viribus dicentem, inquiebat: *Non quod magnum eſt, benè eſt, ſed quod benè eſt, magnum eſt.* Quæ ſententia cordi imprimenda eſſet iis, qui huic ſtudio & profeſſioni ſe dedicarunt. Præfatus Demoſthenes, ſponte ſua in medio orationis flumine hæſitavit aliquando, idque ob ſuſurrum, quem audiebat, iis, qui ſe ob hoc ipſum reprehendebant, reſpondens: *Hiſtriones è voce judicare par eſt, oratorem è mente.* Hinc prudenter Eraſmus commentatur, qui quæ diximus recenſet: *Hiſtrio ſervit populo, orator conſulit: ille delectat, hic prodeſt: Ad benè conſulendum non refert quàm ſis vocalis; ſed quàm opportunè conſulas. Actori voce opus eſt, quæ vincat in multitudine fragorem; Orator talis eſſe debet, ut populus ipſum ultrò tacitus, & attentus auſcultet.*

Lib. 8. Apopht.

Timidior erat Iſocrates, dum in publico peroraret, unde ſolitus erat inter familiares dicere: pro decem minis ſe docere, ſed ſi quis modum componendi in dicendo vocem ſe docuiſſet, ei ſe decem mille ſeſtertios daturum, ſiquidem tot ei in poſſeſſione eſſent. Unde Eraſmus jam memoratus ait, quod *vocis exilitas, & animi timiditas reddebant Iſocratem ad dicendum inutilem.*

L. C.

Verum quidem eſt, quod Cato ſui temporis juvenibus præcepta præliandi dederit, magnanimitatem, & valorem inſpiraverit, ſed ſæpius etiam illud repetebat: *Verba plus quàm gladium, verba plus quàm manus hoſtes in fugam vertere, attonitoſque reddere.* Volebat militem etiam in ardore conflictus non mutum, ſed clamoſa voce, & vultus aſperitate, æquè ac brachiorum robore in fugam conjicere, & perterrefacere inimicum. Sic Plutarchus memorat.

In Apopht. Rom.

Cum Tullius in oratores incideret, qui plus debito vocem levarent, hac ſimilitudine uti conſuevit, comparans eos claudis, qui defectu pedum equorum miniſterio, ſicut oratores clamoris utuntur. Unde Plutarchus qui ſuperiora commemorat, eruditiſſimè inquit: *Hoc genus hominum & hodie videre eſt, qui cùm ſentiunt ſe cauſâ inferiores, ad furioſa jurgia confugiunt, ut quoniam rationibus perſuadere non poſſunt, improbitate, metuque extorqueant.*

L. C.

Qui plura his deſiderat, voces nimirum humanas non ab homine prolatas: de iis quas Deus non nunquam edidit, non unâ eademque forma; qualis fuerit earum & conditio, & ſubſtantia: Voces item de rebus inanimatis, vel de brutis animantibus, opera vel Angelorum, vel dæmonum productas; Voces præter naturæ curſum prolatas, aliasque eruditiones curioſitate plenas, ampliſſimum in hoc genere theatrum humanum evolvat doctiſſimi viri Beirlinch, nil enim imaginationi inciderit, quod volumen illud non complectatur. Ego hic ad alia converſus, vocem interim omitto, & in conſiderationem deſcendo, qui ſit

VICTUS, vel CIBUS HOMINIS.

GAlenus vir doctiſſimus in libro ſecundo, tertio Doctrinarum capite, loquens de facultatibus alimentorum, quæ cuique animantium neceſſariæ ſunt, cuique eorum cibum ſuum familiarem aſſignat, ſubſtantiæ proprietati conformem: Equis nimirum, & Dromedariis paleam, fœnum, & hordeum, & hujuſcemodi alia, leonibus carnem animalium crudam: Sic homini convenire carnes coctas (inquit), panes triticeos, hordeaceos, de frumento, & caſtaneis coctos. Hinc Artophagi translatione græca in latinum homines *Panivori* vocantur. Sed deinceps gulæ luxus, & menſarum opulentia in tantum excrevit, ut de carnibus avium, & quadrupedum, etiam ad penetrandos profundi maris internos ſinus deſcenderint, ut inde piſcium exquiſitas epulas inſtituerent.

Hinc de Vitellio legitur, quod tabulam ſuam inſtrui voluerit ſcarorum hepatibus, quæ tum temporis in pretio erant, cerebro phaſianorum, & pavonum, lacte murænarum, quod quo rarius, tanto carius erat.

Eſca homini conſueta caro bubula eſt pro ruſticis: aut vitulina, aut vervecina, ſuilla, caprina, agnina, & ſimilium, prout in macello videre licet: De volatilibus capones ſunt, & gallinæ, columbi, pulli, & horum ſimiles, id quod uſus quotidianus docet. Nec deſunt noſtris temporibus ventriculi ſat valentes, qui in pretio ponunt leporem, cervum, talpam Alpinam, ſciurum, capras, hinnulos, echinum, cuniculum, Caſtoreum, Taxum, teſtudinem, imò & ranas, inter hæc & Elephantorum proboſcides.

Alii rurſum curioſius cibati ſunt, quidam enim tygridum nates, alii, præſertim Æthiopes, pantherarum, & tygridum carnes devorabant. Quidam Africæ populi inter lautiores epulas recenſebant, lacertis viridibus, & ſimiis veſci. Boruſci in Scythia, Hippophagi appellati, non alia carne, quam equina nutriebantur. Inſubres, populus Italiæ, nec menſas rejiciunt, in quibus lupi, & feles, & vulpes, & pardali, & pulli aſinorum, & ſimilia apponuntur. Olim etiam, teſte Galeno, camelorum & aſinorum menſæ non rejiciebantur.

Nomades, teſte Plinio, lacte Cinocephalorum nutriuntur: habitatores Indiæ Occidentalis his terminis non continentur, quippe qui colubris, & bufonibus, veris terræ rejectamentis veſcuntur.

Præter carnes etiam fructibus, & multis herbarum generibus, quæ terra progerminat, nutritur homo, juxta promiſſionem divinam: *Ecce dedi omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna . . . ut ſint vobis in eſcam.* Refert ſuper hæc Bugatus in territorio Patavienſi circa Annum Domini milleſimum ducenteſimum trigeſimum tertium contigiſſe, ut loci Incolæ urgente fame, & penuria rerum omnium compulſi fuerint omni herbarum genere, quæ ruri naſcuntur, tam quæ comeſtibiles eſſent, quàm econtra, victitarint, non abſimiles feris ſylveſtribus. Nec tamen illud, inquit Aldrovandus, tam mirabile videri debet, cum inventi ſint populi, carpophagi appellati, qui nullò unquam edulio, niſi frondibus arborum, ſeminibus herbarum, & fructibus uſi ſint. Sic autem ſibi providére conſueverant; æſtivo tempore fructus recolligebant, eoſdemque ſiccabant, ut in decurſu anni ex his alimentum ſumerent: non minus tamen & quibuſdam herbis, quæ in locis montuoſis & in opacis vallibus prodibant, fruebantur.

Hic populus in more poſitum habebat (quamvis omninò præpoſterus ſit) ut filii, & matres, & mariti, & uxores, & quod reliquum eſt hominum, ſuadente fame (nudi nihilominus, prout eos natura genuit) cum celeritate, & aviditate magna, de arbore in arborem ſcanderent, ad carpendos & conſumendos fructus: quamvis etiam caſu pes eos fefelliſſet, manu prompta à lapſu ſibi præcaverent: ſi tamen aliquando corruiſſent, tam agile corpus habebant, ut vel omninò nihil, vel parum admodum caſu læderentur.

Prout Lycoſthenes teſtatur, inter ſe plerumque dimicabant, idque ob rarionem victus: ſæpius item cæcitatem incurrebant, & miſerè interibant, eo quod oculorum defectus, omnem eis ſuppeditandæ vitæ occaſionem auferebat.

Non ſolis autem alimentis ſimplicibus cibatur homo, quin & compoſitionibus utitur. Veteres Betam, & paſtinacas, aliaſque radices ſanguine animalium, aliiſque rebus condiebant, ſicut noſtrates id oleo, & vino aliiſque condimentis conſueverunt.

Melle item & papavere ſibi certam eſcam non inamœnam conficiebant. Has ni fallor caricas, & rapas Curius Dentatus guſtârat, cum tantum aurum ſibi à Samnitibus oblatum rejecit. Commendat Martialis certum quoddam genus compoſitionis, farcimen inquam, carne ſuilla impletum, quod in patria mea tam exquiſitè parari ſolet, ut ob eandem cauſam ſibi denominationem loci aſſumpſerit, vocatum *Salame di Bologna;* hinc de eodem præmemoratus Poëta inquit:

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Faciebant item olim, more noſtro (ſic enimverò gulæ vitium omnem adeo mundi ætatem pervaſit) eſculentum quoddam, ab ipſis nominatum *minutal*, è piſcibus marinis compoſitum, oleo, vino, porro & coriandro confectum: ſicut & pulmenta, botulos, Tucetas, artocreas & hujuſcemodi alia oblectamenta, guſtui blandientia; ſicut ſunt Lucanicæ carne porcina fartæ, aut melius hepate minutim cum ovis, caſeo, pipere, aniſo, & gingibero ſimul contuſis, quod univerſum cum reticulo ejuſdem hepatis coopertum ſit.

Taceo hic, quæ inſuper alia de lacte, melle, uvis paſſis, amygdalis, conficiuntur, & condiuntur, & ultimis menſis apponi ſolent.

Concludit Aldrovandus: *Qui hodiernos epularum apparatus, & menſas inſigni magnificentia inſtructiſſimas ſcire deſiderat, adeat Bruyreum Campegium, Bartholomæum Scapium, & alios inſignes authores, qui de elegantibus conviviis, & miris epularum lautitiis diligenter pertractarunt.* Adjungo his è modernis *Oeconomiam Civis urbani* Vincentii Tanari, *de conviviis menſtruis;* inter antiquos autem opera Athenæi, *in cœna ſapientum.*

Occaſionem hanc nactus, nunc in medium producturus ſum utres illos epulonum, & guloſorum hominum, qui (ſi ſuperis placet) mundum univerſum in opiparam converti menſam optarint, ut ventri ſuo totum, tanquam ſepulchrali tumulo injiciant: monſtrando per hæc quantum à rationis ſede dejiciat gula, quæ viventes de natura hominum evertit: ſed malo eorum peſſimo, quippe quod eorũ nonnulli diei unius ſpacio patrimonium prodigendo, miſerrime perierunt. De his non immerito Horatius inquit:

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.

Nota eſt hiſtoricis diſſolutio Marci Apicii, qui Lynce fervidius, dum paſcua ſua inſequitur, de regione una in aliam migrare ſolitus eſt, non niſi gulæ oblectamenta ſectando. Ariſtoſenus Cyrenenſis omnem curam & ſollicitudinem in hoc collocavit, ut nova opſonia, novas cupedias inventaret, teſtante idipſum Macrobio: & ſiquidem ei feliciter obtigiſſet, non ſecus ac ſi novum elixir aliquod vitale produxiſſet, ſine mora ſodalibus ſuis idipſum communicabat.

Gloriabatur hic idem ſe myſterium novum produxiſſe, promovendi incrementum lactucæ, irrorando eandem vino mellito, unde tam jucundum ſaporem conſequebatur, ut ob mirificam dulcedinem ſuam, delectamento inuſitato mentes etiam ſenatorum maxime ſpectabilium non ſecus & hortulanorum maximè expertorum delirare fecerit.

Vult Martialis de hac hominum fæce certum quendam Santrecam diſſipatorem diſſolutiſſimum fuiſſe, unde ſic ait:

Nihil eſt miſerius, nec guloſius Santreca.

De Vitellio Imperatore (quem ſupra jam retulimus) Suetonius recenſet, eum *Bovis* ventrem habuiſſe potius quam *Vituli:* poſt jentaculum enim prandio comparandum, ſibi rurſum in meridie fertiliſſimam menſam parari faciebat, huic ſuccedebat antecænium pingue, & ad veſperam cæna pleniſſima. Quod verò admiratione digniſſimum erat, carnes æque ac juſcula bullientia & fervidiſſima ſine læſione devorabat, & epotabat.

Virgilius Cælii cujuſdam meminit, qui omne patrimonium ſuum ingluvie prodigebat, & qui omnem ſubſtantiam & bona ſua in fauces, non ſecus ac in voraginem quandam præcipitabat, tantum ſibi terræ ſpacium reſervans, quanto tumulari poſſet. *In Bucolic.*

Xerxes magnus ille Perſarum Rex, qui tam ponderoſo exercitu Græciam inundavit, ſed non niſi ſolitarius terras ſuas repetiit, nil regium nec generoſum in ſe habuit (teſte Valerio Maximo) niſi quod coquos præmiare ſolitus ſit tum videlicet, cum inſolitum aliquid exquiſiſſent, quod novo oblectamento guſtum titillaret.

Milo (Theodoro teſte) prout pugno bovem mactabat, ſic eundem conſumebat ſine mora. Hic in prandio uno viginti carniũ pondo devoravit.

Philoxenus Jovem precabatur (ſic Clearchus meminit) ut pro inſigni dono ſibi collum gruis formaret, quò diutius deglutiendo majori cum delectamento cibis frueretur. Claudium Alpinum peram dixiſſes ſine fundo, qui tempore matutino, quingentas ficus, centum perſica ruralia, decem melopepones Oſtienſes, viginti libras uvarum, & centum aviculas *beccafichi* ab Italis nominatas conſumebat.

Sextus Aurelius narrat Maximinum juniorem tam patulum habuiſſe ventriculum, ut incredibiliter magnam vini menſuram ad prandium epotaret, undecim quoque libras carnis non niſi modicum quid reputarit.

Admirabile non minus quàm ridiculum eſt, quod Aſtidamas Meletenſis erga Ariobarzanem Perſam commiſit (referente Ariano) invitatus enim ad prandium una cum cæteris commenſalibus, & amicis non paucis numero, ſolus ſe in culinam incluſit, totumque, quod pro menſa paratum erat deglutivit: proin cum dexteritate ſe ſubtrahens, domumque rediens, menſam quæ parata erat, nudam ſiccamque reliquit.

Impia fuit olim crudelitas Vedii Pollionis, de quo Vopiſcus meminit. Hic ut voracitati gulæ ſuæ miniſtraret, cum ſervos ſuos impinguaſſet, in piſcinas murænarum eos jactabat, ut carne hac paſtæ ſaporem guſtui magis gratum præberent. Caligula majorem theſaurorum partem, quos Tyberius accumulaverat, in conviviis, & inter commenſales ſuos, epulones diſſolutiſſimos conſumpſit: ſic Dio commemorat.

Idem Dio de Tyberio Rege Ponti narrat, quod ne ſolus in tanta diſſolutione, & epularum affluentia victitaret, magna præmia propoſuerit iis, qui alios voracitate antecellerent: ſic enim ſocietate hilari fruebatur, interim nemo ei inter helluones iſtos par fuit. Heraclides Pythius maximus ætate ſua gulo quaternis imò quinis vicibus diurnis ſibi menſam ſternebat; ne tamen crapularum ſuarum teſtes abeſſent (ſic ſibi hanc vitæ intemperantiam gloriæ ducebat) nunquam ſine numero paraſitarum, & convivarum degebat.

Gallonius item inexplebilem gulam habuit, qui cunctas poſſeſſiones ſuas culinis impendit, nec prius deſtitit farcito ventre incedere quam cum loculi evacuati eſſent. Hinc Tertullianus dum ſiniſtre cuipiam augurari vellet, ei jocos Curionis, expenſas Appicii, ebrietatem Antonii, gulam inexplebilem optabat Gallonii.

Servius refert de Heterognato, quod cum menſæ accumberet, etiam ſine cultro & fuſcinula ſibi parem non habuerit in devorandis caponibus, deglutiendis capreolis integris, imo & evacuanda menſa convivali benè & lautè inſtructa. Unde & Alexander Taxus non immeritò dixerit: *In un Ave Maria fu ſparecchiato.*

Flavius Vopiſcus de Phagone quodam refert (quem falconem potius dixiſſes) quemvis ſui coævum ingluvie exuperante: Invitaverat hunc Aurelius Imperator experimentum ſumpturus de ingluvie: itaque lautiſſimam & fertiliſſimam menſam parari juſſit & illi, & reliquis paraſitis. Phago ſolus aprum integrum, centum panes, vervecem, & porcellum dimidia diei parte abſumpſit, unà & Orcam vini epotando.

Eodem Authore teſtificante, Imperator Galba majus bellum culinis indixit, quàm nationibus exteris. Hyemali tempore binis horis ante auroram jam ventri & gulæ vacabat: cœnas verò in ſeram uſque noctem protrahebat: De analectis oſſium quæ ſuperabant, centum moloſſi ſatiari poterant.

Peripateticus noſter (authore Laërtio) antequam ſe ad liberalium artium lucubrationes contuliſſet, nulli in ſumendis eduliis, nulli in convivio impar erat: ſed deinceps ex quo ſcientiarum dulcedinem intellectu percepit, vitio præfato frenum injecit, naturam edomando.

Hercules prout robore ſuo Gigantum domitor fuit, ita ſe menſarum aſſeclam non minus ſtrenuum & Anteſignanum exhibuit: unde etiam in Zeucli operibus legitur, eum cum Lepreo Rege in certamen deſcendiſſe, uter eorum voracitate præcelleret, Herculem victorem evaſiſſe, devorando paucarum horarum intervallo Taurum integrum: ſtet fides penes Authorem.

Demetrius Phalereus quotannis ducenta talenta (quorum quodque ſeptingentos *ſcudos* italicos valebat) in conviviorum lautitiis expendebat, tam communibus, quàm quæ magnificè inſtituta erant. Notæ impenſæ ſunt Luculli in cæna Apollinis, quam Imperatori Julio Cæſari paravit: ubi commenſales omnes deorum veſtimenta induti, pretioſiſſimis macteis veſcebantur, quæ ſummis argenti pretiis ſteterant.

De præfato Vitellio ſupradictus Suetonius narrat, quod fratri ſuo ab itinere reduci, aliud affectionis teſtimonium exhibere nequiit, quàm cum aëris ſimul & aquarum elementa ſibi tributaria reddidit, quorum unum ei duo millia piſcium, alterum ſeptem millia volucrum præbuit. De Servio, Saxone, & Heliogabalo cum ſcriptore jam memorato, alii inſuper memorant fide digni, quod non niſi alas abſciſſas exquiſitiſſimarum avium in lancibus ſuis exhibebant.

Cleopatra, ut Antonio demonſtraret, in quanta eum æſtimatione teneret, imo verò ut extremum affectum vel paſſionem ſuam erga eum palam faceret, inter epulas unionem diſſolvendo ebibit, cujus pretium, ſecundum Budei mentem, ad valorem quinquaginta millium aureorum uſque cenſendum erat.

Prætereo hic quæ in ſacris literis de regalibus conviviis recenſentur, inter quæ illa ſunt, quorum mentio fit ubi de Salomone & Regina Sabæ dicitur: *Videns cibos menſæ ejus . . . . & ordines miniſtrantium . . . . non habebat ultra ſpiritum.* *3. Reg. 10.* Nil hic de Aſſueri magnificentia dicemus, ubi per centum, & octoginta dies convivium celebratum fuit, per ſeptem vero populo, ſicut & Principibus & regibus: *Eſther. c. 1.* Nil de Rege Baltaſſar, qui ut epulum ſuum celebrius redderet, inter dapes vaſa collocari voluit, quæ Pater ſuus Darius de templo Hieroſolymitano aſportaverat: quam temeritatem repentina morte luit: ſupra quod prætereundum non eſt, quod tam feliciter Commendator Teſtius expreſſit, qui ſic ait:

Infelice paſſagio!
Da real trono ire à mortal feretro
Dal pranzo al rogo, è dalle tazze al' urna.

Præter exemplum illud omninò tragicum, alia non minus funeſta ex nimia ciborum repletione ſucceſſerunt, ita ut verum ſit: plures occidiſſe crapula, quàm gladio. Inter tot & tanta, quorum memoria apud hiſtoricos reperitur, pauca recenſebimus.

Guloſitas Archeſilai Pritanæi condigna caſtigatione mortis vindicata fuit: Hic enim (refe-

rente Hermippo apud Diogenem) quamvis annum jam ſeptuageſimum & quintum ageret, & adoleſcentium robuſtam virilitatem æmulari vellet, uſque eò ciborum farragine referciit, ut ab iiſdem ſtrangulatus in medio convivantium choro ſubitanea morte extinctus, & ad feretrum ablatus fuerit.

Non in obſcuro eſt Domitii Afri memoria, mediante Euſebii calamo, qui in medio dapum, non ſecus ac oneraria navis, nimio pondere preſſus, inter fluctus delicioſæ menſæ, naufragium paſſus eſt. Refert Sextus Aurelius de Septimio Severo, quod pro obeſitate corporis ſui, omnem modum voracitate ſua tranſierit: unde non rarò ei ſtomachus, provocato vomitu, ſublevandus erat: proinde & atrociſſima valetudine correptus non niſi mortem in votis habuit: quod ei nemo facilè crediaiſſet, niſi poſtea palam factum eſſet, eum carne animalium omninò cruda victitaſſe, ex qua videlicet indigeſtione mortem ſibi ſpontaneam conciliarit.

De Valentiniano Imperatore fide digni commemorant, quod cùm Barbarorum quorundam Legatos coram ſe perorantes audiſſet, & ea quæ dicebantur, animum ejus ſauciarent, tanta iracundia exarſerit, ut ſibi venam in pectore ruperit, ex qua tanta cruoris copia regurgitarit, ut cùm reſpondere contenderet, continuò obmutuerit, & vitam expirarit: id quod ei contigiſſe authumant ob nimiam epulandi aviditatem, nec eum digerere potuiſſe, quæ cum tanta ubertate naturæ obtrudebantur.

Hunc inſolitum exceſſum, inquit Baptiſta Egnatius: etiam Joviniano Imperatori eveniſſe, qui cum tanta cupiditate prandiis ſuis inhiabat, ut ciborum, & carnium plenam coctionem non attenderet: tantam idcirco cachexiam de indigeſtione vel bradipepſia contraxit, ut repletione nimia oppreſſus, in cubili ſuper ſtratum ſuum mortuus inventus fuerit.

Childericus tantoperè ingurgitaſſe ſe legitur ut nunquam ſatiari poſſe videretur, niſi digito (prout in proverbio dicitur) quod devoraverat, tetigiſſet. Hic veſpere quodam inhumaniter crapulatus illuceſcente aurora tot vaporibus obfuſcatus, matutinam lucem intueri non potuit; inventum enim fuit à cubiculariis cadaver ſine anima. Sic de eo memorat Gregorius Turonenſis.

Valerius Maximus fatum Poëtæ Lyrici Anacreontis Teii deplorat, qui Enthuſiaſmi ſui Poëtici non modicam partem muſto, & lautis epulis adſcribebat. Hic aliquando, cum maximè genio ſuo indulſiſſet, atque interim ſe Poëticis influentiis totum dediſſet, potius pro funere ſuo miſer Epicedium vel næniam cantavit; derepentè etenim in tanta repletione vitam expiravit: nec aliud tantum indoluit, quam quod acino uvæ paſſæ ſtrangulatus fuerit, is, qui vino græco fortiter reſtiterat. Hinc Politianus in hunc modum de eo canit:

Tandem acino paſſæ cadis interceptus ab uva.

Niſeus Syracuſanorum Tyrannus cum ab Aſtrologo quodam ſiniſtrum de duratione vitæ ſuæ augurium habuiſſet, anticipare fatum ſuum voluntaria morte ſtatuit: unde quantùm maxime potuit, ſe cibis adimplere, & ſuffocare decrevit: Id quod deinceps executus eſt.

Narrat inſuper Fulgoſus, Tarquinium Priſcum, cum inter epulas ei os piſcis gutture tranſverſo hæſiſſet, ob nimiam edendi cupiditatem, eadem ſubſequente nocte miſerum in modum vitam ſuam terminaſſe.

Innumerabiles præter hos jam memoratos occurrunt hujuſcemodi utres vini, labra vinaria & bibones; qui plus quàm Crœſus in medio auri, plus quàm Craſſus in medio cruoris, tantoperè ſe ingurgitarunt, ut antequam ventris ullum paterentur diſpendium, antequam à continuis vini diluviis ceſſarent, maluerint Bacchantum more furere, delirare cum Pentheo, cum Oreſte mente capi, in vertiginem rapi cum Ixione; demonſtrando veraciter Bacchum inter fulmina genitum: hi enim nimia bibendi crapula diſtenti calamitosè perierunt & dignam meritis ſuis mortem oppetierunt.

Sic enimvero nõ abſq; ratione tam Poëtæ, quàm pictores (quibus metaphoricæ translationes, & hujuſcemodi metamorphoſes temerariæ vitio non vertuntur) Bacchum nobis aliquando infantulum, aliquando fæminam, hedera redimitam, depingunt, & repræſentant: his enim figuris ebrietatis inſipientiam exprimunt, quippe quæ viros in mulieres, & infantes transformat, ratione eos fraudans, & in admirabilem vitæ mendicitatem conjiciens.

Inter eos igitur, qui vino domiti, in tam proceelloſo mari intemperantiæ honorem, famam, & fortunam peſſumdederunt, de Catone minore memoratur, quod in bellis civilibus adhærendo Pompeii partibus, à Julio Cæſare reprehenſus fuerit (in duobus nimirum libris, quos Anti-Catones nominat) tanquam vini potator, vel gurges. Nec Horatius id tacuit, qui ſic habet;

Narratur & priſci Catonis Lib. 3.
Sæpè mero claruiſſe virtus.

Homerus antiquitate tam celeber, tam conſpicui nominis vir, nihilominus de temulentia cenſuratur: unde Horatius de eo inquit:

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.

Multi ajunt vinum Poëtarum equum eſſe. Id quod in Ennio patuit, qui ſine meri adjumento componendis verſibus ineptus erat. Venuſinâ Lyrâ ſuâ hocipſum expreſſit Poëta: Lib. 1. Epiſt.

Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda.

Inter mulieres potatricem nobis Martialis Feſcenniam exhibet. Vitium quod in viris tam exoſum eſt, quid non erit in fæminis? Hæc vinolentia enim omne temperantiæ, & pudicitiæ frænum relaxat. Unde Satyricus ille inquit:

Ne gravis heſterno flagres Feſcennia vino
Paſtillos Coſmi luxurioſa voras.

Hi paſtilli quoddam medicamenti genus erant, quo vini nimia fumoſitas retundebatur.

Idem Poëta certam quandam nomine Myrtalem percellit, quæ ut nidorem vini meracius potati ſupprimeret, folia Lauri maſticare ſolita fuit. Infelix quæ in vino lauros quærebat, potius cypreſſos quæſiſſet. Hoc in ea vitium conticere Poëta nequiit, ait enim:

Fœtere multo Myrtale ſolet vino,
Sed fallat ut nos, folia devorat Lauri. Lib. 5.

Præfatus Poëta bibacitatem Philoſtrati cum Elpenoris bibacitate comparat, de quo Ovidius meminit. Uterq; vino madidus de gradibus præcipitavit. Experimento docentes, quod qui tot fumos in cerebro nutriunt, non procul à caſu ſint. Epigramma tale eſt:

Lib. 1.
A Sinueſſanis conviva Philoſtratus undis,
Conductum repetens nocte jubente larem:
Penè imitatus obit ſævis Elpenora fatis
Præceps per longos dum ruit uſque gradus.

Negari nequit intemperantiam de omni gradu dejicere. Archeſilaus, teſtante Laërtio, volumina Philoſophorum evolvere amabat: ſed ſicut vannus, quæ ventilando quod bonum eſt, pro ſe ſibi lolium conſervat, ſic ille de lucubrationibus præfatis aliud non trahebat, nec uſui ſuo ſumebat, quàm vitium: unde etiam liquorem Bacchi ſibi familiarem habens, uſque adeo ei indulſit, ut breve vitæ ſuæ compendium infeliciter terminare maturaverit.

Scythæ olim, certatim alter alterum in potando vincere contendebant: authumantes fortaſſe his internis vini incendiis rigorem patriæ poſſe corrigi: quem abundantia nivium in locis illis adauget. Hunc morem Cleomenes Spartarum Rex imitatus (juxta Horatium) eouſque aliquando mente alienatus fuit, ut neceſſe fuerit eum, tanquam furibundum ligare. Non ſine ratione hic S. Clemens Alexandrinus exclamaſſet: Stromat. 5. *Inter turpia, turpiſſimum eſt Regem vinciri.* De uſu hoc perverſo Scytharum & Thracum præmemoratus Horatius inquit:

Natis in uſum lætitiæ ſcyphis
Pugnare, Thracum eſt.

Romæ quondam vir Mediolanenſis nomine Novellus inventus fuit, (ea tempeſtate qua Tyberius imperavit) qui ob nimiam vinolentiam ſibi nomen Biberii adſcivit; eo verò, quod in potando ingentia vaſa evacuare ſolitus erat, ſtupente urbe, aliud ſibi nomen Tricongii paravit: Hæc è Plinio ſumpta ſunt. Lib. 4.

Plutarchus duorum ſceleratorum hominum memoriam habet, quorum alteri nomen Amicus, alter Cyanippus appellabatur; hi ambo tanta vini copia ſe implebant, ut non ſecus ac furentes Bacchides Orpheum, illi proprias (quod horrendum eſt) filias involarint, & cum improvido Loth, cum iiſdem nefaria ſtupra patrarint. Hinc optimè Ovidius:

Nec vini, nec tu Veneris capiaris amore,
Uno namque modo, vina Venuſque nocent.

Marcus Antonius librum edidit in laudem vini, cooperiendo, ut rebatur, teſtante Dione, diſſolutam ſuam vivendi licentiam, in quam cum ſæculi ſui admiratione incurrit. Plutarchus recenſet, Promachum quendam nunquam ſatiari vino potuiſſe, ex quo ſibi juſtum Senatus Athenienſis improperium promeruerit. Timocrates Rhodius nunquàm aliquid ſenſato homine dignum protulit, tanta inerat homini turbulentia ex immoderata potandi conſuetudine. Auſonius Poëta contineri non potuit, quin fœdam hanc hominis labem eleganti Dyſticho percelleret, quod antiquitas etiam ſepulchrali lapidi ejus inſculpi juſſit; eſt autem tale:

Multa bibens, tum multa vorans, malè denique dicens
Multis, hic jaceo Timocreon Rhodius.

Eruditiſſimus Jovius in Elogiis ſuis, ubi tam feliċi calamo delinquentium vitia exaravit, de Attila Cane illo, qui flagellum Dei nominatus fuit, hæc meminit, quod tantundem crapulis, & infuſione meri, quantum effuſione ſanguinis delectatus fuerit. Hic cum ſequentia loca & urbes, Altinum, Concordiam, Uderzam, Treviſum, & Patavium deſtruxiſſet, & victorioſo vexillo Romam uſque pertigiſſet, gravibus eam onerando tributis, hac eadem felicitate in Hungariam reverſus, in nuptiis cum formoſiſſima fæmina Ildide celebrandis, cum tanta illuvie ſe vino & dapidus adimplevit, ut in hæmorrhagiam fatalem inciderit, lectumque conjugalem hoc eodem inundaverit, animam infelicem in medio crapulæ, & cruoris innocentis, quem tam impiè effuderat, evomendo. Æthiops Corinthius (juxta Petrum Meſſiam) tam vino deditus erat, ut partem agrorum, quæ ei jure hæreditario in patria debebatur, vendiderit, tantùm ut popinis, & bibentium tabernis vicinior eſſet.

Sed ulterius in mare hoc turbulentum ebrietatis, tanquam in abyſſum demergi nolim, ubi tot tantique jam infeliciter perierunt, & quotidie adhuc intereunt. Qui plura de his deſiderat, theatrum humanæ vitæ conſulat, ubi in litera B. & titulo Bibax, aut vero in lit. V. hoc eſt, Vino, quantum ſibi libuerit copioſiora deſumere poterit. Ego interim temperantiam mihi colendam hic ſtatui.

Ad condemnationem vitii hujus, inter alia, doctiſſimi Alciati emblemata quædam ſunt, quorum primum eſt numero nonageſimo primo: Statua illic cernitur Apicii quæ gruem tenet in manibus, vicina diſco. Nonageſimum ſecundum miſerabilis Ocnus eſt, qui funem de palea torquet, ſed quantum ille torquet, tantum aſella prærodit. Nonageſimum tertium homo eſt lancem repletam cancris fluviatilibus in manu gerens, adjuncto lemmate: *In paraſitos:* Nonageſimum quartum, arbor ſicca eſt, cui duæ volucres (Italicè *Beccafichi* nominatæ) inſident, cum inſcriptione: *Parva culina duobus ganeonibus non ſufficit.* Nonageſimum quintum piſcatorias naviculas quaſdam exhibet, quæ oſtreas piſcantur, quarum una cæteris magis patula apparet, dumque ad cibandum mus appropiat, ſe concludit illa, & miſerè mus interit: lemma tale eſt: *Captivus ob gulam.* In nonageſimo denique & ſexto Anas apparet, in aqua ſtagnanti garriens, cum Epigraphe: *In garrulum, & guloſum.* Hæc emblemata tanta eruditione referta ſunt, ut cui vitium gulæ in deteſtatione eſt, non habeat, quod ultra deſideret.

Quod vinum attinet; Author noſter pari modo tribus ſagaciſſimis emblematibus diffunditur, tam in vituperium quàm laudem illius. Inter quæ vigeſimum ſecundum eſt, habens Bacchi ſtatuam junctam Palladi, cui lemma hoc ſubjunctum eſt: *Vino prudentia augetur.* Alterum oleam arborem continet, cui vitis annectitur eam amplexando, cum ſequenti inſcriptione: *Prudentes vino abſtinent.* Tertium figura Bacchi inſignitum eſt, collocati in ſerto quodam, cum hac ſententia: *In ſtatuam Bacchi.* Hoc loco ingenioſus Tuillius ſtudioſum curioſumque Lectorem pretioſiſſimo nectare eruditionum, ſententiarum, & doctrinarum, tam ſacrarum, quàm prophanarum potabit. Præter hunc floridiſſimam eloquentiam ſuam exponet Pater Carolus Scribanus in volumine, quod *Philoſophum Chriſtianum* appellat; ubi ſæculi noſtri intemperantiam exprimit (quæ ipſa adeo animantia bruta exuperat) idque in præfati libri capitulo nono.

Interim hic ego Paræneſim quandam in primitivis vitæ meæ annis compoſitam huc collocabo, quam de Stoico meo Chriſtiano decerpſi: & quam plurimum aptam reor, ad vitium præmemoratum, quod tantorum funerum cauſa eſt, pro merito ſuo confutandum. Verba mea in ſequentem ſenſum deducta ſunt, quæ de *manipulo* ſecundo Capitis ſexti mutuata ſunt, quod hunc titulum præſefert:

SOLITARIUS BEATUS.

O Gula! O gula! porta vitiorum, ruina Protoplaſtis noſtri, foſſa ſanitatis, rapina vitæ, præcipitium Eſau, mors Iſraelitarum, & violentiſſima tyrannis mortalium! Cum quanta ratione contra depravatos mores tuos judicioſiſſimi literatorum debacchantur: Tu enim es quæ inhias, quæ famularis corpori, quod non ſecus ac catinus triamphoralis largum, inflatum, & ad fauces uſque repletum obambulat: corpus inquam, quod ex omni parte inimiciſſimum eſt vacui, quod femoribus tremulum eſt, quod in utrumque latus vacillat. Huic omnia in motu ſunt, & in gyrum volvuntur: cui greſſus firmus non eſt, nec paſſus ſtabilis; quid enim ſtabile in eo, quod deſideriorum ſuorum paſſibus continuis ad ſe paſcendum fertur?

Hæc gula invidiam gruibus, & ſtruthionibus portat, his quidem ob violentiſſimam ſtomachi digeſtionem, gruibus ob longitudinem colli, quo diutius voluptate deſcendentium eſcarum fruitur. Hæc, non ſecus ac Midas aliquis aurita eſt, ad audiendum ea quæ ventri ſerviunt: velociſſima in ordine ſuo ad epulas capiendas: Compoſita in ſimilitudinem ollæ, cui maximus triumphus eſt, in naribus ſuis vaſorum culinarium gloriam portare, è quibus fercula ſua conſumpſit, & devoravit. Pallidiſſima ſemper, inflatis buccis, cum labiis deſtillantibus, & ex omni parte pendentibus, non ſecus ac ſacculi eſſe conſueverunt per quos vinum ſtillatum eſt, quod illa epotavit: Illa inquam & fœtida, & contorta, & vacillans, lurida, & indecora. Simili modo ſcelerata hæc viventes traducit, & transformat!

An verò terra non abundè jam per tempeſtatum injurias, per plagas ſævientis ferri, in excavandis aurifodinis infeſtatur? an ei non ſuffecerat portaſſe ſuper dorſum ſuum plauſtra graviſſima, dilacerari maternalem ſinum ſuum, & viſcera per viliſſima jumenta in ſulcandis agris? niſi tu quoque inſatiabili eſcarum deſiderio preſſa, pro inſtruendis menſis tuis, & retia & pulveres artificiales ad jaculandum, & venaticos canes immitteres? niſi tu inſidias ubique ſtrueres ad capiendas feras, & ſanguinem illarum effundendum? cum tu quoque fera peſſima ſis: Forte tibi ſpacioſiſſimi aëris campi nimium abundantes viſi ſunt, quod bombardis, & arcubus, & viſco omne volucrium genus aucuparis? An verò undæ maris per remos & anchoras, & ſexcenta alia navigationis inſtrumenta non abunde jam ſulcata & diſciſſa ſunt, niſi tu quoque, œſtro cupiditatum & appetituum tuorum percita, ad emetienda maria provolares, atque illic Neptuni ſinum perfoderes, ad necandum innocens illud & mutum animalium genus, quod candorem vitæ ſuæ etiam coloris ſui candore depingit, à quibus tu ne verbo quidem unquam offenſa es?

Sic enimvero tu, univerſitatis prædo, & homicida, nunquam pacis aut quietis memor es. Sed utcunque tibi viſum fuerit ſtomachos tuos, non niſi palmum latos, tot cohortibus piſcium adimple: liceat tibi ſylvas, & montium receſſus evacuare feris ſuis, ſpolietur aër volucribus, & qui deinceps rerum erit eventus? O quam ſubitanea metamorphoſi propediem Circe iſta Convivas ſuos in mille deplorabiles formas deformabit! Ecce tibi ex uno latere eorum nonnulli turbulenta vertigine circumrotantur, prout eos vini vapor in tranſverſum impulerit: rurſum alii ſqualido pallore induti, & contremiſcentes ſupra convivantium menſas crapulati procumbunt: alii ciborum gravitate oppreſſi, fatiſcente ſub tanto onere, & labaſcente genu humi ſternuntur: alii item de ſpumantibus buccis, & plenis faucibus luridam bilem ejectant; alii more jumentorum, omni jam humanitatis memoria ſpoliati, gravi corpore ronchos inviſos trahentes, provoluti jacent: Alii rurſum, velut immundæ ſues, ebrietatem ſuam eructant: Homines profani, laſcivi, corpore nonnunquam ſani, ſed mente corrupti, & lethaliter infecti.

Hæc igitur corporum labes, & corruptio non omninò intolerabilis eſſet, niſi & animæ exterminium & ſæva peſtis accederet. Ecce tibi in ſacris literis perfidum Eſau, tam gulæ ſuæ deditum, ut infami lentis edulio primogenituram ſuam, & una cum illa proſperitatem & benedictionem omnem venumdare nihili duxerit. Ecce tibi vetulum Loth temulentia cæcatum, nefario inceſtu cum filiabus ſuis maculare thalamum ſuum. Ecce tibi gentem electam, quæ poſt epulas & tripudium averſa à Deo ſuo, in falſorum deorum cultum prolapſa, miſere diſperiit. En tibi Holofernem vino ſuffocatum, qui in manu fæminæ Judith temulentum caput ſuum reliquit.

Alexander Magnus, & ipſe his furiis raptus hanc vultui ſuo infamem maculam inflixit, dum vini æſtu ſuadente manum contra ſibi fidiſſimum Clitum armavit, eumque inter poculatores ſuos transfodit.

Denique quidquid alioquin imperante ratione, vel verecundia celatur, ebrietate ſtimulante propalatur: illic & religio, & virtus exulant, & omnis animæ dos, procul repellitur.

Nunquid ergo Philoſophus noſter illic apparere voluerit, ubi pietas ejecta eſt, unde veritas ſe alis ſuis proripuit, ubi vitium imperioſo ſceptro ſuo cuncta gubernat, & thronum regium involavit? ubi nullus unquam pudor, nec pavor, nec reverentia, nec futurorum memoria, nec præteritorum recordatio eſt?

In his locis quid aliud intuebimur, niſi tygrides, quæ prædam invadunt? niſi lupos qui ovibus dilacerandis dentes acuunt? Niſi leones qui in armentis ſæviunt? Niſi canes, qui agnellos infeſtis dentibus dilaniant? Niſi corvos, qui cadaverum paſcuntur viſceribus?

Quin potius ſolitarius meus gaudeat frugali menſa Curii Dentati (juxta quod de eo Valerius Maximus recenſet) cum enim Samnites eſculenta quædam ruſtica ei obtuliſſent, precantes ut factionis ſuæ Dux eſſet: Revertimini, inquit ille, in regiones veſtras, & Senatui veſtro referte, Curium ſicut ferro, ita nec auro ſuperari poſſe: magisque eum lætari cum libertate, eâ menſâ frui, quæ famem arceat, non quæ luxu inſtructa ſit.

Vadat

In Enchir. Vadat ſolitarius meus ad menſam illam, de qua Democritus inquit: Menſa pretioſa fortunam inſtructricem habet, menſa frugalis temperantiam. Vadat ad illam Epaminondæ viri generoſiſſimi, qui cum Legatos vidiſſet ſibi aurum portantes, ſimul & gemmas, ut ad urbem quandam inſidiis occupandam, concurreret, eos manu ad domeſticam menſam ſuam duxit, quæ viliſſimis cibis & vino ſat acido, & rancido compoſita erat: eos reverti jubens quo venerant: Narrate (inquit) quæ vidiſtis, & annunciate concivibus veſtris, *Apud Stobeum de Temperantia.* quæ ſit forma, quod inſtitutum vitæ meæ, ut inde noverint, eum qui tam paucis contentus ſit, proditiones non machinari. Vadat ad menſam Epicteti, viri famoſiſſimi, qui ſic ait: Siquidem aſſidenti tibi in convivio poculum circumgyrando in manus venerit, accepta oblatum, & quantum neceſſe fuerit inde bibito: Si necdum ad te pervenerit, cave ne manum temerariam ad ſumendum illud extendas, ſed illud præſtolare, donec temperatum te quoque tetigerit. Vadat denique (ſi poſſibile fuerit) ad menſam Cynici: qui cum caſu quodam in platea publica candidiſſimum panem deprehendiſſet, non modico temporis intervallo cogitabundus ſtetit, dein pauca quædam cibaria de pera ſua trahens, una cum prædicto pane longè de ſe abjecit, dicens: Ite mortales inimici quietis, & humanæ pacis: tyranni peregrini, vacuate itinera noſtra. Quin imò hæc opſonia, ſiquidem quod neceſſarium eſt tranſierint, & ſuperabundaverint, hoſtes infeſtiſſimi ſunt, qui plures gula interfecerunt, quàm qui gladio, aut ære interfecti ſunt.

Longè ſit à cœnis illis ad voluptatem paratis, longè à Cœnis Oreſtis, ubi tot infantes jugulantur, quot virtutes ſunt, quæ illic peſſumdantur. Nunquid non pudori ſibi ducet Philoſophus Chriſtianus, ſiquidem inferiorem ſe viderit & Phalereo, & Anaximandro, Speuſippo, Xenocrate, Cleante, & Zenone, qui ſola cœlorum contemplatione, quorum Conditorem ignorarunt, paraſitis otioſis prodigalitatem menſarum illarum reliquerunt, ſola frugalitate parſimoniæ contenti? Vera & genuina voluptas non niſi ab anima derivat. Quid enim eſt viliſſima corporis noſtri maſſa, ſiquidem ſpoliata fuerit ab inhabitante anima, quid, inquam eſt corpus illud, niſi portio terræ inanis? Hæc vulgi oblectamenta non niſi lubricam & fugitivam poſſeſſionem boni habent. Quid ſi plumam manu geſtaveris, cum eam maximè poſſidere tibi viſus fueris, ecce vento flante velociſſimè avolat: ſed quæ bona ſunt animi, realia ſunt, & ſolida, & perfecta.

Pretioſiſſimæ, & æſtimatiſſimæ merces ſunt, quæ ab intro celantur, quarum pretium nemo unquam pro merito manifeſtavit, & palam fecit. Hæ in latebris ſuis ſecure repoſitæ ſunt, & ipſum adeo ſolis oculum latent. Ad has convertamur, ut veram virtutum poſſeſſionem adipiſcamur, quam prædo non auferet, quam nulla nobis paſſio, aut appetitus perverſus, ſeductione aut falſa perſuaſione à nobis deviabit.

Sit animus noſter inflexibilis tam ad præmia propoſita, quam ad minarum territamenta: non frangatur ſponſionibus, & oblationibus honorum, non calamitatum cataſtrophe: rideat ad hæc non ſecus ac Democritus aliquis: magnanimus contra inſultus, & aſſultus, contra exilia, & enſes, & ipſam adeo mortis viciniam. In corpore ſuo hæc anima non ſecus ac in navi ſecura, tranquillo mari, inſidet puppi: quippe quæ reatum non novit, quæ nullo culpæ remorſu torquetur, nec ulla pœnitentiæ acrimonia percellitur, quæ nec dicto inhoneſto, nec tyrannico conſcientiæ integritatem ſugillavit: & hac voluptuoſa rememoratione puritatis ſuæ, procul à ſe exulare facit erubeſcentiam criminis, & ruborem delicti, & pavorem qui mundana convivia non deſerit.

Induretur corpus noſtrum ad omnem ſiniſtræ fortunæ caſum, ut videlicet tam invicto animæ exemplo diſcat nulla concuti adverſitate. Mitiget famem cibi moderatio, ſitim reſtinguant temperantiæ pocula: & ſibi ſemper ob oculos ponat, multò expeditius eſſe nutriri abundantia naturæ, quàm inventionibus artis. Experientia enim nos docuit, naturam paucis contentam: Dedignetur anima noſtra fumantem illum menſarum luxum, quæ cum infernalibus fumis ſuis unà cum corporibus & mentes obfuſcant. Felix illa ſerenitas cœli, quâ caput fruitur, dum terreſtres illi repletionum vapores jucundas aëris interni regiones non occupant: hæc illa firmamenti noſtri interna claritas viſum noſtrum, tanquam lucidiſſimo, & tranquilliſſimo Paradiſi aſpectu lætificat.

Sic enimverò, ubi fumigantium ciborum nebulæ cum caligine ſua non obſcurant, intelligentia humana in meditationibus ſuis defæcata eſt, expedita in operationibus, in ſtudiis & lucubrationibus ſuis ſedula, in amœnitate ſalutis perenni beatam ſe agnoſcit.

Elevetur itaque Stoicus meus pennis abſtinentiæ, & vigilantiæ ſuæ. Hic Dædalus volatu ſuo ad lucem ſupremi Entis pertingat, ad quem finem, ad quem ſcopum Chriſtianum Philoſophum collimare oportet: Sic fiet, ut tanquam falco famelicus, tantò expeditius prædam deſideratam inſequatur, & inflexibili ungue conſtantiæ ſemel obtentam non amittat.

Longius his immoratus eſſem, niſi brevitatis ſtudium me alio ſevocaret, ad Execrationem nimirum illam quæ ſequitur, quam contra Bibulos in hoc Momi ſæculo, jam in teneris adoleſcentiæ meæ annis mihi impreſſam & dictatam teneo: titulus ejuſdem ſic habet:

In bibaces.

Incendium!
Accurrite aquæ, ubi uritur mundus,
Microcoſmus nempe, qui dum madet, æſtuat.
Lymphis, inquam, nimis egent lymphati:
Vinoſos intelligo, qui nimio ingurgitati mero
Væſuvii adinſtar projiciunt undique flammas.
Tribus Inferni furiis addiderim quartam
Vinum ſcilicet intemperanter epotum.
Hoc Babylonia meretrix cum philtro intoxicato propinandum apponit.
Optima inſtituta licet gentilium:
Per hæc à talibus tenera coercebatur ætas.
Si in viridi ligno tanti poſſunt ferveſcere ardores, in arido quid fiet?
Phaëtontem vocarem omnem muſto madentem:
E curru ſolis, nempe rationis, elapſum:
In luti, & calicum volutabro, quaſi ſus lota ſeſe in omnia ſolvit deliria:
Ferit, furit, obruit, ruit. **Plato apud Stob.**
Favebat ſimilibus ille
Ebrius Gubernator, queis omnia ſubvertit.
Si bibunt impii quaſi aquam iniquitatem, quid facient hauſto mero? **Iob. 15.**

Tanto

Tanto micantibus ab igne ſcintillis, Infinita propemodum
Accenduntur funalia.
Dum videntur ſplendeſcere nimis, rapidiores emittunt ſagittas:
Si danda eſt experientiæ fides, manare ex fluminibus fulgura:
Nec mirum, quando ipſo naſcente Lyæo talia emerſerunt.
Omnia confundunt, cum ibi ſe effundunt.
Quid ordinati, & apti poteſt eſſe cum Libero?
Circumferunt iſti corpus mole ſua turgidum, flaccidum.
Quibus lucent oculi, pallet cutis, ſpiritus eſt anguſtus
Vox incerta, ceſpitantes pedes:
Manuum tremor, vertigo cerebri, mentis anxietas,
Rerum oblivio, mors memoriæ.
O Incendium!
Vulcano deterius, quod mundum ſic fœdat,
Imò inflammat, dum uſque in cineres vertat.
At ſi ita corpora læduntur, animas cogita.
Æſtuans hæc flamma, in venis occluſa, ſanguinem ſic accendit,
Ut omnem etiam conſanguinitatem diſrumpat:
Quis namque ultricibus immunem ab ignibus
Sanctum Loth, à patria fœditate lotum, corrupit, niſi muſtum?
Hoc ori illius propria appoſuerunt filiæ,
Quando ſibi illum ex parente vindicarunt maritum.
O exleges puellæ, talem erumpentes in æſtum!
Ergò ut Patrem tutò proſternant, calicibus impetunt;
Sic ſenex grandævus in puerilia abivit:
Malè cautus inter ætatis nives, & canitiei rigores
Proprio ſinu prunas fovendo, dum peregrina fugit
Incendia, domeſtico igne corripitur.
Nil mirum, ſi vino nullum aptius Veneris fulcrum.
Huic cedunt præſtantiſſima ſericorum carbaſa.
Attendat unuſquiſque à Proditore hoc inviſo.
Prov. 2. *Ingreditur blandè, & in noviſſimo mordebit ut coluber.*
Nimis, lacte hoc madida, creſcit Venus:
Unde Ovidianum erumpit adagium:
Et Venus in vinis, ignis in igne jacet.
Quid mirum, ſi Bacchi hilaritate Satyri procaces inſultant, ſaltant;
Unde cæcus in talia ferveſcens
Inguinis & capitis quæ ſint diſcrimina neſcit.
Vitreis bipennibus in calices curvatis, nunc itur ad bellum,
Vexillum ſuſpendit in templo Bacchi victor:
Quod nec bovis, nec Elephantis caperet uterus,
Sicut gurgulio in dolium ventris tranſmittit.
Infelix dedecus, vix Nili, aut Euphratis abluendum fluminibus.
O ebrietas! O Incendium!
Omnium vitiorum parens, quæ jurgia ſeminat, cædes gignit,
Homicidia, raptus, adulteria, tumultus,
Bella omnia nequiſſima fovet:
Ignaviæ gluten, & ſtupidis ſenſibus,
Ut vecordi ſpiritu tota langueat moles.
Accurrant igitur eò Lyæi Nutrices, Nymphæ cum lymphis,
Eridani humores, ut Phaëtontis temperent ardorem,
Amabiles undæ, ebrietatis veſanum extinguant Incendium.

Ad hæc pauca in latino exarata, Enthuſiaſmum quendam Muſæ Italicæ adjungo; ut, ſicut per plura capita alia, ita & in ode hac Pindarica deteſter

Corruptionem ſæculi noſtri.

Ne di Lucullo a menſa,
Ove ſù tazza d'or ſpumi il falerno
La ſete ſpegnerà Tantalo infido?
Nè là, doue diſpenſa
Bionde le arene il Gange al ſuol materno,
L'ombra di Craſſo Sciogliera dal lido?
La ve di fama han grido,
O'in aduſto terreno, overo in molle
Di fulgido teſor ſplender le zolle?
S'entro Napi dorati
Peregrinati humor Chio non gorgoglia,
E ſuiſcerati Parti habbino i mari,
Perche in cibi pregiati
Fumin le menſe a ſatiar la voglia,
Sono i favi d'Imeto al guſto amari;
Di Nettari piu rari
Di Giove a delibar ſ'ha le bevande,
O'nel Cielo ſtemprate a trar vivande.
E queſti adunque foro
De Fabritii gli eſempii, e de Catoni,
Quando Cerere ſcarſa, e a pena il fonte
Diedero a menſe loro
Di tributo natio poveri doni?
Tal ſi videro la ſu' l Termodonte
Starſi al nemico a fronte
Generoſe le Orintie, e a lauto invito
Le die poma ſilveſtri il ſuol fiorito.
Se dela nave d'Argo
Nuova meſſe di Colco a noi non viene,
Inſipido e quel ben, che al mondo ſcende:
Non e fiorito il margo,
Quantunque Flora a coloris le arene
Venga, s'Apollo ad ingemmar non prende
L'aureo ſuolo a vicende,
Coſi, fatta la mente a ſe nemica,
Sin trà piaceri anco s'auolge, e intrica.

Plures aliæ ſtrophæ in prædicta ode continentur, ſed quæ alias ſæculi hujus corruptelas percellunt, atque idcirco brevitatis ſtudio omittendas cenſui: ſicut & plura alia quæ de alimento hominis dicenda reſtarent, jam enim ad hoc tranſeundum, ut variarum nationum intueamur

CONSUETUDINES.

SI quando in Civitate optimè inſtituta, in univerſitatibus, in familiis, in congreſſibus, in aulis Principum optimæ conſuetudines, optimæ regulæ introducendæ ſunt, conſultiſſimum erit (ſic Maximus Tyrius inquit) juxta earum urbium vel gentium normam id facere, quæ omnium maximè intemeratè, & ſapienter gubernantur. Propter quod (ſicut quidam Sapientum ait)

viſus eſt ſapiens Ulyſſes,
Qui mores hominum multorum vidit, & urbes.

Magna illa Adriatici maris Regina (de Sereniſſima Republica Veneta loquor) inter alios principatus, & ipſa ſupra inſtabilitatem undarum inviolabiles baſes regiminis prudentiſſimi ſtabilivit: exemplo præteritorum caſuum inſtructa, unde ſe in flore ſuo conſervat, judicia ſua conſolidat,

lidat, & ſententias enunciat, & forum ſuum moderatur.

Reliqui Status tam Monarchici, quàm Ariſtocratici, his ducuntur, & fulciuntur, quæ inſtituta, & ordinata à majoribus ſuis acceperunt. Boni mores ſecuriſſimus polus ſunt, qui navigium humanæ vitæ ad beatum virtutis, & honoris portum ducunt: cum è contra perverſi impetuoſus aquilo ſint, qui illud ipſum ad ſcopulos ignominiæ, & vituperii allidunt. Ritus gentium non immeritò dixerim turribus æquiparandos, quæ in promontoriis poſitæ, ad illuſtrandum mare nocturnis facibus prælucent, ut videlicet noviter in procelloſo mundi pelago velificantibus iter demonſtrent, & his luminibus inſtructi, ad portum veræ prudentiæ cum ſecuritate, ſine errore, & ſine conquaſſatione pertingant.

Sed cum ignorare mihi non liceat, tot tamque varias orbis terrarum Nationes eſſe, quarum quæque pro more patrio, aut legibus ſibi propriis, aut alia de cauſa aliter gubernetur: juxta tritum axioma: *Quot capita, tot ſententiæ*: & cum negari nequeat, formicarum numeris eas comparari poſſe: non modo mihi operoſum eſſet, quin & impoſſibile factu, non ſolùm omnium omnes, ſed nec plurium paucas conſuetudines adducere.

Ne tamen omninò volumen hoc, materia tam excellenti defraudetur, Duce Aldrovando, & aliis, quaſdam paucas huc allaturus ſum; quas benevolus Lector, curioſitate oculis ſuis non indigna, pro eruditione ſua decurrere poterit.

Habitatores planitierum manſuetiores ſunt habitatoribus montium.

Inprimis autem in tractatu tam conſiderabili, tamque prolixo conſultandum erit cum Hippocrate, de locorum & regionum natura: è quibus morum ille diverſitatem colligit, dicens: homines in campeſtribus & planitie habitantes, placabiliores moribus eſſe, quàm qui montana incolunt; Imò eos, qui in montibus orientis, & ſeptentrionalibus degunt, mores habere fæmineos; qui in partibus his oppoſitis; omninò inhumanos, & intractabiles: Negociatores optimos in locis maritimis, & iis regionibus, quæ confiniis ſuis mare contingunt, commorari.

Aſtrologi aliam viam ingrediuntur: conſiderando enim qualitatem ſignorum, quæ Zodiaco continentur, & quibus quæque regio ſubjecta eſt; non minus & ſtellas quaſdam particulares, quarum influentiis & radiationibus patent, juxta horum omnium conſtitutionem, & qualitatem diverſimode dijudicant: itaque ajunt (ſicut experientia docet) mores admodum ſeveros & truces eſſe Germanis, & Anglis, & iis qui in Gallia Narbonenſi ſituati ſunt, quippe qui ſub Arietis & Martis ſideribus, & influxionibus morentur. Italiam, Apuliam, Galliam Ciſalpinam, aliaſque inſuper, leoni & ſoli ſubditas, ingenii inquiunt eſſe placabilis, manſueti, & ad perdonandum inclinati. Hetruſcos, & Celtas, & Hiſpanos Sagittario, & Jovi ſubjiciunt: quos munditiei, libertatis, & ſimplicitatis amicos ajunt: ſicut ſtellam Veneris præſidere locis maritimis Minoris Aſiæ, Cycladum, & Cypri, eoſdemque Tauri ſigno illuſtrari: hos autem voluptuoſos aſſerunt, & ſenſuum oblectamentis deditos. Græcos, & Cretenſes Muſarum cultores deprædicant, eo quod Dominio Virginis, & Mercurii ſubjecti ſint: Macedones & Thraces, & Illyricos, à Capricorno & Saturno gubernatos, aſperos volunt, & alienos ab humanitate: Parthos, Medos, & Perſas ſub Dominio Jovis & Veneris, delectari pompa veſtimentorum, deditos riſui, jocis, choreis, & omnigenis vitæ delitiis.

Aſſyrii, Babylonii, & qui Meſopotamiam accolunt, profeſſioni mathematicæ vacant, ſunt enim ſub aſpectu Virginis & Mercurii. Pars Indiæ, & Gedroſia ſub dominatu Saturni, omninò intractabiles, & feræ ſunt; Judæa, & Cœleſyria, & Idumæa ad Dominium Scorpionis, & Arietis, & Martis reducuntur: hinc inſidiarum, & audaciæ & impietatis repletæ ſunt; Phœnices, & Chaldæi ſub Leone, & Sole, ſimplices ſunt, humani, & benè morati, ſtellarum item obſervationibus addicti.

Arabia felix homines nutrit ſpectabiles liberalitate, & dexteritate, gubernantur enim à Sagittario, & Jove. Armeni, & Hircani, cum nobiles moribus ſint, dominationem ſubeunt Geminorum, & Mercurii. Obediunt Bactriani, Caſpii, & Scythæ, ſigno libræ, & ſtellæ Veneris, unde nec mirum ſi muſicam, & vitam mollem amant.

Succedunt his Sarmatæ conducti ſidere Saturni, & Aquarii, nec propterea immunes à ferocitate & aſperitate. Phryges, & Bithynii, & Colchides Lunæ ſubjacent, unde & illis levitas innata, & volubilitas, & mores effæminati. Syria, & Comagena, & Cappadocia Scorpionem, & Martem agnoſcunt, hinc illis ſcelerati mores, & natura ad omnem laborem ſufferendum idonea. Populi Lydiæ, & Ciliciæ, & Pamphyliæ à Jove & Piſcibus illuminantur, unde mercimoniis, & contractibus vacant.

Cancer & Luna habitatores Numidiæ, & Carthaginis, totiuſque Africæ ſibi ſubjectos ab omni conniventia, ab omni præterea congreſſu, conventiculis, ſocietate, & commercio alienant. Qui Mauritaniam & Getuliam incolunt, cum ſub ſigno Scorpionis & Martis ſint, belligerandi ſtudium ſequuntur. Naſamoni, & Garamantes, Piſcibus & Jovi ſubſtrati, liberales ſunt, & magnanimi, bonis conſiliis vigent, ſicut & religione, quamvis falſa: adorant enim Jovem Amonem, & ſimulacrum fictum Arietis. Marmarica gens, cujus regio in Ægypto inferiore eſt, quæ Geminis, & Mercurio ſubditur; magiæ ſuperſtitionibus implicata eſt; alioquin prudentiſſima. Qui Thebaidem inhabitant, & Troglodítæ, ſub ſigno Veneris & Libræ militant: hinc genus vitæ varium & inſtabile ſequuntur. Rurſum populus alius iiſdem in plagis nomine Azanius, ſub Aquario & Saturno degit, hinc etiam mores incultos, & ferinos ab iiſdem imbibit. Qui fuſius de his inſtrui voluerit *Tripartitum* Ptolomæi conſulat, illic uſui ſuo neceſſaria reperturus erit.

Si poſt hæc ad conſuetudines particulares deſcendimus, inter prima nobis occurret mos veterum in voluminibus conſcribendis; Chartam enim, aut membranam, aut aliud hujuſcemodi, ex utraque parte ſcriptum, in ligno quodam rotundo vel tornatili convolvebant, cui pro ornamento in utraque ſummitate globi, vel poma erant: In his voluminibus quæque natio, quod maximè memoratu dignum eſſet, ſicut & nomina virorum illuſtrium, & facta notabant. Hæc autem circumvolutio neceſſaria erat ad pulveres, & tineas arcendas; & vindicandum ab injuriis temporum.

Adhuc bina hujuſcemodi volumina exſtant, primum in muſæo Illuſtriſſimæ Curiæ patriæ meæ; alterum in Bibliotheca Patrum S. Salvatoris

toris Bononiæ; Utrumque ex foliis arborum compactum. Memorabilis inventio, ex qua facile dijudicari poterit, quam fœcundum ingenium humanum ſit, quod in longam poſteritatem uſque cogitata ſua tranſcribit.

Olim capite operto ſacrificabatur.

Tranſeamus ad religionem. Mos antiquorum erat ſacrificare diis capite operto, & facie velata: idque fiebat, ut palam daretur, quod inter Deum, hominesque diſcrimen ſit; quorum hi quidem capite denudato ſalutantur. Cum autem ſalutationis meminerimus, olim potiſſimum conſuetudo viguit, ut ſiquidem ſe ſalutaturi eſſent, dextram dextræ conjungerent, ſicut nunc ſibi pileos alter alteri deponunt: Unde illud dictum Virgilii eſt:

----- coëant in fœdera dextræ.

Præter hæc & veterum inſtitutum erat, ut ſacerdotes Evirati toto vitæ ſuæ decurſu dedicati eſſent miniſterio Matris deorum: atque in eodem illibatam caſtitatem perpetuò ſervarent. Significando per hæc, eos qui Patris nomen indignè violaſſent, caſtigandos eſſe; ita quidem, ut ſi impoſterum & ipſi paternitatis nomine gaudere vellent, id non poſſent. Hæc autem macula tantopere inter paganos odio habita, & inviſa erat, ut nota publica in fronte ferro igne candido, ad communem omnium deteſtationem, inurerentur. Hoc ipſum Lucretius ſequenti carmine explicuit:

Gallos attribuunt: quia nomen qui violarunt
Matris, & ingrati genitoribus inventi ſunt,
Significare volunt indignos eſſe putandos
Vivam progeniem qui oras in luminis edant.

Sepulchra olim ſacra habebantur.

Non minus apud paganos & ſepulchra in honore erant, & conſecrabantur. Unde & pœna capitalis in eorum violatores, & prophanatores ſtatuta fuit. Solebant item improperare iis, quibus ſiniſtri aliquid obvenifſet, eos forte auſos fuiſſe ſupra paternos cineres urinare.

Super hæc Emblema 144. Alciati expoſitum eſt, habens lemma quod ſequitur: *Cum larvis non luctandum.*

5. *De Repub.*

Tanta autem reverentia ſepulchris tum erat, ut Plato lege ſeveriſſima caverit, ne hoſtium quoque ſepulchra violarentur, ſed & illa inoffenſa eſſent, & in honore debito conſervata. Verba tanti viri hæc ſunt: *Nonne videtur illiberale, ac animi plane ſordidi, & muliebris, ac puſilli, cadaver ſpoliare, & mortui corpus hoſtem putare, cum hoſtis ipſe abierit eo relicto, quo pugnabat. Quid putas eos, qui ita ſe gerunt, differre à canibus, in jactos lapides ſævientibus, eo, qui jecerit, prætermiſſo? Nihil differunt profectò. Itaque ab hujuſmodi prædationibus abſtinendum eſt: obſunt enim victoriæ.*

Ut verò ad alios etiam ritus, cærimonias, & conſuetudines tranſeamus, idque in materia religionis, inter primos ſe mihi Æthiopes offerunt, qui ſolem Orientem adorabant, occiduum blaſphemabant, & deteſtabantur. Hi cadavera mortuorum, quæ immunda arbitrabantur in aquas jaciebant. Æthiopes moderni Regem ſuum (Pretejanni nominatum) tanquam ſimul ſacerdotem ſummum venerantur.

Ægyptii ſacrificantes alta, plenaque voce in medio phani proſperitatem & ſalutem Principi ſuo vociferando augurant, idque vehementius, cum ipſe præſens eſt. Adorabant autem antiquitus varia animalium genera. Solo etiam vomitu, & ſola inedia arbitrabantur ſe morbis quibuſcunque mederi poſſe. Item, uſus eorum erat, palatia cuncta deſtruere, & ſumptuoſa ædificia vilipendere: omnem autem curam eo transferebant ut monumenta, & tumulos mortuorum ſplendidos, ſumptuoſos, ſublimes, & faſtuoſos extruerent. Domos etenim defunctorum ſempiternas crediderunt. In cœnis itidem parandis nullis ſumptibus parcebatur, in quibus tamen, quamvis ultimum robur ſuum luxus adhibuiſſet, imaginem mortis videri voluerunt: in quem ſenſum ſequens Diſtichum inquit:

Aſpice in hanc formam mortis Conviva! Memento
Dum genio indulges, te fore huic ſimilem.

De pietate, qua antiquitus Græci, æquè ac Romani erga defunctos uſi ſunt, videatur ad longum id quod Kirchmannus Lubecenſis de his in doctiſſimo libro ſuo, intitulatò: *De funeribus Romanorum*, refert.

De ritibus mortuorum ad obſervationes vivorum revertamur. Memorabilis hic rurſum conſuetudo Ægyptiorum occurrit. Hi olim in veneratione ſumma Nilum flumen habuiſſe leguntur, quippe quod aquarum ſuarum profluvio defectum pluviarum reſtituit: quantò enim uberius inundatione lectum ſuum egreditur, & circumjacentes agros cooperit, tanto fœcundiorem meſſem loci incolis promittit. Ut verò incrementum ejus tanto diſtinctius adverterent, in more poſitum habebant, excavare foſſam profunditatis determinatæ, quæ aquarum ſuperficiem æquaret, in eamque poſtem, vel columnam figebant, cui certæ dimenſiones, & numeri inſculpti erant: Cum igitur ſignum hoc increſcens aqua alluiſſet, ex ejuſdem elevatione, aut humilitate, quotannis aut feracitatem, aut ſterilitatem agrorum argumentabantur. Siquidem ubertas in ſpe eſſet, adoleſcentulos ad hæc inſtructos habebant, qui certis cantibus, non ſecus ac tubicines, læta nuncia indicabant, populumque de futuro felici eventu, non ingrati præcones, exhilarabant. Dolebant è contra ſiquidem decimum quintum, aut octavum non attigiſſent. Hæ figuræ à prudentiſſimis illarum partium manifeſtatæ, & expoſitæ fuerunt.

Populus Carthaginenſis, vel qui Africam incolunt, cum ſacrificandum diis eſſet, auriculam pecudum offerre conſueverunt, tanquam primitias victimæ, cum hæ oblatæ eſſent, ſupra domum jaciebant, cui deinceps dorſum, & cervicem vertebant; poſthæc victimam integram Lunæ & Soli immolabant. Erant item populi in Africa, qui de radicibus calamorũ vel arundinum victitabant.

Cinecæi metuendo feras ſylveſtres in arboribus habitabant, & locuſtis veſcebantur. Lotophagi cadavera patrum ſuorum in flumina & mare jaciunt, nil penſi habentes igne, an aquis, an terrâ conſumantur. Pſyli Libyæ interioris populi, ventum Auſtrinum adverſarium regionum ſuarum authumant; itaque armata manu contra eum procedunt, non ſecus ac ſi hoſtium phalanges cæſuri eſſent. Quidam Aſiæ populi (prout ſupra jam memoratum eſt) ſerpentium victu nutriuntur.

Conſuetudo Aſſyriorum fuit, ut quicunque ſupplices eſſent, per urbem, & fora publica ligatis poſt tergum manibus ducerentur. Inter quos qui liberi erant, annulum geſtabant ſigillo grandi inſignitum, manu etiam dextra ſceptrum portabant, idque palam & ubivis.

Chaldæi ſuſtinebant mundum in omni æternitate duraturum: qui de ſiderum quoque aſpectu præſagire ſe, quæ eventura eſſent, jactabant.

Sabba-

Sabbathum apud Hebræos dies ſacer & feſtivus erat, nec niſi victimam maſculam in eodem ſacrificabant: Quibus etiam, ſub interminatione mortis mandatum erat, cadavera qualiacunque (etiam hoſtium) terræ mandare.

Medi quondam ſingulare ſtudium in cultura & inſtructione equorum collocabant, tum & arcum, ſagittasque tractare. Sic Parthorum gens, nulla eſca, niſi ea quam venatu cœpiſſet, utebatur. Perſæ inprimis Solem; dein Lunam quoque, & Venerem, ignem, aquam, & ventos adorabant. Sacrificabant non in ara, ſed in locis elevatis, in campeſtribus, & apertis. Prout etiam de M. Tullio novimus, corpora defunctorum oleo & cera illiniebant, idque ut corruptionem diuturniori temporis intervallo arcerent.

Hircani tam efferati, tamque crudeles erant, ut ne mortuis quidem hominum cadaveribus abſtinerent, ſed hoc nefando cibo ſe ingurgitarent: actu verè brutali, & qui omni adeo humano ſenſui & ipſi naturæ repugnat. Indiani non aliter victimas ſuas offerebant, quam quod violenter eis ſpiritum intercludebant, & ſuffocabant: ſiquidem aliter fieret, partem ſe victimæ auferre, & imperfectum munus diis ſuis immolare arbitrabantur. Quidam Indorum homines ſemivivos adhuc cremabant, credendo divinum aliquid & magnificum eſſe, mortis horam ejuſmodi crudelitate prævenire. Alii rurſum ex iis omnimodam in Medicis ſuis ſpem collocant dum infirmantur, quos ſine mora ad ſubſidium ferendum convocant, hac conditione, ut ſiquidem ægrotus convaluerit, ſummis honoribus eleventur, & immenſis divitiis præmientur: ſi contra evenerit, & qui languidus erat, fato abripiatur, & ipſis Medicis violenta mors infertur.

Rurſum alia conſuetudo veterum vigebat, ut reos, pro modo criminum quæ perpetrarant, barbam ſpiſſam, & oblongam portare juberent, quod reliquum erat, veſtimentis fæmineis induebantur, ad earum itidem exercitia, ad culinam, ad fuſum & fila trahenda condemnati, aut ad alias hujuſcemodi functiones: quos & publica infamiæ nota inurebant, & omni opprobrio dignos æſtimabant.

Qui Mexicum inhabitant, uſque adeo inopes ſunt, ut cum vertente anno tributum & munera Regi ſuo allaturi ſunt, in more habeant, ſaccos quibus veſtiti ſunt, omni immunditie repletos præſentare. Apud Perſas olim lex vigebat in pauperum favorem lata, qua cæci omnes, & claudi, & muti, & ſenes, & ægroti à publico cenſu & tributis excludebantur, quos etiam à publico convictu arcebant, imò ad hoc adigebantur, ut non niſi oſtiis patentibus prandia ſumerent, aut cœnas, idque horis quibus libuiſſet, ut cum majori opportunitate à Medicis viſitari, & curari poſſent.

Certi quidam Angavillæ habitatores (referente idipſum Patre Fuſco Soc. JESU) peſſimè à dæmoniis ſeducti, pro numine ſuo Pilatum adorant: eo quod virtus illi tanta fuerit, ut Chriſtianorum Deum (ſic opinantur) occiderit: In ſexcentas præterea confuſiones miſerè excæcati dilabuntur, & infeliciter pereunt.

Chinenſes idola ſua in tam prodigioſam altitudinem elevant, ut per multa miliaria de longinquo videri poſſint, appellantur autem idiomate patrio Pagoda. Horum ſimulacrorum aliquod nominatum *Antongil* colore nigrum, in forma dæmonis, aut Satyri bina cornua gerebat in capite, circa brachia multis monilibus æreis ornatum erat. Negociatores inter eos paſſim beneolentem moſchum, & zibethum, & ambram, argentum vivum, plumbum, ſtagnum, æs, ſicas, & ſimilia armorum genera venum circumferunt: quorum veſtimenta ſerica ſunt, variis coloribus tincta. Vaſis porcellanis, aliisque magni pretii abundant.

Alexander memorat (prout alibi jam relatum eſt) gentem Scythicam defunctorum craniis exiccatis olim uſam, pro poculis, & cyathis in ſumptuoſis conviviis eadem adhibendo, ſed non aliter, niſi cum ſolemnes epulæ inſtitutæ eſſent. Quorum impia crudelitas eo devenerat, ut cum hujuſcemodi lautæ menſæ cum magnificentia exhiberentur, Rex eorum uni ex intimis ſuis aurem truncaret, ei videlicet quem inter cæteros maximè diligebat: favor, qui nimium vitæ & integritati corporis præjudicabat.

Lib. 1. Gen. Dier. c. 26.

Tartari quædam idolorum ex lana fabricata in ovilibus ſuis, in utraque nimirum parte eorum ſuſpendunt: quippe quod hujuſmodi deos laneos cuſtodes vigilantes, & indefeſſos gregum ſuorum arbitrantur. Inter Europæos Græci pro lege olim habuêre, ut ne fæmina unquam Senatum ingrederetur: Sic illorum Legiſlator Cecrops ſancivit: nec vero ut Athenienſes, ſed Atticæ nominarentur. Apud Lacedæmonios ſingulari ſtatuto ordinatum erat, ut puellæ nubiles non niſi facie velata incederent, nuptæ nunquam tegerentur. Mores à noſtris omninò diverſi.

Inter hos ipſos privilegium erat Lacedæmonem appellari, quo nomine indignos ſtatuebant, qui orationem gravem, jucundam, brevem, & ſententioſam ordinare non poſſent: non vilipendenda conſuetudine, quam omnium animis impreſſam, & recommendatam vellem, quicunque ad doctoratus lauream aſpirant. Hinc vetus proverbium inoluit: facilius eſſe homini Philoſophari, quàm Laconiſmum perfectum æmulari.

Cretenſes in ſcholis publicis ludos docebant ad oblectamentum inſtitutos, item Pancratium, pilam trigonalem, cæſtum, & ſimilia, quæ à gymnoſophiſtis ad exercendum corpus, & expediendas vires exhibebantur, ut tantò deinceps agiliores in jaciendis ſagittis redderentur. Thraces cœlo tonante, & inter fulgura adverſus firmamentum ſagittare conſueverunt: credendo ſe Jovi tela ſubminiſtrare, ut tanto uberius reos feriret: ſic enimverò ſtulti Deum armorum conſimilium inopem rebantur. Polygamiam item permittebant: marito defuncto ad Judicem pertinebat, legitimam inter conjuges declarare, quæcunque videlicet à marito maximè amata fuerat.

Moſcovitæ olim (neſcio an hodiedum eadem conſuetudo vigeat) & inter eos potiſſimum Rutheni, quotieſcunque de Principatu contentio eſſet, eum ſibi in Regem eligebant, qui ſupra ſaxum quadratum collocatus, vi brachiorum à nemine ſubmoveri poterat. Mos non vituperabilis, ſiquidem robori corporis, robur quoque animi correſpondiſſet, & vires virtuti ſemper copulatæ eſſent. Moſcovitæ in teſtimonium fidei colla ſua, cruce lignea ſuſpenſa, exornant, quam variis Redemptoris noſtri, ſanctorumque imaginibus decorant. E contra Lithuani ignem olim adorabant, plura inde auguria ſumentes: Ars igitur Pyromantica inter eos plurimum viguit. Solem item colebant ſub figura mallei ferrei, quem ſibi caput, ducemque elegerant. In Pruſſia porrò &

Livo-

Livonia ſacrum ignem alebant, eidemque domum inter ſylvas fabricârant, ubi mortuorum corpora cremabantur, una cum pretioſiſſima ſuppellectili, equis nimirum, & ſedilibus, & veſtimentis melioribus defuncti.

Poloni in univerſum ſibi nomen hominum prudentum conciliarunt, benignitate, hoſpitalitate, & benevolentia commendati. In Hungaria olim inter litigantes, pendente lite, ſiquidem cauſa ambiguæ deciſionis eſſet, rei totius arbitrium ferro committebatur. Quem abuſum, utpote impium, ſummi Pontifices jure meritò abolitum voluerunt: nec enim vita noſtra niſi in cauſa ſalutis, & æquitatis, juſtiſque in præliis periculo exponi debet. Fiebant autem conflictus vel duella hæc ſpectante Judice: victus dicebatur, quicunque loco, quem obtinebat pulſus eſſet. Bohemi olim more patrio, ſed inhumano & barbaro, omne ſacrificiū pro defunctis aboleverant.

Magiſtratus Germanorum antiquitus ad nihil expediendum accingebatur, niſi ſtricto gladio, & evaginata ſica, aut demum aliis armis inſtructus, hæc natio ad laborem infatigabilis celebratur, ſed tolerantia ſitis apud eam res ardua eſt: hinc illud Poëtæ cujuſdam Diſtichon eſt.

Mos Germanorum eſt duros perferre labores:
Sed mors Germano eſt peſſima, ferre ſitim.

Saxones olim duriſſimis & rigidiſſimis cibis veſcebantur, unico autem die, appellato ſolis, quidquid pro hebdomada tota neceſſarium erat, colligebant. Cibabant infantes ſuos, non eſcis liquidis, ſed ſolidioribus, & firmioribus, quamvis nutrices eum prius maſticaſſent: hinc eis tanta corporis fortitudo.

Curioſus ſimul & devotus Juventutis ritus eſt, quem in Franconia obſervari Joannes Bohemus inquit: In die cinerum adoleſcentulas virgines, quibuſcum in decurſu anni diebus feſtis choreas duxerunt, manu prehenſas ad ripam fluminis conducunt, idque ut meminerint quadrageſimali ſacro tempore per lavacrum pœnitentiæ ſibi maculas eluendas eſſe, quas in ſimilibus ludis contraxerunt.

Maſſagetæ tantam venerationem olim iis qui in prælio ceciderant, tantumque honorem exhibebant, ut eos nulla habita expenſarum ratione ſumptuoſiſſime tumularent. Procopius memorat, mulieres gentis cujuſdam, quam Thalitem nominat, Infantes ſuos non lacte nutrire, ſed continuo natos pellibus involvere, ac deinceps ſuſpenſos in arbore, medulla cerebroque ferarum nutrire: nec verò eas poſt dolores partus curæ corporis vacare, aut lecto decumbere, ſed ſine mora maritos ſuos venatum ſequi. Horum ſimiles complures in ſeptentrionali plaga ſunt, qui arcu, haſtis, & ſagittis, apros capreaſque infeſtant.

Exoticus omninò, & novus modus eſt, quo Carinthii (neſcio qua moralitate ducti) creare Regem ſuum ſolebant: quem non indignum judico, ut hic locum ſuum inveniat, præſertim in eorum gratiam, qui mores veterum doceri amant. Cum novus Princeps eligendus eſſet, optimates populi in campum ſpacioſum educebantur: illic agricolarum quidam, ad quem hæreditario jure hæc functio pertinebat, in medium prodibat, veſtimento rudi, & inculto indutus, ſimul & calceamento ruſtico; ſtabat autem in prato amœniſſimo & ſat amplo, in quo ingens collocatum erat ſaxum marmoreum: vaccam ille gravidam coloris nigri ſecum duxerat ad dextram, equam vero ad ſiniſtram, cui etiam undequaque plebs copioſe circumfuſa erat. Ex altero latere Princeps ſucceſſurus apparebat, & ipſe pallio plebeio & rudi veſtitus, habitum paſtoris præſeferens, in medio nihilominus purpuratorum ſuorum. Cum locum illum, quo ſe ruſticus contulerat, attigiſſet, inſidens marmor quod diximus, altiſſima voce eum ruſticus interpellabat, clamando: Quis ille, qui cum tanta ambitione & faſtu incedit? Una omnium præſentium voce acclamabatur: Princeps Civitatis eſt. Tum ille: Judicem ergo juſtum aget, qui ſalutem publicam quærat, qui communem libertatem tueatur, an non? Reſpondebat turba: Defenſor erit Chriſtianæ pietatis. Inſtabat ille: Qua conditione igitur loco meo ceſſurus ſum? Reſpondebat Magiſter Palatii: Emetur à te ſexaginta denariis, & hæc jumenta tua erunt: veſtimentum quoque, quo ſe Princeps ſpoliaturus erit, tibi dono dabitur: tu tuaque familia perpetua libertate donabitur. Villicus hæc audiens, levi manu maxillam Principis percutiebat, & Dominium loci, quem tenebat, continuo reſignabat. Hæc fortaſſis idcircò ſic inſtituta erant, ut doceretur Princeps, non ægrè ferre, ſi etiam de gregariis hominum admonitus eſſet; neminem rejiciendum, ſed cuique jus ſuum tribuendum eſſe.

Erat olim, ſicut hodie quoque, Italia conſuetudinibus & ritibus repleta, quorum pars abolita eſt, pars feliciter viget. Cum adhuc ſub gentilitatis nube lateret (ſic memorante Petro Crinito) impietate omninò barbarica nemini ſepulturam, niſi benè de Republica merito indulgebat. Ad exprimendum dolorem, quem de funere ſibi chariſſimorum ſentiebant, tondebantur barba & capillis, juxta quod alibi jam meminimus.

His noſtris temporibus hæ regiones noſtræ, quæ flos mundi non immeritò dicendæ ſunt, cum exactitudine Chriſtianam pietatem in obſervatione habent, viventes ſub legibus Pontificiis, Imperialibus, & municipalibus.

Galatæ ſine temperamento vinum potant, præſertim quod eis in aquis per mercatorum navigia advehitur: cum id largius ſumpſerunt, in ſomnum labuntur, poſthæc ebrietas invaleſcit, deinceps delirium.

Olim Portugalliæ Infideles, quorum nonnulli adhuc ſuperſunt, diligenter inteſtina victimarum obſervabant, è quibus rerum futurarum eventus conjecturare ſe poſſe gloriabantur: præſertim de viſceribus humanis, mancipiorum ſuorum, quæ trucidare, & Numinibus ſuis immolare conſueverant, præſumendo facta tam bona, quàm ſiniſtra in his divinari poſſe.

In Britannia majori populus efferus, & intractabilis eſt: nobilitas temperatior, & mitior: mos item inter eos eſt, ad terram uſque genu flectere.

In electione Regum populi, qui inſulam Trapobanam inhabitant, quamvis remota, & tota barbara ſit, mores nihilominus manſuetos, & benignos obſervant: eligunt enim inter ſuos eum, qui maximè ſpectabilis eſt, cui inceſſus gravior, & ſtatura nobilior, qui ſit natura placabilis, jam ætate provectus, cui filii nulli ſint. Imo verò, ſiquidem durante Principatu prolificaverit, de poſſeſſione regni deturbatur: nolunt enim regnum ſuum hæreditarium eſſe. In adminiſtrandis regni muneribus quadraginta Senatoribus, & Rectoribus Rex utitur, præcipue ubi cauſæ criminales decidendæ ſunt: ne fortè pro libitū ſuo ſolus judicia formet, & vitæ mortiſque ar- biter

biter ſit. Quis non admiretur in gente tam barbara, tam peregrina, mores tam excultos?

Novus omninò modus eſt, quo mulieres, præſertim adoleſcentulæ in Inſula Florida novos Dominos vel Principes honorant, eiſque applaudunt. In hujus nuptiali feſtivitate comparere jubentur quæ nobiliores, & formoſiores ſunt, cum capillis partim innodatis, partim ſuper humeros ſparſis. Supra umbilicum largo admodum cingulo revinctæ ſunt, cui ex anteriore parte marſupium grande dependet, circumdatum campanulis aureis & argenteis, formam ovi imitantibus, quæ ad femora uſque deſcendunt, idcirco factis, ut ſonum excitent, cum in tripudiis ſuis encomia Principi ſuo, & hymnos recitant, & decantant. Porrò & inaures de veſicis piſcium inflatis fabrefactæ in auribus ſuis pendulas, colore rubro adimpletas, in modum unionum gerunt. Ex his igitur ſat liquet, quàm induſtria, & ingenioſa hæc gens ſit, ad ſe excolendam, & novis inventionibus, novo mundo muliebri exornandam.

Teuteus Author inſignis refert, ſylveſtrem Americæ gentem nudam ſemper incedere: non quod eis deſit, unde veſtiri poſſint, ſed quod nimiis ſolis æſtubus urantur; tum vero etiam ut promptius operationibus ſuis vacent. Siquidem etiam contigerit, ut camiſiâ goſſypinâ induantur, cum procul inimicum adverterint, ſine mora illam rejiciunt, ut ad pugnā ſe parent: ſuperſtitioſa opinione imbuti, quodlibet veſtimentum ſibi impedimento eſſe, quo minus hoſtem exuperent; quin & anſam præbere, ut tantò facilius teneri, & vinci poſſint. Quamvis præpoſtera gens, ſoli capiti tegumen, vel pileum ex plumis avium compoſitum, immittat: cum volucrium illic abundantia ſit. Proinde & cæſtu, vel clava armati in prælium deſcendunt.

Irridet interim præfatus author eos, qui ajunt, hoc genus hominum hirſutum & hiſpidum eſſe, cum more Italorum læves & glabri ſint: imò verò ſic ad dolorem & patientiam facti ut unguibus pilos evellant, quoſcunque præter comam capitis deprehenderint. Animoſiores ſunt, qui loca maritima accolunt, quàm qui in montibus, aut campeſtribus morantur. Cum velocitate eximia inimicum adoriuntur, quandoque etiam extraneos. Rex iis nomine barbaro *Quoniambech* vocatur; Teuteus teſtatur vidiſſe ſe eum octo pedes longum, & latum pro menſura proceritatis. Imitantur ſubditi, quantum poſſunt, ſtaturam illius; tam Rex quàm populus humana carne veſcuntur: tantæ pernicitatis in currendo ſunt, ut quamlibet feram æquiparent, imò & exuperent. Ejuſdem genii ſunt Cannibali, & ipſi Anthropophagi nominati: quod eorū figura ſatis declarat.

Populi de Loponia Idolum venerantur triceps; nec tamen immortalitatem animæ negant. Interim dæmon Ægyptiorum gentem uſqueadeo excæcavit, ut mirandis eos deliriis adimplerit: induxit enim ad cultum impium canum, niſi, felis, & Luporum. Quid plura? Et crocodilus illic, animal tam fatale homini, divina ſacrificia invenit. Unde Lucretius ait:

O ſtultas hominum mentes, o pectora cæca!

Horum animalium monſtroſas imagines per urbes quaquaverſum circumferebant, & inclinato eas corpore venerabantur: Cui verò caſu inopino accidiſſet ut horum aliquod occideret, ſine dilatione ſupplicium mortis incurrebat: & ſiquidem Ibis eſſet, durum inter ſaxa ſepulchrum lapidatus inveniebat. Tullius & Diodorus referunt, quod mulier quædam domum reverſa, & crocodilum inveniens filiolum ſuum devorantem, continuò tanquam privilegio ſingulari cælitus impertito, ſe humi proſtraverit adorans belluam ſanguinolentam, gratiis inſuper actis: quippe quæ natum ſuum inter Numina translatū ſibi gratulabatur.

Lituani olim montana circuibant, ut illic ſerpentes maximè horribiles invenirent, quos deinceps ſtolidi adorabant. Hujus rei teſtimonium adfert Hieronymus Pragenſis, qui ſub Eugenii Quarti Pontificatu eis fidem prædicando annunciavit, omneque hoc colubrorum genus flammis exuſſit, excepto uno, quem temporis aliquantum morti ſubtraxerunt, cooperante ad hoc ipſum (quamvis irrito conatu) dæmone.

Aſſyrii in uſu poſitum habebant, ut ægrotos ſuos in fora publica portarent, ut quicunque ad viſendos eos acceſſiſſent, remedium cuique morbo opportunum ſuggererent. Id quod erat morti potius, quam vitæ appropinquare; ex diverſimodis enim Medicorum ſententiis, damnum magis, quàm ſubſidium ſperandum, vel potius metuendum eſt, quamvis expertiſſimi in arte ſint. Quid de Idiotis, & ignorantibus dicendum?

Præter hos Bactriani, barbarie inaudita, cum vetulos vidiſſent (imo proprios parentes) jam graveſcentibus annis impotentes, & inhabiles, eos canibus objiciebant, qui ſepulchrales idcirco nominabantur, eo quod carnem non ſecus ac foſſa mortuorum deglutiebant. Cælius recenſet fures apud eos non impunè vivere, ſed ſeverè caſtigari, ſi verò prædam eximiam reportaſſent, præmium criminis ferebant; & inter ſubditos magni nominis cenſebantur.

Trogus item Author eſt; Caſpios matres patreſque claudere in triclinia, & illic fame necare: poſthæc eos palam exponere: ſiquidem à volucribus conſumpti fuerint, benè mortuis ominari: ſi à canibus devorati, aut à vermibus corroſi fuerint, fatum illorum deplorare, nil niſi ſiniſtrum de iis auſpicantes. Apologus non eſt, ſed veriſſimum, quod Strabo narrat, Cantabricos, tam addictos inertiæ, & ineptiis, ut matres familias eis de quotidiano victu providere teneantur: cumque illæ de puerperio ſe levaverint, viri lectum tenent, & ova recentia exſorbent.

Græcorum natio fictionem ſibi inſeparabilem habuit: hinc Proverbium in eos adinventum: *Græca fides*, quod Itali ſic exprimunt: *La Greca fede à chi non e paleſe?* Interim ingenii ſubtilis, & vafri erant; hinc Venuſina Lyra ſic ſonat:

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui, præter laudem, nullius avaris.

Agatyrſi, populi ſyrtibus vicini, olim nudi, ſed variis coloribus picti incedebant, prout Leopardorum maculæ ſunt: Hinc Virgilius quarto Æneidum ſic ait:

Creteſque, Drypeſque fremunt, pictique Agatyrſi.

Andabati, Germanorum veterum in hoc ſtoliditatem imitantes, in conflictu ſoliti erant clauſis oculis dimicare: idque ne inimicum armatum cernerent, aut verò ne vulneribus intenderent, aut cruori effuſo, aut fugæ ſuorum. Nec miſeri advertebant, quod non prævidendo pericula, tanto promptius morti occurrebant. Albagioſi Arcadiæ populi hanc præconceptionem ambitioſam cerebro alebant, ſe antiquiſſimam mundi gentem eſſe, credendo ſe primos poſt diluvium vidiſſe Lunam, unde Seneca:

Aut te ſtellifero deſpiciens Polo,
Sidus poſt veteres Arcadas editum.

Scythæ in hunc modum pacta ſua ſtabiliunt (inquit Ptolemæus) Facturi invicem confœderationem; copioſum ſanguinem ſibi ferro de carne ſaucia è venis eliciunt, quem proinde in ſcyphis ſuis vino immiſcent, hoc potu ſe replentes, cum primum in iiſdem ſanguinolentis poculis arma ſua, vel gladios, vel ſagittas, vel ſecures, vel tela intinxerint: dirum in modum execrantes eos, quicunque his fœderibus ad verſum aliquid patrarent.

Joannes Bohemus narrat, Germanos olim tam fuiſſe luſibus addictos, præſertim aleis, ut cum pallia, & thoracem, & induſia perdidiſſent, noviſſimò ſe quoque in pretium expoſuerint; ſiquidem victi eſſent, victoribus ſuis ſubdebantur, & quamvis robuſtiſſimus inter adoleſcentes eſſet, ſe more mancipii ſpontaneis vinculis ligandum dabat.

Contra Myſſos populum ignavum vetus adagium fuit: *Myſſorum præda:* id quod de iis, tanquam de gente dictum eſt, quæ omnibus ludibrio eſſet: tam enim inepti erant, tam nauci homines, ut mallent vinciri fœda ſervitute, quàm viſo hoſte ad qualemcunque defenſionem ſe armare: homines fœdifragi, ſemper fortunam Victoris ſequentes, & quos prælio ſuperatos cernebant, continuò deſerentes.

Copioſus in narrationibus ſuis Raviſius eſt, qui de Sarabitis Ægypti ſacerdotibus memorat, eos in cavernis montium latuiſſe, pelle bovina indutos, nudipedes, ſanguine conſperſos: hoc indicantes, ſe pro delictis alienis diuturnam amaramque pœnitentiam feciſſe. Deinceps ſe de hujuſcemodi latibulis palam populo exhibebant, plurimum laborantes pro ſalute eorum, prædicando abſtinentiam, & paupertatem: cum furore ſibi pilos de barba vellebant, mirum in modum corpus dilaniando: ac ita eleemoſynis ſat pinguibus onuſti, ſolitudinem ſpeluncarum ſuarum repetebant.

Pejor erat ritus apud ſacerdotes Pagodarum in India, quem P. Daniel Bartoli recenſet: Antequam enim illic veri Dei notitia per S. Franciſci Xaverii prædicationem, introducta fuiſſet, hoc genus hominum ſe paucorum annorum ſpacio in cavernis terræ abdebat: ex quo ſibi nomen ſanctitatis conciliantes, etiam primores in populo perſuadebant, ut ſibi filias ſuas antequam eas nuptui darent, proſtituerent.

Alphonſus Fernandez teſtatur vidiſſe ſe in regno Peguenſi elephantem iiſdem honoribus cultum, quibus colitur in Ægypto crocodilus, vel Ibis. Erat hic albus colore, ditiſſimè phaleratus: gradum non faciebat, niſi ut magnum ſatellitium in comitatu eſſet. Quandoque ad lavandum in flumen ducebatur: tum enimverò viginti quatuor baldachinis candidis operiebatur, ne ſole nimium feruido læderetur. A capite ad pedes uſque catenis argenteis aureiſque viriciebatur. Præcipuè autem in diebus feſtivis hoc apparatu inſignis apparebat: ubicunque conſtitiſſet, nemo erat qui digitum moveret: quocunque incederet quiſque ei ſpatioſiſſimum locum cedebat: cum mortuus eſſet, mœſtiſſimis ei, & pompoſiſſimis exequiis parentabant.

Turcis inter alios ritus & conſuetudines inſenſatas, dum in itinere verſus Meccam ſunt, ad viſitandum Mahometi perfidi eorum Legislatoris corpus, prima ſollicitudo eſt, ut ad ſacellum quoddam ſe conferant, in cujus medio puteus eſt, circa quem turba hominum conſiſtit, deputata ad aquam hauriendam pro populo: hi de quibus loquimur, poſtquam octo vicibus templum circumgyrarunt, ad os putei appropiant, ei tergum vertendo, & ſic inquiunt: Totum ſit ad gloriam Dei, quem precor mihi miſericordem. Finitis hiſce, qui aquas hauriunt, tres eis ſitulas ſuper caput ad pedes uſque fundunt, ita ut omnimodo immadeſcant: quamvis veſtimenta eis holoſerica ſint, vel purpurea. Sic miſeri, hallucinando, ſe à peccatis ſuis mundatos credunt, omneque delictum in hunc puteum demerſum.

Fuſior in his narrationibus Sanſovinus eſt, de moribus Ottomannicis, & Joannes Boterus, & Petrus Vallenſis in itineribus ſuis Turcicis, & Baro de Loir & alii, qui quotidie in lucem eduntur.

Pilotus Author Portugallus refert, Guineæ & Benim provinciarum Mauros, dum filios habent, aut filias, nudos, prout nati ſunt, vendere: ſicut ſolent pulli gregum pretio venundari. Sumere eos à Negotiatoribus roſaria, è vitro facta, & id genus utenſilia, quæ apud gentem barbaram in ſumma æſtimatione, & raritate ſunt. Euſque excæcat avaritia.

Hæc pauca de fontibus opimis, qui quotidie regurgitant, ſeligenda exiſtimavi: non ignoro autem de tanta abundantia, & ubertate, hæc non niſi minutiſſimas guttas eſſe: ſed brevitati me conſulere oportuit, ne opus nimia mole gravatum ſit: itaque præſens capitulum termino.

Interim Lectorem avidum, qui fuſiora quærit, ad libros Trogi, Plutarchi, Taciti, præſertim *de ritibus Germanorũ*, Cælii, Alexandri, Athenæi, Gellii, Criniti, & aliorum tranſmitto, qui omnes in *theatro vitæ humanæ* epilogantur: Inter modernos opera ſunt Nicolai Lindenſis, *de bellis civilibus*, Biſcajoni, Davilæ, Comitis Gualdi, P. Pinti Ramitez, P. Danielis Bartoli in hiſtoriis & annalibus Soc. Jeſu, opera item omnia P. Cauſſini, officina hiſtorica Aſtolphi, totque alia inſuper, quæ brevitatis cauſa omittimus, & cum Poëta quodam ſic concludimus:

Non mihi tot mores numero comprendere fas eſt;
Addit enim cultus proxima quæque dies.

Tranſeamus hinc ad Capitulum ſequens, non admodum huic diſſimile.

SACRIFICIA ET IMMOLATIONES.

SI mihi in cauſa Religionis Problema ad ſolutionem propoſitum eſſet, an patres vel antiqui progenitores noſtri, infideles adhuc, probiores nobis, an verò magis indevoti, fuerint, præſertim in offerendis ſacrificiis ſuis, faterer me in labyrintho inextricabili eſſe, de quo non ſolum mihi difficile, ſed & impoſſibile futurum eſſet egredi: nodum illum dicerem inſolubilem. Si enim ſumma illa veterum exactitudo attenditur, qua ſacrificiis ſuis invigilabant, utique ruborem Chriſtianis nobis incutiunt, qui tamen verum Deum agnoſcimus.

Sed ſi ex altero latere hoc ipſos anteceſſores noſtros conſidero, euſque veſaniæ delapſos, ut turpiſſimis, & fœtidiſſimis animalibus ipſa adeo humana ſacrificia litarint, non poſſum, quin infamem illorum malitiam deteſter. Itaque hic quæſtionem noſtram problematicam interim indeterminatam prætereo, eam determinandam peritioribus me relinquendo: hoc ſolùm hic dixero,

dixero, ætatem illam hominum, & cæcam & mente captam fuiſſe, quando ſub religionis prætextu, ſuadente Sathana, cum tanta impietate ad ſtrages & occiſiones tam barbaras ferebatur, conſecrans humanas victimas Jovi, Saturno, & Baccho, aliiſque inſuper diis, & deabus prophanis.

Ut igitur de his exordiar: Cum antiquitus inter Phœnices Principi filius natus eſſet, conſuetudo eorum erat, eum Chlamyde regia adornare, manili quoque & collari: tum deinde jugulatus Saturno ſacrificabatur. Sub pœna item mortis interdictum erat, de liberatione illius quicquam meminiſſe, aut caſum ejus commiſerari: in hunc finem licitum non erat, cum teneritudine & lacrymis funeri ejus adeſſe.

Copioſæ memoriæ hiſtoriographorum extant, qui de Ariſtomene Meſſenio, Duce magni exercitus referunt, eum unico die ſacrificaſſe Jovi, nominato Ithomio, tercentum victimas, & inter eas Theopompus erat dux fortiſſimus. Sed magis illud admiratione dignum; etiam Romanos, qui Mundum univerſum ſub fræno dominationis tenebant, & qui alioquin nomen ſibi magnum ex inſigni judicio, & prudentia pepererunt, in eandem lapſos veſaniã, ut Saturnum, Jovemque Latialem humanis victimis placare conſueverint: Imò & in aliis ſacrificiis ſimulacrum Numinis, quod colebant, humano ſanguine aſpergebant. Sed hic mos deinceps per Conſules Cornelium Lentulum, & Publium Licinium Craſſum omninò abolitus fuit.

Bacchus apud Græcos non minus victimis humanis gaudebat. Homo qui immolabatur, notam immenſæ gloriæ apud gentem illam conſequebatur, penè eandem cum Numine, cui ſe litabat, venerationem hæreditans. Hic uſus fortius etiam in Salamina, & Chio inſulis invaluerat: Cum majori tamen impietate in Arcadia, ubi plures quotannis, in phano elevatiſſimo, puellæ immolabantur, idque flagellatæ ad necem uſque. Altaria Martis conſimilibus victimis exempta non fuerunt: quidam enim de prælio revertentes, per cunctas centurias mancipia bello facta diſtribuebant, quorum unum ſanguineo huic Numini conſecrabant. Quin & Procopius refert, habitatores Thulæ Inſulæ, Imperante Juſtiniano, Marti ſacrificaſſe ſolitos, quem primum inter inimicos cœpiſſent. Quid plura? Etiam Numinibus ſexus fæminei privilegium datum, ut humanis victimis colerentur.

In Aſia Laodicenſes quotannis Minervæ virginem immolabant. Jovi apud Arcades, & Lycios, victima Infantis feriebatur. Apud Tauros, populum Scythiæ, ſolemni uſu receptum erat, ut exteri, peregrini, & quicunque infortunio ſuo per naufragium illuc ejecti eſſent, Dianæ ſacrificati cæderentur.

Pari modo apud Spartiatas, ſecus Altare Dianæ Orthesiæ, infantes tamdiu flagellis macerabantur, donec hoc nefando impiarum manuum ſatellitio extinguerentur. Deæ Larundæ, aut Maniæ, Matri Larum, ſacrificia capitum humanorum dabantur: quod reliquum erat de corpore, canibus objiciebatur: donec Junius Brutus, crudelem hanc barbariem deteſtatus, capita paparerum ſubſtitui humanis, inviolabili decreto ſancivit: unde etiam Numini huic papaver dedicatum fuit.

Thraces olim Zamolxi, ſic dicto Numini ſuo, pluribus lanceis transfixum hominem litabant, nec enim aliter placare iratum ſe poſſe rebantur. Penè infinitus eorum numerus eſt, qui tam horrifico & ſcelerato more uſi ſunt, præſertim qui, Boriſthenem accolebant, inter alios ritus & hunc ſacrum habebant, ut omni ſacrificio mortuorum oſſa, ignibus cremanda adjungerent. Celtas jam ſupra diximus inimicorum detruncata capita expurgaſſe, & auro incluſam calvariam, ad ſolennes epulas adhibuiſſe, & pro poculis uſurpaſſe.

Antiquitus item Luſitani vigilanter inteſtina occiſorum hominum obſervarunt unde vaticinia ſua ſumebant: Dextras hoſtium cæſorum truncatas Numinibus immolabant. Maſſagetæ, ſicut & Galatæ non aliter conſultari Deos poſſe credebant, quàm homine jugulato; diligenter etiam intereuntis motus, membrorum agitationem, & cruoris profluvium notabant, ex his futurorum divinationem ſe trahere gloriantes. Galli quoque dum aut morbis Epidemicis affligerentur, aut aliunde Periculis inſtantibus, ad placanda Idola ſua, aut hominibus cæſis litabant, aut voto ſemetipſos ſacrificabant.

Cimbri ſic reos caſtigabant: conducebant eos ad fanum ſuum, atque illic ſecus altare collocatos, acubus, & lanceolis, aliiſque inſtrumentis pungentibus confodiebant. Albani ſacrificandos primum conſecrabant, ſanctius idcircò ſacrificiùm futurum arbitrati; tum deinde quantum maximè poterant eos impinguabant (ſi tamen inſtantis Lethi timor, ſic ſagiendos non à cibi abundantia arcebat, & macilentos potius reddebat) poſthæc opimam victimam, una cum cæteris igne exurebant.

Leucadi ad mitigandas deorum ſuorum iras, immolandos in faſtigium montis celſiſſimi trahebant, atque inde mare præcipites dabant. Senones, occiſo homine ſtatutis diebus, nefanda ſacrificia celebrabant, arbitrantes ſe hujuſcemodi facinoroſis ritibus purificare delicta ſua poſſe, etiam cùm maximè execranda perpetraſſent. Perſæ ut diis ſuis gratiam referrent, floridiſſimos juvenes eligebant, quos primum ferro transfixos (ita tamen, ut facto vulnere non continuò interirent) poſt ſemivivos in profundiſſimam foſſam jactabant, ut illic vitam clauderent.

Sed quid per antiquos divagamur ritus? inquit Aldrovandus. In hiſtoriis Hiſpanienſibus legitur, populum hunc per orbem evagatum, in inſulam Carlinam dictam perveniſſe, atque illic Numinum ſtatuas ex ære fuſas, intus cavas inveniſſe, earumque non modicam multitudinem. Sacrificuli eorum barbarie nefanda in templis ſuis infantes vivos in cavitates has immittebant, ſuppoſito deinceps igne, miſeram Innocentiam & teneros infantulos execrabili ſacrificio cremabant. De impietate hac Deuteronomium meminit: *Omnes,* inquit, *abominationes, quas averſatur Dominus, fecerunt: offerentes diis ſuis filios, & filias, & igne comburentes.* (*Cap. 10.*) Interpretes ajunt præfatas ſtatuas de ære Cyprio, aliiſque metallis factas fuiſſe.

Adjungatur his ritus Meſſicanorum, qui in templis ſuis, ante ſimulacra deorum, ſine diſcrimine mulieres æque ac viros mactabant: inciſis plerumque venis: qui autem reluctarent, jugulo abſciſſo. Ipſi adeo flamines acutis arundinibus ſe aſpere feriebant, & ſanguinem, quem ejecerant, diis immolabant. Corybantes ſacerdotes Deæ Cybeles, eandem inſaniã ſequebantur. Cum enim ſimulacrum Deæ ſuæ circumferretur, ſolemni

lemni

lemni comitatu currum ſequentes, cultellis varias corporis ſui partes cruentabant, exemplo ſuo reliquam hominum turbam ad eadem facienda inducentes. Quæ non immerito nobis Chriſtianis verecundiam incutiunt, quippe qui ſæpius, non dixerim ſanguinem noſtrum, ſed ne ſuſpirium quidem pro amore Dei noſtri effundimus, qui tamen Amore noſtri ſub altari crucis, nec proprio quidem ſanguini tam innocenti pepercit.

Caſparus Gnugnez memorat, Populum Ormuzenſem in ſolemnitatibus ſuis certis quibusdam curribus triumphalibus uti ſolitum, quibus ad deorum ſuorum fana ſublimes ſacrificuli ferebantur, qui ibidem ſe cultellis diſcindebant, partes carnium à membris ſuis ſecando, tum verò ſummitatibus ſagittarum eaſdem affigentes in vulgus jaculabantur, quod ibi magno concurſu adunatum erat. Hanc Carnificinam exercebant ad gratificandum Pſeudo-numinibus, à quibus falſam ſibi beatitudinem, & fortunam proſperam ſpondebant. Populus qui circumfuſus erat, magna contentione pro ſe quiſque laborabat, ut ſibi de hac carne pars eveniret, quam incredibili veneratione colebat, & deinceps cum cæremoniis manducabat. Nec his contenti, barbaricam devotionem ſuam reduplicando, complures ſubtus rotas præmemorati currus ſe jaciebant, & ſic miſerè conquaſſabantur. Arbitrati ſe gratius nil deo ſuo ſacrificare poſſe: nec finem feralis illa proceſſio ſortiebatur, niſi poſtquam ingens mortuorũ turba occubuiſſet, quos deinceps collectos cum impia veneratione devorabant.

Ejuſdem generis eſt quod Nicolaus Venetus de Biſingareſibus memorat: hi enim & ipſi ſe rotis curruum conſimilium ſubſternunt, quibus nobiliores & formoſiores puellarum ſuarum vehuntur cantantes: ac ſic rotarum violentia contriti, acceptiſſimam Numini ſuo mortem ſe obtuliſſe opinantur. Quidam eorum ſibi latera & coſtas perforant, trajiciendo illis funes, quos currui illigant, atque ita fœdum in modum diſcerpti pereunt.

Revertor ad legendum id, quod hiſtoria de Thracibus memorat, & qua ratione Idolum ſuum Zamolxim placare contenderint: hunc enim primum Legislatorem ſuum deprædicabant, nunc in deorum ſocietatem aſſumptum. Tres viri de primoribus regni tres lanceas erectas tenebant: ſuper has, qui ſacrificandus erat, præceps dabatur. Siquidem jactatus vitam ſine mora expiraret Zamolxi ſuo acceptum rebantur: ſin minus, rurſum alium jaciebant, ut iram dei ſui evitarent: tam carò miſeris veſania ſtetit, inquit Juſtinus.

Tyranni primitivæ Eccleſiæ noſtræ ab his immanitatibus barbarorum documentum ſumpſerunt, ut majori crudelitate etiam Chriſtianos diis ſuis ſacrificarent: credendo ſacrilegè, novis inventionibus, quas crudelitas produxerat, & rotis, & pectinibus, & plumbatis, & uncinis, & focis ſe numina ſua placare irata poſſe, & acceptabile munus Cœlo ferre; à quo nihilominus monſtruoſitas illa rejiciebatur, quod ſæviens veri Dei ira improviſa quandoque tyrannorum morte teſtificata eſt: quandoque etiam univerſitas ipſa malis peſſimis caſtigata, nam & bella, & peſtis, & fames ab irata Dei dextra immittebantur: quibus tamen non mota impiorum corda, majori ſemper impietate obdurata in deterius labebantur.

Quandoquidem verò de his jam volumen publico dedi, cui titulus eſt: *Cruciatus martyrum per encomia digeſti*: non hic eadem recapitulare neceſſe eſt: ne opus quod præ manibus eſt, præter modum increſcat. Præterea & Authores illic à me citati, in hanc materiam copioſi ſunt, Nicephorus, Lipomanus, Metaphraſtes, Viliega, Petrus Victor, S. Cyprianus, & alii, quos conſulere pro libitu ſuo Lector poterit: Ego enim ad caput aliud me transfero, conſideraturus antiquorum

SPECTACULA.

CApitulum hoc cum præcedenti conformitatem, & analogiam habet: ſi enim illic præſente populo ſacrificium de victimis humanis fiebat, hic eodem præſente populo, homines item rationales feris objiciuntur. Ad majorem autem materiæ elucidationem, inprimis illud diſſerendum, apud Romanos ternam ſpectaculorum inventionem fuiſſe. In quarum prima feræ cum feris dimicabant, in ſecunda homines cum hominibus, ſicut in Pancratio, in cæſtu, & ludis gladiatoriis cernebatur: In tertia denique homines cum feris in certamen deſcendebant.

In hunc modum quoque plures Chriſtianorum martyrium ſubierunt, lauream æternæ gloriæ reportantes. Inter alios S. Ignatius martyr eſt, Leonibus objectus, cujus memoriam omni acceptione digniſſimam colit Eccleſia, ſicut & aliorum, quorum glorioſam luctam in præfatis authoribus legimus.

De primo ſpectaculorum genere, copioſiorem narrationem Plinius habet, qui inter plura hæc inquit: *Elephantes in Circo.* Hi tempore Claudii Pulchri Curulis Ædilis contra Tauros pugnabant. De ſecundo ſic habet: *Navali prælio in monte Cœlio defoſſo lacu, biremes, triremes, & quadriremes Tyriæ, & Ægyptiæ Claſſis magno pugnantium numero conflixerunt. Ad quæ ſpectacula tot undique homines confluxerunt, ut plerique advenæ inter vias, tabernaculis locatis manerent: & ſæpe præ turba plures exanimati fuerunt.*

De tertio genere inquit: ſub Domitio Oenobarbo (tum temporis cum dignitatem Curulem gereret) centum urſos de Numidia adductos, cum centum item venatoribus in Circo aſperrimè dimicaſſe, idque cum magna humani ſanguinis effuſione & mortalitate. Recenſet hocipſum facundus Caſſiodori calamus, qui ſe conflictui tam impio præſentem fuiſſe teſtatur, atque ideo fide dignam de eodem memoriam poſteritati reliquit. Deteſtatur autem, prout debet, tanquam Chriſtianus rem barbaram, ſceleratam, & inhumanam. Adjungit mirum eſſe, quod unquam dari genus hominum poſſit, quod nullo ad hoc judicio condemnatum, ultrò ſe tam terribili periculo vitæ objiciat, ſola ſpe potiundæ victoriæ.

Proſequitur ratiocinando idem Caſſiodorus, & dicendo, non illic defuiſſe avaros auri cupidiſſimos, qui allectati ſola præmii propoſitione, in Circum ingreſſi fuerint, & nullis præterea armis, quàm pertica armati, ac ſic ſine metu cum leonibus indomitis & urſis maxime feris præliati ſint. Alii rurſum ad eandem luctam ſe exponebant, armati ſcutorum quodam genere, quæ de arundinibus contexta erant, immixtis aculeis, quibus corium belluarum tam ferocium penetrare

ſperabant: quamvis irritum videatur pelles tam duras arundinibus perforare velle cum vix illud globis fieri poſſit, qui de ſclopetis more fulminum emittuntur. Author præfatus interim aſſeverat, eos ſæpius cum felici ſucceſſu evaſiſſe; in terram enim proſtratos, & ſcutis, prout diximus, tot acuminibus armatis tectos, dum feræ adorirentur, puncturis oculos earum feriiſſe, & ſic protinus excæcaſſe, pugiles autem ſubtus clypeis ſuis, non ſecus ac erinaceos ſub acuminibus ſecuros latuiſſe. Rurſum alii in rota facili ad intorquendum ſe gyrabant, quam deinceps robore brachii continentes prout beſtia ſe rotantibus obtulerat, agilitate invadentem eludebant, periculo ſe eximentes.

Apud Aldrovandum de monſtris.

Hæc ſpectacula ſunt, de quibus M. Tullius inquit: *Quæ poteſt eſſe homini delectatio, & homini maxime politico, cum aut homo imbecillis à valentiſſima beſtia laniatur, aut præclara beſtia venabulo transverberatur?* Cui ſententiæ adhærens Seneca inquit: *Nuper è ludo beſtiarum unus è Germanis, cùm ad matutina ſpectacula pararetur, ſeceſſit ad exonerandum ventrem (nullum enim aliud dabatur ſine cuſtode ſecretum) ibi lignum illud, quod ad emundandum obſcœna adhærens ſpongiæ poſitum eſt, totum in gulam farſit: & ibi præcluſis faucibus, ſpiritum eliſit.* Hic ergò ne præda immundis animalibus objiceretur, maluit inter immunditias terminare vitam ſuam: ut enim monſtraret, quàm ignominioſa mors illa eſſet, ad quam deſtinabatur, ipſas adeo ventris fæces ſibi ad interitum prælegit.

Narratur item in ſecundo Naumachiæ ſpectaculo, quendam adverſarii ſui lanceam patulis faucibus ſponte excepiſſe, & immerſiſſe, demonſtrare volens ſe malle ut generoſum militem occumbere, quam irrationalibus beſtiis dilacerari, & diſcerpi. Fera & inhumana barbaries, quã Chriſtiana pietas prudentiſſimè abolevit, dum qui Principatũ poſtea tenuerint, de Chriſtiano pectore hæc monſtruoſa oblectamenta eliminarunt.

Cum verò jam occaſio me in memoriam horum ſpectaculorum, ſimul & pietatis conduxit, nec velim, nec juſtum eſt, me præterire ſtupendum quoddam, & admirabile, & commiſeratione dignum, ſi quod aliud huic ſimile inter homines contigit: quamvis jam in plurium notitiam emanarit, non omnium tamen, ut reor. Iis ergò dictum ſit, ad quorum aures nondum relatum eſt. Refert Aulus Gellius, in Doctiſſimi Dn. de Guevara Epiſtola ſecunda citatus: quamvis illud ipſum jam à Juſtino, & Cælio, & Æliano, & aliis item relatum ſit. Itaque uno hi omnes ore inquiunt, Titum Veſpaſianum cum de Germanis victor rediret, diem Natalitium, annua rememoratione celebrare voluiſſe, atque inter alias pompas, ſolemnitates, & feſtivitates, quas populo ſpectandas dedit, ſpectaculum belluarum fuiſſe dimicantium cum hominibus. In numero ferarum maximè atrocium fuiſſe, Urſos, Gryphos, Cervos, Rhinocerotes, Apros, Lupos, Camelos, & Elephantes: Inter hos leonem apparuiſſe, qui ſolo intuitu mortem minitabatur omnibus, quotquot auſi fuiſſent, in occurſum ejus prodire. Hic in Ægypti deſertis captus corpore eximius, aſpectu horribilis, in pugna ferociſſimus, trux, immitis, & terrore plenus, cum non ſecus ac ſtuppam tenuem ignis, ſic rapaci ungue quindecim viros ſine mora conſumpſiſſet, inter ultimos

Lib. 5. cap. 14. Lib. m.

quidam captivorum objectus eſt: qui in fera pietatem invenit, quam inter homines non invenerat; tantum enim abfuit ut à bellua immani læderetur, quin potius alternis vicibus quiſque eorum certabat, quomodo blandimentis, & amoris conteſtatione (ſi ſic dicere fas eſt) evinceret. Imperator cum ſpectantibus inſolito miraculo perculſis, mancipium ad ſe duci jubet: & acriter interrogatum, reſpondere imperat, cujas eſſet, quæ conditio, quis ſtatus, & an magicis artibus inſtructus? ni cuncta fateretur, continuò è vita tollendum. Dic age, inquit Imperator, quiſnam tu? aut unde es? quod tibi nomen? quocum moraris? quæ profeſſio tua? quod delictum ut beſtiis objectus ſis? Ego, inquit ille, de Natione Sclavorum ſum, locus habitationis meæ Mantuccus eſt, qui cum ſe Imperio tuo rebellem exhibuiſſet, unà cum civibus in poteſtatem tuam redactus eſt, inter quos & ego miſer in manus tuas delapſus ſum; Nomen mihi Andronicus (aut Androdus) ſic avi mei nominati ſunt: proſapia hæc mea domi meæ tàm illuſtris erat, ſicut hic Marcellorum, aut Fabiorum.

Sed quid hæc proſunt cum fortuna ſiniſtrâ conflictanti? Vidi & ego Romanorum complures, infeliciter in mancipia transmutatos, qui prius inter ſuos nobilitate inſignes erant: ſicut me iniquitas fortunæ meæ prius nobilem, nunc catenis onuſtum fecit.

Primitus quidem in hominem incidi ſecantem ligna, ſed cum me tractandis armis aptiorem adverterem, quàm ligoni aut ſecuri, me Conſuli Daco venum expoſui, hic à Patre Veſtro in Numidiam ablegatus, me quoque inter ſequaces, & ſatellitium ſuum habuit, ubi tot ſimul pœnis, & laboribus, & vigiliis, & ſudoribus, & afflictionibus vitam miſerandam traxi, ut conſultius mihi ducerem, aut me de monte præcipitem agere, aut ferarum dentibus immittere potius, quàm calamitoſam uſque adeo vitam in longum ducere: hac mente me in ſolitudines Ægypti tranſtuli. Dominus ea tempeſtate, cui tum famulabar, Tamatam in confiniis Ægypti & Africæ ſitam peregrinatus eſt: nocte quadam intempeſta, cum ille ſoporatus eſſet, memetipſum exſtimulans, diſceſſi, montes, quos credebam aſperrimos, & inacceſſibiles petendo, & ſpiſſitudini ſylvarum inhoſpitum me immittendo: nec aliud viaticum, niſi peram uvis paſſis adimpletam, nutrimentum quatuor aut quinque dierum, aſſumpſeram.

Noveram jam, tam inopi annona propediem conſumpta, nil aliud mihi ſupereſſe quam mortem. Cum illuc appuliſſem, luſtrum, vel antrum ſubterraneum foris anguſtum, intus ſat ſpacioſum reperi, atque illic laſſitudini meæ conſultum volui quieſcendo, umbram præ fervore ſolis indagans. Vix illic ſex horarum ſpacio commoratus, Leonem vidi horrendum aſpectu ſubintrantem, ore ſimul, pedibuſque anterioribus ſanguinolentum, qui horribile lumen binis oculis non ſecus ac de lampadibus jaciebat, quos jam prænuncios ſecuturæ mortis non dubio metu verebar, idque tantò magis, quod ex cruore deſtillante immanem belluam præda hominis devoratam plenam ominabar.

Et ecce mirum dictu, poſtquam fatale animal circumquaque ſpeluncam obiiſſet, tandem claudicante pede humi proſternitur (more canum, cum laſſitudine oppreſſi decumbunt) afflicto

non abſimile, & quod miſerante oculo intueri me videbatur. Steti tantisper cogitabundus, & quamvis horror pectoris deſediſſet aliquantum, nō potui tamen, quin tremente corde fatum meum præſtolarer, & imminentis mortis periculum, prout conſuevit, anhelante ſpiritu conciperem.

Quid proinde? anceps eram inter ſpem & metum, cum vidi ferociſſimam beſtiam contra me gradientem, ſed paſſu tam fracto, ut nil ſiniſtri extimeſcendum crederem. Illa verò ſupplicanti ſimilis, dextrum mihi pedem, eumque vulneratum exhibet: quem adverti longiſſima, & acutiſſima ſpina transfixum; reſtauratis ergò viribus, mederi malo cœpi, & protracto aculeo, id quod ex vulneris apertura putridum erat, & ſanie repletum emunxi, & exterſi, donec integre reſtitutum vidi: imò & ſciſſo linteamine, vel induſio quod mecum portaram ei pedem circumligavi. Mirabile & ſtupendum erat, videre animal, cùm ei peccans humor tergeretur, & exprimeretur, & lotio proprio lavaretur, reſtringere ungues, torquere caput, frendere dentibus, & intra ſemetipſum lamentari ex dolore, ita ut facilè pateret, pati quidem ut animal, diſſimulare more hominum. Fremebat Leo ſequenti nocte; ſic ille lamentis, ego compaſſione noctem tranſegimus.

Cum aurora illuxiſſet, nec præ manibus eſſet, quo vulneratum inungerem, feci id ſputo, quamvis ob inediam præcedentem, minus id poſſem. In tantum verò hoc ei adjumento fuit, ut claudicando protinus è nemore ſe tranſtulerit, & ad prædandum dederit, quamvis pede ſaucio adhuc, & linteamine obducto. Ad veſperam carnes obtulit, quamvis ignotas, & ſimillimus homini ſenſato, eaſdem in fruſta diſcerpſit, & partitus eſt, quaſi dimidiatum cuique noſtrum alimentum ſuum præbens. Cum verò igne deſtitutus eſſem ad carnes per coctionem parandas, ſoli eas aprico exurendas expoſui, unde qualem potui aſſaturam confeci. In quartum uſque diem cum hoc hoſpite egi, medicans ego, ille medicanti victum præbens: ſed cùm diſſimilis hæc ſocietas non immeritò mihi demum periculoſa videretur, tandem contubernium illud diſceſſu meo abſcidi, patienti meo, quamvis fero & ſylveſtri, grato nihilominus, extremum vale impertiendo.

Dici vix poteſt, quàm lamentabili rugitu abſentiam meam bellua proſecuta ſit. Cum enim haud multis miliaribus abeſſem, jam ſolitarius factus, de longinquo vocem rugientis excepi: Juro tibi (o Cæſar!) vix à lacrymis temperavi, uſqueadeo me commiſeratio dolentis animalis perculit.

Interim tot laboribus exhauſtus, quos per montana tam inculta, tam aſpera ſuſtuleram, vix reluctantem animam in fracto corpore retinebam: itaque quod ſupererat unum, è circumjacentibus pagis mendicando alimentum meum, protrahere qualemcunq; vitam decreveram: Sed ecce dum proximum ingredior, in manus hoſtium me quærentium delabor. Teſtor deos, o Invictiſſime Cæſar, maluiſſe me ad pedes leonis mei interire, quàm infortunio tam inſperato incidere.

Continuò in præſentiam Patroni mei priſtini trahor, conſulentis jam quo genere mortis me reum tolleret è vivis: an plectendum me capite, an reſti & ſuſpendio me traderet, an verò excoriandum. Quamobrem neſcio quo fato meo, quod hactenus non niſi omninò ſiniſtrum experior, utpote jam ſententiæ mortis ſubjectus, in hunc Circum projectus ſim, quo condemnari ſolent, qui criminibus ſuis reatum mortis incurrerunt. Veni, & inveni Leonem meum, antiquo hoſpitio mihi notum, qui beneficii veteris non immemor, blandiri benefactori ſuo voluit.

Immortalium ergò Deorum favore factum eſt, ut inter brachia mortis, quaſi incunabula vitæ repererim; Liceat mihi per te, auguſtiſſime Cæſar, cujus pedibus humillime provolvor gaudere vitâ te donante, quam mihi ferum & intractabile alioquin animal indulſit. Novi pietatem & æquitatem tuam, novi placabilitatem; vinci non voles utique à natura ferina, quæ ut plurimum humanitatem omnem ignorat.

Audiit cum ſtupore Imperator caſum ſimul omni admiratione dignum, plenumque pavore, ſicut & compaſſione, & preces ſupplicantis benigne accipiens à reatu mortis abſoluit, conditione hac ſola addita, ut quandoque per urbem unà cùm Leone ſuo liberatore ſe ſpectandum daret: qui ductorem ſuum, cum immitiſſimus antehac eſſet, non ſecus ac manſuetiſſimus agnus ſequebatur: uſque adeo cicur ut ſine damno imponi ſibi pueros dorſo ſuo pateretur. Hæc de ſpectaculis dicta ſufficiant.

DE DISCIPLINA MILITARI.

SI rurſum hic mihi decidenda quæſtio, aut ſolvendum Problema eſſet, an majora bella ſint belluarum inter ſeſe dimicantium, aut belluarum cum hominibus, aut hominis cum homine, non vererer pendentem litem ex facili dirimere, cum videam homines inter ſe avidiſſimè, & cum inſolenti barbarie invicem ferocire, more canum frendere dentibus, non ſecus ac ferales lupos diſcerpere, non ſecus ac venenatos colubros virus ſuum evomere. Imo non aberrare mihi videor, ſi ſuſtinuero, rabiem hominum pejorem eſſe quàm beſtiarum, cum illa ſpacium quandoque plurium annorum perſeveret, ira ferarum vix nata rurſum deferueat: ira hominum crudele ferrum contrectat, ira animalium non niſi arma ſecum nata uſurpat.

Bellum à belluis nomen habet, inquit Ludovicus Vives. Et S. Auguſtinus: *Bellum etiam juſtum deteſtandum eſt.* (Lib. 1, De Civ. Dei.) Sed cum his non obſtantibus, bella inter mortales quotidie gerantur, & ſemper geſta ſint, non potui, quin præſenti capitulo de his pauca delibarem.

Itaque cum inter Principes vel juſta, vel injuſta bella ſuccenduntur, humana virtus potiſſima eſt, qua nituntur; de hominum enim numero robur ſuum menſurant. Si in Continenti præliandum eſt, equitatus neceſſarius eſt, quo in apertum excurrant, itinera explorent, hoſtem infeſtent, leviora prælia miſceant, ex improviſo aſſiliant, frumentatum exeant, diſtinguantur in alas, dimidiatam lunam, in cornua, in cuneos, in angulos, & horum ſimilia, quæ artis hujus peritos per quotidianam experientiam non latent. Si in mari dimicandum eſt, eliguntur Duces, qui claſſium peritiam habent.

Inter milites ordinarios hi ſunt. Equites, pedites, Anteſignani, excurſores, levis armatura, levis equitatus, tubicines, lancearii, Carabinii, velites, gladiatores, ferentarii, qui eminus feriunt, tyrones, rotarii, gregarii, auxiliarii. Qui verò in his ordinem doceri volet, diviſiones item haſtatorum, tribunorum, Centurionum, item diſpoſitionem

tionem catervarum, tam equitum, quàm peditum, manipulorum numerum, turmarum ſitum: officia Primipilorum, Capitaneorum, ſigniferorum, Locotenentium, & Corporalium, Juſtum Lipſium conſulat, qui univerſa hæc in libro Romanæ militiæ diligenter inveſtigat, & exponit.

Ottomanni Civitates ſuas non tam muro & vallis tuentur, quàm duplici, triplici, nonnunquam quadruplici corona militum, qua cinguntur: ajunt enim muris deeſſe manus, & pectus animatum quibus ſe defendant.

Sic Princeps Regionis Cumanæ, non ſcuta, ſed quatuor ſibi homines eligebat, ſe præcedentes, cum ad prælium egrederetur, ne forte ei vulnus inffligi poſſet: cumque inter hos quidam cediſſet, continuò vacantem locum implebat alius.

Conſtituebantur olim manipuli tum cohortes, poſtremò legiones. In his centuriæ erant, quæ ad numerum quinquageſimum pertingebant, manipuli ad trigeſimum, cohors ad decimum. Hæc antiqua diviſio ab ipſo Romulo inſtituta fuit, de quo eleganter Ovidius: (Lib. 3. faſt.)

Inde Patres centum denos ſecrevit in Orbes
Romulus, haſtatos inſtituitque decem.
Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat
Corpora, legitimo quique merebat equo.

Magnus Vegetius in hac diſtributione verſatiſſimus eſt. (Lib. 1, de re Milit.)

Inter inſtrumenta militiæ hæc recenſentur. Primum caſſis eſt (in qua conus & criſta eſt) deinde thorax, & dorſale, & lorica, & balteus, & ſcutum, quod diverſimodum eſt, ut parma, & Delta, & pelta, & alia: Item periſcelides, & femoralia: Inter arma ſunt: gladius, pugio, ſica, clava, Scorpius, funda, Catapulta, glans plumbea, lancea, falx, bipennis, haſta, baliſtæ, arcus, ſagittæ, & hujuſcemodi alia, quorum deſcriptio apud peritos artis inquirenda. Temporibus noſtris tormenta bellica ſunt, Carabini, piſtolæ, ſclopeta, majora & minora, acinaces, mortaria, bombæ, carcaſſæ, & ſimilia belli fulmina, quibus chartæ modernæ repletæ ſunt. Circa turmas ordinandas varia inſtituta, & præcepta, & leges ſunt, quas præcipue Brancaccius homo nobilis recenſet, & Maricolus Tribunus militum, qui eximium de his opus prælo dedit: quomodo videlicet caſtella, & fortalitia defendenda ſint; Dilatandi, & reſtringendi exercitus, pro forma, & ſitu locorum, prout occaſio, & rerum circumſtantiæ requirunt, quo labore ſuo vir expertiſſimus literato orbi cognoſcendum dedit, quem fructum de erudito calamo ſuo ſperare oporteat. Hic igitur verum ſit, quod literæ armis, hæc rurſum literis patrocinentur.

Immenſi operis eſſet, ſiquidem hic ritus varios diſciplinarum, in caſtris obſervari ſolitos, ad longum deducturus eſſem: diverſæ enim conſuetudines, de nationum diverſitate emanarunt: quarum epilogum doctiſſimus Beierlinch numero tercentum tredecim comprehendit, in opere quod *univerſale Mundi Theatrum* nuncupavit. Hic de ſacramento militum fit mentio, de ratione legendi milites, de Peritis in arte militari, de ſpontaneis, & coactis: de audacibus & timidis, de magnanimis, quomodo in album inſcribantur, & recipiantur, id quod fieri ſolet vel ſupplicando, vel electione, vel approbatione, vel mercede; Item de militum honoribus, licentiis, incertitudine, reſignatione, dimiſſione, ſtipendiis, conjurationibus: de eorum quantitate, de exercitiis, de induratione corporum ad ſuſtinendos labores, de augmentanda intrepiditate, de vulneribus, & plagis, de audendo in rebus arduis, de toleranda fame, ſiti, frigore, & æſtu, de indagine, de ſolertia ad emetienda maria, & lacus, de fluminibus & foſſis exuperandis, de regionibus ſqualidis, deſertis, & montuoſis, de tranſeundis nivibus, non obſtante glaciali frigore, de regionibus quæ à feris infeſtantur, de defenſione exercituum contra inſultus inimicorum, aut verò quâ ratione eludendi fuga ficta & ſalutari, de iiſdem acriter inſequendis: de diſſimulatione, & ceſſione, de allectandis militibus ſpe victoriæ, de fraudulenta interpoſitione tractandæ pacis, de pactis, & capitulatione: de revocandis per nebulam, focum, fumum, & ſtatuas: quomodo adverſariorum impetus ſuſtinendus: quomodo invadendi; de inſidiis, de adverſario perſequendo: quomodo cum opportunitate turmæ ordinandæ, quomodo opportunè deducendæ, & reducendæ; de circumvallatione, & incluſione, de arcta obſidione hoſtis: quid in ſpoliorum tempeſtiva prædatione obſervandum; quomodo cum eo ſimulandum: quomodo itinerum errores detegendi.

Magnum item momentum adfert, conſultare in tempore, & opere ipſo præcavere, ne fraudibus inimici damnum inferatur, idque de longinquo per data ſigna bellica & militaria, per arma, per veſtimenta: per ſpem pacis, dum interim bellum maximè fovetur: nunquam committere, ut accuratiſſimam ſui cuſtodiam miles negligat, ut ad omnem eventum vigil ſit, ut omnes inimici aſtus præveniat: ut ſemper in opere ſit: ut militi exceſſus deliciarum abſcindatur, quibus emolleſcit, ut nimia audacia in oppugnando aliquantum retundatur, intempeſtivus præliandi furor temperetur: econtra ubi nimium reſederit, excitetur promiſſis, & ad labores ſufferendos pertinax reddatur, ad cujus levamentum muſicalia inſtrumenta adinventa ſunt: præcipua in his præſentia Ducis eſt: propter quod & cohortatio ſæpè in uſum venit: calcar item vehementiſſimum eſt, impellere amore, & affectu filiorum, conjugum, amicorum, religionis pro quibus dimicetur; ejuſdem vigoris eſt æmulatio, quam potiſſimum inflammabit præclarum Ducis exemplum, qui commilitonem ſe præbeat: Proponatur turpitudo, ſi contra imperantem mulierem exercitus ducendus eſt: ſæpè etiam inimicus vilipendendus, ſæpè ira zelus accendendus.

Cunctis autem præponderabit cæleſtium promiſſio, ſi cauſa animæ agitur: porrò & gloriæ immortalis conſecutio. Fiduciam non minus auget, ſi promotio ad ſublimiores gradus ſperatur, ſi victoriæ decus ob oculos collocatur: ſi divitiarum acquiſitio, pro retributione ſpondetur: ſi ſtipendia ampliora, ſi commeatus, ſi dona, ſi præda deſtinantur, ſi denique divinum adjumentum pro cauſæ æquitate adfuturum prædicetur.

Immiſcet ſe his quoque quod humanæ malitiæ eſt, ut ſunt dum conjurati proditiones moliuntur, dum fugam meditantur: ad quod anſam præbent & locus, & tempus, & deſperatio, quam mors ſubſequitur. A quibus omnibus abhorrent, quicunque conſilio & prudentia ducuntur. Animum econtra adaugent mentis jucunditas, honoris pruritus, dignitatum & victoriæ certæ ficta vel vera repromiſſio.

Iis qui caſtra ſequuntur, pediſſequæ ſunt afflictio-

fliƈtiones, & omne genus malorum: contra hæc ſuccurrendum eſt opportunis remediis, ſi infirmitates ingraveſcunt, annonæ abundantia, continua corporum exercitia. Porrò & vigiliæ multæ extenuant, & labor non interruptus, inedia, & ſitis, unde morbi, & mortes: accedit his teterrimum malum, ſi cadavera mortuorum non inhumata aërem infeƈtant, unde peſtifera contagio, tertium lethale telum divinæ iuſtitiæ, & vindiƈtæ. Nec enim illa deeſt, ubi injuſta bella ſuccenduntur, ubi rabies inſana hominum Benefaƈtorem Deum irritat, qui Deus pacis eſt.

Siquidem pavor militum animis irrepſerit, prudentia Ducis levare, & demulcere peƈtora trepidantium advocata concione poterit: Succedant his pollicitationes, imò & oracula, & prodigia de cœlo data: adjuvabit & loci ſituationem prædicare, & privilegium temporis. Plurimum dehinc intereſt ſi Archiſtrategus ſe affabilem cuique reddat, ſi fiduciam in eo ſingularem miles collocet, ſi vultus ſui amœnitate, ſi diƈtionis ſuavitate, ſi remunerationis ſpe dimicaturos accendat, & ſoletur.

Errores gregariorum ſi tolerari poſſint, prudenti diſſimulatione conniveat; ſit in eo firma ſoliditas, indulgentia ubi oportet, commiſeratio, ſpes veniæ ſi delinquentes pœniteant: auxilietur indigentibus: caſtiget nihilominus ſevere ubi res poſtulat, ſed intermixta ſit ſeveritas Epicheiâ moderatâ: quandoque & mulƈtæ pecuniariæ adhibeantur: juramenta renoventur.

In adminiſtratione Urbium Magiſtratibus clanculum exploratores ad latus ſint: ſi malevoli deprehendantur, ne in officiis ſuis turbare aut novis rebus ſtudere poſſint diſciplina ſæpe varianda, habitationes, & ſtationes mutandæ, arma ſæpius è manibus tollenda. Præſidia regionibus & urbibus mandentur; omnes aditus intercludantur. Quos ſuſpeƈtos repererint, aliò migrare faciant, colloquia interpolentur, ſigna demantur.

Prudentis Ducis eſt præſagire ſeditiones, iis occurrere, & in tempore debito ſopire: inimicum ſe exhibere proditoribus, ſuſpeƈtis, inutilibus, contumacibus, & iis quicunque damnum inferunt: Amicum autem vicinis, ſubditis, morigeris, placabilem errantibus: facilem eſſe in indulgendis conſuetudinibus loci, ſi fieri poteſt. Punire interim transfugas, transgreſſores, frænare inquietos, & diſciplinatam militiam ſub jugo obedientiæ aſſuefacere, vitia eorum proſpicere, & radicitus evellere: effuſionem ſanguinis præcavere, ſicut & rapinas, & latrocinia, & extorſiones, de quibus apud Tullium inquit Ennius: *Sunt cauponantes bellum.*

Lib. 1. offic.

Porrò qui Turcarum diſciplinam militarem noſſe deſiderat, quæ perpetuo in motu eſt, Bartholomæum Georgevizium adeat, & Melchiorem Sidlizzium, & alios. De commodis bellorum inter alios traƈtant S. Gregorius Turonenſis, Procopius, Ribadera, Livius, Tudenſis, Rodericus Sanƈtius, Baronius, & tot inſuper alii.

Milites qua ratione ſpe præmiorum animentur ad pugnam, de hoc copioſa exempla ſunt in Livio, Plinio, Suetonio, Alexandro, Plutarcho, Cælio, Gellio, & pluribus tam antiquis, quàm modernis ſcriptoribus. De eorum infamiis, & caſtigationibus plura commemorant Polybius, Florus, Saluſtius, Tacitus, Lipſius, Valerius, Frontinus, Diodorus, & alii.

Hæc pauca ego de conſuetudinibus bellantium, & de caſtris produƈta volui, quamvis parum in his exercitatum me fatear, nec unquam interfuiſſe, cum bini inter ſe exercitus congrederentur: Hæc tamen, quæ diximus, plurimum valere reor in arte militari, & gubernandis exercitibus.

Id ſolum hic dicendum, quamque propoſitionum harum, quas retulimus, particulare ſibi capitulum expoſcere: plurima enim exempla virorum verſatiſſimorum extant, qui ſemitam nobis ad hoc aperient. Si ſuperi faverint, de his volumen integrum in lucem dare mihi conſtitutum eſt, quod titulum *Militis armati* præ ſe feret: ubi illud præcipuè traƈtabitur, & ob oculos ponetur, qua ratione antiqui arma geſſerint, qua gerant moderni. Hic interim ego ne largius in hoc quæſtionis genere diffundar, cum brevitatis mihi ſtudium intermittendum non ſit, curioſam tranſitionem facturus ſum ad uſum hominum in rebus variis.

VARIA.

MAteria non minus vaſta, nec minus ſpacioſus evagandi Campus hic occureret, ſiquidem ad populorum ritus & conſuetudines (de quibus paulò ante traƈtatum eſt) reverti ſtatutum eſſet: ſed in tanta multitudine non niſi ea ſeleƈturus ſum, quæ mihi à doƈtiſſimo viro Aldrovando ſuggerentur.

Philoſophus Arteſius author eſt (prout Scholiaſtes Paracelſi memorat) ſimulacra, & figuras terreas olim, quæ ideam hominis præferebant, ſanguine humano in facie, & parte exteriore tinƈtas fuiſſe: deinceps in eandem faciem ſemina herbarum, florum, & præcipue papaverum inſperſa fuiſſe, ex quibus affabre ſimilitudinem humanam expreſſerint. Hæc interim non magni momenti ſunt, iis præſertim qui majoribus occupantur: ſed cum de ſanguine (juxta omnium Medicorum ſententiam) pinguedo generetur, de hoc aliquid dicendum erit.

Verſatiſſimus Weccherius commemorat (meo nihilominus arbitratu hallucinando) ſiquidem candela de ſevo humano facta & propè locum, ubi theſauri abditi ſint, repoſita fuerit, eam ſtridore, demum etiam ſi locum ipſum attigerit extinƈtione demonſtraturam quid lateat. Sed experimentum hoc irritum omninò & exploſione dignum judico. Quæ enim proportio, ſymboleitas, vel aƈtivitas, vel ſympathia, & quod his majus eſt, quis invicem motus analogicus inter utrumque; theſauris cum ſevo humano? Niſi forte quid ſupernaturale, & magicis artibus attribuendum, acceſſerit; quod tamen omni paƈto, utpote diabolicum fideli animæ fugiendum eſſet.

Lib. 10. de Secretis.

Quidam ajunt hoc ſympathiæ cuidam ſecretæ adſcribendum: pinguedinem enim hanc derivare à ſanguine, & hanc præcipuum inſtrumentum eſſe operationum animæ, quæ interim vivente homine magnis deſideriis erga aurum & argentum ardeat. Negandum non eſt (fateor) inordinatum hoc habendi deſiderium uſque adeo humanum genus invaſiſſe, ut nonnulli hoc œſtro perciti ad omne ſeclus, & enormitatem parati ſint. Unde in propoſito pinguedinis humanæ, non ſolùm Aldrovandus, ſed & eruditiſſimus vir Martinus de Rio, & alii recenſent, ſagas, & omne id genus perfidorum, quicunque ſe ſathanæ voverunt, noƈturnis temporibus, impiiſſimo ſcelere Infantibus ſuccum, & pinguedinem, quæ tam parca illis eſt, exugere, & emungere: poſthæc ſubtus petras foci collocare, & in tenebris corpus ſuum inungere: continuò dæmonium in forma hirci apparere, & ad infames congreſſus Beneventi abripere. Sed hæc effeƈtum non ſortiuntur, niſi abominabiles ritus, & paƈta, & Juramenta, & blaſphemiæ horum hominum vel potius monſtrorum acceſſerint; quæ iis ſolis nota ſunt, quippe ab Anteſignano Dæmonio ſuggeſta.

In Diſquiſ. Magicorum.

Refert inſuper præfatus Aldrovandus, quod quæ diximus, in vaſe æreo coquere ſoleant, adjungendo apium, aconitum, folia populi, caliginem, ſanguinem veſpertilionum, ſolanum ſomniferum, mandragoram, lolium, fabam craſſam, hyoſcyamum, papaver, & opium, & horum ſimilia, quæ ad gravem ſomnum inducunt.

Vucherius rurſum refert, hoc unguento delibutos videre miranda, quod credi non difficulter poterit: quis enim neſcit dæmonem, omnium mendaciorum Patrem, aſſeclis ſuis omne genus illuſionum & phantaſmatum imprimere? interim verum eſt pinguedinem humanam optimum lenitivum dolorum, optimum anodinum eſſe pro duritie nervorum, & gummis, quæ in corpore humano oriri ſolent. Recordor enim & ego noviſſe me hominem, ætate jam ſenili, quod cum præmemoratis doloribus torqueretur, & remedium illud, de quo loquimur, non ignoraret; contulit ſe ſubtus arbores, ubi cadavera reorum ſuſpenſa erant, atque illic defluens de corrupto corpore unguentum membris ſuis excepit & inde delinivit, ac ſic à morbo ſuo, & doloribus pauco tempore convaluit.

Lib. 15. de ſecretis.

Alterius qualitatis, partim quidem haud multum diſſimilis à ſuperioribus, partim aliter compoſitæ, inquiunt eſſe dentes: ſententia enim Sexti Philoſophi eſt, dentem infantis, qui menſem ætatis ſuæ ſextum nondum expleverit, incluſum circulo argenteo, aut alterius metalli, & affixum brachio dextro, maturare partum parturientium: eadem ſuperſtitione creditur, ſi ante conceptionem appenſus fuerit, eandem impedire. Id quod ſtultè admittitur: quæ enim inter has res proportio, ut una alteram producat? Niſi, prout diximus, colluſio ſpirituũ infernalium intercedat.

Refert ſuper hæc Albertus Magnus, ſi dentes infantium, qui in prima eorum ætate lapſi fuerint, colligantur, & argento inſerti, collo mulierum appendantur, ſterilitatem inducere. Sed concludit in his Aldrovandus: *Hæc omnia inter fabulas aniles recenſenda eſſe æſtimamus.* A ſententia tanti Authoris ſecedere velle, inſanire eſt, hinc & ego ſine ambiguitate eidem ſubſcripſerim.

Siquidem verò animum in materia oſſium humanorum dirigere alio voluerimus, recenſet Petrus Martyr, apud Cannibalos in quovis penè angulo domus plura oſſa hominum inveniri, præcipuè brachiorum, & femorum, eò quod hæc natio exinde ſibi ſagittarum acumina formare conſueverit. Braſilienſes de oſſibus hoſtium ſuorum tibias ſibi præparant, quibus in itinere longiori fiſtulando ſe ſolantur: iiſdemque ad prælium proceſſuros animare ſolent.

Acumina ſagittarum facta ex oſſibus hominum.

Fiſtulæ ex oſſibus humanis fabrefactæ.

Urinâ tam medici, quam Empyrici, & chymici utuntur, ſalem inde efficaciſſimum extrahendo, qui facilè quodvis corpus penetret, præcipuè humanum. Crollius vir apprimè doƈtus, prudenter illum auro ſuo potabili ſociat, ut tanto promptius penetret, & per humanum corpus divagetur.

Beneficium urinæ.

Prædiƈtus Aldrovandus author eſt, ſi lamina argentea ſuper urinam poſita fuerit, eam ſibi quandam rubiginem adſciſcere, quæ colorem cæruleum, quam nitidiſſimum exhibeat, & qui vivacitate ſua, & pulchritudine nec *ultramarino* purgatiſſimo cedat, quod de lapide Lazuli extrahitur: piƈtores hoc commodè uti poſſe. Chymici de hoc ipſo ſolutivum metallorum vigoroſiſſimum perficiunt. Weccherius memorat, ad vivificandas vites, cum penè emortuæ fuerint, conſultiſſimum eſſe ad radices earum urinæ aliquid affundere.

Ibid. 9. ſecret.

De ſaliva humana id dicendum, de ea unguentum formari (refert idipſum Aldrovandus, ſicut Weccherius ait) quod incrementa capillorum inhibeat. Hac item facile Mercurius, & argentum vivum ſolvitur, quod deinceps ſi in unguentum redaƈtum fuerit, medetur morbo pediculari.

Unguentum ſalivæ humanæ

Lib. 3. Antid. ſpec.

Alii rurſum ſalivæ virtutem ſequentem attribuunt. Si quis, inquiunt, percuſſura quadam, vel iƈtu in manu ſua læſus fuerit, & ſputo plantam manus inunxerit, futurum ut dolor mitigetur, & quaſſatura, vel læſio ſanetur.

De his diƈtum ſit ſatis. Si quid præterea memoratu dignum occurrerit, in additionibus non omittetur: Hoc loco interim nonnulla de iis hominibus aſſeremus, quibus, conſuetudine omninò barbara, pro victu eſt

CARO HUMANA.

ABhorret quidem hic calamus ſcribentis, dum ad illud memorandum accingor, quo aliud inveniri nequit inhumanius: nec enim comprehendi facile poteſt, qua ratione proverbium illud tantopere jam tritum uſu & experientia verificetur (quod nihilominus ad animi potius ruſticitatem, & intraƈtabilitatem, quàm ad corporis ferocitatem pertinere videtur) videlicet quod *Homo homini lupus eſt.* Arbitrabar ferarum ſylveſtrium, & canum opus eſſe, ſe invicem dilacerare, & devorare, non hominum, qui ratione & ſenſu intelligentiæ, & anima dotati ſunt. Sed ut video & ipſi ratione omni deſtituti ſunt, impotes animi, ſine ſenſu, qui in hanc impietatem, & barbaram ferocitatem olim (faxint ſuperi ne hodiedum adhuc) exorbitarunt, & exorbitant, quorum exempla non rara ſunt.

Primam nobis teſtificationem ſuggeret Caſparus Balbus, qui Regni Dacorum meminit (quos vulgò Batachos appellant) cujus incolæ publica conſuetudine, etiam proximos cognatorum ſuorum, cum ad decrepitam ætatem pervenerint, maƈtatos inter ſolemnes epulas ſuas devorant, ad quas amicos ſuos ſibi maximè junƈtos fœderibus, tum & vicinos invitant. Imò & regionum illarum Rex reos omnes horum voracitati permittit, ut ſupplicio affeƈtos in eſcam ſibi parent, ſicut olim Romani damnatorum corpora devoranda belluis objiciebant. Devoratores hi quos ſupra diximus, ad ſententiatos approximant, & præſentibus judicibus, & magiſtratu, totaque Principis Curia, abſciſſis reorum manibus, & pedibus, quod reliquum eſt, conditum ſale & pipere (quod illic in abundantia eſt) ſine mora crudum conſumunt.

In itinere Indiæ Orient.

Idem author recenſet, in alia quadam Inſula, cui nomen Carnalcubar, habitatores crudeliſſimos morari: victitare eos carne humana. Indigenas quidem loci nullam inter ſeſe tyrannidem exercere, nec invicem ſævire alterum in alterum, ſed exterorum vitæ & prædæ inſidiari, qui verò felícius dè hac hominum venatione redierit, magnum honoris pondus conſequi, & in omnium æſtimatione eſſe. Si hic cibus eis defecerit, piſcibus veſci, quos avidiſſime appetant.

In confirmationem hujus Petrus Martyr recenſet, Cannibalos quoque carnem humanam edere, ſed præcipuè Juvenculorum, & infantium. Unde ubicunque hujuſcemodi quempiam cœperint, ſpadonem faciunt: dehinc ſaginant, ſaginatum mactant, & exquiſitas inde epulas inſtituunt.

Idem cum infantibus facientes, quod nos cum gallis Indicis, porcellis, & ejuſmodi animalibus comeſtibilibus, quæ caſtrata impinguamus, & dehinc manducanda occidimus.

Nec tamen adulti apud eos idem periculum effugiunt: cum enim in barbaricas manus eorum inciderint, continuò jugulant, & inteſtina degluṫiunt, vix de ventre egreſſa, una cum excrementis. Fæminarum quoque corporibus non parcerent, niſi ritus ignominiæ eſſet, & pudori ſibi ducerent hunc ſexum voraci dente contingere. Siquidem harum aliquam cœperint, non ſecus ac jumentum aliquod, aut gallinas, aut oves, & alia id genus animalia ſexus fæminei ad prolificandum enutriunt: ut prolem inde natam conſumant.

Lib. 10. de Simpl. med. Idem Petrus Martyr adhuc refert, à Cannibalis carnem humanam in culinis, cum carne pſittacorum, & anſerum coqui, noſtro more, qui menſas noſtras cibis variis inſtruimus. Hanc carnem ſuaviſſimam guſtui eſſe inter alios gravis author eſt Galenus, cujus verba hæc ſunt: *Carnes ſuum humanis ſunt ſimiles. Comperti ſunt hoſpites, & coqui complures, qui humanas carnes pro ſuillis venderent: tametſi qui eas ediſſent, nullum omninò diſcrimen perciperent. Quin & ipſe narrantes audivi viros fide dignos, ſeſe in diverſorio publico jus eſitaſſe delicatum cum carnibus ſuaviſſimis. Cæterum cum jam penè ſaturi eſſent, inveniſſe digitum pedis anteriorem, quo perculſi, metuentes eos, qui agebant in diverſorio, ne ſe quoque vorarent, ut ei rei aſſueti, protinus illinc exiiſſe, & vomitu redditis, quæ ederant, iter denuò ingreſſos.*

Sed hæc cibi ſuavitas, & hæc guſtatio ſacrilega eſt, plena horrore, & anathematizanda, imò & deteſtata à feris generoſioribus: De leone enim legitur, ſiquidem cadaver humanum invenerit, id eum præterire inoffenſum. Vix enim humana mens comprehendit, qui fieri poſſit, ut id, quod naturæ tam contrarium eſt, reluctante eadem, in cibum tranſeat.

Solinus nihilominus Author eſt, Anthropophagos, populum Scythiæ, tantæ crudelitatis eſſe, ut nil jucundius habeat, & delectabilius, quàm humana carne cibari: hinc inimiciſſima bella, & ferociſſima ſuccendunt: in craniis humanis potant, & ſic de ſubſtantia hominis domui ſuæ diverſimode provident. Sæpe etiam perſonæ mortuæ & devoratæ nomen, ex vana gloria uſurpant, verificantes illud Proverbiorum: *Prov. 2.* *Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Minus malum in Bactrianis videtur eſſe (quamvis & ipſi peſſimi ſint) qui cum filios aut Genitores ſuos inutiles, & impotentes animadvertunt ſenectute, occiſos canibus objiciunt, quos in eum finem nutriunt, & ſepulchrales ſicut ſuprà diximus, appellant.

Strabo meminit Pados, gentem impiam, quotieſcunque inter ſe vel marem vel fæminam ægrotare viderint, ita ut morbum lethalem, vel periculoſum advertant, ægrotum occidere: ajunt enim, vereri ſe ne morbus carnem infectet: itaque mactatum membratim diſcindunt, & devorant. Hinc non raro accidit, ut nonnulli eorum utriusque ſexus, ſi ægritudinem incurrerint, ne tam ignominioſæ morti in prædam dentur, & hoc martyrio ſubjiciantur, eremum petant; dum malunt poſt fatum ſuum dentibus beſtiarum commoli, aut à rapacitate volucrium conſumi, quam à dentibus impiis hominum.

Ejuſdem inhumanitatis Scythæ ſunt, qui Parentes vetulos ſacrificant, pariter & amicos, eorum carnes, quantumvis rancidas, cum carne reliquorum pecorum coquunt, inde menſas ſuas inſtruunt, adjuncto potu liberiori, donec ad fauces uſque repleti ſint: hanc vitam beatiſſimam autumantes. Hæc ille.

Joannes Boterus Author admodum univerſalis, inter alios, qui de variis materiis ſcripſerunt, in fine relationum ſuarum, quas de laboribus glorioſiſſimi Indorum Apoſtoli S. Franciſci Xaverii, ejuſdemque ſociis, in converſione animarum per Inſulam Braſilienſem contexuit, hæc inter alia narrat, quæ ego, prout allata ſunt, fideliter referam. *S. Franciſco Xaverio, quam operoſum fuerit Braſilienſes convertere.*

Operoſiſſimum videlicet viro ſancto fuiſſe, hanc fæcem hominum convertere: præter ignorantiam enim linguæ, acceſſit fera brutalitas gentis, quæ non ceſſabat à potando, & devorando, & crapulando, & occidendo, & in alterutrum ſæviendo, alter alterum dente voraci conſumendo.

Hi enimvero bello captos lautè nutriunt, cum autem feſtiva ſolemnitas inter eos occurrerit, eum qui obeſior apparuerit, multiplici fune alligant, coloribus tingunt, & diverſimodi coloris plumis adornant, ut ſic blandiantur: ſæpius etiam injectos laqueos relaxant, & largius nutrimentum & potum ſubminiſtrant. Poſt triduum fæminæ, & pueruli eum quaquaverſum trahunt funibus, quibus ei corporis medium alligatum eſt. Reliqua hominum turba pomis, omnique fructuum genere jactato, in eum ſævit, ille eadem humi reſumendo in hoſtes ſuos rejaculatur, ut ſe de opprobriis hujuſcemodi vindicet. In hoc improbo conflictu quandoque adhuc eſcam & potum ſacrificandus efflagitat, ut vires redintegret, & ſic pugna novis viribus reduplicetur.

Inclamant illi identidem: Heus carnifex, attende tibi! Exolves debitum inſolentiæ tuæ, pretio oſſium, & carnium tuarum: mulctabimus in te dolorem Amicorum, & Parentum noſtrorum, quos bello amiſimus: propediem te in fruſta partiemur, & aſſatum deglutiemus.

Facite quod vobis libet (inquit ille) nec enim unquam dici poterit, me morte ignavorum occubuiſſe. Si me trucidatis, & ego prior vobis veſtrorum complures trucidavi. Si me dentibus conſumetis, quin & ego meis veſtrorum multos, eoſdemque conſpicuos conſumpſi; & plures cognatorum mihi reſtant, qui idem in vobis facturi ſunt, nec mortem meam inultam patientur.

Poſt hæc ingenti caveæ vel circo immittitur, unà cum cuſtode ſuo tincto diverſis coloribus,

& plumis variis cooperto, qui ingentem cultrum manu geſtat; hic ſaltare non ceſſat, fiſtulare, & cultro ſuo geſticulari, & ferire: captivus nunc antrorſum ſe lancinat, ut ferienti cultrum auferat de manibus, nunc retrorſum cedit, ad plagam evitandam. Interim fæminæ & pueri funibus nunc in dextram, nunc in ſiniſtram partem luctantem trahunt, nec ei ſpacium quietis indulgent. Denique cuſtos, ut ſpectaculo finem faciat, facto vulnere ei vires infringit, deinceps percuſſura caput findit, & cerebrum elidit. Poſthæc aſſaturam ex eo faciunt (non ſecus ac inter nos de ſuilla carne fieri conſuevit) & exinde ſolemne convivium inſtituunt. Paulo infra præfatus author aſſeverat, plurimo labore ſtetiſſe Patribus, antequam in fœda gente humanæ carnis aviditatem reprimerent; quippe quod hunc cibum ſibi chariſſimum habeat. Inter complures caſus hic, qui ſequitur, non intermittendus erit.

Braſilienſes bello captum ad radices collis conduxerant, in quo Patres Eccleſiam ſuam erexerant: hunc poſteaquam omni genere ferculorum repleſſent, & impinguaſſent, eo genere mortis, quod ſupra retulimus, mactarunt ad manducandum. Re intellecta Patres habitationem eorum ſubintrant, ubi corpus extenſum reperiunt, à barbaris in veru jam immiſſum: manum itaque Patres admovent nefandam illam eſcam abſportaturi. Virorum nemo (eo quod Patrum contubernii jam aſſueti eſſent) contradicere auſus, ſed fæminarum maximè vetularum turba, indignè ferens ſibi de faucibus ferculum tam dulce, tam exoptatum tolli, hac illacque diſperſa, viciniam univerſam lamentis, & queſtu adimplet, quibus moti nonnulli, obviam Patribus procurrunt, qui cadavere defuncti jam onerati erant: victi demum verecundia, & aliis cauſis, ab incœpto deſinunt, donec Patres infamem prædam in horto ſuo ſepulturæ dederunt.

Inſequenti nocte barbari (cum tenebræ verecundiam imminuant, & audaciam impiis promoveant) hortum ſubintrant, & more canum venaticorum odorando quaquaverſum, non obſtante Patrum ſolertia, locum explorant, ubi inhumatum corpus erat, & egeſta humo, jam brachium detexerant, cum Patres rumore percepto accurrunt, & inſanum illorum furorem reprimunt.

Tantopere autem hæc actio Braſilienſium efferatos animos irritavit (oleum affundendo iracundiæ mulierculis) ut parum abfuerit, quin coloniam novam Portugallorum inſilirent. Patres ægrè ferentes inſolentiam, ne genti tam inſenſatæ ultra occaſionem tumultuandi præberent, poſthac moderatius, & cum majori cautela ſibi providere compulſi ſunt.

Itaque ad preces, & exhortationes ſuaves converſi, tantum effecêre, ut pars horum infidelium dehinc ab eſu humanæ carnis abſtinuerit: ab altera parte ſibi permiſſum fuerit, carceribus incluſos inviſere, & ad animarum ſalutem exhortari, cum de ſalute corporis deſperatum eſſet. Eos igitur in fide inſtituebant, poſthæc baptiſmo lavabant! ſed nec iſta quidem indulgentia duravit, Lictores enim illi in vulgus ſpargebant, carnem hoc lavacro tinctam, de ſapore ſuo amittere plurimum; ob quod propediem patribus inhibitum fuit, ejuſmodi incarceratos ultra inviſere; Quamvis lapſu dehinc temporis aliter providentia divina de ſalute harum animarum diſpoſuerit.

Eouſque impietas, barbaries, infidelitas, & gula in tranſverſum animos rapit: de his ergo calamum averto, ne profundius in horrorem hunc immergar: convertar autem ad conſiderandum aliquid

DE USU MEDICINÆ.

JAm in priori capitulo verificatum, & experimento comprobatum vidimus proverbium, quod ait: *Homo homini carnifex, & homo homini lupus:* examinando carnificinam, quam olim, & hodie adhuc infamis gulæ vorago, & voracitas exercuit: Hic loci non incongruum erit dixiſſe: *Homo homini ſalus:* per varias etenim partes, & diſtinctiones palam dabitur, quam utilitatem ad conſequendam ſalutem conſequatur homo ex homine: ita ut cum homini ſtatutum ſit ſemel mori, induſtria nihilominus ſagacis naturæ, & ſolertia artis, in condiendis pharmacis vitalitatem viventium prolonget.

Supplebit igitur vices capitulum hoc ejus, quod de ſignaturis plantarum alibi memoratum eſt, quæ plantæ particularibus hominis ſymptomatibus ſuccurrunt. Primum locum obtinebit Aldrovandus, qui ait: *Nullam in humano corpore eſſe partem, nullumque progigni excrementum arbitramur, ex quibus pro ægrotis medicus non modicam frugem demere poſſit.*

Utque à capite exordiamur, Sextus Philoſophus docet, primos capillos, vel capitis lanuginem ab infantibus detonſam Alexipharmacum eſſe pro pellenda podagra; propter quod ſervari eam, & applicitam parti laboranti, revellere alio fluxiones. Idem aſſerit, comam adultorum morſui canum applicatam, intinctam aceto, plurimùm prodeſſe. Cum item redacta fuerit in cineres, immixtos oleo, & vino, conſolidare vulnera: ſic combuſtos in fragmento teſtaceo, correctivum eſſe ſcabiei, & pruritui oculorum mederi. *Remedium pro podagra.*

Volunt Naturaliſtæ, capillos fæminarum exuſtos, odore colubros fugare, potius autem, inquit Aldrovandus, in paſſione hyſterica, hoc eſt ſtrangulatione, & præfocatione uteri conducunt.

In pluribus pathematibus cranium hominis combuſtum utile eſt: pulvis enim ejuſdem, vel cinis humores morbificos conſumit, & exiccat. Quamvis autem oſſa ſic in cineres redacta ſubſtantiam ſuam priorem amittant, nec in iis reliquum permaneat, niſi qualitates elementares, nihilominus complures ſunt, quibus res adverſa naturæ, & abominabilis videtur, qualicunque de cauſa, & in quacunque infirmitate, intermixta juſculis, aut liquori, aut vino oſſa ſic pulverizata ſumere. His non obſtantibus, plurimi medicorum ſunt, qui cum utilitate inſigni, hæc eadem adhibere ſolent.

Wecherius inter alios ſentit, raſuræ cranii circa commiſſuram ſyncipitis dragmam unam, in doloribus cholicis patienti datam, malum omninò tollere. Juxta eundem Authorem pilulæ quædam AntiEpilepticæ de hac eadem, cum confectionibus hyacinthinis Alchermis aliorumque compoſitæ, contra morbum comitialem, vel caducum validæ ſunt: ſicut experientia propria edoctus ſum. Idem Author adhuc eundem pulverem iis rebus immiſcet, quæ caput vehementer calefaciunt, & exiccant. *Lib. 5. ſecret. Quomodo dolores cholici tollendi. Lib. 2. Antid. ſpec.*

Crollius medicamentis, quæ ad tollendam podagram valent, cranium admiſcet. Oleum enim docet de præfato cranio componere, ſicut & de oſſibus

oſſibus aliis, quæ de corpore ſumuntur, quod violenta morte occubuit, idipſum verò balſamum podagricum nominat; Denique oleum cum inſtrumentis chymicis, & ſpagyricis de iiſdem extractum præſentiſſimum remedium eſt, ad præmemoratum morbum curandum.

Lib. 5. Pharmac. cap. 25.

Fit item juxta Quercetanum extractum de cranio humano, quod theſaurus inæſtimabilis pro morbo epileptico nominari poterit: in eundem uſum ſal quoque educitur, ut aqua omittatur, & magiſterium: quæ doctiſſimè in Aldrovandi officinis præparantur.

Unguentum armarium vel ſympathicum.

Antequam ab his digrediar, non reticendum quod de quodam unguento refertur, dicto ſympathico, aut armario, id quod à magno Paracelſo Imperatori Maximiliano dono datum fuit, tantæ efficaciæ, ut ſi ritè compoſitum fuerit, vulneribus medeatur, etiam cum mille milliaribus à nobis vulneratus abfuerit: ſiquidem ſolum telum vel ſagitta, unde Patiens vulneratus erat, inde delibuta fuerint; aut etiam ſi linteamen, quod ſanguine ex tali vulnere emanante tinctum eſt, eo inunctum fuerit. Componitur autem præcipuè de *uſnea*, hoc eſt de cranio, oſſe, & pinguedine humana: cujus pleniſſimum *receptum*, vel formulam, in Crollio inventurus es, quam idem author, cum deſiderato ſucceſſu practicatam eſſe inquit.

Cranio ſuccedunt dentes, inter quos (ſicut ſupra meminimus) magnam prærogativam habent dentes infantium, præſertim contra morbos uterinos, ſiquidem brachio dextro alligati fuerint, qui tamen ab infantis ore ſublati ſint, antequam terram decidendo contigerint. De his prolixus videri poterit tractatus ſubtiliſſimi Cardani, conjunctus volumini, quod de facultatibus medicamentorum eſt.

Pulvis contra dyſenteriam.

Dentibus addantur oſſa reliqua. Haubertus (concordante Galeno) oſſa humana in cineres redigit, & conſervis immiſcet, quæ plurimum valent ad tuendum caput, ejuſque fluctiones podagricas, aliasque inhibendas. Crollii operatio magis recipienda. Hic dictum pulverem de oſſibus humanis compoſitum, & calcinatum cum alio item pulvere in fornace vitriariorum, defectui dyſenteriæ, utpote magno adjumento, tanquam optimum correctivum adhibet.

Chirurgi moderni non ſine ratione & fundamento, vulneribus pectoris & ulceribus ejuſdem pulverem ex coſtis humanis factum applicandum eſſe cenſent: ad femoris ulcera pulverem de femoribus confectum, & ſic de reliquis membris.

Euonimus oleum quoddam de humanis oſſibus arte chymica elicit, quod admirabile eſt in corrigendis, & quietandis doloribus articulorum, vel arthritide. Adjungit his Wecherius, eos qui quartana laborant plurimum adjuvari, ſiquidem in vino generoſo, fervente paroxyſmo pulverem de brachii ſummitate, & de principio alarum anſerinarum ebiberint.

Virtus umbilici.

Non deeſt umbilico quoque virtus ſua, ſiquidem enim de infante noviter nato pars ejus abſciſſa, & in annulo argenteo portata fuerit, repercuſſivum creditur ad omnem cholicam paſſionem mitigandam: ſic eruditè & non ſine judicioſa reflexione ſentit Cardanus.

Pinguedo humana antequam ad uſus neceſſarios adhibeatur, prius præparanda, & componenda eſt, more aliarum pinguedinum, poſthæc in officinis Apothecariorum conſervanda, cum præſtans repercuſſivum ſit, & lenitivum in doloribus nervorum. Hæc pinguedo inter ingredientia cenſetur pretioſiſſimi unguenti, quod à Weccherio inventum eſt, & quod maximè ſalubre eſſe Pleuritide, aut podagra laborantibus, experientia docuit.

Lib. 2. Antid. ſpec.

Innumerabiles propemodum virtutes ſunt ſanguinis humani: cum in eo potiſſimum ſiti ſint ſpiritus animales & vitales: de qua materia plura extant volumina. Ego, quem ſupra memoravi, Ductorem ſequens, paucis quibuſdam reflexionibus immorabor.

Contra Elephantiaſim remedium.

Qui Elephantiaſi laborant, morbo odioſiſſimo, & ut plurimùm lethali, ſanguine humano multum adjuvantur. Hinc olim Reges Ægypti, ſiquidem malum hoc incurriſſent, balneum de ſanguine, præcipuè autem infantium ſibi parabant. Quod remedium cùm Conſtantino Imperatori præſcriptum eſſet, maluit perſuadente S. Sylveſtro, baptiſmatis lavacro intingi, quam tot innocentium homicidiis maculari: ob quod divinitus ei ſanitas confeſtim reſtituta fuit.

Contra anginam & Epilepſiam.

Orpheus & Archelaus præſtantiſſimi Medici unctionem ſanguinis humani, tanquam præſens remedium repercuſſivum deprædicant, ad tollendam anginam. Epileptici item plurimùm humano ſanguine ſublevantur. Aldrovandus aſſeverat, eos omninò reſtituendos, ſiquidem intra ſcapulas ſcarificati non niſi tres guttas ſanguinis violenter expreſſas ejecerint, idque verſus paroxyſmi finem, quæ tamen guttæ cum ovo corvi ad ſorbendum datæ fuerint infirmo.

Alii item ut malo huic tam inviſo medeantur, laboranti pollicem pedis feriunt, & ſanguine, qui de plaga prodierit, faciem ejus reſpergunt.

Weccherius ægrotantis labra hoc cruore tingenda eſſe conſulit, & ſpondere audet, omne malum ſe ab eo propediem profligaturum. Alii ut tyrannum vitæ noſtræ tam exitialem eliminent, hoc morbo infeſtatis ſanguinem humanum epotandum præſcribunt.

Fallopius medicus ordinat ſanguinem præfatum, ſeptenis vicibus prius deſtillandum, donec omnis inde humiditas aquea extracta fuerit, idque arte chymica: hunc porrò ſanguinem ſic præparatum in reſolutione nervorum plurimùm valere. Eunomius de eodem ſanguine, ſicut & de ovis & carne, naturam quintam extrahit, à Chymicis *quintam eſſentiam* alioquin nominatam. Sic quidam, ex Alberti Magni conſilio, aquam inde eliciunt, idque cum inſtrumentis vel organis vitreis, ad hoc ſpeciatim compoſitis, quæ ad omnem Infirmitatem tam internam, quàm externam potentiſſima ſit. Crollius aquam hanc inter medicamenta ophthalmica collocat. Alii rurſum de eadem emplaſtrum efficax ad herniam curandam componunt. Quamvis Galenus humano ſanguini ſuillum ſubſtituat.

In Baſilichym.

His noſtris temporibus in officinis ſuis Pharmacopolæ, & Medicinæ periti ceratum de pelle arietina componunt, cui pars quoque memorati ſanguinis adjungitur. A Chymicis item oleum de ſanguine humano efficitur: ſed inter alios Gorgonius author eſt, hunc extrahendum ab homine rubicundo, qui annum viceſimum & quintum attigerit: eundem vero ſanguinem magno artificio ſublimandum, quem deinceps oleum vivum nominat: aptum, prout inquit, ad quamplurima mala pellenda, imò plurimùm prodeſſe, ad ſanitatem homini in integritate ſua conſervandam.

Adjungit Aldrovandus, quod præter plurimas alias deſtillationes ſanguinis prædicti, & plura magiſteria ſua, conſulendus ſit Braunſvvicenſis in libro germanico, de deſtillationibus.

Weckerius denique author eſt, qua ratione de humano ſanguine ſal præparetur, qui ad quoscunque dolores mitigandos utiliſſimus ſit. A Chymicis modernis *Elixir vitæ* fabricatur, quod cum ſingulari utilitate & beneficio febri inveterata, & debilitate virium laborantibus exhibetur. Valet itidem ad ſiſtendam hæmorrhagiam, ſiquidem nimia fuerit: pars enim ejus ſub carbonibus vivis impoſita ferro torretur, & in pulverem reducitur, & deinceps calamo intra nares ſufflatur.

De eſſe, & eſſentia Mineral.

Quidam Chymicorum, qui experientiæ modicæ ſunt, opinati ſunt, de ſanguine item humano liquorem extrahi, aut *eſſentiam quintam*, aptam ad penetranda metalla, ad tingendum, & per conſequens fixandum æs, vel ſtannum: ſed vehementer hallucinati ſunt. Audiatur hic S. Thomas de Aquino, qui ſic ait: *Vidi argentum vivum penetrare, & tranſire alia metalla; ut ſi intingas æs argento vivo, mixto cum aliquantulo ſanguine humano, aut equino, & argilla, penetrabit ipſum intus, & extra, & efficiet ipſum album. Sed talis color non durat.*

Hic item Author libri, cui titulus eſt: *Lux obnubilata:* ad formandam petram Philoſophicam inquit: *Non v'entrano*

Non molli gomme, od eſcrementi duri,
Non ſangue, ò ſperma humano,
Non uve acerbe, ò quint eſſenze herbali,
Non aque acute, ò corroſivi ſali.

Hæc in longum proſequitur, quæ interim brevitatis cauſa omittimus, quippe quod propoſito meo non conducant.

Poſtquàm de virtutibus partium hæc pauca delibata, & annotata ſunt, jam de qualitate, fortitudine, & conditione totius dicendum erit. Quædam Gentes ſunt, quæ plurimum prodeſſe poſſunt ſola perſonâ ſuâ: ſicut Pſylli, & Marſi, qui ſolo contractu morſuris ſerpentium medentur: amplum de hoc ipſo teſtimonium in Aldrovando eſt, in hiſtoria ejus tam copioſa de ſerpentibus.

Sicut alibi quoque in libris meis me retuliſſe memini, ſeptimum filiorum, legitime ſuccedentem, nulla interpoſita filia, ex familia fratrum meorum uterinorum, qui *Ghiſlieri* dicuntur, qualitatem contraxiſſe, ut ſputo, quod dextræ manus pollice illinierit, ſtrumas, vel ſcrofulas ſanet, dono ab Altiſſimo, & à natura ei tributo. Nomen ei Carolus Antonius, qui tamen eouſque à defectu illo abhorret, ut nulli medicam manum ſuam adhibeat. Idem donum, & eadem qualitas pro meritis Franciæ Regibus conceſſa eſt.

Mumia quid ſit, ejuſque nomina.

Noſtrorum temporum Medici, ad diverſa morborum genera curanda, corpus humanum omnimodo exiccatum adhibent. Credunt autem hoc ipſum Mumiam antiquorum eſſe: ajunt autem nomen Mumiæ Arabicum eſſe, quod à Raſi, & Avicenna interpretatum, picem ſignificat, adhærentem bitumini. Iſaac nihilominus, Arabs & ipſe medicinæ peritus, memoriæ dedit nomen Mumiæ Perſicum eſſe, denotans liquorem quendam, in ſepulchris illis repertum, in quibus longiſſimo annorum ſpatio cadavera condita, & aromatibus balſamata continentur.

A quibusdam hæc Mumia Cerops nominatur, quandoquidem, juxta Renodeum, conſiſtentiam ſuam de cera tenet: quæ non niſi in ſepulchris Regum, & Heroum Ægyptiorum inveniebatur. Hi enimverò cum notitiam nonnullam, aut lumen futuræ reſurrectionis haberent, quamvis imperfectum, ut majori numero annorum corpora à corruptione vindicarent, eadem ipſa condire myrrha, & cinamomo, & aloë, & gummi cedrorum, aliisque aromatibus magni pretii ſolebant. Cum deinceps longo ſæculorum decurſu hæc monumenta ſepulchralia devaſtata & detecta eſſent, illic liquor, per modum mellis denſus, & odorifer profluere viſus eſt: Cui Medici periti ſingulares omninò virtutes attribuebant; cumque non ſine inſigni emolumento, infirmis applicuerunt. Experientia audaciam addidit; itaque & in aliis Magnatorum & Principum tumulis eadem inquiſierunt; his demum evacuatis, communia non minus & plebeia ſepulchra introierunt, ubi liquor multùm prioribus diſſimilis inventus fuit, quem ſi non eodem, ſaltem non vilipendendo effectu ægrotantibus miniſtrarunt.

His colligitur veram, & authenticam Mummiam non eſſe, quæ de maritimis arenis, aut deſertis Arabiæ ſicca extrahitur, & in has regiones ad medicinæ uſum tranſmittitur; itaque Aldrovandus concludit: *Quamobrem ex dictis, veram Mumiam in noſtris officinis minimè ſervari atteſtabimur: & quamvis hodiè nonnulli componant balſamum, ut humana cadavera à corruptione intacta ſervent, nihilominus hoc balſamum à conditura priſcorum maximè diſcrepat.*

Modus condiendi cadavera mortuorum modernus.

Modus condiendi cadavera modernus à Joanne Baptiſta Porta Neapolitano docetur ita: Corpus defuncti ſumendum, eique inprimis calvariam diſſecandam, cerebrum inde eximendum, ſicut & oculos, & ſpinalem medullam, & inteſtina. Quatuor deinde horarum ſpatio pedibus ſuſpenditur: poſt hæc aceto deſtillato, & aqua calida lavatur. Cum ſiccatum fuerit, calce viva aſpergitur, & alumine, & ſale: viduo dein ſuper fumum myrthi, & lauri, & roſmarini, & cypreſſi, aliisque odoriferis plantis fumigatur. Inungitur denique compoſitione facta ex calce viva, alumine petroſo torrido, ſale, aloë, myrrha, oleo nardi, cinere roſmarini viridis, item colore viridi qui de cupro fit, cypreſſo, tartaro, croco, ſemine colocynthidis, pulvere antimonii, moſcho, & ambra: hoc compoſito tridui ſpacio corpus fricatur in aprico. Hæc de balſamatione moderna ſufficiant.

Copioſi in condimentis veterum deſcribendis ſunt Hermodotus, & Diodorus: in tanto item numero rituum, obſervationum, & conſuetudinum (quarum ſuperſtitioſa antiquitas feraciſſima erat) recenſent officium hoc tribus perſonis datum fuiſſe. Primus anatomien obſervabat, quòmodo corpus ſecandum eſſet, circa latera nimirum. Succedebat alter, qui ſaxo quodam dicto Æthiopico confeſtim ſciſſuram operabatur: ſine mora autem ſe in fugam dabat, idque ob metum ne à populo lapidaretur, cui impium videbatur corpora diſcindere, atque idcirco indignatus ad hæc arma manum mittebat. Demum Pollinctores, aut Libitinarii, vel Sandapilarii, in locum apertum extrahentes inteſtina (excepto corde, & renibus) reliquum corpus odorifero vino lavabant; ſic lotum unguento pretioſo,

quod de cedro aliiſque aromatibus magni pretii confectum erat, ungebant: poſtremò myrrha, incenſo,& cinamomo aſpergebant, ut ſic odoriferum redderent.

Siquidem hac ratione cadaver præparatum,& conditum fuiſſet, cognatis redhibebant, ita pilis & palpebris accommodatis, ut non tam mortuum, quam ſoporatum videretur. Hæc prima methodus eſt, qua veteres, teſtante Herodoto condire corpora ſolebant. Altera promptior eſt, minori indigens tempore & ſumptibus: nec enim corpus diſcindebatur, ſed eo integro per cedrum inteſtina educebantur, ac deinceps ſeptuaginta diebus reliquum corpus ſaliebant, ſalem quacunque poſſent inſpergendo. Hic modus erat, quo condiri indigentium corpora ſolebant,quibus facultas deerat,ut tot expenſis, quod neceſſarium erat, coëmerent.

Judæi, juxta quod Strabo refert, reſina aſphaltide, vel bitumine idem præſtabant. Sed condimentum Ægyptiorum, de quo paulò ſupra memoravimus, præferendum.

Noſtra ætate pulvis myrrheus uſurpatur, qui ſymbolitatem quandam cum condimentis præfatis habet. Præparatio pulveris hujus, diverſimoda legitur: unam ſolam hic collocaturus ſum, prout illam invenio. Salis quantitas ſat magna ſumitur: hic cùm ſolutus fuerit,ei alumen,aloë fuſum, abſynthium, cinnamomum, cariophyllum, piper, cuminum, ſelerum montanum, adjungitur: hæc ſimul tunduntur, & in pulverem minutiſſimum rediguntur; cum deinde aceto aſperſa fuerint his venter adimpletur, & ſic corpus cera inunctum, plumbeo ſarcophago includitur.

Modus, quo mumia fieri poſſit, juxta Crollium.

Ut verò ad compoſitionem mumiæ revertamur, quam diximus hodie ſinceram & genuinam non haberi: Crollius nihilominus vir inſignis experientiæ, eam ſequenti modo præparandam docet. Cadaver hominis rufi, viginti quinque annorum ſumendum ait, quod appenſum fuerit: hocipſum pulvere ex myrrha & aloë confectum aſpergi vult: tum deinde diebus aliquot vini ſpiritu macerari; ſiccari poſthæc fruſta ſuſpenſa in aëre: ex his denique tincturam rubicundiſſimam extrahit, quam antidotum validiſſimum ad expellendam peſtem, & expurganda venena, plurimùm deprædicat, & extollit.

Porrò & ipſa hominis excrementa, non tam horrore plena ſunt, ut non & ipſa quadantenus in commodum ejuſdem verti poſſint: ſed cum horum pars quædam groſſior ſit, pars ſubtilior: ipſa etiam ſuperabundantia humorum excrementi nomine nuncupetur, primùm de lacte nonnihil, tum deinde de ſpermate ratiocinabimur.

Lac humanum, ob ſympathiam quæ homini cùm eo eſt, multis modis ad pellendos morbos,& corrigendos utile, & opportunum eſt. Ajunt hoc mirificè cruditatibus ventriculi ſubvenire: eximium eſſe pro pulmonibus: ſalutare præſidium pro oculis, ſiquidem læſura quadam, aut percuſſura offenſi fuerint. Referunt item ſi quis lacte materno,& filiali inunctus fuerit, eum toto vitæ ſuæ decurſu immunem ab omni oculorum valetudine futurum.

Præſcribitur item non inutiliter in pathematibus aurium lac quod diximus,cui nonnihil olei admixtum ſit: ungenda verò auris exterior æquè ac interior.

Siquidem ſucco mixtum fuerit cicutæ, aut verò aliquanto opii, lenimentum eſſe inquiunt podagricis. Si quis per errorem de hyoſcyami ſucco potaſſet, ad inſaniam, prout fieri ſolet, redactus, copioſum ei lac humanum ingerendum.

Spermati humano complures attribuunt, quod impetiginem curet, quod podagricos dolores mitiget, & cicatrices dealbet.

Porrò ſi animum ad cætera hominis excrementa, quæ à medicis inutilia nominantur, hoc eſt ſalivam, fæces,& urinam adverterimus, & in his quoque non modica utilitas deprehendetur. Saliva hominis, præſertim jejuni ad complura ſalutaris eſt. Omne genus puſtularum ſcabiei & impetiginis abſtergit, unde Quintus Serenus ſic habet:

Si verò vitium eſt, quod ducit ab impete nomen,
Hoc matutina poterit cohibere ſaliva.

Hac item corriguntur & mitigantur vulnera à ſcarabeis, veſpis, & araneis, & ſimilibus inflicta. Virtus ſalivæ. Quandoque etiam, prout Avicenna teſtatur, hac Scorpiones extinguuntur: imò & Scolopendræ, & alia inſuper animalia aquatica, vel marina. Contra hujuſcemodi qualitatem quandam venenatam gerit: partim de ſordibus dentium contractam, partim ab humoribus corporis vitioſis.

Non modica pars quoque concoctionis ſalivæ attribuitur. Unde qui ruri degunt præſtans remedium pro ulceribus, & furunculis adhibent, maſticando frumentum ut humecretur, & ſaliva impinguetur, quod deinceps non ſecus ac emplaſtrum malo imponunt: ex quo facilis curatio conſequitur, quam non operatur, ſi frumentum ſimplici aqua maceratum fuerit. Hinc item nutrices, cum infantulo, prout ſolet, ulcus excreverit, panem maſticatum pro emplaſtro imponunt: atque ita promptius ad ſuppurationem inducitur.

Quidam etiam aſſerunt ſalivam fæminæ jejunæ, præcipuè verò, ſi præcedenti veſpera ab edendo, & à vino abſtinuerit, remedium ſalubre eſſe ad ſanandos oculos, in quadam parte cruentatos, aut offenſos. Denique, ſicut alibi meminimus, ſaliva Mercurium vulgi coagulat: unde ex hoc linimentum fit contra morbū pedicularem.

Præterea quid in corpore humano magis inutile & ineptum videtur, quàm excrementa aurium? Excrementa aurium. Nihilominus & hæc utilitate ſua non vacant: his enim medemur iis, qui hemicranio tormentantur, item quos homo momordit, item qui à Scorpione puncti ſunt: imò & à ſerpentibus læſi inde beneficium non contemnendum recipiunt.

Quid plura? Etiam humanus ſudor inter medicamenta locum ſuum invenit. Sudor. Hic enim antiquitus in Palæſtris, mixtus pulveri olympico, aut pulveribus ſtadii, & in balnea vel thermas, cum ferro quodam dicto ſtrigile illatus (prout Plinius refert) vulneribus medebatur ex combuſtione factis. Galenus item ad diſcutiendos tumores, extra ordinem naturæ natos, & ad diſſolvendum lac, quod præter modum in mamillis exuberat, magni adjumenti ſudorem illum eſſe docet. Lib. 11. ſimpl. medic. Quin etiam cum ſordes Athletarum deficiente ſudore exiccatæ & adultæ fuiſſent, easdem oleo roſato emolliebant: Galeni verba hæc ſunt: *Porro ſudor etiam in palæſtris exercentium miſcetur ſordibus, confertq; ut tumores præter naturam per halitum digerat: nam illæ plus repercutiunt, minus autem digerunt: at poſt adjunctum exercentium ſudorem, acquirunt multum facultatis digerentis.* Ergò in

in phlegmonas uberum ſolæ hæ ſordes impoſitæ efficaciori ſunt remedio. Sin ſicciores videbuntur Cyprino addito, & ſi non adſit Cyprinum, roſaceum bonum miſcuiſſe ſufficit.

Urina.

Non hic prætermittendus fructus, & beneficium urinæ. Hæc ſi cum nitro compoſita fuerit, ad qualecunque corporis ulcus, ad furfurationem, vel porriginem, & ad cætera capitis vitia curanda utiliſſima eſt.

Sextus Philoſophus ſentit ericam urinâ maceratam, admirabile abſtergens eſſe ad maculas faciei extinguendas, qualicunque de cauſa productæ ſint. Quidàm volunt, ſiquidem urina humana parturienti, quæ in ejiciendis ſecundinis difficultatem patiatur, in potum detur, ſine mora liberandam. Quidam eam podagricis utilem ajunt: ſicut & repercuſſivam eſſe ſcabiei,& lepræ. Cocta cum particula pomi granati, & auribus infuſa (ſic Philoſophus Sextus docet) abſtergit ſordes, & vermes expellit.

Ab eodem authore commendatur non ſolum contra morſus viperarum, ſed contra quoſcunque aliorum animalium venenatorum.

Quicunque inter ſcriptores urinæ meminerunt, virtutem ejus celebrant, ſed præſertim infantium, & virginum: hanc autem efficacem pro aſthmaticis, & iis, qui reſpirandi difficultatem patiuntur, pro omnibus, inquam, qui Orthopnœa laborant.

Hæc item in vaſe cupreo cocta, corrigere, & emendare dicitur cicatrices: albuginem tollere de oculis. Alii eam tantæ virtutis inquiunt, ut ſi cum melycrato, vel hydromele, aut vero cum jure cicerum ebullierit, Ictero medeatur.

Lib. 10. de ſimpl. facult.

Galenus denique de ea ſic ait: *Cæterum urina hominum, ſi quid aliud, extergendi vim obtinet: quod cum alii multi ſatis indicant, tum maximè fullones, qui ſordida veſtium ita expurgant, atque extergunt. Hanc ejus virtutem cum Medici co ſpexiſſent, ſcabies & lepras ea deterſerunt, ac multò magis ubi putridum quiddam obtinent: quin & acoras, & furfures (capita identidem perfundentes) ulcera tum multa humiditate, tum ſordibus ſcatentia lavant.* Hæc verba omne id comprehendunt, quodcunque ſupra relatum eſt.

De hac item Crollius ſalem perfectum elicit, tam ut auro potabili ingreſſum in humanum corpus, quàm egreſſum promoveat: imò ad expellendum omninò calculum.

Inter alios Excellentiſſimus Doctor Bartholomæus Bonacurſius piæ memoriæ, in copioſiſſimo volumine ſuo, quod ſupra Medicorum Principis Hippocratis aphoriſmos, aliorumque authorum doctrinas compoſuit, & quod Cardinali S. Crucis, quondam Vice-Legato Bononienſi dedicatum eſt, virtutes, & qualitates, & indicationes excrementi hujus deſcripſit: in quo loco cum tanta doctrinarum, & ſcriptorum copia feracitatem & gloriam ingenii ſui, immortali laurea condecorandi, ſat evidenter exponit, & poſteritati promulgat.

Fæces humanæ (quis crederet?) & ipſæ ſaluti hominum ſuccurrunt. Sic non ſemper verum, quod: *Corruptio optimi peſſima.* Quamvis ergò ob fœtorem inſignem, hominique maxime adverſum, omnium horrorem incurrant, non defuerunt nihilominus, qui defæcando, & purificando quod maxime impurum & rude eſt, varios ex iiſdem uſus produxerunt.

Lib. 1. Antid. ſpecial.

Sextus Philoſophus prout fieri de excrementis aliorum animalium conſuevit, præfatas humanas fæces comburit, cineresque ulceribus cancroſis aſpergit. Weckerius anginæ eas imponit, more emplaſtri. Idem eas infirmis adhibet, qui ſæpius febrili horrore opprimuntur. Item eaſdem exiccatas, melle,& vino mixtas, tanquam emplaſtrum aliquod, angina laborantibus applicat. Ab eodem authore adhuc eadem excrementa commendantur, cum melle jam vetuſto compoſita, tanquam præſtantiſſima pro inflammationibus (ita tamen ut de puerulo ſint, qui biduo nil niſi panem optimum unà cum lupinis manducarit, tertio deinceps die eadem dejecerit) ſed ad uſum præfatum Author ea ſiccari jubet. Lib. 4. de ſecretis.

Aldrovandus interim ait, hoc ſecretum nemini revelandum eſſe: Cùm Galenus apertè exponat: *Erat autem ſtercus pueri ſiccum cum melle Attico ad livorem tritum. Victitabat autem puer, cujus ſtercus accepturus erat (ut ipſe qui medicamentum dederat, oſtendit) lupinis illis, qui ex more edi ſolent, cum pane cocto in clibano, modicum ſalem, & fermentum habente. Præbebat autem bibendum vinum, in mediocri tamen quantitate, ut perfectè omnia in ſtomacho concoquerentur. Itaque cum primo die eo victu uſus eſſet, poſtero tamen nondum ſtercus capiebat, ſed in eo quoque die rurſum eodem alebat victu, & tertio demum ſumebat ad uſum.* Lib. 10. de ſimp. medic. facult.

De his Chymici deſtillare aquam edocti ſunt, quam præſtantiſſimam inquiunt ad omne ulcus, & omne gulæ malum maturandum. Alii hac omne genus fiſtulæ reſanari cenſent, ulcera quoque difficillima curatu, utpote maligna: hac cancrum, & omnem ſcabiem curari, dealbari cicatrices, aboleri maculas oculorum. Porrigitur quoque Epilepticis, & iis qui phtyſi laborant: mirabilem prædicant pro hydropicis: antidotum eam volunt eximium, contra morſus à cane rabido factos, & contra omne venenum.

Præter aquam & oleum ex iis deſtillatur, quod Eunomius aſſeverat potentiſſimum remedium contra carcinomam, & fiſtulam.

Denique non defuerunt, qui plurimam virtutem ad levandos morbos verbis vel nominibus attribuerunt, ſequentes illud vetus: *In herbis, verbis* &c. ſiquidem cum devotione,& fide debita pronunciata fuerint. Non nego id locum habere apud eos, qui hac facultate, & virtute recondita dotati fuerint. Imò dixerim in his viſos fuiſſe, & videri adhuc portentoſos effectus, de quibus manifeſta experimenta ubique terrarum non ignorantur: Sed ea de quibus loquimur, fruſtranea omninò, & ſuperſtitioſa, vel nefanda ſunt, ſi præter opem divinam, & fiduciam Chriſtiano homine dignam non impetrentur.

Hæc ſententia mea à Quinto Sereno exponitur, qui, cum quoſdam adverteret ſola verborum quorundam pronunciatione ſe propulſare febres gloriari, ſic concluſit:

Multaque præterea verborum monſtra ſilebo.
Nam febrem vario depelli carmine poſſe
Vana ſuperſtitio credit. - - -

Qui plura his deſiderat, de medicamentis nimirum extractis è corpore humano, ejuſque partibus, evolvere poterit ampliſſima Receptaria Quercietani, Crollii, Milii, & inter Medicos Fallopii, inter antiquiores Cardani, inter modernos Schrœderi, Sylvatici, Sennerti, & Scobſii in arte deſtillatoria, & tot aliorum volumina, quæ quotidie cum tanta utilitate in lucem ampliſſimè prodeunt. Ego his, quæ particulatim ad huma-

humanum corpus pertinent, immoratus, ad alia tranſeo, nempe ad hiſtoriam, quæ eſt

DE MONSTRIS.

NOn ſola Africa in producendis monſtris & ferinis, & humanis tam dici ferax, tam fertilis debet, ut non mundus univerſus in hoc intellectu Africa dici poſſit, ſiquidem omne id quod ordinarium naturæ curſum excedit, aut perfectionem ſuam conſecutum non eſt, monſtruoſum appellandum eſt, utpote quod ſpeciei ſuæ conforme non ſit, aut recta diſpoſitione ſua deſtitutum. In hac conſideratione non verebor fateri, infinita propemodum monſtra eſſe: in plurimis enim rebus natura nimium ſuperabundans virtutem ſuam propriam tranſcurrit, in plurimis è contra nimiam parſimoniam & defectum ſuum prodit: illic exceſſu nutrimenti, hic diminutione. Idque non ſolum in corporibus humanis, ſed inter animalia quoque, in plantis, in fructibus, prout quotidiana documenta ad oculum ſunt.

Doctiſſimus Aldrovandus (de cujus eruditiſſimis voluminibus non diffiteor me quamplurima traduxiſſe, ordinem ejus potiſſimum ſecutus) de his amplum volumen poſteritati dedit: in hunc ſcopum tendens, ut etiam monſtrorum figuras exprimeret, & eorum relationes ab ultimis uſque mundi angulis indagando cumularet. Ego verò qui mihi terminos præſcripſi, ut ne univerſalitatem hominis integri præterirem (prout totus, & non pro partium ſectione conſideratur) nil hic meminiſſe volui, niſi id quod à tanto authore in rem præſentem, hoc eſt, in præmemoratam univerſalitatem ſcriptum, & dictatum eſt.

Ut igitur jam à primordio tractatus hujus nonnihil memorem, quod ſignificationes æquivocas *monſtri* concernit: ſæpius hoc nomen uſurpatur, ad demonſtrandas res grandes, & quæ humanam credulitatem exuperant: ſicut illud eſt, quod vir immortalis memoriæ Virgilius in tertio Æneidos inquit: *Monſtra deûm refero.* Sic enimvero peritiſſimi muſices, qui præter quam conſuetum eſt, artis ſingularitate, & harmonica ſuavitate demulcere aures noverunt (ſicut in cujuſque profeſſionis ſcientia expertiſſimi) *monſtra* appellantur: ſicut omne præterea, quodcunque in orbe terrarum novitate ſua inſolens eſt. Huc ſpectant verba Horatii, dum de ſuperabundanti aquarum exuperantia, in univerſali terræ diluvio loquitur, ſic ratiocinando: *Lib. 1. Carm. Ode 2.*

Terruit gentes grave ne rediret
Sæculum Pyrrhæ, nova monſtra queſta.

Quidam monſtruoſum dixêre, quidquid funeſtum, quidquid deplorabile accidit. Huc referendum, quod M. Tullius, ad Atticum ſcribens, ait: *Venerat duabus horis ante Cherippus, mera monſtra nuncians:* ubi per *mera monſtra*, expoſitores aliud non intelligunt, quam Quinti ægritudinem, qui frater Ciceronis erat. *Lib. 4. Ep. 76.*

Res item incredibiles, & prodigioſæ inſaniæ, monſtra dicuntur: ſicut Quintus Serenus monſtruoſa verba nominat, quæ à quibuſdam proferuntur ad expellendos morbos de corporibus humanis. De quo fidem faciunt verba dicti authoris, jam ſupra in medium allata:

Multaque præterea verborum monſtra ſilebo &c.

Res item intellectu difficiles, & ſub tecto ænygmate abſtruſæ hoc nomine monſtri exprimuntur. Juxta quam ſententiam Seneca in primo libro Thebaidum inquit: *Quis tanta monſtra explicabit?*

Porrò & pulchritudo inſignis, oblata oculis, ſiquidem alias venuſtate ſua, & decore videatur excedere, quippe quæ magia quadam naturali, & inſolita dulcedine aſpicientium animos rapiat, pulchritudo monſtruoſa dicitur: nec ſine ratione, quod curſum ordinarium evincat. Itaque Amator Lauræ in laudem ipſius ajebat:

O delle Donne altero, e raro moſtro.

E contra ubi vultus præter modum turpis apparuerit, qui deformitatem nunquam alibi viſam præſeferat, qui horridus ſit, & naturæ repugnans, non immeritò monſtrum dicitur. Sic de conjuge Xanthi legitur, quod viſa Æſopi forma tam fœda, tam exotica, & canina, continuò exclamarit: *Unde mihi hoc monſtrum attuliſti?*

Præterea ſi quis ultra robur humanum actionibus heroicis ſe inclytum fecerit, ſicut Samſon, Polyphemus, aut Enceladus, monſtrum valoris appellatur. Hunc à viris literatis titulum promeruit Hercules.

Monſtrum quoque prudentiæ, & dexteritatis appellabitur vir in omni genere virtutum & ſcientiarum exercitatus: idem dicendum de qualicunque homine, qui cum admiratione ordinem generis ſui, vel ſtatus, vel profeſſionis tranſcendit. In hunc catalogum adſcribendus S. Thomas Aquinenſis, cui optimo jure nomen quoque Angelici ſuperadditum eſt, quem etiam ſapiens poſteritas cum ſole repræſentavit, de pectore ejus eluceſcente.

Ex adverſo, ſi quis omni vitiorum illuvie immerſus, ad omnem ſe infamiam proſtituat, qui omnem ſcelerum campum emetiatur, cui nil tam ſacrum, quod turpitudine facinorum ſuorum non contaminet, monſtrum æquiſſimo jure appellatur. Hanc nomenclationem ſibi Nero adſcivit. Sic M. Tullius cum Catilinæ mentio fieret, ajebat, ſibi perorandum de monſtro. Petrus Crinitus contra eos, quibus cor & animus flagrabat, ad ſubvertendam religionem catholicam, & contra eandem monſtruoſos partus compoſitionum ſuorum in lucem ediderunt, fortiſſime in eos evectus, monſtra impietatis nuncupat. *Lib. 1. de hon. diſcip. cap. 10.* Quorum infernalem halitum, & fumigantem furorem, qui de damnatis eorum calamis ad obfuſcandam cœli ſerenitatem, tanquam de inferorum lacubus elevabatur, ut ſancto religionis orthodoxæ zelo retunderent, triplicato ſplendore veritatis armati exurrexerunt S. Auguſtinus, Cyprianus, & Origenes.

Præter monſtruoſas & ferinas actiones has, rurſum alii ſic vitam ſuam inſtituerunt, ut & ipſi in album monſtrorum tranſcribi meruerint, imitando enim belluarum naturam, non mirum ſi pari cum illis nomine inſigniti fuerint. Joannes Langius, celeberrimus inter medicos, refert, in Auſtria quondam inventos, qui & latratu, & velocitate curſus, non minus & devoratione carnium humanarum, canum naturam repræſentârint.

Ipſum adeo nomen *vitii*, antonomaſticè monſtrum dicitur: ex hoc enim monſtruoſarum actionum, & facinorum dedecora pullulant; in hac voragine omnis generis errores, & malefacta ſtabulantur, ſicut monſtra in abſtruſis plerumque, & reconditis terræ latibulis abduntur.

Nomen monſtri, & ille conſecutus eſt, qui cum tanta proſperitate decurſum vitæ ſuæ peregit, ut nil ei adverſum unquam, aut ſiniſtrum evenerit: unde monoſtichon illud Trochaicum eſt:

Monſtruoſa res homo, unquam cui nihil mali accidit.

Penetrat hoc nomen monſtri ad ipſa quoque ſomnia: unde & non raro dici ſolet, quod monſtruoſa & horribilia quis ſomniârit. Maximè verò monſtrorum nomine appellanda ſunt ſpectra & larvæ, quæ ſæpius ad perterrendos Dei ſervos apparuerunt, novis machinamentis à ſeductore ſathana inventis. Quin & ipſe horum autor, rebellis Angelus monſtrum appellandus, qui & monſtri figuram ſæpè induit. Propter quod & S. Hieronymus eum omnium monſtrorum maximum monſtrum nominat.

Non deſunt alii, qui quidquid prodigioſum occurrit, denominatione monſtri appellant. Sic Ovidius, cum de transfiguratione ſororum Phaëtontis (quas in arbores tranſmutatas fabulatur) mentionem habet, ſic ait:

Affuit huic monſtro proles Steneleia Cygnus.

Volens inferre, idcircò contigiſſe mortem Cygni, qui filius erat Stenelei. Monſtro ſimile erit, inquit Aldrovandus, ſiquidem Noverca, tam alioquin immitis, ſevera, & monſtruoſa (prout eam authores nominant) cum charitate inſolita privignum ſuum amplexata fuerit: id quod quidam exterorum cum in urbe quadam annotaſſet, continuò inter notas, tamquam monſtruoſum aliquid retulit.

Sic & monſtro ſimile eſt, ſi filius proditionem Patri moliatur. Hinc factum Scyllæ Ovidius monſtruoſum nominat. Quidquid præterea abſurdum eſt, & improprium, quidquid impium, monſtruoſum dici debet; ſimiliter quidquid omnem, & naturæ ordinem ſuperat, aut verò ad debitum naturæ ordinem non pertingit. Sic transformationes fæminarum in maſculos, rurſum horum in fæminas, ſicut Hermaphrodytis nonnunquam contingit, omnino monſtruoſum eſt. Hinc Poëta Auſonius inquit:

Cuncti admirantur monſtrum, dum mollior agna
Aſtitit in tenerum de grege verſa marem.

Abſurdum item & monſtruoſiſſimum dici meretur, ſi nefando crimine vir viro cohabitarit, ut Conjuges ſolent. *In ejus vita.* Tale de Nerone monſtro legitur, cum infami Sporo, de quo Suetonius inquit: *Quod exectis teſtibus tanquam Conjugem deſponſavit, & ipſum curru triumphali impoſitum in triumphum duxit.* Hinc Juvenalis quamvis Ethnicus, non ſecus ac venaticus canis veſtigia vitiorum odoratu perſequens, ut eadem ſatyrico morſu corrodat, infamiam eorum cenſurat, qui ſanctitate quadam à ſæculo abhorrere ſe fingunt, & deinceps in nefandos errores, & omnium teterrimos prolabuntur; ait autem: *Satyr. 2.*

Scilicet horrores, majoraque monſtra putares,
Si mulier vitulum, vel ſi bos ederet agnum.

Et paulò infra:

Vicit & hoc monſtrum tunicata fuſcina Gracchis.

Quin & Medicina ſuis monſtris non deſtituta eſt. Quidam enim morborum, eo quod cognitu difficiles ſint, aut cuidam regioni peculiares, apud nationes exteras monſtruoſi nominantur. Huic unicum exemplum adferemus Polonorum.

Morbus quo Polonia infeſtatur.

Apud hos quoddam genus morbi *plica* eſt, quæ pilos capitis uſque adeo conjungit, & annectit, ut videantur glutino tenaciſſimo conglutinati, ita ut nullo pacto diſſolui poſſint. Hic defectus apud gentem illam promiſcuus eſt, proveniens de ſubſtantia viſcoſa, vel glutinoſa. Multis ab hinc annis mulier quædam Polona in urbe noſtra apparuit hoc malo correpta, ad quam non ſecus ac monſtruoſum aliquid, ingens populi concurſus factus eſt.

Idem de morbis illis dicitur, qui cum lethaliter, & periculoſe ægrotantem invadant, nulla tamen vi medicamentorum tolli, nullo levamento mitigari poſſunt: ita ut in ſtatu deplorabili, & calamitoſo neceſſe ſit eoſdem deſerere: ſiquidem hujuſcemodi infirmitas præter ſpem ad ſanitatem tranſierit, & primævo ſtatui languentem reſtituerit, monſtrum dicitur. Ad hoc propoſitum Sulmonenſis noſter inquit:

Sæpè aliquem ſolers Medicorum cura reliquit,
Nec tamen hic vena deficiente perit.

Fæces præterea & excrementa nomen hoc monſtri merentur, ea, inquam, quæ in corpore humano per exceſſum melancholici humoris naſcuntur. Itaque cum à natura homogenea plurimum remota ſint, non immerito hoc ſibi nomen uſurpant. Inde eſt quod Galenus inquit, inventos nonnullos, qui cum nocuas eſcas ſumpſiſſent, fæces poſthæc, & horribilia, imò & monſtruoſa evomuerunt.

In hunc porrò campum, & ordinem pertinent rationis entia, monſtruoſæ chymæræ, & deliria Poëtarum: ad quorum exactam deſcriptionem neceſſarium foret univerſam Ovidii Metamorphoſin compilare, ſicut & Authoris qui Dulcis nominatur. Cum verò hæc in manibus omnium jam terantur, in compendio pauca de iis, & potiſſimum ea, quæ potiora, & nobiliora ſunt, afferam.

De Caſſiopea Cephei Regis Æthiopum uxore refertur, quod in tantam pulchritudinis eminentiam conſcenderit, ut ſe Naiadum venuſtiſſimum appellari voluerit: unde & Nereides à Neptuno obtinuere, ut univerſam Æthiopiam immane marinum monſtrum devaſtaret, & præter ſolitum infeſtaret; nec placari unquam deorum ira potuit, niſi ambitioſæ mulieris filia Andromeda huic monſtro devoranda exponeretur. Ejus generis fuiſſe memorantur immundi illi, qui ab Incantatrice & venefica Circe in omnium monſtrorum formas transfigurati ab Ovidio dicuntur: *Lib. 14. Metamorph.*

Illa nocens ſpargit virus, ſuccoſque veneni.

Et infra:

Cujus ab attactu variarum monſtra ferarum
In Juvenes veniunt: nulli ſua manſit imago.

Simile quid ab Homero adducitur, cum Cyclopis cujuſdam meminit, qui in cavernis montium latebat, humana carne victitans, & lac pro vino bibens: exprimens hoc ſequentibus verbis:

Cæterum poſtquam Cyclops magnum impleverat ventrem
Humanas carnes comedens, & ad hæc merum lac bibens.

Talem fuiſſe Cacum Poëtæ aſſerunt, monſtrum Aventini, qui halitum igneum ſpirabat, & qui circumquaque regionem omnem devaſtabat, de quo Ovidius: *Lib. 1. Faſt.*

Cacus Aventinæ timor, & infamia ſylvæ,
Non leve finitimis, hoſpitibuſque malum;
Dira viro facies, vires pro corpore, corpus
Grande. Pater monſtri Mulciber hujus erat.

A Poëtarum figmentis, nunc generalis tranſitus

ad

ad conſideranda monſtra faciendus; tam quæ magnitudine, quàm quæ parvitate inter homines inclyta fuerunt. In genere itaque dicendum (ſpeciatim enim jam ſupra de his abunde tractatum) Inter primos fuiſſe Gigantes, qui ordinem naturæ conſuetum tranſierunt, & proceritate ſua quamvis mediocritatem exuperarunt. Hi ergò cum tanto exceſſu magnitudinis eximii, meritò ſibi nomen monſtruoſitatis pepererunt. Terræ

Lib. 3. Carm. Ode 4. filii dicti ſunt, de quibus Poëta Horatius:

Injecta monſtris terra dolet ſuis,
Mæretque partus fulmine lucidum
Miſſos ad Orcum.

Hac ratione & Pygmæi, ob tantam parvitatem, decrementum, vel defectum ſtaturæ, denominationem monſtrorum conſecuti ſunt: eandem obtinent qui cæci ſunt, qui gibboſi, qui curvi, qui vel infirmitate, vel natura quoddam corporis ſui membrum deforme gerunt: ſic & illi appellandi qui in utero matris, ex ejuſdem matris horrore, aut pavore, aut imaginatione, à progroſapia ſua degenerarunt, ſimilitudinem ferendo vel canum, vel leporum, vel ſimiarum; aut illi qui, quavis naturæ exorbitantia, deformes ſunt prout de Æſopo dictum eſt.

Nomen monſtri rebus nonnunquam inanimis attribuitur, quarum quædam inſolito modo, ex cauſis abditis, inexpectatò apparuerunt, & ſingulari phantaſmate omnium in ſe oculos traxerunt: ut ſunt ſpectra quædam hominum inter ſe præliantium in aëre, ſicut in loco ſibi debito, & proprio jam in alio capitulo diffuſe tractatum eſt. Quamvis hæc in ſpeciem portentorum potius referenda ſunt. Judæi idcircò, cùm in vaſtiſſimis cœli campis hujuſcemodi hominum armatorum turmas, inter ſeſe acerrimè dimicantes intuiti eſſent, munitas haſtis, & veſtimentis aureis decoras, audiendo inſuper ſcutorum colliſorum

Machab. 2. fragorem, ſicut ſcriptura inquit: *aſſiduè rogabant, in bonum monſtra converti.* Hinc Joſephus Flavius Hebræus, talia firmamenti monſtra ante ultimum Civitatis exterminium apparuiſſe author eſt.

De hujuſmodi monſtris, vel portentoſis apparitionibus (de quibus ſuo loco dictum) Virgi-

Æneid. 2. lius mentionem habet, ubi ait:

Nec dubiis ea ſigna dedit Tritonia monſtris.

Monſtrorum porro nomenclaturam ſortiuntur cuncta animantia, quæ cum in genere ſuo perfecta ſint, de matre nihilominus diverſæ ſpeciei in lucem eduntur. Sicut cum femina ſerpentem parit, aut ranam, aut quemvis alium partum his conſimilem. Prout plurimi hiſtoriographorum in Umbria contigiſſe teſtificantur. Ad hoc reflectens Lucanus gravis Author ſic habet:

. . . . *matremque ſuus conterruit infans.*

In var. hiſt. Sic in paſcuis Nicippi, referente Æliano, ovis leonem peperit. Et in annalibus Colmarenſibus habetur, Anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſexto in territorio Torgavenſi lupam domeſticam, geminos lupos colore omnino rufo ejeciſſe, ſicut & canes maculatos; quamvis quidam velint hæc non tam monſtra, quàm monſtruoſos partus nominanda, quippe quod de perfectione integritatis nil illis defuerit. Non multum ab his differunt partus, qui de matribus nigris albi gignuntur, vel de albis nigri; quam opinionem Paræus amplectitur.

Præter jam memorata, & illi conſideratu digni, qui cum alioquin in integritate ſua naſcuntur, membrum nihilominus aut mutilum, aut nimium protuberans in lucem ferunt: qui monſtrorum nomen & ipſi nanciſcuntur. In horum numero monoculi ſunt, & cinocephali, & ſimiles, qui Africam habitare dicuntur. Sed nec hi veri monſtris nomen merentur, cum nativitatem nihilominus non abſimilem parentibus ſuis obtineant: quamvis horum genus, utpote nobis incognitum, monſtruoſum videri poſſit, loci tamen incolis nil admirationis excitant.

Totum quod de genere humano allatum eſt, pari ratione inter bruta obtinet. Quidam referunt, inventa fuiſſe animalia humana facie dotata. Alexander enim in Genialibus ſuis de homine quodam marino commemorat. Fulgoſus de piſce meminit, qui humanam faciem geſſerit, pelle cooperto, in ſimilitudinem anguillæ. Imo Cardanus & Bellonius memoriæ tradiderunt, in loco Pomeno poſt plures inundationes piſcem conſimillimum mulieri apparuiſſe.

Hiſtoriæ Indicæ referunt, in fluminibus gentis ejus, quæ in mari ſe exonerant, anguillas reperiri, quarum caudæ caprarum caudis quàm ſimillimæ ſint: quamvis alii narrent, has ipſas non niſi in Oceano illa regna alluente inveniri. Interim animalia hæc raro videntur, nec vera monſtra appellanda ſunt, cum potius certa ſpecie ſua conſiſtant.

Non longis abhinc annis in Africa animal apparuit, ſat deformi corpore, in ambitu ſuo rotundum, cum teſtudine: in cujus dorſo binæ lineæ colore flavo cernebantur, per modum crucis ſe invicem ſecantes: in quarum extremitate oculus erat, & auricula, poſthæc quatuor ſimul oculi, & aures: os non niſi unum, ſicut & venter; pedum multiplicitate dotatum, qui gibboſum & recurvum corpus illud cingebant, ita ut in quamcunque vellet partem ſe volveret: cauda ei oblonga, in extremitate villoſa, piliſque cooperta erat.

Non diſſimile huic alterum viſum eſt, quadriceps, capitibus ita in ordinem locatis, ut quatuor mundi partes videretur reſpicere; hæc quaquaverſum torquebantur, corpore nil moto.

Monſtra demum appellanda ſunt, quæcunque à parentum ſimilitudine omninò degenerant, & raritate ſua hoc nomen merentur: ſicut homines tribus manibus defigurati, aut ſemicanes, & ſimilia, quæ à primitiva ſubſtantia, unde originem ſuam trahunt, & ab ejuſdem compoſitione, & ſtructura differunt.

Juxta S. Iſidorum monſtrum ex hoc dictum eſt, quod videlicet quæ ventura ſunt præominari & monſtrare ſoleat, ita ut ex illis homo præſagire, & in futurum proſpicere poſſit. Itaque monſtrum quaſi *moneſtrum* eſt: *vel quia monendo*, prout inquiunt, *aliquod myſterium divinæ ultionis præmonſtret, vel quia tanquam aliquod ſingulare à ſingulis obſervetur, & propter admirationem digito demonſtretur.* Hæc poſtrema etymologia non omnimodò cū ſuperiori illa S. Iſidori concordat.

Ex his monſtris, eorumque apparitionibus nihilominus ſæpe edocemur, has Altiſſimi Dei linguas eſſe, quibus mundum exhortetur ab erroribus & delictis cavere. Naſcuntur potiſſimum in vaſtis Africæ ſolitudinibus, & in arenoſis Lybiæ deſertis, ubi hæc portenta ut plurimum vagantur, digna quæ in notitiam hominum perveniant. Miracula phyſica non abs re nominantur, nec enim niſi præter conſuetudinem, curſum, & dictamen naturæ prodeunt.

Alii

Alii monſtrum potius dici oſtentum volunt, hoc enim nomen latius patet quam monſtrum. Nam & oſtentum extra ordinem naturæ eſt: ſicut partus tripes, aut unimanus, & ſimilia: comprehendit item, quidquid prodigioſum eſt. A multis nomine portenti exprimitur, quod à prima ſui origine quippiam portendat, in poſterum eventurum. Prodigii quoque nomen obtinet, quaſi quod itidem futura deſignet: videtur autem hæc ſignificatio ab auſpiciis derivare, tam proſperis, quàm adverſis. Sæpius autem hæc invicem nomina confunduntur, dum unum ſumitur pro alio, Authoribus in hoc variantibus. Cicero igitur in primo de Divinatione inquit: *Monſtra, oſtenta, portenta, & prodigia appellantur, quoniam oſtendunt, portendunt, prædicunt.*

Monſtrum hebraico Idiomate *mophet*, à radice *Iphet*, quod latinè dixeris *illuxit*, aut à radice *patah*, quod perſuadere ſignificat. Perſuadent enim menti, ut à prævaricationibus, & evagationibus ſuis ad dominum revertatur. His ita expoſitis, nunc intuemur quæ ſint

DIFFERENTIÆ MONSTRORUM.

HÆc cognitio tam operoſa eſt, ut Sibyllarum interpretatione opus ſit, ad eandem ritè exponendam: tanta enim ſententiarum in hac materia varietas eſt, quanta Authorum, quotquot de eadem tractaſſe aut ſcripſiſſe noſcuntur. Ariſtoteles differentias has, in hiſtoria, quam de generatione partium, & animalium compoſuit, in tria præcipuè capita diſpertitur: hoc eſt, abundantiam, vel defectum partium, vel earundem præpoſterum, & inverſum in ſituatione ſua ordinem.

Lib. 11. Orig. Magnus Averroës in commentariis ſuis monſtrorum quatuor ſpecies adducit, dividendo ea in numerum, in quantitatem, in qualitatem, & in ſitus diverſitatem.

S. Iſidorus eadem conſiderat vel in prodigioſa magnitudine, vel in parvitate, ſicut Gigantes, & Pygmæi ſunt. De monſtrorum autem numero non excludit, quæcunque in membrorum ſuorum aliquo, aut magnitudine, aut exiguitate, vel excedunt, vel deficiunt. Superfluitatem quoque in prædictis partibus non omittit: ſicut Infantes ſunt tribus manibus monſtruoſi, vel omninò ſine manibus nati.

In eandem conſiderationem veniunt partus transformati in alienas formas: ſicut infans capite canino prodiens, & horum conſimilia: Aut verò in naturam omninò diſſonam degeneres, ſicut ſerpens eſt, à muliere genitus. Quinto loco mutationem ſituationis exponit, prout oculus eſt, in pectore ſituatus, hepar in ſecundo hypochondrio, aut ſiniſtro.

Sexto his adjungit præproperam partium quarundam generationem, ut eſt Infans in primo ſui ortu dentatus, aut barbatus, aut canus jam, horumque ſimilia.

Septimo loco præfatus author in arenam producit complicationem plurium monſtrificarum mutationum, ut in exemplo, caput leonis, cum pede vituli, & alia his conformia.

In octavo loco commixtio generis & ſexus eſt, ſicut Hermaphrodyti, & Androgyni ſunt.

Septalius vir non minus doctrina, quàm experientia clariſſimus, ad triplex genus monſtra reducit. Si nimirum quid acciderit ultra intentionem & cum diſcrepantia Genitorum: In primis autem ſecundum ſubſtantiam actionis, ſi quid opinione majus prodierit, aut ſi minus: aut verò ſi nimia diſſimilitudo evenerit. Ad primum genus refert monſtra, quæ in tota ſubſtantia ſua monſtruoſa ſunt: etiam ea quæ in quadam ſui parte. Ita ut vel in modo differentia prodigioſa ſit, vel comparatione facta ad rem de qua aliquid prodiit; & quod illud poſtremum attinet, aut in diſſimili ſubſtantia error eſt, aut in defectu facultatis naturalis, aut in diſſimilitudine, qua à parentibus recedunt. Hæc poſteriora monſtra ſupremum gradum obtinent, dum ordinem naturæ omninò invertunt: ut ſi homo natus figuram bruti omnimodam, vel ex parte repræſentet: abhorret enim ab his ipſa natura, nec videtur in exoticas metamorphoſes has conſentire voluiſſe.

Quidam hos exceſſus, actionibus potius mirabilibus, & prodigioſis adſcribunt. Ad hoc genus etiam pertinent figuræ ſaxeæ, quæ ſingularitatem quandam præſeferunt, naturæ modum excedentem. Quarum nonnullas S. Hieronymus producit: ut in exemplo ſtatua ſalis, in quam uxor Loth transfigurata eſt. Idem ſanctus ait, in loco eo, ubi S. Stephanus Protomatyr lapidatus eſt, effigiem ejus in ſaxo quodam diuturno tempore apparuiſſe; in eodem etiam ſaxo vallem Joſaphat diſtinctam fuiſſe, cum ſignis pedum, manuumque Salvatoris noſtri, quando vinctus ſuper rupem illam lapſus eſt. Idem adhuc memorat, ſaxum in quo Elias conſederit, formam & figuram ejus perfectam gerere.

Hæc univerſa, prout Olaus Magnum refert, negari non poſſunt, quin ordinem naturæ excedant: imò præmemoratus author recenſet, in regione Oſtrogottorum, flumen eſſe, in quo petræ diverſæ ſint, quarum quædam manus repræſentent, quædam pedes, quædam capita hominum. Unde loci incolæ, harum viſionum aſſueti, nulla in his admiratione ducantur. Quid plura? in quibuſdam Regionis noſtræ torrentibus ſaxa reperiuntur, quæ per naturam ſuam vel panem, vel pyra, vel poma aliaque comeſtibilia ad vivum exprimunt.

Nonnulla item monſtra in rebus inſenſibilibus ſunt, quæ in artium defectu producuntur: ut ſi ſculptor ineptus, aut pictor imperitus figuram hominis formando, multum aberraverint, monſtrum feciſſe non immeritò dicuntur.

Siquidem inter viſibiles creaturas conſiderandæ ſunt animatæ, ut inprimis ſunt plantæ, in his quoque monſtrorum genera ſunt, & naturalia, & artificialia. Naturalia, cum herbarum aut plantarum monſtruoſa generatio prodit: artificialia, cum fructum quendam arboris in formam vaſis redigimus, eumque pro libitu noſtro formatum ad maturitatem promovemus: in quem modum cucumeres quoque, ligaminibus circumdati, variè figurantur: Sicut itidem cum uvæ in lagenas vitreas juvenculæ immittuntur, poſthæc incremento ſuo diſtentæ inde extrahi nequeunt: hæc ſolam curioſitatem nutriunt.

Si verò conſiderationem noſtram malumus ad bruta animantia transferre, illic quoque mon-

monſtruoſi partus non deerunt: non minus illic & naturales, & artificiales. Quorum qui naturales ſunt, in duo rurſum genera locantur: inprimis eorum animalium partus, ubi ſpecies diverſæ copulantur: unde illud elegans ænygma eſt:

Diſſimilis Patri, & matris diverſa figura:
Confuſi generis, generi non apta propago:
Ex aliis naſcor, nec quiſquam naſcitur ex me.

Inter hæc cenſendi canes Indici, quos quondam Epirotarum Rex Alexandro Magno in donum tranſmiſit: qui crediti ſunt de cane & tygride nati. Rurſum alii quos *Thoës* appellarunt, qui juxta mentem Opiani Poëtæ, prout Pollux de eo refert, vulpis cum lupo partus erant.

Ariſtoteles in hiſtoria animalium, ejuſcemodi adulterinas generationes in genere quoque volatilium, ſicut & in piſcium dari aſſerit: de quibus ita ratiocinatur: *Semper aliquid novi Africa afferre dicitur, quoniam diverſa animalium genera congrediuntur, ob penuriam terræ illius, cùm ad loca rigua (ibi pauca) multa animalia conveniant.* Ex hoc deducitur rejiciendam eorum opinionem, qui bigenerum animalium generationem negant.

Etiam, inter bruta animantia monſtra artificioſa dantur. Si enim cani recens nato anteriores pedes truncentur, ſiquidem ſanatus fuerit, neceſſitas eum cogit, poſterioribus erectum incedere. Aldrovandus recenſet cognoviſſe ſe hiſtrionem vel mimum, qui cynocephalo iratus anteriorem utrumque pedem amputaverat, cum autem vulnus obductum eſſet, reſanatus binis poſterioribus more hominum erectus inceſſit.

Univerſa jam ſuperius relata, tanquam prolegomena, & proëmialia ſunt ad hominem, ad cujus ulteriorem conſiderationem nunc oratio noſtra convertenda eſt. Hoc igitur loco ſe primùm monſtra naturalia, & artificialia offerunt: quæ tamen pro locorum, & temporum diverſitate & ipſa diverſa ſunt: eorum aliqua in monſtrum tranſierunt, quod præcocia ſunt, aut ante tempus de utero egreſſa, aut culpa vel vitio nutritum: ſicut olim apud Phaſiates mos invaluerat, ut confeſtim ubi proles in lucem edita eſſet, obſtetrix eam capite prehenderet idque compreſſione tamdiu extenderet, donec formam omninò acuminatam induceret: æſtimabant enim figuram hujuſcemodi amplitudinem, & generoſitatem ſpiritus portendere.

Conſimile caput ſtrenuiſſimus Dux, & orator eximius Pericles habuiſſe legitur. Succeſſu temporis etiam in adultis, ob mutilas aut omnino truncas partes monſtruoſæ figuræ accidunt: ſicut ſæpe numero militum fortuna eſt, mancos aut claudos, aut aliter mutilos domum reverti à Caſtris.

Partus itaque, qui tempore determinato de utero materno egreditur, ſed genitoribus ſuis diſſimilis, monſtrum naturale eſt: quod aut ſimplicis erit eſſentiæ, aut duobus conſtans corporibus: hoc poſtremum autem in humana ſpecie nunquam ita erit, ut non ſimilitudinem, aut proprietatem vel naturalem, vel accidentalem cum Parentibus ſuis gerat.

Succedunt his monſtra quæ plura ſecum membra; eademque ſuperflua in lucem ferunt. Natura enim in partibus his formandis, quod ſuum erat, peregit, ſed quod non quodque membrum loco debito collocatum eſt, hinc monſtruoſitas, & deformitas oritur.

In tertio genere ſunt monſtra (ab Indagatore Setalio ſic appellata) quibus partium inæqualis deformitas eſt, incompoſita & inculta apparens. Natura illic informatione ſua laboravit, ut debuit, ſed non modo, & ordine quo debuit, & hinc error utrobique & monſtruoſitas evenit.

Joannes Schenkius in opuſculo ſuo, quod de monſtris prælo dedit, de iiſdem differentias multifariam exponit: hæ autem vel ex abundantia & plenitudine materiæ proveniunt, unde in exceſſu error eſt: aut ex ejuſdem penuria, & defectu, ſicut è mala nonnunquam qualitate, aut ex forti matrum impreſſione & phantaſia, aut aliis de cauſis.

Hinc ubi materia luxurians, & plus debito copioſa eſt, gemelli naſcuntur: cum autem hæc ipſa ſuperabundantia non ſuo loco diſtribuitur, in corpore uno bina capita, aut in binis corporibus unum caput, aut quaternæ manus, aut trini pedes, & ſimilia apparent. Naturæ quoque depravatæ attribuendum, ſi gigantes, aut pygmæi, aut Hermaphrodyti prodeunt: ejuſdem erroris eſt in defectu conſiſtens, ſi nani, ſi acephali, ſi uno pede, & una manu aut horum ſimilium aliquo mutili aut manci proveniunt.

Aldrovandus (vir nunquam ſat laudatus, qui ſapientia, venuſtate, & decore Muſarum ſuarum ſe literato orbi commendabilem reddidit (in certo quodam operum ſuorum catalogo, quatuor monſtrorum differentias ſtatuit. Prima eſt, cum quid naſcitur vel exceſſu, vel defectu peccans: altera, cum diverſæ ſpeciei animalia copulantur: tertia eſt, quæ majorem ſui partem in imaginatione hominis tenet: quarta eorum eſt, quæ de cauſis ſublunaribus producuntur.

Copioſiores ſunt, quæ à Benedicto Pererio aſſignantur, qui ait plura genera monſtrorum eſſe, quæ plurimis modis contingunt, aut ratione ſexus, ut Hermaphrodyti ſunt; aut ob alias qualitates, ut ſi parentes nimia pinguedine abundent, aut ſi econtra nimium exiles & macilenti ſint, aut alia quavis inſolita diſpoſitione. Sequitur exceſſus vel in nimia magnitudine, vel parvitate: pari modo ſi membra exuperent: aut exigua ſint. In ſitu quoque: ſi partium ordo interturbatus eſt, aut membra alio tranſportata. In figura: ſicut ii, qui non recto corpore incedunt, ſed vultu in terram prono; qui partem corporis humanam, partem ferinam ſortiti ſunt. In moribus, & victu: Anthropophagi enim vera naturæ monſtra dicendi ſunt. In numero: ſi homo biceps naſcitur, aut ſex digitorum, aut monoculus, aut pedisunius.

Hic author nihilominus à præcedentibus in aſſignatione differentiarum nil differt: illi enim per genera magis univerſalia proceſſerunt, hic ad differentias ſpecificas appropinquat: quod operoſius factu eſt, & majori tempore indiget: ut nimirum cum infans barbatus naſcitur, aut dentatus, de quo jam ſuo loco meminimus.

Alexander Maſſarus, vir non vulgariter eruditus, concludit monſtra veraciter naturæ errores eſſe: non diſcedens in hoc à doctrina Galeni: hic enim morborum particularium differentiis recenſitis, memoriam aliorum quoque morborum habet, qui in partibus inſtrumentalibus accidunt: appellantur autem depravatæ conſtitutionis, aut compoſitionis: hæ affectiones aut ſimplices ſunt, aut compoſitæ. His ſtabilitis, ad quatuor affectiones partium organizatarum digre-

greditur: quarum prima eſt turpis, & deformis earum conformatio: ſecunda magnitudinis vitiatio: tertia numerus partium interturbatus: quarta denique ſitus mala diſpoſitio.

Forma dehinc triplicata deformitate prævaricatur: aut vitio in utero matris contracto; idem Galenus enim ait, perverſa qualitate ventriculi, aut veſicæ, aut hepatis, partum vitioſum fieri, & degenerem in præmemoratis partibus: hinc evenire ut externa quoque forma, male compoſita ſit, & corrumpatur, idque potiſſimum poſtquam proles nata eſt, & incrementa ſua ſumit. Forma item deperit luxatione membri, vel fractura malè medicata, unde monſtruoſitas ſequitur, quam artis error inducit. Altera formæ deſtructio, aut defectus ex eo gignitur, cum cavitates, aut meatus vitiantur, qui à natura cuidam parti aſſignati ſunt. Fit hoc cum nimium ſe dilatant, aut nimium coarctantur, cum conſtipantur, & reſtringuntur, cum à vicinis partibus opprimuntur, cum denique decidunt, aut contrahuntur, aut obſtruuntur, aut humoribus craſſis, & vitioſis clauduntur.

Demum eadem figura corrumpi poteſt per nimiam lævitatem, aut aſperitatem partium, ſi taliter eas eſſe non oportet. Hinc enim monſtra proveniunt, ubi lævitas, vel aſperitas in cauſa eſt, quod vel abundantiâ peccetur, vel defectu, atque ita aliter quædam formentur, quam natura expoſtulet. Magnitudo enim excedens modum in quolibet corporis membro, vel ante, vel poſt nativitatem hominis contracta, monſtruoſa dicitur: eadem ratio in numeris eſt, ubi quid abundat, aut deficit: ſicut manus ſex digitorum, aut è contra non niſi quatuor.

Jam natis rurſum monſtruoſa quædam contingunt: ut ſi macula, vel tuberculum naſcatur in oculo, quo viſus impediatur: aut verò extuberantia in naribus, in genis, aut in alia parte qualibet, unde monſtruoſa, & deformis fieri poſſit conſtitutio hominis. Idem dicendum cum pars quædam mutilata, aut radicitus evulſa fuerit, quæ monſtruoſitas artificialis dicitur.

Denique ſitus partium labem & defectum infert: ut ſi lien collocatus ſit, ubi hepar eſſe oportuit, & è contra hepar ubi locus lienis eſt. Poſt nativitatem ſiquidem inteſtina loco ſuo mota, deſcenſu herniam forment. Hæ opiniones Maſſari ſunt, qui magnam in doctrinis hiſce experientiam habet.

Alii habita ratione ſubjecti, monſtrorum differentias conſtituunt, in hominem, in brutum, in plantas: quæ diviſio principalis dici poterit. Fit autem potiſſimum monſtruoſitas, prout ſæpius dictum, ex varia conſtitutione, & deformitate membrorum, quæ vitia in generatione jam contracta ſint.

Quidam fœtum conſiderant, cum omninò degenerat in animalibus: prout apud Joſephum Flavium legitur, quod vacca agnellum ejecerit. Quædam in partibus ſolis degenerant, vel cum inutilia ſunt impedito motu, aut quia magnitudine, aut parvitate vitiantur, aut ſitu, aut figura peccant, ſicut paulo ante ex Galeno didicimus.

Lib. 18. de ſubtilitate.

Quidam monſtra ratione temporis dividunt: quædam enim intra uterum more conſueto, quædam extra eundem naſcuntur & elevantur: Unde Cardanus Infantis exemplum adfert, qui in ſylvis expoſitus, & ferino lacte nutritus, ferinam

quoque naturam induit, vultu ferino deformis, ungues & caudam producens. Ita quidem, ut monſtrum hoc propter novitatem, longiſſimis itineribus ex Miſnia alio portatum ſit.

E ſacris literis ſat jam vulgò nota eſt hiſtoria Regis Nabuchodonoſor, quam admirabili metamorphoſi is in peccatorum ſuorum vindictam in bovem tranſierit, ita ut de eo ſacer textus teſtetur: *Fœnum, ut bos comedit, & creverunt capilli illius in ſimilitudinem aquilarum.* Quamvis hæc monſtruoſitas caſtigatione divina per miraculum contigerit.

Fortunius Licetus, vir literaturæ eximiæ, & primâ Cathedrâ in ſapientiſſima patria mea Bononienſi condecoratus (Bononia enim *mater ſtudiorum*, ſicut adagium vetus eſt) tractando de monſtris, differentias eorum ſcientificas potius, quam reales adducit. In tota enim compoſitione formæ vitiata monſtrum vel multiforme inquit, vel uniforme. Hoc poſterius ſic intelligi vult, ſi monſtrum illud in membris ſuis non niſi ſpeciem unam repræſentet: multiforme autem, ſiquidem in conſtitutione ſua, ex diverſorum animalium, aut ſpecierum, diverſis partibus integratum videtur.

Dividit poſt hæc monſtrum in mutilatum, ut eſt partus ſine manibus; in excedens, ut infans bino capite; in monſtrum item ancipitis naturæ, aut diverſæ, ut ſi infanti bicipiti inſuper pedes deſint. His adjungit monſtrum deforme, ſicut proles diſtortis membris: aut rurſum monſtrum omninò informe, ut puer rotundus: denique enorme, ut partus ſemicarneus, & ſemiſaxeus.

Hæ diſtinctiones & differentiæ plenæ eruditione, & doctrina, per plura capita ampliandæ ſunt, & diſſecandæ, ita ut de magno illo volumine doctiſſimi Aldrovandi nonnihil huc adferatur: ad quem reverti placet. Subjectum erit homo, brutum, planta, & res inanimes. Hæ poſteriores bifariam dividuntur. Quædam enim generantur in aëre; & in his meteora comprehenduntur, aut producuntur in terra, & hæc rurſum bifariam ſumenda, naturalia nimirum, & artificialia. Quorum illa quidem in exemplo ſic habent, ut ſi ſimulachrum quoddam per naturam in ſaxo apparuerit.

Hinc Pater Euſebius Soc. JESU refert, in Inſula quadam, quæ Mona dicitur, ſaxum eſſe compoſitum in forma femoris humani, cui latus hominis adjunctum ſit, quod hanc virtutem ſibi à natura inditam gerat, ut ſi multa milliaria procul abſportetur, inſequenti nocte priori ſedi ſuo reſtitutum cernatur. *Lib. de mir. nat. Europ.*

In Eccleſia Patrum S. Vitalis Ravennæ petra ingens videtur, repræſentans crucifixum ex natura formatum. Petra itidem altaris, ubi martyr continetur, quamvis marmorea ſit, uncias quatuor craſſitie obtinens, ſi ei lumen ex adverſo poſitum fuerit, è parte altera tranſparet. Nonne igitur dicendum naturam rerum in his quaſi ludere voluiſſe? De aliis porrò differentiis, & diviſionibus, quæ afferri in medium poſſint, hic interim finem ſtatuo, ne diutius legentis attentionem ſuſpendam, ut deinceps in conſiderationem veniant

EPITHETA.

MOnſtrum ergò, cum quaſi novæ rei productio ſit, quippe quod cum admiratione

huma-

humanam mentem percellit, & aſſalit, non immerito titulum ſibi proprium vindicabit, *mirabilis.* Dicatur & informe, turpe, enorme, horribile, horrendum, terrificum, pro modo apparentiarum ſuarum, ſicut infra palam dabitur. Siquidem contigerit, ut author figuram quandam eminentem & ultra modum proceram intuitus ſit, eam gigantem appellat; ſed cum quis mortalium monſtrum viderit exitiale, fatale, & minax, continuò portentum, & prodigium dicitur, quaſi quo res quædam eventuræ prædicantur.

Huc ſpectant verba Valerii Facci:

Interea auguriis, monſtrisque minacibus urbem
Territat.

Cum verò Poëtæ monſtrum rabidum appellant, ferum, infame, trux, furiale, crudele, peſtiferum, & impium, ſciendum hæc tractatus præſentis terminos transgredi: hic enim nil niſi naturæ exceſſus, aut defectus deſcribitur, prout in definitione, jam ſupra memorata declaratum eſt. His præambulis factis, vertamus calamum ad monſtruoſa

SIMULACRA.

QUidam ajunt monſtruoſas fuiſſe figuras illas eminentes, quibus olim pagani Semones, vel Semiomdones ſuos (quod idem eſt ac ſemihomines) expreſſerunt: illa enim ætate hominem, *hemonem* appellabant. Monſtra fuiſſe videri poſſent, partim enim humanis membris, partim ferinis componebantur: ſed nulla fides adhibenda eſt authoribus his: potiſſima enim pars contrarium aſſerit, quippe quod antiquitas hæc ſimulacra ſemihomines deos appellabat. Non quod operationibus levibus vacarent, ſed quod præter participationem humanæ naturæ, cum diis majoribus participarent.

Apud præmemoratos authores in hunc numerum referenda eſt Fortuna, quippe quæ duplici facie apparet, una hilari, & Joviali, altera triſti, decidua, & afflicta. Talem eam nominat Gunteus, in primo libro facinorum egregiorum Imperatoris Friderici:

Atque tibi toties conatam alludere fruſtra
Fortunam vulgare paro, monſtrique verendi
Ambiguos vultus.

Apelles pictor ubique inclytus, fortunam ſedentem depinxit: interrogatus cur id feciſſet, reſpondit, eò quod ſtanti nulla conſtantia, nec pes firmus ſit. Cæſar Ripa, magnus Iconologiſta, imaginem prudentiæ in fæmina bicipite repræſentavit (ut Janus bifrons ſolet) adjungens declarationem, intelligi in hac Theologiam ſacram, cui una facies juvenilis, altera ſenilis ſit, hac terram aſpiciat, illa cœlum.

Hoc ſimulacrum, prout refert S. Auguſtinus, repræſentare poterit apud eos, qui Theologiam ſacram ſequuntur amorem Dei ſimul & proximi: cùm autem harum facierum una elevari in cœlum nequeat, quin altera deprimatur, vel in terram verſa ſit, conſiderandum eſt, intellectum Theologicum nunquam ita ſublimiter elevandum, ut non conditionis humanæ memor ſit, quæ nos facilè in errores impellit.

Apud eundem Authorem jam ſupra memoratum Imago mulieris eſt bicipitis, quæ pedes aquilinos, caudam Scorpionis gerit: eſt autem fraudis ſymbolum.

In quibusdam numiſmatibus capitis monſtruoſi imago cernitur, quæ Godefridi Pii Matri aſſignantur, quæ olim regnante Philippo Roberti filio in Gallia vixit: volunt autem quidam, idcirco mulieri monſtrum additum, eo quod partes ejuſdem inferiores monſtruoſæ eſſent: quamvis alii id factum arbitrentur ad condecorandum ſtemma gentilitium.

Idem Ripa adhuc corpus humanum repræſentat, caput habens leonis, ad exprimendum *terrorem:* proprium enim leonis eſt, pavorem incutere, quocunque aſpexerit: item aliud illic corpus humanum apparet, cui caput aſini eſt, ad figurandam ignorantiam. Illic Juvenis monſtruoſus cernitur, verſus cœlum reſpiciens, ſed cui comæ capitis ſerpentibus intermixtæ ſunt; Sic exprimitur afflatus & inſpiratio divina, ſed quæ peccato interveniente corrupta ſit: vitium enim per ſerpentes figuratur, cum capilli ſymbolum ſint cogitationum.

Mythologi, Poëtæ, & Iconologi copioſi ſunt in demonſtrandis monſtris auritis, quibus plura ſint brachia, plures manus. Oſyrim centimanum exhibent, ad deſignandum robur ſolis: item corpus humanum caput Niſi præſeferens: item ſupra pyramidem caput hominis alatum, ſignificans Mercurium. Ripa adoleſcentem exhibet quadrimanum, & quatuor auribus inſignitum, ad demonſtrandam ſapientiam humanam: Lacedæmonii hoc indicare volentes, non ſolum auditum, ſed manus quoque operatrices neceſſarias eſſe, ad concipiendum aliquid & intelligendum: ideoque figuræ tot manibus, tot auribus dotatæ repræſentantur.

Apud Ripam adhuc homo monſtruoſus eſt, habens aures leporinas, ſignificans furtum: fur enim more leporis ſemper auribus erectis eſt, metuens ne furtum prodatur. Ab eodem authore, arrogantia imaginem fæminæ monſtrat, portantem aures aſininas: hoc animal enim ignorantiæ ſymbolum eſt, arrogans autem ad quemcunque gradum inhabilis, non ceſſat officiis publicis ſe ingerere velle. Propter quod non ſine ratione S. Thomas de Aquino ajebat, arrogantem eum eſſe, qui ſibi attribuat id, quo tamen deſtitutus ſit.

Idem Ripa curioſitatem vilis & illiteratæ plebeculæ, quæ rerum diſcretionem non habet, per effigiem Adoleſcentuli cum auribus item aſininis repræſentat, qui una manu colligata ſimul tenet palam, & ſcopam. Nec ab hoc imago mulieris differt, quæ multis auribus munita eſt, qua item curioſitas depingitur: qui enim novarum rerum cupidus eſt, pluralitate aurium indiget, ut tot novitatibus, quæ quotidie divagantur, percipiendis ſufficiat: ſupra quod S. Bernardus inquit: *Si videris monachum vagari, caput erectum, & aures portare ſupenſas, curioſum agnoſces.*

Præter imagines jam adductas quamplurimas inſuper alias apud Ripam invenire licet, quæ omninò monſtruoſæ dicendæ ſunt: ad hunc igitur authorem, tam copioſum in hoc genere, Lectorem remitto, ne has paginas plus debito oneremus, cum alio me vocari videam. Ejuſdem abundantiæ eſt Pierius in Hieroglyphicis ſuis, Cælius item Auguſtinus, & Cartarus in imaginibus falſorum deorum, & alii.

Horum veſtigia inſectando, & illa ſimulacra in conſiderationem ducemus, quæ monſtruoſa in linguis apparent, earum videlicet defectum annotando. Ripa ſæpius citatus fæminam exhibet multis linguis deformem, quæ ex omni latere

dependent, ad exprimendam mendacii eſſentiam, quod multiplicitatem linguarum uſurpat. Talium ſiquidem hominum linguæ ſemper in motu, inconſtantes, leviculæ, volubiles, in ſermone nunquam niſi procul à veritate ſunt, non niſi ſola exteriori apparentia veſtitæ. Præter hæc ad demonſtrandum robur perſuaſionis, mulier proponitur, linguam gerens in ſyncipite: lingua enim inſtrumentum perſuaſorium eſt, & apud Ægyptios perpetuum *verborum* ſymbolum.

Siquidem verò & ad ſimulacrorum monſtruoſas manus reflectimus: ſi quod opus manifeſtum repræſentandum erat, imago mulieris figurababatur, monſtrantis manus palmasque extenſas, in quarum figura oculi cernebantur. Manus enim (prout periti inquiunt) Hieroglyphicum erat operationis, & oculus *qualitatem* operum demonſtrabat, quam ſemper manifeſtam eſſe oportet.

Apud eundem authorem apparet ſimilitudo hominis, quaternis manibus, & bino capite: eſt autem imago *debitoris:* qui enim alteri debitis obſtrictus eſt, neceſſe erit, ut aliam omninò perſonam induat, multiplex manu ſit, reduplicet induſtriam ſuam, ut ſe vinculis exſolvat.

Porrò ſi partes inferiores, easque monſtrificas intueri libuerit, inter prima nobis occurret fæminæ pictura, quæ ad pectus uſque diſcooperta ſit; lateribus autem, & femoribus ſuis ſupra caput in circulum gyretur: hoc enim modo æternitatem figurabant, quæ in ſemetipſam torquetur, & reſtringitur, nec principium, nec finem agnoſcens. Idem ſimulacrum aliter exponitur, dum videlicet inferior pars ejus in horribiles, ſquammatosque ſerpentes terminatur, ad demonſtrandam abominabilem fallaciam, & dolos mendacii: Quemadmodum mulier hæc decora facie eſt, & exterior apparatus ejus non inamœnus, ſed fucatus; itaque finis ejus in terrificas ſerpentum caudas terminatur.

Sic item in denotanda Hypocriſi, mulier macilenta, & deformis exprimitur, lupi pedibus incedens. Hi enim ſunt, de quibus æterna Dei ſapientia inquit, *quod veniant in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſint lupi rapaces.*

Denique in tot tantisque figuris Ripa, ut mundum figuraret, imaginem hominis exhibuit, cui pedes caprini ſint. Pan olim ſic efformatus fuit, prout omnia penè volumina fidem faciunt. Hic fiſtularum Inventor fuit, & tibiarum, & ſambucarum, aliorumque muſices inſtrumentorum; ad indicandam harmoniam mundi. Pedes caprei, cum facie humana demonſtrant, mundum elementarem, cum illo ſuperiori vel cæleſti mira concordia connecti. Hoc Numen igitur quamvis tam deforme, tam aſpectu ſuo inamœnum, utpote ſatyricum, in ſumma nihilominus veneratione antiquitus habitum fuit, itaut in omnium penè nationum aris & templis adorationem obtinuerit. Quandoquidem verò hic in pedum caprinorum mentionem incidimus, non invenuſta conſideratio erit monſtri cujuſdam, de quo mentionem Heſiodus habet, quod è pluribus compoſitum erat partibus, quarum explicatio ſequitur:

Ante leo, retroque draco, mediumque capella eſt.

Lib. 9. Ovidius item in libris Metamorphoſeon, chimæram hoc modo deſcribit:

Quòque Chimæra jugum, mediis in partibus hircum,
Pectus & ora leæ, caudam ſerpentis habebat.

Poëtæ, quorum profeſſio eſt fabulis & metaphoris luxuriare, Chimæram monſtrum tale deſcripſerunt: compoſitum ex leæna, Dracone, & capra. Si hiſtoricam veritatem ſequimur, Chimæra mons Lyciæ erat, in ſummitate ſua ignes more Ethnæ, aut Veſuvii ejiciens: illic leonum erant cubilia: in ejuſdem medio, quod jam excultius erat, capræ paſcebantur: ad radices ejus ſerpentes, & colubri latebant. Ex eo autem, quod Bellerophon hunc ſitum, alioquin ſylveſtrem, & incultum, culturæ dedit, & in uſum hominum convertit, fabulæ locum fecit, quod Chimæram nimirum edomuerit, frænarit, demum etiam jugularit. De Chimæra, & ejuſdem expoſitione.

Aldrovandus (de quo hæc mutuo ſumpſimus) tabulæ cujuſdam æreæ meminit, cui hæc inſcriptio eſt: *Typus vetuſtiſſimæ tabulæ æneæ, nimirum ſacris Ægyptiorum literis exaratæ.* Illic animalia quædam volatilia inſculpta cernebantur, ſed monſtruoſa, & alia quæ naturæ ordinem excederent, ideoque inter fabulas cenſenda. Quorum nonnulla quidem, partim avium, partim lineamenta hominum gerebant, partim quadrupedum.

Inprimis illic cernebantur imagines monſtruoſæ, & omninò chimæricæ Harpyiarum. Hæ apud paganos deitatis opinionem obtinuerunt. Sed Heſiodus in Theogonia more chriſtiano inquit, imagines has non niſi dæmonum ſimulacra eſſe, qui cum violentia ſumptuoſas divitum menſas involant, & deprædantur, easdemque fœtidiſſimis excrementis conſpurcant. Harpyiæ earumque ſignificatio.

Alii ajunt Harpyias fuiſſe Thaumantis & Electræ filias: alii terræ & Ponti: In hunc ſenſum Perſius eas aves Pelagi appellat: nec ſine fundamento, plures enim veterum eas Neptuni filias dixerunt: Virgilius de hac immunda progenie ſic habet: 3. Æneid.

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis, & ira Deûm Stygiis ſeſe extulit undis:
Virginei volucrum vultus: fœdiſſima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida ſemper
Ora fame.

Inter monſtruoſa Ægypti ſimulacra, quædam monſtruoſiſſima erant: corpus leonis gerebant, alas & faciem aquilæ, Gryphi appellati. Multum infeſti, & pernicioſi erant ſementi, ſimul & equis: unde mirum non eſt, quod à quibusdam Hippogryphi nominati ſint. Horum, ni fallor, imitationem ſecutus eſt *Romanzierus* ille, qui in horum animalium aliquo Aſtolfum Heroëm ſuum collocavit, in quo deinceps tot illuſtria facinora patraſſe fingitur.

Mandavilla multum in Itinerario ſuo allaborat, ut perſuadeat, naturam hujuſcemodi animalia producere. Poëtæ hos finxerunt conductores eſſe Solis: hinc etiam Phœbum Gryphinum appellarunt: hinc item in numiſmatibus Imperatoris Gallieni Imago ſolis cum gryphis cernitur, portans ſequentem titulum: *Apollini Conſ. Aug.*

In præmemorata tabula Bembi Aldrovandus obſervavit monſtruoſam figuram quandam, arietem nimirum bicipitem, in cujus medio duo apparebant quaſi lanæ villi, repræſentantes flammam ignis: cauda ei breviſſima erat. Has fi-

guras ad vivum expreſſit inprimis Andreas Vicus Sculptor Parmenſis: deinde expertiſſimus vir noſter Aldrovandus. Inter tot autem alias, quæ huc afferri poſſent, pedem figo, dum de his ampliſſima volumina ad manum ſunt: ad quæ curioſitas Lectoris remittitur: ego enim de his, ad conſiderandum progredior quæ ſit

DEFINITIO MONSTRORUM.

IN indagine materiæ præſentis, prout in omni alia, ubicunque ſpeculativum aliquid, aut morale, aut naturale occurrerit, ad doctrinas magni Ariſtotelis conſulendas refugiendum eſt: qui non ſolum de his copioſiſſimè dictata poſteritati dedit, ſed quantum etiam neceſſe erat in ratiocinationibus ſuis intelligibilem ſe præſtitit. Hic itaque in generationis animalium hiſtoriæ libro quarto determinat, monſtrum idcirco dictum, quod in aliqua ſui parte naturam offendat.

b. 82. Sic in Phyſicorum ſecundo item ait: *Fit autem & in hiſce peccatum, quæ per artes efficiuntur. Scripſit enim Grammaticus non rectè, & potionem medicus non rectè porrexit. Quare patet in his fieri poſſe, quæ natura conficiuntur. Quod ſi aliqua ſint in arte, in quibus jam quod rectè ſit, alicujus efficitur gratia, in iis, quæ peccantur, gratiâ quidem alicujus ars aggreditur facere, ſed non aſſequitur illud. Similiter & in naturalibus erit, & monſtra peccata erunt illius, quod alicujus gratia fit. In primis igitur compoſitionibus, ea quæ partim ex hominis partibus, partim ex bovis conſtabant, ſi non ad aliquem terminum finemque poterant pervenire, aliquo ſane principio, perinde atque nunc ſemine labefactato, corruptoque fiebant.*

Ex his patet Philoſophum id ſtabilitum velle, monſtra vitio naturæ fieri, & abortiva eſſe; quæ finem ſuum non adimplerunt, idque interveniente quodam obſtaculo, ſicut in artificialibus fieri conſuevit, cum artifex deſideratum finem in executione operationis ſuæ non conſequitur. Hinc ſi natura (juxta Ariſtotelem) in progenerandis monſtris propoſitum ſuum non obtinet, à propria ſpecie degenerat. Hinc etiam qui in frigidis ſeptentrionis partibus cum auribus præter modum magnis naſcuntur, non idcircò inter monſtra reputandi ſunt: hæc enim compoſitio naturæ eorum congruit, & loci incolis non inſueta eſt.

Licetus vir eruditiſſimus hanc opinionem ſequitur, ſic enim monſtrum definit: *Subcæleſte vivens, enormi membrorum conſtitutione, horrorem cum admiratione intuentibus incutiens: rarò admodum naſcens, & ſecundario naturæ inſtituto genitum, propter impedimentum in principiis ſuæ conformationis.* Ideoque ſi natura compoſitionem quandam reddere perfectam nequit, imperfectio neceſſe eſt ut conſequatur, ex qua deinceps palam eſt monſtrifica gigni, tanquam ex ſecundario naturæ inſtituto, dum non id intendit, nec voluit: obſiſtentibus ei impedimentis à primordio formationis.

Nos interim, poſita diviſione Donati, quam ſupra jam attulimus, definitionem dilatare poterimus, nomine monſtri id omne comprehendentes, quod præter naturæ dictamen accidit: extendemus igitur propoſitionem non ſolum ad ſpeciem humanam, ſed ad brutalem quoque, quin ad ſtirpes etiam, & omne vegetabile: quamvis in hac acceptione ea monſtra intelligi velimus, quæ verè monſtra ſunt, excludendo quidquid imperitum vulgus ſæpenumero ſine cauſa monſtrorum catalogo annumerat.

Sic enimverò brutum à muliere genitum (quamvis ſemper monſtruoſa ejus origo ſit, comparatione facta ad parentem) per ſemetipſum, ſi ritè formatum ſit, monſtrum non dicetur.

Donatus cum ſequacibus ſuis plura alia comprehendit, nimirum quod monſtrum ſit objectum ſublunare, compoſitum præter conſuetam naturæ fabricam, & normam, quod intuentes ſtupore adimplet. Ut verum fateamur, ſi juxta mentem Ariſtotelis monſtrum vitium eſt, aut peccatum naturæ; ſiquidem finem principio ſuo correſpondentem non aſſequitur, concludi haud dubie poterit, in omni naturæ partu accidere monſtruoſa poſſe, (exceptis tamen elementis) cuique enim clarum eſt, poſſe naturam in operando à vera ſemita deflectere. Hi errores tamen in rebus inanimatis obſcuriores ſunt, & cognitu difficiles, cum minus obſerventur: ſed in animalibus, & plantis manifeſtiores, in illis quidem frequentiores ex duplici ratione, inprimis quia ſperma eorum tenerius eſt, & mollius, quàm plantarum ſemina, ideoque illa corruptioni & alterationi magis ſubjecta ſunt, per conſequens magis idonea ad vitioſas affectiones recipiendas: deinde etiam quod generatio animalium difficilior ſit generatione plantarum. De his hactenus. Videatur nunc quæ ſit

NATURA, ET PHYSIOGNOMIA MONSTRORUM.

NOn hic inſtitutum noſtrum eſt, latius & ſeparatim de monſtrorum natura differere: cum alibi jam ſat inde ratiocinati ſimus, & poſthæc idipſum adhuc facturi: præcipuè autem, quod non intendimus, de brutorum, ſed de humanis monſtris hic meminiſſe. Dicam in hoc loco cum Ariſtotele inprimis, candorem ſublividum, & flaveſcentem apud Phyſiognomos inſinuare hominem inconſtantem, & fallacem; ſiquidem monſtruoſa effigies hoc colore depicta fuerit, mentem omnimodo diminutam & defectuoſam ſignificat. Hinc Philoſophus monet quemque vigilanter, & ubivis locorum ſibi proſpicere debere, & omni cura, juxta normam prudentiæ diſcere, qualiter cum hujuſcemodi ſorte hominum tractandum ſit. Ariſtoteles ſic habet: *Homines monſtruoſi, deformes, & mutilati temeritate redundant, cuncta abſque judicio proferunt, denique verbis ſuis intempeſtive laſcivire ſolent.* Nec verò ſine fundamento aphoriſmus, aut adagium eſt: *Pedibus claudicantem, animo quoque claudicare.* Apul. lib. de ſtyl. De hac deformitate monſtruoſa ad Zoilum inquit Martialis homo Satyricus:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus,
Rem magnam præſtas Zoile ſi bonus es.

Sic inter Italos quoque proverbium ſonat: *I ſegnati da Dio doverſi fuggire*, hoc eſt: *Cavendum à ſignatis.* In quo tamen non niſi cum deformitate monſtruoſa ſignati intelligendi ſunt. Adjungit

jungit Aldrovandus: Vitioſum corpus, vitioſæ naturæ certiſſimum eſt ſimulacrum.

Hinc Homerus in Therſite ſuo (quo homine nec magis deformem, nec magis vitioſum tellus portavit) diſtichum ſequens è Græco transportatum reddidit:

Ut pede, ſic animo es claudus, namque extima membra
Internæ mentis ſunt ſimulacra tuæ.

Hæc de natura & Phyſiognomia humani monſtri ſufficiant. Dicendum nunc aliquid

DE HIEROGLYPHICIS MONSTRUOSIS.

INultrari velle in materiam hanc hieroglyphicorum, idem eſſet ac vela facere per vaſtitatem Oceani immenſam, & nunquam penè terminandam: nec ad portum feliciter obtinendum hic miniſterium magnetis ſuffecerit, nec aſtrorum obſervatio etiam doctiſſima Aſtrologorum, vel nauticæ artis peritorum. Evacuanda eſſent ampliſſima volumina & Pierii, & Cælii, & Hori Apollinis, & aliorum qui lucubrationes ſuas in hoc genus ſcriptionis inſumpſerunt. Præcipue quod Paganorum maximè in hoc peritiſſimi, videlicet Ægyptiorum ſapientes (cum ſcriptionis artem ignorarent, mentemque ſuam non niſi ſignis exterioribus indicare vellent, nec alia ratione id poſſent abſque notarum expreſſione) in ſimulacris corporum humanorum, ſicut & animalium exprimendis, in monſtra ſemper degenerarunt.

Ego qui in præſentibus Capitulis brevitati me adſtringo, ne omnino ab incepto itinere deflectam, quaſdam præcipua huc collocaturus ſum, ut nil deſit chartis noſtris, ſed univerſali abundantia, ubicunque neceſſitas, vel commodum tulerit, adimpletæ ſint. Nec tamen ita luxuriandum, ut nauſea, vel ſaltem ſatietas pariatur legenti.

Ut verò hic feliciter ordiar, ſemitas inſequendo eruditiſſimi, & memorabilis, & glorioſi viri Aldrovandi, dixerim traditionem fundatiſſimam eſſe Senecæ, qui memoriæ tradidit (prout ſupra explicitum eſt) veteres Ægyptios figuris animalium ſenſus animorum & intentiones mentis ſuæ expreſſiſſe. Utque præſenti propoſito ad declarationes majores accedamus, Valerianus ſimulacrum biceps nobis exhibet, ſed mutilum brachiis & pedibus, ſtabilitatem & firmitatem negotiorum, quæ prudenter inſtituta ſunt, & ordinata hoc ipſo inſinuans. Lib. 32. Hieroglyph. Ex hoc enim ſecuritas, rerum, quæ prout debent geruntur, omnis dependet. Hinc ſimulacrum ſine manibus, apud gentem illam, virtutem divinam repræſentabat, dicebant enim Deum his in operationibus ſuis non indigere, idque ſapientiſſime.

Aliud item ſimulacrum triceps, compoſitum ex leone, cane, & lupo, erat, reliquum corporis hominem repræſentabat. Erat autem ſymbolum temporis præſentis, præteriti, & futuri. Primum animal tempus præſens deſignabat: nam leo fervidus eſt, & inter utrumque ſollicitus. Lupus autem oblivioſus, & memoriæ labilis, præteritum notabat. In Cane futurum figurabatur, ſiquidem hic lambendo patronum ſuum eidemque blandiendo, futuris inhiat.

Lib. 32. Hierog. Aliud ſimulacrum Valerianus exhibet trino capite, quod vaſtiſſimas Hiſpaniæ regiones figurabat, tripartitò diviſas. Quanquam Heſiodi interpretes hieroglyphicum fuiſſe Lunæ non ambigant, cujus dominium triplicatum & in cœlo & in mari, & in inferno eſſe: & hac ratione variam ſibi nomenclaturam adſciviſſe, Hecates, Triviæ, Dianæ, Cynthiæ, & Proſerpinæ.

Præmemoratus Author eandem lunam in corpore humano, facie canis, & equi repræſentavit. In hac forma apparebat Deus Anubis, quem Ægyptii cum ſumma veneratione colebant, & adorabant: in quo non ſolum Lunæ dominium, ſed inſuper tripartita menſium diviſio, in calendas, nonas, & idus intelligebatur.

Adjungitur his ſimulacrum ſeptem capitibus Lib. 32. Hierog. ſpectabile, intelligente per hoc Valeriano hominem ſcientificum, & benè literatum: ſeptem enim ſcientiæ præcipuæ, & artium liberalium ſeptena diviſio eſt, in quibus ſapiens, tanquam ſolido fundamento nixus ambulat, & omnia dijudicat. Aſtrologi ſimilem figuram in gradu decimo quinto Geminorum collocant, augurantes eum, qui ſub ſigno hoc natus fuerit, hominem futurum & literis & doctrina & ingenio inſignem.

Huc uſque de copia, & multiplicitate capitum, ſed jam dehinc mihi liceat calamum transferre ad deſcribenda ſimulacra aut ſculpta, aut picta, quæ in humano corpore non niſi unum caput, ſed ferinum gerant. Pierius pro ſymbolo Lib. 5. Hierog. imprudentiæ hominem canino capite repræſentat. Hinc Helena apud Homerum ſine diſſi- Imprudentia. mulatione canis nominatur, quod videlicet origo, & fons, & cauſa tot malorum ſalax fæmina fuerit. Imò & à Polluce, quicunque in conſimiles imprudentiæ actus labitur, caninos oculos habere ſugillatur. Similitudine ducta ab animali tam inſolenti, quod (ſi Patronum exceperis) nulla habita ratione & ſtatus, & conditionis perſonarum, quemque allatrat: quin & umbris quandoque & Lunæ in vanum inſultat, quamvis illuc pertingere in terris politum non poſſit: tam impium ut panem à ſaxo non diſcernat, utrumque perſequendo.

Homo capite Niſi apparens, juxta mentem 21. Hierog. ejuſdem authoris, pro ſole adoratus fuit. Ægy- Solem pro ptis enim divinos huic figuræ honores dabant, Deo adorant eo quod Niſum inter volucria fœcundiſſimũ, pa- pagani. ri modo & ſolem inter ſidera ajebant; eſt enim ſol tanquam Pater, & genitor metallorum mineralium foſſilium, vegetabilium, mixtorum, herbarum, florum, & fructuum.

Caput jumenti humano trunco implantatum, Idea quondam erat hominis omninò ſtolidi, & ignorantis: qui nullam nec locorum nec rerum notitiam habeat: cum natura jumentorum ſit, non longius in orbe vagari, ſed iis ſedibus & regionibus immorari, & immori, in quibus genita ſunt. Ob quod olim de homine Idiota dictum eſt: *Aſinus ad lyram.*

Hujuſcemodi truncus item, caput aſininum Lib. 34. Hierog. gerens, idque dormiens, effigies erat ſervitutis calamitoſæ, opinione nihilominus ſuper ſomnia fundatâ. Onirologi enim, vel ſomniorum interpretes, vana gens, & mendaciis referta, quicunque ſomniando aſininas aures contigiſſe manibus ſibi viſus eſſet, eum propediem augurabant in ſtatum infeliciſſimum prolapſurum.

Monſtruoſa item hieroglyphica ſunt, in quibus

bus plurimæ manus apparent. Nec enim niſi monſtruoſum eſt, cum homo non figuratus, ſed veraciter ſic natus fuerit. Pierius effigiem humanam exhibet, delineatam cum multitudine brachiorum, & manuum, tanquam Hieroglyphicum ſolis: ſicut & partium anni: hyemis, & veris &c. in tali enim forma virtutem, robur, & activitatem earundem indicabant: Idem dici volebant per multimanum Gygem, per Oſiridem, & Briaræum: idque ob cauſas, & myſteria à me in priori volumine adducta.

Lib. 35. Hier.

Sol & partes anni.

Sic Homerus ſolem centimanum nominat, ob innumera penè dona, quibus mundum Dator ille bonorum fœcundat, & beatificat. Adjungunt his alii imaginem hominis quadrimanus: Rurſum aliud ſimulacrum item quadrimanum, additis quatuor auribus, in quo Lacedæmonii Appollinem ſignabant, figuram nimirum ſapientiæ, quam huic Numini potiſſimum attribuebant. Sicut autem Phœbus lucem & calorem à ſe emittit, ſic innumerabiles utilitates ſunt, & infinita lux, quam ſapientia impertit.

Lib. 32. Hierog.

Valerianus denique imaginem humanæ vitæ per vultum omninò monſtruoſum depingit, qui ore ingenti ſit & hiante, linguâ exporrecta, naſo obliquo, labiis intortis, toruis oculi, fronte gibboſa. Hac figura exotica Adverſarium contradicentem expreſſit, qui verè non aliter ſe menti noſtræ repræſentat: nemo enim eſt, qui contradici aveat. Aſtronomi volunt conſimile ſidus in decimo gradu Aquarii collocatum eſſe.

Meretrices.

Succedunt his imagines monſtruoſæ, quæ in ſuperiori parte humanæ ſunt, in inferiori belluinæ. Vultu decoro adoleſcentula, in qua pulchritudo & illecebræ inſignes appareant, ſed cui ungues, & reliquum corpus leænæ ſit, juxta mentem Pierii fraudulenta meretricum blandimenta indicat, quæ cum ſuavitate catenas graves injiciunt, cum delectamento doloſe decipiunt, & amplectendo miſeræ ſervituti ſubjiciunt. Dixit hoc Spiritus Sanctus, cujus verba jam alibi in eodem ſenſu allata ſunt: *Favus diſtillans labia meretricis, noviſſima autem illius quaſi abſynthium.* In conſimili forma olim ſphynx expreſſa fuit, prout alibi jam memoravimus.

Proverb. 2.

Lib. 1. Hierog.

Michaël Bizanzius, author magnæ æſtimationis, refert: jam inter veteres Megarenſes, nomine Sphingis meretrices appellatas fuiſſe: placabilitatem enim vultu præſeferunt, rapacitatem leænarum moribus. Huic Sphingis imagine Megarenſes infauſti habitatores, vilipendium, & contemptus cæterarum nationum olim comparabantur.

Sphynx Megarica.

Lib. 24. Hier.

Repræſentant non tam Valerianus quam Iconologici omnes imaginem ſyrenarum, vultu & aſpectu jucundiſſimo, formoſiſſimo, & tranquilliſſimo, ſed à fine pectoris deorſum verſus in caudas piſcium degenerant, cum unguibus galli Indici: ad demonſtrandam impietatem, rapacitatem, & feritatem ſceleratarum, quæ non ſecus ac Rete Phrynonis, forinſecus auro reſplendent, ab intro plenæ ſunt deceptione, inſidiis, & proditione. His ergò inſinuatur mortalibus, ut à pravis ſuggeſtionibus indebitæ voluptatis, & mundanarum deliciarum abſtineant, quæ ad omnimodum exterminium, pœnitudinem, & perditionem conducunt.

Iterum ex Pierio figura hominis repræſentatur, quæ aſpectu veneranda & majeſtate plena eſt, ſed à cingulo deorſum verſus in pedes caprinos terminatur, hirſuta, & pilis horrida. Hæc ſimulacrum mundi eſt, tam ſuperioris, quàm inferioris, prout ſupra jam expoſitum eſt. Alii per hanc ipſam Divinitatem occultam intelligunt. Quidam enim ex paganis Deitates ſub imaginibus tam monſtruoſis exhibebant, ſatyris nimirum, & Silenis.

Quæ figuræ, juxta Platonem in imagine Alcibiadis ſui, ita compoſitæ erant, ut promptitudinem demonſtrarent, qua ſe movent, qua ſe inflectunt, & rurſum relevant: quarum pars ſuperior majeſtate & veneratione plena ſit, inferior omninò informis, & ridicula.

Idem Author jam toties citatus Ideam hominis repræſentat, quæ in equum deſinit. Hæc hieroglyphicum eſt humanæ vitæ labilis, & fugitivæ, quæ more equorum, celerrimo & rapidiſſimo curſu ad mortem properat. Hac formâ introducitur à *Patiente*, dum ait: *Dies mei velociores fuerunt curſore.* Et S. Auguſtinus ſic ait: *Caro noſtra eſt Jumentum, qua iter facimus ad Jeruſalem: conatur hoc Jumentum plerumque nos de via excludere.* Neceſſe igitur eſt, ut ſæpe calcaribus mortificationum & laborum pungatur, ne à vero tramite deflectat. Id quod Propheta regius teſtificatur exemplo ſuo; nam & ipſe binis vicibus à ſemita hac delapſus, novo deinceps vigore priorem viam ingreſſus eſt, calcari ſe ſequenti exſtimulans: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.*

Lib. 4. Hierog.

Brevitas vitæ.

Iob. cap. 9.

Gentium Doctor bravium immortalitatis currentibus proponit, ita concludens: *ſic currite, ut comprehendatis.*

Centauri in hac forma figurabantur. Quidam enim latrunculi, vel prædatores, qui de montibus Acroceraunis deſcenderant, altiſſimis, & imperviis alioquin, velocitate, & barbarie effecerunt, ut ſemihominum & ſemiequorum figura exprimerentur.

In hac item forma Sagittarius inter ſigna Zodiaci collocatus eſt. Sed cum inſtituti mei non ſit, de monſtris fermis, ſed humanis diſſerere, de Centaurorum qualitate latius ratiocinari interim omittimus.

Ut verò nonnihil adhuc de univerſali materia quadam diſcutiamus, ad declarandam intelligentiam & firmitatem viri prudentiſſimi & Legislatoris eximii Cecropis, veteres pyramidem everſam repræſentarunt, ſuper baſim ſuam proſtratam, de cujus ſummitate nihilominus bina capita prodibant, alterum adoleſcentuli, alterum ſenis: alludendo ad duarum linguarum peritiam viri hujus, Græcæ nimirum, & Ægyptiacæ. Vetus inſuper traditio eſt Athenienſes olim colonos, & agricolas Ægyptiorum fuiſſe, illuc mandatos à viro illo ſapiente, qui deinceps eis normam vivendi, eſt inſtituta præſcripſerit.

Alii rurſum inquiunt formam hanc inconſtantiæ & volubilitatis eſſe; Aſtronomi ſiquidem in vigeſimo tertio gradu leonis figuram hanc ſtatuunt, ſub quo ſigno ſi quis natus fuerit, eum varium futurum ajunt & mutabilem, & nunquam firmum in opere.

In vaſtiſſimo igitur Oceano tot imaginum, tot figurarum hieroglyphicarum, quæ quotidie novis

novis inventionibus in lucem prodeunt, ad exponendos varios affectus, & opiniones authorum qui nos præceſſerunt, pauperculâ piſcatione mea has quatuor conchas collegi, quæ ſi benevolo Lectori inſipidæ videbuntur, ejus erit, ut dulci ſapore humanitatis & benevolentiæ eas condiat, Ego enim hinc digredior ad conſideranda

MONSTRA MIRACULOSA.

HIc non minus, quàm alibi in præcedentibus Capitulis in immenſum evagandum eſſet; cum enim tanta ſit peccatorum copia, neceſſe foret, quemque pro peccati merito vultum monſtruoſum portare, atque ita, cum rarus ſit, qui à peccatis liberum ſe dicere auſit, infinitas monſtrorum haud dubiè naſcitura eſſet.

Nonnulla tamen de his miracula, tanquam præſagia, & prænuncia infelicitatis, & miſeriarum, quæ deinceps inſecutæ ſunt, hic relaturus ſum: ut tantò manifeſtius pateat cum quanta longanimatate divina miſeratio errores hominum ſupportet: antiquam ad ſeveritatem vindictæ feratur, his nos ſignis præmonendo, ut à fulmine præcaveamus, quo nobis exterminium intenditur.

Non procul à memoria ſæculorum noſtrorum abſunt, quæcunque ab Hiſtoriographis Indiæ referuntur: Diſcipuli enim viri ſanctitate eminentis Franciſci Xaverii, in fide Chriſtiana jam inſtituti, & inflammati, totis viribus annixi ſunt, ut in vaſtiſſimam Inſulam Japonenſem eandem fidem introducerent, & conſcientias populi tam excæcati, tam ſancto lumine illuſtrarent; nec defuerunt complures qui luſtralibus aquis admirabilem claritatem Chriſtianæ intelligentiæ conſecuti ſunt: ita ut Neophyti cujuſdam filii ad unum omnes ob defectum fidei perierint. Ad hunc ipſum Patrem paganorum quidam acceſſit, plurimis, verbis, à diabolo ſuggeſtis perſuadens, hæc filiorum ſuorum funera inopina idcirco contigiſſe, quod ad fidem chriſtianam amplectendam compulſi eſſent, atque ideo religionem hanc novam calce abjiceret. Ad hæc homo inſenſatus aurem præbuit, & mira impietate, apprehenſa ficâ adverſus crucem ligneam feſtinus cucurrit, impiiſſimo corde, multa ſimul improperia, & blaſphemias evomens, eamque multoties perfodiens, credendo ſe aſtantium fidelitatem, tam ſcelerata rabie & animis eradicaturum.

Quantis machinamentis, & fraudibus ſathanas ad perniciem animarum invigilat! Sed miſer quem diximus, propediem expertus eſt, quàm difficile ſit contra ſtimulum calcitrare: continuò enim animadverſio divina ſe ſceleris vindicem monſtravit. Uxor furentis apoſtatæ, jam aliquanto tempore gravida, doloribus partus graviſſimis oppreſſa, poſt tormina & ſpaſmos, & convulſiones mortis, tandem filium enixa eſt, ſed omninò monſtruoſum, ſine mento, thoracem undique apertum habens, ut numerari viſcera poſſent. Quo monſtro adſtantes terrefacti, unà cum authore ſceleris ad priſtinam fidem revertuntur.

Sic altiſſima Dei bonitas aperto infantis pectore, redintegrare cor titubantium in fide; de partu hoc abortivo, tot filius in ſana fide regenerare voluit. Felix puerperium, quod & ſi in prole ſua ſecundum corpus ſiniſtrum videretur, tot renatis ad ſalutem auſpicatiſſimum dici potuit.

Alter caſus, priori deplorabilior, quia meo quidem arbitratu monſtruoſior, non procul ab eo loco, in quo hæc ſcribimus, contigit. Anno redemptionis milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, in territorio vel Diœceſi Foro Livienſi, aut Foro Julienſi, fæmina quædam habendæ prolis avida, videns mulierculam inopem, binos infantes ab uberibus pendentes gerentem, eleemoſynam oſtiatim quærere, eam acriter acerbiſque dicteriis, ſubſannatione, & injuriis impetebat; interrogat pauperculam, ubi vir ejus degeret, reſpondit illa, in hoſpitali, ad quod fæmina, quam diximus, honori ejus inſultans, ignominioſa quæque in pauperem jactabat, deteriora cogitando.

Infans ſeptem capitum.

Mendica ægrè improperium tulit, itaq; altiſſimum precata eſt, ut maledicæ partus talis eveniret, qui innocentiam ſuam palam faceret. Quid non valet oratio, integritas vitæ, & plenas fides apud Deum! Juſtitia divina non inultam voluit calumniatricem, purgatam autem innocentiam fæminæ inopis. Illa enim poſt incredibiles partus dolores, monſtruoſiſſimum filium in lucem dedit, imò verò, ſi dici licet, plures in uno: in uno etenim corpore ſeptena capita apparuerunt, quæ dixiſſes ſeptenis vocibus pro innocentia pauperculæ clamare.

Perjurium quomodo caſtigatum.

Dæmonia nata interimunt matrem, & ipſi intereunt.

Epidaurus urbs eſt, in qua poſt partum Virginis Anno milleſimo quingenteſimo contigit, ut mulier gravida clanculum vicinæ ſuæ par gallinarum furto abſtulerit, tum cum illa domo abeſſet. Reverſa demum, & ſuſpicata quod res erat, eam, quæ ſe læſerat, cum omni moderamine exhortatur, quod abreptum erat, reſtituere. Illa verò inflata & petulans ſine pudore, magniſque clamoribus teſtificari nil ſe de furto noſſe: utque impudentibus & mendacibus verbis fidem conciliaret, repetitis juramentis ſancire cœpit, quæ aſſerebat: inter alia conteſtando, ſi falſum diceret, Deum precari, ut bina dæmonia in partu proximo in lucem edat (O caſum admirabilem, digniſſimum, qui ſexcentis vocibus memoriæ occurrat, & lectione repetatur!) id quod diro periurio ſibi ominata eſt, in vindictam evenit: poſtquam enim pariendi tempus veniſſet, bini dæmones nefando ventre excluduntur, qui in forma viperarum miſere dilaniatis parientis viſceribus, infeliciter matrem interimerunt ipſi ſimul intereundo.

Exemplum tam lugubre iis utique mulieribus ſæpius ante oculos verſandum eſſet, quæ tam facili de cauſa, ſæpe ob rancorem leviculum, ſæpè propter excandeſcentiam, aut ſimulante mendacio ſibi tot malorum auguria, tot imprecationes nefandas attrahunt, ut ſi juſtitia Dei tam impiis votis aurem daret, auſim dicere, tumulos ſepulchrales nunquam clauſos iri, ſed quotidie decades illarum illuc portandas.

Non minus portentoſum eſt, quod Polydorus Virgilius recenſet. Regnante Henrico ſecundo, in Angliæ regno contigiſſe, ut cum S. Thomas Cantuarienſis in partibus illis tanquam Legatus

gatus

gatus Pontificius moraretur, atque illic aliquando per regiones illas ambulando in itinere ad caſtellum, quod Strodum nominabatur, perveniſſet: habitatores loci, qui regis animum jam norant (quippe qui ſæpius conqueſtus fuerat ſe in regno ſuo cum uno ſacerdote pacem obtinere non poſſe, nec quenquam eſſe, qui hac ſe moleſtia liberaret) credendo Regi acceptum fore, caudam equi, quem ſanctus inſidebat, abſciderunt. Sed inſolens facinus impunitum non fuit; Deus enim ad demonſtrandam iram, quam contra gentem tam nefariam conceperat, matrem gravidam, quæ & ipſa fortaſſis in fæce populi fuerat, infantem parere voluit cum cauda belluina ſpiſſiſſima, & omninò crinita: quod deinceps pluribus aliis evenit. Divina providentia & ſeveritate nos admonente, quantopere venerabilis nobis eſſe debeat ſervorum Dei ſacrata perſona, teſtificante, & præmonente nos Davidico verſu: *Nolite tangere Chriſtos meos.*

...e, de
...c. 4.

Itaque ſuprema illa juſtitia Dei, ſicut novit pro merito errores hominum caſtigare, monſtrando, cum quanta ſubmiſſione, & reverentia adoranda ſit; ita non minus iis, qui totos ſe ei committunt, & omnem ſpem in ea collocatam volunt, miſericordiam, & bonitatem impertit: prout palam faciet id quod Cæſarius Hiſterbacenſis, de certo quodam ſacerdote Godefrido, recenſet. Hic cum in domo probationis præceptorem ageret adoleſcentulorum (erat autem Rector Parochialis) oblatus eſt ei infans, ut luſtralibus aquis baptiſmatis eum tingeret, qui in latere ingentem monſtruoſamque molem carnis, quæ reliquo corpori concreverat, in mundum tulerat: vix guttam de pretioſo liquore illo ſuſceperat, cum repente portentoſa caro ſic deſedit, & diſperſa eſt, ut deinceps locus ejus aut veſtigium non apparuerit. Unde Parentes, & aſtantium multitudo, deprædicando lavacri hujus virtutem & energiam, & extollendo mirabilia Dei, prono pectore pro tanto beneficio grates Benefactori ſuo pependerunt.

Quidni & reliqui, qui corpore ſano & integro ſunt, munus Dei agnoſcant, & immenſi beneficii loco habeant, venuſtos, cum omni perfectione, & complemento natos ſe eſſe, gaudere ſe membrorum integritate, & vivacitate, naturam ſe divitem & feracem obtinuiſſe, quæ totum quod voluit, ſine omni defectu adimplevit. Sufficiat mihi inter myriades, hæc pauca ſelegiſſe: jam enim aliò vocor, nimirum ad

PROBLEMATA.

Monſtra quoque propoſitionum non deſunt, ſecum portando & interrogationes varias, & quæſita. Prima fronte ſe nobis & curioſitati noſtræ offert, quî fiat quod monſtra dentur, & qua ratione à natura producantur. Ad hæc jam alibi, ut reor, abundè ſatisfactum eſt, adjungamus nihilo ſecius id quod Ariſtoteles ſcriptò dedit: nunquam non naturam id quod perfectum eſt intendere, ſed ex prava quandoque diſpoſitione materiæ, & mala uteri compoſitione (quidam etiam ſingularem aſtrorum influxionem cauſantur) fieri, ut natura finem ſuum non conſequatur.

...hys.

Ex hoc ſecundum problema derivat, an natura in producendis monſtris finem quendam particularem intendat: philoſophi affirmativam tuentur: ſiquidem enim ad nil intenderet, utique fœtus abortivus eſſet, & informis, id quod non ſemper contingit: hinc cum eadem natura in generatione ſua errorem incurrit, fœminam, utpote imperfectiorem, maſculi loco progenerans, in genere ſuo id quod fini proximum eſt, producit. Si autem extraneo quodam impedimento præpedita fuerit, de utero excludit, aut quadrupedem, aut volatile, aut ſerpentem aut quamvis aliam figuram, vel portentum. Rariſſimum autem eſt, piſces vel plantas in generatione ſua in abortum incurrere.

Nihilominus magnus ille Dypnoſophiſta Æthenæus, authoritatem Hecatii ſequens, memorat, inventam fuiſſe canem, quæ truncum vitis pepererit, quamvis plures authument, partum potius ſcyrrhoſum vel arenoſum, quam ligneum fuiſſe.

Ad id, quod ajunt, naturam, ſiquidem erroribus involvatur, potius monſtra avium producere debuiſſe, quam quadrupedum, reſpondet Cardanus, quod natura intendens in quodpiam Genus, ſpeciem ejus generis aliquam neceſſariò fingere intendit, cum autem finem ſuum in eo non conſequitur, viciniorem utique ſpectat, in quo materiæ repulſam nullam patiatur, quæ naturæ diſpoſitioni unitur: hinc evenit, ut diverſimoda monſtra, cum varietate partium, & differentiis, in quadrupedibus formata prodeant, eo quod magis varius materiarum concurſus in iis ſit: ſed cum materiæ, de quibus loquimur, ad hoc quod neceſſe erat formandum inutiles ſunt, fieri aliter nequit, quin monſtruoſa generatio ſit.

Quare monſtra vitam non prolongent.

Quærunt item curioſi, cur monſtra adhuc utero geſta, vivere, cur deinceps nata continuò mori cernantur. Reſpondet Cardanus res generatas à cauſis ſuis, unde dependent, & unde ortæ ſunt, facilè conſervari, & ſic nondum nata, jam tamen in utero producta non difficulter convivere; quæ enim congenita ſunt, de vita illa de qua producta ſunt participant. Jam verò per ſe vivere difficilius utique eſt, quam convivere, hinc conſequitur, quod monſtra in utero vitam ſuam tuentur, producta continuò expirant. Dum enim pariuntur, non ſicut perfecti partus, ſed tanquam congenita à radice ſua velluntur, & ſic ſine mora deficiunt, & pereunt, quippe quod à natura ſibi propria remota ſunt, ex quo languor & interitus ſequuntur.

Ad reſponſionem hanc ſolide datam, altera quoque non minus valida reddi poterit: quod nimirum monſtra in primordio ſuo parum differant à perfectione eorum quæ complementum ſuum aſſecuta ſunt; ſed cum tractu temporis per incrementa ſua procedunt, majorem ſemper debilitatem incurrunt: proportio enim eorum à naturali degenerat: ſiquidem etiam monſtruoſum aliquid provenerit, vitamque prolongârit, natura ſemetipſam corrigit, & quod monſtruoſum eſt in minorem monſtruoſitatem decreſcit.

Emergit ex his aliud item Problema, cur rarò admodum in monſtris abortus fiat, & cur plerumque partus completos, quanquam monſtruoſos nanciſcantur: ad rem aptiſſime reſpondet Cardanus, cum rari ſint abortus, rariora adhuc monſtra eſſe.

Cur mulieres Ægyptiacæ tot monſtra pariant.

Quærunt item regionum illarum periti, cur mulieres Ægyptiacæ in pariendis monſtris frequen-

quentiores ſint, quàm aliarum orbis partium. Præmemoratus Cardanus reſpondet, eas ut plurimum uno partu plures infantes edere, ac ſic debilitatem ſimul, & collisionem embryonum facile formas turbare, & à natura propria diſtollere.

Sect. 7. Probl.

Formatur & alia quæſtio, cur inter animalia, quæ in quadrupedum genere majora ſunt rarius, quàm quæ minora abortiant, monſtra quoque progenerent. Solvit quæſitum Stagirita, & ait: Minora quadrupedum conſuetius multiplicatum ſimul partum concipere, qui augmentato fœtu ſæpius invicem coaleſcat, & in ſemet incurrat. Itaque monſtrorum abundantiam illic magis occurrere, ubi ſemen multiplex miſcetur: prout in inſectis fit, aut minutis aliis animalibus.

Quod aquatilia magis monſtris abundent.

Iterum inveſtigari ſolet in quo animalium genere copioſius monſtra producantur: complures arbitrantur id potiſſimum in aquatilibus fieri, non ſolùm, ſicut inquiunt, quod figuræ omnes, vel imagines terreſtium æque ac volatilium ſub aquis cernuntur, ſed etiam conſiderata piſcium natura, qui molliores & teneriores ſunt. Materies autem ſic conſtituta, ob ſuperfluitatem humiditatis corruptioni, & alterationi magis obnoxia eſt, & hinc facilius à primitiva forma ſua degenerat, & vitiatur.

Oceanus monſtrorum Pater.

Sed hæc monſtra non tam oculis noſtris patent, ob recondita ſub undis domicilia, & cavernas procul in profundo latentes. His de cauſis fabuloſa antiquitas commenta ſua promulgavit: non ſine ratione. Harpyias propter variam & portentoſam figuram Neptuni filias nuncupans: ſicut Oceanus monſtrorum omnium Genitor dicitur.

Monſtrum duo corpora gerens, utrum binas animas poſſideat.

Difficile rurſum, nec minus ſuperioribus conſiderabile problema eſt: Utrum homo monſtruoſus, duo corpora præſeferens, colligata ſimul, & quaſi in ſe invicem indiviſibiliter complicata, duas ſimul animas, an unam ſolam poſſidere dicendus ſit. Reſpondet Ariſtoteles, totum ex corde judicandum: atque ita corpus diligenter examinandum: cor enim non niſi ſimplex, unum animal denotat: ubi bina corda, ibi animal duplex eſſe. Cardo rei in hoc verſatur, qua ratione dijudicari id poſſit.

Ariſtot. lib. 4. De gener. anim. cap. 4.

Duo corpora ſimul juncta binas animas gerunt.

Niphus in commentariis ſupra Ariſtotelem, commemorat, monſtrum conſimile in Gallia viſum: diu inter Theologos diſceptatum, an ſuper bina corpora aquæ baptiſmales bis repetendæ, cum in ambiguo ſtaret, unum an bina eſſent; differebant enim multiplicitate & variatione ſenſuum, utriſque eorum ſibi proprium exercentibus. Itaque ſtabilitum fuit utrumque ſeparatim baptizandum.

Albertus Magnus de quodam itidem monſtro meminit, quod duplicem hominis faciem geſſerit; in eo decretum fuiſſe, non unum ſed duos eſſe, nec enim aliter credi potuiſſe, differentiis ſenſuum palam ſe prodentibus: uno ſcilicet eorum iracundia commoto, alterum riſiſſe: uno plangente, alterum hilaritate, & gaudio plenum apparuiſſe. Unus etiam ſine altero non dubitatur prolongare vitam potuiſſe, niſi altero mortuo (prout contigit) ex fœtore intolerabili ejus, qui deceſſerat, & cui vivus firmiſſimè hærebat, viventis ſubſtantia corrupta, denique etiam calamitoſæ morti data fuiſſet.

Cerebrum ſedes animæ.

Schola Medicorum nihilominus in agitanda, & tractanda quæſtione de ſede animæ, plurimum ab opinione Stagiritæ noſtri receſſit: cerebrum etenim non cor, præcipuum rationis domicilium ſtatuunt, & proinde etiam animæ, in qua dignitas humanæ formæ, continetur. Quamvis autem ſit omnis vitalitatis fons & origo cor, de cerebro tamen ratiocinatio & perfectus diſcurſus proveniunt.

Caput in embryone reliquis membris majus.

Utque hanc opinionem ſuam conſolident, ajunt, facultatem formatricem, quæ univerſam corporis ſtructuram delineat, componit, & ordinat, in prima hominis conceptione præcipuam curam impendere in formatione, & compoſitione cerebri. Norunt hoc Anatomici, qui cum embryonem anatomica arte ſua diſſecant, caput reliquis partibus grandius, meliuſque formatum inveniunt, cui reliqua membra & viſcera facile cedunt, maxime ea, quæ remotiora à cerebro ſunt: donec tota hominis compages, per incrementa ſua perfectionem ſuam conſecuta ſit.

Cur Nani naſcantur.

Indagatores naturæ, item quærunt, cur in ejuſdem operibus nani producantur, & inter homines degant, & vitam ſuam conſervent. Reſpondent duplici de cauſa id fieri: hoc eſt ex alimento, & vaſe quo continentur: quod poſtremum ſi nimium arctum eſt, quod conceptum eſt, dilatari nequit: par ratio in defectu nutrimenti eſt, quo incrementum embryonis prohibetur, ne ad conſummatam ſtaturam hominis augmentari poſſit.

Mulier cur monſtrum naturæ dicatur.

Interrogatur item, cur mulier naturæ monſtrum dicatur. Quæſtioni ſatis facit Ariſtoteles, dum ait: omne quod per accidens naſcitur, monſtrum appellari: cum autem generatio fæminæ inter ea quæ accidunt recenſenda ſit, hoc ei nomen monſtri attributum eſſe. Videtur hæc propoſitio non ſine fundamento: cum natura nunquam non perfectionem intendat, & fæmineus ſexus inter imperfecta ſit, idcirco quadam ratione abortivam, & monſtruoſam dici poſſe.

Quæ opinio ab Authore non acceptatur.

Sed hæc ſententia (pace talium virorum dixerim) meo quidem judicio non tam ſolida videri debet. Quamvis enim fæmina in perfectione ſua viro concedat, hæc imperfectio nihilominus, me judice, non tanta eſt, ut monſtruoſitatis nomen mereatur: ſic enim in horrorem marium cederet: contrarium verò experientia docet: adde quod de latere primi hominis & de coſta ejus formata, & propter virum creata ſit. Quod ſi monſtruoſa eſſet in eo intellectu ut monſtrum perfectionis, & virtutis eſſe dicatur, viri conſortium & amores utique vilipenderet, cui cum tanta affectione & charitate adhæret.

Plures item quærunt, cur monſtra plerumque pro qualitate nominis quod portant, in futurum eventus quoſdam monſtrent, & præſagiant. Multi enim inter authores opinati ſunt de nativitate monſtrorum, ſemper in futurum aliquid portendi. Sic docet Melanthon, Author probatæ fidei, & pro hac ſententia ſtabilienda refert, Inſigne quoddam monſtrum apparuiſſe, ad ſignificandum Romanis bellum inteſtinum, poſtea motum à Julio Cæſare. Subſcribit huic ſententiæ Sabinus, idque variis monſtris quæ in ſuâ regione ante ortum belli comparuiſſent, confirmat; prout horum plena eſt illius Teratologia. Non tamen idcirco paſſim monſtris attribuenda præſagia bellorum & infortuniorum, prout rectè monet Auguſtinus doctiſſimis verbis: *Da-*

Lib. II. de Civit. Dei.

mnandi ſunt conjectores Monſtrorum & oſtentorum, cum ex illis ſæpè fallantur, & noxiâ vanitate animos impleant, quamvis multa dicendo, aliquid veritatis quandoque incurrant. Quare ſapienter diſtinguit Cardanus, dum ait: *Monſtroſos partus mala denotare, ſicuti urina cruda in morbis:* dum ex his Naturæ univerſalis defectum & corruptionem quandam colligit. Unde potius morbos contagioſos, aut famem, quam bellum inferri poſſe dixerim.

Lib. 4. variar. rer. C. ult.

In Lib. Anat.

Monſtra, quæ ob peccata contigerunt.

Nihilominus conſiderationem meretur opinio Doctiſſimi Paræi, qui hoc negotium ad ſenſum moralem deducit, dum vult in ultionem peccatorum produci monſtra. *Quoniam* (inquit) *ſine modo, ſine lege, vel vago, aut nefando concubitu, vel quo tempore Dei, & Eccleſiæ mandato abſtinere decet, miſcent ſe Parentes, ideò ſæpe nefanda, horrenda, & à Naturæ communis regulâ devia naſcuntur; idcirco ad præſagitionem non eſt confugiendum.* Quæ quidem Doctrina mihi videtur ſaniſſima, & ab omnibus meritò recipienda.

In Lib. monſt. c. 49.

Vult nihilominus eruditiſſimus Aldrovandus per Monſtra quædam extraordinaria, & Naturæ modum omnino excedentia portendi aliquid in rebus humanis. Ita tradit Martinus Weiringhius in quodam Galliæ Caſtello natum infantem, in cujus ventre ſub cute prominebat cultelli cuſpis, extractumque è parte tumida per ſuppurationem verum cultrum: Neque multò poſt exortum in eo loco bellum Civile, quo totum illud Regnum exarſerit. Verùm de præſagiis paulò infra ſingulari Capiti agetur; hactenus ſufficiat ſtatuiſſe, quod monſtra, dum non multum à ſtatu naturali recedunt, pro ſignis rerum ſupernaturalium æſtimanda non ſint. Alioquin Ægyptus cum tota Africa nunquam vacaret præſagiis. Hucuſque de Problematibus dictum ſatis, progrediamur nunc ad

MORALIA.

Monſtra moralia quæ ſint?

NE igitur ex tam ubere campo vacuis manibus recedamus, dicemus à pari: quemadmodum in humana Natura contingit aliquando naſci partus Monſtroſos bicipites, idem accidere ſæpenumero in Eccleſia. Hîc enim verè ſimilia monſtra occurrunt, videlicet ii qui toties diverſos quaſi vultus repræſentant, quoties in diverſos affectus diſpertiuntur: Prout enim illic in uno corpore conjuncta ſunt duo capita, ita hîc, licet in officio Divino animi requirantur uniti, nihilominus dum in varios trahuntur affectus, in tot veluti capita, quot animi ſententias, monſtroſè dividuntur. Coincidit huc alia non minus elegans, & huic loco accommoda Allegoria. Nimirum, ſicuti inter citatos partus monſtroſos reperiuntur, qui cùm ſecundùm partes corporis inferiores ſint homines ſimplices, quoad ſuperiores, ut ita dicam, duplicati, nihilo ſecius partes hæ duplicatæ paſſim reguntur, trahuntur, & ſuſtentantur ab inferioribus, quæ ſunt ex ſuppoſito ſimplices: Ita in Eccleſia DEI, ubi multæ ſunt Perſonæ duplicatæ, gradu, dignitate, doctrina, ſæpè accidit regi eos à ſimplicioribus, quorum tamen ſpiritus præeminet. Atque ita cum diverſæ conditionis & ſtatus ſimus, iiſdem tamen fundamentis innixi, & unanimes eandem frequentamus Eccleſiam. Ubi ſi contingat quempiam ex vulnere peccati ſpiritualiter mori, omnis diligentia nobis adhibenda eſt, quo illum ad reſurrectionem per pœnitentiam, omni ardore, Zelo, & Charitate cohortemur. Sic enim ait Apoſtolus ad Galatas: *Vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite illum in ſpiritu lenitatis:* & rurſum: *Alter alterius onera portate.* Hæc de his dicta ſufficiant. Deveniendum nunc ad

C. 6.

SYMBOLA.

Lib. 7. ſymb. Heroic.

NOn deſunt probatiſſimi Authores, qui tam in his, quàm in Monſtrorum deſcriptione operam ſuam collocârunt. Pater Sylveſter Petra Sancta imaginem monſtroſam fœminæ adducit, in formâ inquam ſirenis, ſub hoc lemmate: *Contemnit tuta procellas.* Applicans hoc ſymbolum Hieronymo Columnæ, Duci Paliano & Archiſtratego Ferdinandi Regis, Eumque per hoc admonens, tam in proſperis, quàm in adverſis ſemper eundem ſervandum eſſe animum. Idem ſignificare voluit Joannes Vincentius Imperialis, per Montem quem oppoſitum flatibus ventorum, eum undecumque agitantibus propoſuit, & in medio ſaxum conſtituit ingens perforatum, quod venti continuò permeabant, dum mons inconcuſſus perſiſteret. Rem aperit hoc lemmate: *Reboat non nutat:* quam ulterius dilucidat ſequenti Epigrammate, applicans ſibi primum, deinde monti, poſtea Saxo:

In Caſalin.

Sæviat immiti fortuna proterva tumultu,
Axeque præcipiti me rota triſtis agat.
Exagitent odiis diri me Numinis Auſtri;
Undaq; per ſyrtes invidioſa trahat;
Mœnia ſeu dulcis Patriæ, charique Penates
Me teneant, aliò ſeu mea fata ferant.
Mens immota manet, nixûſque moventur, inanes:
Non ſors, non odium, non mihi livor obeſt.

Alio præterea Epigrammate alludit ad Montem, & Saxum.

Tunditis aëreum rapido quid flamine Monſtrum,
Alpini Boreæ? quis novus ardor agit?
Creditis intrepidam certatim evellere rupem?
Non nutat celſo vertice, ſed reboat.
Me ferias livor, falſo me crimine latres,
Aſſiduo tundas verbere, lingua procax:
Inconcuſſus ero; quod ſi mihi Numina donent,
Ut charum Patriæ det ſonus iſte ſolum. &c.

Conditiones Ducis.

Idem Pater Petra Sancta mirabile Monſtrum depinxit: Videlicet caput equi facie humanâ, barbâ ad pectus uſque demiſſâ, pedibus Gruis, & caudâ Galli Judici, additis Literis FAB. Fuit hoc ſymbolum pridem inſcriptum Fabio Maximo, deſignanturque hac effigie dotes & conditiones optimi Ducis. Et quidem in Capite equino Principatus & præeminentia militaris; In facie, barba & pectore, prudentia humana magnopere in hoc officio neceſſaria; in pedibus Gruis benè ponderata, & nullatenus præcipitata Conſilia & præterea vigilantia; tandem in Cauda Galli Indici, fiducia indubitatæ Victoriæ delineantur. Sanè Duci, hujuſmodi dotibus exornato, nullatenus deerunt nec victoriæ, nec Triumphi. Huc reſpiciens M. Tullius, *Armis* (inquit) *juvenum, Conſiliis ſenum bellum geritur.* De iſtis hactenus converto me ad

EMBLE-

EMBLEMATA.

Sphinx.

QUemadmodum in præcedentibus argumentis, ita & in his copioſè famulantur effigies monſtrorum. Alciatus inter Emblematum ſcriptores facilè primus, depinxit mulierem, pedibus leoninis, & volatilium alis inſtructam, hâc epigraphe: *Submovendam Ignorantiam.* Sphingem denotans, de qua hoc loco, nec centeſima quidem pars, pauca nihilominus dicentur, remittendo qui his plura deſiderant, tam ad ipſum fontem Alciatum (& in eum fuſos Joannis Tuillii Commentarios, in quibus amplam materiam inventurus eſt) quàm ad reliquos Emblematum Compilatores, ut Alexandrum, Cœlium, Aulum Gellium, alioſque diverſos, & ex modernis P. Cauſinum in Hieroglyphicis, & Reverendiſſimum Auguſtinum Maſcardum in ſermone prolixo quem in Tabula Cebetis de monſtro hoc inſtituit.

Hoc illud eſt, de quo ferebatur, eſſe virginem facie pereleganti, reliquo corpore formatam, uti diximus, habitantem in Thebanis rupibus, è quibus præcipitando interficeret eos, qui fortè illuc perveniſſent, & ſuo malo propoſitorum ænigmatum ſolutionem ignorâſſent. Erat autem potiſſimum tale, quale alibi, quamvis paulò obſcuriùs, jam indicavi. Proponebatur ſcilicet, quodnam animal primùm Quadrupes, poſtea Bibes, & ultimò Tripes eſſet, id quod ab Auſonio his verſibus declaratur:

Qui Bipes, Quadrupes foret, & Tripes, omnia ſolus
Terruit Aoniam Volucris, Leo, Virgo triformis,
Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Inter quæ animalia numeret.

Hanc ſapienter Lactantius Firmianus inter Harpyias collocant: Diodorus ſimiis adnumerat. Albertus Magnus quoque & Solinus ſimiam appellârunt: Sabellicus, latronem & ſicarium in montibus Thebanis hoc nomine fuiſſe judicat. Qualecunque illud ſit, noſtrum eſt indagere, quomodo per Sphingem ſeu monſtrum ejuſmodi Triforme intelligatur Ignorantia, quæ non ſecus atque Sphinx in monte habitans ſceleſtâ feritate infinitam ferè hominum multitudinem opprimit, idque hâc ſolum de cauſâ, quod homines, dum ſemetipſos non cognoſcunt, velut unda Maris, ſe ultra propriam conditionem elevant, aut deprimunt.

Sphingis interpretatio.

Nec myſterio, caret quod triplici potiſſimum hac forma illud monſtrum deſcribitur. Triplex enim eſt potiſſimum ratio, & veluti Cauſa efficiens omnis Ignorantiæ atque inſcitiæ. Per faciem Virginis voluptates illicitæ denotantur, quæ ſæpiſſime humanum intellectum ita excæcant, extraque rationis ſemitam abducunt, ut oblitus homo originis atque Dignitatis ſuæ, non aliter ac ſus immunda in luto ſenſualium Cupiditatum volutari non horreat. Pennæ, quibus monſtrum hoc integitur, levitatem indicant, & inconſtantiam animi, voluptatibus ſubjecti, qui, ut ſolet in prælio ancipiti, nunc ab hac, nunc ab illa cupiditate vincitur.

Tandem pedes Leonini ſuperbiam indicant, & Arrogantiam, per quam homo Lucifero non abſimilis, aberrando à recto tramite, quo ſe altiùs elevat, eò magis greſſu vacillat & in præcipitium ruit, dumque adinſtar ſuperbiſſimi ſpiritûs lucidiſſimo ſplendore ornatum ſe credit, intra Cimmerias tenebras mille fatuitatum & inſaniarum implicari ſe deprehendit.

Triplex igitur cauſa eſt Ignorantiæ. Primùm voluptates corporeæ, quæ tanquam fortiſſima catena intellectum humanum Vincentes efficiunt, ut ad aquiſitionem veri boni pertingere non valeant. Secundo levitas Ingenii ſive temeritas Icari & Phaëthontis, dum non videt aut cognoſcit, quantùm videre aut cognoſcere poterat, niſi levitas obſtaret, atque ita inter mille præcipitia incautus volvitur. Ultimum eſt ſuperbia, & ambitio animi, per hanc, quo altiùs conatur extolli, eò profundiùs in præcipitia & abyſſos ruit, atque ſubmergitur. Hinc celebris eſt Plutarchi Traditio, qui refert, Sphingis effigiem collocatam in Porta Fani Apollinis Delphici, qui ritus poſtmodum ab aliis quoque Templorum Curatoribus obſervatus eſt, habebatque aureis literis inſculptum Lemma; *Noſce te ipſum.* His præmiſſis pro dilucidatione præſentis Emblematis, memorati Andreæ Alciati, perelegans, & feſtivum Epigramma huc collocare placuit:

Quid Monſtrum eſt? Sphinx eſt; cur candida Virginis ora,
Et Volucrum pennas, Crura leonis habet?
Hanc faciem aſſumpſit Rerum Ignorantia: tanti
Scilicet eſt triplex, Cauſa, & origo mali.
Sunt, quos Ingenium leve, ſunt, quos blanda voluptas,
Sunt & quos faciunt corda Superba rudes.
At quibus eſt notum, quid Delphica Litera poſſit,
Præcipitis Monſtri guttura dira ſecant.
Nam Vir & ipſe Bipes, Tripeſque, & Quadrupes, idem eſt,
Primaque prudentis laurea, Noſce Virum.

Qui plura in hoc Propoſito deſiderat: altiuſque in Doctrina hac penetrare, Authores, paulò ſupra nominatos, evolvat.

Pinxit Alciatus & aliud præterea Monſtrum exhibuit, videlicet bovem vultu & pectore humano, inſignitum his literis S. P. Q. R. quæ omnia vexillo appenſa erant cum ſequenti Inſcriptione: *Non vulganda Conſilia.* Alludens ad Minotaurum, de quo Mythologici ac Poëtæ referunt, fuiſſe Monſtrum ex Paſiphaë ob nefandum cum Tauro concubitum natum, quod Dædalus in fabricato à ſe Labyrintho concluſit in Creta, ut benè canit Ovidius:

Minotaurus.

Dædalus occluſit, conceptum ſemine matris,
Semibovemque virum, Semivirumque Bovem.

Monſtrum iſtud ſic figuratum erat (monente Feſto, Authore illuſtri in excogitandis ſymbolis militaribus) ut omnes intelligerent, non minùs intereſſe, ut Principum Conſilia, maximè verò in Militia, eſſent occulta, quàm Monſtrum hoc labyrintho incluſum, quod in confuſis illis gyris ſic ſtabat abſconditum, ut nulli hominum acceſſibile eſſet. Hinc Dionis Traditio, interrogatum Tiberium Imperatorem, eccur ſua conſilia & Expeditiones non his ſaltem aperiret, quibus multa confidentiæ ſigna alioquin monſtrabat? reſpondere ſolitum: *Aut nulli aut paucis cognitum eſſe debere Principis Conſilium.* Idem refert Marcellinus, Sacroſanctè apud Perſas obſervari, ut nulli ex Conſiliariis aut Optimatibus quidquam aperiretur eorum, quæ in Senatu Principum fuerint pertractata, niſi præſtito prius juramento obſervandi ſilentii. Idcircò ſacrum Collegium Purpuratorum ſapienter conſtituit, ut mox in primo cujuſpiam ingreſſu ad Solium,

ea Ceremonia adminiſtretur, quam vocant *os occludere.* Nemini igitur mirum videatur, tantâ circumſpectione & prudentia res ad ſanctam fidem ſpectantes gubernari & conſervari. Inſonat etiam Lex Cæſarea: *Conſilii Principum revelatores vivi crementur.* De his ad longum videatur ſchola veritatis aperta ad Principes Patris Juglaris: & ne ab inſtituto citati Emblematis longiùs recedamus, ſic illud præfatus Author ipſe declarat:

Limine quid cæco, obſcurâque caligine Monſtrum
Gnoſſiacis clauſit Dædalus in latebris?
Depictum Romana phalanx in prælia geſtat,
Semiviroque nitent ſigna ſuperba Bove.
Noſque monent debere Ducum ſecreta latere;
Conſilii authori cognita techna nocet.

Proſtant paſſim memoratæ Paginæ, amplis commentariis auctæ, ſi cui deſiderium ſuccreſcat animum Doctrinis, & ulteriore notitiâ exatiandi. Aliud ſimiliter Monſtrum ob oculos ponit ſupradictus Author; cujus partes ſuperiores hominem, inferiores ſerpentem repræſentant, adjunctis his verbis: *Sapientia humana, ſtultitia eſt apud Deum,* cui non malè convenit, dictum illud Spiritûs Sancti, *Non eſt prudentia, non eſt Conſilium contra Dominum.* Vanus eſt, imo apertè delirat, qui extra Deum ſapientiam quærit. Dum humanæ ſapientiæ rivi, ab æterno ſuo fonte, Deo ſeparantur, illicò exareſcant, & ſiccentur neceſſe eſt.

Prov. 21.

Id experti ſunt Pharao, Sennacherib, Darius, Nabuchodonoſor, Jeroboam, Ochozias, Ozias, Balthaſar, & tot alii, quorum Sacræ Literæ meminerunt, & in profanis hiſtoriis ſexcenti; qui dum ſapientiæ ſuæ cum Dædalo alas fabricaſſent, viderunt ſe cum Icaro aquis ignominiæ, & atrocium ſuppliciorum immerſos. Non prætereunda hîc divina oracula, dicente Salvatore: *Sine me nihil poteſtis facere.* Facite, quantum noveritis; Vertite vos utcunque placuerit; *Sine me nihil poteſtis facere.* Infelices illi, de quibus ad Iſaiam ait: *Liniunt absque temperamento; ipſi ædificabunt, & ego deſtruam.* Verbo, *Sapientia humana ſtultitia eſt apud Deum.* Caput humanum, baſis autem ferina: Quia *ſtulta & abjecta hujus mundi elegit Deus, ut fortia confundat.* Quod reſtat, ſic erudito Epigrammate illuſtrat Alciatus:

Quid dicam? quonam hoc compellam nomine Monſtrum,
Biforme quod non eſt Homo, nec eſt Draco?
Sed ſine vir pedibus, ſummis ſine partibus Anguis,
Vir anguipes dici, & homiceps Anguis poteſt.
Anguem pedit Homo, hominem eructavit & Anguis;
Nec finis hominis eſt, initium nec feræ.
Sic olim Cecrops doctis regnavit Athenis;
Sic & Gigantes Terra mater pertulit.
Hæc vafrum ſpecies, ſed Relligione carentem,
Terrena tantùm quique curet, indicat.

Poſſunt præterea hoc figmento, quod partim humanam, partim ſerpentinam naturam exhibet, indigitari hi, qui licet animâ rationali præditi nihilominus brutorum adinſtar, per immunditiem terrenorum affectuum ſerpunt: Ut Epicurei, qui deviantes à recto tramite ipſis per Epicurum ſapientem Præceptorem deſignato, voluptatem è rationali in ſenſitivam & impuram converterunt. Id quod Senecam in hæc verba permovit: *Ad nomen voluptatis currunt, quærentes libidinibus ſuis patrocinium, ac velamentum; neſcientes, quàm ſicca, & ſobria fuerit Epicuri voluptas.* Plura deſiderantem ad Tractatum meum, cui titulus: *Epicurus contra Epicureos,* invitatum volo.

Epicurei ab Epicuro diverſi.

Exhibuit tandem Alciatus caput monſtroſum, humanâ quidem ſpecie, ſed ex duabus naturis, ſeu duplici capite conflatum, cui inſcripſit: *Prudentes.* De quo recordor me jam alibi verba feciſſe; Eſſe nimirum ſapientis viri, atque prudentis, & futura prænoſcere, & præteritorum recordari; ita moderari præſentia, ut de futuris cogitetur. Hæc erat effigies Jani ſapientiſſimi Regis quaſi qui feros & inurbanos hominum mores excolendo, vitæ civili atque morigeræ accommodaverit: Vel quod eſſet Author & Rector duorum populorum: Prout eum cœli Janitorem conſtituerunt, quod ſerarum eſſet inventor, & proinde ſua accuratiùs cuſtodire noſſet.

Prudentia. Janus. Rex duorum populorum. Inventor Serarum.

Sapiens profectò ac utile commentum, quo vix aliud melius, ingenium humanum potuiſſet producere; quare illum honoribus cumulatum, inſuper appellatione Solis inſignire non dubitârunt. Idcircò eundem conſiderârunt, quaſi ideam ac normam ejus prudentiæ atque ſolertiæ, quæ Principi ſit neceſſaria, ut & futura prævidere, & iiſdem utiliter providere poſſit.

Igitur Romani duplicem hanc figuram in ejus Templo, quod erat in Argileto, ita collocârunt, ut facierum altera antrorſum, altera retrorſum conſpiceretur, illas tanquam comites Divinitatis omni honore & obſequio proſequebantur. Vera hujus Emblematis ſignificatio eſt, omnia diligenter conſideranda, & præſentia cum futuris conferenda & combinanda, quæ ſequenti Epigrammate declarantur:

Jane bifrons, Tu qui tranſacta, futuraque calles,
Quique retro ſannas, ſicut & ante vides.
Te binis igitur cur fingunt vultibus? an quod
Circumſpectum hominem forma fuiſſe docet?

De hoc Jano, ejuſque origine, Statu & Conditione, qui plura voluerit, legat Joannis Tuillii commentarios ſuper hoc Emblemate, item Hieroglyphica Pierii, & Adagia Pauli Manutii; *à fronte & à tergo alter Janus,* & ſimiles. Eſt igitur Prudentia, veluti firmiſſimus murus, & verum ac inconcuſſum fundamentum regnorum, dicente Pithio Philoſopho apud Stobæum: *Robur, & murum, & arma, ſapientia & Prudentia præſtant:* & Marco Tullio: *Prudentia eſt rerum expetendarum ſcientia.* Quantùm in diſcernendis aſteriſmis etiam remotiſſimis Tubo optico Galilæus, tantum in cœlo Politico ſeu morali præſtat Prudentia. Hâc dexterâ gladium ſuum regit Juſtitia. Dicente eodem Tullio: *Juſtitia ſine Prudentia multum poterit, ſine Juſtitia nihil valebit Prudentia.* Hoc Cardine univerſum ſuſtentatur. Et ſiquidem in Diis habitus acquiſitus reperiatur, profectò erit Prudentia. Sic enim rurſum Cicero. *Deorum Providentiâ & Prudentiâ mundus adminiſtratur; iidem conſulunt rebus humanis, nec ſolùm univerſis, verùm etiam ſingulis.* De Emblematibus pro hâc vice ſatis remittendo curioſum lectorem ad eos, qui in his prolixiùs verſantur; Dum ad Materiam tam utilem, quàm neceſſariam gradum dirigo, ut ſunt

2. Officior. Ibidem. De natura Deorum.

PRÆSAGIA.

NOn occupor hîc loci, circa vanas quaſdam obſervationes, aut eventum infallibilem dependentem ex apparitione Monſtrorum, quaſi

hæc invicem ita ligata & unita ſint, ut altero horum eveniente, non poſſint reliqua non evenire. Verùm ad eam normam, quam præcedenti capite obſervavimus, conſiderando Authoritates eorum, qui non vanis præſumptionibus, ſed multa eruditione comprobârunt: Eſſe nimirum hæc ſigna, atque voces quaſdam Altiſſimi, quibus humano generi Divina Conſilia revelentur, imò multoties per ejuſmodi indicia flagitiis hominum provocata DEI indignatio manifeſtè prænuntietur. Huc pertinent ea, quæ refert Sorbinus. Tempore Valentiniani Imperatoris duo Monſtra, alterum magnitudinis, alterum verò paruitatis inſignis comparuiſſe; & illud quidem in Syriæ Provincia, omnem ſtaturam, quantumcunque immenſam, ut Enceladi, Goliathi, aut Milonis excedebat; hoc verò in Ægypto tam erat parvum atque exile, ut jam nemo eſſet, qui ad hujus conſpectum de Pygmeis alioquin fabuloſis poſthac dubitaret. Paululum ab hinc atrociſſimæ calamitates in orbe terrarum enatæ ſunt. Fuerunt, qui aſſererent, fore aliquem ex infima plebe ortum, vitæ & ſaluti magni Imperatoris Valentiniani inſidiaturum. Non deerant, qui crederent, per ortum ejuſmodi Monſtrorum imminentia bella portendi, indeque formatum ſequens Jambicum:

Monſtrum omne belli tempore extat crebrius.

Veroſimile igitur eſt, talia accidere, dum Altiſſimus continuis hominum culpis irritatus, ex juſta indignatione ſua (noſtro intelligendi modo) ſuſpenſa alioquin flagella concitatus apprehendit, atque ita per miſerias & tribulationes, humanum genus affligit, & quodammodo opprimit: hoc rurſum duobus Jambicis exprimitur:

Portendit iram quodlibet Monſtrum Dei;
Ubi Monſtra ſunt, ibi ira non procul Dei eſt.

His ſtantibus referunt Authores, paulò ante cruentum illud bellum, illatum à Bruto, tale quoddam Monſtrum apparuiſſe.

Monſtrum ad inſtar Dæmonis cornutum & alis inſtructum.

Erat autem in conformatione ſua Dæmoni prorſus ſimile, horridiſſimâ facie, cornutum, ingentibus binis alis inſtructum, quod ex quadam fœmina natum quidam voluerunt. Porrò Appianus Marcellinus ſic factum retulit. Brutus & Caſſius cum anno ante Incarnationem verbi uno & quadrageſimo ex Abydo in Europam cum exercitu trajicerent, circa medium noctis opacæ venit monſtrum hoc, ita, ut dixi conformatum, ſeque obviam fecit Bruto, qui in Tentorio ſuo plenus curarum, & anxius de belli exitu inſomnis agebat; hic igittur (ut fere accidit iis, qui cogitationibus fatigantur, dum ſoli ſunt) quamprimum ſibi neſcio quem appropinquare ſenſit, ad motum, ſtrepitumque inſolitum reſpicit, ſimulque horrendam figuram intuens, horribili aſpectu primùm terrefactus, mox tamen reſumpto animo interrogat; unde adveniat, qui dve petat? Cui deformis ille, ſe malum Bruti Genium eſſe, ſic ait: *in Philippis me videbis,* quibus dictis, revertendo per viam quâ venerat, ociùs diſparuit. Confeſtim Brutus accerſitis, qui in excubiis ſtabant ſciſcitatur, num quem, ad ſe intrantem, aut de ſe exeuntem vidiſſent; cognito, quod neminem, corpus quieti reddit qualem illi ſtupor & pavor à conſpectu terribilis formæ reſiduam fecerunt. Manè facto, vixdum orto ſole Viſionem Caſſio narrat, qui ſomniantis delirium, illuſionemque reputans, id ſolicitus curavit, quò omnem exercitum in Europam traduceret, qui totam eam regionem inter Acnum & Sennam victorioſus peragravit. Ex illa tamen die res Romanorum in deterius ibant, unde & Norbanus illud belli fulmen obſeſſus ab hoſte, in loco præſidii occubuit, parumque abfuit, quin magna ſtrages atque cædes ſequeretur, niſi Marcus Antonius, tam adhucdum ſtrenuus, quàm poſtea effœminatus, cum validâ ſuorum manu in tempore ſuccurriſſet. Exinde mutatæ rerum vices ſunt, quouſque Brutus infelici morte fidem addidit, quæ ipſe ex Monſtro audiverat: *Cæterum* (concludit illuſtris Aldrovandus) *ſi per annorum ſeriem percurramus, nullum Monſtrum ſine præſagitione natum eſſe, multi Authores, & potiſſimum Sorbinus pro comperto affirmavit.*

Tempore Conſtantii Imperatoris, earum calamitatum, quæ poſtea Conſtantinopolim infeſtârunt, prænuntium fuit Monſtrum, quod hîc deſcribitur.

Anno Chriſti trigeſimo octavo ſupra trecenteſimum, prope Daphnem locum ſuburbanum magnificæ civitatis Antiochenæ, infans duplici ore, quatuor oculis, & geminatâ dentium ſerie, barbâ prolixâ, & breviſſimis duabus auribus in lucem prodiit: manifeſto indicio, Rempublicam illam brevi in miſerum ac infelicem ſtatum redigendam, dum quod inſecutum eſt ſæculum, paſſim atteſtantibus hiſtoriis, innumeris calamitatibus refertum fuit. Invaſerunt Eccleſiam homines ſcelerati atque nefarii, qui eam venenato halitu, & vapore peſtilentiali impleverunt. Quo infectus & Conſtantius Imperator, & Arianiſmi laqueis implicitus, leges omnes pietatis, fidei, & Religionis Chriſtianæ corrupit.

His addenda Monſtra, quæ tempore Mauritii Imperatoris, orbem terrarum tantopere fœdarunt. Videlicet anno quingenteſimo, octavo & ſeptuageſimo inter alia mulier in Thracia peperit infantem, alioquin decorum, ſed planè monſtroſum, utpote cui brachia deerant, & quod ab umbilico ſupererat corpuſculi, totum in piſcem terminabatur. Fuit præterea repertus canis, capite Leonino: Item puer quatuor pedibus inſiſtens. Hæc ſecutum eſt contagium ſectæ Mahometanæ, cujus artes, & ſcelerati atque ſacrilegi ritus ubique debacchantes orbem tunc infecerunt, operà potiſſimum Imperatoris, qui primus conſenſit, dum ſemetipſum infamem Legislatorem conſtituit. Hinc terrâ marique paſſim nata & multiplicata ejuſmodi monſtra: Inter quæ conſiderationem meretur infans capite canino circa annum Chriſti nongenteſimum decimum quartum. Neque multò poſt deplorabilis illa cataſtrophe per orbem terrarum inſecuta, dum, referente Sorbino, ipſi inter ſe Fideles & Chriſtiani inteſtinis diſſenſionibus ſeſe mutuò provocantes & irritantes, ſemetipſos civilibus bellis impetierunt, & dilacerârunt; hinc illæ ſtrages & funera.

Anno ſupra milleſimum ducenteſimo, tertio & trigeſimo, Monſtrum in Epiro prodiit, duplici corpore, quorum alterum, hominem viventem, alterum verò canem exhibebat. Neque multum temporis interfuit, quin in Albania multæ & ineffabiles calamitates propullularent, dum internis & clandeſtinis proditionibus, veluti caninis morſibus appetita laceraretur & configeretur illa provincia, cujus incolæ perjuriis & occultis blas-

phemiis profanantes Religionem, canibus rabidis atque mordacibus non abſimiles, qui inſanabilia vulnera ſibi mutuò infligerent. In confinibus ejuſdem regionis, anno regni Imperatoris Lotharii poſtremo, infantem mulier edidit, non multum à priori diſſimilem, humanum partim, itemque ex parte caninum, qui dicti Imperatoris mortem prænuntiavit.

Apud Samnites populos, ſuæ in Aprutio, circa annum milleſimum ducenteſimum quinquageſimum & quintum, monſtrum triceps natum eſt, neque diu ſuperfuit. Exinde tres omnino Imperatores, diu inter ſe pro obtinendo Primatu decertârunt. Ejuſdem ſæculi anno nonageſimo tertio, imperante Andronico ultimo, Conſtantinopoli puer duobus capitibus, & quatuor manibus inſtructus in lucem prodiit: Qui quidem, juxta ejuſdem Sorbini mentem, aliud non indicabat, quàm impendentem infelici huic urbi ruinam, quæ & paulò poſt evenit, dum populus, antea fundamentis unius, & veræ fidei innixus, cœpit per diverſas opiniones circa eandem diſtrahi & divagari, unde poſtmodum ita graviter lapſus eſt, ut tandem ſervili ferro vinctus, Lunæ Ottomannicæ mancipium, miſerè oppreſſus & afflictus decumbat.

Pariter anno ſupra milleſimum & trecenteſimum, octuageſimo nono, puer natus eſt, qui manus quatuor, totidemque pedes habebat. Is depravatos mores, & vitam Chriſtianorum in ſceleribus transactam ſignificabat, qui nominetenus, & quoad cultum exteriorem quidem, ſe Chriſtianos, vitiis autem & affectibus longè diverſos & ſceleratos profitebantur; Cujus vivum teſtimonium erat nefandum Schiſma Benedicti XIII. antehac Petri Lunæ, ad Pontificatum aſſumpti, peſſimo exemplo inter Chriſtianos, quod & plures populos corrupit, & contaminavit: & exinde bella, lues contagioſæ, & graviſſima infortunia acciderunt.

Rurſum Anno ſalutis milleſimo centeſimo, & nonageſimo, repertus puer eſt auribus leporinis, quo tempore famoſus Imperator Fridericus, bello contra Turcas geſto, infeliciter periit, & Cracovia parum abfuit, quin totaliter incendio abſumpta & depopulata fuerit. Unde apud ſorbinum, Aldrovandus in hæc verba concludit: *Summus Deus his Monſtris, tanquam tot monitis, homines à malis impendentibus abducere conabatur, cum paucos poſt dies in tot Lepores degenerandos eſſe præſentiret.*

Similiter anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo, ſexto & nonageſimo, in Tiberi flumine monſtrum deprehenſum fuit, corpore humano, ſed ſquammoſo: Caput aſininum, dextra manus hominis erat, ſiniſtra figuram pedis Elephantini referebat; Pes dexter adinſtar unguis Aquilini, ſiniſter velut ungula Bubali: Venter uberibus quaſi fœmineis per circuitum dotatus: Caput à poſteriori parte barbatum, inſuper aliud ad ſimilitudinem Draconis. Ex hoc Sorbinus occaſionem nactus eſt præſagiendi, quandoquidem tot & tam diverſa animalia, ad hujus Monſtri conſtitutionem concurrerent, tot, tamque diverſas hæreſes, quæ tunc temporis Catholicum orbem infeſtabant, & affligebant, annuntiari. Enimverò caput aſininum, quod frigiditatem & pigritiam indicat, Lutheri ſymbolum eſt, ejuſdemque aſſeclarum, ſublatâ & refrigeratâ omni charitate, & amore reciproco: Hinc tot bella exorta, quæ tantis malis, damnis tam immenſis, univerſam Germaniam, unà cum vicinis Regnis cumulârunt.

Cui in apertiſſimos campos præteritorum temporum exſpatiari libêret, Næ ille multò graviora, & horribiliora monſtra deprehenſurus eſſet. Ut igitur curioſus lector, & in his notitiam quandam habeat, quædam huc adducturus ſum. Igitur circa Annum Chriſti milleſimum, quingenteſimum, & duodecimum, in regione noſtra, Ravennenſi, Monſtrum apparuit, cornu gerens in capite, pedes adinſtar volucris ex genere rapacium, cum oculo in genu, & brachiorum loco duabus alis inſtructum, & quod ſexum utrumque includebat, de reliquo ex humanis membris compoſitum. Comparuit hoc monſtrum circa tempora, cum Papa Julius II. magnam Chriſtiani orbis partem in Ludovicum XII. Galliæ Regem incitavit, & ſtimulavit: unde poſtea ipſo die Reſurrectionis Dominicæ, tam in campis, quàm in ipſa Ravennatium urbe acerrimè dimicatum eſt. Erant, qui ad hujus Monſtri conſpectum vaticinarentur, futuros homines ſceleratos & nefarios (prout contigit) qui diffidentiis & ſimultatibus univerſum orbem inficerent & corrumperent: Dum per cornu hujus monſtri, ſuperbiam; per alas levitatem, & inconſtantiam mentis; per defectum brachiorum, perverſitatem operum; per pedem volucris rapacis, avaritiam, uſuras, & rapinas; per genu oculatum, unicam viventium propenſionem in malum; & per utrumque ſexum, omnis illicitæ concupiſcentiæ appetitum arguerent.

Perhibetur item aliud non diſſimile Monſtrum cornutum, & alatum. Facies erat Satyri, aure & cornu prorſus deformata, itemque brachiorum loco duas alas habens, pedum alter humanus, alter ſquamoſus per modum piſcis finiebat, dum in illo oculus in genu apparebat. Pectori inſcriptæ erant tres hæ literæ, X. Y. V. & harum quidem poſtrema, Lunæ accreſcenti, ſeu novæ, ſuperimpoſita cernebatur. Igitur Docti ex his prognoſim aliquam eruentes, aſſerebant; eſſe hoc veluti monitum quoddam, flagella vindictæ divinæ declinandi, dum in X. ſignum Crucis Dominicæ, in litera Pythagorica Y. ſemitam virtutis agnoſcebant: ideoq; ſi mortales poſt agnitionem ſuorum delictorum, ad Crucem Redemptoris noſtri confugiſſent, citra omne dubium eos mediante Virtute, quæ ad Lunam, cœlumque ipſum pertingit, ad æternas uſque beatorum ſedes perventuros.

Non minus admirationis promeretur portentoſum illud monſtrum, quod anno prioris ſæculi 1523.
vigeſimo tertio, in quadam urbe Germaniæ, atque juxta Jacobum Rufum, & Ambroſium Paræum in Saxonia natales habuit, à muliere quadam editum: Quod tametſi in toto corpore, omnibuſque ejus partibus figuram & habitum vituli referebat, in capite tamen, tubercula rotundæ carnis enata caput Religioſi in coronæ formam raſi exhibebant, cui conjuncta erat alia quædam carnoſa ſubſtantia, à cervice ad humeros uſque protenſa, cucullo Monachorum ſimillima, ita ut non præter rationem illud Sorbinus, *Vitulum Monachum* appellaverit, prout etiàm hoc portento, Prædicationem nefariam Lutheri, antea Monachi, ſignificatam voluit. Non prætereundum eſt hìc loci, qualiter hoc monſtrum coxas veluti dilaceratas habuerit, conſiderare: In his enim ſine dubio pœnæ atque tormenta figurabantur, quibus Lutherus cum aſſeclis ſuis, caſtigatione divina puniendus eſſet: neque dubitat memoratus Author, ut largam Altiſſimi clementiam, ita hìc gravem & ſeveram ejuſdem juſtitiam augurari.

Aliud ſuperioribus non minùs formidabile Monſtrum, ejuſdem ſæculi anno quadrageſimo tertiò, in Belgio, vel potius juxta mentem Jacobi Rufi, & Cardani, Cracoviæ de non infimæ conditionis Parentibus ortum eſt. Erat huic cauda admodum longa, & è regione narium Proboſcis ampla, & lata: Oculos gerebat planè rotundos, ex quorum utroque duæ alæ prodibant: aures per modum jumenti formatas gerebat; cum alio inſuper oculorum pari, in umbilico: Manuum pedumque ſingula inſtructa erant quatuor Niſi unguibus, quorum tres quaſi anſerinâ pelle coopertæ & obductæ.

In cubitus, genuumque regione quaſi canina capita; & loco uberum alterâ quidem parte canis, alterâ ſimiæ caput offerebat. Trium horarum tempore, non ampliùs, Monſtrum hoc ex tot monſtris compoſitum ſupervixit. Contemplati ſunt illud non pauci, & inter alios induſtrius indagator Sorbinus, quibus tot canum & ſimiarum effigies horrorem incuſſit. Paſſim crediderunt indicari per hoc ſceleratos & facinoroſos, qui corpus Eccleſiæ Sanctæ lacerabant, & dilaniabant, & idcirco gravem vindictam à Deo expectandam, punituro mores hominum caninos, quibus hi eâ ætate pulcherrimam, & florentiſſimam Germaniæ partem mordebant, contaminabant & lacerabant.

Dubium non eſt, poſſe & alia monſtra non multùm ab ordine naturæ recedentia, nihilo ſeciùs imminentia infortunia, & calamitates ſignificare: quale fuit illud, quod Lutetiæ Pariſiorum anno ſalutis milleſimo, quingenteſimo ſeptuageſimo, menſe Julio in lucem prodiit. Conſtabat hoc ex duobus geminis, qui naribus & umbilico conjuncti, & per conſequens capitibus, brachiis, pedibusque ſibi mutuò oppoſiti erant: Ortum habuit à Parentibus infimæ ſortis, Petro Germano, bajulo, ſeu mercenario Patre, & Matthea Pemella matre, conjugibus. Oſtenſum ſubinde populo, & Optimatibus: inter quos multa diſceptatio fuit. Quidam ex hac corporum conjunctione, unitatem ſimiliter pacis, cujus jam tunc articuli inter Caduceatores & Legatos ſub incude erant, inter Principes ſtabiliendam augurari: Alii rurſum è contrario omnem ſpem pacis per hoc monſtrum excluſam atque proſcriptam, conjecturari volebant: Siquidem ex geminis hiſce corporibus, neque alterum ſedere, neque alterum ambulare poſſet. Unde interpretes pacis, quatuor hoſce verſus concinnârunt, quos hìc apponere à noſtro propoſito non eſt alienum:

Quis dubitat quin Pax, tam longo tempore tracta,
Mox ſit majori corruitura malo?
Hoc non pacifici portendunt omine fauſto,
Claudicat hic pedibus, ſed ſedet ille malè.

Lib.6. de Civit. Dei c.8. Referunt Sancti Auguſtinus, Hieronymus & Paulus Diaconus, ſuis temporibus multa ſimilia Monſtra apparuiſſe. Neque dubium de hoc reſtat: quandoquidem prior horum ſcribit; viſum ſuo tempore infantem in Oriente, cujus omnia membra ſuperiora geminata fuerint. Et Paulus Diaconus ait, poſt obitum Theodoſii Imperatoris Monſtrum quoddam obſervatum fuiſſe, ex duplici capite, geminato pectore, & quatuor adeò manibus combinatum, in quo & duplex ſenſus vigebat, ita videlicet, ut altero capitum dormiente, alterum vigilaret; uno plorante, alterum videret, & cum ſimul vigilabant, non rarò invicèm rixarentur, atque contenderent. De Imperio Theodoſii.

S. Hieronymus item, de alio quodam monſtro bicipiti in Lydia edito refert, de quo obſervatores præſagiebant, per bina capita confuſiones Imperiorum, & rerum ferè omnium portendi: Siquidem eâ ætate in rebus Eccleſiaſticis Schiſmata & nefarias hæreſes enaſci contigit, ut Donatiſtarum & Pelagianorum, ob quarum enormitatem non vanum eſt credere, eas non aliunde, quàm ex inferni latebris prodiiſſe. Porrò & infinitæ aliæ calamitates tunc orbem terrarum infeſtârunt, & afflixerunt, quarum qui tantillam partem adducere vellet, materiam amplis voluminibus replendis reperiat; quod cum extra ſcopum propoſitum me diverteret, id ſolùm dixero, in tam infelici Cataſtrophe ſæculi illius, per invaſiones Gothorum, Vandalorum & Hunnorum, eorumque incendiarias excurſiones, paſſim pulcherrimas Regiones Italiæ devaſtatas, urbes & ædificia ſolo æquata, atque in hunc modum, debilitatum & confuſum adeo Romanum Imperium, ut ex illo tempore nulla ne ſpes quidem ſuperfuerit, ad priſtinum revertendi decorem, & primitivam illam Authoritatem recuperandi.

His per tranſennam conſideratis, ſi ulterius oculos per præterita tempora verſamus, incidemus in annum milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum, & ſeptimum: Edidit hic nobis ad duodecimam menſis Februarii in ripa Danubii prope Budam Hungariæ Metropolim, magno incolarum damno, horridiſſimum Monſtrum, ab eruditis Tetrachiron à quatuor, quas habebat, manibus appellatum: Facies illi humana, aures aſininæ, & ſuperiores corporis partes hominem repræſentabant, inferiores verò hirſutæ, figuram bovis: unde de hoc, ut jam ſuperius de Minotauro, cum Ovidio cani poterat:

Semibovemque virum, ſemivirumque bovem.

Quatuor hiſce manibus plures lapides, tantâ fortitudine in tranſeuntes jaciebat, ut multos à ſe arceret, eorumque non paucos miſerè occideret, donec plures armatorum congregati ferale monſtrum undique invadentes, non abſque magna difficultate tandem humi proſternerent, & pro meritis trucidarent: quod proinde mortuum in foro publico immenſæ hominum multitudini, quæ illò confluxerat, novo ſpectaculo expoſitum fuit. Manifeſtum ſanè indicium earum calamitatum & anguſtiarum, quæ paulò poſt infortunatas illas provincias invaſerunt, ſubjugârunt, & oppreſſerunt.

Nihil minus prænarratis terribile & horrendum fuit Monſtrum aliud, quod in Ægypto ad Ripam Nili fluminis ſedem fixerat: Capita habens tria, Aquilæ unum, Draconis alterum, & tertium vulpis, corpore ſerpentis inſtar ſquamoſo; ex uno latere brachium humanum manui connexum, ex oppoſito autem latere pedem aquilinum promittebat; mammæ muliebres, cauda Leonis, quatuor pedes omnino diver-

diverſi erant, quorum duo humani, tertius leoninus, quartus verò anſerinus, qui & ipſe in tres digitos deſinebat: Natura ei duplex, atque communis cum aquatilibus æquè ac terreſtribus, quare & homines, & animantia promiſcuè devorabat. Qui horrendam illius figuram, & terrificam effigiem videre deſiderat, accedat Muſæum Illuſtriſſimæ Curiæ Bononienſis, ubi famoſus, & eruditus Aldrovandus eam omnium oculis expoſitam reliquit.

Inter præſagia quoque collocandus infans, Anno currentis ſæculi viceſimo primo Bajonæ advenis Parentibus natus, atque ſecundùm omnia ſua membra perfectè organizatus, niſi quod cum frequens oculorum per corpus diſperſorum numerus deformabat: Veroſimilem fecit hic infans Argi fabulam, quam ita exprimit Ovidius:

L. 1. Metamorphos. *Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.*

Quamvis oculi hi non caput ſolum, ſed & corpus univerſum illuminabant. Meritò inter præſagia tale Monſtrum collocatum, quandoquidem ante deceſſum ſuum, cum non ampliùs quindecim diebus vixiſſet, clara voce elocutum eſt. Admirationem in hoc auget, quod ſupra eandem urbem viſa ſint Monſtra aërea, videlicet armati equites in aëre diſcurrentes, atque inter ſeſe fortiter dimicantes.

1624. Non minoris eſt obſervationis, quod anno ejuſdem currentis ſæculi noſtri viceſimo quarto, in Regione Oſtrovicenſi (quæ Rupes fortiſſima, ſolis decem milliaribus à Sebenico Dalmatiæ oppido diſtans perhibetur) Menſe Aprili in lucem prodiit. Puer erat monſtroſus, cui tria cornua, tres item oculi, nares unico foramine perviæ, aures aſininæ, pedes inverſi atque contorti. Nativitate monſtri hujus evulgata, congregati ab optimatibus ejus loci divinatores, & ſapientes, deſuper mentem ſuam declararunt, quid nimirum per ejuſmodi Naturæ abortum pro futuris temporibus ſperandum aut metuendum non temerè videatur. Qui diligenter inſpectis & conſideratis omnibus, in triplici cornu, triplicem poteſtatem, & magnificentiam Imperii Turcici, in Aſia, Africa, & Europa; in oculis ternis, triplicem vigilantiam ab Imperatore ſuo erga ejuſdem ſubditos demonſtratam, videlicet in militia, agricultura, & commoditate polygamiæ conceſſa ad generandam ſobolem copioſam: in auribus aſininis, ejus Nationis intrepiditatem & fortitudinem in bello, quandoquidem animal hoc dum vivit, voce ſua claſſici ſonum æmulatur, ex mortui autem corio tympana formantur: Denique per pedes inverſos, poteſtatis diminutionem, & huic imperio imminens periculum, interpretati ſunt.

Eodem anno per literas Conſtantinopoli de alio quodam Monſtro, facilè eorum, quæ hactenus produximus, omnium horridiſſimo relatum eſt. Illud à muliere quadam inter ipſos valde illuſtri, ſummo cum terrore obſtetricum, aliarumque fœminarum, quæ in domo parturientis convenerant, partu excluſum eſt. Erat illi caput aſininum: manus & pedes avium rapacium adinſtar, recurvis unguibus, & calcaribus armati. Hîc variæ conjecturæ: Sapientiores autem indignationi divinæ, per talia portenta peccatoribus demonſtratæ, hæc aſcribebant, ita ut juſto Dei judicio Sathanæ permiſſum fuerit, hunc in ventre concluſum fœtum ita pervertere & deturpare, ut tam deformis tam à naturæ legibus remotus partus emergeret: nec ſufficiebat illic figura monſtrifica, niſi inſuper ungues, & cornua addita eſſent, ſic dæmon illuſionibus ſuis paſſiones cum natura confundit, omne impedimentum objiciens, quo in operationibus ſuis fruſtretur: Ita prodeunt quandoque Monſtra, quæ vel Dæmonis cujuſdam effigiem repræſentant; prout Cornelius Gemma in Brabantia factum aſſerit. Quo in caſu multi cordati ad cauſas ſupernaturales prudenter recurrunt; quamvis alii rurſum Parentum imaginationi ea attribuant, ut ſi mulier, marito Dæmonis adinſtar larvato conjungeretur: aut ſi venefica quædam vel ſaga dæmonem incubum patiatur; & ſimilia, poſſe tunc Monſtrum genitori non abſimile naſci; dum ſcilicet aliunde ſemen prolificum dæmon aſſumpſerit, id efficere, ut mulier ex hac conceptione Monſtrum pariat.

Multorum hæc ſententia eſt, cui & famoſus Del Rio ſubſcribit; tametſi aberrare mihi à vero videatur, ſtante virtute ſeminis vitali, quæ per translationem hanc localem neceſſariò perit, quamvis inſtantaneus ſit motus. Hæc fuſiùs ſequenti capite deducentur. Diſquiſition. Magic.

Conſideratione digniſſimum & illud Monſtrum, quod in Bœtica Hiſpaniæ Provincia, ſummo omnium ſtupore conſpectum eſt. Erat autem capite humano, fronte admodum elevata, è cujus medio latum & longum cornu velut Rhinocerotis, aut Unicornu prodibat; oculum infra frontem non niſi unicum admittebat; prominentia naſi nulla, ſed in ejus locum excreſcentiæ quædam carneæ in modum corii, cui ſucceſſit labrum quoddam ſuperius, magnum, & proboſcidis inſtar dilatatum, huic inſita lingua, velut ſerpentum acuminata. Idem operâ Indagatorum, & cumprimis famoſi Aldrovandi induſtriâ, in præmemorato Muſæo Curiæ Bononienſis collocatum, ubi curioſus de rei veritate non habebit, quod ambigat: Videbit illud quatuor habens crura, caudamque, cum tota corporatura canis, non macilenti, ſed bene carnoſi. Amplam materiam diſcurſibus præbuit inter habitatores Regionum illarum informe hoc Monſtrum.

Similiter anno ſupra milleſimum, quingenteſimo, primo & octuageſimo, Sereniſſimus Princeps, atque Eminentiſſimus Cardinalis Medicæus canem monſtroſum, cujus inter alia lingua erat ſerpentina, ſpectandum exhibuit. An porrò ſemper aliquid Monſtra portendant, videatur caput præcedens de Problematibus, ubi multa in eam rem congeſta ſunt: Solent quidem multi multa enuntiare, quorum veracitatem, & alia ejuſdem generis, ego gravi & maturo aliorum judicio perpendenda relinquo. Ita aſſerunt aliqui, ſi infantem cum dentibus naſci contingat; caritatem annonæ, & fructuum annuorum, & penuriam vivendi extraordinariam portendi: Si plures juſtò pedes habuerit, adventum improviſum, & repentinam hoſtium invaſionem: Si conjuncti duo Gemelli, bellum civile ſignificari.

Non neceſſariò tamen inteſtinæ hæ diſcordiæ eveniunt, veluti ſupra de infante allatum, qui cum cultro in ventre natus, qui tamen paulo poſt facili negotio eidem extractus fuit. Quamvis iterum referat Marcus Fritſchius, ante bellum illud in Germania, quod Saxoniæ Duci & confœderatis, poſtmodum intulit Carolus V, Imperator, in certo Galliæ caſtello natum infantem, in cujus ventre cultri cuſpis promineret, qui culter etiam non longè poſt per ſuppurationem ejus tumoris eductus fuerit. Prodierat in lucem hoc Monſtrum anno quadrageſimo ſexto, poſt ſæculum decimum quintum. Quiſque bella civilia inde augurabatur, quæ & poſtea tam infeliciter evenerunt, dum paſſim cives mutuis vulneribus confoſſi cadebant. Igitur, qui certam fidem præſagiis adhibebit, culpam vanæ obſervationis non effugiet, imò ſuperſtitioſæ ambitionis reus agetur, quippe cui animus ſit Catalogo divinatorum ſe inſcribere, & abſtruſa Altiſſimi conſilia explorare, cujus hoc dictum eſt: *Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius ejus fuit?* Quinimo fatendum eſt & agnoſcendum in Monſtris quasdam veluti divinas admonitiones eſſe, quibus à peccatis abſterreamur, & ad emendationem errorum impellamur, ut per ſeriam pœnitentiam deletis, tandem ad veram ſemitam revertamur. Et hic ſenſus veritatis dictamini conſentaneus maximè videtur. Author eſt inter alios Alexander, ut nata quamprimum Monſtra, in flumine aut mari ſubmergantur, ut ita procacibus omnis occaſio ad fabulandum præripiatur. Eodem referente olim à ſacerdotibus & populo in templis cultu divino celebrata ſunt, ad placandam, ut credebant, iram Deorum: prout in compitis quoque ædificata altaria, illic præſertim Apollini Agyleo ſacrificatum. Ita pariter Cœlius Calcagninus refert, ubi Romæ partus inſolitus trium quatuorve manuum, aut duplici capite detectus fuiſſet, Augurum juſſu mox in Tiberim projectum. Teſte inſuper Julio obſequente, & hoc adjungit; natum ex ancilla infantem, quatuor manibus, totidemque pedibus, oculis præterea & auribus totidem, publico Aruſpicum decreto combuſtum, cineribus in mare diſperſis. Quandoquidem verò ejuſcemodi Monſtra tam nihili æſtimata fuerunt, ut abjectione digna ſint habita, non minus ego calamum à præſagiis retraho, ut otium ſit, aliquid etiam de cauſis horum monſtrorum edifferendi.

In Meteorologia.

CAUSÆ.

Sunt igitur cauſæ veluti quatuor diſertiſſimæ & facundiſſimæ linguæ, quæ rerum omnium eſſentiam interpretantur, & exponunt. Quiſquis harum adæquatam cognitionem adeptus fuerit, hic omnem meo judicio ſcientiam quantumvis internam penetrabit, ejus objecti, cujus inveſtigationem ſuſceperat; dicente Philoſopho, quod *Scire, eſt rem per cauſam cognoſcere.* Cauſarum neceſſitas.

Nullum ens tam remotum, quod ſecum cauſas ſuas non afferat, à quibus productum, creatum, ſtabilitum & compoſitum ſit omne ens, & inſtrumentum vel ſuiipſius, vel alterius à fine ſuo conſtitutum; opus non diſcrepans à continua ſua activitate, juſtâ eſſentiâ, & formalitate: & qui omnia ad certum finem & intentionem diſponit Altiſſimus, hoc ei largitur, tanquam illius formalitatem, eſſentiam, materiam, & ultimationem. His prænotatis & ſuppoſitis, poſtquam cæteras quæſtiones de Monſtris perſtrinximus, neceſſarium mihi videtur, ut nunc de illorum quoque cauſis, jam olim fusè ab Aldrovando pertractatis (perſcrutando omnia & ſingula, quæ verſatiſſimus & fundatiſſimus vir ille poſteritati reliquit, nobiſque ſubminiſtravit) ſollicitâ animi attentione, & nos quoque agamus.

Quapropter in genere hic loquendo, triplicem Authores cauſam Monſtrorum generationis aſſignant. Primam *ſupernaturalem* appellant, dum ſupremum Numen in vindictam delictorum admiſſorum, hominem deformat, everſâ ejus primâ venuſtate, & inter alia, ſublato decore ejus faciei, quæ ad figuram & ſimilitudinem ſuam, primùm creata fuerat atque compoſita. Talis, præter jam ſupra adductos vultus Regis Nabuchodonoſor fuit, qui ignominioſè dejectus à Throno, adinſtar bruti ad ſylvas relegatus eſt.

Secunda eſt, ut Philoſophi volunt, *infra Naturam:* cùm nimirum Dæmon humanam Naturam deludit, & ipſe humanam faciem mutans, atque deturpans, eam in brutalem reducit, & hoc via veneficiorum, & incantationum. Tertia ad *naturales* cauſas reducitur; hoc eſt, cum Natura ipſa ſua ipſius principia, ad generationem, & perfectam conformationem deſtinata, deformat, atque corrumpit. Hinc S. Thomas Doctor Angelicus in commentariis ſupra libros Analyticos Ariſtotelis, ait; generationem Monſtrorum, à corruptione eſſentialis cujuſdam principii dependere.

Hoc à reipſa verum, extraque omnem dubitationem eſt: Monſtra in determinatione ſua aberrare, quandoquidem Natura, non ea voluit, nec intendit, ſed per accidens talia naſcuntur, ut non immeritò dixerim, cauſas illorum eſſe imaginarias potiùs, quàm legitimas. Et hinc inferendum, concurrere ad eorum generationem cauſas tam extrinſecas, quàm intrinſecas: quarum plures naturam loci, aut regionis, aërisque temperiem, reſpiciunt: unde accidit, eorum in Africa & Ægypto majorem, quàm alibi, copiam generari. Cauſis intrinſecis potiſſimum adnumerabuntur, facultas formatrix, virtus ſeminalis, receptaculum fœtus, membrana ad eum involvendum non ſatis accommodata vel idonea, & Materia in exceſſu aut defectu, vel aliàs vitioſa, item malè copulata, aut commiſta, & alia hujus generis. Porrò exceſſus Materiæ in dubium revocari nequit in iis Monſtris, quæ plures partes copioſas, extraque Naturæ ordinem multiplicatas habent; Ita contrarium in defectibus corporum, dum huic Brachia aut manus, aut pedes, vel aliud quidpiam deeſt, non obſcurè colligitur. Poſſe autem talia, & ex commiſtione materiæ evenire, Author eſt Ariſtoteles, ideo videlicet Monſtra crebriùs in Africa naſci, quod ob aquarum penuriam, animalibus ad flumina undique congregatis, diverſarum ſpecierum copulatio fiat, & ex illa ſeminum commiſtione tam frequentia monſtra produci. 1. De Generation. Animal.

Mutilantur item partes, ob vaſorum continentium ſeu Receptaculi parvitatem, dum materiæ copia, ad procreandum duplicem partum alioqui ſufficiens, anguſtiâ loci à debita extenſione prohibetur, & perturbatur: Cujus rei in ovo experientia manifeſta eſt: Adeò duabus ſubſtantiis in una ſola membrana concluſis, facile eſt, inde naſci Monſtra, per exceſſivam abundantiam materiæ, & facultatis concoctricis. His dili-

diligenter conſideratis, & intellectis, variant Authores in cauſis monſtrorum proponendis. Eorum quidam in prava diſpoſitione & temperamento Genitorum cauſam conſtituunt: Alii in monſtroſis matrum imaginationibus: Rurſum alii indignationem Divinam prætendunt; alii conſtellationes, ſtellarumque congreſſus; Alii naturam ipſam, penes quam ſtet plures partes in uno membro congregare, incuſant: Plures poteſtati dæmonis, rurſum alii congreſſui animalium diverſæ ſpeciei, Monſtrorum originem attribuunt.

Nos impræſentiarum Monſtra, tanquam opera Naturæ contemplantes, originem eorum diſcutiemur & deducemus, idque à ſummis quatuor generibus cauſarum, tanquam à vivis rerum omnium fontibus; videlicet, Materiali, finali, efficiente, & formali. Quod primam concernit, dicuntur Monſtra cauſam habere Materialem, quandoquidem quidquid vel per ſe, vel per accidens à Natura producitur, ſine ambiguitate præexiſtente quodam ſubjecto ortum habet. Cauſam habent finalem, dum Natura absque debito fine nil operatur, ſed omnia ad certum finem dirigit, ac componit. Efficientem cauſam ſortiuntur, ſiquidem cuncta ab aliquo Producente derivant. Cognoſcunt tandem & admittunt perfectionem ſuam formalem, dum in magna hac mole, ſeu Naturæ circulo, unaquæque formam ſuam conſequuntur.

Verùm cùm ſigillatim Monſtrorum cauſas deduci oporteat, inter alias primo occurſu materialis examini ſe ſiſtit, tanquam ea quæ ratione veteris Etymologiæ primum locum hæreditario jure conſequitur; Prima enim Materia, ſeu Chaos univerſo terrarum orbi tam ſapienter ordinato atque diſpoſito eſſentiam largitum eſt: antea quàm aliæ vel moveri, vel operari, vel contingere poſſent. Præterea Philoſophi omnes, & Medici, Monſtrorum cauſas ſeminali materiæ paſſim attribuunt, quæ ratio & Democritum permovit, ut frequentes hominum congreſſus condemnaret, ideo quod ex abundantia ſeminali facilè Monſtra oriri poſſe crederet. Sequacem vel anteſignanum habuit Empedoclem, qui & ipſe abundantiæ, defectui & agitationi ejuſdem materiæ, mutationem, varietatem, augmentum, ſeu decrementum partium aſcribebat.

Lib. 4. de Generation. Animal. c. 5.

Similiter Ariſtoteles primariam ejus rei cauſam in materia ſtatuit, & collocat, dum Natura in fabricatione partium compoſiti à recto tramite aberrat, vel materiæ defectu, vel ob ejus translationem in aliam partem, ſeu locum, ubi neceſſaria non erat, quo pacto duæ partes principales vitium contrahent, dum in una deerit, quod in altera abundabit. Hinc generatis duabus partibus inter ſe ſimilibus, quarum tamen altera redundet, ſignum eſt, quod materia ſeminalis in utero concluſa, mediante ſeu motu ſeu flatu divulſa fuerit, quæ cum eſſet pro digitorum generatione deſtinata, aliò transfertur, & ubi ſiſtitur, illic generatur ſuperfluum; tametſi enim materiæ capitis ſe conjunxerit, non idcirco ſubſtantia capitis producitur, ſed degenerat in digitale quidpiam, conſervans ideam impreſſam illius partis, à qua primitus avulſum fuit. Eadem ratio eſt, quod in apertione humanorum cadaverum, ſæpenumero venæ complures obſerventur, quæ renes ambiant, item vaſa ſpermatica, & genitalia multiplicata; quæ Doctiores aſſeverant, ex nimia ſalacitate, & congreſſu frequentiori contingere, æquum igitur foret homines in his moderatos eſſe, recogitando, quantùm in hoc deteriores & inferiores brutis animantibus ſint, quorum major continentia eſt.

In Lib. de Hiſt. Philoſoph.

Galenus Empedoclis veſtigiis inſiſtens, oriri Monſtra docet, ſi ſemen vel copiâ exceſſerit, aut defecerit, vel parcum fuerit, item ſi divulſum, vel immoderatiùs ingeſtum; vel ſi additionem, diminutionem inflammationem, vel aliud quoddam violentius impedimentum paſſum fuerit, quibus, juxta aliorum quoque peritiſſimorum Medicorum ſententiam, & pravam uteri conformationem adjungit. Joannes Grammaticus in commentariis ſupra libros Ariſtotelis de Anima, Ariſtotelicæ ſententiæ ſubſcribit. Cardanus Monſtrorum cauſas ad diſpoſitionem, & aptitudinem Materiæ rejicit, unde in animalibns parvis Monſtra frequentiora, quàm in majoribus advertit, & ait, rara hominum eſſe Monſtra, Elephantûm rariora. Gruterius Poëta cum obſervâſſet, ex rebus vilibus ſæpe fœtidiſſima naſci Monſtra, idcirco Materiam inter res naturales maximè fœculentam pro eorum cauſa aſſignavit: quæ cum facultatem generationis perfectæ non habeat, tantùm efficit, ut partûs monſtroſi prodeant. Hoc Poëticè ſimul, & Philoſophicè ita cecinit:

Lib. 2. de ſubtilitate.

Quod ſupereſt Mundumque ipſum, ſeriemque fatigans,
Reſpuitur paſſim: hinc hominum, pecudumque repentè
Monſtriferi partus.

Lib. 18 de Animal. c. 6.

Non multùm ab hac diverſa eſt opinio Alberti Magni, qui ſimiliter in materiam, modumque conceptionis, & organizationis in fœtu, cauſam conjicit, additque, generari Monſtra, ex errore quodam in operatione admiſſo, cum abundantia, defectu, poſitione, aut figura membrorum conformi. Alibi idem Author, ad quatuor omnino cauſas, conceptionem, & organizationem Monſtrorum refert: Videlicet diminutionem Materiæ, ejuſdem ſuperfluitatem, intemperiem qualitatum Materiæ, & continentis vaſis pravitatem. Addit triplicem dari diminutionem, ſive conformem defectui membrorum, ſive difformem numero, aut Materiæ diminutioni; ſive virtutis ſeminalis aut formatricis defectu, quæ illam ſolùm materiæ partem, alterâ rejecta, formare poſſit. Idem, ex oppoſito, de ſuperfluitate materiæ dicendum.

Lib. 2. Phyſic. Tractat. 2.

In Lib. Anatom.

Ad eundem ſenſum Ambroſius Paræus de Cauſa Monſtrorum materiali diſſeruit. Philoſophorum, de cauſis monſtrificis differentium, ſententia eſt; ſi quod animal, ut homo, ſibi ipſi unitum, ſpermatis majorem copiam profuderit, quàm ad generationem ſui ſimilis requiratur, aut conveniat, difficile eſſe, ut non exinde Monſtra naſcantur. Aut certè naſcentur gemelli, prout eâdem occaſione, Hermaphroditi, ſeu Androgyni, & fœtus multiplicati procreantur. Ita refert Martinus Cramerus, de Nobili Polona, Margaritâ nomine, uxore quondam Comitis Virboslai, quæ unico partu triginta ſex filios excluſit: & Joannes Franciſcus Picus Mirandulanus de quadam Dorothea Itala ſcriptum reliquit, eam duplici partu viginti filios edidiſſe.

Lib. 9. Hiſt. Polon.

Neque hîc ad cellarum matricalium multiplicitatem recurrendum, quod veritati repugnat: quandoquidem neque culter, neque microſcopium Anatomicorum hanc cellarum in utero varietatem unquam detexit. Ideoque hîc ad ſuperfluitatem cauſæ materialis neceſſariò recurrendum.

In Opere de Monſtris.

Celſus Mancinus Ravennas, vir eruditus, ſimilem cauſam adducit, dum monſtrorum formationem item Materiæ, ſeu abundanti, ſeu diminutæ attribuit. Et de his, quæ in lucem prodeunt, ſi ad primum partum reſpiciatur, videri, ait, notabilem defectum partis diminutæ; ſi rurſum ſtatura major æquo fuerit, exuberantiam ejuſdem materiæ in extremitatibus, ut manibus, ſeu digitis obſervari. Imò virtute formatrice potenter cooperante, nonnunquam cum dentibus aut barba infantem prodire contingit. Eidem cauſæ Albertus Magnus attribuit infantem quandam, quæ cum mammillis, non aliter, ac adulta jam omninò protuberantibus prodiit, inſuper Parentum ſuorum teſtimonio purgationes menſtruas paſſa. Idem Albertus Magnus puerum monſtroſum obſervavit, cui undecim ora, & proinde labra viginti duo erant. Hinc cauſam Gemellorum quidam deducunt, cum nimirum ſufficiens quantitas ſeminis in duas partes æqualiter diſtribuitur, quod ſi eadem in varias partes diffundatur, & ſeparetur, generari membra ſuperflua, monſtroſa, & abortiva, non jam Partus perfectos, ſeu completos.

Doctores Regentes ſcholæ Pariſienſis, qui Quæſtiones Phyſicas Ariſtotelis juxta mentem & Authoritatem ſubtiliſſimi Scoti ediderunt, in ſecundo libro Phyſicorum, agendo de Monſtris, inhærentes item opinioni Alberti Magni, Monſtra ex duplici, imo quadruplici causâ evenire aſſerunt. Primùm ex materiæ diminutione, & hoc iterum tripliciter. Aut enim virtus formatrix, non totam illam materiam, quæ ad prolis perfectæ generationem requirebatur, informare poterit, niſi quandam illius partem rejiciat, & ſic evenit, ſæpenumero animalia ſine brachiis aut pedibus, aut ſaltem illis diminutis, vel mutilatis naſci: Sive propter diminutionem materiæ magis neceſſariæ, ſpirituoſæ & activæ; tum enimvero partes à corde remotiores, ut manus & pedes, vel omnino deficiunt, vel ita molles evadunt, ut corpori ſuſtentando ineptæ ſint. Sive ex utrâque cauſa conjunctim, & tunc vitia complures partes corporis ſimul, & potiſſimum principales contingunt. Ut in puella quadam evenit, quæ absque naſo & absque oculis nata eſt. Secundò, ex abundantia Materiæ, idque rurſum tripliciter. Aut enim vitium eſt in ſolo numero, cum quis ſex digitis, aut tribus pedibus naſcitur: Aut in magnitudine ſolùm, cum membrum quoddam animalis, non juxta debitam proportionem conformatum eſt, ſed membra alia in dimenſione excedit: Sive cum partes animalis reliquas & numero & magnitudine ſimul exuperant.

Lib. 3. de Affectibus Mulierum.

Plures ſunt *Formæ* generationis Monſtrorum, quæ quidem à cauſa materiali derivant. Prima eſt commixtio, & confuſio ſeminum, quod quidem, docente Ambroſio Paræo, principale motivum eſt degenerationis partuum in abortivos. Hinc Ludovicus Mercatus, inſignis Medicus, inquit, oportere, ut Materia ad ſimilitudinem comparetur, & ab hac, & ab inæqualitate ſubſtantiæ fieri inſufficientem, & ineptam. Oritur hæc à generatione ipſius materiæ, quem ſecundum modum generationis Monſtrorum compellârunt. Concludunt igitur Doctores Pariſienſes, ex cauſis allatis, participare Monſtra de natura illorum ſeminum, & animantium, è quibus formata & progenita fuerunt. Pro exemplo ſit Mulus, qui aſino & equâ progenitus, de utriuſque natura participat, prout, vel extrinſecâ forma ſua fidem facit.

Idem erit in animali, quod de cane & lupo proceſſerit. Supponitur tamen, convenire hæc ſemina in qualitate reciproca, ſi ſecus fuerit, raro Monſtra evenient. Sic fabuloſi æſtimantur Centauri, & alia ab Empedocle prolata Monſtra, quæ media ſui parte hominem geſſerint, reliqua in equos deſierint. Plurimi circa figuras haſce falluntur, quandoquidem juxta mentem Ariſtotelis, ſi tales unquam fuerunt, Bovis potiùs, quàm equi formam referebant.

Lib. 1. Phyſic. Text. 83.

Lib. 25. lect. Antiqu. c. 32.

Narrat Prodiginus, fuiſſe paſtorem apud Sibaritas, qui tractus indomito concupiſcentiæ ſtimulo, illectus nefando facinore Capræ ſe miſcuiſſet, ut mirè erga eandem accenſus, frequenter ejus commercio uteretur. Caper interim dux gregis, cum paſtorem dormientem obſervâſſet, ita ferociter cornibus petit, ut calvariam pertuderit, & infelicem neci tradiderit. Nec mori eum aliter decuit, qui vitam talem tranſegerat. Res mira hîc in conſiderationem venit, quid in amore, vel inter ipſa irrationabilia, paſſio Zelotypiæ valeat, ut vehementem adeo, concitativam, & ardentem vel in brutis, commotionem ſenſibus imprimat. Ex nefando iſto concubitu, partus prodiiſſe fertur, cujus coxæ, femora pedesque caprini, reliquæ partes humanæ fuerint. Neque hoc ſtuporem moveat, namque ut ait Aldrovandus, narratur in hiſtoriis Peruanis, in quibuſdam locis earum regionum magnas ſimias reperiri, quibuſcum ſuggeſtione dæmonis, perpetui hoſtis generis humani, multi ex incolis nefandè ſocientur, ex quo nefario congreſſu complura monſtra enaſcantur, quorum caput & pudenda hominem, manus pedesque ſimiam referant, toto cæteroquin corpore hirſuta, careant loquelâ, ululatu tamen, atque fremitu Sathanæ clamores cumprimis æmulentur.

Lib. 3. de affectibus mulier. c. 7.

Secunda figura ſeu forma nativitatis Monſtrorum, juxta mentem Ludovici Mercati, pendet ab effuſione, materiæ ſeminalis per uterum; idemque præcitatus Author, exemplo plumbi liquefacti, declarare intendit, ſi enim inæqualiter infuſum fuerit, inæquales pariter ſtatuæ, vel ſimulachra evadunt: Ex eadem cauſa, eodemque vitio, inæquales & deformes fœtuum partes oriuntur; dum in hominibus caput ſolitò majus, aut alia membra diminuta, & deturpata reperiuntur. Weirinchius in ſeptimo vitio materiæ defectum hunc reponit, intelligens materiam non continuam, ſed eo motu ſegregatam, qui per obliquitatem, imperfectionemque ſitus accidere quandoque ſolet.

Huc reſpiciens Ambroſius Paræus, ait: *Monſtra à matris vitioſa per totum graviditatis tempus collocatione producuntur: etenim quæ domi otioſæ ſedent decuſſatis cruribus, quæ curvo ac pro o in genua corpore telam acu pingunt, vel faciunt, quæ aliud onus ſubeunt, quæ ventrem faſciis vel ſubligaculis, aut veſtibus arctiùs comprimunt, fœtus obſtipos, repandos, gibboſos, pedibus & aliis partibus diſtortos enituntur.* Quæ cum tam aptè rem hanc exponant, hîc ſilentio prætereunda non fuerunt.

Eidem ſententiæ Weirinchius ſubſcribit, dum ait, ſitum mulieris prægnantis maturè conſiderandum, utpote per quem multa poſſint in maſſa tenera perverti atque turbari. Fusè hæc à Levino Lemnio confirmantur, qui exemplo fœminarum quarundam Belgicarum, & maximè extranei cujuſdam uxoris id demonſtrat, quæ quod inſtabiles eſſent, mobiles, & inquietæ, liberos omnino deformes, & ineptos parturiebant. Eò reducitur uteri anguſtia, ex qua ſecundum Paræum, multoties ejuſmodi perturbationes oriantur: veluti poma, quæ dum parvula ex arbore pendent, ſi vaſe anguſto, antequam ad debitam magnitudinem pertigerint, reponantur, imperfecta, & inæqualia remanent, cumque, ſecundum Philoſophos omnes, locus formam contineat locati, neceſſarium eſt, ut ea quæ in locis anguſtis reſtringuntur, motu ſuo & libertate priventur, indeque diminuta, manca, mutilata & perperam conformata prodeant. Non diſſentit ab hac ſententia Weirinchius, qui fœtûs accretionem pomo creſcenti, & anguſto vaſe recluſo, comparat.

Ludovicus Mercatus tertiam formam generationis monſtrorum Materiæ vitio aſſignat, illudque conſiſtere in craſſitie, duritie, fluxibilitate, aut corruptione ſanguinis & ſpermatis, unde talia, tamque remota à Genitorum conditione & naturâ proveniant. Ita pariter præfatus Weirinchius, modum hunc ad quintum vitium naturæ depravatæ reducit: dum in materiæ craſſitie aboleri virtutem genitalem indicat: ita ut neque formatio condigna, neque partus debitè compoſitus emergat.

Lib. 3. de Morb. Mulier. c. 7.

Porrò idem in ſemine aqueo uſuveniet, quod ab illuſtri Weirinchio ſextum materiæ vitium prædicatur. Neque illud immeritò reprobatur, molle enim & liquidum nimis, coagulationem & in nervos, arterias & venas, ac ſubinde in duras ſolidasque partes, congelationem recuſat.

Quandoquidem verò in receſſum ſeu degenerationem fœtuum à genitoribus ſuis incidimus, hîc in tranſitu obſervemus, hanc receſſionem ſeu evagationem triplici modo fieri. Primò, cum materia ſpermatica verè quidem idonea eſt, ſed non omnino perverſas conditiones exuperat, ſive tranſcendit, ita fit, ut cum homo nequeat generari, ut minimùm animal reſultet: Natura enim ſemper in melius quidem tendit, ſed à vitiis materiæ victa, cum formam humanam nequit introducere, neque animam conſimilem hæreditabit, idque propter materiæ, atque ædificii inæqualitatem. Deinde, eò amplius à progenitoribus fœtus degenerat, quando virtus ſeminalis ita depravatur & impeditur, ut nec animal inde generari poſſit, ſed quædam maſſa informis, & abortiva, cujuſmodi ſunt Molæ, maſſæ carneæ, quæ formam nullam admittunt, licet non raro magnas anguſtias, imò & mortem, dum in utero ſubſiſtunt, parturientibus inferant. Tandem, per ſimilem defectum materia ejuſmodi ſic inepta redditur, ut nullâ ratione poſſit à facultate activa redintegrari, aut reuniri, ut neceſſe illi ſit, ad genericum aliquid tranſitionem facere, dum jam in re ſibi propria & univoca perſiſtere nequit; qui partus à Philoſophis præter naturalis appellatur, quaſi qui extra curſum & dictamina naturæ contigerit.

Recenſet doctiſſimè Paræus quartam formam generationis ſeu figuræ prolis: idque ex cauſa ſubſtantiæ hæreditariæ, ut, per exemplum, à gibboſis, ſtrumoſis, & oculorum infirmitati obnoxiis parentibus, ſimiles quoque liberi naſcantur. Hinc Poëtæ Lyrici dictum: *Fortes creantur fortibus, & bonis.* Hanc ſententiam Weirinchius ſtabilire intendit, dum ait: *Hæreditariæ quædam in Monſtris deformitates ſunt obſervandæ, cum ex Nanis Nanos naſci compertum ſit, quamvis id evenire non ſemper neceſſe ſit, neque in omnibus, nam quævis Monſtra ſpeciem non multiplicant.*

Quinta forma ab accidente quodam extrinſeco originem ducit, qualia prægnantibus accidere ſolent; Cujuſmodi ſunt caſus ab alto, contuſiones, vulnera, & alia hujus vel diverſi generis, quæ utero damnum, ſeu compreſſionem inferunt. Id quod ab Authore memorato confirmatur, ubi de parturientium injuriis verba facit, eamque ſententiam Hippocratis Authoritate defendit, qui libro de Genitura affirmat, Partum vel in utero materno mutilari poſſe, ſeu per contuſionem ex vulnere, ſeu alio gravi ictu, qui prægnanti infligatur, & in eadem omnino parte corporis, in qua mater contuſionem aut vulnus receperit, percuſſum aut læſum infantem reperiri.

Tandem ſextâ & ultima forma nativitatis Monſtrorum ratione materiæ, ab imaginatione dependet: quæ vel ſola ad impediendam materiam ſeminalem ſufficit, ut vel in toto, vel in parte, à genitoribus fœtus aberret. Ludovicus Mercatus modum hunc vigilanter examinat, in hæc verba concludens: *Quoniam formatio ſeminis eo modo dominatur, quo potentiæ inferiores ſuperioribus obſequuntur.* Porro de efficacia apprehenſionis imaginativæ, ſufficiens præcognitio in proœmio libri hujus à me ſubminiſtrata eſt. His Divus Thomas aſſentit, dum imaginationem, inquit, eſſe, fortitudinem quandam in organo corporeo, vi cujus ſecundùm ſpeciem imaginatam ſpiritus corporeus immutetur. Hanc Clariſſimus Oſvvaldus Aſtrale hominis appellat, itaque concludit: *Ideo interdum aliqua mutatio fit in prole, propter imaginationem matris in congreſſu.* Inde conſtat, ſpiritum hunc ab imaginatione taliter agitatum, majore efficaciâ vires ſuas exerere, quoad delineationem, ſeu conformationem effigiei, quàm Potentia ipſa formatrix, quæ à natura membrorum paternorum derivat.

Loco ſupra citato.

Q. 4. Art. 1.

Ad tantam excellentiam & virtutem Pictura & Plaſtica pertingunt, quæ vehementi imaginatione ſuffultæ, tot mirabilia, & portenta operantur: Inde tot cicatrices, nævi, effigies fructuum, vini rubri, carnium, & hujuſmodi, ab imaginatione ſeu phantaſia genitricis, in carnes, & alias partes fœtuum extrinſecas impreſſa cernuntur.

Quod ſi in faciem, vel uterum prægnantis jaciantur fraga, ceraſa, aut vinum, idque mulier ægrè tulerit, hæc in corpuſculo nati impreſſa videbuntur. Idem accidet, referente Levino Lemnio, ſi Cattus, aut Mus, ſive Muſtela, vel aliud quodpiam animal ex improviſo mulierem prægnantem inſilierit, ſimilis enim macula ociùs fœtui imprimetur; ſi nihilominus partem ab hoc animali inſultatam mox aquâ frigidâ abluerit, rurſumque abſterſerit, maculam hanc è corpore nati abluet, & deterget. Cornelius Gemma in idem propoſitum caſum enarrat, qui mulieri partui vicinæ, Lovanii accidit. In hanc ex improviſo impetum fecerat maritus furibundus ira & aſpectu terribilis, eique cultro mortem minitabatur: quæ tametſi fugâ evaſiſſet, ea tamen pars calvariæ in infante, quam culter ſuperſtiterat, tantam continui ſolutionem paſſa eſt, ut in noviter nato ingentem ſanguini copiam profunderet, quæ nullis remediis ſiſti potuit, donec præmatura morte miſellum è vivis abſtulit. *Hinc colligant*, ſubjungit Aldrovandus, *illi qui negant in fœtu grandiori ullam fieri Impreſſionem, hoc eſſe abſurdiſſimum.*

Hinc ſi contigerit, ut mulier animal quoddam, ut ſemicanem, vel canem omnino pariat, immundo commercio uſam fuiſſe, credendum eſt: ut in Hetruria, tempore Pii Tertii Papæ, in muliere quadam evenit: quæ magno ſuo pudore, per ſimilem evidentiam delictum quod palam appareret, fateri tandem compulſa eſt. Idem Avenione in alia quadam contigit, quæ canem cum peperiſſet, ſcelus fateri coacta eſt, pro quo luendo ex Galliæ Regis mandato, parturiens una cum partu flammis adjudicata eſt. Plures tamen Authores, pro comperto habent, Monſtra hæc ex ſpermate canis produci non potuiſſe (cum ſemina qualitatibus inter ſe differant, nec ullo modo conjungi poſſint) niſi ſuperveniens in muliere fortis imaginatio, quæ ex metu incrementum ſumpſerit, acceſſiſſet, adeoque in actum hanc Ideam reduxiſſet. Ita ſanctus Hieronymus refert, ſe fœminam liberâſſe, quæ ſe adulteram factam timuit, quod partum ab Idea mariti omnino diverſum genuiſſet, quod tamen vi imaginationis acciderat, dum ante Lectum effigiem pictam haberet infantis, ei, quem pepererat, non abſimilis.

Lib. 4. de Gen. Animal. 3.

In quæſt. ad Gen.

In confirmationem dictorum addit Wierus caſum de Anno Milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo & quinto; In Geldriæ Ducatu, homo erat qui plenus irarum & furoris, uxorem prægnantem ſic allocutus eſt: Heus tu dæmonium geris in utero, quod ego ſine mora interfecturus ſum. O portentum! Paulò poſt infelix illa filium parit, cujus partes inferiores ſine vitio erant, ſuperiores autem repletæ maculis obſcuris, rubris & nigris, Oculi in fronte, os testrum, deforme, dependent[…] labris, Aures longæ, & acutæ, inſtar ven[…]ci canis; cum duobus cornibus in vertice capitis.

Diſcant hinc mariti, non perterrefacere ſexum hunc, idque potiſſimum cũ in præmemorato ſtatu eas adverterint. Pari modo ſpectrum hujuſmodi, in animo mulieris imprimi poterit, audientis, ſive legentis ea, quæ de natura & figura dæmonum recenſentur, unde conſultum erit, ab omni re, quæ terrorem, aut impreſſionem nocivam generare poſſit, eas avertere.

Schenkius de quodam meminit, qui in Bacchanalibus, dæmonii ſpecie larvatus, domum procedens, eodem modo veſtitus rem cum uxore habuerit, dicens velle ſe formam ſimilem procreare. O rem atrocem! Concepit illa, peperitque fœtum illa formâ, quâ depingi dæmones ſolent, terribilem, nigrum, deformatum & cornutum. Ex his omnibus colligere licet, quantum Matris imaginatio poſſit, & quàm evidenter fœtui ſpecies ſeu figuræ foris apparentes imprimantur.

Narratur, præterea mulierem adulterinis complexibus detentam, cum prolem marito prorſus diſſimilem ex conſortio timuiſſet, abſente tum temporis eo, virtute hujus imaginationis infantem edidit, marito in omnibus ſimilliмum, quem tamen tempore illo nec viderat, neque cognoverat.

Tantæ igitur vires ſunt imaginationis in prægnantibus, quæ id quod animo conceperunt, inauditâ facilitate fœtui communicant, & imprimunt. Fuit hoc experientiâ comprobatum, cum Carolus V. Imperator cum ingenti exercitu ex Hiſpania in Belgium commigravit, dum copioſo Principum interventu, & comitatu Nobilium, cum magna pompa, & Majeſtate per provincias incederet, paſſim à fœminis atque matronis de feneſtris proſpectantibus viſus, quas inter, quæ gravidæ fuerant, cum non Imperatorem ſolum, verùm & reliquos Principes ſingulis equis inſidentes, attentiùs ſpecularentur, filios pepererunt, quorum ſupercilia & capilli criſpi & nigri, ut paſſim illorum Magnatum, fuerunt. Quid plura? Non multò poſt, quàm naturæ ſcrutator Aldrovandus, Hiſtoriam Monſtrorum edidiſſet, Agyrta quidam puerum cum ingenti capite ſpectandum exhibuit, quem inter alios forte mulier gravida conſpexerat, neque multo poſt & ipſa puerum enixa eſt, majore capite, quàm quem prius intuita fuerat, unde Monſtrum illud à majori Monſtro ſuperatum eſt. Soranus interea, Author non obſcurus, & Medicinæ peritus, ait; Dionyſium Tyrannum, cum ſe turpiſſimum eſſe non ignoraret aſpectu, neque conſimilem prolem ex ſe generari vellet, lectum figuris venuſtiſſimorum puerorum circumſepere ſolitum.

Pleni ſunt Philoſophorum codices, docentium, quas vires in omnibus, ſpecialiter verò in

Lib. 5. de Anim.

parturientibus imaginatio habeat. Ad hanc proinde Paræus refert, quod Regina quædam Æthiopiæ in conſpectu habens elegantiſſimam picturam Andromedæ, ſaxo alligatæ, cujus candida caro, quamvis nivea eſſet, amoris tamen incendia alebat, tantumque effecit, ut Perſina (hoc Reginæ nomen) contra conſuetudinem illorum climatum, ubi non niſi nigri paſcuntur filiam albam pepererit.

Ita Hippocrates de fæmina quadam refert, quæ ex marito albo, filios nigros proferebat, quod Æthiopum effigies oculis expoſitas haberet. Has vires imaginationis Avicennas ne brutis quidem denegat, exemplum Gallinæ adducens, quæ ad conſpectum vulturis exterrita, pullos omnes capitibus vulturinis excluſerit. In Muſæo curiæ Bononienſis jam aliàs Aldrovandus ovum Gallinæ repoſuit, in cujus ſpiſſo putamine figura ſerpentis impreſſa eſt, quod illi Doctor Wetendelius Germanus, Medicus atque Philoſophus Clariſſimus dono miſerat.

Eruditi authumant, ovum monſtroſum per fortem imaginationem Gallinæ ita conformatum, ut quæ ſerpentem fortè vidiſſet, aut illius devorandi deſiderium habuiſſet. Neque hoc mirum ſit, ſiquidem in putaminibus ovorum attentiùs inſpicienti multa ſæpe monſtroſa animadvertuntur.

Cum verò Gallinis aſſocientur Galli, extra propoſitum non erit (tametſi fortaſis extra viam) de figura Galli cujuſdam monſtroſi hîc pauca adducere. Diſcurrit hic aliquantum temporis in famoſis conclavibus Sereniſſimi Etruriæ Magni Ducis Franciſci; fuitque aſpectu ita horrendo, ut intuentibus terrorem incuteret. Non illi guttur gallinaceum, non criſta in capite, ſed ingens veluti plumarum & pilorum congeries, quæ in barbam deſinebat; duæ pennæ inſignes in fronte, ita elevatæ & erectæ, ut gemina quaſi cornua repræſentarent: aliæ duæ utrimque ſupra roſtrum prope nares egrediebantur, inſuper alia in cervice cernebatur: Color pennarum in corpore fuſcus; ad finem ſpinæ dorſi tuberculum rotundum atque ſubalbidum inſurgebat: Cauda illi carnoſa, coloris ex cyaneo fuſci, neque pilis contecta, ſed glabra, carnoſa, inſigniter longa atque in ſerpentis modum contorta, in cujus fine nihilominus floccus erat: cæterum excelſis cruribus, quæ cothurnatas ocreas repræſentabant: pedes etſi à conſueta figura non differrent, pelli tamen ſquamæ veluti ſerpentis inductæ. Non aſpectu ſolùm, ſed & greſſu, motuque ſpectatores penè exanimabat.

Sic in Helvetia, prope Lucernam urbem, ex ovo gallinæ, vel ſecundùm alios, galli, prodiiſſe fertur ſimulacrum verendi humani, unico teſticulo, capite velut canino & criſtato. Lycoſthenes, quo referente hæc accepimus, anno milleſimo quadringenteſimo, octogeſimo octavo, factum aſſerit. Lycetus in hiſtoria de Monſtris refert, multo tempore nutritam à ſe Gallinam ſex digitorum, quæ cum ova plurima peperiſſet, poſtremo ovum edidit, putamine deſtitutum, in cujus albumine vermis ſerpentis forma inſidebat, qui non ſine ratione ex vitello productus credebatur.

Sic & Aquapendens Medicus peritiſſimus recenſet, compertum à ſe vermem in ovi putamine, ſat viſibilem. Cui & Aldrovandus conſentit, monſtratum ſibi vermem ex ovo quodam extractum aſſeverans, qui figuram piſciculi æmulabatur, viſumque eo inſtanti, quo idem ovum ſorbere alius jam cœperat. Ambroſius Paræus ejuſdem ſententiæ eſt, dum refert, in medio ovi repertum monſtrum facie humana (ut ad Inſtitutum noſtrum revertamur) è cujus capite plures ſerpentes pullularint, itemque ex mento tres barbam mentientes. Hæc Auguſtoduni acciderunt, in domo Cauſidici cujuſdam, cui Bancheroni nomen, dum ancilla culinaria plura ova pro inſtruenda menſa confringeret. Plures (ut ſupra jam multoties memoratum eſt) hæc monſtra ad cauſas ſupernaturales referunt, inque his portendi hæreſes, quæ regiones illas jam invaſerant.

Non multùm ab hoc diverſum ovum fuit anſerinum, quo confracto caput humanum apparuit, quod capillorum & barbæ loco, quamplurimis collis & capitibus anſerinis circumſeptum erat. Monſtra hæc ex ovis progenita in memoriam revocant fabuloſa illa commenta, ſeu Caſtoris & Pollucis, cum Jupiter in forma Cygni Ledæ amplexus ambiebat: Seu terrificum illud ſerpentibus implexum Caput Meduſæ.

Poterunt autem hujuſmodi Monſtra, partim ad imaginationem, partim verò ad voracitatem horum animalium referri: In anſere ſiquidem notum eſt, quam amans ſit hominum. De reliquo tanta ingluvies gallinarum eſt, ut quaſvis immundities, imò ſerpentes & colubros ingerant. Neque hoc ſolùm, ſed & ſerpentes incubos patiuntur, Excellentiſſimo Lyceto teſte, ex obſervatione cujuſdam matrisfamilias, quæ non ſemel Gallinam ab aſpide compreſſam advertit, dum verſus auroram ſe extra ædes ſine mora proriperet, ſimulque ad radices annoſæ quercûs properaret; ubi crocitando magnis vocibus ſerpentem maritum invocans expergefaceret; unde factum, ut ova non gallinacea, ſed ſerpentina pareret. Ita præfatus Lycetus in enarratione cauſarum materialium, ſeu proximarum ſeu remotarum, hanc quidem commemorat agnoſcitque communem cum illa, quæ animalia omnia ſublunaria expectat & manet: proximam verò corpus vivens univerſale compellat, cum Monſtra non in natura ſolum humanâ, ſed in plantis quoque & brutis reperiri, extra omne dubium ſit.

Gallinæ cum aſpide commercium.

Tempus nunc ad diſquiſitionem *cauſæ efficientis* appropinquat. Ad quam pro merito tractandam lumen ex diverſis Authoribus petendum mihi foret, verum cum in animo non ſit, integrum de his volumen compilare, aliqua ſaltem eorum, ſub Aldrovandi præſidio, hic produxiſſe ſuffecerit. Itaque cum Alberto Magno exordiar, qui cauſas quatuor Monſtrorum principales recenſendo, malam hanc proportionem qualitatum agnoſcit, & ſubjungit: Suâ ætate natum Androgynum, ſic utroque ſexu diſtinctum, ut non conſtaret, utro plus valeret, maſculino, an fœmineo: Rei originem in eo conſiſtere rebantur, quod qualitates calidæ, quæ marem, & frigidæ, quæ fœminam producere debebant,

bant, ita intimè coiviſſent, ſibique invicem tenaciter cohæſiſſent ut ſuperveniente validâ virtute formatrice, naturali prorſus modo hermaphroditum hunc partum prodidiſſent.

Quam ſententiam Pariſienſes quoque Doctores imitantur, dum Libro ſecundo Phyſicorum Ariſtotelis aſſerunt, Monſtra ex inæquali qualitatum proportione accidere; has autem partim ab Agente, partim verò à Patiente, vel ab utroque derivari. Recepta hæc ſententia eſt à Cardinali de Toledo, à Collegio Conimbricenſium, in commentariis ſupra locum citatum: prout & Cornelius Gemma id ſequentibus verbis confirmat: *Illi rectè ratiocinantur, qui in turbata proportione cauſam monſtrorum univerſam collocant.* Ubi turbata proportio quatuor qualitatum malè affectarum intelligenda.

L. 1. de divin. natur. Charact. c. 6.

Cauſa efficiens Monſtrorum appellatur Agens naturale, ſeu vis formatrix: hæc enim cum valida fuerit, multa dividit & ſeparat, quæ ab nullo alio ſeparabilia, ſeu diviſibilia fuiſſent. Inde evenit, ſæpenumero infantes ſex digitis in manibus, ſeu pedibus naſci. Ea rurſum quandoque tam debilis eſt, ut ne ſeparabilia quidem disjungere poſſit, unde poſtea partus in lucem prodire contingit, qui digitos omnes conjunctos habeant. Tempore Aldrovandi, advena pauper Bononiæ oſtiatim ſtipem rogare viſus, qui digitos manus dexteræ non extenſos, ſed unguibus mox in ortu ſuo unitos geſtabat. Hujuſcemodi manus, pedeſque erant Marchionis Franciſci Mariæ Riarii Senatoris Bononienſis, cujus magna familiaritate & conſuetudine fruitus ſum. In quo admiratione dignum erat, videre, quàm venerabilis ille Senator calamo ſcriptorio opportunè uti didicerit, ut ferè nunquam à ſcribendo vacarit. Huc reſpiciendo Ludovicus Mercatus ait, virtutem formatricem, & Agens naturale materiam fœtûs in tantum moderari non poſſe, quantùm opus foret, ac proinde ſecundùm majus, aut minus impedimentum Agentis, Monſtra varia oboriri.

Progenerari autem hæc à parte Agentis, nemo eſt, qui contradicat: negari enim non poteſt, eſſe in Agente imbecillitatem, ſeu debilitatem quandam, quæ nequeat delineare, ſeu formare ſecundùm indigentiam & neceſſitatem fœtûs. Ita pronuntiavit Averrhoës in Commentariis ſupra Ariſtotelem.

Nec Albertus Magnus cauſam efficientem nomine virtutis formatricis compellare dubitavit. Sic enim ille: *Monſtra ex debilitate virtutis formativæ dimanare, quæ cum ſit imbecillis, cum totam materiam formare non poſſit, portionem tantùm detinet, & aliam reſpuit.*

Lib. 4. de Gener. Animal.

Alii cauſam efficientem Monſtrorum in virtute & efficacia ſtellarum ſtatuerunt, idque contra opinionem eorum, qui nullam Terræ cum cœlo communionem intercedere crediderunt, è cœlo non niſi lucem provenire unaque diverſitatem caloris: Et quidem ex mente Stagiritæ, qui in Meteoris ait, hæc inferiora à virtutibus cæleſtibus regi, & gubernari; hominum verò ab homine, & à ſole procreari. Unde fit, ut ex motu cœlorum vario & ſtellarum aſpectibus diverſis, multa in hiſce inferioribus producantur, eorumque efficacia non à lumine ſolùm & motu, ſed ab occulta quadam virtute dependeat, quam nos influxiones appellare conſuevimus. Hæc ſententia Alberti Magni eſt, Divi Thomæ, Pauli Veneti Conciliatoris, Joannis Grammatici, & tot aliorum, quos ex modernis plures ſecuti ſunt.

Lib. 3. de cœlis Text. 42.

Tametſi eorum quidam præter omnem rationem id negent. Proinde Albertus Magnus tradit, loca in Cœlis dari, ad quæ, ubi luminaria pervenerint, omninò imperfectam & inæqualem Materiam reddant, ejus operationem in utero impediant, ut in partes humani corporis dilatari & transformari nequeat. Nihil ab hac opinione differt Manilius, dum ſequenti carmine in hunc ſenſum concludit:

- - - - Permiſcet ſæpe ferarum
Corpora cum membris hominum: non ſeminis ille
Partus erit; quid enim nobis commune, feriſque?
Quisve in Portenti noxam peccaret adulter?
Aſtra novant formas, cœlumque interſerit ora.

In quo dicendum, tunc produci Monſtra, cum determinatæ quædam Conſtellationes hunc in mundum influunt. Ætate itaque Alberti Magni, in villa quadam accidit, ut vacca vitulum pareret humano capite, quo caſu obſtupefacti Pagani, renovata tempora Minotauri rati ſunt, paſtoremque cum jumento nefandos habuiſſe congreſſus; decreverunt itaque ut ſimul tres uno rogo vivi comburerentur, æquum judicantes, à calore execrabilis concupiſcentiæ ad Pyræ ardores eos tranſitum facere. Verùm Albertus Magnus pauperculo ſuppetias tulit, qui tanquam Aſtronomiæ peritiſſimus paſtoris innocentiam detectâ veritate declaravit, dum hæc à cauſa effectrice, ſeu Conſtellationum influxu producta demonſtraſſet.

Veritatem hanc idem Author uberius declarat, dum in ea conſtellatione, in qua porcelli generantur, fortè evenit, infantem porcino capite naſci. Dicendum igitur fieri poſſe, ut fœtus humanus capite oblongo, ſeu vultu canino, aut alterius bruti æmulo in lucem prodeat. Hinc pariter cauſam deducimus, cur in petris quibuſdam humanam faciem, ſeu alterius cujuſdam animalis æmulantibus, Naturæ ingenio effigies delineentur, ut idem Albertus Magnus in Libro de Mineralibus ſat diffuſe tractat.

Septalius, obſervator ſcientificus & Practicus, in commentariis ſupra Ariſtotelis Problemata, duplicem Monſtorum cauſam conſtituit, videlicet Inſtrumentalem, & Primariam, hanc facultati formatrici, quæ ſeminibus inſita eſt, convenire, illam in primis qualitatibus reſidere, concurrente imaginatione: his addit cauſam ſupremam, Deum optimum maximum, ſeu maligni ſpiritûs inſidias; nec ab his rejicit malam proportionem qualitatum, de qua ſupra retulimus.

Quod cauſam primam concernit, dum in Deo cuncta collocat, Gentilibus præſtat, qui gentiliter diſcurrentes, quò plus ſibi ſapere videntur, eò plus delirant: quare prudentiores eorum nil fortuitò accidere, ſapienter conjiciunt, Menti divinæ adſcribentes ſingula, quæ certis mediis, inſtrumentis, & finibus operando viâ rectâ incedit, dum Natura mutationibus & alterationibus ſubjecta, nihilominus divino ſuo Authori obtemperare cogitur; quæ tametſi in mundo inferiori ad curſum legis conſuetæ & ordinariæ verti videatur, conſiderandum nihilominus virtute ſancti ſpiritus eam rapi, & ſublevari, Ita perſuaſi, & his fundamentis nixi peritiores,

res non dubitant enuntiare, Altiſſimi permiſſu, abortivos hujuſmodi & informes partus flagellorum divinorum præcurſores eſſe.

In Adverſariis.

In hanc ſententiam Devotus quidam recenſet, eo anno, quo Coriolanus in exilium actus eſt, Romanam Civitatem viciſſim prodigiis exterritam: dum confertim Monſtra, tam ex brutis, quàm hominibus nata ſunt, ab hinc variis tribulationibus, ut fame, peſtilentiâ, bello tam vinteſtino, quàm extero urbs afflicta fuit. A quo non diſſidet Paræus, dum ait; *Monſtra aliqua eſſe, quibus aliquid divini ineſſe videtur.* Et hæc à Cauſa generali Monſtrorum originem non ducunt, ſed nec particularem Cauſam admittunt, dum à ſupremo Numine immittuntur. Neque Dæmonis cooperatio hic penitus excludenda, quam Lycetus inter Cauſas Monſtrorum loco decimo tertio collocavit: in quorum generatione, dubium non eſt, poſſe Dæmones varia animalium ſemina prolifica, perperam commixta in uterum mulieris congerere, itemque varias Cauſas, ad horum generationem neceſſarias & competentes copulare atque conjungere, nimirum: *applicando Activa Paſſivis*, removendo omne id, quod *actionem & paſſionem* talem valeat impedire.

Alii ad præmemoratam Cauſam efficientem & Inſtrumentalem confugiunt, quam Albertus Magnus, malitiam Continentis appellavit. Dilucidè & clarè hæc à Commentatoribus Pariſienſibus in Quæſtionibus ad librum 2. Phyſicorum explicantur. *Eſt autem* (inquiunt) *Continens, pellis quædam fœtum involvens, quæ ſecundina appellatur, unde hac diſrupta, fœtus cum duobus capitibus, & uno tantum corpore, vel Gemelli in dorſo connexi naſcuntur.* Cauſam hanc Monſtrorum efficientem doctiſſimus Lycetus exponit eam in proximam & remotam dividendo: rurſum eam ſubdividens in Cauſam primam, quæ Deum ipſum omnipotentem comprehendit, qui unà cum Agentibus naturalibus, ad rerum omnium productionem concurrit. Pro cauſa remota cœlum interpellat, quod perenni motu ac lumine in inferiora hæc agat. Per cauſam proximam inſtrumentalem, & efficientem, loco primo calorem viſcerum maternorum altero uterum ipſum intelligit. Diſtribuit & ſubdividit denuo cauſam Monſtrorum efficientem in Principium Agens, quod Philoſophi adæquatum appellant, eſtque Seminis illa portio, è qua fæcunditas oritur; itidemque in Principium Agenti adæquato ſynonymum, eſtque virtus ſeu anima ſeminalis, eidem à parentibus communicata, quatenus eſt facultas conſtitutiva fabricæ in corpore vivente, hæcque non libera, ſed impedita, ut deſideratum finem conſequi nequeat. Colligitur hinc, cauſam Monſtrorum efficientem, eſſe virtutem formatricem partium corporis viventis.

Si tandem ad *cauſam Finalem* converti nos oportet, hanc in doctrina Peripatetici non invenimus: Monſtra enim cum puræ privationes ſint à Natura non intenduntur, neque agnoſcuntur, ex quo fit, quod cauſâ finali ea carere præſumptio eſt. S. Auguſtinus Theologicè loquendo, cauſam eorum finalem ita probare nititur: *Deus* (inquit) *creator eſt omnium, qui ubi, & quando creari quid oporteat, vel oportuerit, ipſe novit, ſciens univerſitatis pulchritudinem, quarum partium vel ſimilitudine, vel diverſitate contexat, ſed qui totum inſpicere non poteſt tanquam deformitate partis offenditur, quoniam cui competat, & quomodo referatur, protinus ignorat.* Inde colligitur, cauſam Monſtrorum finale, concurrere & ipſam ad decorem & pulchritudinem univerſi.

Lib. 6. de Civit. Dei, c. 8.

Neque Ambroſius Paræus ab hac ſententia diſcrepat, qui ponderatis his, complures dari Monſtrorum cauſas, ait, primam verò omnium eſſe, ut tanto magis divina gloria manifeſtetur, ejuſque infinita Potentia, & ſapientia laudem ſuam nanciſcatur maximè cum ad formam humanam revertuntur, uti de cœco nato, ægris ſanatis, claudis reſtitutis, mortuis reſuſcitatis ſcriptura teſtificatur, quòd turbæ *glorificantes laudaverunt Dominum*: De cæco quidem, unde hoc ei malum evenerit interrogatus Salvator, reſpondit; *ut gloria Dei manifeſtaretur in illo.*

Quare idem Author ſubjungit, eo fine Monſtra creari, ſive ut hominum delicta puniantur, ſive ut imminentia flagella prænoſcantur, ſive ad peccati turpitudinem indicandam, ut homines norint, quàm abominabiles cæleſti curiæ ſint illicitæ voluptates, & continuatæ ſenſuales illecebræ: ex his, inquam, cauſis, hujuſmodi Monſtra evenire.

Piè & eruditè Abulenſis inquit, cauſari illa per voluntatem divinam, ut majora mala, quæ fortè eventura erant, evitare diſcamus; ſic enim quædam non niſi ex parte defectuoſa prodeunt, quæ pejora & horribiliora procul dubio eſſent, ſi partui hujuſmodi corpus integrum, & in ſuo genere perfectum conceſſum fuiſſet. Ubi illud nihilominus notandum, cauſam hanc particularem, non cuivis Monſtro communem eſſe.

In Matthæum c. 19. qu. 88.

Philoſophus ac Medicus Weirinchius, reſpiciendo tam ad cauſam hanc duplicem jam memoratam, Gloriam Dei videlicet, ejuſque contra Mortales indignationem, tertiam addit, liberum divinæ Potentiæ arbitrium, quæ Naturæ legibus non adſtringitur, unde quandoque nec cœlum ipſum eximit. Breviter tamen Lycetus ab hac propoſitione ſe expedit, dum cauſam duplicem, communem & propriam conſtituit, quarum illam in ſpecierum perpetuitate reponit, cum individua per ſe ipſa continuare & perennari non valeant; & hic finis ad omnia genera animantium ſpectat: Proprium verò finem ita declarat, ut veluti errores quoſdam Naturæ, in operatione ſua impeditæ, agnoſcamus, quæ cum finem deſideratum conſequi nequeat, neque id quod vult poſſit, intendat illa quæ poteſt, animalque quoad partium conſtitutionem ſibi ipſi ſimile producat. His præſuppoſitis, dicendum, cauſam Monſtrorum finalem de fine Animantium perfectiſſimorum participare, quorum tamen perfectionem integram, & abſolutam aſſequi Natura non potuerit.

Pro corona & complemento eorum, quæ dicenda ſuperſunt, ejuſdem Paræi doctrinam hîc adduco. Duplicem, ait, cauſam Monſtrorum formalem incidere, quarum prima animalibus omnibus communis, propria verò ſeu ſpecifica Monſtrorum forma aliud non ſit, quàm prava corporaturæ conſtitutio, deformis fabrica, & vitioſa partium conformatio. Quæ ſententia cum doctrina Ariſtotelis congruit; qui ſceleribus hominum, aut Naturæ defectui Monſtrorum originem attribuit: quæ quidem ſententia tam vera eſt, ut ea quam ſunt quæ ex Apollinis

aureà Tripode prodierunt. Unde ſapienter arguit Weirinchius, neque à germana veritate deviâſſe credendus, dum ſcribit: *Quod malum & vitiatum eſt, formam propriè habere non videtur, cum ſit formæ privatio, aut potiùs depravatio.* Verum ergo eſt, habere Monſtra quidem formas, ſed alienas, ſed remotas, quæ deinceps in differentiis ſuis manifeſtantur. Quibus de cauſis, nec terminum finalem in Monſtris aſſignare poterimus, cum unaquæque ſpecies ex natura ſuâ formam congruam adepta ſit, eam ſi à principio nativitatis ſuæ Monſtra non conſequuntur, finem debitum ſortita non eſſe, pronuntiandum eſt.

His prædictis notandum, Monſtrorum cauſas omnes hactenus explicatas, ita inter ſe complicatas eſſe, ut nequeat una ſine altera diſquiri, vel intelligi: Hinc magnis difficultatibus eorum opinio involvitur qui Monſtrorum productionem ſeu generationem, ad unam ſolam cauſam reducere ſatagunt. Magnis profectò paſſibus hi à doctrina Peripatetica declinant, quæ infallibilis axiomatis loco promulgat; *Materiam paſſivum, & formam activum Principium eſſe;* & Libro ſecundo *de ortu & interitu*, inquit, *proprium eſſe Materiæ pati, & Formæ operari.* Eadem tertio Phyſicorum & tandem nono Metaphyſicorum enuntiat, Aptam eſſe Materiam & ſubjectam paſſioni, & mutationi, hoc eſt alterationi, non verò operationi. Porrò libro ſecundo Phyſicorum annuit Philoſophus, quin apertè aſſerit, Monſtrum eſſe Naturæ operantis errorem: dum igitur homo monſtroſus triplici ore naſcitur, illud non à materia, ſed à virtute valida formatrice derivabitur, adeoque Monſtrorum formatio non ſoli Materiæ attribuenda, ſiquidem ad monſtrorum compoſitionem & formam, omnes hæ cauſæ conjunctim in miſtione imperfecta concurrunt.

Varia hîc & gravia dubia inſurgunt, ſitne accidentalis, an verè & perfectè ſubſtantialis Monſtrorum generatio; an talia mundus à prima ſui conſtitutione produxerit; an ex utero humano partus homini diſſimilis prodire poſſit? aliæ inſuper Quæſtiones, non utiles minùs, quam curioſæ. Spacioſus profectò campus ad evagandum cumprimis largam materiam ſuppeditantibus Philoſophis: ſed quoniam ſatis in hac doctrina deſudatum, & in Problematibus multa examinata, quæ cum his coincidunt, idcirco dubitationes hujuſmodi ſicco pede tranſimus.

FORMÆ.

QUi uberiorem ſegetem in campo hoc metere deſiderat, poterit inter alios volumen illud incomparabilis & nunquam ſatis laudati Aldrovandi, ubi *de Monſtris* agit, perlegere, ibi in longè defæcatiori Idiomate, quàm iſtud meum eſt, reperiet, non præmemoratas modò doctrinas, ſed multò etiam fuſiùs, Authoritates, ſententias, conceptus, alioſque ingenii fœtus, dum libens fateor, me hactenus aliud non fuiſſe niſi imperfectam Echo vocis tam perfectæ, tam ſonoræ, & omnibus numeris abſolutæ. Id ſolum metuo, ne ſicco & inæquali calamo tantum Authorem perveterim potiùs, quàm verterim, neque ignarus ſum, *quod non omnibus datum ſit, adire Corinthum.* Nihilominus in humanitate tua, benevole Lector, confido, fore, ut bono animo expreſſiones noſtras excipias, neque chartas haſce tanquam inutiles rejicias, aut quaſi deforme opus reprobes, me redarguendo tanquam in ſignificationibus meis improprium: Si tandem obliqua, contorta, & inæqualis mea penna fuerit hucuſque, nolo mireris, non enim poteram, neque debebam inter vitia Naturæ non & me vitioſum exhibere: Condonabis igitur, ſi ſtylum partim mutilum, atque defectuoſum offenderis, nam & Monſtra à Natura non producta ſolùm, ſed etiam tolerata ſunt. Occurrent tibi, ad primum doctiſſimi libri intuitum, Naturæ errores, una cum figuris ſuis ad vivum expreſſis.

Sumpto initio à ſuperiore & præcipua hominis parte (Capite, inquam) Monſtra humana illic apparebunt ſine capite nata, aut cum duobus capitibus, in uno ſolo corpore conjunctis, cui tamen brachia bina totidemque pedes. Aliud capite in geminas frontes diviſo, alteri caput in ventre ſitum. Huic capita ſeptem, & brachia pari numero, cui femora & pedes caprini.

Similes figuræ & in brutis reperiuntur, de quibus intentionis noſtræ non eſt hic agere, nec verò etiam de piſcibus. Si tamen aliena capita inſpicere libebit, offerent ſe tibi illico infantes bovinis, caninis, & aſininis capitibus, qui fabuloſam Anubidis Dei figuram veraciter referent. Item alius Elephantinâ facie, ſimilibus oculis, atque proboſcide, & præterea utrimque eburneô dente, id quod in animalibus quoque contigit. Occurrent tibi, ſeu puella, cui oculi deficiant & nares, ſeu puer ternis oculis, quaternis manibus: Alius præterea, cui oculi non minores quàm in bubalo, prominebant. Incides in pueros diviſis naribus, auribus leporinis, aut cornuto capite, aut ore ranæ ſimili, capite ſimiliter cornuto, aut inferioribus partibus in arietem deſinentes, auribus ejuſdem ſpeciei. Hic abſque collo eſt, alteri illud mirè contortum & incurvatum. Facies huic ranæ, alteri ſimiæ. Alteri rurſum os immodice magnum, & ſemper patulum. Pari modo de conſimilibus animalium, maximè quadrupedum monſtroſitatibus diſſeretur.

His ſuccedunt depravatæ & imperfectæ brachiorum compoſitiones, & coxarum deformium miſerandi abortus, ſæpiùs cum coxa non niſi unica: ſtupendum ſanè, in rebus neceſſariis adeo defeciſſe materiam. Alii rurſum obſervantur, quibus pedum baſes deficiunt; alii horum loco, non ſecus ac fabuloſæ Sirenes, in piſcem deſinunt. Quis hîc non obſtupeſcat, videre virum, annos quadraginta natum, manibus & pedibus carentem, ea nihilominus operantem, quæ alii manibus, ita ut aleis luderet, ligna ſecuri finderet, ſclopetum imperterritus & cum facilitate exploderet; factum id Bononiæ, Anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimo, vigeſimo octavo. Videbitur ibi partus, cui, brachiorum alterum deerat; item alius, cui tres pedes: Alteri brachium unum idque mutilum, Alius brachium in regione auris, idipſum alius infra pectus habebat. Iterum plures ſunt, quibus illa multiplicata, & malè diſpoſita, uni quidem tria, alteri quatuor, cum pedibus totidem, ita tamen deſigurata & tranſpoſita, ut inſolitum ſtuporem, & admirationem excitarint.

Detegitur ibidem Hermaphroditus, ſeu Androgynus, cum brachiis quatuor, pari numero femorum, inter ſe arctè colligatis & unitis omnibus: Item ſenex ſenis brachiis, ita diſperſis &

inordinatis, ut Briareum, ſeu Monſtrum fabuloſum in Monſtro vero exhiberi crederes. Si vitioſa digitorum conformatio attendatur, erunt illic infantes aut manibus mutili, aut digitis abundantes, aut manibus, pedibuſve diſtortis, inde manus monſtroſæ, informes, confuſæ, conglobatæ, conglomeratæ, & mille modis deformatæ & perverſæ: Infantes cum digitis diminutis, reſolutis, inæqualibus, excedentibus ſeu magnitudine ſeu parvitate; quidam manibus pedibuſque anſerinis. Cauſæ harum partium adeo depravatarum attribuuntur ſeu Matribus, ſeu nutricibus, ſeu obſtetricibus, quæ faſciis aut ligamentis, vel nimiùm aſtrictis, aut plus juſto relaxatis, prolem repandam, diſtortam, gibboſam, curvam, ſeu alio quovis modo monſtroſam & abſurdam efficiunt.

Meo tamen judicio omnem prædictorum miſeriam exuperant, qui ventre exteriùs aperto, miſerabiliter inteſtina nuda, & ex tremendis iſtis hiatibus propendentia exhibent.

In Melpomene. Scribit præterea Heſiodus, Herculem, cum orbem terrarum pervagaretur, in antro quodam virginem reperiſſe, ex variis membris compoſitam, cujus partes inferiores in ſerpentem terminabantur. In Thracia ante Mauritii Imperatoris deceſſum, fœmina quædam partùm monſtroſum edidit, qui ad umbilicum uſque humanus erat, reliquis partibus in piſcem deſinentibus. Ita nonageſimo octavo anno ſupra milleſimum & quingenteſimum, menſe Octobri inter Augiam & Ortonam Monſtrum cum horribili cauda apparuit.

Ejuſdem ſæculi anno quinquageſimo quinto aliud quoddam exortum eſt, in cujus dorſo viſcera pendebant. Plura hujus generis alia recenſentur, inter quæ non omittenda quæ Lycoſthenes refert de homine in anterioribus ſolùm perforato, è quibus fœtidiſſima excrementa dejiciebat, quamvis illum alii infra genitalia in perinæo perforatum dicerent. De Androgynis, ſeu Hermaphroditis hîc nil memorabimus, cum de iis in additionibus dicendum mihi ſit, dum enim in aliis occupatos Authores invenio, ita novam mihi materiam hic non prætereundam ſuggerunt.

Reſtat, ut pedum quoque defectus conſideremus. Figuras inventurus es, ubi in nodos hi deſinunt, aut paulò infra umbilicum exoriuntur; aut in cuſpidem, ſeu pyramidem finiunt: quos inter puellam invenies Gallicam, cui latera, coxæ, crura, ac pedes deerant, præterea infantem, capite averſo, pedibus omnino mutilum. In memorata verò puella Gallica, cui latera deerant, nil mirabilius, quàm videre octavo ætatis anno loquentem, cantantem, ludentem citharâ, & manibus tripudiantem more ſeu Hiſpanico, ſeu Italico, Gallico, vel & Africo, ſimulque ad citharæ aut fidium, ſeu alterius muſici inſtrumenti ſonum manus tali concordiâ moventem, ut qui eminus eam vidiſſet, perfectè omnibus membris inſtructam judicâſſet, maximè cum nec aliæ illi dotes, quæ fœminis conceſſæ ſunt, deficerent.

Similes figuræ & in animantibus præſertim quadrupedibus, maxime verò in canibus deprehenduntur. Quod ſi à decremento, ſeu diminutione, ad multiplicitatem, ſeu exuberantiam partium tranſeundum; invenientur pueri quidam tribus pedibus, puellæ verò, quatuor inſtructæ. Teſtantur id Julius Obſequens, Jacobus Rufus, Lycoſthenes, Pontanus, Paræus. Præter hos alii in campo Tigurino anno milleſimo, quingenteſimo, ſexto & trigeſimo, vigeſimâ primâ Decembris, apparuerunt. De conjuge item ferrarii fabri, anno ejuſdem ſæculi quinto & quinquageſimo puer monſtroſus quatuor manibus, pedibuſque totidem natus eſt; & hiſtoriis atteſtantibus plures quatuor pedibus viſi ſunt, & maximè Romæ ſimilis quidam eo tempore, quo totam hanc regionem in ſui admirationem pertraxit. In hunc modum nata & brutalia ſunt Monſtra; velut equus pedibus quinque, alius octo: Bos item & vitulus, qui pedes duos gerebant in dorſo, quorum hic faciem inſuper agni repræſentabat, alius ſeptem pedibus, quorum unus ſupra dorſum reclinabatur. Ita vidimus Bononiæ cattum octo pedibus, hermaphroditum, capite & caudâ geminis, monſtrum admiratione dignum. Ad eum modum & capræ, & lepores reperiuntur. Eadem multiplicitas in volatilibus quoque deprehenſa eſt, pullis gallinaceis, columbis, anſeribus, anatibus, carduelibus, & aliis.

His accedit horrenda & maligna pedum in hominibus ferina conformatio. Ita Plutarchus author eſt, ex jumento natam puellam Onoſcelidem dictam, cujus partes inferiores ex aſininis erant compoſitæ. Sic anno ſupra ſæculum decimumquartum nonageſimo tertio, adoleſcens quædam innupta fœtum humanum ſed cruribus ac pedibus caninis edidit: cujus Monſtri recordantur Cardanus, Paræus & Lycoſthenes. Præterea Majus prodidit, anno ſupra decimum & quintum ſæculum quadrageſimo quinto, Avenione hominem natum, cujus partes ſuperiores humanæ ritè compoſitæ, inferiores caninæ erant, qui unà cum nefanda matre, mandato Chriſtianiſſimi Regis, flammis abſumptus fuit.

Ejuſdem farinæ fuit, quem tempore Pii tertii Pontificis Hetruria vidit, Volaterano referente. In Muſæo Illuſtriſſimi Regiminis Bononienſis ſceleton Monſtri hermaphroditi aſſervatur, cujus horridiſſima facies, pedes aquilini, ita velox in curſu, ut nemo id aſſequi valeret, quod tamen, cum multa ruri damna inferret, captum & ſagittis confectum fuit. Plinius equi cujuſdam meminit qui Dictatorem Cæſarem Dominum agnoſcebat, cujus pedes anteriores humani erant. Huc referendæ eædem partes vitiatæ & ſuperfluæ in animalibus ſupra allatis.

Hiſce cutis monſtroſa fœditas conjungitur, quæ dum excedit, aut vitiis abundat, nequit non reprobari, & hujuſmodi inter abortivos fœtus numerari. Ita monſtroſum erit, liberos nigros ex alba muliere naſci, & ſic de contrario, uti in exemplis ſupra narratis animadvertimus. Sic partus multi urſorum adinſtar piloſi prodierunt; qualis inter alios viſus eſt, qui, Lycoſthene referente, anno ſalutis noſtræ milleſimo, ducenteſimo, octogeſimò ſecundo, è nobili Matrona natus eſt tempore Martini IV Papæ, cujus poſtea juſſu cunctæ Imagines, quòtquot ſeu urſos, ſeu alia hirſuta animalia repræſentabant, ex ædibus ejuſdam Matronæ ſublatæ fuerunt.

Natus præterea infans fuit, Monachi adinſtar cucullatus, ut refert Ambroſius Paræus, anno ſupra milleſimum: quingenteſimo duodeoctogeſimo, decimâ ſeptimâ Januarii, cui cucullus ſeu indumentum facili negotio ſublatus, ſimulque ad aulam Principis illic loci dominantis tranſlatus, diu aulicis multam ſermocinandi materi-

am præbuit. Ita in Indiis natus infans, qui poſtea in virum excrevit, licet ſtaturâ puſillum, qui per civitatem Bononienſem tam mihi charam tranſeundo anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, cum planè Ulyſſes Aldrovandus in conſcribenda Monſtrorum hiſtoria occuparetur, ad eum viſendi gratia perductus fuit. Vidiſſes ibi homuncionem, cum ſubſtantia quadam longa caronoſa ad cuculli formam ex capite dependente. Alius item, cui excreſcentia ſimilis carnoſa in pectore erat: præter hæc infans cute non ſecus laceratâ, ac ſi ferro de induſtria interſecata eſſet, & horum ſimilia. Durities atque deformitates iſtæ in animalibus quadrupedibus quoque dari ſolent, de quo eruditæ hæ chartæ amplam fidem faciunt.

Poſteaquem uno in corpore plura capita vidimus, ita & ſub uno ſolo capite plura corpora hoc volumine demonſtrantur; ſiquidem ob oculos palam exponit miſeros illos, qui ſub uno capite plura corpora admiſerunt; Idea & ſymbolum Monarchiæ incompoſitæ, cujus ſubditi inutiles, caput verò languidum: quod ſi per annorum retro ſeriem evagari vellemus, inquit, tantam eorum multitudinem reperiremus, ut plures paginas adimplerent. Refert inter alios Petrus Aponenſis, in commentariis ſupra Ariſtotelis Problemata, Monſtrum quoddam in Italia obſervatum, fœminei ſexûs, quod non ventre ſolùm, ſed & reliquis partibus geminatum erat. *Lib. 1. Locor. Com. c. 18.* Sic & Valeriola recenſet, Avenione viſum Monſtrum, quod ſub una cervice duo corpora includerit. Affert item Lycoſthenes figuram puellæ in Italia natæ circa annum Chriſti milleſimum quadringenteſimum, ſeptuageſimum ſecundum, cujus unicum caput, bina autem corpora perfectè integra. Similis cujuſdam Paræus meminit, anno poſt decimum quintum ſæculum trigeſimo primo, non procul Eslingâ nati: ita ejuſdem ſæculi anno quadrageſimo ſeptimo, duo gemelli in uno capite conjuncti apparuerunt.

Eodem anno in Civitate Lovanienſi duo gemelli prodierunt, qui in uno ſolo corpore vivebant. His addenda imago partûs Monſtroſi, dum anno milleſimo quingenteſimo undeſeptuageſimo, mulier quædam Turone geminos edidit, qui ſeſe mutuò amplexabantur, nec dici poterat, eos non ſe invicem ardentiſſime amare, cum ambo ſub uno eodemque capite viverent, refertque Ambroſius Paræus, ſceletum hoc ſibi à Renato Cireto tranſmiſſum eſſe.

Rurſum illius ſæculi anno ſeptuageſimo nono, prope pontem Lacûs obſcuri in territorio Ferrarienſi, obſervatum fuit Monſtrum unico capite, in cujus occipitio excreſcentia carnea, in ore verò duplex lingua, quarum quæ minor erat, & acuta, latiori alteri inhærebat, collum unum, reliqua corporis geminata ſexum muliebrem indicabant. Hujuſmodi figuram in laudato Muſæo publico Bononienſi unam, & aliam ſimilem Hermaphroditi reperies. Non abſimile Monſtrum duorum corporum per Realdum Columbum, Medicum & Anatomicum Patavienſem diſſectum fuit, fœtus ſemeſtris erat, cui alius firmiſſimè conjunctus.

Similem quoque mihi Tolentini Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo videre contigit. Aperto igitur cadavere imperfecti infantis, nulla niſi pauciſſima inteſtina in corpore reperta ſunt, è quorum portione veſica fabricata, alia viſcera nobiliora non admittebat, niſi quod renes debitò majores officium hepatis ſupplebant, dum ab horum extremitate vena craſſa per modum arteriæ derivabat, & ab illa plurimæ venæ per corpus diſſeminabantur.

In Magi. natural. L. 2. c. 17. Alterum horum Monſtrorum, illud cumprimis, quod à me viſum eſt, ad uſque virilem ætatem pervenit. Refert Joannes Baptiſta Porta Neapolitanus, vidiſſe ſe Neapoli Monſtrum, è cujus pectore infans perfectus & abſolutus propendebat, qui totus conſpiciebatur, capite excepto, quod in alterius ventre abſconditum habebat. Ante Portam de ſimili Monſtro Lycoſthenes narrat, nato Colmariæ in oppido Alſatiæ Imperialis ad flumen Ilum ſito. Eodem Lycoſthene referente, è Sabaudia in Helvetiam tranſiit homo quidam juſtæ ætatis, debitè quoad omnia membra conformatus, è cujus ventre corpus alterius item hominis propendebat, cui caput ſolum & brachia deeſſent, quæ alterius ventri inſerta oſtendebat. Hâc ille mole cum ſumma ſpectantium admiratione mundum peragrabat. Quod de hominibus dictum eſt, id de animalibus, atque inter quadrupedia, vitulis, porcis, canibus, & cattis, inter volatilia verò, gallinis, anatibus, anſeribus, & cæteris quoque intelligendum.

Nondum exhauſto perenni fonte, ex uberrima ſcaturigine promanantes alias Monſtrorum formas, quæ ſecundùm partes inferiores uti ſimplicia, ita in ſuperioribus geminata ſunt adducit.

Lib. 16. de Civit. Dei. c. 8. Primò omnium in teſtimonium Sanctum Auguſtinum vocat, quæ Petrus Crinitus libro de *honeſta diſciplina* reaſſumit. Natum videlicet Emaunthe infantem, ad umbilicum uſque ſimplicem & bene conformatum, ſed ab umbilico ſurſum versùs, quatuor brachia, & duo capita habentem. Paulus Diaconus recenſet, poſt exceſſum Theodoſii editum infantem adu ſque umbilicum ſimiliter perfectum, quoad ſuperiora ita geminatum, ut capita duo, totidem pectora, & brachia quatuor admitteret; duplici præterea ſenſu pollebat, uno ſiquidem dormiente, alter vigilabat, plorante altero, hic ridebat.

Lib. 2. Phyſic. Idem in Lydia eveniſſe Sanctus Hieronymus atteſtatur, ut jam alibi monuimus. Similia quoque Albertus Magnus in Commentariis ſupra Ariſtotelis Phyſica, & Cardanus in Hippocratem, adducunt. Buchananus rerum Scoticarum ſcriptor refert, viſum in eo Regno Corpus Monſtroſum, quod infra ventrem ex membris humanis rite conformatum erat, inde verò uſque ad ipſum caput, membris omnibus geminatum. Placuit Regi, ut Monſtrum hoc in variis diſciplinis, atque ſcientiis inſtrueretur, in quibus & magnos progreſſus fecit, præſertim in arte Muſices ad ſtuporem cantare viſum eſt. Acciderunt in eo alia non minùs miranda, primùm, quod multoties bina hæc capita inter ſeſe rixarentur, atque contenderent, alterum, quod læſâ parte quadam inferiore, ambo paterentur, quod ſi è contrario in ſuperioribus offenſio fieret, alterutrum ſolummodo, nempe illud, quod percuſſum fuerat, affligeretur, quæ idcirco facta, quod in ſuperioribus disjungerentur, quæ in inferioribus conjuncta erant.

Ita in Anglia, circa annum ſalutis milleſimum, centeſimum, & duodecimum, è Conradi Lycoſthenis hiſtoria diſcimus, natum puerum, qui item clunibus versùs ſuperiora auctus erat, ita ut non unus, ſed duo infantes viderentur, in

his autem tibiam unam, unamque coxam per ſingulos portabat. Rurſum anno Chriſti duodecies centeſimo, trigeſimo & quarto in locis montanis Provinciæ Bononienſis, Patriæ meæ, natum ex fœmina Monſtrum his non abſimile, quod inde ab umbilico caput verſus duplicatum erat, inque rurſum ad pedes unum videbatur, cujus pars una primo, altera ſecundo die expiravit. Ad occaſum Imperii Græci, ultimis Andronici diebus, circa annum ſalutis ducenteſimum cum milleſimo, natus Conſtantinopoli puer, à pedibus versùs umbilicum unus, & ſibi ipſi æqualis, inde verò hâc ratione ſeparatus, ut bina capita, pectora item bina, & per conſequens ſpinam dorſi duplicem, cum quatuor brachiis haberet, qui duodecim non amplius horas ſupervixit.

Item anno Domini milleſimo trecenteſimo, & inſuper decimo, ut ex Lycoſthenis hiſtoriis apparet, puer viſus gemino capite, & bis geminatis brachiis, circa partes tamen genitales ita connexus, ut in duos ſolummodo pedes deſineret. Dicta effigies hodiedum in pariete Xenodochii ad Scalam magnæ illius urbis depicta conſpicitur, unà cum longo Epigrammate, hiſtoriam illius propalante, quò & Curioſum remittimus. Ejuſdem Petrarcha in opere ſuo de rebus memorabilibus mentionem facit. Neque hic defuerunt Naturæ errores, dum anno poſt lapſum ſæculi decimiquarti quarto & nonageſimo, in quodam Germaniæ caſtello, quod ſitum eſt in Hercinia ſylva, puer editus eſt biceps, brachiis quatuor, ſolis duobus pedibus, cujus rei Lycoſthenes fidem facit.

Eodem rurſus Hiſtorico atteſtante quarto poſt anno infans fœminei ſexûs priori omnino ſimilis in territorio Wittembergenſi prodiit, bipes videlicet, atque biceps, unico ventre, & brachiis non minùs quatuor. Tandem in Reinaci Caſtello, non ita procul Baſileâ diſtante iiſdem fere temporibus, eodem Lycoſthene, toties à nobis citato, authore, mulier quædam gemellos virilis ſexûs edidit, qui ſibi mutuò conjuncti, ſolos duos pedes, & quatuor brachia habebant. Eleganter hi ab erudito Munſtero in Coſmographia ſua deſcribuntur. Ita Creator non minùs ſupremam omnipotentiam ſuam manifeſtat, quàm Natura in omni ſuo partu ſeu perfecto, ſeu vario, ubivis plenam ſe, fœcundam, divitem & ludicram exhibet.

Alia conſideranda occurrent, ubi examinaverimus, quomodo Monſtra in alvo materna, de materia tali conglutinata ſint, atque compoſita, quæ ab illis nullâ ratione, quin totum pereat, disjungi & avelli queat. Rufus, & Cornelius Agrippa complures hujuſmodi caſus memoriæ reliquerunt; Volaterranus præterea recenſet, duos à ſe Romæ viſos infantes, ſibi mutuò conjunctos, quorum alter tamen humeros alteri obvertebat. Refert Schenkius in civitate Lovanienſi gemellos in lucem datos, adeò ſibi mutuo inviſceratos, & pectoribus & ventre, ut non niſi capite geminato, duobus pedum, & totidem brachiorum paribus diſtinguerentur: aperto nihilominus & diſſecto cadavere, cor unum utrique commune adinventum, quamvis reliqua geminata eſſent, unde inter eruditos orta controverſia eſt, an pars illorum rationalis in hoc uno & ſolo corde reſederit, an potiùs amborum in cerebro.

Anno ante Partum Virgineum nonageſimo nono, qui fuit orbis conditi, termilleſimus, octingenteſimus octogeſimus ſeptimus, narrat iterum Lycoſthenes, editos in lucem gemellos, non diu partui ſuperſtites, ſed cum eſſent imperfecti, & abundantes, fieri non potuit quin brevi deficerent. Sic anno ſalutis milleſimo ſexageſimo tertio, in urbe Conſtantia, viſa ſunt corpora duo, utroque ſexu perfectè dotata, in umbilico tamen adeò indiviſibiliter conjuncta, ut abſque evidenti periculo mortis, neutrum ab altero ſeparari potuerit.

Caſus non diſſimilis in convallibus Arni fluminis in villa quadam contigit, cui Teranio nomen, anno ſupra milleſimum tercenteſimo, decimoſeptimo, hâc tamen differentiâ, ut alteri horum femur unum cum tibia deeſſet.

Ita ſexennio ante, quàm decimum quintum ſæculum expirâret, menſe Auguſto, in territorio Principis Palatini in vineis non procul Heidelbergâ reperti ſunt duo gemelli conglutinati, atque integro thorace connexi, habentes umbilicum communem, de reliquo uterque membris ſuis disjunctim & ſeorſim debitè conformatus. Inſuper anno ſalutis quadringenteſimo & nono, ſupra milleſimum, menſe Septembri, juxta atteſtationem Lycoſthenis, Cornelii Gemmæ, & Paræi, Wormatiam inter & Bensheimium, fœmina quædam geminas peperit, quæ ſeſe mutuò reſpiciebant, frontibus adeo firmiter connexis, ut neutra ſine altera videri poſſet. Similes ſe vidiſſe Moguntiæ refert Munſterus, quæ tunc ætatis annum ſextum attigerant, ſimul ambulantes, dormientes ſimul, ſimulque iterum ſe è ſtrato levantes, dum hæc procedebat, retrorſum altera pergebat; objecta viſus non niſi ex tranſverſo conſiderabant, ob frontes inſeparabiliter connexas. Perveniſſe has ad decennium, Hiſtorici aſſerunt, quando alterâ earum ægrotante, & mortuâ, altera quoque propediem expiravit; uno enim corpore infecto, ſubitò & alterum contaminatum fuit. Referunt Authores, natum hâc occaſione Monſtrum: Fœminis duabus ſimul colloquentibus, quarum altera duplicem hunc partum geſtabat, tertiam ſuperveniſſe, quæ ſive joco, ſive ſeriò prægnantem hanc ad caput percuſſit, quæ concuſſio capita duplicis hujuſce fœtus ſic læſit, ut monſtroſæ prodierint.

Præter hæc anno milleſimo quingenteſimo tertio, in Helvetiæ Caſtello Toſſavio, quod in agro Tigurino ſitum eſt, mulier ingenua gemellos edidit, qui, præterquam circa umbilicum copulati, atque conjuncti, de reliquo omnibus ſuis membris abſoluti, & perfecti erant. Ejuſdem ſæculi anno quadrageſimo primo, Februario menſe, in regione Friburgenſi, infantes duo prodierunt, omnibus membris abſoluti, excepto quod abdomine ſeu ventre, ſibi invicem connectebantur. Sic in Heidelbergenſi territorio ad Necarum fluvium feſto Pentecoſtes triennio poſt, videlicet quadrageſimo quarto anno, ex Caſparo Besler fabro ferrario, ejuſdemque conjuge Catharinâ partus virilis duplex prognatus eſt, non ſecus ac ſupra memorati, quoad reliqua vitio carens, ſed in ventre mirabiliter conglutinatus; vixit per ſeſquidiem. In apertis tamen cadaveribus, ab Anatomicis, & Chirurgis, non niſi cor unum deprehenſum eſt.

Rurſum quadriennio poſt, qui fuit ejus ſæculi annus ſeptimus, & quadrageſimus, in Saxoniæ caſtello, prope Albim fluvium, nati duo infantes, ad collum uſque concreti, adeoque inviſcerati, & uniti, ut ſeſe mutuò tenaciter amplecti viderentur.

Quæ duplici exemplo, veteri altero, alteroque recentiori confirmantur. Quoad primum enim apud Schenkium legitur, circa annum milleſimum centeſimum & ſextum Argentinæ, plebejis parentibus natum infantem bicorporem fæminei ſexûs, in quo apparebant, facies una, oculi duo, quatuor aures, naſus unus, unum ſimiliter os, quod ſi in eam partem converteretur infans, ubi alterius corpuſculi facies emergebat, videbantur illinc capita duo, ad normam aliorum conformata, ſed ſtrictè invicem conjuncta, neque aliud quidpiam in collo altero, præter faciem geminatam apparebat. Amplectentium ſeſe ſimiles erant, brachiis, femoribusque invicem connexis. Ubi per ſeſquihoram monſtrum vixiſſet, mortuum eſt, & à Chirurgis adapertum cadaver, cor, pulmonem, ac ventriculum unum, hepar duplex, & duo renum paria exhibebat.

Non multùm ab hoc diverſum, etſi magis novum, id quod Rhegii evenit, Menſe Novembri anni decimi quinti ſupra milleſimum, & ſexcenteſimum. Corpus erat geminatum, conſtans utroque ſexu, & quod omnium maximè mirandum, alterum è corporibus nigrum, alterum candidum apparebat, ſed adeo ſibi inviſcerata, ut nulla ratione disjungi poſſent, dum thorax, venter, & umbilicus, cum reliquis partibus omnino perfecta eſſent, nec minus ſe velut intimè confœderati mutuò amplexabantur; ſoloque trihorio vixerunt.

Eodem anno Bononiæ, in Patria noſtra, viſæ gemellæ, quæ mox à partu expirârunt, cadaveribus apertis, quoad partes externas perfectiſſimæ, unum pectus utrique ſufficiebat, in quo conglutinatæ erant, atque conjunctæ: Conjunctio jam inde ab oſſe ſterno incipiebat, inque umbilico finiebat; altitudo corporum eadem, non itidem figura: Ea quæ dextrum latus occupabat, alterius lateri inſerebatur, unde pectus alterius, dorſumque incurvatum, quæ & ratio debilitatis fuit, dum illâ mortuâ hæc viva exiret.

Similis cujuſdam Paræus meminit, anno ſeptuageſimo ſecundo poſt milleſimum & quingenteſimum nati. Notante Cornelio Gemma, duo gemini obſervantur, perfectam duplicis corporis formam exhibentes, niſi quod unum os gerebant: major inde admiratio poſt vitam ſeſquihoræ, apertis cadaveribus orta, poſtquam cor geminum repertum eſt, dum in aliis hujuſcemodi Monſtris contrarium obſervatur. Iterum Schenkio referente accepimus, anno milleſimo quingenteſimo, ac nonageſimo, Majo menſe, Hemeltzinii in pago Diœceſeos Argentinenſis, uxorem civis cujuſdam Theobaldi Helden, cui Margaritæ nomen, fœtum edidiſſe bicorporem, duobus capitibus, manibus quatuor, & pedibus totidem, verendo duplici, & omnibus partibus abſolutum, niſi quod umbilicus utrique corpori communis eſſet.

A Lyceto Medico traditur, Menſe Martio anni milleſimi & ſeptimi ſupra ſexcenteſimum, in territorio Genuenſi, ex Joanne Baptiſta Coloreto, & muliere peregrina, natum duplici corpore infantem, ſolo ventre copulatum, cæteris partibus perfectè diſtinctum; ſexus utrique corporum virilis, & alterius quidem ad alterum altitudo ſtaturæ duplicata, & minori unum ſolummodo crus, neque oculi aperti: Sanis interim, & nullâ ſui parte monſtruoſis genitoribus, ut qui ante Monſtri hujus nativitatem ex integro valerent. Id quod vivo teſtimonio à ſe Venetiis, & Patavii, non ſemel viſum Lycetus aſſeverat; quandoquidem parentes ejus omnia peragrando multum ex illo lucri hauriebant, curioſis illud oſtendendo. Tanti viri atteſtatione compertum habemus, ſeptennio poſt, decimaquartâ Junii in vico Porceto prope Coloniam ruſticanis parentibus gemellos in lucem editos, interventu tertii cujuſdam ventris inter ſe copulatos. Sexus in altero maſculinus, in altero verò indiſtinctus, magisque in eo cavitas quædam ad genua uſque protenſa, ad laterum femorumque potius, quàm ſexûs diſtinctionem erat. Conjunctis interim cruribus, non ſecus ac ſi rami duo ex eodem trunco prodeuntes, ſeſe mutuò interſecarent. Pedum locò propagines duæ carnoſæ, porcinorum adinſtar pedum fiſſæ protendebantur.

Hiſce induſtrius commentator Aldrovandus hiſtoriam ſuam de Monſtris ſecundum partes ſui anteriores, pectus nimirum & ventrem copulatis concludit: cumque non ibi ſolum, ſed à tergo etiam depravata Natura luſerit, non dubitavit & eorum aliqua in medium proferre, quæ dorſo, ejuſdemque ſpinâ ſibi connexa inhæſerunt. Ejuſdem traditiones à nobis hîc loci fideliter exponentur, ſi non omnes (cum hiſtoria nimium prolixa futura eſſet) ſaltem quæ potiſſima & maxime notatu digna fuerint. Legitur apud Lycoſthenem, anno ſalutis milleſimo, quadringenteſimo, & ſeptimo, partum duplici corpore prodiiſſe, quod à tergo coaluerit. Dilucidat hæc Paræus, cum ait, eo anno mulierem quandam puellas binas edidiſſe, à confinibus ſcapularum ad nates uſque mirabiliter inter ſe conjunctas & impactas. Monſtri hujus novitas adeo parentibus profuit, ut curioſis illud monſtrando, tantum lucri captaverint, quantum alendæ vitæ ſufficeret.

Ab iiſdem Authoribus refertur, anno ſæculi ejuſdem octogeſimo & ſeptimo, in Palatinatûs quodam vico Robergio non procul Heidelberga hanc lucem aſpexiſſe geminos Hermaphroditos, in tergo conglutinatos. Ita rurſum Lycoſthenes aſſerit, milleſimo quingenteſimo trigeſimo, & quarto inſuper anno, tribus milliaribus Baſileâ, ad Rheni ripam geminos eodem partu editos, ſecundùm latera conjunctos, eoſque non multùm dolorifico partui ſuperfuiſſe. Ita Schenkius refert, ejuſdem rurſum ſæculi tertio & quadrageſimo anno gemellos ſimul editos, è latere conjunctos, omnibusque membris perfectos, niſi quod umbilicum unicum, utrique communem haberent. Horum cùm alter mortuus prodiret, alter quoque ex contagio defuncti corporis, propediem expiravit. Ita in Saxoniæ caſtello, Puſſerus refert, viſos geminos, inferiori latere conjunctos, manibus ita compoſitis, ut qui dextimus eorum eſſet, manu ſuâ ſiniſtrâ alterius ſcapulis inniteretur, ſiniſtræ partis alter manum ſuam in dextimi thorace reponeret. Subinde connexio hæc late-

ralis tantum efficit, ut ex illa parte, quà conjunctio fit, brachiis aut mutilentur, aut omnino careant. In hunc modum anno milleſimo & quadrageſimo ſexto ſupra quingenteſimum, Pariſiis mulier ſexto menſe ingravidationis, fœtum geminatum protulit, ſecundùm latera unitum, brachiis duobus, & quatuor pedibus dotatum. Apertis corporibus, Solertiſſimus Paræus cor non niſi unum invênit.

Sic & Dodonæus in Obſervationibus ſuis gemellorum recordatur, qui toto latere ab humeris in plantas uſque pedum ſibi concreverant, horum alter dextro, lævo alter brachio carebat, quodque in illis reliquum erat, atque conjunctum, in femur unum & pedem utrique communem deſinebat, nihil turbato ordine duorum præterea pedum.

Joannes Camerarius in Obſervationibus ſuis ad Schenckium memorat, aperto ab ſe hujuſcemodi cadavere (conſultum enim eſt in his curioſius exerceri, ad Naturæ abſcondita profundius eruenda) repertum fuiſſe ventriculum unum, hepar unum inſigniter latum, umbilicum magnopere patulum, per quem materni ſanguinis alimentum attrahebatur, inteſtina his non abſimilia, neque ita indiſtincta, ut non utrique eſſent propria: bini tamen ſplenes apparebant, quivis loco proprio collocatus: duplex veſicula fellis, hinc & illinc hepati affixa: renes cuivis proprii duo, itaque in univerſum quatuor: Veſica, uterus, parteſque genitales propriâ ſede locata erant: in pectoris medio cor ingens reſidebat, non, ut vulgò aſſolet, à pulmonibus circumdatum, ſed duplicaturá membranæ Mediaſtini, una cum pericardio ſuo obvallatum, & muri ſpecie incluſum, dum in reliqua pectoris cavitate pulmonis exigua portio obſervaretur. Calvariæ capitum non apertæ, quod nihil in his peregrinum expectaretur. Verum tamen eſt, capitum altero majus alterum fuiſſe.

Quàm fœcunda ſit non in perfectis ſolùm operibus, ſed & in vitiatis ipſis Natura, per partus monſtroſos ſecundùm latera, ſive dorſum indicatur. Horum induſtrius ille Obſervator quoſdam per capita diametraliter ſibi oppoſitos atque connexos inducit. Quod quidem ità contingit, dum in matrice duo fœtus verſùs perinæum ſeu nates ſibi opponuntur, & in hac oppoſitione perſiſtunt, donec ex diametro concreſcant. Inde juxta Lycoſthenis relationem, anno milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo tertio, conſtat, expoſitos Romæ gemellos, averſis faciebus, manibuſque connexos & unitos: qui paucos dies ſupervixerunt. Rurſum anno milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo ſecundo mentio fit, natum in Anglia fœtum bicorporem, averſis omnino, & oppoſitis faciebus, cui manus quatuor, umbilicus tamen & venter unus; pendentibus ex una corporis parte duabus tibiis, cum pedibus ſuis in debita proportione conformatis, ex altera vero, unâ tibiâ cum pede exiguo, digitis novem cumulato.

Schenkius ad mentem Rufi addit, viſum non diſſimile Monſtrum fœminei ſexûs, cujus alterum corpus per unius diei ſpacium, alterum dies omnino quindecim ſupervixerit, raro flentes obſervatas, alterâ tamen faciem lætam & hilarem exhibente, mœſtam alteram commonſtraſſe, & quaſi identidem in ſomnum inclinatas, & propenſas.

De Monſtro aliquantum diſſimili Paræus recenſet, nato Pariſiis anno milleſimo, quingenteſimo ac ſeptuageſimo. Horum nates in perinæo conjunctæ, & invicem ſexûs longior umbilicus procedebat, cumque diſtinctionem nonnullam monſtrarent, in ſacro fonte ablutis alteri nomen Ludovici, Ludovicæ impoſitum alteri. Corpora hunc in modum conformata & deturpata, oculis Optimatium, populique expoſita, magnam ſanè admirationem, & ſtuporem excitârunt. Præter hæc, biennio poſt, Februario menſe, referente Ambroſio Paræo, mulier quædam Cypriana nomine, uxor Jacobi Grandis mercatoris, in pago prope Pariſios, gemellos peperit, clunibus copulatis, ita ut ex diametro ſibi opponerentur, pudendum unum utrique commune, umbilicus unus, unumque abdomen, quamvis pectore geminato, manibus, pedibuſque quatuor, exiguum temporis ſupervixerit.

In celebri Venetorum urbe, item ejus ſæculi quinto & ſeptuageſimo anno, menſe Majo, natum ex muliere Hebræa monſtrum mirabile: Duo infantes erant intimè ſibi ipſis conjuncti, idque inter nates, & perinæum, cruribus invicem collectis & complicatis, deſtituti partibus corporis ſecretis, & naturalibus, quorum vicem umbilicus ſupplebat, tametſi verò ſic conjuncti eſſent, per ſeipſum nihilominus eorum quiſque ſigillatim cibari, & nutriri cupiebat. In urbe tam ampla, & miraculorum feraci, nil mirum videatur, & hujuſcemodi abundare: illic enim in anno quoque milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo, aliud quoddam non diſſimile Monſtrum, in viſcel la ſcirpea expoſitum fuit. Conſociatæ in hoc Reſpublicæ: Nam & Genuenſis incompoſitum aliud, & præmemorato modo deſiguratum Monſtrum exhibuit.

Ne & Principatibus ejuſmodi portenta denegentur, ſciendum in Etruria quoque talia apparuiſſe. Milleſimo ſexcenteſimo & decimo inſuper anno, menſe Martio, in Diœceſi Piſtorienſi parentibus egenis & carbonariis prognati ſimiliter gemelli, in pudendorum & natium regione connexi, faciebus omnino averſis, nulla inter illos diſtinctione ſexûs, niſi quod magis ad fœmineum, quàm maſculinum declinarent: perfectis interea membris omnibus ad umbilicum uſque, foramen unum, atque alterum pro excrementorum ſeparatione relictum. Horum alter tibiam non niſi unam habebat, quamvis obſervante Chirurgo, oſſa utriuſque tibiæ notarentur; crus illud, ſeu tibia in mutilos duos pedes deſinebat, qui ex octo digitis conſtabant. Facilis illorum lactatio, maximè ejus, qui ad ubera primus applicabatur, donec enim lac exugeret, alterius lacrymæ & ploratus videbantur.

Monſtra humana & ferina.

Poſt tantas monſtroſitates, deformitates, partuſque imperfectos, hactenus viſos, qui à Natura depravatâ, & à recto fine alienâ derivantur; reſtat nunc, ut eos quoque contemplemur, qui adeo deformes ſunt, vitioſi, & horribiles, ut mundum horrore ſui repleant, & maximè conjugatos, à quibus horrendæ illæ metamorphoſes ſæpenumero derivant. Sunt autem Monſtra hæc aliâ ſui parte humana, aliâ ferina. De his pluribus actum ſuperiùs eſt. Hiſce paginis pauci caſus ab experientia producentur.

Ante-

Antequam vero illuc progrediar, neceſſarium erit, declarationes quaſdam informibus ejuſmodi compoſitis prævias exponere. Itaque ab extremo uno ad alterum non niſi per media procedendum erit. Jam in ſuperioribus indicatum eſt, tripliciter compoſitionem Monſtrorum intelligendam. Quorum prima hominum, altera ferarum ſunt, tertia, cum ex utraque natura coaleſcunt, & formantur. Poſtremus modus & ipſe duplex; videlicet: cum in uno eodemque ſimplici corpore natura tam humana, quàm ferina exprimitur, qualis ille partus eſt, qui, ut ſupra retulimus, anno milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo tertio Romæ è puella ſemihomo, & idem ſemicanis natus eſt, verè præſagium inſequentium calamitatum; de quibus nullus hîc ſermo, quandoquidem de his alibi jam verba fecimus. Hîc verò Monſtrorum nomine qui de humana ſimul ac ferina natura participant, non ea intelligenda, quæ duplicata ſolùm compoſitione differunt, ſed quæ inſuper ex duplici corpore diverſarum ſpecierum combinata cernuntur, de quibus canere liceat cum Poëta:

Eſſe queunt duplici naturâ, & corpore bino.

Hujus generis erat Monſtrum, quod anno octingenteſimo quinquageſimo & quarto ſub finem vitæ Lotharii Cæſaris, è muliere quadam ortum, figuram hominis & canis repræſentabat: duo corpora erant, in ſpina dorſi arctè colligata, cujus nativitatem monſtri brevi mors imperatoris inſecuta eſt. Pariter anno vigeſimo & ſexto ſupra milleſimum atque centeſimum, in Albania, fœmina ignobilis Monſtrum bicorpore in lucem edidit, cujus una facies humana cum cæteris omnibus membris faciei convenientibus; altera verò canina, cui & omnes reliquæ partes congruebant: ſpinæ dorſi tam invicem coaluerant, ut nulla ratione ſeparari poſſent. Admiratione digna ſunt, quæ Arnoldus Sorbinus recenſet hujus Monſtri nativitatem ſubſecuta eſſe. Civitas Montis Albani in Aquitania, multis miſeriis infeliciter oppreſſa, ſicut nec illa morſibus caninis mordere & appetere regiones ſibi vicinas ceſſabat; Itaque juxta præfati Authoris ſententiam, non meliùs urbis hujus miſeriæ potuêre exprimi, quàm intuendo, quantùm habitatores loci à tergo, lacerando, opprimendo, & devaſtando vecordes regiones illas inſanierint. Foris quidem ſpeciem præſeferebant pietatis, abſtinentiæ, & omnis Chriſtianæ virtutis, qui tamen continuis morſibus cum nefaria & contumaci Albigienſium hæreſi decertabant, à quâ viciſſim tanquam rabioſis canibus provocati lacerabantur, quippe qui blaſphemias & ſacrilegia Calviniſtarum cum erroribus eorum ſectabantur, ſacerdotes ſubinde ab hæreticis trucidabantur, ſpoliatis deſtructiſque Eccleſiis, urbes Traditionibus paſſim ſuo arbitrio in libertatem datæ, Catholicam rem ſummopere afflixerunt, & in ſummum penè diſcrimen adduxerunt. Deplorabant quidam jacturam fortunarum ſuarum, Patriæ oppreſſionem, & miſeras ſæculi calamitates, ut tandem lacrymis ac ſuſpiriis cuncta replerentur; tantus furor, impietas, barbaries, & fraudulentiæ tum temporis per haſce regiones ferociter debacchata ſunt: quæ quidem per horrendi illius, ut dictum eſt, Monſtri nativitatem præſignata fuerant. Sunt, qui manus humanas caninæ huic figuræ adjiciunt, eam togâ longâ veſtientes, quod ampliùs etiam figuras intimatas exprimit. Aldrovandus tamen authumat figuram hanc ab illis deſumptam, quarum multæ in Æthiopia viſuntur; quæ ſuperioribus partibus figuram humanam, ſecundùm inferiores belluam à cinctura deorſum referunt, tum lumbi, femora, & pedes, cuncta canina. Magno Tartariæ Chamo hæ regiones ſubjectæ ſunt.

Homo ſerpens.

Monſtrorum agmen meritò claudit, quod omnium hactenus viſorum eſt maximè terribile, jam non viſu ſolùm, ſed & ſcriptu horrendum. Natum illud Cracoviæ menſe Septembri anno à partu Virgineo, 1494. In foro, quod Spiritûs Sancti dicitur, in domo quadam, partus excluſus eſt, cujus dorſo terribilis ſerpens inhærebat, cujus os ſeu roſtrum adinſtar Gryphi ſemper hians, & inſeparabiliter affixus, in longas & horribiles admodum ſpiras diductus, ſordidiſſimâ ſpumâ dorſum infantis commaculabat, cujus interea carnes miſerabiliter depaſcebatur. Monſtrum, quo infernus vix horribilius aliquod abyſſo ſuâ concludit. Linguæ hæ ſunt, quæ mortales doceant, quàm formidabiles caſtigationes divinæ ſint: & quemadmodum, ad remunerationem Juſtorum Altiſſimo pro inſtrumento gloriæ cuncta famulantur, ita & pro reorum punitione nihil ſit, quod non in pœnæ inſtrumentum eidem inſerviat. Novit ille vel ex roſis abſynthia decerpere, & ex tenebris lucem eruere.

Hic, ubi tantus Author enarrandis caſibus monſtroſis, qui in materia, figuràque humanâ eveniunt, filum abrumpit, ego quoque ſcribendo ſuperſedeo, dum mihi vela non ſunt, quibuſcum ſine aura favorabili tanti Viri Euripum hunc ſulcare confidam. Proſequitur ille ſermone longo Monſtra belluina bicorpora, canes, vitulos, cattos, anates, lacertas, & ſimiles. Adducit præter hæc monſtroſitatem, & Naturæ errorem in planris, ut ſpicam quindecim ſpicis cumulatam; uvam barbatam; ſimulacra etiam humana in quibuſdam radicibus, effigieſque ſerpentum in iiſdem, amygdalas latiſſimo folio, & ſimilia. Diverſarum præterea rerum formas in cucurbitis, melonibus, pomis, pyris, aliiſque hujuſcemodi, deſignat. Cœlum ipſum conſcendit, in quo ſtellarum quoque monſtroſitates aperit, dum *Barbatæ* aliæ, & *Crinitæ* appellantur; alia ibi ſimulacra iracundi Leonis, Aquilæ, Cervi, in æthere pugnantium, ſerpentum mordacium, caprarum, Arietumque ſaltantium, Aræ quoque & Haſtæ ignitæ cernuntur, alia quoque horrenda, in Chaſmis, Halis, Pareliis, & crucibus ibidem apparent; quæ cum omnia ſint ab inſtituto noſtro diverſa, quod extra ideas humanæ naturæ non evagatur, facundiori calamo, cujus non idem nobiſcum ſit argumenti, hæc à nobis, tanquam à propoſito noſtro aliena, permittuntur.

Non potui non in ſimili materia aliquantùm evagari, dum ſpeculum obverſaretur oculis, quod vel in deformi argumento copioſos nihilominus radios Doctrinæ, morum, monumentorum & hiſtoriarum largiter profudit, mutuando à præfatis capitibus lumen, imò præſtantiora multa omittendo, dum ad fontes ipſos tanti ſplendoris relegatos volo, qui in ſubjecto tali plus aliquantò lucis curioſi deſideraverint. Famoſiſſimus Aldrovandus eſt, de quo loquimur, qui amplo volumine plus ſeptingentis quinquaginta paginis de his fusè tractavit. Ex hoc non contextum modo & ordinem tractandorum, ſed

ipſum

ipſum quoque aſſumtum maximè decerpſimus, hoc diſcrimine, ut cum ejus doctrinam brevi calamo perſtringeremus, aliorum quoque celebrium Scriptorum traditionibus immoraremur, quò plus ſemper fundamenti, ac eruditionis colligeremus, adjumentoque eſſemus iis, qui profectum in his aliquem deſiderant. Quandoquidem verò in materiis dogmaticis propriæ cujuſvis ſententiæ exceptiones ſuas patiuntur, niſi ab Authoribus claſſicis robur acquirant, ſiantque majoris quodammodo authoritatis, præterire non potui, quin Clariſſimi viri hujus dogmata cum aliorum placitis interpolarem. Facto ab his tranſitu ad

EPITHETA.

TAmetſi Epitheta, ſeu adjuncta ritè compararentur vivis illis coloribus, qui verè anima ſunt pictæ ſeu figuratæ locutionis, ſintque per modum acus Phrygiæ, ad diſtinguenda quævis objecta, & ad vivum repræſentanda corpora aptiſſima; In *Hominis* tamen appellativo, non multum evagatos Authores video: ſive quod crederent, in recenſendis omnibus illius partibus ſe abunde diſtentos; ſive quod diffidentes poſſe totum dici, nollent etiam in paucis proferendis occupari; ſive quod judicarent, ſolum illud vocabulum HOMO pronuntiando, dici in Compendio quodam ſeu Epilogo, omne quodcunque dici poſſit, omnem celſitudinem, myſterium, meritum ac eruditionem includens. Ego, quantumcunque ex iis reperiri, fideliter, exacteque huc tranſtuli. Inter omnia igitur animantia terreſtria eum *Bipedem* appellat Plinius; *Terreſtrium ſolus Homo bipes.* *Nudum* Pontanus arguit; *Nudus, inops, quem dura ſolò ſuſcepit egeſtas.* *Mendacem* Condus; *Omnis homo mendax, qui pro me exponere vitam jurat.* *Vilem* Remaclus; *Vilis homo, cognoſce tuæ monumenta ſalutis.* *Fragilem* Fauſtus; *Et Fragili commune Homini.* *Caducum*, iterum Fauſtus; *O ſpes! o hominum fallacia vota Caducûm!* *Senſibilem* Lactantius; *Igitur quia Homo ſenſibilis eſt.* *Imbecillum* præterea Lactantius; *Queruntur Hominem nimis Imbecillum & fragilem naſci.* *Providum* idem, *ſagacem* inſuper, *multiplicem, acutum* & *memorem*; *Hoc animal providum, ſagax, multiplex, acutum, memor.* *Incautum* Manto; *Ipſe ſibi blanditur Homo, ſolerſque putari vult animal.* *Puſillum* & *malum* Juvenalis; *Terra malos homines nunc educat, atque puſillos.* *Terrigenam* Manto; *Terrigenas homines dementia cepit.* *Odioſum* Fauſtus; *Hominem cœloque, Ereboque odioſum.* *Adamitam* Gamerius Proœmio ſuo in Pornium. *Calamitate plenum* Theodoſius: *Lubricum* Homerus. Potiora ſunt Epitheta, declarãtia miſeriam, infelicitatemq; partis corporeæ, tot mutationibus, & viciſſitudinibus ſubjectæ, ut dictum eſt; tametſi id mihi principale motivum non ſit, neque ea intentio, per omnes qualitates, & conditiones Hominis evagandi: Solummodo id conatus efficere, ut in uno quodam materiali, ſeu univoco omne id, quod ſcriptum de his eſt, compareret. Quod ſi ad altitudinem conditionis ſuæ, ejuſdem Paſſiones & affectus animum applicare libuiſſet, noveram nullius Aquilæ pennis aſcendi hunc Montem, nullius Columbi remigio terminum Oceani hujus definiri potuiſſe: Cum plura de his extent volumina, quàm ullus unquam Epicurus ſcripſiſſet, de quo Laërtius ait: *Infinita propemodum ſcripſit Epicurus volumina.*

CONCLUSIO.

INexhauſtum profectò ſtadium eſt, Hominis Dignitas, mons inacceſſibilis, campus uberrimus, opuſque difficile prorſus & arduum. Tranſgreſſum me fateor præceptum illud Horatianum:

Sumite materiam, veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

Non ignoro, ad ſuſtinendum hoc Cœlum Atlantes requiri, deſiderari Alcides: & ad condignam univerſi hujus tractationem inſtituendam, ſufficere non Ciceronis, non Demoſthenis facundiam. Veruntamen, ſi intra exilitatem ſphæræ ſuæ contineretur mortalium genus, multò majorem ſui recordationem ſuccedentibus ſæculis relinqueret. Nunquam non laudabilis fuit conatus ille, qui actiones honoratas pro metâ ſibi ſtatuit. Opponunt Sampſones, Polydamantes & Milones, fortiſſimas manus, infatigabilia terga, cervices obſtinatas, columnis, montibus, & arboribus, certi quamvis, ſe vitam ibi cum fortitudine relicturos, non dubitantes cum gloria finire ætatem, quam in Pancratiis, luctis & Olympiis tranſegerint. Hinc inferendum, ſiquidem fortes iſti vim viribus intulerunt, nec horruerunt ea facinora magnanimi, quis pennam meam prohibeat, rudem licet, atque ſylveſtrem, quin pennas aquilarum quantumvis ſublimium pro viribus imitetur? Ita ſentit ex modernis quidam, qui multis doctrinis ſæculum noſtrum illuſtravit. Qui fortis eſt, pericula non provocat, nec fugit, honeſta quadam occaſione invitatus; dicente ultro magno Aventini Oratore; *Felicius cedunt audacia, quàm moderata conſilia.*

Cò. Theſau. Phil. Moral.

Juxta haſce regulas ego quoque operam meam inſtituo, hoc Panagio inſtructus mari me credidi, ultimus hominum, ſcripturus de Homine. Literatiſſimus Studii Patavini primarius, Paulus Beni Eugubinus cauſam inquirit, cur Torquatus Taſſus in Hieroſolyma ſua liberata tantum gratiæ inter mortales acquiſierit, quam penè inter Græcos Homerus, inter Latinos Virgilius, idque in idiomate vulgari, non vulgariter primam lauream conſecutus: eodemque libello, quo de tribus hiſce Parnaſſi ſideribus tractat, ita concludit, non tam ſtyli ſublimitate, tranſlationum elegantiâ, rerum variarum aggregatione & inventione, expreſſionis efficaciâ, verſuum melodiâ, affectuum repræſentatione, aliiſque gemmis, quibus prodigioſum hoc Poëma refulget, excelluiſſe, quàm Argumenti ſortitione, quod inter fideles omnes æque ac Chriſtianos acceptum eſſet, ut erat videre liberationem ſacri illius depoſiti, in quo Redemptor noſter manibus infidelium repoſitus olim quieverat: huc ultro properant animi, & ab internis ſuis affectibus commoti, ad objecta Profeſſionis ſuæ facili negotio pertrahuntur. Ego, quanquam à ſublimitate ſtyli illius, verſuum ſuavitate, conceptuum vivacitate, tranſlationum novitate, Epithetorum elegantiâ, & totius operis pulchritudine, me uſque adeo diverſum ſentiam, quàm Cimmeriæ tenebræ cum lucida meridie collatæ, dum nihilominus hominum oculis expoſiturus ſum Hominem, obviare debueram genio tuo, qui ad horum

Hieroſolyma liberata Taſſi cur tam accepta?

lectionem benevolus accedis, ſi non ob aliud, quàm dum ſermo fit de toto, deſcendatur ad partes, ab univerſali ad particulare, à genere ad individuum. Quale porro Argumentum majorem applauſum & venerationem mereatur, quam illud de quo Plinius, *Homo*, inquit, *eſt animal cunctis imperans; & etiam cæteris animantibus excellens?* Hinc Ariſtoteles: *Nobiliſſimum & altiſſimum animal Homo.* Quod ita confirmat Lucius Apulejus in Genio Socratis. *Hoc enim in naturam Dei tranſit, quia ipſe fit Deus. Hoc Dæmonum genus novit, utpote qui cum iiſdem ortum ſe eſſe noſcat, hoc humanæ naturæ partem in ſe ipſo deſpicit, alterius partis divinitate confiſus.* His, & aliis præterea ſenſatis Authorum opinionibus roboratus Caſſioneus ait: *O! Hominum quanta eſt natura! temperatâ felicius, ac Diis cognatâ divinitate conjunctus, partem ſui, quâ terreus eſt, deſpicit.* Ipſe eſt, qui perſpicaci mentis acumine ad profundiſſimas abyſſos maris uſque pertingit; cui omnia objecta in lucido ſunt, neque cœlum ipſum caligine aut vaporibus obductum menti obſtare jam poteſt, quin illa ad menſurandos aſteriſmos, notandos influxus, & vel in ſole detegendas maculas aſcendat; jam nec aquarum profunditas oculorum ejus aciem obtundit, niſi etiam pro medio inſerviat, ad intelligendas Arctici & Antarctici poli proprietates. Eſt ſibi ſemper & ubique unus, quæ Stagiritam in hæc verba movent: *Animal hoc providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, ac conſilii, quem vocamus Hominem, præclarâ quadam generatione eſt ortum, & conditione conditum.* Ad cujus miniſterium, & regimen, ipſi Angeli delegati ſunt, unde ſancta mater Eccleſia:

Lib. 7. Nat. Hiſt. cap. 1. Lib. 2. de animalib.

Lib. 3. Polit.

Cuſtodes Hominum pſallimus Angelos,
Naturæ fragili quos Pater addidit, &c.

Cujus tandem gratiâ, non creata ſolùm moles illa terrarum orbis; ſed ipſi etiam cæli fabricati ſunt, & aperti. Ipſe eſt, qui amicitiam & ſocietatem cum Creaturis omnibus colit, intellectu paulo minor ab Angelis, quo res omnes comprehendit, & Deum ipſum pro capacitate ſua amplectitur, quem cum agnoſcit, ad amorem ejus blandè trahitur, ab amore, ad ejuſdem poſſeſſionem & fruitionem tranſitum faciens, & vel ideò Creaturarum omnium digniſſimus; quem Plinius ens ſupremum appellat, & finem Creaturarum. Idem confirmatur à Peripatetico, dum conſideratis iis, quæ continentur in Homine, non dubitat eum cum Altiſſimo comparare. *Homo*, inquit, *omnia continet, ut Deus, ſed diverſimodè, Deus enim omnia continet uti Principium, Homo eadem continet uti medium omnium; unde fit ut in Deo ſint omnia meliori notâ, quàm in ſeipſis.* In eo qualitates elementorum in perfectione ſua & exactâ inter ſe proportione vigent. Huic Creaturæ omnes famulantur, pro ſalute hujus vigilant cœlum & terra, circumgyrantur ſtellæ, Planetæ propriis curſibus ordinantur, Zodiaci ſigna in vaſtiſſima zona ſua diſtribuuntur. Huic Angelicæ Mentes bona omnia procurant, & prout ſentit Apoſtolus: *Omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, propter eos, qui hæreditatem accipiunt ſalutis.* Utque in Homine ſumma omnia, & miraculum omnium miraculorum admiremur, hic ille eſt, quicum ipſe Dei filius ſociare voluit Divinitatem ſuam, ejus aſſumere effigiem, proque illo ſuſpendi in ligno, ut eidem Paradiſum reſeraret, è quo culpâ ſuâ exulaverat.

lib 7. nat. Hiſt. c. 1.

l. Ethicor.

Plura de Dignitate Hominis extant volumina, quæ paſſim à Majolo in libro peculiari de Dignitate Hominis recenſentur: quos inter Marſilius Ficinus, Antonius Florentinus, Picus Mirandulanus, Lactantius Firmianus, & ex antiquis Hermes, verè Triſmegiſtus, aliique, quos longum foret enarrare. In Additionibus tamen paulò infra, veritates iſtæ clariùs & manifeſtiùs apparebunt. Utque hîc paulo altiùs repetantur, unde digreſſi ſumus; Homo, inquam, ſimulacrum eſt Creatoris, Idea Cœlorum, rerum creatarum Epilogus, compendium univerſi, animalium Monarcha, Deus terreſtris. Homo par Angelis ratiocinio, Sapientiâ ſuâ circulos cœlorum detexit, intellectu ad notitiam cœlorum penetravit, ibi circulos ſtellarum dimenſus, didicit præterea Planetarum influxus, Elementorum differentias, ſimplicium virtutes, lapidum qualitates, cauſarum effectus, eſſentiam materiæ, numeros individuorum, in parte & in toto formarum diverſitatem, originem rerum, contingentiam caſuum, effectus naturæ in artem, & viciſſim hujus in naturam, variat potentiis mare, ſiccat torrentes, ſaltûs denudat, valles adæquat, ſubjugat urbes, de omnibus ratiocinatur, & jam ipſe Mundus alium per mundum divagatur.

Deſcriptio Caraffæ.

Quod Dei iſtud ſimulacrum! (pergit idem) Primogenitus Altiſſimi, cœlorum idea, Naturæ meta, animantium Monarcha, rerum creatarum Epilogus, perfectionis omnis ſummarium, compendium univerſi. In hujus obſequia carbunculis cœlum refulget, ignis acuitur in flammas, aër volatilibus exultat, pinguntur floribus prata, exuberant campi fructibus, arbores pomis, mare cochleis, auro montes, germinat vitis in pyropos; terra argento imprægnatur, & plantæ fructibus coronantur. Ipſe eſt, qui ſpecie ſuâ ſuperat candorem eboris, æquat ſoliditate marmora, virtutibus ignem, colore plantas, motu ſphæras, fortitudine Leonem, agilitate Tigrem, & diſcurſu Angelos.

Jam non mundum, ſed cœlum dixeris hominem, cujus oculi ſtellæ, cui intellectus Sol eſt, cui ſenſus ſphæræ ſunt. Habet pro Luna voluntatem, pro ſignis lineas, pro Planetis membra, pro Zenith caput, pro Nadir pedes, pro Oriente vigilias, pro occaſu ſomnum. Sunt illi pro zonis manus, pro Polis nervi, pro circulis capilli. Eſt illi vultus aurora, via lactea frons. In æthere vultûs ſui depluunt lacrymæ, exhalant ſuſpiria, tonant verba, coruſcant oculi. Ejus dolores nubila, ejus minas fulgura, ejus plorationem nimbos; ejus tranquillitatem animi rectè arcum iridis compellaveris. Si mare dixeris hominem, ejus unda ſanguis, ejus oſſa ſcopuli, os ejus cum utroque labro concha, conchæ hujus margaritæ ſunt dentes; Sunt illi pro piſcibus ſpiritus, pro cavernis venæ, pro ventis cogitationes, pro fluctibus paſſiones, pro tempeſtatibus & procellis affectus & appetitus inordinati.

Audiatur cum Thoma Caraffa eruditus Azolinus, qui in Panegyricis ſuis parte tertiâ ad hominis celſitudinem exprimendam, ità diſcurrit: Hominem quoad eſſentiam ſuam civitati rectè aſſimilari, ut unanimi calamo traditur, ita non lingua eſt, quæ non fateatur. Tanto artificio ex luto formatus eſt, ut audeat cum cœlo æmulari. Hoc enim ab intelligentiis regitur, ille ab intellectuali ſubſtantia informatur. Lapides quibus ædificia extruuntur, oſſa ſunt, duritie & candore

Ariſtotel. apud Stobeū & Themiſtocl. Orat. 10.

Iſidor. Peluſiota lib. 1. c. 59.

marmoribus ſimilia, hâc ſolùm differentiâ, quod marmora ad ædificiorum ſtructuram concurrant, poſtquam è ſubterraneis montium cavernis eruta ſunt; oſſa verò ædificium ſuum non aliter ſuſtentent, quàm carnibus tumulata. Sita hæc urbs non uti Roma in collibus eſt, ſed cruribus tanquam geminis columnis inſiſtens, quibus non immerito illud adſcribatur: *Non plus ultra*, pro ædificiis tam artis, quàm ipſius Naturæ; hinc etiam *Miraculum miraculorum* appellata. In hac totidem Palatia viſuntur, quot membra, quæ immenſum artificium paruitate ſuâ concludunt; titulo magnificentiæ gloriantur, quippe quæ ſumptibus omnipotentis fabricata ſunt.

Huic pellis delicata pro mœnibus eſt, in eadem ſe fortitudine infracta tuetur, quandoquidem muro tam debili contra omnes mundi, dæmoniſque aſſultus defenſionem ſuam molitur. Erigitur ad decorem illius in parte maximè elevata, in collo inquam, veluti colle, arx nobiliſſima, quæ caput eſt; ea per ſenſuum excubias inſtanter vigilat, pro arcendis extraneorum inſidiis, & conſervandâ civibus pace. Neque deſunt in apice expoſita, ventiſque agitata vexilla capillorum, quorum varii colores diverſas quaſi tribus, ſeu ingenia diverſa incolarum ſignificant. Porta oris, obſerata non ferro, ſed pretioſo corallinorum labrorum obice, dentiumque eburneâ cataractâ, aperitur. Sive ad emittendos cordis legatos, cogitationumque interpretes, qui volantium verborum quadrigis evecti, animi deſideria cautè exponunt, ſive ad intromittendos commeatus alendo publico neceſſarios.

Medium occupat ſuperba Regia pectoris, ubi cor ſub cranii, velut arcis tutelâ, armatis coſtarum præſidiis ſtipatum, non ſecus ac Rex Majeſtate plenus eodem ſemper throno immobilis reſidet, indeque ſubditis ſuis jura ſancit, legesque ſtatuit: de quo veriſſimum eſt illud;

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Neque enim lætitia, aut triſtitia, aut alia quævis affectio Regem hunc afficit, quin univerſa corporis civitas cum Rege ſuo unanimiter conſpiret. Non procul abhinc hepatis aquæductus ſunt, qui per tot canales, quot venas, lympham ſanguinis deducendo, non refrigerium modò civibus, ſed vitam largiuntur. Porrò incolæ urbis hujus ſunt carnes, humores, viſcera, muſculi, cartilagines, tendines, arteriæ, nervi, medullæ, qui tantâ inter ſe concordiâ degunt, ut privatum alterius malum, pro malo publico reputent, & ut paucorum neceſſitatibus ſubveniatur, ſe nulla ſui ratione habita ferro vel igni ſubjiciunt. Non deeſt Legatus præſidii, hoc eſt Iraſcibile; nec Conſiliarius Reipublicæ, concupiſcibile inquam. Supremus Præſes Intellectus eſt, cui Magiſtratus ſubalterni, ſeu Potentiæ neceſſe eſt, ut pareant: quò item pertinent Magiſtratus Religionis, Litigia Paſſionum, Lictores Synteréſeos, Forum ſenſûs communis, & cogitationum Commercia.

Hæc nobiliſſima civitas eſt, pro cujus conſervatione rotatur cæleſtis ſphæra, pro cujus famulitio decurrunt ſæcula & anni, pro cujus emolumento benignis influxibus affulgent aſtra, pro cujus fœcunditate roridæ nubes reſolvuntur in nimbos, pro cujus deliciis in vices abeunt anni, & tempora, cujus abundantiam paſſim moliuntur elementa, pro cujus ſtabilimento Natura deſudat, cujus poteſtati ſubjiciuntur Regna, cujus Dominium venerabundæ metuunt feræ, cujus pulchritudinem miratur univerſitas, cujus cuſtodiæ deputantur Angeli, ad cujus ædificationem Deus ipſe in conſilium advocatur. O ſtupendam civitatem, & omni admiratione digniſſimam!

Hanc in urbem, ſupremus ille Monarcha, totius rector & factor univerſi, flatum ſuum, ſeu ſpiritum immiſit, qui Anima eſt. Anima autem æterna, incorruptibilis, immortalis, ſub ſe potentias intellectuales continet, ſine quibus in nihilum artificioſum illud Compoſitum diſſolveretur, cujus dignitatem vel ipſi adeo Gentiles, orbati lumine fidei, comprehenderunt. Hæc eſt illa margarita pretioſa, ad cujus emptionē ſupremus ille Mercator, tot in cælo relictis unionibus, ſe accinxit, eamque ſumptibus pretioſiſſimæ vitæ ſuæ, & rubinis diviniſſimi ſui ſanguinis permutatam redemit, & ut amplam nobis Paradiſi hæreditatem relinqueret, ad ſtatum miſerabilem, & infelicem, imò in nihilum quaſi, ſemetipſum redegit.

Veritatem hanc à Chriſtianis fidelibus & ſanctis, non miror comprehendi poſſe, præceptis, Doctrinis, traditionibus & miraculis fidem ſuppeditantibus, cum multò magis idipſum in Gentilibus admirandum & venerandum, tanquam ab ejuſmodi cognitione remotis, quæ viam propoſitionibus hiſce ſternere potuerit. Mirabile enim eſt audire loquentem Peripateticum, *Homo eſt rectiſſimum animal.* Et Pythagoram apud Diogenem: *Nihil habet commune cum mortali animante Animal Homo, immortalibus bonis exercitatus.* Et celebrem Aventini Oratorem: *Nullum eſt animal præter Hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei.* Et ſi ad ſanctuarium ipſius animæ penetrare libeat, audiemus Zeleucum verè Catholicè differentem, cum ait: *Unumquemque habere, & parare oportet animam ſuam ab omnibus malis puram, etenim Deus non colitur ab Homine malo, neque placatur ſumptibus, neque Tragœdiis capitur, ſed bonâ voluntate bonorum, & juſtorum operum.* Et Philiſthenem: *Anima ſapiens, cùm Deo conjungitur, ipſam non mors, ſed mala vita perdit.* Clitarchus, quanta ſit animæ cura habenda, inſinuat: *Animæ tanquam ducis, corporis verò tanquam militis curam habe.* Concordat cum his Democritus, dum inquit: *Hominem decet animi potius, quàm corporis curam habere; quippe animus abſolutiſſimus corporis vitium corrigit, corporis autem vis, ſine ratione, animum nihilo meliorem reddit.* Nihil iſtis inferior abſtruſus Moſchio: *Omnibus mortalibus,* inquit, *& terreſtribus amiſſis, unum aliquod immortale, & cæleſte comparare peroptato.* Nec ſilentio prætereunda Divini Platonis præcepta, qui nil in his, nec Bernardis, nec Chryſoſtomis ceſſerit, ait enim: *Delectationes animæ ſunt cognoſcere Creatorem, conſiderare opera cœlorum, & ſapientiam ſuam.* Plena horum ſunt magni Ethici volumina. Ipſi quoque Juvenali, cum ſe diſſolutum & immorigerum hactenus in Satyris ſuis exhibuiſſet, neſcio qua ratione exciderint, quæ ſequuntur:

De mor. vir. lib. 10.

1. De legib.

Ex Sidu.

De Morte.

Sat. 8.

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam, vivendi perdere cauſas.

Sententias, & deſcriptiones has, locô omnium, quæ dici in materiem hanc poſſent, appoſui. Compatere benevole, & magnanime Lector, malè contextis expreſſionibus noſtris, quod ſi

immanis Coloſſi ſpeciem, aut Tagetem, aut Ephemeron tibi exhibeant, adjuro te, ne mortem illis protinus omineris, quæ quidem his evenit, ſed excuſare potiùs errorem, eumque in competenti baſi tu ipſe collocare digneris; conſiderando nimirum, & attentiùs inſpiciendo ipſa authorum monumenta & authoritates, atque ita imperfectiones meas corrige. Tu mihi Cynthia, quæ Endymionem complexu tuo digneris; tu Praſiteles, qui rude ſimulacrum amplius elabores; tu Sol Memnoni huic loquelam inſpires: Tu Prometheus, qui detractâ unicâ ſcintillâ à ſole tuæ ſapientiæ, huic Epimetheo animam infundas: Tu huic partui eſto Lucina; & quod ſub umbris atramenti fortè manſurum erat in obſcuro, tu amico vultu excipiendo in lucem pertrahas, & patere, ut Epilogi locô cauſas per epitomen ſubjungam, quæ me ad præſentis voluminis compilationem permoverunt. Ad ejus porrò Lectionem teipſum inuito.

Non del Pelléo le vincitrici Some,
Sotto cui vacillaro Orto, ed Occaſo,
Nè il bellico furor d'Achille, ò Iaſo,
Che d'Alloro immortal cinſer le Chiome,
Qui non cant'io; ne vinte Genti, ò dome;
Mà à deſcriver dell' Huom fui perſuaſo
L'alta ſtruttura, e da quai Genii invaſo,
Sia d'Affetti, d'Amor, d'Honor, di Nome,
Opra d'un Dio ſublime, à cui d'un Mondo
Tutto è il voler, tutto è il poter conceſſo,
D'alti Portenti operator fecondo.
Or queſti è l'Huom, ch'io qui ti porgo eſpreſſo:
Saggio Tù dal mio dir benche infecondo,
Mè pur beggendo, intenderai te ſteſſo.

F I N I S.

APPENDIX, SEU ADDITIONES.

RAra, aut imperfecta admodum ſunt objecta Mundi hujus, quibus augmentatio non perfectionem aliquam, vel decorem conciliet.

Ita Naturâ producit ingenia, quæ tamen, juxta Ariſtotelis mentem, ſimilia ſunt tabulæ inani & terſæ, in quâ penicilli nondum ulla veſtigia comparent, manerentque obtuſa prorſus & inculta, niſi Præceptoris arte, & induſtriâ, denſa illa caligo, quam in utero materno contraxerunt, diſſipetur, eaque ad meliorem vitam novi luminis infuſione quâdam inſtituerentur. Quàm ingloriè & ignobiliter in Pariis rupibus ætatem degerent rudia & inculta marmora, niſi docta Praxitelis & Phidiæ ſcalpra, inflictis altè vulneribus, figuras illis ſpeciesque humanas induxiſſent, ita verò tanquam à ſepulchralibus cavernis eruta, ad recipiendam vitæ ideam quandam cogente ferro prodierunt. Nobiliſſimi ex Cypro Adamantes, luciđiſſimæ ab Erythræo mari margaritæ, poſtea quàm manuum, & ferri ipſius acceſſione luſtrantur, ac poliuntur, multùm pretio aucta emergunt.

Naſcitur in colle, ſeu juxta aquam ſterile virgultum, cujus ſylveſtris indoles inſerto ſurculo corrigitur, quò in fructus laudabiles progerminet. Miſer Homo tandem, egenus & pauper, corruptionis plenus, & calamitatum omnium meta, ex utero materno ſic prodit in lucem, quaſi damnatus ad ſepulchrum durante congenitâ miſeriâ, niſi continuis additionibus, ut edocto loquelæ uſu, quæque ad victum, veſtitum, habitationem, & alias vitæ commoditates requiruntur, obviam inſidiis iret, quæ ipſius ætati ac vitæ perpetuò ſtruuntur. In generali hac Naturæ conſtitutione, ita omnia comparata ſunt, ut nec materia ſine additione formæ, neque hæc ſine illius interventu & augmentatione quidpiam operetur, aut fœcundet; ſuntque ita intimè conjuncta, ut perditâ unâ materia alteri cuidam formæ continuò aſſocietur.

Hæ, & aliæ inſuper rationes maturius à me ponderatæ, ſiquidem plura alia ſubjecta, argumenta, & dogmata neceſſaria, imò congrua & propria Homini ſupereſſent, ſtimulos addiderunt, ut meæ partis judicaverim in hunc locum iſthæc collocare: quò undique redundent utilitas & beneficium in Lectorem. Quandoquidem etiam ſignificationes Hieroglyphicæ hoc in genere potiſſimum abundent, & hactenus Opere Pierii Valeriani uſi fuerimus, nondum tamen Cœlii Auguſtini in manus noſtras inciderit Opus, ex humanis paſſim ſimulacris combinatum, hoc capite ordiri viſum eſt, quò plus inde appareat, ac eluceſcat notitia ſubſtantiæ, tam mortalis, quàm immortalis in Homine, æque ac diis, ut Gentilium more loquamur. Hæc igitur ſunto in Additionibus

HIEROGLYPHICA.

Deus Creator.

ÆGyptii expreſſionum penuriâ, & verborum ſterilitate adducti, quò Supremi Numinis, *Eneph* ipſorum linguâ compellati, ſummi Motoris, & Creatoris hujus univerſi ideam quandam exhiberent, myſterioſis ac eruditis ſignificationibus id demonſtrare conati ſunt. Conſtituerunt inprimis illum formâ Humanâ, veſtitum chlamyde cæruleâ, dextrâ regentem ſceptrum, ſiniſtrâ zonam, ſeu cingulum, inde caput mitrâ ſurſum acuminatâ coopertum, cujus apicem pennarum congeries exornabat.

Venerabilis Euſebii teſtimonio, libro *de Præparatione Evangelica*, hæc eſt Allegorici ſenſus enodatio. Pennæ Creatoris incomprehenſibilitatem denotant, ut enim hæ ſemper volatiles ſurſum moventur, ita ille ſublimis ſemper ſupra omnem ſenſum, & fidem intelligentiæ humanæ elevatur. Facie humanâ eſſe illum Datorem, Creatorem, & Authorem vitæ ſignificabant; Eſſe eum, qui intellectum & motum largiatur; quò & Divus Paulus alludit, *Deus, in quo vivimus, movemur, & ſumus.* Quod ipſi quoque Gentiles expreſſerunt, quos inter celebris Aventini Orator, ſic fatur: *Deus eſt, qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui regit, qui moderatur*: eſt enim omnium harum operationum cauſa primaria. Et Lucanus:

De ſomn. Scip.

Lib. 9.

Jupiter eſt, quodcunque vides, quocunque moveris.

Et ſicut verè non cognoſcitur Mens divina, niſi per cognitionem Divinam, etſi nil viſibile, nil reale appareat, hoc pennis & Dominio repræſentatur & exprimitur. Indicantes præterea per corporaturam Humanam, ejus ubiquitatem, & nil conſpectum ejus poſſe effugere, velut ipſum paſſim humanum corpus nobis obverſatur. Operationes Dei materiales, hæ videlicet, cùm Deo permittente fit, ut Natura ſecundùm activitatem ſuam, & influentias cœlorum operetur, vocantur Opera Dei poſteriora. Hinc elucidatio ejus facti petenda, cùm Moyſes Divinis colloquiis jam ante adhibitus, peteret Dei videre faciem, reſponſum tulit, *Poſteriora mea videbis*; quod idem erat, ac, circumſpice temetipſum, & univerſum hoc contemplare.

Opera Dei poſteriora quæ?

Præter hæc Ariſtotelis doctrina eſt, à poſteriori ſeu effectu cognoſci rerum eſſentias, earumque cauſas. Quemadmodum igitur cauſæ primæ,

earumque operandi modus, non diſcernuntur oculo, neque intellectu humano, ita neque ſumma Mens, quæ operatur, & comprehendit omnia, ratione noſtrâ comprehendi poteſt. Marcus Tullius inquit: *Deus ipſe, qui non intelligitur à nobis, alio modo intelligi non poteſt, niſi Mens ſoluta quædam, & libera, ſegregata ab omni concreto & mortali, omnia ſentiens & movens, ipſaque prædita motu ſempiterno.* Quòd eum cæruleâ chlamyde, qui color cœlis eſt proprius, circumdatum exhibebant, id egerunt, ut eum totum cœleſtem indicarent, & in cœlis reſidere ſolutum & liberum, neque immerſum ſeu implicatum ullo ſeu accidente, ſeu mixtione, aut compoſitione: quamvis per intellectum noſtrum cæcutientem vel ignorantiam aliter apparere conſueverit. Nec dubium eſt, illum moveri, nunc ad iracundiam, nunc ad miſericordiam ſeu veniam, prout cœlum ipſum varias quoque alterationes ſeu mutationes admittit, tantâ verò diſparitate ab Natura humana, quantùm cœli à terra diſſident.

Sceptrum, poteſtatem ejus ſeu dominium in Naturam univerſalem indicat, cujus idem Creator ſit & Author. Per Zonam, nexus ille ſeu vinculum intelligitur, quo res omnes in unum colligit, & colligat, quo & fata ſeu vitæ, ſive mortis temperat, & res corruptioni ſubjectas in quâdam quaſi perpetuitate conſervat. Et hæc per Allegoriam Zodiaci Zona eſt, quàm Sol æternus perambulat. Ita fuerunt, qui hominem ex ovo prodeuntem, ſeu ovum ex ore hominis procedens depingerent, ſignificantes mundum hunc ex ore ſeu verbo Dei prodiiſſe, ut clara ſunt Prophetæ teſtimonia: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et rurſum David: *Ipſe dixit, & facta ſunt.*

Mundus Satyrus.

Per cognitionem Dei ipſo permittente, gradatim Nationes illæ ad cognitionem mundi inveſtigandam ferebantur. Idcirco, ut jam alibi dictum eſt, modo tamen aliquantum differenti exhibebant deum Panem, qui & Incubus, Faunus, ſive Satyrus dicitur. Facies illi humana, barba caprina, cornua arietina, coloris intentè rubri, pelle Tigridum adinſtar variâ, & maculatâ, parte corporis inferiore hiſpidâ, ſetoſâ, aut villoſâ, capris non abſimili. Regebat dextrâ fiſtulam cum ſeptem calamis, & ſiniſtrâ baculum recurvum, ut eſt Lituum augurale. His proportionibus univerſitatem orbis terrarum intimantes. Prodiens ex loco arundinibus conſito, verſùs loca habitata greſſum ſimulabat. Per faciem rubicundam intelligentes aërem, ſeu ætherem, ſæpenumero per ſolis illuminationem hoc colore decoratum. In cornibus ſignificantes duo luminaria, quæ non ſecus, ut hæc cornua in parte capitis ſuperiore, in regione mundi ſuperiore ferentur. Pellis Pantheræ ſeu Trigidis inſtar variegata varietatem ſtellarum deſignabat. Ejus pars hiſpida, villoſa, & inculta, virgulta, arbores, & feras in orbe concluſas, figurabat. Pedibus caprinis, ſoliditatem & ſtabilitatem terræ denotabant. Per fiſtulam cum calamis ſeptem, in ſeptem illis tonis diverſis, ſeptem ſphærarum harmoniam intelligebant. In lituo tandem ſeu virgâ recurvâ, anni ad ſua principia reflexionem, & revolutionem in circulum, repræſentabant. Ad hunc modum ſymbolum hoc interpretantur Euſebius Pharnutus, & Servius. Curioſum & mirabile eſt audire, quod inviſum hoc ſimulacrum, non caruerit votis, victimis, holocauſtis, & aris, hoc adjecto titulo: *Divinitas abſcondita.* Quâ ratione igitur poterant infelices hi è luto miſeriarum ſuarum emergere, cum illis per obſcura & informia hujuſmodi monſtra non liceret. His adjungimus, ut jam alibi expreſſum eſt, per partes Monſtri illius humanas, cœlum cum conſtellationibus, earumque influentiis, per caprinas vero deſignari maſſam omnem terrenam, arva, & ſaltus, quò & cum capris, quarum ſimilitudinem habeat, illum relegârunt. Et ſicut pili ſuâ pinguedine & uligine aliiſque excrementis perpetuò abundant, ita terram novâ ſemper meſſe regerminare, & fœcundari. Manûs illius extenſæ ſimiliter terræ fœcunditatem, ejuſdemque ad operandum promptitudinem demonſtrabant. Hac ratione terrarum orbis deſcriptus.

Cæteroquin, ubi animus eſſet quendam inquilinum incultis moribus, & qui extra proprios lares nunquam prodiiſſe viſus ſit, deſcribendi, figuram hanc Fauni aut Satyri digito indicabant. De Satyris quidem Virgilius:

Hæc nemora Indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant,
Genſque virûm truncis, & duro robore nata.

Faunos Deorum filios, ex Terra, & divino ſemine progenitos perhibebant. Ex quo colligitur, vel ipſos hoſce Idololatras obſervâſſe & agnoviſſe cœlorum nobilitatem, magnitudinem, & ſublimitatem, cùm inter celeberrimos quoſque Heroës Faunos iſtos collocârent, quæ cauſa fuit venerationis & obſequii, quo illos proſecuti venerabantur, & adorabant. Ab hâc ſublimitate paulatim deflectentes, eò devenerunt, ut dicerent, à Faunis proſatos homines, quæ cauſa eſt, quod iidem Fauni Hieroglyphicum Nobilitatis eſſent, ad quam multum præterea conferebat, quo quis loco ortus fuiſſet; ſic referente Platone, ſingularis Athenarum Nobilitas, & glorioſior cæteris erat, quod nunquam extra mœnia ſua aberrando evagata per orbem fuiſſet. Hac de re jam aliàs binos Dialogos dictavi, qui, Deo vitam largiente, forſitan aliquando publicæ luci exponentur.

Nobilitas unde derivet?

Ejuſdem dei Panis imagine Ratiocinium ſeu Diſcurſum expreſſerunt; ita enim Plato arcanorum Ægyptiacorum interpres in Cratylo affirmat; non ſecus hunc atque illum ferri, ex corde videlicet ad os, atque linguam commeare, quidvis amplecti, ad omnia evagari, & per modum divinitatis illius, ex vario apparatu & diverſis partibus compoſitum; itemque illius exemplo duplicatum, verum ſcilicet, & falſum. Vero & elevato diſcurſui ineſſe aliquid divini, eique amicitiam quandam & affinitatem cum Deo intercedere, qui & ipſe ſibi *verbum* adnumerat, idcirco in pectore & capite, tanquam partibus nobilioribus reſidere: Mendacem verò, velut abjectum, infimum & vulgarem, ſerpentem humi, nec ad ullam contemplationem elevatum, per partes illius inferiores, irrationales, belluinas, hiſpidas, hircinas, aſperas & deformes intelligi. Hunc in modum diſcurſum ipſum rectè diſtinxeris, bonum à malo, verum à falſo, caſtum ab obſcœno, proprium ab indirecto.

Diſcurſus.

Duplicatus.

Homo plantis pedibuſque contortis, vultu ſenex, ſedenſque incurvato corpore, in humeris tenens aureum globum, cùm veſte longâ ad talos uſque protenſâ, apud Ægyptios Mundum univerſum deſignabat, qui ſecundùm cœlorum influxus gubernetur, cum iiſdem affinitate conjunctus.

ſtus. In pedum complicatione, Terræ ipſius ſoliditas & ſtabilitas; in veſte longa à capite ad calcem demiſſa, varietas & copia colorum, ac rerum exprimitur, quibus ille per qualitates elementares undique ditatur, veſtitur, & exornatur. Globus aureus ſphæram cæleſtem, motumque ejus circularem ſignificat.

Concordantia Hominis cum cœlo.

Iſte eſt Archæus ſuperior, & inferior, à celebri Oſvvaldo Crollio deſcriptus: hæc catena Homeri, Deos hominesque colligans: hoc Mercurii caduceum alatum, & ſerpentibus circumdatum; hic Berecynthiæ crinis eſt ab Empyrio cœlo ad infimas uſque valles demiſſus. Ita concludit Oſvvaldus: *In Nomine enim ipſo, minore Mundo, non eſt membrum, quod non reſpondeat alicui elemento, alicui Planetæ, alicui Intelligentiæ, alicui menſuræ, ac numerationi in Archetypo.* Ita videlicet ad regimen & celſitudinem Hominis concurrere cæleſtem Naturam cum humana voluit Altiſſimus, cujus patria Paradiſus, & centrum illius animæ, ad eum finem creatæ; quò verba Ovidii collimant: *Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.*

Præfatio Admonitoria.

Hæc præterea Natio ſolem ſpecie humanâ, facie rotundâ & juvenili, navi à Crocodilo deductæ inſidentem, exhibebat. Per navigationem ſignificantes impulſum caloris ejus, quo motum in humida omnia introducit, & maximè in ætheriis: quam ob cauſam multi humidum æthera dixerunt, cum veroſimile non ſit, motum diuturnum hunc & continuum in ſicco poſſe durare: quâ ratione plures Philoſophorum veterum, conſiderato cœlorum curſu, aqueos non dubitârunt cœlos aſſerere. Ita in ſacris quoque Literis eorum ſæpe mentio ſub aquarum ſimilitudine occurrit; & Angeli ipſi à Davide hoc ſynonymo exprimuntur; & Eccleſia tot Prophetarum dictis inhærens inſonat: *Aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.* Hæ aquæ, ut & pluviales noſtri orbis per Crocodilum intelliguntur, cujus generatio paſſim Soli attribuitur. Ait inſuper Jamblichus, hac ſolis nave devecti imagine cauſam primam ſive Deum, qui univerſum hoc regit & gubernat, ſignificari. Martianus pariter, cum Philologiam in ſphæram ſolis introduxiſſet, viſam ab illa navem, inquit, in ſole, quæ diverſis opinionibus recta, ſecundo Naturæ curſu ferebatur, ſimul ardentibus flammis, & pretioſis mercibus repleta erat, ſtantibus ad remos ſeptem fratribus: in Malo depictus leo, & ab extra Crocodilus, è cujus medio fons divinæ lucis per occultas vias Mundum irradiabat. Variæ & multiplices ſunt icones humanæ, ad demonſtrandos ſolis effectus adinventæ, quas ſi adducere hic voluerim, in magnum volumen appendix iſta excreſcat. Plura igitur deſideranti Cattarus in Iconibus falſarum divinitatum ſatisfaciet.

Cœli quare humidi.

Angeli aquarum nomine intellecti.

Cauſa prima.

In Ægypti quadam urbe, ab Elephantorum forſitan copia, Elephantinopoli dicta, adoratum fuit Oſiridis ſimulacrum. Figura Hominis erat, cujus totum corpus cyaneo colore imbutum, caput arietis in humani locum gerens, conjunctionem Solis & Lunæ ſignificabat, prout refert Euſebius. Per colorem cyaneum Lunæ humiditas intellecta, quandoquidem ſemper humoribus lunaris conjunctio abundat, tum quod noctes ſimili colore imbuat, qui non minus ſereno cælo conſpicuus ſit. Quis Oſirides, & quod Rex univerſæ fuerit Ægypti, cur manus centum habuiſſe creditus, cur Solis ſymbolum habitus, ſufficienter in ſecundo hoc volumine declaratum eſt.

Conjunctio Solis & Lunæ.

In urbe Heliopoleos Lunæ ſimulacrum hujuſmodi figurâ expreſſum eſt. Homo erat, cui caput vulturis, & quaſſando manu lanceam Typhones ſeu Gigantes ſub forma equi marini occidebat. Color hujus ſimulacri albus, quod indicabat Lunam ab aliis lumen ſuum mutuare, quæ opinio evidens eſt. Quid enim negarent lumen illam recipere à Sole, à quo ſpiritum traxiſſe, & ortum ſuum credebant: alitis verò hujus potiſſimum faciem appoſuerunt, quod vultur Soli dedicatus erat, ut alibi ex Pierio adduximus. Fuit præterea avis hæc ſymbolum lucis & ſpiritûs, imprimis ob velocitatem motûs, tum etiam, quod ad loca maximè lucida, atque ſublimia evolare ſoleat. Aliæ rurſum Lunæ effigies humanâ facie, prout copiosè à memorato Cattaro, ubi de hoc argumento ex propoſito agit, tractatur.

Luna qualiter repræſentata.

Stupendum non minus, & curioſum fuit ſequens Hieroglyphicum; ex quo non obſcurè colligitur, quantùm antiqui nos exhortati ſint, cogitationes & conſilia in occulto eſſe oportere. Plutonem caput galeâ tectum, & Proſerpinam rapientem depingebant: nec abſque magno myſterio; cum enim de Plutone notum ſit, Numen eſſe infernale, idcircò ab inferno hoc ſpiritu dicimus, quàm deceat celare ſeu tegere omne id, quod in ipſis penetralibus mentis reconditum habemus. Confer huc Emblema Alciati, quod habet aſcriptum Lemma: *Non vulganda Conſilia.* Additur Proſerpinæ raptus, furta ſiquidem & raptus clam & in abſcondito fiunt. Inducitur galeâ obtectus, quaſi dixeris tegendum caput, in quo conſilia elaborantur. Ita veriſſimè Spiritus Sanctus ait: *Sicut aqua profundæ, ſic Conſilium in corde viri.* Non ignota hæc magno illi apud Salluſtium Imperatori, quem ubi perſuadere conabantur, ut conſilium ſuum cum primoribus conferret; *Si ſcirem*, inquit, *veſtem meam Conſilii mei participem eſſe, protinus eam exuere, & in ignem conjicere vellem.* Ut igitur galeâ caput, ſic illo cogitationes viciſſim tegendæ ſunt.

Conſilia & cogitationes occultandæ.

Prov. 20.

In Plutonis Hieroglyphico rurſum poteſtas non ſpernenda inferiorum ſeu minorum intelligitur. Hic etenim tametſi in infimo Terræ loco reſideat, nihilominus, ſi laceſſitus inſurgeret, totum terrarum orbem flammis ſuis concremaret. Ita ſi in Horologio ultima licet, & viliſſima rota exorbitet, tota machina perturbabitur. Sic & ſtatuis ſuæ baſes accommodantur; ideoque verum eſt, quod S. Ambroſius ait: *Vicina potentibus ſolet eſſe ſuperbia.* Et bene rurſum alius: *Qui velit ingenio cedere, rarus erit.* In hoc fabulæ Icari, & Phaethontis excogitatæ.

Poteſtas Minorum.

In Poſt.

Per Silenum ſenem dormientem antiqui motum ſpirabilem, ſeu mavis ſpiritalem intelligebant. Ex hujus capite album quendam vaporem prodire fingebant inter ſpiſſam cæſariem, per quod craſſitiem aëris terreſtris denotabant. Finxerunt præterea ebrium, quod ſpiritus illi craſſi ſuâ gravitate, non ſecus ac in ebrietate hominis organa, & potentias vitales aggravando, & comprimendo ſomnum inducunt; & hic ille eſt Spiritus, quem Anima per corpus univerſum & ſingulas ejus partes diſtribuendo infundit.

Motus ſpirabilis.

Jam & Tyronibus notum eſt, quod antiqui exprimendo igni fabrum Vulcanum exhibebant, claudum, deformem, luridum, & fuligine denigratum, ſtantem prope focum, & fulmina cudentem: cui Cœlius cæruleum in capite pileum adjungit. Regionis hoc ætheræ ſymbolum, in qua ignis purus, integer, neque immundo alicui pabulo immixtus reperitur, longeque ab illo diverſus, qui his in terris, utpote debilior, ſine alimento & materia pabuli ſubſiſtere nequit; Idcirco claudicantem & defectuoſum hunc deum indicantes, ut qui ad ſuſtentationem ſui baculo egeret, ſeu materiâ ad ſui conſervationem idoneâ, diverſus proinde à puro illo, atque defæcato, nullius terrenæ miſtionis egente. Et hoc verè ſymbolum eſt Animæ, prout jam alibi inſinuavimus, quæ per modum ignis calefacit, fovet, & vivificat corpus humanum, quò & ipſum ita roboratum ad ſuas ſe operationes accingit. Sic porro elementis aliis eſt intimè conjunctus, ut ex illo quaſi vitam hauriant, tametſi nec in illis reſplendeat, nec facilè niſi fortè in operationibus ſuis manifeſtetur, dum illis activitatem & fœcunditatem inſpirat. Et quemadmodum Anima ignis ætherei ſpeciem gerit, dum adinſtar hujus ad ſupremam illam ſphæram, tanquam Patriam ſuam continuo motu elevari debet; ita viciſſim Natura, tanquam fœcunda Mater, elementarem hunc ad ſuos uſus & beneficia concedit.

Nequid à ſemita tanti Authoris deviemus, adducimus hic denuo celebrem illam apud Gallos Herculis imaginem, toties in hoc noſtro opere jam memoratam: quod nondum exhauſta ſit omnis doctrina, hac in effigie concluſa, nec prout debet deſcripta. Symbolum erat, ſeu Hieroglyphicum Eloquentiæ. Hominem exhibebant virili ætate, & cætera nudum, exceptis iis partibus, quas leonina pellis integebat; dexterâ fortem & nodoſam clavam gerebat, ex ore perlonga catena aurea prodibat, quæ circumfuſam multitudinem undique vinctam ad ſe trahebat. Fuit hoc inter Alciati Emblemata centeſimum, octogeſimum, & primum, cui ſubſcripſit; *Eloquentia Fortitudine præſtantior.* Figura hæc originem ex Luciani operibus ſumpſit. Nam ut vertit Eraſmus: *Sic igitur Herculem Galli linguâ Gentis vernaculâ omnium vocant, porro Deum ipſum novâ quadam, atque inuſitatâ figurâ depingunt.* Demonſtrantur eadem in Luciani decrepito ſene, & calvo, pauco, quod reſtat, capillitio cano, forte ut indicarent, Eloquentiam non niſi maturâ ætate, & prudentiâ acquiri: cæterùm cutis illi rugoſa, & aduſta, obſcuri & atri coloris, qualis Charontis, & Japeti nautarum. Conſentiunt paſſim in hoc, quod humeris, & ſiniſtro lateri arcum & ſagittas attribuerunt. Credidit præfatus Author in vilipendium Græciæ deorum primitus erectam hanc ſtatuam, quaſi vindictam de hac natione ſumentes, ob factas in patriam ſuam excurſiones, cum ad perſequenda Gergonis armenta, cultiſſimas has regiones devaſtâſſet. Sed neſcio quid novi, & admiratione dignum in hac imagine reſplendeat?

Eloquentia.

Id porro eſt aurea catena, cum qua ille multitudinem diverſarum gentium multis pretioſis lapidibus, gemmis, & monilibus luxuriantem, velut in vinculis trahebat, earum aliquæ ad pectus, ad humeros aliæ, itemque ad aures pertingebant, & quamvis exilibus admodum catenulis ducerentur, nihil tamen animi ad effugiendum monſtrabant, quin potiùs tantâ manſuetudine & lætitiâ ab hac non inamœna violentiâ ſe duci patiebantur, ut vel ægrè laturæ viderentur ſuam ex vinculis iſtis liberationem. Et quod plus aliquantum admirationis moveat, erant catenulæ hæ à neutra manuum conſtrictæ ſeu adductæ, quod ſiniſtra ſagittis & arcu, dextera verò in clava ſuſtinenda occuparetur. Perforavit ingenioſus artifex ſimulacri illius linguam, per quam tranſmiſſa catena regebatur.

In ſubjectam interea turbam, catenis illigatam, faciem ſerenam & omnino lætam demittebat, quaſi multam illi conſolationem impertiendo. Ita Lucianus. Ego dum ad conſpectum ſtatuæ illius quaſi attonitus ſtupeo, is quem tum fortè mecum habebam hoſpitem, mihi ait, ne ſtupeas Advena, mox enim tibi figuræ hujus myſteria explanabo.

Non ad exemplum Latinorum, aliarumque nationum deum Eloquentiæ Mercurium Galli habemus, ſed Herculem, ut qui ſit illo fortior, atque robuſtior; neque te moveat, quod ſenem illum fingimus, hâc enim potiſſimùm ætate, nervos & robur acquirit facundia, quæ licet infirmior ſit ætas, vigoris tamen abſoluti eſt indicium. Hac de cauſa Neſtoris quoque lingua melle aſperſa & imbuta fingitur: & Trojani Oratores Vocem Lyrioëſſam, ſeu floridam appellârunt, & vel ideo ſenili facie comparet, quaſi magno intervallo, à juvenilis Enuntiationis imperio remota, utpote quæ juvenili calore aſperam, & inſulſam prorſus orationem efficit. Inſtructa eſt ſagittis & arcu, ad indicandum acumen argumentorum, & rurſum nervoſâ & forti clavâ pondus & robur orationis exprimitur. Hæ Luciani expreſſiones ſunt: Et quamvis aliæ quantumlibet copioſæ, tam ab erudito Alciato, quàm facundo illius commentatore Joanne Tuillio ſubminiſtrentur, illis tamen relictis, ad alia gradum facio.

Bina Herculis ſimulacra, quæ Antheum humi proſtratum, ſolo elevant, & in multis numiſmatibus cernuntur, Hieroglyphicum ſunt luctæ, quæ inter ſenſitivum eſt, & rationale, dum ille animum diſcurſûs & rationis participem, Antheus verò partem ſenſitivam, terrenam & ponderoſam ſignificat. Pectus inſuper Herculis, ſedem prudentiæ & ſapientiæ denotat, quæ pars perpetuum cum inferioribus, & vitioſis partibus certamen gerit: quod ut alibi jam explicavimus, ita nihil hæſitationis fuit, quin hic repeterentur, maximè, famoſo noſtro Patriotâ ita differente:

Malageuole impreſa è hauer l'Impero
De gl' indomiti affetti, e ribellanti,
E non errare, oue dal buon ſentiero,
Gl' allettamenti al traviar ſon tanti.

Preti Poeſie.

Sentiebat hujuſmodi contradictionem vas electionis Divus Paulus, cum ait: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Serpentis Pythonis contra Apollinem pugna hæc dici poteſt, cum videlicet immundus iracundiæ & concupiſcentiæ ſerpens, venenum & flammas evomit, & obſcurâ tetrâque caligine, Rationi, ceu Apollini labem quandam aſpergere conatur. Neque poterit Ratio, quod ſenſitivum eſt debellare, niſi elevet, & in altum adeo evocet corpus ipſum, ut affectuum pede jam non terram corporearum ſordium attingat, verùm omnes omnino affectus illicitos, quaſi Terræ filios, proſternat, & perimat. De hoc mortis genere Apoſtolus ait: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcon-*

abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Hæc pretioſa illa mors eſt, quæ oculos Divinitatis exhilarat, quæ & Redemptorem noſtrum in hanc ſimilitudinem permovit: *Niſi*, inquit, *granum* frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Hæc ſingularis illa, & inter omnes maximè inſignis victoria eſt, de qua S. Bernardus ait: *Major eſt victoria hominum, quàm Angelorum; Angeli ſine carne vivunt, virgines in carne triumphant.* Inde Scipionis Africani, generoſi illius ducis, quem virginis Cimbricæ forma non expugnavit, ejus inquam tumulo inſcriptum legitur; *Maxima cunctarum victoria, victa voluptas.* Et Boëtius, ad facta Herculis alludendo, ita canit: *Superata tellus ſydera donat.* De hac materia plurima paſſim extant volumina ſacra, & moralia.

Super Miſſus eſt.

Fabula Promethei.

Quandoquidem non infœcundæ conſiderationis & applicationis ad ſymbola eſt Promethei fabula, jam aliàs eruditè à Cœlio pertractata, non præter rem mihi facturus videor, ſi eam huc loci tranſſumpſero, quò plures inde cognitiones, ac doctrinæ eruantur. Plato igitur in Protagora ſub perſona Socratis, ut artium adinventiones detegeret, ipſumque ingenium ad eas requiſitum indagaret, hujuſmodi orditur fabulam. Erant olim tempora (& hinc ſuam derivat hiſtoriam) cum præter Deos nemo adhuc mortalium viveret, inſtante dein tempore, ut ii quoque naſcerentur, Dii illos ex terra ſimul & igne formârunt, diſtributionem tamen facultatum & ornamentorum ad illos ſpectantium Prometheo, ac Epimetheo fratribus aſſignârunt. Quorum poſterior cum totum negotium ſibi uni & ſoli aſſumpſiſſet, dumque ego gradus, conditiones, & officia diſtribuo, tu hic expecta (ait Prometheo) videntes Dii, rem ritè inſtructam & ordinatam, totius operis diſtributionem ei permiſerunt. Qui præter ſpem turbato ordine, rerum diverſarum confuſionem introduxit. Huic enim plus virium, quàm agilitatis & ſolertiæ largitur; alteri celeritatem nimiam deficientibus interim viribus, infundit; plus debito unum muniendo & armando, alterum è contrario, ultra quàm juſtum fuerat, debilem, ac ferè inermem dimittit: Defectus hos ſalutaribus remediis compenſare conatus. Ita cum ex animantibus quæpiam, ratione parvitatis ſuæ imperfecta cognoſceret, ſtatuit fabricatis ad id alis ſuccurrere; aliis ſubterraneos ſibi ſpecus, & receptacula fabricandi, ſcientiam tribuit. Ea, quæ ad inſignem aliquam magnitudinem pertingebant, ſummâ induſtriâ conſervavit, & providit, ne quod eorum genus perire poſſet, cumque illis id emolumenti conceſſiſſet, ut perfectâ ſanitate fruerentur, eò animum applicuit, ut catervam ac ſeriem annorum, & uniuſcujuſque anni varias revolutiones ac tempora ordinaret. Inde carnes pellibus, & pelles ſetis, pilis, & villis obduxit, eorumque aliqua cute ſolidâ ac durâ communivit, quibus contra frigora, aliaſque cœli injurias ſeſe tutarentur: ita in pedum plantis, cute ſpiſſâ, pilis, adipe, unguibus, aliiſque munimentis inſtruxit, ne à ſoli aſperitate offenderentur. Alimenta vitæ neceſſaria, in debita proportione ſubminiſtravit, his quidem (juxta uniuſcujuſque naturam) aut herbas; fructus, & radices, ſive carnes, aut alia convenientia, & opportuna: illis verò, quibus ſors obtigerat, ut dilaniarentur ab aliis, minus alimenti præſtitit, quod generoſis & ferocioribus aliis in pabulum deſtinata eſſent.

Poſtquam facultates, & omnia reliqua, quorum capacia eſſent, brutis ac feris indidit, ſupererat humani generis compoſitio, atque perfectio, cumque jam nil reſtaret, quod communicari poſſet, nimium enim perfectionis in alia profuderat, multùm ſolicitus, quid agendum in ancipiti hæſit. Quibus curis anxio Prometheus ſuperveniens, ut diſtributionem factam inſpexit, videt animalia omnia completa, illiſque de neceſſariis omnibus abundè proſpectum: Solum hominem nudum & miſerum, ſine calceamentis, ſine poſſeſſionibus, & abſque auxilio pauperem & mendicum: jamque fatalis illa dies inſtabat, quâ ſimulacrum hoc mundo exponi animatum oportebat. Inops itaque & Prometheus conſilii, cùm ſummâ temporis anguſtiâ ſe concluſum animadverteret, quale tanto operi ſubſidium inveniret dubio ſecum pectore revolvens. Cum ſubitò in mentem venit (id quod & poſtea peregit) ſi ignes ſacros, una cum ſapientia & artificio Vulcani atque Minervæ violaret? Erant hæc ſibi mutuò conjuncta adeo, ut neutrùm ſine altero haberi, neque alterutrùm ulli uſui inter homines eſſe poſſet. Utroque igitur inſigni dono per furtum ablato, hominem inveſtivit, & animavit; qui tantum continuò intelligentiæ conſecutus eſt, ut noſſet, quibus mediis vitam ſuſtentari oporteret. Deerat tamen illi modus, & ars, quâ in operibus exercitari poſſet, adeoque utilis ſibi ipſi, & Reipublicæ terrarum orbis proficuus evadere. Hæc in ærariis Jovis unicè abſcondita ſervabantur, neque huc aditus Prometheo ullus patebat, ſtudioſiùs enim cuſtodiebantur, quàm Vulcani, & Minervæ repoſitoria, è quibus priora munera ſurripuerat.

Homo divinorum favorum jam particeps, & inter ſortes cæleſtes adnumeratus, jamque Diis contactu ignis ſacri vicinior factus, ſolus inter cuncta animantia Religionem agnovit, & veluti memoria ſuggerente, eſſe in cœlis Numina, & Deitates, cœpit erigere ſtatuas & altaria, templa item & ſacrificia, orationes & vota inſtituere, inde voces & nomina excogitare, quibus æternitatem, immenſitatem, & omnipotentiam illius Numinis explicaret. Suppeditante poſthæc ingenio, & domos, & victum, & veſtimenta per artem reperit. In hunc modum inſtructi & edocti Homines ſparſim primùm habitare, & antea quàm vel ædes, vel urbes ullæ extarent, in apertis campis, & per ſylvas divagari, ut non raro à fortioribus ſe feris necarentur, dum earum feroces aſſultus ſuſtinendi, neque iis reſiſtendi ſat virium eſſet. Sat jam quidem artis illis ad vitam ſuſtentandam; ſed ad ſui defenſionem haud dum ſatis adhuc valebant, dum cognitio aut præparatio armorum iis deeſſet. Quæ quidem propoſitio, veritati ſacrarum paginarum omninò contrariatur, in his enim verbo illo *Dominamini*, ſufficienter contra omnem potentiæ hoſtilis impetum conſultum fuiſſe Homini vidimus. Verùm, ut revertamur, unde digreſſi fuimus, cum imperiti artium militarium eſſent, ut tamen deinceps à ferinis illis aſſultibus ſecuriores viverent, conſulere cœperunt, quâ ratione uniti invicem & congregati habitarent: inde ſapienter de civitatibus, mœnibuſque extruendis deliberatum, quò inhumanam illorum feritatem arcerent; paulatim deinde

deinde contra ſeſe mutuò his propugnaculis uti, cum ſenſim in pejus vergentes hominum mores, non diſcurſu, non ratiocinio inſtructi, ruens unuſquiſque cœco modo, quo illum propriæ paſſiones, & affectus ducerent, quâvis levi de cauſa alter in alterum ſævire, nec jam homo ſecurus ab homine trucidari, ac perimi.

Quamobrem ſupremus Monarcha Jupiter metuens, ne omninò genus Humanum concideret; Mercurium legat, qui ſublatâ ex mentibus noſtris caligine, novum lumen afferret, eiſque pudorem quendam aſpergeret juſtitiæ, cæterarumque virtutum, quæ ornamenta ſunt, & vincula civitatum, ſimulque amicitias, & affinitates inter homines fundaret. Priuſquam igitur operi ſe accingeret Divinitas illa, Superorum Regem interrogâſſe fertur, quâ methodo juberet diſtribui dona, ſeu virtutes illas, ſive artes; quomodo inter eos juſtitiam obfirmare aut pudorem oporteat, uni an multis, an aliquibus, vel omnino jam omnibus diſpertienda. Unde à ſupremo tribunali decretum illud ſublatâ appellatione emanavit; *In omnes; & omnes ejus participes fiant.* Ita fore, ut civitates perfectè ſtabiliantur & componantur: poſtremò ita Jovem concluſiſſe: *Legem nomine meo promulges; ut qui pudoris, & Juſtitiæ participes eſſe non poſſint, tanquam peſtis civitatis occidantur.* Ex dictis colligitur, quàm antiqui, licet gentilitatis caligine adhucdum offuſcati, & impliciti, pias, & juſtas planè ſanctiones formaverint, non ſecus ac ſi è cœlo derivâſſent.

Ex his omnibus advertimus, per facem accenſam à Prometheo raptam, intelligi robur ingenii, quo repertæ ſint artes omnes, quibus illa tam pulchra, tamque ſtupenda opera in magno hoc Theatro orbis terrarum excolente doctâ hominis manu ſtatuantur, & producantur. Sic Plato, & Ariſtoteles tradunt, hic quidem, in face vim intellectûs agentis intelligi: ille verò è Schola Ægyptiorum hauſtâ doctrinâ, cœleſtem igniculum, ſeu lumen appellat, quod per canalem extrinſecum homini inditum, id proprii officii habeat, ut artium inventionem moliatur. Qui de Prometheo plura hic deſiderat, & quomodo in pœnam audaciæ ad montem Caucaſum damnatus, ibidem gravi catenâ vinctus, jecur aquilæ lacerandum præbeat, Genealogiam Deorum Joannis Boccatii, & Natalis Comitis nunquam ſat laudatam Mythologiam perlegere non gravetur. Nec ego eum deſero, niſi prius duplici Hieroglyphico ſenſu hinc ditatus abſcedam.

Primus exhibet Hominem in ſcopulo quodam arduo, inacceſſibili, & prærupto, qui catenæ huic, quâ vinctus olim fuerat, detracto annulo lapillum adaptavit, & quaſi digito inſerturus ſimulavit. Hoc Ægyptiis ſymbolum gratæ memoriæ ob recepta beneficia. Illud videlicet factum à Prometheo fertur, poſtquàm à ſupplicio ad Caucaſum montem liberatum ſe vidit, in perpetuam reminiſcentiam favoris adepti. Inde morem tractum lapillos annulis conjungendi. Et fortè hæc annuli ferrei eſt ſignificatio, quo tot annis Romani uſi fuerant. Tantundem, inquit Plinius junior, agendum unicuique eſt, qui nolit ſe turpi, & contemptibili ingratitudinis vitio commaculari: *Turpius gratiam non referri, quanto honeſtior cauſa referendi.* Similis eſt gratia monetæ, quæ quò ſæpius exponitur, eò cum majori ſemper fœnore redit. Et juxta M. Tullium, *non ſolùm gratus eſſe debet, qui accepit beneficium, verùm etiam, cui poteſtas accipiendi fuit.*

Memoria Beneficii recepti.

Lib. 8.

Pro Plancè.

Indignatio divina.

Indicavit rurſum infelix Prometheus ita ad Caucaſum religatus, cor ejus depaſcente aquilâ, verum apparatum indignationis divinæ, & oſtentationem ſuppliciorum, quæ reos & peccatores aliquando manent, juſtum præterea, & inexorabile Dei judicium, gravitatem inſuper pœnæ & calamitatis cœlitus immiſſæ, dum pro furto ſacri ignis Prometheus ita ſeverè punitus, & caſtigatus cernitur. In hanc figuram vel Chriſtiani ipſi aciem intendant, ex hac parabola ſibi correctionem pro peccatis deſumant, cogitantes, quia *durùm eſt incidere in manus Dei viventis:* & non ſemper verùm, quod *Dii laneos habeant pedes.* Quò enim plus moræ intercedit, antequam emiſſa ab arcu ſagitta decidat, eò impetu graviore ruit, & mortis æternæ aculeum infligit. Ita verè S. Joannes; *Gladius Dei exacutus eſt, & limatus.* Inſigne in concionibus argumentum, quod omnia hæc ſublunaria, quantumvis exigua, divinæ Juſtitiæ inſtrumenta evadant, prout illud eſt; *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum; quæ faciunt verbum ejus.*

Multas, diverſaſque ſimilitudines, verſiones, ſignificationes, & expreſſiones Mercurii imago nobis exhibet, tum propter qualitates, & proprietates varias illi ab antiquis attributas, tum quod Oratorum Anteſignanus fuerit, & Patronus. Hac de re apud Cattarum celebrem ſcriptorem plures paginæ refertæ, & non pauca dicta ſunt à nobis inter facinora Deorum, Hominumque illuſtria. Hic ut ordinem Hieroglyphicorum à Cœlio Auguſtino ſervatum, proſequar, pauca, juxta ejus mentem, breviter exponam, ubi primùm eorum, quæ maximè trita ſunt, & uſualia, aliqua adduxero. Per hunc igitur intelligebatur vis, & energia orationis; Virtus rerum interpretativa; Oratio callida, & diſerta. Idem primus literarum inventor habitus; Nuntius præterea, & Legatus Jovis; hinc pedibus illius alas, & caduceum manibus præbuerunt; quò majorem efficaciam, penetrandi, convincendi, & perſuadendi mortalium animos, ejus legationibus ineſſe commonſtrarent: ita de Deorum Oratore, Interprete, & Nuntio à Virgilio hæc tribuuntur:

Vis orationis.

Interpres Divûm cœlo demiſſus ab alto.

Mercurius cur alatus, & erectus.

Fingitur inſiſtens pedibus, eleganti formâ, ſtaturâ rectus, ad indicandum robur & vim orationis; alæ velocitatem denotat, quâ per aërem diſcurſus fertur: ideo & Homerus voces alatas nuncupavit. Hæc de famæ ſono illuſtris Alciatus.

- - - - Malum, quo non velocius ullum,
Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.

Senſus velox, & Intellectus agens.

Hæ alæ rurſus Hieroglyphicum ſunt velocitatis ſenſuum, & intellectûs agentis. Ita Ammianus Marcellinus de Julio Cæſare ſcribit, ſurrexiſſe eum de media nocte, quò preces ſuas & vota Mercurio offerret, ut ſibi vivacitatem, & claritatem mentis largiretur; intellexiſſe videlicet eum arcani loco à Philoſophis, hunc ſolum in mundo eſſe, qui ſenſibus velocitatem, & menti alacritatem conciliaret, quæ communiter intellectus agens appellantur. Gravitatem præterea orationis, & ſoliditatem indicat, ſupra baſem quadratam collocatus, ſine pedibus, ad ſignificandum robur & fundamentum orationis, tum quod diſcurſus non pedibus, non manibus egeat. Suidas ait, in figura quadrata elocutionis veritatem

Clari viri quibus ſtatuis honorati.

tatem deſignari, cui tanquam baſi innixa ſuſtentetur, & ſtabiliatur. Addit hâc formâ Alexandrum, ut reliqui artus deeſſent, exhiberi ſolitum. Talibus videlicet ſtatuis donabantur Clariſſimi Heroës, & Belli duces. Ita Thucydides refert, Plutarcho idem affirmante, Athenis ingentem numerum ſtatuarum Hermetis, ſeu Mercurii fuiſſe, quæ omnes unicâ nocte confractæ ſunt, poſtquam Athenienſes collecto exercitu bellum in Syracuſanos decreviſſent: inter quos Alcibiades è Ducibus Athenienſium, in quem invidia confractarum aliquot ſtatuarum devoluta eſt, gravibus malis de cœlo immiſſis mulctatus eſt, quod ſtatuarum Hermeticarum dejectione, quaſi ſigno dato illius Reipublicæ mutationem attentâſſet.

Mercatura.

Ab Oratione ad Mercaturam, ejusque lucrum, tranſitum facientes, invenimus & hujus Patronum & Anteſignanum deum illum fuiſſe. Manibus marſupium indiderunt, dum ad pedes illius alis inſtructos gallum collocârunt, quò indefeſſam vigilantiam, mercatori neceſſariam indicarent: Huic rei anſam præbuit, quod primus Oratorum eſſet; vehemens enim diſcurſus, & perſuaſiva oratio, multum ad negotiationem conferunt, imo anima & baſis omnium fere contractuum artificioſa locutio eſt. Lucro autem quàm immerguntur hominum mentes, vel ad damnationem! ſic enim jam olim Plutarchus: *Omnis homo lucri cupidus eſt.* Et Plinius junior: *Quid non facit, aut patitur mercator?* Impium hoc deſiderium habendi jam non civitates, ſed regiones integras infeſtat, atque corrumpit. Quin audimus ex Plutarcho Catonem ita diſſerentem: *Difficile ſalva erit civitas, in qua pluris, quam bos, venditur piſcis.* Occaſione hujus ad furta & latrocinia pelliciuntur hominum ingenia; quod ita Deiphilus exaggerat: *Niſi lucrum eſſet, nemo eſſet improbus.* Et Xenophon: *Lucrum juſtitiæ præferunt improbi.*

De cupiditate.

In Apophtheg.
Apud Volat.

Patronus furum.

Fertur & Mercurius furum ac furtorum Patronus; fuit certè hac in arte Magiſter & anteſignanus, quando Battum paſtorem, ne ab illo furti proderetur, in Petram convertit. De illo enim narratur, cum Apollo Admeti Regis armenta paſceret, eum boves quasdam, quæ longiùs proceſſerant, furto abactas in ſylva occultâſſe. Sub figura igitur Mercurii, technæ ſeu fallaciæ furum intelliguntur. Hæc Poëtarum inventa; qui ſub ſpecie fabularum, veracis & integerrimæ Philoſophiæ rationes mortalium oculis expoſuerunt. Ipſe autem & Fornuti propterea nomen adeptus eſt, Suidâ, aliiſque aſſerentibus. Et Horatius ad hanc mentem cecinit.

Callidum quidquid placuit jocoſo
Condere furto.
Te, boves olim niſi reddidiſſes
Per dolum amotos, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetrâ,
Riſit Apollo.

Item Prudentius.

Expertes furandi homines hâc imbuit arte
Mercurius Majâ genitus.

Habent igitur fures in hoc Numine Patronum fallacem, proditorem, infidelem, & malitioſum, qui, poſtquam illis ad furti executionem præſes & conductor fuit, mox eosdem deſerit, & Magiſtratui prodit, permittens eos miſerè è patibulo ſuſpendi. Igitur revera, ut ſentit M. Tullius, *Nihil eſt turpius ingenuo, nihil minus libero dignum, quàm in conventu maximo cogi à Magiſtratu furtum reddere.* Plinius major è contrario ait; *in furto deprehendi infelicis ingenii eſt.*

In 4. Action. in Verrem.

Velocitas præterea, motusque inconſtans Planetæ cognominis, nomen quoque indidit, dicamne Metallo, an compoſito metallico imperfecto, & Auri, Argentique excremento, dicto à Chymicis, Phyſicis, & Metallicis Argento vivo, ſeu Mercurio. Ad cujus volatiles fugacesque pedes figendos, motumque inhibendum ſemper luridi, fumo ſqualidi, atque laceri, deſudant, & jactantur miſeri, modo aquis fortibus, nunc ſalibus, aut herbis, per putrefactionem, ſublimationem, fermentationem, projectionem Mercurium ſuum torquendo; neque occæcati jam vident, antequam illius unciam unam fixerint, perdidiſſe ſe jam veri Argenti libras, & Auri ſemilibram: dumq; hunc in fallax quoddam amalgama redegerunt, credentes nunc demum ſe perfectam ejus fixationem obtinuiſſe, experiuntur miſeri, totum illum è manibus in auras & ignem abiiſſe & evolâſſe. Opportunè in hanc rem Commentator Teſtius:

Con Mantice indefeſſo
Chimico affumigato,
Trae d'aſſiduo Carbon faville ardenti,
Perche del fuoco eſpreſſo
L'umido ſpirto innato,
Fiſſino il piè fugace i vivi Argenti:
Mà non perciò repreſſo,
L'inquieto Mercurio il corſo ferma;
Che, per vincer Natura, ogn' Arte è inferma.

Mercurius à Græcis Hydrargyrum dicitur, & hoc ſigno ☿ exprimitur. Ita ſeptem Planetis ſeptem metalla Chymici inſcripſerunt: ut Soli Aurum, Lunæ Argentum, Plumbum Saturno, Jovi ſtannum, Veneri Cuprum, ferrumque Marti, quemadmodum teſtis eſt Plato in Timæo; & ſub hiſce nominibus de iiſdem ratiocinantur.

Idea item velocitatis & motûs in Mercurio exprimitur, dum alæ ipſi in pedibus ſimul, ac pileo affinguntur. Harum meminit Virgilius:

--- Et primùm pedibus Talaria nectit
Aurea: quæ ſublimem alis, ſive æquora ſupra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

Dicitur & per modum adagii, cum quempiam videmus metu fugere, hic alas in pedibus habet. Unde natum illud,

-- Pedibus timor addidit alas.

Similis fugæ celeritas adhibenda ab iis qui continentiam profitentur, & quotquot ſe jactant vitiis obviam ituros, virtutique ſe daturos: inde pariter reſultavit verſus ille vulgaris:

Che non ſi vince Amor, ſe non fuggendo.

Mirabile illud, & omnino ſapiens caducei inventum, quæ inſignia ſunt, & arma hujus Numinis, dum circa virgam terſam & lævem gemini angues flectuntur, ſeque mutuò ad ejus principium & finem connexi amplectuntur, pilei inſuper vertice alis inſtructo, inter Hieroglyphicas literas primum locum retulerunt, nempe *Poteſtas & Vis Fati.* Significat illud, præter applicationes à Pierio adductas, vim inevitabilem Fati, ſeu quendam quaſi flatum, quo mentes noſtræ non ſolum, ſed res omnes creatæ unanimiter moventur, & gubernantur; eſtque quaſi vinculum, quo nos Deo, ipſique inter nos ipſos colligati ſumus: Certa quædam neceſſitas eſt, qua res omnes

Fatum, & Dominium.

mutuò conſtrictæ percipiuntur. Videtur ea haud dubiè intellexiſſe Virgilius, cum ſuaviter non minus, quàm eleganter cecinit:

Tum virgam capit: hâc animas ille evocat orco
Pallenteis; alias ſub triſtia Tartara mittit:
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat:
Illâ fretus agit ventos, & turbida tractat
Nubila.

Hoc modo intima illa rerum inter ſe connexio deſcripta: cui hoc additum ſpeciale, ex Macrobii teſtimonio, quod ſerpentum illorum alter mas fuerit, alter fœmina, qui circa dimidium ſpirarum erant mutuo connexi per modum, qui Herculis dicebatur. Hanc rerum copulam (quo magis appoſitè loquamur) dicam non aliud eſſe, quàm communis Naturæ indiſſolubilem ſocietatem, ita ab Altiſſimo ordinatam, pro beneficio & auxilio univerſi. De hujus infinita providentia ita Spiritus Sanctus diſſeruit: *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.*

Pax.
Caduceatores.

Per unionem ſeu copulam hanc ſerpentium, non rerum ſolum unio intellecta; ſed inſuper vinculum concordiæ & pacis: idcirco qui pro hujus negotiatione mittebantur legati, *Caduceatores* appellati ſunt. Virgæ hujus effigies in variis numiſmatibus cernitur; & inter alia Marco Antonio Triumviro imperante editum Numiſma, in cujus uno latere mulier erat poſt velum lauro caput coronata: Verticem ambiebant hi Characteres: *III. Vir R. P. C.* ex altera parte duæ manus apparebant, ſimul Caduceum tenentes, cum tali inſcriptione; *M. Antonius. C. Cæſar.* quæ haud dubiè inſeparabilem Antonii cum Cæſare concordiam indicabant. Tanta profectò emolumenta & bona ex pace & concordia animorum proveniunt, ut non aliâ, niſi Mercurii ipſius, ſeu perfectiſſimi Oratoris linguâ deſcribi ſufficienter poſſint. De his plena ſunt Panegyricorum paſſim, & Oratorum volumina, quos inter Clariſſimus Vir Theſaurus æterno applauſu mihi digniſſimus videtur. Ego ne quid ab inſtituto deflectam, eò prudentem & diſcretum Lectorem relegatum volo.

His ſuccedit oculatum Numen Argus, inſcriptionem Hieroglyphicam is habet; *Mundi machina.* De hoc inter alios ſonorè Ovidius:

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,
Inque ſuis vicibus capiebant bina quietem,
Cætera ſervabant, atque in ſtatione manebant.

Et Statius:

Spectat in aſſiduis ſtellatum viſibus Argum.

Mundus univerſus.

Aſſumitur igitur pro ſymbolo univerſæ hujus mundi machinæ; cujus caput cœlum, oculi ſtellas repræſentant, quæ inferiora noſtra quaſi cuſtodiunt, & blando calore fovent. Theologi veteres, nec minus Philoſophi, quos inter prolixè Oſvvaldus Crollius, Mundum hunc magno cuidam animali comparârunt, quæ ſimilitudo proinde locum Argi fabulæ fecit. Moveri enim terram, præter jam dictos, author eſt Mercurius Triſmegiſtus; & quamvis vario ac multiplici motu agitetur, habito tamen ad alia elementa reſpectu, tam tardum eſſe motu, ut planè immobilis videatur: quod hujuſmodi argumento probare nititur. Non eſt veroſimile (inquit) ut, quæ cæteris alimenta ſubminiſtrat, concipit, nutrit, fovetque res omnes calore innato, ipſa motu careat, dum fieri nequit, calorem & virtutem generativam extra motum ſubſiſtere. Ut igitur per oculos ſtellæ intelliguntur; ita herbæ, plantæ, & arbores, capillorum; Lapides, & metalla oſſium vices tenent. Nihil adeo mirum eſt, ſi Argi ſymbolo, univerſitatem hanc Sapientia Ægyptiorum comprehendi voluit. Et Mundum animatum eſſe, nos quoque in Prooemio voluminis hujus ex obliquo tractavimus, nec minus in primo volumine, ubi de oculo egimus, de Argi mythologia prolixam parænesin inſtituimus.

Cur Animatus?

In Pimandro.

ENDYMION.

ARgo Cœlius Auguſtinus Endymionem ſuccenturiavit, Dianæ ſeu Lunæ amaſium, per cujus omnes ſignificationes ſi evagari vellemus, ſpeciale opus, ſeu volumen, requireretur. Inter alios proinde ad doctiſſimum Cattarum te remittimus, qui omnia ea, quæ dici in hanc materiam poſſunt, complectitur. Nos verò, ne quid à propoſito tramite recedamus, cum citato Authore mortem hominis juſti, in hoc ſymbolo ſpeculamur. Hi ſunt, qui ſuperatis pravis tentationibus, & malignis ſuggeſtionibus, poſt Deum anhelantes, cum illo conjungi deſiderant, quod dum in hac vitâ fieri nequit, relictâ illâ ad cœlos commigrant, morte corporis conſopiti non aliter, quàm qui profundiſſimo ſomno tenentur, veluti de Endymione fert fabula, qui in receſſibus Latmi montis dormiebat. Hujuſmodi fuit S. Paulus Apoſtolus, qui ardentibus ſuſpiriis exclamabat: *Cupido diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Similis enthuſiaſmus ſacram animam tenuit, dum languens ait; *Anima mea liquefacta eſt, donec dilectus locutus eſt mihi:* eademque ardentius aliquantò locuta de oſculis, inquit; *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Huc volatum ſuum dirigebat coronatus Pſaltes, cum ait: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Re enim verà, *mors ſomnus juſtorum, requies ſervorum Dei,* ut exprimit Sanctus Chryſoſtomus. Rurſum S. Ignatius Loyola; *Quàm ſordet mihi tellus, cum cœlum aſpicio!*

Mors juſti.

In ſenſu mythologico, per oſcula, quibus Luna Endymionem deperibat, intelligitur vis, & propenſio quædam naturalis ſtellarum in ſubjecta corpora, & Lunæ potiſſimum in corpora hæc inferiora influxus, quæ lumen ſuum aliunde mutuatum, cum ſit nobis maximè vicina inter omnes Planetas, noſtro orbi denuo communicat: & quod noctu potiſſimum luceret, interdiu in ſylvis latere credita, tela & arcum Venationis gratiâ accepit, cæteroqui Regina intelligentiarum, & cœleſtium proportionum appellata. Animam quoque juſti Hieroglyphico ſenſu exprimit Endymion, cujus amore adducti Angeli, ac Intelligentiæ cœleſtes, quorum amplexibus atque oſculis ut fruatur anima, ad excelſum montem divinæ contemplationis ſe confert, ibique à ſomno mortis blandè conſopita, à terrenis ſordibus, & vanitatibus liberatur. Quæ cum evenerint, tunc demum perennes gratiæ dicantur Altiſſimo: neque interea recuſandum, in mortali hoc carcere tamdiu perſiſtere, quamdiu Divinæ Majeſtati id æquum, bonumque viſum fuerit.

De cœlo nunc in terram progredimur, & relicto monte Latmo urbem Romam accedimus: in cujus Lateranenſi palatio poſitum olim Pacificatoris ſimulacrum, deſcribitur à Quintiliano his verbis: *Fuit & ille habitus, qui in ſtatuis Pacificator*

Pacificator & pax.

ficator eſſe ſolet, qui inclinato in humerum dextrum capite, brachioque ab aure protenſo, manum infeſto pollice protendit. Vir erat canus, & promiſſâ barbâ; ut declararent, tractationes pacis ſuſcipiendas non à Juvenibus, ſed ab iis, quos matura ætas rerum diverſarum experientiâ, ac Sapientiâ providiſſet. Symbolum hoc inter alia nobiliſſimum eſt, & quod plurimum ferè applauſûs mereatur. Neque enim in terris alius præterea theſaurus eſt, qui bona ex pace emergentia poſſit adæquare. *Qui pacem dedit, uno verbo omnia dedit*; verba ſunt S. Auguſtini. Hæc eſt ædium fundamentum, hæc regnorum ſtabilimentum, hæc mater fœcunditatis & abundantiæ, hæc vitæ columen, & larga bonorum omnium diſpenſatrix. Plura deſiderantem remittimus ad eos, qui majore facundiâ in hoc ſubjecto verſati ſunt.

Favores & odia.

Pacem proximè contingunt favores, & gratiæ; velut hoſtilis animi indicia ſunt odia & moroſitates. Illorum ideam depinxit Politianus in Miſcellaneis: Hominem videlicet, qui manus, digitosque conjunctos habet, prout è contrario odia, & diſſenſiones in digitis ſeparatis, ac retro averſis figurantur. Prius ab Horatio exprimitur:

Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te,
Fautor utrumq; tuum laudabit pollice ludum.

Alterum à Juvenali indicatur.

- - - Et verſo pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

Plinius libro viceſimo octavo Hiſtoriæ naturalis, ſimiliter hortatur, digitos conſtringendos & in ſe convertendos, cum in rem quampiam aſſentimus. Prudentius quoque Poëta ſic habet:

Et quoties victor ferrum jugulo inſerit, illa
Delicias ait eſſe ſuas, pectusque jacentis,
Virgo modeſta jubet, converſo pollice, rumpi.

Plures aliæ favoris, atque odii imagines viſuntur in Iconologia Cæſaris Ripæ, quas brevitatis gratiâ hîc omitto. Ex paulò ante memoratis colligitur, per retro averſum pollicem odia, & diſſenſiones; per ejus converſionem, & compreſſionem, gratiam & aſſenſum indicari.

Honor, veritas, & amor omnia conſervant.

Quò præſcriptæ methodo inhæreamus, libet hîc aliqua in memoriam revocari, de quibus in ſuperioribus jam egimus. Antiquiſſimum id Phidiæ marmor, in quo primùm erat ſculptura hominis maturæ quidem ætatis, ſed imberbis, cui nomen *Honori* impoſitum, eratque in latere, haud dubiè, dextro collocatus: ex ſiniſtro autem latere virgo juvencula apparebat, olivâ caput coronata; qui ambo dexteras inter ſe jungebant, additumque illi nomen *veritas*, ſpatio intermedio puellus aſtabat, cujus capiti inſcriptum *Amor*. Hæ ſecundùm Cœlium tres ſunt Divinitates, quibus Fides innititur, eamque illæ intactam, & inviolatam cuſtodiunt. Studium videlicet continuum Honoris, veritas in promiſſis, & affectuum conſenſus, ſeu amor reciprocus, hæc in omni opere, ſtatu, & conditione conſervari decet. Sublato enim amore, etiam fides ab Honore recta, & ex veritate progenita ocius emoritur, ac in nihilum diffluit. Mihi verò in docta hac imagine, elegantiſſimè videtur myſterium Sacroſanctæ

Trinitas.

Trinitatis detectum: quandoquidem ſub figura Honoris, perſona Æterni Patris opportunè intelligitur; de hoc enim dictum eſt; *Soli Deo honor & gloria:* Veritatis nomen verbo increato apprimè convenit, cum ex ipſius ore audivimus; *Ego ſum veritas:* & per Amorem Spiritus Sanctus figuratur, ut qui à Patre & Filio procedens, utrumque perfecta amicitiâ & unione connectit, verè ſacra flamma à duplici ſpiritu emiſſa & accenſa: quâ tandem illi fide, quàm inviolabili & æternâ dexteras jungunt? Amore hoc quantum uniuntur, copulantur, & in perpetuum ſtabiliuntur? Et hi quidem in uno ſolo marmore, ſcilicet unâ indiviſibili eſſentiâ, nec ulli alterationi ſubjectâ. Plena de his Theologorum folia, non ſpeculativorum modò, ſed & Moralium.

A ſoliditate marmoris ad volubilitatem ſomniorum, velut ab extremo ad extremum, ſentio me devolutum, dum veſtigiis Authoris mei inſiſto: cujus adeo firma & ſtabilia ſunt dogmata, ex ſomniis deducta, quantùm ipſa in ſe volubilitatis, levitatis, & aëreæ inconſtantiæ, ſeu phantaſmatis in ſe continent inſomnia. Pinguntur illa ſub imagine hominis, cujus languida, ac reſoluta facies eſt, veſte forinſecùs albâ, intrinſecùs nigrâ (quibus coloribus dies & nox indicantur) manibus cornu tractans. Figura hæc inter alias à Philoſtrato deſcripta eſt, cujus inventa à nullo Authorum hactenus non celebrata, ob inſignem in iis ſignificationum elegantiam. Inſomnia bona, quæque aliquid veracitatis præ ſe ferrent per cornu nigrum, quæ fallacia eſſent & mala per cornu eburneum prodire fingebantur. De ſomniis appoſitè Virgilius:

Sunt geminæ ſomni portæ, quarum altera fertur
Cornea, quâ veris facilis datur exitus Umbris;
Altera candenti perfecta nitens Elephanto,
Hac falſa ad cœlum manes Inſomnia mittunt.

Ita ait Macrobius ex Porphyrii authoritate, veritatem fereſemper abſconditam in ſomniis eſſe. Anima enim dum ab officiis corporis quodammodo libera, objectum aliquod attentiùs ſubinde miratur, & contemplatur, illius ſpecies ſibi, quantum poteſt, firmiter quidem imprimit, nec tamen illas poſthac jam perfectè aſſequitur, dum libero lumine in illas agere nequit, ſed interpoſito quodam quaſi velo, à ſpiſſamento naturæ caliginoſæ & opacæ in actione ſuâ confunditur, & perturbatur. De caligine hac eleganter Virgilius:

Aſpice namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat viſus tibi, & humida circùm
Caligat, nubem eripiam.

Hoc igitur velamen in cornu nigro exprimitur, illaque opacitas ad uſque pupillam oculi pertingit. Oculus enim, quamvis viſûs ſit inſtrumentum, ejus tamen corpus à Natura ita opacum eſt, atque denſum, ut pupilla objectum ſuum nequeat adæquatè diſcernere. Hucuſque Macrobius. Aliam adducit rationem Servius, dum ait: per portam corneam oculos intelligi, qui tunicam admittunt, quæ cornea dicitur, tum ratione coloris, tum quod per modum aliorum quoque cornuum, frigus non ſentiant: & hæc ex mente Ciceronis, libro de natura Deorum. Cæterùm in porta eburnea os hominis ſignificatur, & hoc dentium partim reſpectu, partim quod ex omnibus, quæ à nobis dicuntur, pleraque falſa, quæ autem videntur oculis, ut plurimum vera ſint. Sive (ut pergit idem Author) per corneam portam inſomnia tranſeunt, & vera nobis exhibere poſſunt, ſi ea ſomniantur, quæ ſtatum, & conditionem noſtram non excedunt; (prout teſtantur ii, qui hac de materia ſcripſerunt) ſive talia ſomniantur; quæ fortunam noſtram longè ſupergrediuntur, & hæc indubiè pro falſis computanda, dicunturque per eburneam portam prodiiſſe, hoc eſt, inſigniori mendaciorum apparatu, aut faſtu exornata. Et hæc dicta ſufficiant de materia tam fugaci, ac levi; nunc ad argumenta altioris meriti gradum promoveamus. Ea ſunt

Quid per oculos ſignificetur?

HONOR, ET VIRTUS.

INter multas à Cæſare Ripa recenſitas imagines, binas Heroicas obſervat laudatus Author in Numiſmatibus Vitellii Imperatoris, ubi virtutis ſymbolum hoc modo expreſſum reperit. Juvenis erat, caput galeâ tectus, in cujus criſta pennæ aliquot apparebant, ſiniſtrâ haſtam, & dexterâ ſceptrum regens, cothurnatis pedibus, & pede dextro teſtudinem calcans, oppoſitum ſibi habens honorem muliebri formâ. Caput galeâ tectum virtus gerit, ut ſciamus, homini ſolerti, & virtuoſo neceſſariam fortitudinem eſſe, quâ ſe contra aſſaltus adverſæ fortunæ tueri valeat, ad eundem uſum haſtâ inſerviente. Per criſtam, ſeu pennas, acumen ingenii denotatur, quo ſe de infima plebe ad altiorem gradum virtus extollit. Per ſceptrum, domandi vitia, & paſſiones malas refrænandi facultas intelligitur. In cothurnis ſignificatio duplex eſt: prima, quod ſectatores virtutis nullo non tempore exercitari debeant, in Athenæis, & Palæſtris, aliiſque locis, ubi virtus excolitur; altera, cum pedes ſymbolum debilitatis habeantur, & inter mundi hujus ſcopulos crebra ſint offendicula, decuit eos non inermes eſſe; quamque inter tot pericula neceſſaria ſit circumſpectio, & provida ambulatio, per teſtudinem figuratur, ad cujus exemplum greſſus noſtros cautè inſtituentes, præcipitia, & pericula peccandi evitemus, & quò alacrius hæc exequamur, oppoſitam ſemper oculis Honoris imaginem habeamus.

Depingitur autem formâ muliebri Honor, cum mulieri potiſſimum incumbat, curam honoris ſui gerere. Seminuda apparet, ut contemptum indicet divitiarum, aliorumque bonorum terreſtrium, quæ nunquam non virtuti poſtponi decet. Altero brachiorum Cornucopiæ complectitur, & pede galeam premit, ut doceat, veros honores, bonaque omnia, nonniſi per virtutem obtineri, & in Honore poſitis, mediante ſolùm virtute, venerationem decerni. In hoc feraciſſimo campo poterit juxta beneplacitum ſuum immorari lector, dum ego me converto ad contemplandum, quid ſit

GENERATIO, ET VIRTUS SEMINALIS.

FAcultatem generatricem, eam potiſſimum quæ terræ indita eſt, docta Antiquitas depinxit ſub forma mulieris, germina quædam exhibentis, eamque Deam Bonam, Perſephonem, ſeu Proſerpinam appellârunt; inſinuantes, non prius germinare ſemen, quàm in terræ gremio id receptum, ſeu reconditum fuerit. Porphyrius germinum loco, ſpicas Deæ manibus indit. Dicta fuit Bona, quod omnia nobis bona ex terra proveniant: item Fauna, quia fautrix mortalium, eos benignitate ſuâ ditet. Plutarchus refert, non fortuitò dictam Bonam, fuiſſe enim verè mulierem caſtiſſimam, quæ alterius viri, extra maritum ſuum, vel nomen aſpernaretur, neque unquam limites ædium ſuarum egredi viſam. Hac de cauſa, poſtquam illi à Romanis templum fuit erectum, nemini virorum in hoc aditum patuiſſe, neque ejus ſacris, aut cæremoniis interfuiſſe, ſed cum in ædibus, Conſulis cujuſdam, aut Prætoris, aut Pontificis maximi fierent, omnes viros domo exceſſiſſe, & ſolas fœminas congregari ſolitas, quæ rhythmis, & canticis noctem feſtivitatis illius tranſigebant. Hanc idcircò Medeam aliqui crediderunt, quod odio Jaſonis erga ſe tam ingrati, viros à conſpectu ſuo arceret. In hoc templo herbæ omnis generis plantari ſolitæ, quas ii, quibus id curæ fuit, pro Medicina inter ægros diſtribuebant. Alioqui in fabulis eſt, Bonam hanc Deam Fauni filiam fuiſſe, ejus manibus ſceptrum inditum, quod illam Junoni æqualem antiqui crederent. De his hactenus.

Dea Bona cur ſic dicta?

Templum, & cæremoniæ Deæ Bonæ.

Elementa.

Mirabilis & curioſa fuit Antiquorum inventio, eodem præfato Authore referente, quâ miſtionem & unionem, ſeu connexionem elementorum inter ſe, arguere volebant. Junonis imaginem exhibebant, propendentem extra nubes, & quaſi è catena ſuſpenſam, cujus ſuperior annulus, manu intra nubes protenſâ prehendebatur. Aureum illi diadema in capite, brachia verſus campos extenſa, pedibus ſaxû ingens appenſum, pedum altero ſurſum retracto, & incurvo, ab ejus dextro latere turritæ urbes, à ſiniſtro montes aliquot apparebant. Homeri commentum eſt. His ſignis per Junonem quidem ipſam, aërem, per catenam verò ignem denotantes, qui res humidas ſecum ipſe conſtringit, atque conjungit. Pedum alter, cui pondus appenſum, item ſurſum retractus, Terram ſignificabant, & aquam; quæ conjuncta invicem, & unita, à ſummo rerum moderatore, Jove ipſis dicto, gubernantur; erantque veluti ex cœlo propendentia, quod ipſum ad Jovis quoque nutum, & arbitrium regatur. Imago ſymbolis admodum idonea, niſi in eo aciem offendat, quod coronata ſit, ineptiſſimum enim, Regem videre in vinculis, ineptius Regem videre ſuſpenſum.

Tempora, eorum mutationes.

Juno rurſus, circumdata nubibus adeò, ut vixdum perſpiceretur, Hieroglyphicum fuit mutationis temporum, neque hoc ſolum, ſed præterea indicabat, res quantumvis occultas, tandem revelari; quandoquidem aëris ſymbolum erat Juno; id volebant res oblivione temporum prope abolitas, & ignorantiæ nubibus obtectas, in lucem aliquando tandem emergere. Brevitatis inſuper, & inconſtantiæ temporis Idea fuit. De his omnibus ſiquidem divitim tractare ſtatuiſſem, opus juſtò prolixius emerſurum fuiſſet: hoc ſolum obiter attingamus, ne quis ſeipſum decipiat ſperando, fore, ut actio quæcunque mala celari poſſit, jam ipſa temporis longitudo, ruinæ ædificiorum, hominum interitus, nihilò minùs, quàm alia vulgò contingentia, juſtò & inevitabili Numinis decreto, ad eorum revelationem, ſeu propalationem faciunt. Omnia hæc ex Redemptoris noſtri ipſius ore noſcuntur: *Nihil occultum, quod non reveletur, & opertum, quod non ſciatur.* Eruditi Socratis hoc quoque adagium: *Faciliùs in lingua carbo ignitus contineri poterit, quàm ſecretus ſermo.* Et ex Sanctis, Gregorius; *per hoc*, inquit, *quod foris agitur, quidquid intus latet, aperitur.* Unde majorem ſemper applauſum promerentur opera lucis, quàm tenebrarum.

Res occultæ revelatæ.

Brevitas temporis.

Apud Stobæ.

Ex Eborens.

Spes vana.

In vultu hujus Deæ è nubibus conflato, rerum fallacium ſpes vana intelligitur. Hinc prudenter Poëtarum nonnemo, Junonem ex nubibus undique coacervatam, ut difficulter teneri, ita facilè diſſipari; adque illius normam, ſpem fallacem ſeu vanam, quâ mens humana deluditur, abire in fumos, nec ſecus, quàm ventum aut turbinem, è manibus evolando, expectationem noſtram deſerere. Diſcimus exemplo hoc ab impoſtoribus cavere, qui fallacibus blanditiis promiſſa ſua ſtipantes, id agunt, quo manus nobis inani vento repleant.

Corpus phantaſticum & aëreum Ixioni objectum.

Parabola hæc originem traxit à fabula, quam Poëtæ commenti ſunt, ſolicitatam videlicet ab Ixione Junonem de adulterio, rem Jovi aperuiſſe, qui nubem illi ſub Junonis effigie oppoſuerit, quæ illum vana ſpecie deluderet. Ita ſemper veritatis aliquid fabulis intermixtum eſt, & quamvis non ſint niſi Poëtarum figmenta, utilitate tamen non carent, quin adeo ubertate moralis ſignificationis tyronibus proſunt: id quod exemplis paulo infra fuſiùs declarabitur.

Mulier tauro inſidens, & ab eo in altum mare devecta, facie retro converſâ, & deſerta litora anxiè procul reſpiciens, Europam Agenoris Phœnicum Regis filiam indicat, quam Jupiter (ut Poëtæ fabulantur) in bovem transformatus ex patrio litore raptam, in longinquam regionem abduxit. Hæc, juxta mentem citati Authoris, inter priſcos ſapientes ſymbolum fuit animæ humanæ in corpore verſantis, corpus Tauri nomine æſtimat, quod animam, velut is Europam, per mundi hujus turbidum pelagus deducat, ea verò terram illam promiſſionis, unde ortum duxerit, non extra conſpectum dimittat, Deumque factorem, & creatorem ſuum indeſinenter reſpiciat.

Circulus Mentis.
Conſiderationes divinorum & humanorum.

Et hic eſt circulus animæ Platonicus, & Rationis motus, quando mens à divinis ad humana, & ab humanis rurſum ad divina, tanquam primum ſuum principium & ſcaturiginem continuo quaſi motu fertur, & in ſemetipſam revertitur.

Hanc Europam à Jove ſub elegantis juvenci forma raptam, & per mare in Cretam Inſulam abductam Poëtæ fabulantur. De hac qui plus explicationum, & lucis, deſiderat, non deviabit, ubi ad Deorum Genealogiam Joannis Boccatii, & ſenſatam Mythologiam Natalis Conti iter flexerit.

Nobilis Marinus.

Multum elegantiæ, & decoris tauro huic, & Europæ addidit Illuſtris Marinus in celebri ſuo Idyllio, ubi tanquam vivis & genuinis coloribus, dictum illud ſapientum verificat; *Poëſis eſt pictura loquens*; ita ad vivum, fugas, lacrymationes, aliosque animi affectus oculis ſubjicit: verè ſplendor, & gloria Italici Metri.

Et quandoquidem vero fabulatores variis figmentis Hieroglyphicas expreſſiones indiderunt, ego nequaquam à præſcripta methodo recedendo, reperio Mutationes rerum per commentum verè rancidum, & obſoletum expreſſas, quod, cum mihi pro gradu ſerviat ad myſtica, prætereundum non fuit.

Mutationes rerum.

Ad hunc igitur modum viciſſitudines & mutationes rerum explicatæ. Virgo nuda conſiſtebat, quæ dextrâ arcum, ſiniſtrâ pharetram cum ſagittis exhibebat, huic Celenius deus, ſeu Mercurius, quaſi veſtem porrecturus aſtabat. Pictura hæc originem traxit ab eo, quod Poëtæ fabulati ſunt; Jovem, cum Dianam abſque omni ornamento, ſeu integumento degentem vidiſſet, parum id conveniens ſtatui ejus virginali ratum, imperâſſe filio Majæ, ut ei veſtem concinnaret: quod cum ille effeciſſet, ſenſit, non ſatis ei futurum de una veſte, ſed quod indies ſeu creſceret, ſeu decreſceret, plures ejus ſtaturæ adaptandas, neque in una menſura permaneri poſſe.

Servire occaſioni.

Hoc ſymbolo variationes temporum indicatæ, cui inconſtantiæ viriliter obviantes, partem magnam prudentiæ humanæ adhibeamus, diſcamusque ſapientiores, & cautiores per hæc fieri.

Apud Laertium.

Epicurus noſter dicere ſolitus eſt: *Nullum tempus intempeſtivum eſt ad animæ ſanitatem.* Item Demoſthenes: *Aliis temporibus alia conveniunt.*

Ad Quintum fratrem.

Tum & Marcus Tullius: *Prudentis eſt viri, tempori parcere, id eſt, opportunitati locum expectare.* De ſenſu Mythologico Dianæ, ſeu Virginis hujus, per quam & Luna intelligitur, paſſim refertæ ſunt paginæ Cartari, Joannis Boccatii, Natalis Conti, & tot aliorum præterea, ad quos ſtudioſum Lectorem remittimus.

A Danaës fabula, quam à Jove in aurei imbris effigiem converſo imprægnatam ferunt, Author Hieroglyphicorum Cœlius hujuſmodi ſignificationem deduxit, addito convenienti Lemmate: *Animi pulchritudo, & cœleſtium bonorum affluentia.*

Animi compoſitio quantum valeat!

Vult nimirum Danaën ſymbolum eſſe animi bene compoſiti, qui pulchritudine ſuâ cœleſte Numen alliciat, ad communicandam ſibi ubertatem & affluentiam cœleſtium bonorum, quæ aureo imbre ſignificantur.

In Helen.

Fuit Euripidis hoc monitum, cum ait: *Mens optima vates eſt, & bonum conſilium.*

Tabul. Celet. Diſcurſ. 1.

Porro neceſſarium eſt mentem hanc, ſeu animam, ad operationem ſeu exercitium deducere, ut ait Maſcardus; alioqui fruſtranea eſt omnis Potentia, quæ ad Actum non deducitur. Oportet igitur primum diſcere, deinde quæ didicimus, ea in animo firmare per operationem. Talis fere eſt ſenſus Mythologicus de Achylle, qui multis annis ſub Centauri inſtitutione educatus, ea quæ ibi didicerat, ad Ilii mœnia in actum deducere allaboravit. Quid Phidiæ prodeſſet ars, ſi manus in ſinu reconditas haberet, neque illas ad elaborandum ebur, vel aurum exereret?

Exercitium quàm utile ſit Reipublicæ.

Omnes Reipublicæ, aut Patriæ commodo nati ſumus. Difficile mihi eſt hîc manum abſtinere, neque ultra evagari in tam utili materia. De laudibus exercitationum legantur præter citatum Authorem, ex modernis primus diſcurſus Academiæ Comitis Berny, ex antiquis Plutarchus, *de audiendis Poëtis*, & alibi in opuſculis ejus admirandis.

Quantumvis monſtroſum, ac deforme Paſiphaës factum appareat, ex illo nihilominus complures doctrinæ multâ moralitate prægnantes eruuntur. Et quamvis non ignota ſit fabula, opportunum tamen videtur ejus narrationem hîc loci primùm retexere, quò deinde ad ſenſus morales exponendos commodior deſcenſus fiat. Dicta fuit igitur Paſiphaë filia ſolis, & uxor Minois Regis Cretæ, quam ferunt Tauri amore captam, & ex illius inceſto congreſſu Minotaurum peperiſſe, eique Monſtro fabricatum poſtea à Dædalo labyrinthum in Creta, alibi jam dictum. In mirabili hoc compoſito Animæ ideam docti agnoverunt, quæ vinculo æthereo corpori ſociata, quod vinculum ſeu catena idem eſt cum ſpiritu aſtrali, qui ſphæræ ipſius ſuperiora cum inferioribus tenaciter connectit, à Platone, ejusque aſſeclis non obſcurè notatus, ſive Archæus cœleſtis eſt, cum terreſtri illo compoſito colligatus. Hæc vera Manlii eſt ſignificatio, dum ait:

In cœlumque redire animas, cœloque venire.

Præterquam, quod ea toties ab Ovidio dicuntur, confirmantur & hoc ejuſdem verſu.

Exemplumque Dei, quiſque eſt in imagine parva.

Vehiculum æthereum ducens ad cœlum animas.

Hic eſt ignis ille cœleſtis, ac vehiculum æthereum, quod Animam ad cœlum, unde prius originem ſumpſerat, reducit. Hoc illud eſt, quo corpus ad operandum movetur, quod ipſum quoties à recta operatione deflectit, toties neceſſariò pars rationalis ſenſitivæ hominis parti ſuccumbit. De ſpiritu porro æthereo ita Pſaltes regius: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos flammam urentem.*

Medium, quo Anima corpori jungitur, de utriusque natura participat.

Perpulchram hîc eruditionem ſuggerunt Platonici, dum negant ignem hunc ob ſummam eſſentiæ ſuæ ſubtilitatem parti terrenæ inſeri aliter poſſe, quàm per vehiculum quoddam ſeu medium, quod de utriuſque natura quodammodo participet, illudque produci juxta mentem horum Philoſophorum, eorumque puram imaginationem, dum Anima orbi æthereo inambulans, paulatim deſcendendo ad carnis mortalis habitationem, facto per elementa intermedia tranſitu, ex illis ſibi veſtem, ſeu qualitatem nonnihil denſam aſſumit, eoque poſtea medio cum corporea hac mole conjungi, & quaſi conſtringi ac in illud ferri ſummo quodam deſiderio, quo corpus appetitur ab omni anima. In toto igitur hoc compoſito, per Taurum corpus, per vaccam ligneam vinculum æthereum, per Paſiphaën Anima intelligitur, è quorum copula Minotaurus naſcitur, id eſt, corpus aliquod mixtum, ex corpore ſimul, & anima compoſitum.

Miſeriarum effigies.

Eo quod Pandora vas miſeriarum omnium humanarum acceperit, idcirco ut ſignificarent adverſam fortunam, natalium obſcuritatem, infelicitatem, paupertatem, miſeriam, infamiam, deſperationem, & omnes denique calamitates, quæ ſub imaginationem cadunt, fingebant mulierem, vas apertum, ſeu pyxidem manibus tenentem, Pandoram ſcilicet, cui ea pyxis tradita fuerit ad virum Epimetheum perferenda, hoc mandato, ne quæ in vaſe illo concluſa eſſent, aſpiceret; illam curioſitate motam vaſculum aperuiſſe, & ſubito virtutes omnes, quæ una concluſæ fuerant, è manibus avolaſſe, ſuperfuiſſe autem, & in fundo tanquam graviora reſediſſe mala & infortunia.

Curioſitas quàm nociva.

Ita verum eſt magnorum ſæpe malorum cauſam curioſitatem eſſe: bene itaque monet divinus Plato, cum ait: *Evitanda eſt curioſitas verborum.*

De regno.

Et Plutarchus: *Omni,* inquit, *fide caret homo curioſus, quamobrem famulis, & hoſpitibus citius credimus Epiſtolas, ac ſigilla, quàm amicis, & familiaribus curioſis.*

De curioſitate.

Et Euripides: *Curioſum eſſe, pernitioſum eſt vitæ.* Ita Comes Fulvius Teſtius in Ode dedicata Marchioni Herculi Cocapani, feſtivo carmine loquentem de infelici Pandora Hippolytum introducit:

Poſciache alla rotante Empirea Sfera
Lo ſpiritoſo ardor Prometeo tolſe,
In gemmato Vaſel Pandora accolſe
De l'angoſcie, e de' guai tutta la Schiera.
Quinci ben toſto uſcir l'anela febre;
La ſervitù, l'affanno, e la ſtanchezza;
La nuda povertà, l'egra Vecchiezza;
E il veſtito di brun, lutto funebre.

Eurydice.

Nihilo minoris, quàm prænarrata, moralitatis atque eruditionis ferax eſt infelicis Eurydices lugubris caſus. Illa cùm tantiſper à dilectiſſimo conjuge Orpheo, per avia ſeceſſiſſet, in colubrum incidit in herba deliteſcentem, è cujus lethali morſu nefarium venenum hauriens, illoque per venarum canales vitioſâ ſuâ indole ad cor uſque permeante, miſerè interiit. Factum hoc inter alia, ſtupendâ prorſus elegantia in glorioſiſſimis ſuis Idyliis deſcribit Nobilis Marinus, qui in Poëmate Epico Italici idiomatis, omnibus aliis non difficulter palmam præripit. Ex hoc caſu proinde haud dubiè Ethici deducunt appetitum ſenſitivum, qui corruptioni obnoxius, facilè à perverſis affectibus, ſeu paſſionibus depravatur: & hic eſt morſus ille venenatus (inquiunt) quo Eurydice in pede icta interiit. Qui per pedes affectus neſcit intelligi, audiat S. Auguſtinum diſſerentem; *Pes tuus affectus tuus.*

Pes ſymbolum affectûs.

Pes igitur ſiniſtrâ paſſione, ſeu affectu pravo vulneratus, graviter totum hominem affligit, & non raró ad ſempiternam internecionem, & damnationem gehennæ ſic vulneratum perducit.

Appetitus ſenſitivus depravatus.

Idcirco, ut ab hujuſmodi vulnere immunes Apoſtolos ſuos demonſtraret mundi Salvator, voluit, priusquam ſe morti traderet, pedum inter illos lotionem inſtituere, & Petrum quidem, actû immenſi amoris recuſantem, acriter increpavit, dicendo: *Niſi lavero te, non habebis partem mecum.* Iſte eſt ſerpens, quem æterna Sapientia comminatur, poſituram ſe inimicitias inter ſerpentem, & mulierem, ipſum verò calcaneo mulieris inſidiaturum.

Si pro confirmatione veritatis hujus ad Mythologicos recurrere quiſquam velit, inveniet ibi fortiſſimum Achillem ſtygiis aquis infantem adhuc immerſum, & toto alioqui corpore fortiſſimum, ac invulnerabilem futurum, niſi pedes illius aquâ ſtygiâ maduiſſent, qui proinde ſoli vulnerabiles & infirmi evaſerunt; hoc exemplo indicantes, invictum futurum Achillem fuiſſe, niſi proprio affectu victus ſuccubuiſſet. Neque multùm ab hoc ſenſu diſcrepat, quod de Jaſone refertur, cum ad aurei velleris occupationem aſpiraret. Perdiderat ille (ut fabula meminit) alterum cothurnorum in eo flumine, cujus hæc erat proprietas, ut nullo unquam ſiniſtro vento agitaretur. Cujus iſte ſenſus eſt, eum qui in via ſit ad virtutis occupationem, exui quandoque bono habitu, & affectu regulato ſubinde ſpoliari. Ad hanc normam dum Virgilius Reginam Didonem deſcribit, ab affectu, ſeu paſſione depravata ad mortem voluntariam perductam, quid aliud indicat, quàm amiſſum ab illa cothurnum fuiſſe? Sunt hæc ejus verba:

Ipſa molâ, manibusque piis altaria juxta,
Unum exuta pedem vinclis, in veſte recinctâ
Teſtatur moritura Deos, & conſcia fati
Sidera.

Sedulò igitur pedes obſervandi, ne à pravis affectibus pervertantur.

Cybele, ſive Terra.

Ab Eurydices morte, ad vitam Deæ Cybeles convertitur Author noſter, cujus capiti coronam turritam imponit.

Agricultura.

Per turrigeræ hujus Deæ ſimulacrum Terram intelligit, & per civitates, quas à tergo habebat, Agriculturam, quæ ad terram ſubigendam requiritur, ſive quod inculta ſterilis, & laborata ſolummodo fertilis evadat; hoc addito lemmate: *Ubi enim hominum frequentia, ibi artes, & induſtria valent.* Currum, cui habitu regio inſidebat, gemini leones ducebant, velut in pluribus antiquis numiſmatibus patet, quo indicabant,

nullum

nullum eſſe locum tam aſperum, incultum, aut ſterilem, qui nequeat labore, & agricultura domari, emolliri, & fœcundari.

Geometria. Geographia.

Hæc ſive ſtans, ſive ſedens humi cum circulo in manibus, Geometriam; cum quadrante, Geographiam, cum ligone prope taurum depicta, Agriculturam ſignificat. De Cybele hac, quæ aliis nominibus Ops, Rhea, Berecynthia, & Veſta appellatur, copioſiſſimi ſunt Boccatius in Genealogia Deorum, & Natalis Comes in Mythologia ſua, & Cartarus de Imaginibus idolorum. Dexterâ (ut nos quoque eorum nonnulla quæ ſuperſunt, afferamus) ſceptrum regebat, ad indicandum, eſſe in Terra Regna omnia, omnemque humanam Poteſtatem. Pallio viridi, floribus variegato amicta erat, ad inſinuandas omnis generis herbas, floreſque, quibus terra integitur. Hoc modo triumphans cernitur in loco celſis arboribus conſito, quo ejus in gignendis arboribus fœcunditatem denotabant. Quatuor rotis currus illius ſuſtinetur, ut indicarent, terram, quantumvis, in ſe firma ſtet, atque immobilis, opere tamen perpetuo, per quatuor anni tempora, perque vices ſeſe velut in circulum excipientes, rotari ſemper, & circumvolvi. Leonibus trahitur, ſive ad demonſtrandos labores arduos ruſticorum, ſive quod ſeminatum granum cum feſtinatione recuperent, ne volatilibus in prædam cedat.

Quare in curru vecta.

Clavis in manu Opis.

Meminit præterea S. Iſidorus, manibus illius clavem inditam, quo inſinuarent, Terram hyberno tempore clauſam recondita ſemina in gremio fovere, quæ tempore verno rurſum progerminet, Terra enim tum vulgò aperiri dicitur. Terram inſuper Rheam à pluviis appellatam author eſt Fornutus, eique triumphanti addita tympana, cymbala, faces, & lampades, eò quod tonitrua, fulgura, & coruſcationes, & præcedere, & comitari pluvias non rarò ſoleant. Quidam per tympana ſignificari volunt, terram in ſe ventos continere. De hac Cybele ſeu Ope prolixum Tractatum Cartarus compilavit, quò plura ſcire deſiderantem remittimus.

Tympana & Cymbala cur terræ data.

Ne moleſtum tibi ſit benevole Lector capitulum ſequens, neque inamœnum, agens de *Gratiis*, quas ternario eſſe numero vel *Lippis atque tonſoribus* notum eſt; cur autem potiſſimum tali, & non aliâ formâ, aut numero exhibitæ fuerint, non tam notum omnibus eſt. Pingebantur igitur formâ virginum juvencularum, ridentium, ſeſeque mutuò amplexantium. Earum prima, referente Heſiodo, Ægle, ſecunda Euphroſyna, Thalia tertia appellata, quid per eas ſignificatum fuerit, optimè inter alios Seneca docet *libro de Beneficiis*: qui in hunc fere modum ratiocinatur: Scire petis, cur ternario potiſſimum numero Gratiæ ſignificatæ, cur ſorores, cur manibus invicem junctæ, cur ridentes, juvenes, ac virgines, tranſparentibus velis amictæ? Volunt quidam unam earum eſſe, beneficium quæ conferat, alteram quæ recipiat, tertiam quæ receptum beneficium reſtituat.

Triplex ergo ſpecies eſt beneficiorum: ejus qui meretur, ejus qui recipit, & tandem ejus, qui reddit beneficium. Manuum complicatio, ordinem atque regreſſum beneficiorum indicat, quæ mutuâ quaſi reſtitutione, ad primas tandem manus, unde exierant, revertuntur: Ridentes ſunt; nulla enim eſt gratia, quæ vultu ſuperbo fit, aut ſevero: Juvenes, quia non decet beneficii memoriam inveterari: Virgines, quia incorrupta, & ſincera beneficia, & gratiam eſſe oportet. Veſtibus incedunt ſolutis, demiſſis, lucidis, & tranſparentibus, ut appareat, in gratia nihil colligatum, aut coactum, nihil occultum, ſed manifeſta omnia, & palam fieri debere. Hactenus Seneca.

Sed neque ſilentio prætereundum, juxta Cœlium, quod una Gratiarum faciem occulere videatur, dorſum ſpectatoribus obvertendo; per hoc enim ſignificatur, beneficia in abſcondito, non palam eſſe facienda; juxta monitum Salvatoris: *Cum ergò facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt.* Et rurſum: *Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua; ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito.* Altera faciem velo denudatam, & apertam monſtrat, quaſi teneatur is, qui recipit beneficium, ad beneficii revelationem, & benefactoris encomia, laudeſque publicandas. Tertia ad latus converſa, partem faciei velatam; partem verò diſcoopertam monſtrat, quo indicatur, beneficii quidem retributionem in occulto ſervandam, beneficii verò collatorem palam laudibus extollendum. Volunt Mythologici Baccho illas, ac Venere prognatas; fuerunt & quandoque per Horas intellectæ, quamvis hæ, juxta mentem Chryſippi, credantur aliquantò juniores.

Matth. 6.

Gratias Homerus in Dearum numero collocat, eaſque ad cœli portam excubias agere, penes quas ſtet, denſam caliginem ſeu immittendi in mortales, ſeu ab iis auferendi. Statius cum de ſole occiduo loquitur, Gratiis officium ſolvendi fræna ſolis equis imponit. Meminerunt alii, Gratias omnino quatuor fuiſſe, perque illas quatuor anni vices intellectas, quæ & *Horæ* aliàs dictæ. Hæ cum ſertis in capite depictæ, uni ſertum ex floribus, alteri è ſpicis, tertiæ ex uvis & pampinis, ultimæ tandem ex oliva. Finxerunt præterea antiqui, fuiſſe illas in manu Apollinis, indicando à ſole potiſſimum oriri temporum vices. Officium illarum fuit, mutuum amorem hominum curare, ut, ſibi invicem grati, & amici ſint. Quare ſecundùm quoſdam duæ tantum Gratiæ fuerunt, apud Lacedæmonios certè ſolæ duæ adoratæ, ut refert Pauſanias: ideoque & duo videntur eſſe potiſſimum effectus Gratiarum, dare videlicet, atque reddere beneficium. Primus Epeocles in Boetia author Gratiarum adorandarum fuit. Erat illis inter Græcos templum prope Eleos, in quo ſtatuæ ligneæ; facies autem, manus præterea, ac pedes eburnea fuerunt. Earum una manu roſam, altera cubum, ſeu aleam, tertia myrti ramum gerebat. Quorum hanc rationem reddunt: Roſam ſcilicet ac myrtum Veneri ſacra, idcircò data, quod plerumque Venerem comitentur; Cubus verò luſum ſignificat, quo ſimplices juvenculæ inter ſe nugari, tam ſuâ, quàm ſpectantium voluptate ſolent. Hæc Pauſanias. Dum inſignium illorum alii alias rationes ſtatuunt; in roſa amœnitatem, ſeu ſuavitatem beneficii, in aleis collationem, & reciprocationem illius; in Myrto denique perpetuò vireſcentem beneficii memoriam intelligentes, ad eum modum, quo planta hæc perpetuò viret, neque unquam exareſcit. Tradiderunt, tum Alexander in Genialibus, tum Ariſtoteles in moralibus, ſolitos veteres Gratiarum templa in medio foro collocare, quò omnium oculis obverſaretur, & libenter beneficia præſtanda, & præſtita libentiùs recompenſanda, maximè cum ea cura

Gratiarum eſſet, ad hoc invigilandi, ne ex debitis hiſce nil inter mortales omitteretur. Harum comitem Mercurium fecerunt, qui cum ſymbolum ſit Rationis, rectique diſcurſûs, ut illius veſtigiis inſiſtendo noverint homines, cui, quomodo, & quando præſtanda beneficia, in hoc Divinæ Bonitatis æmuli, quæ ad bene faciendum perpetua ſolicitudine pro nobis vigilat.

Ex omnibus his non dubitanter arguit Macrobius, Gratias in manu Apollinis dextrâ collocatas; arcum & ſagittas ſiniſtrâ tenentem; quo indicarent, multò promptiorem eſſe Dei manum ad bene, quàm ad malè faciendum, bene enim facere velle ſemper (& nonniſi malis noſtris laceſſitum arma ſiniſtræ manûs pro caſtigatione noſtra adhibere) tanquam benevolum diſpenſatorem Gratiarum ſuarum in genus humanum. Stant conjunctis invicem brachiis, manibuſque Gratiæ, quia decet ordinem benefaciendi de manu tranſire in manum, tandemque in illius emolumentum redire, qui primus gratiam fecit. Ad hunc modum gratitudinis & amicitiæ vinculum homines inter ſe colligatos tenet. Nobis porro ſufficiat ab his Gratiis ad ipſum fontem perennem gratiarum omnium perveniſſe, & pro modulo noſtro delibâſſe; qui plenis labris haurire geſtit, ad Authores hactenus citatos ſe conferat. Neque illum lateat floridiſſimum Idilium Nobilis Marini, interque ſuaviſſima ejus Epithalamia, tractatus, cui Gratiarum titulus præfigitur, dignus ſanè, qui legatur, & relegatur multoties, ob ſuaviſſimam metri Italici harmoniam. Nos verò ab extremo omnis pulchritudinis, ad deformitatis alterum extremum pergimus. Sunt autem

Gorgones, quæ hic non tam in horrenda ſpecie, quàm indiviſibili inter ſe amicitia conjunctæ, dum conſiderantur attentiùs, multam ſanè materiam moralium eruditionum præbent. Harum capita capillorum loco anguibus ſquamoſis circumſepta; ex ore dentes ferinos velut aprorum utrimque prominentes habebant; alatæ inſuper creditæ. Phorci ex marina bellua filiæ; quarum nomina fuerunt, Euryale, Sthenio, & Meduſa, earum poſtrema ſola mortalitatem aſſumpſit, quam Poetæ à Perſeo decollatam fabulantur. Porro in his figmentis Theologia Ægyptiaca, ſeu Platonica triplicem hominis Animam, vegetativam nimirum, ſenſitivam, & rationalem intelligit: quæ & inter Hebræos diverſa nomina ſortiuntur, juxta diverſam earum eſſentiam, & ſignificationem. Ex his una dicitur *Nephes*, quod Latinis *vivens*, aut *ſentiens* interpretatur: hanc communem cum cæteris animantibus ſortiti fuimus, eſtque Mortalis, & de natura Meduſæ participat; hæc capiti proxima, cumque eo intimè conjuncta, atque ſubjecta corruptelis ſenſuum, & affectuum corporalium. De qua Theologi credunt locutum in horto Salvatorem, cum ait: *Triſtis eſt Anima mea uſque ad mortem.* Et alibi: *Qui non habuerit odio Animam ſuam, perdet eam.* In hunc ſenſum à Perſeo, qui Genium bonum, ſeu ſpiritum divinum indicat, eam decollatam volunt; ii videlicet, qui ad contemplationem rerum cæleſtium, atque ſanctarum aſpirant, reſcindere primò caput terrenarum affectionum debent; ne pars ſenſitiva rationalem lædat. Gorgonum altera *Ruah* nomen ſortita eſt, id eſt, ſpiritus particeps rationis. Tertia *Neſſamah* appellata, ſive lumen, quo nomine, & à Pythagora, & à divino Pſalte multis locis indicatur. Hæc eſt, quam Mentem Divus Plato, & Divinitatis portionem S. Auguſtinus appellat.

Per Gorgones triplex Anima intelligitur.

Perſeus quid ſignificet?

Dictæ fuerunt homines ſe reſpicientes in ſaxa convertere, quamvis enim intra noſmetipſos habitent, nunquam tamen ad perfectam Naturæ illarum cognitionem pertingere valebimus, niſi decapitatâ hâc Meduſâ, id eſt, à terrenis affectibus primùm liberatâ. Neque abſque ratione ſpectantes in ſaxa converſos aſſerunt, dum eos, qui ad rerum cæleſtium contemplationem eriguntur, reſpectu rerum mundanarum prius in petram immobilem converti neceſſe eſt. Dictum præterea de his ſororibus fuit, habuiſſe oculum inter ſe communem, quem altera alteri ſubinde mutuum daret: quò indicârunt extrinſecum lumen noſtrum à Deo nobis conceſſum, & ab illo de anima in animam diffundi. In deſcriptione Gorgonum latius evagantur, tum Ovidius in Metamorphoſi, tum Ludovicus Dulcis in commentariis ſupra Metamorphoſeon libros; tum Celebris Natalis Conti in Mythologicis, quò & curioſos plura de his audiendi, remittimus.

Memini me in primo volumine tractatu de capillis, juxta mentem citati Authoris induxiſſe Naturam humanam in Virgine juveni exhibitam, quæ nuda, capillis ſurſum converſis, brachiis extentis, plenis uberibus, ad complexum quarundam arborum anhelans feſtinabat; quo indicatum fuit; Hominem arbori inverſæ ſimilem, prout docuit Præceptor Stagirita, cujus radices capilli ſunt. Idem quoque ſymbolum eſt Animæ ſenſitivæ, quæ quaſi uberibus Hominem nutriens, ad illius incrementum totis viribus incumbit. Hîc autem è contrario, ad ejuſdem Authoris mentem affirmaverim, quod imago Virginis, evulſis, aut reſectis crinibus, indicet debilitatem ingenii, proſtrationem virium, & mortem denique violentam. Tracta fortaſſe hac ſignificatione à facto Sampſonis, qui, cum anteà portas civitatum effringeret, mille viros unus ſterneret; poſtquam ab infideli ſcorto, Dalilâ inquam, ejus capilli reſecti fuerunt, ita viribus elanguit, & in oculis hoſtium ſuorum eviluit; ut eum quaſi jumentum in molendino laborare fecerint. Ita finxit Euripides; mori Alceſten non potuiſſe, niſi per Mercurium pro hoc negotio exequendo cœlis demiſſum; capillus illi quidam reſectus fuiſſet: Ita Niſus prodi hoſtibus & Minoi non potuit; donec ab ingrata filia purpureo capillo, ſeu fatali crine ſpoliatus eſt: Neque Dido, apud Virgilium, filum vitæ terminare valuit prius, quàm Iris ab Junone immiſſa flavum illi capillum ademiſſet. Fabulæ quidem illæ, ad veritatem tamen alludentes, dum novimus, vires atque fortitudinem hominis per capillos augeri. Et quandoquidem de Naturæ infirmitatibus mox verba fecimus, liceat deinceps loqui de

Natura humana.

Debilitas ingenii, virium, & mors.

JUSTITIA.

POtens hæc Dea, quæ rexit hactenus, regitque mundum univerſum, apud Reges, populos, aut nationes quotquot eam colunt, amatores videlicet recti, juſti, & honeſti; ubi verò perfidia, iniquitas, & alia vitiorum monſtra regnant, ſive regnârunt, ſubito diſparuit, & converſa ad cæleſtes ſphæras, ubi nativa illius habitatio eſt, magnis itineribus contendit. Eruditiores igitur inter Mythologos, quo principali huic attri-

buto Altiſſimi, conveniens quoddam nomen inderent, Aſtræam appellârunt, quam tamen Poëtæ fabulantur Aſtræi Gigantis, & Auroræ filiam, alii verò Jovis è Themide ſobolem; quæ creſcentibus in orbe terrarum vitiis, aſſumptis alis in cœlum evolavit, & in Zodiaco locata eſt, eâ in parte, quæ ab ea Virgo eſt nominata; Leonem inter, & Libram, quam manibus tenens res omnes ponderando, æqualiter diſtribuit. De hac ita canit Ovidius,

—— —— Et virgo cæde madentes
Ultima Cœleſtûm terras Aſtræa reliquit.

Item Seneca in Octavio.

Neglecta terras fugit, & mores feros
Hominum, & cruentâ cæde pollutas manûs,
Aſtræa virgo, ſiderum magnum decus.

Hanc Gellius & Chryſippus depingi ſolitam ajunt formâ quidem, & aſpectu virginali, vultu tamen formidabili & ſevero, viſu tremulo, reliquâ faciei parte, nec miti, nec atroci nimiùm, majeſtuoſo, & venerabili habitu, cujus manibus modò bilancem pictores, modò ſecures, & faſces addiderunt.

Juſtitia ſine capite.

Inauditum porro eſt, ſed altiori indagine dignum, quod tradidit Alexander Aphrodiſæus, depictam inter Ægyptios, & cultu divino exceptam, ſine capite Juſtitiam, quæ manum ſiniſtram apertam gerens, manûs volam oſtendebat: Quaſi ſiniſtra ob nativam pigritiam, & inertiam, ideoq; minus corruptioni obnoxia, aptior ſit pro Juſtitiæ ſymbolo, quàm dextera. Quod verò Leonem inter & Libram ſit collocata, ſignificat, Judicem eſſe debere animo forti, & intrepido, qui neque minis; neq; blanditiis, à recto, vero, & juſto dimoveri poſſit; ejuſq; officii eſſe, ſecundùm æquitatem diſcutere, & ſeriò ponderare bonorum ſimul, ac reorum merita, atque demerita, & his congruentia ſive præmia, ſive ſupplicia. Videri illam ſine capite, mirabiles planè cogitationes præcitato Authori movet, dum ſolicitus eſt, credatne illam omnino acephalam, id eſt, capite orbatam, aut potiùs intra ſtellas reconditum illud habeat: utrovis modo hic ſenſus eruitur, neminem prorſus hominum à Judice oculo partiali aſpiciendum, neque perſonarum acceptorem Judicem eſſe oportere. Rei certè Athenis olim cum argumentis ſuæ defenſionis velato capite comparebant, & in hoc ſtatu Areopagum ducebantur. I, igitur, atque intra ſtellas caput Juſtitiæ colloca, quò omnes noverint, ſincerum Judicem & rectum, non niſi Deum pro objecto habiturum, à cujus æterna rectitudine deviare non liceat.

Rei velato capite deducti.

Indicat præterea, celare Judicem cogitationes animi ſui debere, quouſque ſententia prolata ſit, ne præſcita, aſtu quodam ſeu fraude impediatur, aut evitetur. Hâc Conſonantiâ, nequit alia nobilior dari, ut ſapienter Euripides; *Juſtitia*, inquit, *harmonia & concordia eſt totius Animæ cum concinnitate.*

Apud Stobæum.

Nequeo hic præterire brevem deſcriptionem earum qualitatum, quæ ad rectum Judicem requiruntur, ex eodem nimirum Euripide, quo & diſcurſum hunc noſtrum concludemus: *Juſtitiæ eſt, diſtributivum eſſe jus, quod eſt ſecundùm cujuſq; dignitatem; & tueri patrias conſuetudines, & inſtituta, & ſervare ſcriptas leges, & veridicum eſſe in controverſiis, & ſtare conventionibus. Sectantur autem Juſtitiam, & Sanctitas, & veritas, & fides, & vitiorum odium.* Si quiſque Judex dictum hoc ob oculos collocaret, incorruptiora Tribunalia forent, neque tanti in fore clamores.

Cum doctrinis hiſce moralibus, œconomicis, familiaribus & Monaſticis, claudente agmen Juſtitiâ, Caput hoc, ſeu Tractatum concludo, ubi tantâ curâ, atque prudentiâ, celebris quoque Author noſter finit, totumque opus præclaro Ciceronis dicto veluti obſignat. *Eſt ſapientia Judicis in hoc, ut non ſolùm, quid poſſit, ſed etiam, quid debeat, ponderet, nec quantum ſibi permiſſum, meminerit, ſed etiam quatenus commiſſum ſit.* Nos verò animus monet, ut de Androgynis calamo noſtro dicendum aliquid denuò committamus.

Pro Rabir.

ANDROGYNI.

Hic enimverò Natura, quidquid ſuperfuit virium, atque roboris impendit, conſociando invicem utrumque ſexum, maſculinum licet ac fœmineum, intendens conſtituere Hominem omnibus gradibus perfectum, dum totum concedit, quod emanare ab illa potuit. Credideram me partibus meis defuturum, niſi quædam proferrem, quorum ad calcem Capitis præcedentis mentionem habui. Neque enim omnia hic, quæ in eam rem dici poſſunt, adducere præſumo, cum tanta ſit librorum copia, tanta fertilitas eruditionum, ut (velut Angelus olim S. Auguſtino inquiebat) impoſſibile ſit anguſtis terminis complecti vadum in mari. Interea cum Polluce dico hos eſſe, qui ſecundum aliquos vocantur, Concubini, item Androgyni, nec non Hermaphroditi. Huic propoſito inſervit Diſtichum ſequens:

In quo Mercurii facies, Veneriſque videntur,
Nec Vir, nec Mulier; Hermaphrodytus Homo eſt.

De his ita ſentit Ariſtoteles: *In quibus contingit gemina habere genitalia, alterum maris, alterum fœminæ: iis ſemper alterum ratum, alterum irritum redditur.* Ita Plinius tradidit, naſci ſubinde partus ejuſmodi, qui pro delitiis habeantur à Potentibus. Eorum variæ ſunt differentiæ, prout à multiplici; ac diverſa materia in varios fines cogitur Natura; quæ omnia Anatomicis permittentes, ne folia hæc noſtra rerum non ſatis caſtarum dictione commaculemus, hîc loci de induſtria omittimus. Id ſolum dixero quod per atteſtationem Julii Obſequentis accepimus, ſub Conſulatibus Marii, Meſſalæ, & Livii, editos partus Hermaphroditos, quorum unus ad duodecimum annum pervenit ætatis, omnes tamen Augurum juſſu interfectos. Ita in regione Lunenſi, ætate Lucii Metelli & Quinti Fabii Maximi Conſulum, Hermaphrodytum luci expoſitum, eorumque juſſu mox in mare projectum, quod uti complurium Monſtrorum, ita & hujus dignum fuit receptaculum.

Lib. 4. de Generat. Animal. C. 4.

Sic referente Lycoſthene, annis centum triginta duobus ante partum Virginis, in agro Ferentino partus hujuſmodi repertus, idemque mox in flumine ſuffocatus. In ipſo quoque agro Romano alius annum octavum agens L. Cœcilio, & L. Aurelio Conſulibus, adinventus, ſi fides habenda ſit Julio Obſequenti, qui horum omnium author eſt. Hic mos Romanis, de Hermaphrodytis ſtatuendi. Binos item alios Lycoſthenes recenſet nonageſimo anno ante Chriſtum, Urbini alterum, alterum Saturniæ natum,

natum, amboſque in mare projectos. Qui plura ejuſmodi portenta, atque monſtroſos partus noſſe deſiderat, legat citatos à nobis Lycoſthenem, & Julium Obſequentem.

Ita refert Haly Roboam Medicus Arabs in Commentariis ſupra Artem parvam Galeni, viſum ſibi Androgynum quempiam. Et in Annalibus Franciæ, ſeu Galliæ habetur, Anno ſalutis noſtri milleſimo, quadringenteſimo, ac ſeptimo, regnante Ludovico XI. in Monaſterio Iſſorienſi vixiſſe Monachum Hermaphrodytum, qui magno ſtupore, majori tamen ſcandalo imprægnatus, per aliquantùm temporis ſtudiosè obſervatus fuit, donec partum edidit omnino perfectum, ac vegetum. Ita anno pariter milleſimo, quadringenteſimo nonageſimo ſexto, in pago ditionis Palatinenſis prope Heidelbergam, nati ſunt duo Gemelli è regione dorſi invicem connexi, ambo Hermaphrodyti. In territorio Tigurino inter Helvetos, anno ſupra milleſimum, quingenteſimo decimo nono Calendis Januarii prodiit Hermaphrodytus, cum tumore carnoſo circa umbilicum, qui tumor paulo infra à genitalibus excipiebatur; reliquis omnibus corporis partibus juſtâ proportione diſpoſitis.

Lib. 10.

Non diſſimilem hiſtoriam refert Jacobus Rufus, in Opere ſuo de *Conceptu & Generatione Hominis.* Cornelius Gemma duas exhibet Androgynorum icones, quorum alter intra lumbos utriuſque ſexûs genitalia habebat, alter in pube fœmina erat, reliquo corpore virilitatem præ ſe ferebat.

Obſervandum hîc cum Aldrovando, quod partes utriuſque ſexûs genitales raro conveniant in uno eodemque ſubjecto quoad eſſentiam ſuam intrinſecam, & extrinſecam. Recenſet Balduinus in *Obſervationibus*: fuiſſe puellam annorum duodeviginti, poſt cujus obitum aperto cadavere, deprehenſa intra corpus genitalia virilia omnino perfecta, quæ cum toto vitæ tempore intra abdomen latuiſſent, credita fuit puella, maximè quod per exilem rimam lotium emitteret.

Ita Columbus tradit, notam ſibi fœminam fuiſſe, utroque ſexu dotatam, licet virilis ſexus non admodum diſtinctus eſſet, & perfectus. In diſſectione verò anatomica corporis ex vaſis ſpermaticis præparatoria, ut in aliis fœminis, reperta; deferentia verò vaſa utrinque bifurcata, ſeu quadruplicia erant, quorum duo majora in cavitatem uteri deſinebant, duo reliqua ad radicem penis deſcendebant. Ita ſagax Natura, vaſis ad penem deſtinatis in hoc ſubjecto, locum ſatis ſecurum præelegerat. Interim neque uterus ipſe, neque uteri cervix ullatenus ab aliarum mulierum utero diſcrepabant, in ſolis teſtibus varietas, & differentia quædam obſervata, dum in hac majores, ac ſpectatiores erant, quàm ſolent plerumque in fœminis. Non ſcrotum peni continuum, ut quod planè abeſſet, inque illius locum, peregrinum par muſculorum apparebat, dum interim aliud par muſculorum peni alioquin ordinarium deeſſet. Penis inſuper tenui pellicula intectus abſque præputio, in cujus locum duæ glandulæ ſpongioſæ utrinque ſurrogatæ, quò duo canales ex veſica porrigebantur. Ex quibus infertur, vaſorum genitalium in Hermaphrodytis conſtitutionem intrinſecam ab extrinſeca differre.

Lib. 15. Anal.

Narrat præterea Columbus, notos ſibi duos Hermaphrodytos, dum viverent, in quibus maſculinus ſexus fœminino prævalebat, quod fœminei ſexûs ſignaturam haberent admodum debilem, & imperfectam, quamvis eorum alter, qui erat natione Zigarus, paulò plus fœmineo ſexu valeret, utriuſque tamen organa ita rudia erant, & exilia, ut neuter, ſeu activè, ſeu paſſivè ad generationem idoneus exiſteret.

Immunda hæc variatio & confuſio ſexuum in brutis quoque reperitur. Ita Plinius refert, viſos ſibi equos hujus generis aliquot tempore Neronis Imperatoris: indicante per hoc Naturâ, quantopere Monſtrum illud iniquitatis in humanis averſaretur, ut fœditatem illius in brutis quoque Monſtroſis quodam quaſi paradigmate exprimeret. Reperta illa fuerunt in agro Galliæ Triburtino, eaque currui ſuo triumphali junxerat Nero, quaſi gloriæ ſibi ducens, inter Monſtra degere, & à Monſtris trahi, qui non niſi naturæ monſtrum erat.

Textor tradidit, eo tempore, quo Xerxes Perſarum Rex numeroſo exercitui in Græcia ſtipendium dabat, mulam peperiſſe ſimile aliud ſibi jumentum, idque hermaphrodytum. Ita Cardanus teſtatur; Antverpiæ viſum ſibi equum pariter hermaphrodytum, cum unico teſte, & duobus veluti tumidis uberibus, toto reliquo ventre equam referens, ad hinnitum toties intumeſcente, & quaſi inflato corpore.

His ita præmiſſis, reſtat nunc eruditionis gratiâ quædam proferre, quæ conſideratione videbuntur fore non indigna. Authores igitur, factâ reflexione ſuper ventres monſtroſos, à terrore quodam, ſeu metu prægnantibus ſuperveniente, id fieri crediderunt. Et potiſſimum Rufus contingere id vult à quodam improviſo accidente; eo ipſo tempore matrem gravidam affligente, quo Natura ſeminalis circa formationem illarum maximè partium ſit occupata. Fatetur præterea viſum ſibi infantem, de quo non ſatis conſtabat, cui ſexui adſcribendus eſſet, pendulis genitalibus, abſque pene, inque illorum medio per exilem rimulam exitum urinæ patuiſſe: porrò ex matris confeſſione didiciſſe, eam, neſcio cujus horrendæ rei ſibi obviæ aſpectu perterrefactam, indeque hunc fœtui defectum conciliatum, & imaginatione matris impreſſum fuiſſe. Quamvis alii judicent, exagitatione nimiâ ſeminum, contingere hæc potuiſſe.

Lib. 5. C. 19.

Non extra omnem diſputationem eſt, ſintne inter Monſtra collocandi partus Hermaphrodyti, nec ne? Quid docti ſentiant nunc referendum. Qui eos Monſtris non putant annumerandos, his fere argumentis utuntur. Monſtra appellari, quæ rarò contingant, Hermaphrodytos autem naſci non infrequentes, igitur non eſſe in eorum numero collocandos. Confirmant hanc opinionem ex eo quod Androgyni nihil habeant ſecum vitii aut deformitatis naturalis, imo Naturæ quaſi complementum, & majorem quandam perfectionem includant. Verè enim vegetum animal dici poteſt, & perfectionem ſeminis paterni, atque materni arguit, dum ſexum ſui ſimilem fœtui imprimere utrumque ſeorſim poteſt. Qua ratione autem Naturæ partus vitioſus credendus eſt, in quem Natura contulit totum, quantum deſiderari ab illa poteſt? Si enim nulla ſit ibi parvitas, magnitudo, ſeu abundantia partis cujuspiam in ſimili

Androgyni non ſunt Monſtra.

fœtu, pro vitioſo, & degeneri habendus non eſt.

Confutatio.

Verùm Aldrovandus huic opinioni nullatenus ſubſcribendum judicat. Naſci enim pro primo, habito ad alia Monſtra reſpectu, paulo quidem frequentiùs Androgynos, non tamen id fieri reſpectu hominum aliorum. Imò authumat, aut nullos, aut raros utroque ſexu præditos homines, utroque etiam ſexu æquè perfectos eſſe, ut multoties experientia comprobatum eſt: dum aut non facilè ſupervivunt, aut aliâ quâdam parte vitium, ſeu infirmitatem oſtendunt, quæ certè Naturæ monſtrificæ & imperfectæ aſſignari debent. Addit Naturæ intentionem perpetuò ferri ad generationem maris, non fœminæ, &, niſi ab hac ſua intentione aberraverit, non producere fœminam. Totum illud doctrina Ariſtotelis confirmat, qui Androgynos inter monſtrificos partus collocat, interque duos eorum ſexus alterum inquit ratum, alterum irritum perpetuò deprehendi.

Quod ſi ad cauſas harum generationum animum applicare libeat, obviam nobis fient Aſtrologorum opiniones, qui effectus hos ad ſtellarum influxum referunt, maximè Veneris & Mercurii circa ſigna bicorporea conjunctionem.

Lib. 6. c. 69.

Cui ſententiæ Paulus quoque Ægineta ſubſcribit. Aliam porro cauſam amplectitur Sueſſanus, dum ait: *Poſt Menſium fluxum, à primo congreſsûs die ad quintum, maſculos procreari, deinde ad octavum fœmellas, & ad duodecimum Hermaphrodytos.* Cui ſententiæ tamen, neque ratio, neque experientia reſpondet. Generatio enim, ſive marium, ſeu fœminarum, à diſpoſitione Naturæ, & prædominio ſeminis, vel maſculini, vel fœminei, abſque ullius diei interventu, & obſervatione dependet. Quod ſi enim poſt dici duodecimi decurſum perpetuò Androgyni generarentur, multò major futurus eſſet eorum numerus, quam ſimpliciter marium, aut fœmellarum, quod tamen falſiſſimum eſſe, neminem latet.

Concludemus igitur cum Erudito Boſcio, quod Androgynorum generatio derivet ab æqualitate nimia, & exacta proportione Seminum utriuſq; genitoris. Idem nobiſcum ſentit omnis Philoſophorum, ac Medicorum Schola; fertque communis opinio, à nimia ſeu fertilitate,

Genuina ratio Androgynorũ Generationis.

ſeu copia Seminis prodire hujuſcemodi partus. Hoc modo virtus formatrix in tanta abundantia diffundit ſe non ad id ſolummodo, quod neceſſarium, ſed etiam, quod ſuperfluum futurum erat. Ideoque nihil mirum videatur, ſi duplex propemodum ſexus ſubinde in uno eodemque ſubjecto compareat.

Quandoquidem hactenus de confuſione ſexuum verba fecimus, nunc de eorum quoque transformatione, & penè incredibili de ſexu in ſexum tranſmutatione aliquid diſſerendum erit. Admiratione dignum eſt, quod de hoc narrat Petrus Bercorius (& ipſe celebris ſcriptor in materia *de Homine*, tametſi eum imitati non ſimus, propter quod in virtutes hominis plus diffunditur, quàm congruum nobis erat, cum nobis propoſitum ſit, ea ſola tractare, quæ ad eſſentiam ejus pertinent) Bercorius, inquam, in *Reductorio*

Lib. 14. c. 57.

ſuo *Morali* percepiſſe ſe ait, ex Religioſo quodam Ordinis Prædicatorum, probatæ fidei viro, quod in viſitando cujuſdam Ordinis ſui cœnobio in Catalonia, ſtupendus caſus ille acciderit. Puella quædam annorum octodecim, ludendo cum ſodalibus ſuis, improviſo genitalium dolore correpta fuit, qualis eſſe parturientium ſolet.

Mulier in virum mutata.

Qui dolor cum eam ſæpius infeſtaret, totum perito Medico aperit. Is manu locum affectum explorans, intra cutem, duri quid ſentire viſus eſt, quem tumorem cum omnino cauſam doloris judicaſſet, tanquam rem præternaturalem ſcalpro ſubjicere parat, leviter inflicto vulnere, prô mirum! prodiit repentè membrum viri genitale cum omni appendice ſua, cujus foramen tam exactè cum putatitii ſexûs alterius rima connivebat, ut abſque ulla difficultate illac lotium emitteret. Hic igitur poſtquam ex vulnere de integro convaluit, ducta uxore, deinceps per plures annos virum ſe præſtitit. His adjungit Joannes Felix Aſtolphus, ex quo totum hoc tranſcripſimus, non traditurum ſe fuiſſe poſteris hiſtoriam hanc, cum ſpeciem quandam mendacii præ ſe ferat, niſi Paulus Oroſius, & alii affirmarent, transformationem talem fieri ſecundùm Naturam poſſe; Itemque S. Auguſtinus *de Civitate Dei*, & mulieres & Gallinas non raro in ſexum maſculinum transformari Author eſſet.

Ita Mutianus Lucinius meminit cujuſdam Areſcontis ſibi optimè noti, cui à nativitate impoſitum nomen Areſcuſæ; Quæ cùm marito nupſiſſet, repente mutata in virum, in mento lanuginem produxit, donec in perfectè barbatum evaſit. Idem Plinius *Hiſt. Nat. Libro Septimo, Cap.* 8. refert Smyrnæ in Aſia contigiſſe. Aliàs quoque in Africa (quod quidem non magnopere miror, cum hæc Mundi plaga feraciſſima monſtrorum ſit) fuiſſe Coſſitium quendam, mutatum in marem, qui fœmina paulo antè fuerat. Rurſum Plinius pro comperto tradit, proprium eſſe Hyenæ, feri Monſtri, ſæpius mutare & ſexum & Naturam; unde de immani hac bellua ſic habet:

Loco citato.

—— —— Quæ modo fœmina tergo,
Paſſa marem, nunc eſſe marem miramur Hyenam.

Teſtatur Cardinalis Volaterranus, ſub Pontificatu Alexandri Sexti, ſe Virginem noviſſe, quæ ipſis ſolennibus nuptiarum Naturam mutâſſet, mas facta de fœmina.

Refert Author Antimeologiæ viſum ſibi in Aquitania virum ſexagenarium fortem, & barbatum capillitio cano, qui ad annum uſque decimum quintum ætatis puella fuerit: contigit autem ut lapſus ex alto, ruptis quibuſdam membranis, ad eam formam tranſierit. Idem accidit Pontano referente, mulieri cui nomen Cajetanæ, piſcatoris per annos quatuordecim conjugi, improviſo in virum degeneranti. Sic Æmylia, quondam uxor Antonii Spenſæ Civis Ebulani, anno poſt celebratas nuptias duodecimo, tempore Ferdinandi Primi Regis Neapolitani, & ipſa in virum tranſmutata eſt.

Non diſſimilis fuit caſus, qui in aliis præterea duabus evênit, quarum uni Carolinæ, & alteri Franciſcæ nomen, filia utraque Ludovici Quarni Salernitani, quæ octavodecimo anno ætatis, cum ſtupore omnium, quibus notæ ad eam diem fuerant, in ſpeciem virilem tranſierunt. Ita teſtatur Amatus Luſitanus in Conimbricenſiũ civitate alteri cuidam virgini eveniſſe.

In Centuriis.

Hippocrates ipſe *Libro ſexto Epidemicorum Sectione octava*, elegantem hiſtoriam de quadam Phaëtuſa memoriæ dedit: *Hæc*, inquit, *marito in exilium pulſo, ita mœrore confecta eſt, ut ante diem deſierit eſſe menſtrualis; huic corpus virile factum eſt, & hiſpida penitus evaſit, & barbam emiſit, & vox aſperior eſt reddita.* Idem in Thaſo accidiſſe dicit cuidam Namiſiæ, Gorgippi antea uxori. Hi caſus referuntur à doctiſſimo Laurentio in *Anatomia*: plures quoque alii non admodum diſſimiles legi poterunt in Operibus Clariſſimi Sennerti, quo benevolum Lectorem remittimus: Et hæc dicta ſufficiant, in materia tam utili, & curioſa, ſed quam honeſtior calamus refugit: Nos interim ad alia probatiſſimi item Authoris documenta gradum facimus.

LACTANTIUS FIRMIANUS
De Opificio Dei.

QUemadmodum non raro delectat moderatis ſorbitionibus plures hinc inde fontes delibâſſe, ſic ſubinde delectabile eſt ex unico fonte, dum palato arridet, lympham plenis labris hauſiſſe. Idem mihi nunc contingit, Candide Lector, in eo quod impræſentiarum tibi offero. Ego quidem à primordio jam, ſequendo ductum viri, qui facem mihi, ad opus meum concinnandum prætulit, nunc hinc nunc aliunde Propoſitiones, ſententias, Authoritates, Argumenta, & Probationes deſumpſi, modò ad fontem uberrimum progredior, ex quo ſolo, & te, ſiquidem ſitibundus es, & meipſum inebriare intendo.

Lactantii Encomia.

Eruditus, pius, & nunquam non zeloſus ſcriptor: *Cœlius Lactantius Firmianus* fons ille eſt, qui lacteo candore, fundamentis veræ Fidei innixus, pleno alveo facundiſſimarum èlocutionum in vaſtum eloquentiæ mare effunditur. Ipſe eſt, de quo Sanctus Hieronymus ait (referente Michaële Tomaſio, qui integrum de hoc volumen compilavit) *Lactantium in Philoſophis, & priſcorum erroribus efficaciorem*, cui hoc de ſuo adjungit Tomaſius: *Cujus de hoc Authore judicium, gravitatis eſt, & prudentiæ plenum, & tum docto, ſanctoque viro digniſſimum.* Et paulò infra: *Quare cum duo præcipuè ſint inter Latinos Scriptores (de Eccleſiaſticis loquor) qui veriſſimæ Chriſtianorum doctrinæ ornatum quoque orationis addiderunt, Cyprianus, ac Lactantius.* Ille nimirum Lactantius, qui cum magna facundia tractavit, de Cognitione veri Dei, de ejuſdem Providentia, & vero cultu, de contemptu idolorum, de veritate, Eloquentiâ, Philoſophiâ, ſummo Bono, de Dei doctrina, de Sapientia divina, & humana, de verbo incarnato, de Natura divina, de Mundo, ejuſque partibus; qui Scholas & Sectas optime norat, qui Pſeudo Philoſophorum, & Poëtarum errores detexit, veros Prophetas agnovit, qui de voluptatibus egit, de renovatione Mundi, deque ultimis temporibus, denique de omnibus iis, quæcunque ab aliis illuſtribus ſcriptoribus pertractata ſunt.

Porrò ex nitidiſſimo ejuſdem tractatu, ubi de mirabili Hominis ſtructurâ egit (opus certè è manibus ipſius Creatoris delapſum, cui nomen fecit *de Opificio Dei*) perpauca, eaque maximè neceſſaria & jucunda, hîc excerpta depromere ſtatuimus relictis aliis, quæ ad præſcriptorum limitum transgreſſionem cogere nos fortè potuiſſent. Omiſſis igitur proteſtationibus, quas principio libri adducit, jam aliàs procemialiter à nobis indicatas, ad ea tantum explicanda, ac interpretanda accingimur, quæ ſcientiſſimus Vir ille deinceps ediſſerit, quorum hæc compendioſa expreſſio eſt.

Primus Operator noſter, Artifex, Creator & Pater largitus eſt Homini ſenſum, & rationem, quo non obſcurè innoteſceret, eſſentiam noſtram à ſuprema illa Majeſtate emanâſſe, cum ipſe intelligentia, ipſe ſenſus, ac ratio ſit. Cæteris animantibus, cum rationalem vim iſtam non contulerit, ut nihilo minus eorum vita ſecurior eſſet, providit ea pellibus, villis, jubis, unguibus, & roſtris, quibus contra vim pruinarum ac frigora, atque impetus externos inimicorum, tecta eſſent, atque ſufficienter munita.

His naturalibus armis, ſeu telis debiliora ſæpe fortioribus reſiſtunt, aut quæ ſunt omnino imbecilla ſubtrahunt ſe periculis pernicitate fugiendi: aut quæ ſimul & viribus, & celeritate indigent, aſtu ſe protegunt, aut latibulis ſepiunt. Itaque alia eorum, vel plumis levibus in ſublime ſuſpenſa ſunt, vel ſuffulta ungulis, vel inſtructa cornibus. Quibuſdam in ore arma ſunt dentes, aut in pedibus adunci ungues, nulliq; munimentum ad tutelam ſui deeſt. Siqua verò in prædam majoribus cedunt, ne tamen ſtirps eorum funditus interiret, uberem generandi fœcunditatem adepta ſunt, ut cladem illatam ad conſervationem generis, multitudo ipſa ſuperaret; tametſi & beſtiis majoribus (ut ſunt Leones) quæ ſanguine aluntur, perque aliorum necem ſibi vitam prorogant, abunde ad victum ſuppeterent.

Hominem verò Creator ratione indita, & virtute ſentiendi, atque eloquendi data, eorum, quæ cæteris animantibus attributa ſunt, fecit expertem: quia ſapientia reddere poterat, quæ illi Naturæ conditio denegârat: ſtatuit nudum, & inermem, quia & ingenio poterat armari, & ratione veſtiri. Ea verò ipſa quæ brutis data, & homini denegata ſunt, quàm mirabiliter Homini ad pulchritudinem conducant, exprimi nequit. Nam ſi Homini cornua, aut ungues, aut ungulas, aut varii coloris pilos addidiſſet, quis non videat, quàm turpe animal futurum eſſet, quibus tamen bruta mirabiliter in ſuo genere complentur, perficiuntur, & exornantur. Hominem verò quoniam æternum animal, atque immortale fingebat, non forinſecus, ut cætera, ſed interiùs armavit; nec munimentum ejus in corpore, ſed in animo poſuit: quoniam ſupervacuum fuit, cum illi, quod maximum erat, tribuiſſet, corporalibus eum tegere munimentis, cum præſertim pulchritudini humani corporis eadem officerent, ac derogarent.

Neque verò Hominum quiſpiam conqueratur, ſe magis imbecillum, inermem, ac fragilem naſci, quàm cætera animalia naſcuntur; quæ (ſit veritati locus) ut ſunt edita ex utero, protinus in pedes ſuos erigi, & geſtire diſcurſibus, ſtatimque aëri tolerando idonea eſſe ſolent, quod in lucem naturalibus indumentis munita proceſſerint, quæ homini denegantur. Is contra nudus, & inermis, tanquam ex naufragio, in hujus mundi turbidum pelagus, ex alvo materna ejicitur, & in vitæ hujus miſerias expellitur, neque movere ſe loco, ubi effuſus eſt, poteſt; nec alimentum lactis appetere, nec injuriam

temporis ferre, neque aliud quidquam ex ſeipſo agere, niſi externo adjutorio excipiatur. Hinc captatâ occaſione, Naturam aliqui non matrem, ſed novercam humani generis appellârunt; quæ cum brutis tam liberaliter ſe geſſerit: Hominem verò ſic effuderit, ut inops, & infirmus, & omni auxilio indigens, nihil aliud poſſit, quàm fragilitatis ſuæ conditionem ploratu, ac fletibus ominari; juxta dictum illud Poëtæ:

Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum.

Quæ dum nonnulli garriunt, vehementer ſibi ſapere videntur, quamvis vana querela ſit, propter quod unusquiſque inconſideratæ ſuæ conditioni ingratus eſt, & rebellis: Quos ego nunquam magis deſipere, aut irrationalibus ſimiliores eſſe contendo, quàm cum hæc ajunt. Conſiderans enim conditionem rerum, intelligo, nihil fieri aliter debuiſſe, quàm factum eſt; ut non dicam potuiſſe: Deo enim nil impoſſibile: ſed neceſſe eſt, providentiſſimam Majeſtatem illam id efficere, quod erat melius, & rectius. Libet igitur interrogare ſciolos iſtos divinorum operum reprehenſores, quid in homine deeſſe, quia imbecillior & inermis naſcitur, credant? Num forte hæc obſtant, quò minus educentur homines, ſeu creſcant, ſeu ad ſummum robur ætatis provehantur? Num qui natus fuit inermis, contra armatas naturaliter feras minùs ideo prævalet? An non potius ſuppeditante ratione in has armatur, illis jam non ſolum reſiſtit, ſed earum dominatur, caſdemque pro libitu fugat, & mactat?

At Hominis, inquiunt, educatio maximis laboribus indiget. Pecudum ſcilicet conditio melior, quod omnes cum fœtum ediderint, non niſi ſui ipſorum curam gerunt, dum uberibus ſuâ ſponte diſtentis, fœtus alimentum lactis ſine matrum ſolicitudine appetant. Quid interea aves? quarum ratio diverſa eſt; nunquid nidos luto ædificant, aut virgultis, & frondibus conſtruunt, ovis ad maturitatem uſque pullorum incubant, ut carcerem nativum perrumpentes, & ipſi aëreos campos fœcunditate ſuâ repleant? Ineptiſſimus ergo ſit, ſiquis putet malè cum volucribus egiſſe Naturam, quod bis naſcantur, d inde quod ipſo jam Homine ab ortu ſuo infirmiores ut ſint, non vicino matris lacte, ſed quæſitis per ſummum laborem cibis à parentibus nutriendæ ſint? Ineptior proindè ſit, qui dum hominis in ortu conditionem quadrupedibus poſtponit, non obſervet, quantùm is volucrum ſuperet conditionem?

Quæro nunc ab iis, qui conditionem pecudum ſuæ præferunt, quid eligant, ſi Deus his deferat optionem, utrum malint humanam ſapientiam cum imbecillitate, an pecudum firmitatem cum illarum natura? Scilicet non tam pecudes ſunt, ut non malint vel fragiliorem multò, quàm nunc eſt, dummodo humanam, quàm illam irrationalibem firmitatem. Sed videlicet prudentes viri, neque hominis rationem volunt cum fragilitate, neque brutorum firmitatem ſine ratione. Quare nihil eſt tam repugnans, tamque contrarium: quòd unumquodque animal, aut ratio inſtruat, neceſſe eſt, aut conditio Naturæ. Si naturalibus munimentis inſtruatur, ſupervacua ratio eſt. Quid enim excogitabit? quid faciet? aut quid molietur? aut in quo lumen illud ingenii oſtendet, cum ea quæ poſſunt eſſe rationis, ultro Natura concedat? Si autem ratione ſit præditum: quid opus ſepimentis corporis? Cùm ſemel conceſſa ratio naturæ munus poſſit implere. Quæ quidem tantùm valet ad ornandum, tuendumque hominem, ut nihil potuerit majùs, ac melius à Deo dari.

Sit ergò corporis non magni homo, & ſtaturæ exilis, inſtructior tamen eſt cæteris animalibus, & ornatior; dum rationis uſus, cuivis moli & amplitudini corporeæ non æquipollet ſolùm, ſed & antecedit; ut qui omnibus reliquorum animalium attributis præſtet, ſitque ornamentorum omnium longè maximum, quo contra omnes impetus exterios ſit munitiſſimus, licet fragilis, atque inermis in lucem prodiiſſe videatur. Ita ſit, ut plus valeat Homini ratio, quàm brutis Natura cum omni apparatu ſuo: quoniam in illis neque magnitudo virium, neque firmitas corporum, neque alia quæpiam prærogativa efficere poteſt, quò minùs aut opprimantur à nobis, aut noſtræ ſubjecta ſint poteſtati. Poteſtne igitur eſſe, qui cum videat etiam boves Lucas, ſeu elephantos, cum immaniſſimis corporibus ſervire homini, queratur de opifice rerum Deo, quod modicas vires, quod parvum ei corpus donatum ſit? Nec beneficia in ſe divina pro merito æſtimat, quod eſt ingrati, aut (ut veriùs loquamur) inſani.

Meliùs igitur Plato, ut hos (credo) ingratos refelleret, Naturæ gratias egit quod Homo natus eſſet, non bellua. Quantò meliùs, & ſaniùs, qui ſentiunt conditionem Hominis, utpote rationalis, tantùm irrationalibus brutis eſſe præferendam, quantùm Cimmeriis tenebris præoptabilis eſt ſolis meridiani claritas. Quod ſi Metamorphoſes veræ darentur, eoſque Deus in animalia illa converteret, quorum ſortem præferunt ſuæ, non dubitandum quin remigrare feſtinent, magniſque clamoribus conditionem priſtinam flagitent. Ita videor mihi audire clamores Terei, Apuleji, Penthei, Laomedontis, Sociorumque Ulyſſis, & aliorum. Non eſt enim tanti robur, ac firmitas corporis, ut officio linguæ careas: neque avium (quæ velut animata navigia, roſtri prorâ, atque remigio alarum findentes aërem, per ejuſdem vorticoſos feruntur anfractus) non inquam tanti eſt avium libera per aërem diſcurſatio, ut manibus indigeas. Plus enim manus præſtant, quàm levitas, uſusque pennarum: plus lingua, quàm totius corporis fortitudo. Quæ igitur amentia eſt, ea præferre, quæ ſi ultrò conceſſa ſint, accipere detrectes?

Iidem queruntur, Hominem morbis, & immaturæ morti ſubjectum. Indignantur videlicet, è Deorum numero excluſos ſe eſſe. Quin inquiunt, ex hoc oſtendimus, Hominem nullâ Dei providentiâ factum eſſe. Quid ſi oſtendero, magnâ ratione, ut vel ſic Creatorem ſuum agnoſceret proviſum eſſe, ut morbis, aliiſque malis vexetur homo, & vita ſæpe in medio curſus ſui ſpatio rumpatur? Cum enim Deus Hominem, tanquam vas fragile, quod de luto formaverat, ſuâ ſponte ad mortem tranſire noſſet, artem bene moriendi edocendus erat, itaque eum morbis, aliiſque malis compluribus ſubjecit, deditque fragilitatem, quæ morti aditum ad diſſolvendum animal inveniret. Mors enim, eorum omnium quæ expectamus, certiſſima eſt, & quaſi hæreditario jure in omnes dimanat. Cum enim Homo ex oſſibus, & nervis, & viſceribus, & ſanguine conſtet, quid horum poteſt eſſe tam firmum, ut fragilitatem repellat, ac mortem?

Fragi-

Fragilia cuncta ſunt, quæ in Homine videri, ac tangi poſſunt. Supereſt ut aliquid deſuper ex cœlo petant, quoniam in terra nihil eſt quod non vanum ac infirmum ſit. Cùm ergò Homo ſic à Deo formandus eſſet, ut mortalis aliquando eſſet, res ipſa exegit, ut ſubinde malis affligatur, & recordationem propriæ fragilitatis non amittat: corpus enim quodlibet ſolubile, atque mortale eſt. Stultiſſimi ergo ſunt, qui de morte immatura queruntur, quoniam Naturæ conditio ipſa locum morti fecit.

Sed ſi mori neceſſarium fuit, inquiunt, nemo niſi ſenex, neque minor centenario mori debebat. Hoc modo divinæ Providentiæ inſultant, manusq; Omnipotentiæ quaſi certis limitibus conſtringere ſe putant, quæ tamen nullis neque temporum, neque locorum terminis circumſcribi poteſt. Porro excluſa de rebus humanis divinâ providentiâ, Naturæque everſo ordine, neceſſario ad primum Chaos refugiebant, nec ſupererat jam, quod dicerent, niſi quod omnia ſuâ ſponte ſint nata. Hinc illas minimorum ſeminum plagas, & concurſiones fortuitas inventarunt, quia rerum originem non agnoſcebant. In quas anguſtias cum ſe conjeciſſent incauti, jam cogebat eos neceſſitas exiſtimare, animas cum corporibus naſci; & item cum corporibus extingui. Aſſumpſerant enim nihil fieri mente divinâ, quod ipſum non aliter probare poterant, quàm ſi oſtenderent eſſe aliqua, in quibus videretur Providentiæ ratio claudicare. Reprehenderunt igitur ea, in quibus vel maximè Divinitatem ſuam Providentia mirabiliter expreſſit; ut illa quæ retuli de morbis, & immatura morte: Cùm debuerint cogitare, his aſſumptis & illa aſſumi debere, quæ neceſſariò ſequerentur. Sequuntur autem illa, quæ dixi, ſi morbum non reciperet: neque tectis, neque veſtibus indigeret. Quid enim ventos, aut imbres, aut frigora, aut æſtus metueret, quorum vis in eo eſt, ut morbos afferant? Idcirco enim Homo Sapientiam adeptus eſt ut adverſus nocentia, bonis conſiliis fragilitatem ſuam præmuniat. Sequitur neceſſariò, ideo ſemper morbis affligi, ut plus occaſionis habeat rationis uſum adoperandi, eâdemque operâ fiat, & mortalitatis, & immortalitatis memor. Infirmitas igitur habet in ſe mortis conditionem: firmitas verò ubi fuerit, nec ſenectus locum habet, nec mors, quæ ſenectutem conſequitur. Præterea ſi mors certæ conſtituta eſſet ætati, quod iſti in votis habent, inſolentiſſimum animal homo futurus eſſet, quòd metu, tanquam fræno careret, quo à pravis alioquin operationibus arcetur. Solius enim timoris obſtaculo torrenti vitiorum obſiſtitur.

Denique imbecilliora, & timidiora quæque animalia congregantur, ut quoniam viribus tueri ſe nequeunt, multitudine tueantur: fortiora verò ſolitudines appetunt, quoniam robore, viribusque confidunt. Homo quoque, ſi eodem modo ad propulſanda pericula ſat roboris poſſideret, nec ullius alterius auxilio indigeret, quæ ſocietas futura eſſet? quæ reverentia inter ſe? quis ordo? quæ ratio? quæ humanitas? aut quid deterius homine? quid efferatius? quid immanius? Sed quoniam imbecillis eſt, nec per ſemetipſum tueri vitam ſuam poteſt, ſocietatem, atque affinitatem appetit, ut vita communis & ornatior fiat, & tutior. Vides igitur omnem Hominis rationem in eo maximè ſtare, quòd nudus, fragiliſque naſcitur, quòd morbis afficitur, quòd immaturâ morte multatur. Quæ ſi Homini detrahantur, Rationem quoque, ac Sapientiam detrahi neceſſe eſt. Sed quid in longum de rebus apertis diſputo, cum liquidum ſit, nihil ſine Providentia nec factum eſſe unquam, nec fieri potuiſſe? De cujus operibus univerſis, ſi nunc libeat diſputare per ordinem, infinita Materia eſt. Sed ego non niſi de humano corpore ratiocinari inſtitui, ut in eo divinæ Providentiæ poteſtatem, quanta fuerit, oſtendam; his duntaxat in rebus, quæ ſunt comprehenſibiles, & apertæ: nam illa, quæ ſunt animæ, nec ſubjici oculis, nec comprehendi queunt. Nunc de ipſo vaſe Hominis loquamur, quod oculis noſtris palam ſubjectum eſt.

Principiò igitur, cum Deus animalia fingeret, noluit ea in rotundam formæ ſpeciem conglobare, atque colligere; ut & moveri ad ambulandum, & flectere ſe in quamlibet partem facilè poſſent: ſed ex ipſa corporis ſumma produxit caput: item membra quædam longiùs produxit, pedes nimirum, ut alternis motibus ſolo fixa perducerent animal, quò mens tuliſſet, aut quò petendi cibi neceſſitas provocâſſet. Ex ipſo autem vaſculo corporis quatuor fecit extantia: binos poſteriùs, pedes: item binos capiti & collo proximos, qui varios animantibus uſus præbent. In pecudibus enim, ac feris ſunt pedes poſterioribus ſimiles: in homine autem manus, quæ non ad ambulandum, ſed ad faciendum, operandumque natæ ſunt. Eſt & tertium genus, in quo priora illa neque pedes, neque manus ſunt, ſed alæ, in quibus pennæ per ordinem fixæ, volandi exhibent uſum. Ita una fictio diverſas ſpecies, & uſus habet. Atque ut ipſam corporis craſſitudinem firmiter comprehenderet, majoribus & brevibus oſſibus invicem colligatis, quaſi carinam compegit, quam nos dicimus ſpinam: eamque noluit ex uno perpetuo oſſe formare, ne gradiendi, flectendique facultatem animal amitteret. Ex ejus parte quaſi mediâ coſtas, id eſt tranſverſa, & plana oſſa porrexit in diverſum: quibus modicè curvatis, & in ſe, velut in circulum penè conductis, interna viſcera contegantur: ut ea, quæ mollia, & minùs valida fieri, neceſſe erat, tam ſolidæ cratis amplexu munita eſſent. In ſumma verò conſtructionis ejus, quam ſimilem navis carinæ diximus, caput collocavit, in quo eſſet regimen totius animantis. Datum illi hoc nomen, ut quidem Varro ad Ciceronem ſcribit, quod hinc *capiant* initium ſenſus, ac nervi.

Ea verò, quæ diximus de corpore vel ambulandi, vel faciendi, vel volandi cauſâ eſſe producta, neque nimiùm longis, propter celerem mobilitatem, neque nimium brevibus, propter firmitatem, ſed & paucis, & magnis oſſibus conſtare voluit. Aut enim bina ſunt, ut in Homine: aut quaterna, ut in quadrupede: quæ tamen nec ſolida fecit, ne in gradiendo pigritia, & gravitas retardaret, ſed cavata, & ad vigorem corporis conſervandum, medullis intrinſecùs plena: eaque rurſus non æqualiter porrecta finivit, ſed ſummas eorum partes craſſioribus nodis conglobavit; ut & ſubſtringi nervis facilius, & verti tutiùs poſſent: unde & vertibula nominata ſunt. Eos nodos firmiter ſolidatos, leni quodam operculo texit, quod dicitur cartilago; ſcilicet, ut ſine attritu, & ſine ſenſu doloris aliquo flecterentur. Eoſdem tamen non in unum modum formavit: alios enim fecit ſimplices, & in orbem

rotun-

rotundos, in iis duntaxat articulis, in quibus moveri membra in omnes partes oportebat, ut in ſcapulis; quoniam manus utrolibet agitari, & contorqueri neceſſarium eſt: alios autem latos, & æquales, & in unam partem rotundos, & in his utique locis, ubi tantummodo curvari membra oportebat, ut in genibus, & in cubitis, & in manibus. Nam ſicut manus ex loco, unde oriuntur à corpore, ubique verſus moveri, ſpecioſum ſimul, & utile fuit, ſic profectò, ſi hoc idem etiam cubitis accederet, & ſupervacuus eſſet hujuſmodi motus, & turpis. Jam enim manus amiſſâ dignitate, quam nunc habet, mobilitate nimiâ proboſcidi ſimilis videretur; eſſetque Homo planè *anguimanus*. Quod genus in illa immaniſſima belluâ (*Elephanto*) mirabiliter effectum eſt. Deus enim, qui providentiam, & poteſtatem ſuam multarum rerum mirabili varietate oſtendere decrevit, quoniam caput animalis hujus non tam longè porrexerat, ut terram ore contingeret; (quod erat futurum horribile, atque tetrum) & quia os ipſum profuſis dentibus ſic armaverat; ut etiamſi contingeret, paſcendi tamen facultatem dentes adimerent; produxit inter eos à ſumma fronte, molle ac flexibile membrum; (*proboſcidem*) quo prendere, quo tenere quidlibet poſſet: ut rationem victûs capiendi, vel dentium prominens magnitudo, vel cervicis brevitas non impediret.

Hoc loco teneri nequeo quin eorum ſtultitiam rurſus coarguam, qui, ut oſtenderent, animalia non artificio aliquo divinæ Mentis, ſed fortuito eſſe nata, ſic ajunt; in principio Mundi innumerabiles quasdam animantes mirandâ ſpecie, & magnitudine natas, ſed permanere non potuiſſe, quod aut ſumendi cibi facultas, aut coëundi, generandique ratio defeciſſet. Videlicet, ut & atomis ſuis locum facerent per infinitum, & per inane volitantibus, divinam Providentiam excluſerunt. Sed cum videant in omnibus, quæ ſpirant, mirabilem Providentiæ ineſſe rationem: quæ (malum) vanitas erat, dicere, fuiſſe animalia prodigioſa in quibus ratio ceſſâſſet? Quoniam igitur omnia quæ videmus, cum Ratione nata ſunt; id enim ipſum naſci, efficere niſi Ratio non poteſt: manifeſtum eſt nihil omnino rationis expers potuiſſe generari. At enim proviſum eſt in ſingulis quibusque fingendis, quatenus, homo miniſterio membrorum ad neceſſaria vitæ uteretur, animalia autem fertilitate mira ſe augmentarent, & ſic univerſa generatim conſervantur.

Nam ſi peritus Architectus, cum magnum aliquod ædificium facere conſtituit; primò omnium cogitat, quæ ſummâ perfecti ædificii futura ſit, & ante emetitur, quem locum leve pondus expectet: ubi magni operis ſtatura ſit moles: quæ columnarum intervalla: qui, aut ubi aquarum cadentium decurſus, & exitus, & receptacula. Hæc, inquam, prius pervidet, ut quæcunque ſunt perfecto operi jam neceſſaria, cum ipſis fundamentis pariter ordiatur: cur Deum quiſquam putet machinandis animalibus non ante providiſſe, quæ ad vivendum neceſſaria eſſent, quàm ipſam vitam daret? Videbant igitur inſenſati in corporibus animalium divinæ rationis ſolertiam; ſed ut efficerent, quod antè imprudenter aſſumpſerant, adjecerunt aliud deliramentũ ſuperiori congruens. Dixerunt enim, neque oculos ad videndum eſſe natos, neque aures ad audiendum, neque pedes ad ambulandum: quoniam membra hæc prius nata ſunt, quàm eſſet uſus videndi, & audiendi, & ambulandi: ſed horum omnium officia ex natis extitiſſe. Vereor ne hujuſmodi portenta, & ridicula refutare, non minus ineptum eſſe videatur. Sed libet ineptire, quoniam cum ineptis agimus: ne ſe illi nimirum argutos arbitrentur. Quid enim inquiunt deliri? Non ſunt ad videndum oculi nati? Cur igitur vident? Deinceps ajunt, uſus eorum apparuit. Videndi ergò cauſâ nati ſunt, ſiquidem nil poſſunt aliud quàm videre. Item membra cætera cujus rei cauſâ nata ſint, ipſe uſus oſtendit: qui utique nullo modo exiſteret, niſi eſſent membra omnia tam ordinatè, tam providenter effecta, ut uſum habere poſſint. Quid enim, ſi dixeris aves non ad volandum natas eſſe, neque feras ad ſæviendum, neque piſces ad natandum, neque homines ad ſapiendum, cum appareat ei naturæ, officioque ſervire animantes, ad quod eſt quæque generata? Sed videlicet, qui ſummam veritatis amiſit, ſemper erret neceſſe eſt. Si enim non Providentiâ, ſed fortuitis *Atomorum* concurſionibus naſcuntur omnia, cur nunquam caſu accidit, ſic coire illa principia, ut animal forment, quod naribus audiat, odoraretur oculis, auribus videat?

Cùm igitur univerſa genera, & univerſa quoque membra leges ſuas, & ordines, & uſus ſibi attributos tueantur, manifeſtum eſt, nihil fortuitò fieri nec factum, quoniam Divinæ Rationis diſpoſitio perpetuâ ſervatur. Verum aliàs hos refellendos differimus, nunc de Providentiâ (ut cœpimus) diſſeremus.

Deus igitur ſolidamenta corporis, quæ oſſa dicuntur, nodata, & adjuncta invicem nervis alligavit, & conſtrinxit: quibus Mens, ſi excurrere, aut reſiſtere velit, tanquam retinaculis uteretur; & quidem nullo labore, nulloque conatu, ſed vel minimo nutu, totius corporis molem temperaret, ac flecteret. Hæc autem viſceribus operuit, ut quemque locum decebat; utque ſolida oſſa concluſa tegerentur. Item viſceribus ipſis venas admiſcuit, quaſi rivos per corpus omne diviſos, per quas diſcurrens humor, & ſanguis, univerſa membra ſuccis vitalibus irrigaret: viſcera vero formata in eum modum, qui unicuique generi, ac loco aptus eſſet; ſuperjectâ pelle contexit: quam vel ſolâ pulchritudine decoravit, vel ſetis adoperuit, vel ſquammis munivit, vel plumis inſignibus adornavit. Illud verò commentum Dei mirabile, quod una diſpoſitio, & unus habitus innumerabiles animantium præferat varietates. Nam in omnibus fere, quæ ſpirant, eadem ſeries, & ordo membrorum eſt. Primum enim caput, & huic annexa cervix. Item collo pectus adjunctum, & ex eo prominentes armi; adhærens pectori venter. Item ventri ſubnexa genitalia. Poſtremo loco femora, pedesque. Nec ſolum membra tenorem ſuum, ac ſitum in omnibus obſervant, ſed partes quoque membrorum. Nam in uno capite certam ſedem poſſident aures, certam oculi, nares item, os quoque, & in ore dentes, & lingua. Quæ omnia cum ſint eadem in omnibus animantibus, infinita tamen, & multiplex diverſitas figurarum eſt.

Quid porrò illud? Nonne Divinum, quòd in tanta viventium multitudine, unumquodque animal in ſuo genere, & ſpecie pulcherrimum eſt? ut ſi quid viciſſim de altero in alterum transferatur, nihil impeditius ad utilitatem, nihil deformius ad aſpectum videri neceſſe ſit. Ut ſi Ele-

phanto

phanto cervicem prolixam tribuas, aut camelo brevem, vel ſi ſerpentibus pedes, aut pilos addas; in quibus æqualiter porrecti corporis longitudo nihil aliud exhibeat, niſi ut maculis terga diſtincti, & ſquammarum lævitate ſuffulti, in lubricos tractus ſinuoſis flexibus laberentur.

Sed, ut ad Hominem revertamur, ubi ratio, & manus eſt; non opus erat aliis ornamentis; niſi ut caro cute obtegeretur, & hæc pilis hinc inde veſtiretur. Adeo in ſuo quæque genere aptiſſimè congruunt, ut neque nudo quadrupede, neque homine tecto excogitari quicquam turpius poſſit. Cùm tamen ipſa nuditas Hominis, mirè ad pulchritudinem valeat, non tamen etiam capiti congruebat. Quanta enim in eo futura deformitas eſſet, ex calvitio apparet. Texit ergò illud pilo; & quia in ſummo futurum erat, quaſi ædificii culmen ornavit. Qui ornatus in orbem coactus non eſt, aut in figuram pilæ teres factus; ne quibuſdam partibus nudis, informis eſſet: ſed alibi effuſus, alibi retractus, pro cujuslibet loci decentiâ. Frons ergò vallata per circuitum, & à temporibus effuſi ante aures capilli; & earum ſummæ partes in coronæ modum cinctæ; & occipitium omne contectum, ſpeciem miri decoris oſtentant. Jam barbæ ratio, incredibile eſt, quantum conferat ad dignoſcendam corporum maturitatem, vel ad differentiam ſexûs, vel ad decorem virilitatis, ac roboris: ut videatur omnino non conſtatura fuiſſe totius corporis ratio, ſi quid aliter effectum, aut formatum eſſet.

Nunc ratio totius Hominis oſtendenda: ſingulorumque membrorum, quæ in corpore aperta, aut operta ſunt, utilitates & habitûs explicandi. Cum igitur Deus è cunctis animalibus Hominem ſolum cæleſtem facere ſtatuiſſet, cætera univerſa terrena, hunc ad cœli contemplationem erectum voluit, bipedemque conſtituit; ſcilicet, ad ea ſpectanda, unde illi origo eſt: animalia verò depreſſit in terram: ut quia nulla his immortalitatis expectatio eſt, toto corpore in humum projecta, ventri, pabuloque ſervirent.

Hominis itaque ſolius recta ratio, & ſtatus ſublimis, & vultus Deo patri communis, originem ſuam, fictoremque teſtatur. Ejus prope divina Mens, quia non tantùm animantum, quæ ſunt in terra, ſed etiam ſui corporis dominatum ſortita eſt, in ſummo capite collocata, tanquam in arce ſublimis ſpeculatur omnia, & contuetur.

Hanc ejus aulam Deus non obductam, porrectamque formavit, ut in mutis animalibus; ſed orbi, & globo ſimilem: quod orbis rotunditas perfectæ rationis eſt, ac figuræ. Eo igitur Mens, & ignis ille divinus tanquam cœlo tegitur: cujus cum ſummum faſtigium naturali veſte texiſſet, priorem partem, quæ facies dicitur, neceſſariis membrorum miniſteriis, & inſtruxit pariter, & ornavit. Ac primùm oculorum orbes concavis foraminibus concluſit: à quo foratu frontem nominatam Varro exiſtimavit: & eos neque minùs, neque ampliùs, quàm duos eſſe voluit; quod ad ſpeciem perfectior numerus non ſit, quàm duorum: ſicut & aures duas: quarum duplicitas, incredibile eſt, quantam pulchritudinem præ ſe ferat; quòd tum pars utraque ſimilitudine ornata eſt; tum ut venientes altrinſecùs voces faciliùs colligantur. Nam & forma ipſa mirandum in modum ficta, quòd earum foramina nuda eſſe voluit, & inobſepta, quod & minùs decorum, & minus utile fuiſſet, quoniam ſimplicium cavernarum anguſtias prætervolare vox poſſet, & ſpargi, niſi perceptam per cavos ſinus, & repercuſſu retenta foramina ipſa convehèrent, ſimilia vaſculis, quibus impoſitis ſolent anguſtiora vaſa compleri. Eas igitur aures, quibus nomen à vocibus inditũ eſt hauriendis (unde Virgilius:

——— *Vocemque his auribus hauſi.*

Quia vocem ipſam Græci αὐδὴν vocant ab auditu, per immutationem literæ, *aures* velut *audes* ſunt nominatæ) noluit Deus artifex mollibus pelliculis informare, ne pulchritudinem demerent pendulæ, atque flaccentes: neque duris, ac ſolidis oſſibus, ne ad uſum inhabiles eſſent, immobiles, ac rigentes: ſed quod eſſet horum medium, excogitavit, ut eas cartilago mollior alligaret, & haberent aptam ſimul, & flexibilem firmitatem. In his audiendi officium conſtitutum eſt, ſicut in oculis videndi.

Oculorum verò præcipuè inexplicabilis eſt, ac mira ſubtilitas, quia eorum orbes gemmarum ſimilitudinem præferentes, ab ea parte, quâ videndum fuit, membranis perlucentibus texit: ut imagines objectorum, tanquam in ſpeculo refulgentes, ad ſenſum intimum penetrarent. Per eas igitur membranas ſenſus ille, qui dicitur Mens, ea quæ foris ſunt tranſpicit: ne fortè quis ſuſpicetur aut imaginum incurſione nos cernere (ut Philoſophi quidam) quoniam videndi officium ineſſe debet, quod videt, non in eo, quod videtur: aut intenſione aëris, cum acie, aut effuſione radiorum: quod ſi ita eſſet, tardiùs oculis, quàm nunc, cerneremus, donec intentus aër cum acie, aut effuſi radii ad id, quod videndum eſſet pervenirent. Cùm autem eodem momento temporis cernamus, plerumque verò aliud agentes, nihilominus tamen univerſa; quæ contra ſunt poſita, intueamur, veriùs, & manifeſtius eſt Mentem eſſe, quæ per oculos ea, quæ ſunt oppoſita, intueatur quaſi per feneſtras lucente vitro, aut ſpeculari lapide obductas. Et idcirco Mens, & voluntas ex oculis ſæpe dignoſcitur.

Quòd quidem ut refelleret Lucretius, ineptiſſimo uſus eſt argumento. Si enim Mens, inquit, per oculos videt, erutis, & effoſſis oculis, acrius videbit: quoniam evulſæ cum poſtibus fores, plus inferunt luminis, quàm ſi obductæ fuerint: Quin illi potius vel Democrito, quem Magiſtrum habuit, effoſſi, aut occæcati oculi erant, ne viderent, effoſſos orbes, & ruptas oculorum fibras, & fluentem per venas ſanguinem, & creſcentes ex vulneribus carnes, & obductas ad ultimum cicatrices nil poſſe lucis admittere; niſi fortè auribus oculos ſimiles naſci volebant, ut non tam oculis, quàm foraminibus cerneremus: quo nihil ad ſpeciem fœdius, ad viſum inutilius fieri poteſt. Quantulum enim videre poſſibile eſſet, ſi Mens ab intimis penetralibus capitis per exiguas cavernarum rimulas attenderet; ut ſi quis per cicutam videre contendat, non plus profectò viſurus eſt, quàm cicutæ ipſius capacitas comprehendat. Itaque ad videndum membris potius in orbem conglobatis opus fuit: ut viſus in latum ſpargeretur, & quæ in primori facie adhærent, liberè omnia contineri poſſent.

Ergò ineffabilis divinæ Providentiæ virtus duos ſimillimos orbes fecit, eoſque ita devinxit, ut non in totum converti, ſed moveri tamen, ac flecti pro libitu poſſent. Orbes autem ipſos humoris puri, ac liquidi plenos eſſe voluit: in quo-

rum media parte ſcintillæ luminum concluſæ tenerentur, quas pupillas nuncupamus: in quibus puris ac ſubtilibus, cernendi ſenſus, ac ratio continetur. Per eos igitur orbes ſeipſam Mens intendit, ut videat: miráque ratione in unum miſcetur, & conjungitur amborum luminum viſus.

Libet hoc loco reprehendere quorundam vanitatem, qui dum ſenſus falſos eſſe evincere contendunt, multa colligunt, in quibus oculi fallantur: inter quæ illud etiam, quod furioſis, & ebriis cuncta duplicia videntur: quaſi verò erroris hujus cauſa obſcura ſit. Idcirco enim fit, quod bini ſunt oculi. Sed qua ratione id fiat ſic demonſtretur. Viſus oculorum intenſione animi conſtat. Itaque quoniam Mens (ut ſupra dictum eſt) oculis tanquam feneſtris utitur: non tantùm hoc ebriis, aut inſanis accidit: ſed ſanis quoque ac ſobriis. Nam ſi quid nimium prope admoveris, duplex videbitur. Certum eſt enim intervallum, ac ſpatium, quo acies oculorum coit. Item ſi retrorſum animum avoces, quaſi ad cogitandum, & intenſionem mentis relaxes, cùm acies oculi utriuſque diducitur, ſinguli vident ſeparatim. Si animum rurſus intenderis, aciemque direxeris, coit in unum, quidquid duplex videbatur.

Cur una res duplex videatur.

Quid ergò mirum, ſi Mens veneno, ac potentiâ vini diſſoluta, dirigere ſe nequit ad videndum, ſicut ne pedes quidem ad ambulandum, nervis ſtupeſcentibus debiles? aut ſi vis furoris in cerebrum ſæviens, concordiam disjungit oculorum? Quod adeò verum eſt, ut luſcis hominibus, ſi aut inſani, aut ebrii fiant, nullo pacto accidat, ut duplex quid videant. Quare, ſi ratio apparet, cur hi fallantur; manifeſtum eſt, non eſſe falſos ſenſus; qui aut non falluntur ſi ſint puri, & integri; aut ſi falluntur, mens tamen non fallitur, quæ illorum errorem, non ignorat.

Sed ad opera Dei revertamur. Ut igitur oculi munitiores eſſent ab injuria, eos ciliorum tegminibus occuluit: unde oculos dictos eſſe Varroni placet. Nam & ipſæ palpebræ, quibus mobilitas ineſt, palpitatio vocabulum tribuit: pilis in ordine ſtantibus vallatæ, ſeptum oculis decentiſſimum præbent. Quarum motus aſſiduus incomprehenſibili celeritate concurrens, & videndi tenorem non impedit, & reficit obtutum. Acies enim, id eſt, membrana illa perlucens, quam ſiccari, & obareſcere non oportet, niſi humore aſſiduo terſa purè niteat, obſoleſcit.

Quid ipſa ſuperciliorum faſtigia pilis brevibus adornata? Nonne quaſi aggeribus, & munimentum oculis, nequid ſupernè incidat, & ſpeciem ſimul præſtant? Ex quorum confinio naſus exoriens, velut æquali porrectus jugo, utramque aciem ſimul & diſcernit, & munit. Inferius quoque genarum non indecens tumor, in ſimilitudinem collium leniter exurgens, ab omni parte oculos tutiores efficit: proviſumque eſt ab Artifice ſummo, ut ſi quis fortè vehementior ictus extiterit, his eminentiis repellatur.

Naſi verò pars ſuperior uſque ad medium ſolida formata eſt, inferior cartilagine molli adhæret, ita ut ad digitorum uſum poſſit tractabilis eſſe. In hoc autem quamvis ſimplici membro tria ſunt officia conſtituta: unum ducendi ſpiritûs, alterum capiendi odoris, tertium ut per cavernas ejus purgamenta cerebri defluant: quas Deus tam mirabili, quam divinâ ratione molitus eſt, ut tamen hiatus ipſe naſi, oris ſpeciem non deformet. Quod erat planè futurum, ſi ſimplex foramen pateret. Ad id velut pariete per medium ducto interſepſit, atque diviſit, fecitque ipſâ duplicitate pulcherrimum. Ex quo intelligitur, quantum dualis numerus unâ, & ſimplici compage ſolidatus, ad rerum valeat perfectionem. Nam cum ſit corpus unum, tamen totum ex ſimplicibus membris conſtare non poterat, niſi ut eſſent partes vel dextræ, vel ſiniſtræ. Itaque ut pedes duo, & item manûs, non tantùm ad utilitatem aliquam, uſumque vel gradiendi, vel faciendi valent, ſed & habitum, decoremq; admirabilem conferunt: ſic & in capite, quod totius divini operis quaſi culmen eſt, & auditus in duas aures, & viſus in duas acies, & odoratio in duas nares à ſummo Artifice diviſa eſt: quia cerebrum, in quo ſentiendi ratio eſt, quamvis unum ſit, in duas tamen partes membranâ interveniente diſcretum eſt.

Sed & cor, quod ſapientiæ domicilium videtur, licet ſit unum; duos tamen intrinſecùs ſinus habet, quibus fontes vivi ſanguinis continentur, ſepto intercedente diviſi: ut ſicut in ipſo Mundo majori ſumma rerum, vel de ſimplici duplex, vel de duplici ſimplex, & gubernat, & continet totum: ita in corpore hujus *Microcoſmi* de duobus univerſa compacta, indiſſociabilem prætenderent unitatem.

Oris quoque ſpecies, Veneris & Gratiarum, ac riſûs ſedes, ejuſdemque rictus ex tranſverſo patefactus, quàm utilis, quàm decens ſit, enarrari non poteſt; cujus uſus in duobus officiis conſtat, ſumendi victûs, & eloquendi. Lingua intus incluſa, quæ vocem motibus ſuis in verba diſcernit, & animi interpres eſt, verborumque quaſi janua; nec tamen ſola poteſt per ſe eloquendi munus implere, niſi acumen ſuum palato illiſerit, niſi adjuta vel offenſione dentium, vel compreſſione labiorum: dentes tamen plus conferunt ad loquendum. Nam & infantes non ante fari incipiunt, quàm dentes produxerint: & ſenes amiſſis dentibus ita balbutiunt, ut ad infantiam revoluti denuo videantur. Sed hæc ad hominem ſolùm pertinent, aut ad aves, in quibus acuminata, & vibrata certis motibus lingua, innumerabiles cantuum flexiones, & ſonorum varios modos exprimit. Habet præterea & aliud officium, quo non in omnibus, ſed tamen ſolo in brutis utitur, quòd contritos, & commolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos vi ſuâ deprimit, & tranſmittit ad ventrem. Itaque Varro à libando cibo putat linguæ nomen impoſitum. Beſtias etiam potu adjuvat. Protentâ enim, cavatâque hauriunt aquam, eamque comprehenſam linguæ ſinu, ne tarditate, ac morâ defluat, ad palatum celeri probilitate complodunt. Hæc itaque palati concavo, tanquam teſtudine tegitur: eamque dentium ordine ſepiens Deus, quaſi muro circumvallavit.

Verborum prolatio plus dentibus, quàm labiis adjuvatur.

Dentes autem ipſos, ne nudi, ac reſtricti magis horrori, quàm ornamento eſſent, gingivis mollibus, quæ à *gignendis* dentibus nominantur, ac deinde labiorum tegminibus honeſtavit. Quorum durities, ſicut in molari lapide, major eſt, & aſperior, quàm in cæteris oſſibus, ut ad conterendos cibos, pabulumque ſufficerent. Labra ipſa, quæ quaſi antea cohærebant, quam decenter intercîdit, quorum ſuperius ſub ipſa medietate narium, lacunâ quâdam levi, quaſi valle ſignavit, inferius honeſtatis gratiâ foras molliter explicuit. Nam quod ad ſaporem attinet capiendum,

fallitur, quiſquis hunc ſenſum palato ineſſe arbitratur: lingua eſt enim, quâ ſapores ſentiuntur, nec tamen tota; nam partes ejus, quæ ſunt ab utroque latere teneriores, ſaporem ſubtiliſſimis ſenſibus trahunt.

Lingua ſapores ſentit.

Cætera quàm decora ſint, vix exprimi poteſt. Deductum pauliſper à genis mentum, & ita inferiùs concluſum, ut acumen ejus extremum ſignare videatur leviter impreſſa diviſio: rigidum ac teres collum, quo ſcapulæ velut mollibus jugis à cervice demiſſæ: valida, & ſubſtricta nervis ad fortitudinem brachia: toris inſignibus extentum lacertorum ingens robur: utilis, ac decens flexura cubitorum.

Quid de manibus referam, rationis, ac ſapientiæ miniſtris? quas ſolertiſſimus Artifex plano, ac modicè concavo ſinu fictas, ut ſi quid tenendum ſit, aptè inſidere poſſit, in digitos terminavit: in quibus difficile eſt expedire, utrumne ſpecies, an utilitas major ſit. Nam & numerus perfectus, ac plenus, & ordo, ac gradus decentiſſimus, & articulorum parium curvatura flexibilis, & forma unguium rotunda, concavis tegminibus digitorum faſtigia comprehendens, atque firmans, ne mollitudo carnis in tenendo cederet, magnum præbet ornatum. Illud verò ad uſum miris modis habile, quod unus à cæteris ſeparatus, cum ipſa manu oritur, & in diverſum maturiùs finditur: qui ſe velut obvium cæteris præbens, omnem tenendi, operandique rationem, vel ſolus, vel præcipuè poſſidet, tanquam rector omnium, atque moderator: unde etiam pollicis nomen accepit, quod vi, & poteſtate inter cæteros polleat. Duos quidem articulos extantes habet, non, ut alii, ternos: ſed unus ad manûs carnem nectitur pulchritudinis gratiâ. Si enim tribus articulis & ipſe diſcretus eſſet, fœda, & indecora ſpecies honeſtatem manibus ademiſſet.

Nam pectoris latitudo ſublimis, & expoſita oculis, mirabilem præfert habitus ſui dignitatem. Cujus hæc cauſa eſt, quod videtur Hominem ſolum Deus veluti ſupinum formâſſe (nam nullum fere animalium dorſo ſuo incumbit) mutas autem animantes quaſi alterno latere jacentes finxiſſe, atque ad terram compreſſiſſe. Idcirco illis anguſtum pectus, & ab aſpectu remotum, & ad terram verſùs ſubjectum: Homini autem patens & rectum, quia plenum rationis, à cœlo datum humile, aut indecens eſſe non debebat. Papillæ quoque leviter eminentes, & fuſcioribus, ac parvis orbibus coronatæ, nonnihil venuſtatis addunt; fœminis ad alendos fœtus datæ, maribus ad ſolum decus, ne informe pectus, & quaſi mutilum videretur. Huic ſubdita eſt planities ventris, quam mediam fere umbilicus non indecenti notâ ſignat, ad hoc factus, ut per eum fœtus, dum eſt in utero, nutriatur.

Hactenus de externis partibus ſufficienter actum; ſequitur neceſſariò, ut de internis quoque viſceribus dicere exordiar: quibus non pulchritudo, quia ſunt abdita, ſed utilitas incredibilis attributa eſt; opus enim erat, ut terrenum corpus ſucco aliquo, de cibis, ac potibus aleretur, ſicut terra ipſa imbribus ac pruinis. Providentiſſimus Artifex in medio ejus receptaculum cibis formavit; quibus concoctis, & liquefactis, vitales ſuccos membris omnibus diſpertiret. Sed cum Homo ex corpore conſtet, & Anima, illud, quod ſupra dixi receptaculum ſoli corpori præſtat alimentum, animæ verò aliam ſedem dedit. Fecit enim genus quoddam viſcerum molle, atque rarum, quod pulmonem vocamus, in quod ſpiritus reciprocâ viciſſitudine commearet: eumque non in uteri modum finxit, ne effunderetur ſimul ſpiritus, aut ſimul inflaret, ideoque ne plenum quidem viſcus effecit, ſed inſtabile, atque aëris capax, ut paulatim ſpiritum reciperet, dum vitalis ventus per raritatem illam ſpargitur, & eundem denuo redderet, dum ſe illo explicat. Ipſa enim viciſſitudo flandi, ſpirandi reſpirandique vitam corpori ſuſtentat.

Cum ergo duo ſint in Homine receptacula, unum aëris, quod animam reficit: alterum ciborum, quod corpus alit, ut flecti cervix, ac moveri facilè poſſit: duas eſſe per collum fiſtulas neceſſe erat, cibalem, ac ſpiritalem: quarum ſuperior ab ore ad ventrem ferat, inferior à naribus ad pulmonem. Quarum ratio, & natura diverſa eſt. Ille enim, cui ab ore tranſitus eſt, mollis effectus eſt, & qui ſemper clauſus cohæreat ſibi, ſicut os ipſum: quoniam potus, & cibus dimotâ, & patefactâ gulâ, quia corporales ſunt, ſpatium ſibi tranſmeandi faciunt.

Spiritus è contrà, qui incorporalis eſt, ac tenuis, quia ſpatium ſibi facere non poterat, viam patentem ſortitus eſt, quæ gurgulio nominatur. Is ex oſſibus flexuoſis conſtat, ac mollibus, quaſi ex annulis in cicutæ modum invicem compactis, & cohærentibus: patetque ſemper hinc tranſitus. Nullam enim requiem meandi habere ſpiritus poteſt: qui enim ſemper commeat, demiſſâ utiliter de cerebro membri portione, cui uva nomen eſt, velut occurſu quodam refrænatur: ne aut teneritudinem domicilii cum impetu veniens, attractâ peſtilenti aura corrumpat, aut totam nocendi violentiam internis receptaculis perferat.

Ideoque etiam nares breviter apertæ ſunt; quæ idcirco ſic nominantur, quod per eas vel odor, vel ſpiritus nare non deſinit. Tamen huic fiſtulæ ſpiritali, non tantùm ad nares, verùm ad os quoque iter patet in extremis palati regionibus, ubi ſe colles faucium ſpectantes, uvam tollere in tumorem incipiunt. Cujus rei cauſa, & ratio non obſcura eſt; loquendi enim facultas nobis deeſſet, ſi ſicut gulæ iter ad os tantùm, ita gurgulio ad nares tantùm pateret.

Aperuit igitur viam voci Divina ſolertia ex illa fiſtulâ ſpiritali, ut lingua miniſterio ſuo fungi poſſet: & vocis ipſius inoffenſum tenorem, pulſibus ſuis in verba concidere. Qui meatus ſi quo modo interceptus ſit, mutum faciat neceſſe eſt. Errat enim profectò, quiſquis aliam mutorum hominum cauſam ſuſpicatur. Non enim (ut vulgò creditur) vinctam gerunt linguam: ſed vocalem ſpiritum per nares, quaſi mugientes profundunt, quòd voci tranſitus ad os, aut nullus omnino eſt, aut non ſic patens, ut plenam vocem emittat. Quod plerumque naturâ fit, quandoque caſu accidit, ut morbo hic aditus obſeptus vocem non tranſmittat ad linguam, faciatque de loquentibus mutos. Quod cùm acciderit, auditum quoque obſtrui neceſſe eſt: ut quia vocem emittere nequit, ne admittere quidem poſſit. Loquendi ergò cauſâ hic meatus patefactus eſt. Illud quoque præſtat, ut in lavacris celebrandis, quia nares calorem ferre non poſſunt, aër feruens ore ducatur. Item ſi fortè ſpiramenta narium frigoris pituita præcluſerit, per os auram trahere poſſumus, ne obſtructâ meandi facultate, ſpiritus ſtranguletur.

Ratio cur muti naſcantur.

Cibi verò in alvum recepti, & cum potûs humore permiſti, cum jam calore percocti fuerint, eorum ſuccus inenarrabili modo per membra diffuſus, irrigat univerſum corpus, & vegetat. Inteſtinorum quoque multiplices ſpiræ, ac longitudo in ſe convoluta, & uno tantùm ſubſtricta vinculo, quàm mirificum Dei opus eſt! Nam ubi maceratos ex ſe cibos alvus emiſerit, paulatim per illos internorum anfractus extruduntur; ut quidquid illis ſucci ineſt, quo corpus alitur, membris omnibus dividatur. Et tamen ne qui fortè obhæreant, ac reſiſtant, quod fieri poterat propter voluminum flexiones in ſe ſæpe redeuntes, & fieri ſine pernicie non poterat, opplevit ea intrinſecùs craſſiore ſucco, ut purgamenta illa ventris, ad exitus ſuos faciliùs per lubricum mitterentur.

Illa quoque ratio ſubtiliſſima eſt, quod veſica, cujus uſum volucres non habent, cum ſit ab inteſtinis ſeparata, nec ullam fiſtulam habeat, quâ urinam emittat; completur tamen, & humore diſtenditur. Id quomodo fiat, videre difficile non eſt. Inteſtinorum enim partes, quæ ab alvo cibum, potumque ſuſcipiunt, potentiores ſunt quam cæteræ ſpiræ, & multò tenuiores. Hæ veſicam circumplectuntur, & continent. Ad quas partes cum potus, & cibus miſta pervenerint, fimum quidem craſſius fit, & tranſmeat; humor autem omnis per illam teneritudinem percolatur: eumque veſica, cujus æquè tenuis, ſubtilisque membrana eſt, abſorbet, & colligit, ut foras, quà natura exitum patefecit, emittat.

De utero quoque, & conceptione, quoniam de internis loquimur, dici neceſſe eſt, ne quid præteriiſſe videamur. Quæ quanquam in operto latent, ſenſûs tamen, atque intelligentiam latere non poſſunt. Vena in maribus, quæ ſemen continet, duplex eſt, paulò interior, quam illud humoris obſcœni receptaculum. Sicut enim renes duo ſunt, itemque teſtes: ita & venæ ſeminales duæ, in una tantùm compage cohærentes: quod patet in corporibus animalium, cum interfecta aperiuntur: ſed illa dexterior maſculinum continet ſemen, ſiniſterior fœmininum: atque ideo in toto corpore pars dextra maſculina eſt, ſiniſtra verò fœminina. Ipſum ſemen quidam putant ex medullis tantùm, quidam ex omni corpore ad venam genitalem confluere, ibique concreſcere. Sed humana mens, quomodo id fiat, comprehendere nequit. Item in fœminis uterus in duas ſe partes dividit, quæ in diverſum diffuſæ, ac reflexæ circumplicantur, ſicut arietis cornua. Quæ pars in dextram retorquetur, maſculina eſt; quæ in ſiniſtram fœminina. Conceptum igitur Varro, & Ariſtoteles ſic fieri arbitrantur. Ajunt enim, non tantùm maribus ineſſe ſemen, verùm etiam fœminis, & inde plerumque matribus ſimiles procreari; ſed earum ſemen ſanguine eſſe purgatum; quod ſi rectè cum virili miſtum ſit, utraque concreta, & ſimul coagulata informari. Et primùm quidem cor Hominis confingi, quod in eo ſit & vita Hominis, & Sapientia: denique totum opus quadrageſimo die conſummari. Ex abortionibus hæc fortaſſe collecta ſunt.

Quomodo fœminæ concipiant.

Cor humanum eſt primum naſcens.

In avium tamen fœtibus primùm oculos fingi dubium non eſt, quod in ovis ſæpe deprehendimus. Unde fieri non poſſe arbitror, quin fictio à capite exordium ſuum ſumat.

Similitudines autem in corporibus filiorum ſic fieri putant. Cum ſemina inter ſe permiſta coaleſcunt; ſi virile ſuperaverit, patri ſimilem provenire ſive marem, ſive fœminam: ſi muliebre prævaluerit, progeniem cujuſque ſexûs ad imaginem reſpondere maternam. Id autem prævalet è duobus, quod fuerit uberius: alterum enim quodammodo amplectitur, ac includit. Hinc plerumque fieri ſolet, ut unius tantùm lineamenta prætendant. Si verò æqua fuerit ex pari ſemine permiſtio; figuras quoque miſceri: ut ſoboles illa communis, aut neutrum referre videatur, quia totum ex altero non habet; aut utrumque, quia partem de ſingulis mutuata eſt. Nam in corporibus animalium cernimus, aut confundi parentum colores, ac fieri tertium neutri generantium ſimile; aut utriusque ſic exprimi, ut diſcoloribus membris per omne corpus, concors miſtura varietur.

Diſpares quoque naturæ hoc modo fieri putantur. Cùm fortè in lævam uteri partem maſculinæ ſtirpis ſemen inciderit, marem quidem gigni, opinio eſt: ſed ſi in fœminina parte conceptus ſit, aliquid in ſe habere fœmineum, ſupra quàm decus virile patiatur; vel formam inſignem, vel nimium candorem, vel corporis lævitatem, vel artus delicatos, vel ſtaturam brevem, vel vocem gracilem, vel animum imbecillum, vel ex his plura. Item ſi partem in dextram ſemen fœminini ſexûs influxerit, fœminam quidē procreari: quoniam in maſculina parte concepta ſit, habere in ſe aliquid virilitatis, ultra quàm ſexûs ratio permittat; aut valida membra, aut immoderatam longitudinem, aut fuſcum colorem, aut hiſpidam faciem, aut vultum indecorum, aut vocem robuſtam, aut animum audacem, aut ex his plura. Si verò maſculinum in dextram, fœmininum in ſiniſtram pervenerit, utroſque fœtus rectè provenire, ut & fœminis per omnia, naturæ ſuæ decus conſtet; & maribus tam mente, quam corpore robur virile ſervetur.

Illud verò ipſum quàm mirabile inſtitutum Dei eſt, quòd ad conſervationem generum ſingulorum, duos ſexus maris ac fœminæ machinatus eſt, quibus inter ſe per voluptatis illecebras copulatis, ſucceſſiva ſoboles pareretur, ne omne genus viventium conditio mortalitatis extingueret.

Sed plus roboris maribus attributum eſt, quò faciliùs ad patientiam jugi maritalis fœminæ cogerentur. *Vir* itaque nominatus eſt, *quod major in eo vis eſt, quàm in fœmina, & hinc virtus nomen accepit.* Item *mulier* (ut Varro interpretatur) à *mollicie* dicta eſt, immutatâ, & detractâ literâ velut *mollier;* cui ſuſcepto fœtu, cum partus appropinquare jam cœpit, turgeſcentes mammæ dulcibus ſuccis diſtenduntur, & ad nutrimenta naſcentis, fontibus lactis fœcundum pectus exuberat. Nec enim decebat aliud, quàm ut ſapiens animal à corde alimoniam duceret. Idque ipſum ſolertiſſimè comparatum eſt, ut candens, ac pinguis humor teneritudinem novi corporis irrigaret, donec ad capiendos fortiores cibos, & dentibus inſtruatur, & viribus roboretur. Sed redeamus ad propoſitum, ut cætera, quæ ſuperſunt, breviter explicemus.

Vir cur dictus?

Poteram nunc ego ipſorū quoque genitalium membrorum mirificam rationem tibi exponere, niſi me pudor ab hujuſmodi ſermone revocaret:

itaque à nobis indumento verecundiæ, quæ ſunt pudenda velentur. Quod ad hanc rem attinet, queri ſatis eſt; homines impios, ac profanos ſummum nefas admittere, qui divinum, & admirabile Dei opus ad propagandam ſucceſſionem inexcogitabili ratione proviſum, & effectum, vel ad turpiſſimos quæſtus, vel ad obſcœnæ libidis pudenda opera convertunt; ut jam nihil aliud ex re ſanctiſſimâ petant, quam inanem & ſterilem voluptatem.

Quid reliqui corporis partes, num carent ratione, ac pulchritudine? Conglobata in nates caro, quàm ſedendi officio apta, & eadem firmior, quàm in cæteris membris, ne premente corporis mole oſſibus cederet. Item feminum deducta, & latioribus toris valida longitudo, quò faciliùs onus corporis ſuſtineret, quam paulatim deficientem in anguſtum, genua determinant; quorum decentes nodi flexuram pedibus ad gradiendum, ſedendumque aptiſſimam præbent. Item crura, non æquali modo ducta, ne indecens habitudo deformaret pedes; ſed teretibus ſuris aliquantum extantibus, ſenſimque tenuatis, & firma ſunt, & ornata.

In plantis verò eadem quidem, ſed longè diſpar, quàm in manibus ratio eſt: quæ quoniam totius operis quaſi fundamenta ſunt; mirificus eas Artifex, non rotundâ ſpecie, ne Homo ſtare non poſſet, aut aliis ad ſtandum pedibus indigeret, ſicut quadrupedes: ſed porrectiores, longioreſque formavit; ut ſtabile corpus planitie ſuâ efficerent: unde illis inditum nomen eſt. Digiti æquè totidem, quot in manibus, ſpeciem magis, quàm uſum præferentes; ideoque & juncti, & breves, & gradatim compoſiti. Quorum qui eſt maximus, quoniam illum ſicut in manu diſcerni à cæteris opus non erat, ita in ordinem redactus eſt, ut tamen ab aliis magnitudine, ac modico intervallo diſtare videatur. Hæc eorum ſpecioſa germanitas, non levi adjumento niſum pedum firmat. Concitari enim ad curſum nemo poſſit, niſi digitis in humum preſſis, ſoloque nitentibus impetum, ſaltumque capiat.

Explicâſſe videor omnia, quorum ratio intelligi poteſt. Nunc ad ea venio, quæ vel dubia, vel obſcura ſunt.

Multa eſſe conſtat in corpore, quorum vim, rationemque indagare nemo, niſi qui fecit, poterit. An ero enarrare quis poterit, quid utilitatis, quid effectûs habeat tenuis membrana illa perlucens, quâ circumnectitur alvus, ac tegitur? Quid *renum* gemina ſimilitudo? *quos*, ait Varro, *ita dictos, quaſi rivi ab his obſcœni humoris oriantur.* Quid ſplen? quid jecur? quæ viſcera quaſi ex conturbato ſanguine videntur eſſe concreta. Quid fellis amariſſimus liquor? quid globus cordis, qui unus ſanguinis fons eſt? Niſi fortè illis credendum putabimus, qui affectum iracundiæ in felle conſtitutum putant; pavoris in corde, lætitiæ in ſplene. Ipſius autem jecoris officium volunt eſſe, ut cibos in alvo concoquat amplexu, & calefactu ſuo. Quidam libidines rerum venerearum in jecore contineri arbitrantur.

Primùm iſta intueri clarius acumen humani ſensûs non poteſt, quia horum officia in operto latent, nec uſus ſuos patefacta demonſtrant. Nam ſi ita eſſet; fortaſſe placidiora quæque animalia vel nihil fellis omnino, vel minus haberent, quàm feræ: timidiora plus cordis, ſalaciora plus jecoris, laſciviora plus ſplenis habuiſſent. Sicuti igitur ſentimus audire nos auribus, oculis cernere, naribus odorari, pari modo utique nos felle iraſci, jecore cupere, ſplene gaudere ſentiremus. Cùm autem, unde affectus hi proveniant, minimè ſentiamus, fieri poteſt, ut aliunde veniant, & aliud viſcera illa, quàm ſuſpicamur, efficiant. Nec tamen convincere poſſumus, falſa eos, qui hæc diſputant, aſſerere. Sed omnia quæ ad motus animi, Animæque pertinent, tam obſcuræ, altæque rationis eſſe arbitror, ut ſupra Hominem ſit, ea liquidò videre. Id tamen certum, & indubitatum eſſe debet, res tot, tantaque viſcerum genera, unum, & idem habere officium, ut animam contineant in corpore. Sed quid propriè muneris ſingulis ſit injunctum, quis ſcire, niſi Artifex poteſt, cui ſoli opus ſuum notum eſt.

De voce autem, quam rationem reddemus? Grammatici quidem, ac Philoſophi *vocem eſſe* definiunt, *aërem ſpiritu verberatum: unde verba ſunt nuncupata.* Quod perſpicuè falſum eſt. Non enim vox extra os gignitur, ſed intra: & ideo veriſimilior ſententia eſt; ſtipatū ſpiritum, cum obſtantiâ faucium fuerit illiſus, ſonum vocis exprimere; veluti cum in patentem cicutam labroque ſubjectam dimittimus ſpiritum, & is cicutæ concavo repercuſſus, ac revolutus à fundo, dum deſcendentem ab occurſu ſuo reddit, ad exitum nitens, ſonum gignit, & in vocalem ſpiritum reſiliens, per ſe ventus animatur. Quod quidem an verum ſit, Deus artifex viderit. Videtur enim non ab ore, ſed ab intimo pectore vox oriri.

Denique & ore clauſo ex naribus emittitur ſonus, qualis poteſt. Præterea ex maximo ſpiritu, quo anhelamus, vox non efficitur: & levi, & non coarctato ſpiritu, quoties volumus, efficitur. Non eſt igitur comprehenſum, quomodo fiat, aut quid ſit omnino. Nec me nunc in Academiæ ſententiam delabi putes; quia non omnia ſunt incomprehenſibilia. Ut enim fatendum eſt, multa neſciri, quæ voluit Deus intelligentiam Hominis excedere: ſic tamen multa eſſe, quæ poſſint & ſenſibus percipi, & ratione comprehendi. De his aliàs: conficiamus interea ſpatium, quo nunc decurrimus.

Mentis quoque rationem incomprehenſibilem eſſe, quis neſciat, niſi qui omnino illam non habet? Varia quidem à Philoſophis de naturâ ejus, ac loco diſputata ſunt. At ego non diſſimulabo, quid ipſe ſentiam; ut expoſitâ rei difficultate intelligas, quanta ſit divinorum operum magnitudo. Quidam ſedem Mentis in pectore eſſe voluerunt. Quod ſi ita eſt, quanto tandem miraculo dignum eſt, rem in obſcuro, ac tenebroſo habitaculo ſitam, in tanta Rationis, atque intelligentiæ luce verſari: tum quod ad eam ſenſus ex omni corporis parte conveniunt, ut in qualibet regione membrorum præſens eſſe videatur.

Alii ſedem ejus in cerebro eſſe dixerunt: & ſanè argumentis probabilibus uſi ſunt. Oportuiſſe ſcilicet, quod totius corporis regimen haberet, potiùs in ſummo tanquam in arce habitare: nec quicquam eſſe ſublimius, quàm id, quod Univerſum Ratione moderetur, ſicut ipſe Mundi Dominus, & rector in ſummo eſt. Deinde quòd ſenſûs omnis, id eſt, audiendi, & videndi, & odorandi miniſtra membra in capite ſunt locata: quorum omnium viæ non ad pectus, ſed

Sedes Animæ in Cerebro.

ad cerebrum ferant. Alioqui neceſſe nos eſſet tardiùs ſentire, donec ſentiendi facultas longo itinere per collum ad pectus uſque deſcenderet. Ii vero aut non multum, aut fortaſſe non errant. Videtur enim Mens, quæ dominatum corporis tenet, in ſummo capite conſtituta, tanquam in cœlo Deus: ſed cum in cogitatione quadam ſit, commeare ad pectus, & quaſi ad ſecretum aliquod penetrale ſecedere, ut conſilium tanquam ex theſauro recondito, eliciat, ac proferat. Ideoque cum intenti ad cogitandum ſumus, & cùm mens occupata in altum ſe abdiderit, neque audire quæ circumſonant, neque videre, quæ obſtant, ſolemus.

Id verò ſive ita ſit, admirandum profectò eſt, quomodo fiat, cùm ad pectus ex cerebro nullum iter pateat: ſi autem ſecus, hoc nihilominus admirandum, quod divinâ neſcio quâ ratione fiat, ut ita eſſe videatur. An poteſt aliquis non admirari, quod ſenſus ille vivus, atque cœleſtis, qui mens, vel animus nuncupatur, tantæ mobilitatis eſt, ut ne tum quidem, cum ſopitus eſt, conquieſcat: tantæ celeritatis, ut uno temporis puncto cœlum omne colluſtret: &, ſi velit, maria pervolet: terras, ac urbes peragret: omnia denique, quæ libuerit, quamvis longè lateque ſummota ſint, in conſpectu ſibi conſtituat? Et miratur aliquis ſi Divina Mens Dei per univerſas mundi partes intenta diſcurrit, & omnia regit, omnia moderatur, ubique præſens, ubiq; diffuſa? Cùm tanta ſit vis ac poteſtas Mentis humanæ intra mortale corpus incluſæ; ut ne ſeptis quidem gravis hujus, ac pigri corporis, cui illigata eſt, coërceri ullo pacto poſſit; quò minùs ſibi liberam vagandi facultatem, quietis impatiens largiatur.

Animus, quamvis ſopitus, ſemper operatur.

Sive igitur in capite Mens habitat, ſive in pectore; num comprehendere quis poterit quæ vis rationis efficiat, ut ſenſus ille incomprehenſibilis, aut in medulla cerebri hæreat, aut in ſanguine bipertio, qui incluſus in corde eſt? ac non ex eo ipſo colligat, quanta ſit Dei poteſtas, quòd animus ſeipſum non videt, aut qualis, aut ubi ſit: nec ſi videat tamen, perſpicere poſſit, quo pacto rei corporali, res incorporalis adjuncta ſit. Sive etiam Mentis locus nullus eſt, ſed per totum corpus ſparſa diſcurrit; quod etiam fieri poteſt, & à Xenocrate Platonis diſcipulo diſputatum eſt; ſiquidem ſenſus in qualibet parte corporis præſto eſt: nec quid ſit Mens, nec qualis, intelligi poteſt, cùm ſit naturâ tam ſubtilis, ac tenuis; ut ſolidis viſceribus infuſa, vivo, & quaſi ardente ſenſu membris omnibus miſceatur.

Opinio Ariſtoxeni reprobatur.

Illud autem cave, ne unquam ſimile veri putaveris, quod Ariſtoxenus dixit, *Mentem omnino nullam eſſe, ſed quaſi harmoniam in fidibus ex conſtructione corporis, & compagibus viſcerum, vim ſentiendi exiſtere.* Muſici enim intenſionem, concentumque nervorum in integros modos ſine ulla offenſione conſonantium *Harmoniam* vocant. Volunt igitur animum ſimili ratione conſtare in Homine, quâ & concors modulatio conſtat in fidibus. Scilicet ut ſingularum corporis partium firma conjunctio, membrorumq; omnium conſentiens in unum vigor, motum illum ſenſibilem faciat, animumq; concinnet; ſicut ſunt nervi bene intenti ad conſpirantem ſonum. Et ſicuti in fidibus, cùm quid aut interceptum, aut relaxatum eſt, omnis canendi ratio turbatur, & ſolvitur: ita in corpore, cum pars aliqua membrorum vitium duxerit, deſtrui univerſa, corruptiſque omnibus atq; turbatis, occidere ſenſum, eamque mortem vocari. Verum ille, ſi quicquam Mentis habuiſſet, non harmoniam de fidibus ad Hominem tranſtuliſſet. Non enim canere ſuâ ſponte fides poſſunt; ut ſit ulla in his comparatio, ac ſimilitudo viventis. Animus autem ſuâ ſponte & cogitat, & movetur. Quòd ſi quid in nobis harmoniæ ſimile eſſet, ictu moveretur externo, ſicut nervi manibus; qui ſine tactu artificis, pulſuq; digitorum muti, atq; inertes jacent. Sed nimirum pulſandus ille manu fuit; ut aliquando ſentiret, quod Mens ejus ex membris malè compacta torpebat.

Supereſt de Anima dicere: quanquam percipi ratio ejus, & natura non poſſit. Nec ideo tamen im̃ortalem eſſe Animam non intelligimus: quoniam quidquid vivit, moveturque per ſe ſemper; nec videri, aut tangi poteſt? æternum ſit, neceſſe eſt. Quid autem ſit *Anima*, nondum inter Philoſophos convenit, nec unquam fortaſſe conveniet. *Etenim* alii *ſanguinem eſſe dixerunt*, alii *ignem*, alii *ventum: unde Anima, vel Animus nomen accepit: quod Græcè ventus ἄνεμος dicitur.* Nec illorum tamen quiſquam dixiſſe aliquid videtur. Non enim̃ ſi Anima ſanguine aut per vulnus effuſo, aut febrium calore conſumpto, videtur extigui, continuò in materia ſanguinis Animæ ratio ponenda eſt. Veluti, ſi in quæſtionem veniat, lumen, quo utimur, quid ſit, & reſpondeatur oleum eſſe, quoniam conſumpto illo lumen extinguitur: cum ſint utique diverſa; ſed alterum ſit alterius alimentum. Videtur ergo Anima ſimilis lumini eſſe, quæ non ipſa ſit ſanguis: ſed humore ſanguinis alitur, ut lumen oleo.

Anima credebatur, ſanguis, ignis, ventus.

Sanguis eſt nutrimentum Animæ, ut oleum Lucernæ.

Qui autem ignem putaverunt, hoc uſi ſunt argumento: quod præſente Animâ corpus caleat, recedente frigeſcat. Sed ignis & ſenſu indiget, & videtur, & tactu comburit. Anima verò & ſenſu aucta eſt, & videri non poteſt, non adurit. Unde apparet Animam, neſcio quid, eſſe Deo ſimile. At illi, qui ventum putant, hoc falluntur; quod ex aëre ſpiritum ducentes, vivere videamur. Varro itaq; definit: *Anima eſt aër conceptus ore defervefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffuſus in corpus.* Hæc apertiſſimè falſa ſunt. Neque enim tam obſcuram nobis hujuſmodi dico eſſe rationem, ut ne hoc quidem intelligamus, quid verum eſſe non poſſit. An ſi mihi quis dixerit, æneum eſſe cœlum, aut vitreum, aut (ut Empedocles ait) aërem glaciatum; ſtatimne aſſentiar, quia cœlum, ex qua materia ſit, ignorem? Sicut enim hoc neſcio, ita illud ſcio.

Anima ergò non eſt aër ore conceptus, quia multò prius gignitur Anima, quàm concipi aër ore poſſit. Non enim poſt partum inſinuatur in corpus, ut quibuſdam Philoſophis videtur; ſed poſt Conceptum protinus, cum fœtum in utero neceſſitas Divina formavit: quia adeo vivit intra viſcera genitricis, ut & incremento augeatur, & crebris pulſibus geſtiat emicare. Deniq; abortum fieri neceſſe eſt, ſi fuerit animal intus extinctum. Cæteræ definitionis partes eò ſpectant, ut illis novem menſibus, quibus in utero fuimus mortui fuiſſe videamur. Nulla ergò ex his tribus vera ſententia eſt. Nec tamen in tantum eos falſos eſſe dicendum eſt, qui hæc ſenſerunt, ut omnino nihil dixerint. Nam & ſanguine ſimul, & calore, & ſpiritu vivimus. Sed cum conſtet Anima in corpore his omnibus adunatis, non expreſſerunt propriè, quid eſſet: quia tam non poteſt exprimi, quàm videri.

Sequitur alia, & ipſa inextricabilis quæſtio; Idemne ſit Anima, & Animus: an verò aliud ſit illud,

Anima, & animus ſintne unum?

illud, quo vivimus, aliud autem, quo ſentimus, & ſapimus. Non deſunt argumenta in utramque partem. Qui enim unum eſſe dicunt, hanc rationem ſequuntur, quod neq; vivi ſine ſenſu poſſit, nec ſentiri ſine vitâ: ideoque eſſe non poſſe diverſum id, quod non poteſt ſeparari: ſed quidquid eſt illud, & vivendi officium, & ſentiendi habere rationem. Idcirco Animum, & Animam indifferenter appellant.

Qui autem diverſa eſſe ſuſtinent ſic argumentantur: Ex eo poſſe intelligi, aliud eſſe mentem, aliud eſſe Animam: quia incolumi Animâ mens poſſit extingui, quod accidere ſoleat inſanis. Item, quod Anima morte ſopiatur, animus ſomno: & quidem ſic, ut non tantum, quid faciat, aut ubi ſit, ignoret, ſed etiam rerum falſarum contemplatione fallatur. Quod ipſum quomodo fiat, videri non poteſt: cur fiat, poteſt. Nam requieſcere nullo pacto poſſumus, niſi mens viſionum imaginibus occupata teneatur. Latet autem Mens oppreſſa ſomno, tanquam ignis obducto cinere ſopitus: quem ſi paululum commoverit, rurſus ardeſcit, & quaſi evigilat. Avocatur ergò ſimulacris, donec membra ſopore irrigata vegetentur. Corpus enim vigilante ſenſu, licet jaceat immobile, tamen non eſt quietum: quia flagrat in eo ſenſus, & vibrat, ut flamma; & artus omnes ad ſe adſtrictos tenet. Sed poſtquam mens ad contemplandas imagines, ab intenſione traducta eſt, tunc demum corpus omne reſolvitur in quietem. Traducitur autem mens cogitatione cæcâ, cùm cogentibus tenebris ſecum tantum eſſe cœperit: dum intenta eſt in ea, de quibus cogitarat; repentè ſomnus obrepit, & in ſpecies proximas ſenſim ipſa cogitatio declinat: ſic ea, quæ ſibi ante oculos poſuerat, videre quoque incipit. Deinde procedit ulterius, & ſibi avocamenta invenit; ne ſaluberrimã quietem corporis interrumpat. Nam ut mens per diem veris viſionibus avocatur, ne obdormiat; ita falſis nocte, ne excitetur. Nam ſi nullas imagines cernat, aut vigilare illam neceſſe eſt, aut perpetuâ morte ſopiri.

Mens ſemper operatur, vigilans, & dormiens.

Dormiendi ergò causâ tributâ eſt à Deo ratio ſomniandi. & quidem in commune univerſis animantibus; ſed illud Homini præcipuè, quod cùm eam rationem Deus quietis causâ daret, facultatem ſibi reliquit docendi hominem futura per ſomnium. Nam & hiſtoriæ ſæpe teſtantur, extitiſſe ſomnia, quorum præſens, & admirabilis fuerit eventus: & reſponſa vatum noſtrorum ex parte ſomniis conſtiterunt. Quare neq; ſemper vera ſunt, neque ſemper falſa, Virgilio teſte, qui *duas portas voluit eſſe ſomniorum.* Sed quæ falſa ſunt, dormiendi causâ videntur: quæ vera immittuntur à Deo, ut imminens bonum, aut malum, hac revelatione diſcamus.

Illud quoque venire in quæſtionem poteſt: Utrumne Anima ex patre, an potiùs ex matre, an verò ex utroq; generetur? Sed ego id meo jure, ab ancipiti vendico. Nihil enim ex his tribus verum eſt: quia neq; ex utroque, neque ex alterutro feruntur animæ corporibus. Corpus enim ex corporibus naſci poteſt, quoniam confertur aliquid ex utroque: de Animis Anima non poteſt, quia ex re tenui, & incomprehenſibili nihil poteſt decedere. Itaque ſerendarum Animarum uni, ac ſoli Deo ſubjacet.

Denique cœleſti ſumus omnes ſemine oriundi:
Omnibus ille idem Pater eſt.

Ut ait Lucretius. Nam de mortalibus non poteſt quicquam, niſi mortale generari. Nec putari debet à parentibus dari Animas, ſed ab uno, eodemque omnium Deo patre; qui legem, rationemq; naſcendi tenet ſolus: ſiquidem ſolus efficit. Nam terreni parentis nihil eſt, niſi ut humorem corporis, in quo eſt materia naſcendi, cum ſenſu voluptatis emittat, vel recipiat. Cætera jam Dei ſunt omnia; ſcilicet Conceptus ipſi, & corporis informatio, & inſpiratio Animæ, & partus incolumis, & quæcumq; deinceps ad Hominem conſervandum valent: illius munus eſt, quod ſpiramus, quòd vivimus, quòd vigemus. Nam præterquam, quòd ipſius beneficio incolumes ſumus corpore, & quod victum nobis ex variis rebus ſubminiſtrat: Sapientiam quoque Homini tribuit, quam terrenus pater dare nullo modo poteſt. Ideoque & de ſapientibus ſtulti, & de ſtultis ſapientes ſæpe naſcuntur; quod quidem fato, ac ſideribus aſſignant.

Sed non eſt nunc locus de fato differendi: hoc dicere ſatis eſt, quòd etiamſi aſtra efficientiam rerum continent; nihilominus omnia à Deo fieri certum eſt, qui aſtra ipſa & fecit, & ordinavit. Inepti ergò, qui hanc poteſtatem Deo detrahunt, & operi ejus attribuunt.

Hoc igitur Dei munere cœleſti, atq; præclaro an utamur, in noſtra voluit eſſe poteſtate. Hoc enim conceſſo, ipſum Hominem virtutis ſacramento religavit, quo vitam poſſet adipiſci. Magna eſt enim vis Hominis, magna ratio, magnum ſacramentum. A quo ſi quis non defecerit; nec fidem ſuam, devotionemq; prodiderit, hic beatus, hic deniq; (ut breviter finiam) ſimilis Deo ſit neceſſe eſt. Errat enim quiſquis Hominem carne metitur. Nam corpuſculum hoc, quo induti ſumus, mentis receptaculum eſt; quæ neq; tangi, neque aſpici, neque comprehendi poteſt; quia latet intra hoc, quod videtur. Homo autem, ſi delicatus magis, ac tener in hac vita fuerit, quàm ratio ejus expoſcit; ſi virtute contemptâ, deſideriis ſe carnis addixerit: cadet, & premetur in terram, opprimeturque à tenebris: ſin autem (ut debet) ſtatum ſuum, quem rectum rectè ſortitus eſt, promptè, conſtanterque defenderit; ſi terræ, quam calcare ac vincere debet, non ſervierit: immarceſcibilis coronæ præmium merebitur.

Hæc ad te, Demetriane, interim paucis, & obſcuriùs fortaſſis, quàm decuit, pro rerum, ac temporis neceſſitate peroravi: quibus contentus eſſe debebis, plura & meliora lecturus, ſi nobis indulgentia cœlitus venerit. Tunc ego te ad veræ Philoſophiæ doctrinam, & planiùs, & veriùs cohortabor. Statui enim, quàm multa potero, literis tradere, quæ ad vitæ beatæ ſtatum ſpectent: & quidem contra Philoſophos; quoniam ſunt ad perturbandam veritatem pernicioſi, & graves. Incredibilis eſt enim vis Eloquentiæ: & argumentandi, differendiq; ſubtilitas quemvis facilè deceperit: quos partim noſtris armis, partim verò ex ipſorum inter ſe concertatione ſumptis revincemus. Fortaſſe miteris, quod tantum facinus audeam. Patiemurne igitur extingui, aut opprimi veritatem? Ego verò libenter vel ſub hoc onere defecerim. Nam ſi M. Tullius Eloquentiæ ipſius unicum exemplar ab indoctis, & ineloquentibus, quia tamen pro veritate nitebantur, ſæpe ſuperatus eſt: cur deſperemus, veritatem ipſam contra fallacem, captioſamque facundiam, ſuâ propriâ vi, & claritate valituram? Illi quidem ſeſe patronos veritatis profiteri ſolent. Sed quis poteſt eam rem defendere, quam non didicit aut illuſtrare apud alios, quam ipſe non novit? Magnum videor polliceri: ſed cœleſti opus eſt munere, ut nobis facultas, ac tempus ad propoſita perſequenda tribuatur.

Quod

Quod ſi vita eſt optanda ſapienti: profectò nullam aliam ob cauſam vivere optaverim; quàm ut aliquid efficiam, quod vitâ dignum ſit; & quod utilitatem legentibus, etſi non ad eloquentiam (quia tenuis in nobis facundiæ rivus eſt) ad vivendum tamen afferat: quod eſt maximè neceſſarium. Quo perfecto ſatis me vixiſſe arbitrabor, & officium Hominis impleſſe; ſi labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos, ad iter cœleſte direxerit.

Hucuſque celebris ille vir, cujus traditionibus qui velit quicquam addere, huic neque facundia M. Tullii, neque claritas Chryſoſtomi nimia fuerint. Quantò major fuit mea audacia, qui eruditiſſimis illius expreſſionib⁹ ſubinde de meo aliquid addidi, idque tui potiſſimùm gratiâ, Urbane Lector. Purgabo tamen me eodem Lactantii dicto: *Patiemurne veritatem extingui?* Quomodo enim poteram in materia *Hominis* declinare ſignificationes tam operi accommodatas, doctrinam adeo excelſam, Eloquentiam tam nervoſam? Scio me non lucem, ſed tenebras offudiſſe potius tantæ claritati. Quantulacunque igitur ex propria penu derivant, ſiquidem fuerim, aut in periodis longus, aut in verbis incultus, aut in diſtributionibus inordinatus, ingratus, durus, aut inconcinnus: ſic habe excuſatos errores meos, ut ſuos petiit excuſari Martialis.

Lib. 1. Epigr. ad Avitum.

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura
Quæ legis: hic aliter non fit Avite liber.

Et cum Satyrico, veniam hiſce verſibus impetraturum me ſpero:

—— —— *Non ego parvis*
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo?
Ut Scriptor ſi peccat idem librarius uſque,
Quamvis eſt monitus, veniâ caret? & Citharœdus
Ridetur, chordâ qui ſemper oberrat eâdem.

Quod ſupereſt, bonâ noſtrâ voluntate, & prompto tuis commodis ſerviendi animo ſupplere digneris. Sequere me interea, te obſecro, itemque invito.

COELIUS RHODIGINUS.

SEquere me inquam, obſecro te, itidemque invito. Quàm vellem, humaniſſime Lector, ut liceat perducere cupidum, ſive ad fœcunda Pacis, & Minervæ oliveta: ſive ad Platonis, aut Xerxis viridantes Platanos: ſive ad delitioſas Accademi amœnitates in Theſſalia, quibus Tempe inditum nomen: ſive per floridas valles illius ſponſæ, quæ Dilectum ſuum in Canticis invitavit ad umbras palmarum. Sed quid ego hæc nunc opto, quæ in mea nec ſunt, nec erunt poteſtate. Libet ſaltem id, quod licet (tametſi id arduum mihi eſt, atque difficile, ut ſolet eſſe finis cujuſque rei:) offerre tibi videlicet *Cœlium Rhodiginum*, Authorem clariſſimum ſimul, ac probatiſſimum, qui ſententiis, ac fundamentali doctrinâ æquè abundans ſcripſit de *Homine*: tantâ tamen prolixitate in primo atque ſecundo Libro magni ſui Voluminis, ut ſi eum perfectè, ac plenariè traducere hîc vellem, metuam, ne amœnarum callium loco, in ſpinas potiùs ac tribulos abductum te, conqueri poſſis, unde plus tædii, quàm lætitiæ reportes. Altæ enim ſunt illius periodi; difficilia illus argumenta: nimiſque exactum Commentatorem illius ſententiæ requirunt, quæ quo ſunt magis ſuccinctæ, eò majori ſunt eruditione prægnantes. Neque ego in hoc Labyrintho me ſufficienter inſtructum reperio eloquentiæ filo, quo tibi fiam Ariadna. Quid ergo? Num fortaſſis, qui hactenus de Materia Hominis tractavi, abſterreri me patiar eo motu, ne obſcurus poſt hac aliquantùm factus videar? Aut potero eum, qui tam eruditè, ac judicioſè egit de *Homine*, hîc ſilentio præterire? Confiteor ruditatem, imperitiam, ac propoſitum meum, benigne, ac ſuaviſſime Lector; neque tam operis difficultate, aut obſcuritate, quàm nimiâ illius prolixitate repellor, quâ ipſe in declaratione partium anatomicâ, ad eum modum, quem in priori volumine obſervavi, fusè exſpatiatur. Patiarne igitur perenni ſcaturigine decurrere hunc fontem, quin exilem rivulum noſtro uſui accommodem? An cum Tantalo ad hæc fluenta ſiti potius emoriar? Nec poſſum, nec volo contra eorum commoda, qui potiones iſtas ſitiunt, ſive contra rationem illius argumenti, cujus enodationem ſuſcepi, quidquam agere. Iconologici, ut elementum aquæ repræſentarent, pinxerunt mulierem, quæ dexterâ urnam regebat, aquâ plenam, eamque in aliam rurſus urnam effundebat, ut per modicum illud aquæ, quod illic apparet, perennes, & uberrimos fluminum fontes indicarent. Ita ego, quo illius abundantiæ nihil derogem, principia ſaltem & inſcriptiones capitulorum primis labris deguſtabo. Cui verò arriſerit ad ejus fluenta plenis faucibus exſatiari, ad ipſum fontem remittimus, famoſa nimirum ipſius Authoris volumina, ubi per Miraculum illud animatum, quod Hominem dicimus, pleno alveo decurrit.

Vaſtum igitur eſt Capitulum trigeſimum octavum, in quo illud maximè agit, quod nos in *Diſcurſu Proœmiali* explicavimus. Eſſe videlicet Hominem Miraculum miraculorum, & quodammodo omnia, Dei quoque ſimulacrum, ac æmulum: ubi fusè tractat de ejusdem Hominis eſſentia, & quâ ratione Miraculi nomen illi competat. In ſequentibus diſſerit, tres omnino Mundos eſſe, quibus quarto loco Hominem annumerat, utpote in quo uno ſimulacra trium reliquorum tanquam in compendio concurrant: Materia à me in Diſcurſu Proœmiali primi Voluminis ſuperiùs agitata.

Curioſam planè quæſtionem, Capite quadrageſimo proponit: Poſſitne caſu fortuito ex terra Homo generari? Ubi complures animalium ſpontaneas generationes adducit. Aſſignat præterea cauſam & Originem Diluvii univerſalis, idque ex mente Averrhoës. Oſtendit in ſigno arietis dari quandam diſpoſitionem, & influxum ſtellarum, ſub quo animalia nonniſi Monſtroſâ effigie progenerentur, illiuſque Propoſitionis Authorem facit Avicennam.

Quadrageſimo primo Capite Hominis Etymologiam deſcribit, quem Hebræi Enos, vel Adam nuncupant. Latinum verò Hominis vocabulum, *Homo* ab *humo*, ſive terrâ derivari. Diſcutit & illam quæſtionem, poſſitne hoc nomine rectè intelligi & fœmina; videturque ſtare pro affirmativâ, nixus Authoritate ſacrarum literarum, ex quibus diſcimus, quòd *Maſculum, & fœminam creavit eos.*

Etymologia Hominis.

Reaſſumit in quadrageſimo ſecundo laudes Hominis, inſtituitque illius cum Mundo comparationem, multa in hanc rem de ſtellis earumq;

proprietatibus diſſerit: affertque concinnam Alberti Magni ſententiam, qui ait: *Hominis membra ſitu, ac proportione ſunt ſimilia mundo, ideo perfectiſſima.* Illudque Capitulum M. Tullii Ciceronis eleganti dicto concludit: *ex tot animantium generibus, atque naturis, Homo tantùm factus eſt rationis particeps, & cogitationis.*

Animæ Nobilitas.

In quadrageſimo tertio nobilitatem Hominis magnopere extollit, deſumpto argumento à dignitate Animæ, quam & mentem, Deique imaginem, & conductricem, ſeu quaſi vehiculum ad Deum nuncupat: & deſuper authoritatem Platonis, Pythagoræ, & Ariſtotelis implorat, quibus multa eruditionis gratiâ interſerit; & hoc dicto rem totam illuſtrat: *Orbati Animâ ſterquilinio abjectiores eſſe videntur.* Interpretatur opinionem Sexti Empirici, qui unà cum cæteris Pythagoræ diſcipulis affirmabat: *Spiritum in modum Animæ rebus cunctis interfuſum.*

Proſequitur in quadrageſimo quarto diſcurſum ſuum de Anima, ubi diſtribuit, exponitque Potentias illius; Mentem lumini, ac viſui aſſimilat. Moratur nonnihil in Mythologia bifrontis Jani, qui Animam repræſentat, eumq; undiq; contemplatur. Hinc Animæ officia explicat, & quid ſit, Animam à corpore ſeparari. Affert præterea elegantem Stagiritæ diſtinctionem, dum ait: *Manum corpori eſſe inſertam, animo autem Mentem*, & dictum ejus ex Rhetoricorum libris. *Mentem, ut lumen, accendit in Anima Deus.* Dividit Animam in inferiorem, quam Rationem, ſeu diſcurſum vocat; & ſuperiorem, quam divinam, ſeu intellectum appellat, & hic erat Janus ille bifrons, de quo diximus. Adducit opinionem Zoroaſtri, ejuſque aſſeclarum, qui ignem eam dixerunt; & concludit in hæc verba: *Luminoſa eſt claritas, quam impertitur Animæ Deus, cui per unitatem ſibi impreſſam, quæ eſt unitatis Divinæ character, conjungitur: à quâ unitate tanquam à fonte, profluunt vires aliæ.*

Pergit in quadrageſimo quinto exponere quid ſit Anima: quod ejus idolum, imago, atque umbra: ſimulq; ſcrutatur ubi primò factum ſit animal: una cum myſtica nominum *Adami, ac Evæ* interpretatione: dicendo ab initio: *Actus ejus inſeparabilis ſubſtantiale quoddam eſt, ac vivificum.* Et quantùm ad nomina, producit authoritatem antiquorum, Origenis, & Ammonii, qui inter myſtica Moyſis de illis egerunt. Sic porro effatur: *Siquidem Hominem ipſum, id eſt, Animam intelligunt, quaſi Adam; humanum vero animal inde tractum, atque degenerans quaſi Evam, tractum inquiunt ex Anima dormiente.* Et illa per ſententiam Redemptoris, *erunt duo in carne una*, commentatur. Deductum & ipſum ex Geneſi ad inſtructionem conjugum: *id eſt, duas quaſi in uno corpore Animas.* Concludit tandem cum Magno Auguſtino, qui ait: *Singulis noſtrum ineſt mulier; hæc quippe caro noſtra Eva eſt, quæ ſeducit virum, id eſt, rationem; per quam carnem labitur Homo: quem lapſum calcanei nomine, prophetica indicat ſententia.*

Homo vitioſus appellatur Eva.

In quadrageſimo ſexto triplex Animæ officium explicat, & maximè vegetativæ; duo inſuper organa facultatis altricis. Separatim loquitur de nutritione, & augmentatione, tam in quali, quàm in quanto. De facultate item generatrice, ipsâque generatione. In ſequentibus cuivis animali virtutem tam animalem, quàm naturalem attribuit; ſtatuens cum Ariſtotele & Avicenna: *Omnium iſtarum virtutum principium in corde conſtitui.* Ex mente verò Medicorum ait: *Sentiendi fons ex Organo profluit, nihilominus Organum peculiare habet ſenſuum unuſquiſque.*

Principium virtutum omnium in corde eſt.

Diſſerit in quadrageſimo octavo de commoditate, ac neceſſitate ſenſuum; in quo ſenſus ſinguli conſiſtant, quæ illorum origo. Cur illis à Natura ſeptem paria nervorum diſtributa. Unde contingat Animam in illis plus virium ſuarum exercere. Proinde rem totam ad animam refert. Efficere videlicet animam: *ut conſtet Homo, vivat, ſentiat, hoc eſt, animal ſit: hæc enim mortale corpus alit, vivificat, illuminat.* A corde iram derivat, calorem præterea, ac virtutem pulſativam, quam tamen ſimul arteriis tribuit. Hepati digeſtionem, nutritionem, & augmentationem aſcribit. In cerebro ſenſuum ac motûs originem collocat; quam doctrinam prolixè tradit, eamque ſe hauſiſſe ex Galeno, qui in fine libri quarti de Morbo & accidentibus, ait: *Cerebrum ad omnia corporis membra virtutem emittere.*

Amplius in ſequenti Capite de materiâ ſenſuum evagatur, ſecutus mentem Ariſtotelis de Origine ſenſuum, agitque de duplici medio, quo producitur ſenſus. Odoratum inter minus neceſſarios reponit. De auditu & viſu ſic habet: *Duo, id eſt, videndi, & audiendi, maximè in capite ſunt poſiti, propter ſenſoriam naturam:* Ulteriùs de viſu diſſerit, quomodo nervi optici, ſeu viſorii ferantur ad cerebrum. Guſtui, & tactui magnam cum corde familiaritatem intercedere, & finit per auream planè, meo judicio, ſententiam. *Viſus, & auditus ad ſcientiam valent comparandam, inprimis modo duplici, quo adſcitur doctrina.*

Viſu & auditu ſcientiæ comparantur.

In quinquageſimo comparationem inſtituit cum quatuor elementis, & pari ſenſuum numero, qui tametſi quinque ſint, quatuor tamen ſolummodo ad ſalutem animalis neceſſarios conſtanter defendit. De ſimilitudinis ratione, ſunt hæc illius verba: *Tactus terræ habet rationem; Guſtus autem aquæ; quippe humectatione guſtabilium percipit qualitatem. Aëris verò appulſus ex ictu, unde ſonus naſcitur, aut vox, Auditum perficit. Olfactus ignem reſpicit, nam ex qualitate calida odores proveniunt.* Non illi è memoria excidit ſenſuum nobiliſſimus, viſus inquam, de quo ita ſcribit: *Videndi, ratio ex æthere contemperatur, & lumine.* En tibi lucidam, & firmam planè doctrinam.

Senſus elementis comparati.

Declarat in ſubſequenti Capite Plinii textum de ſenſu communi, dum & ipſe de ſenſu interno loqueretur, de quo cum Averrhoë cæteriſque Ariſtotelis interpretibus ita ſentit: *Omnes, quæ ab extimis quinque ſenſibus hauſtæ fuerint, imagines colligit, ac percipit; quare Communis dicitur Senſus.* Hunc vi Imaginationis intendi poſſe. Vult tandem cum Plinio, ſenſum hunc communem aliud nihil eſſe, quàm ipſam Mentem, ſeu Animum, operationum omnium, & vitæ totius judicem, ac directorem. Idque ex illius mente ſic exponit: *Animo videmus, Animo cernimus.* Et paulo infra de oculis loquendo, *Sic*, ait, *in morbo Comitiali aperti nihil cernunt, animo caligante.*

Senſus communis quid ſit.

In ſecundo, & quinquageſimo Capite ad longum in vitia hominum invehitur, qui brutis ipſis beſtiis in iram, libidinem, concupiſcentiam, & genus omne vitiorum proniores, efferatiores, & ſalaciores, vel in eo beſtiis ſunt deteriores, quod hæ certo ſaltem anni tempore Veneri indulgent. Quantum ab hoc vivendi genere abhorruerint multi olim ſapientes, enarrat: dum pars eorum deſertis urbibus, & relicto omni commercio hu-

Homo in libidinem beſtiis ipſis pronior.

mano ſe in ſylvas abdiderunt, pars ſeipſos excæcârunt, ne vanitatem & laſciviam hujus ſæculi viderent. Totùm id ſancta quâdam, ut mihi quidem videtur, ſententiâ confirmat: *Certè per quinque ſenſus, veluti per feneſtras, ad Animam uſque penetratur; hæc defigunt humi, ut inquit Horatius, divinæ particulam auræ; nec enim capi Mentis arx poteſt, niſi per hæc, portarum obicibus perfractis, & prorſus ſublatis.* His laqueis irretitur, & capitur infelix Anima; ſicut illam è contrario ineffabilis conſolatio manet, ſiquidem curis, aliisque impedimentis ſe ipſam liberet, quæ illam cum corporis etiam detrimento multùm cæteroquin affligunt.

Senſus non eſt idem cum intellectu.

Capite ultimo eruditè eam quæſtionem diſcutit: ſitne idem cum intellectu ſenſus communis? Poſtquam igitur agnoviſſet Homeri ſententiam, de Animæ ipſius corporeitate, concludit intellectum non eſſe idem cùm ſenſu communi; ait enim: *Quid cum animalia omnia ſint ſenſibus prædita, ſolus Homo præter eos & Mentem obtinet, & intelligentiam? Porro, quis non videt, alias eſſe differentias rationalis Potentiæ, alias ſenſuum?* Paulo poſt de animi affectibus ad longum agit, uti & de Animæ incorporeitate. Tandem cum Plutarcho certò certiùs affirmat, Homerum, aliosque de meliori nota, nonniſi immortalem Animam judicâſſe. Unde in pluribus locis ait: *Evolans autem è membris Anima inferos petiit.* Nuſquam certè in celeberrimo ſuo Poëmate corporalem Animam dicit, cumque Achillem introduceret deliberantem, utrum ſe vindicaret, an non, Minervam ante eum conſtituit, quæ Prudentiæ illi lumen oſtenderet. Et primum quidem librum graviſſimus hic Author finit in hæc verba: *Quia tamen liber hic jam extumuiſſe videtur, ſatis, quæ ſuperſunt haud parum multa ut Lector, ceu interjuncto refectus itinere, hilariùs reliqua proſequatur, inſequens regetur volumen.*

Sub Auſpiciis igitur Religioſiſſimi ſui Epiſcopi librum ſecundum orditur Cœlius noſter: Ubi mox in primo Capite difficilem, & abſtruſam illam quæſtionem agitat de *Intellectu agente, & poſſibili;* dilucidè tamen rem totam declarat, verbis Sancti Auguſtini. *Reſpectu veritatis ſummæ, & eorum reſpectu intelligibilium, quæ humanum excedunt intellectum, eſt Intellectus Agens Deus; & hujuſmodi illuminatio eſt gratiæ infuſio ad divina contemplanda, ad ea pernoſcenda, quæ prope nos ſunt, ut ſunt Angelicæ eſſentiæ: quâ in re dicitur etiam Angelus Intellectus agens.* Operationes hujus ſunt, ut ſentit Avicenna, illuminare, & irradiare formas ſenſibiles, quæ in imaginatione ſubſiſtunt, rurſumque abſtrahere illas à materia, comitari verò & ordinare eaſdem in Intellectu poſſibili. Cum ergò dicimus formari ab Intellectu agente, non id volumus, quaſi formas ab illo recipiat, ſed illis tantum utatur, tanquam ſibi familiaribus, & utriq; amicis: quæ quidem clariùs ad hunc modum interpretatur. Intellectus agens dicitur, inquit, qui actu agit, & qui potentiâ ſolummodo, poſſibilis vulgò dicitur. Vult de iſtis conſuli, ex antiquis Jamblichum, Plutarchum, & Theophraſtum; ex Medicis Avicennam; ex Theologis Divum Thomam. Averrhoëm hic erroris incuſat, quod de hoc negotio non ſatis textum Ariſtotelis intellexiſſet.

Ingenii, Memoriæ, ac Eloquentiæ potentia.

Exquiſitis laudibus humanam conditionem extollit, à poteſtate Ingenii, Memoriæ, & Eloquentiæ, ac ſimilium. Qua in re magnum certè applauſum promeretur, dum inter reliqua ſic effatur: *Authores celeberrimi theſaurum rerum Hominem arbitrantur; non deeſt in pleriſq; idem fatidicus ſpiritus, & quomodo Deum deceat futurorum perſpicax inſpectio.* Hic in laudes Eloquentiæ excurrit; ut illa nunquam non animos ſibi devinxerit, & ad ſummos propemodum gradus dignitatis non jam humanæ tantùm, ſed & divinæ poſſeſſores ſuos evexerit. Nunc flumina Xenophontis, nunc torrentes M. Tullii Ciceronis, & ex ſacris revelationes Apocalypticas Sancti Joannis, ejuſdemque in explicandis Myſteriis facilitatem exponit. *Expende,* inquit, *ſæculorum ordinem, & caliginoſa futurorum involucra, unius hominis patefacta Menti.* Quos iſte tibi aureos crateres plenos ambroſii nectaris ſitibundo apponit?

Prodigus eloquentiæ, & doctrinarum pergit Capitulo tertio, humanæ Animæ theſauros revelare, dum docet: quo artificio Anima licet incorporea potuerit ſibi ſublimes omnes ſcientias intimiùs copulare, quæ in illa tanquam ſemina in horreo lateant. Itemque juxta mentem Platonis ſenſatiſſimam Mythologiam applicat, dictas videlicet Muſas, Jovis è Memoria filias. Ut prius demonſtraret, *Sæpe verò,* inquit, *quæ imbiberit, diſcendo recoquit, refingitque, multoque præſtat meliora, quinimo parit ex ſe, præceptore nullo, tanquam ſcientiarum ſeminibus præfœcundus.* Pergit loquendo de Muſis: *Opinor, quoniam ab origine Scientiæ fons inſitus eſt nobis ab omnium Patre, ſed non ſatis confluens, niſi quis corrivârit: quin & Memoriam continere idem Poëta ſcribit* (Orpheum intelligit) *excitare omnia ſinuoſis, ut ita dicam, Animi anfractibus deliteſcentia, illatebrataque.*

Homo campus eſt omnium ſcientiarum.

In quinto exponit, quâ ratione Homo propriæ conditionis oblitus, ſeſe ultra modum exaltans, ad honores, & ipſam pene Divinitatem dum anhelat, præcipitetur ad abyſſos tenebrarum, & ignorantiæ. Inſaniam hanc non infacundè deteſtatur, cujus proinde tacere elegantem ſententiam nequeo, dum ait: *Quo homine ridendus quidem Empedocles, ridendus item & Alexander, nobis præſertim Chriſti doctrinâ imbutis.* Quaſi diceret: Quam ſunt deteſtabiles, qui novos Mundos jam ſomniant, dum iis quatuor terræ ſpithami ſufficiunt, quâ exile corpuſculum poſt mortem operiatur. Pſaphonis igitur, & Caji, atque Domitiani & aliorum veſaniam ridet, quod ſtatuas ſibi poni juſſiſſent, alter & aves ſtratagemate docuiſſet, quò ſibi divinitatis opinionem inter exteros conciliarent; & alia hujuſmodi deliria execratur.

In ſexto Capite nova dogmata proponit, diſſerendo de admirabili Animæ Potentia, quâ poſſit corpoream & mortalem hanc molem ſuo modo ipſa illuminare, de quo pluribus à me actum eſt in Diſcurſibus Proœmialibus utriuſque voluminis noſtri. Neque tamen adigi poſſum, in tanta ejus ubertate, quin inſignem ejus Sententiam huc traducam. *Legimus,* inquit, *apud Avicennam, Platonicos multos, & Hippocratem, humanos animos tanta majeſtate pollere, adeoque ſupra Materiam omnem ſeſe potenter attollere, ut ſibi ipſi, & ſuo vigore, ſemoto corpore, reſtitui, poteſtate intima Mundi membra qualibet valeat agitare, impellere, utcunq; libuerit verſare.* Et paulo infra: *Ubi tota in Deum patrem conſurgit Anima, & illinc ampliſſima luce perfuſa, colluſtrataq;, rapitur coruſcans, atque ſimiliter luminoſæ claritatis radios tranſmittit in corpus.* His aliquandiu immoratus, eo tandem devenit, ut myſticum Eliæ currum, & Pauli Apoſtoli raptum

raptum in tertium Cœlum per Animam intelligat. Aitque, dum illa Deo intimè conjungitur, nihil habere in ſe jam mortale, ſed ebriam divino Spiritu, nonniſi per Mentem vivere, atque ita Angelis aſſimilatam, radios æternæ claritatis in corpus diffundere. Hæc ita mirabiliter, ac ſublimia dicuntur.

In ſeptimo ad longum enumerat, quibus rebus excellentia Rationis naturalis deprimi poſſit, quam ille tamen ſententiam poſtmodum refutat, illuſtratque Plinii quodam textu, qui videtur aliquantùm intricatior. Profanum amorem damnat, aitque: *Qui verò corpus errore Amoris complectitur; is oberrat in mortis tenebris, mala ſenſu percipiens.* Bona omnia ex cognitione ſui ipſius, velut undam ex perenni fonte promanare; ita enim *qui ſeipſum cognoſcit, in Deum tranſit, ut Dei verbum tradit; Lux & vita Deus eſt, & Pater, ex quo natus eſt Homo: proinde, qui ſe ex luce, ac vita compoſitum deprehenderit, ad vitam, lucemq; rurſus tranſcendet.* Senſum dicti hujus ita declarat, dum vitam puram, & imaculatam verè Religioſorum, & lubricam è contrario, ac difficilem tot præterea hominum, qui peccatis illaqueantur, exponit.

gnitio ſui
us quàm
is.

Triplicem hominum ſtatum in Octavo deducit; Activum ſcilicet, voluptuoſum, & Contemplativum. Eoſq; bifariam diſtinguit: illos enim quaſi exules, & extorres à cœleſti patria; hos quaſi accolas jam ſupernæ illius Civitatis conſiderat. Perpulchram Heſiodi ſententiam in hac rem explicat; totumque hâc expreſſione confirmat: *Qui integritati vitæ, ac divino tantùm cultui mancipati, terrena omnia, tum inutile, tum moleſtum arbitrantur, onus in intelligibilem ſeſe mundum tranſcribentes, & in patriam dulcedinem, ut Plato inquit, fugientes, hos putat Dei filios habendos: quæ vera demum, ac ſolida felicitas eſt: nam Activos, & voluptuoſos, velut exules habet Plotinus.*

Exponit præterea ſortem humanam, quæ duplici ſemitâ gaudeat, *naturali* ſcilicet, ac *ſupernaturali*: quâ ratione ſemitis iſtis inambulandum, gratâ & jucundâ quâdam deſcriptione explicat; quo eum, qui legere illa geſtiat, remittimus. Per naturalem, intelligit innatam illam propenſionem in omnia ea quæ partem in ſe divinæ Bonitatis aliquam habent: & Naturæ operationes, quæ tendunt in bonum: aitque, vel in mortali hac vitâ in id creatum Hominem, ut eſſe poſſit felix, ſiquidem velit. Altera ſupernaturalis, & verior proinde felicitas, ut optimè docet, illa eſt, *quâ ad divini vultûs contemplationem ſurrigimur, & afficimur; ſic enim verus ad principium reditus comparatur, & cum eodem unio, à quo defluximus.* Videantur paucæ ſaltem illius expreſſiones, quibus omnino non potuimus abſtinere, propter inſignem eorum excellentiam. *Inprimis verò, quam circumfers veſtem, exuere oportet, indumentum inſcitiæ, pravitatis fundamentum, velamen opacum, ſenſitivum cadaver, ſepulchrum circumverſile, domeſticum denique furem; qui dum blanditur odit, dum odit invidet; umbraculum inimicum, ac ſeipſum raptans deorſum, ne forte conſpiciens veritatis decorem, ejus oderis pravitatem.*

In Nono elegantiam, & perfectionem humani corporis deſcribit, cui nihil omnino deſit ad pulchritudinem. Quæſtionem quoq; iſtam movet: Sintne corpora noſtra cœleſtibus pulchriora & perfectiora? Nuditatem corporis nihil includere vitii, aut turpitudinis. Non minùs, quàm Lactantius illos damnat, qui irrationabilium brutorum conditionem humanæ anteponunt. Infantiam quadrupedibus ſimiles nos efficere. Eleganter docet, quid cauſæ ſit, cur virorum cadavera ad aquam projecta, ſupina innatent aquæ, mulierum verò prona? Ratione prioris motivi, perfectionis ſcil. humanæ, ſic habet: *Quoniam Homo eſt res, quam Natura cæteris intentiùs, curioſiuſque amplexatur, producitq; veluti quiddam abſolutius, & perfectius quavis Creatura, quæ in Cœli ambitu contineatur; adeo ut non defuerint, qui Cœlo præſtantiorem opinarentur Hominem, ſeclusâ tamen Intelligentiâ.* De nuditate iiſdem planè principiis nititur, quæ ſupra in Paraphraſi noſtra in Lactantium expoſuimus. De fœminarum cadaveribus, ſecus quàm virorum, aquæ innatantibus, id cauſæ judicat, quod earum uterus, atque ubera, in parte corporis anteriore ſita, eas viris anteriùs graviores efficiat.

Homo cur ſtaturâ erectus.

In decimo de erecta Hominis ſtaturâ loquitur; & quomodo plantæ ſecus quàm Homo, & viâ prorſus contrariâ incrementum ſumant. Prioris argumentum inter cætera iſtud eſt. *Generatio,* videlicet, *Hominum ad divinorum eſt operum cognitionem, teſtimoniumque Naturæ, ad imperandumque omnibus, quæ Cœlo teguntur: ut ad cœleſtium diſcurſum ſuſpiciendum, ad poteſtatem Dei, & Naturæ progreſſus.* De plantarum creſcendi ordine opinionem D. Thomæ inſinuat, qui ait: *eſt erectus Homo duabus ex cauſis, tum quia corpore calidior eſt aliis omnibus; calidi verò proprium eſt in erectum tollere:* & paulò infra: in plantis verò res omnino contraria eſt, quia immobiles ſunt; ſuperior autem in illis portio eſt, unde alimentum recipiunt; id verò in radicibus contingere manifeſtum eſt.

Cur arbores ſecus quàm Homo creſcant.

Plura de corpore humano admiratione digna in Undecimo adducuntur. Quàm pulchrum ſit inventum illud, de quatuor humoribus in corpore prædominantibus? Illis judicat adſcribendum, quod aliqui ingenio ac memoria valeant, alii ſecus; quod aliqui hilares, & faceti, melancholici alii & moroſi reperiantur, à ſanguine, & atra bile derivat. Tam proinde multa eo Capite tractantur, ut pluribus paginis infarciendis illa ſufficiant. Nobis ſat erit cum illo dixiſſe: *Quid ſolertiſſimi artificis ingenium in pauciſſimis prorſum aſſecutum fuerit, quid illa loquendi varietas? quæ quamvis initio Terra univerſa eſſet unius labii, eò increvit, ut mirari ſatis non ſit: cum præſertim diſſoni oris proprium, non fere cenſeatur Hominis vice.* Diſcurrit de omnibus corporis humoribus ad longum, quales effectus cauſare poſſint. Exemplum mulieris cujuſdam afferens, quæ dolore ſpondylorum, atq; renum diu vexata, dum doloris impatiens, vult ſe morbo ſimul, ac vita eximere, cultrum dolenti parti infligit, & quod lethale expectaverat, præter ſpem ſalutare vulnus evaſit; poſtquam ad octodecim lapillos gypſei coloris, figuræ cubicæ inde extraxiſſet. Ingenium, & oblivionem, ſeu abundantiæ, ſeu inopiæ humorum attribuit.

In duodecimo, ab humoribus ad ſpiritus tranſitu facto, de ſpiritu tam animali, quàm naturali tractat: unde varietas ingeniorum derivet, oſtendit: & poſtquam Hippocratis, & Galeni opiniones adduxiſſet, cum Schola Theologorum in hæc verba concludit: *poſtremò verò eſt ſpiritus ſubſtantia ſubtilis, aërea, dilucida, ex tenuiſſima quâque parte ſanguinis producta; ut deferatur virtus à præcipuis membris ad reliquã, quo proprias valet operationes exercere.* Spiritum vitalem in corde locat; animalem in cerebro; naturalem in hepate. De ingeniorum verò diverſitate, pergens de ſpiritu loqui, ita ſentit: *Veruntamen juxta* ejus

ejus temperiem variam, varias, ac diverſas Animæ quoque perficit actiones; unde & ingeniorum naſcitur diverſitas, quod in brutis quoque advertimus.

In decimo tertio inquirit, quid ſit vena, quid arteria, quæ utriuſque origo: deque iis ita cum Medicis diſſerit: *hic venarum*, inquit, *quas dicunt ſanguinis rivos, & arteriarum, quas ſpiritûs vocant ſemitas.* Adducit vulgarem ſententiam de ortu venarum, quas aliqui ex cerebro, ſive capite erroneè derivant. Ariſtoteles verò duos earum truncos inſignes in pectore contineri aſſirmat. Cum Avicenna dicit, arterias eſſe corpora oblonga, nervoſa, flexilia, ſinuoſa & cava, ex corde derivantia. His ineſſe facultatem pulſivam, mediante ſyſtole, ac diaſtole. Venas ab hepate promanare, quamquam Ariſtoteles illas à corde diſſeminari aſſerat. Diverſas eſſe ab arteriis. De his, earumq; proprietatibus illic loci agitur, ut dictum eſt.

Pulſus quid ſit.

Ab his in Decimoquarto progreditur ad *Pulſum*, ejuſq; naturam inveſtigandam. Quid ſit pulſus vermicularis, & alia pulſuũ genera, exponit. Plinii textum inſigniorem ex veteribus adducit, & interpretatur. Eſt autem hujuſmodi. Pulſus eſt diſparatio, & contractio indiviſibilis arteriæ, & cordis; vel ſubſultatio, vel palpitatio venæ, & arteriæ. Tradit cum Avicenna, experientiâ comprobante, pulſum ex quiete ſimul, & motu conſtare. Et quem Plinius ad finem vitæ *vermiculantem* appellat, illum cum Galeno minutum, denſum, & ſummè debilem pronuntiat. Rhaſes infanti recenter nato eum comparat, & Vermicularem vicinæ mortis eſſe prænuntium. Videatur de hoc ingens volumen Bartholomæi Bonacurſii, Medici Bononienſis clariſſimi.

In decimo quinto de partibus diſſimilaribus agit; interq; alia de nervis, quæ ait eſſe membra organica. Similaribus adnumerat oris labra, tum Cartilagines omnes, atque nervos. Hos à cerebro per cervicem ad ſenſuum officinas diſtribui. Sunt corpora alba, flexibilia & mollia, quæ tamen non facilè diſrumpi poſſunt, ad hoc inſtituta, ut membris omnibus ſenſum, atque motum largiantur. Partes illas corporis ſimplices, ad ſenſum ſolummodo appellari, cum ſint reverà compoſitæ. In Decimo ſexto oſſium numerum conſtituit, & eorum proprietates deſcribit. Illorum aliqua corpori inſerviunt pro baſi, ut dorſi vertebræ: alia pro defenſione, & veluti ſcuto ſunt corporis: veluti os cranii, intra quod tanquam oſſeam ſphæram (ita diſſerit Plato) & quaſi galeam, cerebrum latet. Alia item armorum ſunt locò. Dum numerum illorum, ducentorum, octo & quadraginta conſtituit; ſequitur in hoc Rhaſem, Averrhoëm, & Avicennam. Magnus tamen Albertus, ducenta, ſexaginta & ſex illa perhibet. Mox in diſtributione illorũ per univerſum corpus occupatur, quæ curioſis relinquimus, & exactæ Phyſicorum, & Anatomicorum indagini. Apud quos proinde eâdem occaſione, dinumerata quadrupedum, & volatilium oſſa reperias.

Diſtinguit in Decimo ſeptimo *cartilaginem*, & in ejus naturam inquirit. In quo ab oſſe differat. Ejus conſtitutio in animalibus terreſtribus, ab aquatilibus diverſa eſt. Ita porro concludit: *Cartilago humorem habet medullæ modo, in greſſilibus, in quibus producitur animal. Auriculas, & nares nonnullam habere cartilaginem ſcimus.*

Nervi.

Poſt hæc in Decimo octavo ad amuſſim expendit rationem Nervorum. Unde derivent, vel oriantur. Et priori diſtinctioni inhærens, ait: *Indeq; nervos, carne quidem tenſiores factos, aridioreſque; oſſibus autem agiliores & molliores: quibus item medullas & oſſa pervinxerint, omniaq; carnibus operuerint.* Concludit cum Ariſtotele, à corde illos originem ducere; naſciq; ex humore albo, viſcido, & glutinoſo. Licet Avicenna celebris Galeni interpres, primum illorum principiũ in cerebro, & medulla cervicali conſtituat. Finaliter Albertum introducit virum doctiorem, quàm politum, qui nervos à cerebro non oriri ſolum, ſed ab illo quoq; in totum corpus diſpertiri aſſeverat: eoſq; in ipſam Hominis cutem diſſeminari. Porro cutem Herodotus *Antrophen* appellat.

Caro.

Multa præterea de carne ratiocinatur. Duas ejuſdem ſpecies admittit. Quid fibræ ſint exponit. Carnem à Creatore datam, ad arcendas æſtûs & frigoris injurias. Temperatam inter calidum, & frigidum eſſe. Additũ illi fermentum ſalſum, acutum, ſuccidum, & molle. Caro alia eſt muſculorum, alia parenchymatum, ſeu viſcerum, ut caro hepatis. Fibræ ſunt partes carnis, compoſitæ & ſubſtantia tenaci, ſolida, gracili, & longa per modum fili. Motui inſerviunt, & ſtabilimentum carnibus addunt. Suntq; aut nervoſæ, aut venoſæ.

Exhibet in vigeſimo Capite, proportionem humani corporis partium. Figura corporis rotunda ſimul eſt, & quadrata: Ex illius proportione, menſurarum nomina, & denarius numerus, proveniunt. Per partes de rebus iis diſſerit, ex quibus conſtamus. Quomodo excretiones è corpore fiant, exponit. De menſuris ita habet: *Siquidem illud eſt à Natura concinnatum, coaptatumq;, ut proportionibus membra ad ſummam figurationem inſigniter reſpondeant, nihilq; omnino comperias, quod commenſu careat.* Ultroque confirmat in ſequentibus: *an non compertum, & illas menſurarum rationes, & nomina ex humano corpore mutuatos eſſe veteres, Digitum appellantes, aut Palmum, item Pedem, Cubitumque? quinimo, & denarius numerus, quem perfectum dicunt, & probant, ab digitorum ſerie depromptus eſt, quod Ariſtoteles adnotavit.* Pulcherrima eſt reflexio, quam de corporis totius conſtitutione affert; conſtare nimirum illud ex quatuordecim omnino diverſi generis rebus. Sunt autem venæ, arteriæ, nervi, ſpiritus, ſanguis, caro, pinguedo, cartilago, ungues, oſſa, humores, medullæ, pili, & Membranæ. In fœminis duo præterea adduntur: menſtruum, & lac. In vigeſimo primo Capite, novem in humano corpore habitudines aſſignat, quæ propenſionem & connexionem cum quocunque membro habeant. Propoſitionem Hippocratis declarat, quâ is Naturam *juſtam* nuncupavit. Narrat ſe in monumentis Ægyptiorum corpus quadripartitum reperiſſe, ſcil. in Caput, manûs, thoracem, & pedes. Ita porro ſubjungit: *In membri verò cujuslibet conſideratione accurata, novem videri perpenſione digna, docuit Commentator: quæ omnia inenarrabilem Dei providentiam explicant.* Sunt autem ſubſtantia, temperies, color, figura, numerus, ſitus, connexio, actio, & uſus. Membra alia ad decorem, ad neceſſitatem alia comparata. Inter neceſſaria ſunt manus, & pedes. Ad decorem eſt v. g. in pavone cauda, & pennæ variegatæ; barba, & mammillæ in viris.

Menſuræ omnes in Homine ſunt.

Corpus humanum ex rebus quatuordecim conſtat.

Multa de capite diſquirit. Illud Animæ ſedem conſtituit. Tractat de inſtituto illo, ſeu cæremonia, majores & honoratiores ſalutandi. Cauſam affert, cur antiqui eſu cerebri abſtinuerint. Decidit quæſtionem illam, an capite reſecto incedere, aut loqui quis poſſit? Accuratam Anatomiam cranii, ejuſque ſuturarum inſtituit. De capillis quædam eorum attingit, quæ à nobis in primo volumine mota ſunt. In nominum quorundam eruenda etymologia hæret, quæ brevitatis gratiâ à nobis omittuntur. Ex aureis illius ſententiis hæc eſt: *Ergò caput præcipuum, excelſiusque in Homine membrum (primo Regiminis acutorum Galenus, & Platonici omnes) rationalis animi ſedem nuncupant.* Eleganter hæc amplificat dicto venerabilis Bedæ: Caput eum obtinuiſſe locum, quia ſit diviniſſimum membrum, ab eo enim ſternutamenta quoque proveniunt, quod eſſe ſacrum Augurium conſtat. Opinionem Hippocratis, & Galeni de capitis conformatione dilucidat: Quæ in ejus formatione fuerit Naturæ intentio. In eum finem maximè creatum caput, ut objecta ſenſuum facilius dignoſcerentur. Unde Galenus: *Cerebrum eſt in capite locatum propter oculos.* Tametſi diverſum ab hoc ſentiat Ariſtoteles, dum ait: *Oculi propter cerebrum in capite ſunt locati.* Occaſione ſalutationum ait: *Caput opinabantur, vel in jurandi argumento, per id namque jurabant plerumque.* Addit per juramenta quoque jurare ſolitos veteres. Cerebrum à cerebello anatomicè diſtinguit. Vivere reſecto jam capite quædam animalia, & ambulare, trepidationi cuidam, & motui imperfecto adſcribit: Ut quis verò ablato jam capite loquatur, id fieri naturaliter non poſſe.

Cerebrum in capite propter oculos.

Oculi in capite propter cerebrum.

Capilli.

Succinctè materiam capillorum in vigeſimo tertio capite attingit. Plures eorum qualitates recenſet, acta jam pleraque à nobis in primo volumine, titulo de capillis. Eorum durationem & incrementum exponit. Quid ſint plicæ, & cincinni capillorum: quàm in his gloriata fuerit Tulliola filia Ciceronis. Crines eſſe capitis ornamentum. Opinionem Sapientum adducit, qui cauſam illorum dixerunt eſſe, vaporem humidum, craſſum, & glutinoſum; idem Averrhoës cum Galeno ſentit. Temperamentum capillorum eſſe frigidum, & ſiccum. Inter omnes corporis partes, quam diutiſſimè in corporibus mortuorum capillos ſupereſſe: tametſi ſecundùm Ariſtotelis mentem, tunc non creſcant amplius. Idem de unguibus obſervâſſe Plinium. Vanitatem Tulliolæ in exornando capillitio exaggerat, inque illius cadavere, eoſdem aureo reti implicatos fuiſſe repertos, aitque memoria dignum: *Summâ omnium admiratione reperiri aliquid, in quod anni mille quingenti nihil prorſus evaluiſſent.* Servire præterea illos non frigori tantùm arcendo, ſed evaporationibus humidis è capite dimittendis.

Aureo reti poſt mortem implicati.

Barba ſignum & decus virilitatis.

Occaſione capillorum de barba quoque pauca quæpiam diſſerit, quæ veteribus *Myſtax, Hyporrhinion, Propogonion*, dicebatur. Mulieres quare imberbes? Cur aliquando barbatæ reperiantur? Barba ſignum maturitatis, ornamentum virilitatis; aitque cum Haly Abba perito ſene: *Pulchritudinis, & ornamenti argumentum fuiſſe barbam potiſſimum.* Originem & cauſam illius ex materia ſpermatica deſumit, quæ ſecus in viris diſpoſita ſit, atque in fœminis, in quibus eæ particulæ deſint. Si quas tamen barbatas evadere contingit, adſcribendum exceſſivo earum colori, & viribus quaſi maſculinis, idcirco & *Viragines* dicuntur hujuſmodi. Quid Natura intenderit per id, quod in capris *aruncos*, ſeu *eryncos*, ut vocat Ariſtoteles, qui ſunt villi à caprarum mento dependentes, ordinaverit.

Frons ſtellata.

Capillis in vigeſimo quinto frontem ſubjungit, ubi de *Metopoſcopis* diſſerit. Quales in illa ſint ſtellæ ſecundæ. Cur ſubinde, ſudore frontis occludente, aperiri nequeant oculi. Dum in illa maculæ ſubrubræ, & quaſi ſanguineæ apparent, illas à Metoſcopis ſtellas appellari. De illius cute ita porro ratiocinatur: *Frontis verò cutis, conſilio memorabili laxior ſtructa eſt, ac mobilis, ut commodius oculis ſubſerviret, vel claudendis, vel reſerandis.* De illius ſudore hæc tradit: *Sudat frons imprimis, quia cerebro ſubjacet anteriori, ubi maximè ſcatet humectatio, quam eſſe novimus ſudoris fomitem.* De frontis oſculo ita ſcribit: *Oſculi religionem quandam parte hâc ſervabant veteres, de quibus author Plutarchus eſt.*

Cutis frontis.

Sudor frontis.

Frontis oſculum.

Superciliorum uſus, & natura.

In vigeſimo & ſexto, de ciliis, & ſuperciliis loquitur. Mirabili conſilio à provida Natura in eo loco poſita eſſe, *ut demanantes aliorſum corrivarent humores*, &c. Cilia potiſſimùm eo fine compoſita eſſe, *ut minutarum rerum ad oculos incurſum, tanquam ſtipatores quidam repellant, ſimulque viſivum dirigant ſpiritum.* De illorum ſitu & natura hanc rationem affert: *Nam & ſolo innata mollicula producuntur facilius, & obliquantur in quodvis latus.*

Oculi.

Excurrit in prolixo oculi tractatu, ad mirabilem illius ſtructuram deſcribendam; qualia nos quoque in primo volumine ad longum expreſſimus. Illius eſſentiam, atque potentiam viſivam declarat, unà cum aliis conſideratione dignis, quæ è græcis textibus deſumpſit; quos hic loci reproducere viſum non fuit, tum propter imperitiam illius idiomatis, tùm ne plures in unum materias coacervarem. Itaque cum peritioribus Medicorum, & Philoſophorum; *Oculi*, inquit, *ſubſtantiam eſſe tradunt cryſtallinam ſpiſſamenti alicujus, quando viſiva potentia, cujus oculus eſt organum, humiditatem exigit aquoſam.* Rationem addit, cur oculorum acies, dum à potenti quodam lumine percutitur, lædatur, perdantque viſivam potentiam. Ex mente Averrhois dicit: *Oculo nullum proprium ineſſe colorem, alioquin difficulter alienos admitteret: argumento icterici eſſe poſſunt, quibus omnia videntur eſſe citrina.* Aitque præterea Averrhoës, ipſam lucem in ictericorum oculis, bilioſis vaporibus non raro obfuſcari, & opprimi. Sunt, qui lumen introrſum mitti ab oculis, per poros nervorum putant. Nervi enim ſpiritum viſivum communicant oculis, quæ ratio eſt, quod vulnus temporum cæcitatem referat, læſis ſcilicet viſoriis nervis. Sciendum eſt, inquit, fruſtra expectandam viſionem fuiſſe, niſi ſupremus Conditor nigredinem quandam oculis indidiſſet, veluti in ſpeculo, in quo imaginum reflexio nulla futura erat, niſi ab obſcuro quodam corpore radii infracti repercuterentur. Ea cauſa eſt, *quod dicatur oculus Naturæ ſpeculum, ſicuti ſpeculum artis nuncupatur oculus.* Invehitur in illos, qui donis à divina Bonitate conceſſis abutuntur in malum, dum ait: *Vertimus in perniciem univerſa, nec Bonitate clementiſſimâ deſinemus abuti; nam inſatiabilis eſt humanus oculus, quod Salomon ſcribit: propterea Cyprianus, in mulieribus ſemper defixâ intentione deſideria expleant oculorum.* Jam cum Plinio mulieres arguit, quæ ſtibio pingunt oculos, eaſque de foris fuſco quodam colore tingunt, ut acies ipſa magis reſplendeat.

Quare coloris ſint expertes.

Oculi ſpeculo comparantur.

Aurium uſus.

His fusè enarratis, prolixiùs aliquantùm in vigeſimo ſeptimo de auribus, ipſoque auditu diſſerit, quem aëri in circulum agitato adſcribit.

Auditus quomodo fiat.

Tum de humoribus aurium, earumque excrementis loquitur. Quid aurium lobi, quid amphodites ſint examinat. De auditûs organo ita ſermocinatur: *In iis rectus, ſimplexque meatus primùm evadit, mox tortuoſus, inde juxta cerebrum in multa, & tenuia foramina diducitur, per quæ facultas audiendi eſt; quin & in propinquo uno parvuli quaſi ſinus, ſuperque eos ſinitur,* &c. Nunc de oſſibus aurium agit; ut *cochleâ*, & oſſe *petroſo*, Arabicâ linguâ *Agari* dicto. Aërem cum Avicenna dicit, *Sonum deferentem, & undam vocalem.* Audiendi facultas, cum videndi facultate conjungitur, idque mediantibus nervis opticis, quæ fuſe à nobis in primo volumine tractatu de auribus declarantur. Concordat cum doctiſſimo Aldrovando, de Phaneſiis populis Inſularum Oceani ſeptentrionalium, qui aures adeo effuſas habent, ut reliqua viſcera iiſdem quaſi veſtibus per diem contegant, & noctu iis veluti lectiſterniis & culcitris utantur. Cum Macrobio memoriam in extremitate auris collocat: ita dum quempiam publico examini ſiſtendum ducerent, vellicatis illius auribus, dixiſſe; *eſto memor.* Aurium extremitates appellari *Lobos.* Dicitque *orium,* quaſi *auritum.* Aurium alas utrimque, *ululas,* ſeu *aſiones* appellari. *Othonis* nomen eum ſignificare, qui doloſè auſcultare conſueverit.

Cur oculi ad libitum clauduntur, & non itidem nares.

Pergit in viceſimo octavo, juxta conſuetam methodum de naribus ſermocinari. Mirabilia proboſcidis elephantinæ recenſet. Naſum appellat partialem palati judicem, quaſi omnia, priusquam ad palatum pertingant, ſub illius rigoroſo ſcrutinio pertranſire neceſſe ſit. Rationem adducit, cur in noſtra poteſtate nòn ſtet, ſive occludere, ſive adaperire nares ad libitum, veluti de oculis poſſumus. Illudque Providentiæ divinæ, & Naturæ ſolicitæ attribuit, quæ oculos ut partem teneriorem, ac nobiliorem majore cautelâ texerit, illas verò propter nunquam interruptum reſpirationis motum patere opportuerit: tum ut pro diſcernendis humoribus promptiores exiſterent. Jam non exiguum erat emolumentum ad ſalutem corporis, cerebri per nares expurgatio, & pituitæ viſcidæ in capite ſtagnantis excretio. Vires Elephanti in proboſcide conſiſtere: *Quippe implet iis manûs vicem, eâ namque cibum, tum ſiccum, quam humidum arripiunt, & ori infundunt; nec non arbores amplexu pervellunt.* *Rhinocuraros* dictos quorum naſi erant mutilati; unde legimus Rhinocuraram Ægypti urbem fuiſſe, cujus omnes incolæ naribus carebant, referente Stephano: prout *Colura* animalia ſunt, caudam non habentia. Sonum, qui occluſis labris per nares tranſmittitur, *muſſare* vocant, fitque ſive in contemptum, ſeu in metum alterius. Humor ille, ſeu mucus, qui per nares deſtillat, *Myxa* dicitur. Naſum quaſi caminum fornacis interpretantur, per quem fumi, atque fuligines totius corporis exhalent. Alembici præterea roſtro comparatur; unde Vitruvius: *Ante id ſit fornaculum, habens in Laconico nares.*

Vires Elephanti in proboſcide.

Urbs Ægypti cujus incolæ naribus carebant.

Labiorum uſus.

Dilucidè, quamvis breviùs, quàm pro more, de officio, & uſu labiorum, & ipſius linguæ agit. Suggerit cauſam cur nobis conceſſa ſint à Creatore labia. *Quid verò,* inquit, *labia? Nonne & ipſa in Homine præſignem à cæteris rationem habent? In brutis quippe dentium modo hæc tegumenta ſunt, at nobis etiam loquendi neceſſitate mirabile ſuggerunt adjumentum.* Pergit in eorum deſcriptione, ut mollia ſint, ut carnoſa, quàm mirabili artificio, & elegantiâ dentes cooperiant, quantùm ad pronuntiationis exactitudinē conferant, dum ſine illis literæ, per exemplum labiales, omnino pronuntiari nequeant, & hoc modo enuntiatio manca futura eſſet. Labia quadrupedibus in hoc data ſunt, ut cibos ad os introducerent; Homini præterea, ut eſſent promptuarium rationis, ut quidquid prudentia firmaſſet in corde, hæc circumſpectè pronuntiarent. Hinc eleganter Apulejus, os veſtibulum cordis nuncupavit.

Linguæ laudes.

In trigeſimo capite in linguæ, & Orationis laudes effunditur. Tum guſtum, & ſaporis ſenſum, ubi generetur, aut in quo conſiſtat, exponit. Tum etiam de ſalivarum ſcaturigine, & de aliis ſcitu dignis ratiocinatur. De lingua cum Sophocle ait: *Regina rerum Eloquentia.* Et pergit cum Marco Tullio: *Hâc ſolâ cohortamur, perſuademus, perterritos à timore abducimus, geſtientes comprimimus, cupiditates, iras reſtinguimus: hæc nos juris, legum, urbium ſocietate devinxit: hæc nos à vita immani, & ferâ ſegregavit.* Alia præterea multa condigna lectu affert, quò derivationem illius, & originem exponeret; totum in hac forma dilucidat. *Ut rei pretium intelligamus, quænam, aut quanta molita Natura eſt, ut decenter Orationis evaderemus compotes, omnium primus Artifex, illa in pulmonibus ſpirandi officina, nobilitatis hujus præſtat exordium: mox illa ſpiritalis fiſtula, quam etiam arteriam dicimus, ad os perducta intimum, velut canali, à mente profectam vocem ita ſubvehit, ac excipienti linguæ ita effundit.* Et nihil minùs miranda, paulò inferiùs hæc habet: *Et quod nequeas admiratione conſequi, eſt, ubi primùm revocat, infuſcat, pleniùs edit; aliquid gravius, acutius, vibratius, ſummum, medium, imum.* Ita porro totius humani corporis ſymmetria compoſita eſt, cujus plectrum eſt lingua; dentes chordæ ſunt; nares clavum, quo chordarum modulatio regitur, repræſentant. Huc alludit Sanctus Ambroſius, dum ait: *Plectrum loquentis lingua eſt.* Hujus eſt cantare, ac deprædicare laudes, magnitudinem, & Sapientiam divinæ Majeſtatis: quod ut liberiùs poſſet, dotata fuit carne rarâ, fungoſâ, & molli. Varro linguam à ligandis cibis, dum illos palato tranſmittit, & quaſi colligat, dictam putat. Brutis præterea ad hauriendam aquam inſervit. Tradunt Eruditi, ad radicem linguæ duo eſſe orificia, ſalivarum fontes dicta, quorum officium ſit, ut receptaculum ſint humorum, & lymphæ, quæ ad linguæ humectationem, & irrorationem ejus continuam requiritur. Breviter rationem reddit, cur plus virium in dignoſcendis ſaporibus, quàm in tactu lingua habeat, cauſamque hanc eſſe dicit: *Quia guſtus exactior eſt ad perveſtigandum, tactus verò cæteris ſenſibus hebetior, ac materialior; ut interim trito Philoſophorum Scholis verbo utar.* Guſtui Avicenna inter omnes ſenſus primatum tribuit, & linguæ: idque hac ratione: *Quæ ſuos tum longitudinis, tum latitudinis commenſûs habeat; quæ quia in apice tenuis, & acutior, in radice latior.* Linguæ occaſione, mirabilis & curioſus planè caſus narratur de quodam Pſittaco. Pro hujus pretio Romæ Cardinalis Aſcanius, plus quàm centum aureos coronatos perſoluit, quod is doctus fuerat, clariſſimis, ac diſtinctiſſimis vocibus ſymbolum Apoſtolorum recitare, quo clariùs à nemine Hominum enuntiari id potuiſſet.

Ejus derivatio & origo.

Mirabile de Pſittaco.

Cauſam

Dentes ad quid dati.

Cauſam quærit, cur animatis dentes conceſſi fuerint; idque trigeſimo primo Capite: ne quid intactum relinquat eorum, quæ ad humani corporis ſtructuram pertinent. Nunc eorum diſtributionem, atque ordinem, & nomina oſſiculorum declarat. Quinam Gelaſini dicantur? Quid circa gingivas obſervandum? Duplicem præterea Hiſtoriolam de Hercule ſcilicet, & Pyrrho narrat. Dentes ad id creatos eſſe, ut cibos comminuant, & quaſi vivæ machinæ eoſdem conterant, cui rei groſſiores potiſſimum, quibus molaribus nomen inditum, dicati ſunt. Et hæc prima digeſtio vocatur, quæ fit dentium auxilio. Docet cum Galeno exquiſitiſſimo ſenſu eos pollere, quia doloribus ſunt obnoxii, neque poteſt eſſe dolor, ubi ſenſus non eſt. Eorum opinionem refellit, qui dolorem hunc, gingivarum eſſe paſſionem, non dentium aſſerunt. Quæ cum ſit quæſtio Philoſophica & Anatomica, à me, qui brevitati ſtudeo, hic omittitur. Affici illos frigore, & calore ait. Ex iis multa cum Galeno præſagia deducit: dentes breves, & raros, brevitatem vitæ, & ſtatûs infelicitatem denotare: numeroſos, atque denſos, longam annorum ſeriem, & maturitatem portendere. Eorum numerum cum Avicenna ſtatuit eſſe duorum & triginta. Galenus, & Averrhoës eorum ordines nominatim recenſent, quæ à nobis in Anatomia, ubi de dentibus egimus, jam ſunt allata Molares alio nomine *Mylos*, ſeu & *Sophroneſteros* cum Cleante appellari. Tum de varietate temporum, quibus maximè ſoleant erumpere, diſcurrit. Cum Galeno illorum ſtupiditatem *Hemodiam* dicit: molarium partem quæ adhdet Gingivis *Momiſtam*, ſuperiorem verò, quâ cibi conficiuntur, *Trapezam*, id eſt, *menſam*; eorum verò olentes cavitates *Holmiſcos*, id eſt, *mortariola* appellat, & *Phatnas*, ſeu *præſepia.* Gingivarum partem imam *Ulam*, internam *Enulam*, ſpatium intermedium *Narmum*, ordinem & ſeriem *Phragma*, id eſt, *ſepem* nominat. Pyrrho in locum dentium toto ore unicum os ſolidum, per circuitum fuiſſe, & Herculi triplicem dentium ſeriem, recenſet. In jumentis pro illorum ætate dignoſcenda dentes *pollini* inſpiciuntur.

Dentes brevitatem, aut diuturnitatem vitæ præſagiunt.

Dentium partes varia ſortiuntur nomina.

Unum os loco omnium dentium.

Facies in genere.

Multa in genere nunc agit de facie, cum hactenus de partibus illius (ut mox vidimus) pluribus diſſeruiſſet. Eam cum græcis *Proſopon* appellat: tum ad regionem colli progreditur, ubi de ſpondylis, & aneteris tractat. Succinctè humerorum oſſa contingit, & mox reverſus ad collum, ejusque affectus, de variis ſtrangulationis ſpeciebus, Anginâ, Synanche, Cynanche, & Metaphrenis diſputat. Faciem porro ita deſcribit: Πρόσωπον, *id eſt, faciem appellant Græci, quod inter collum, & caput Hominis eſt, ab re Homini impoſitum; nam quia unus animantium cunctorum erectus Homo eſt, ſolus antevertens proſpectat, vocemque anteverſus emittit.* Modo poſt plurium nominum Etymologiam, S. Hieronymi Authoritatem adducit; videlicet: *Quam eſſe ſpeculum mentis dixit Hieronymus, quando & taciti oculi mentis fatentur arcana.* De colli ipſius conformatione ita ſermocinatur: *Subeſt capiti collum, quod nec ipſum Artificis expers providentiæ eſt: inde deſcribuntur primùm in cervicem, & jugulum; ultima colli vertebra, quâ onus ſuſtineat, nuncupatur Atlas, ut videri debeat caput ſpinam excipere.* Quantùm in una ſola periodo exprimit, quàm eruditè ſenſum rei extollit! Hanc ille periodum dilatat, ſubjungendo: *Ut prætexui, appellatur Atlas velut Actophorus, id eſt, onerum geſtator: at Plinius ordine mutato, primum Atlantion ſtatuit, poſtremum verò Epiſtropheum.* Quandoquidem Anginæ, & ſtrangulationes ad Medicos pertinent, earumque cognitio illis cumprimis neceſſaria eſt, quò affectus illos curare noverint: noſtræ autem intentioni ſupervacaneæ videantur, idcirco viſum eſt illas hìc loci omittere, & plura deſiderantes ad ipſum fontem relegare: Sed ne hinc omnino vacuis manibus velut jejuni exeamus, inter alia unum hoc perelegans dictum excerpſimus: *Sciendum præfocationem omnem ex anguſtia procedere; anguſtiam verò, aut repletâ intermedia regione fieri, quæ inter thoracem eſt, atque pulmonem; aut pulmonis in cavernis.* Et paulo infra: *Quæ inflammatio fieri item in præjacente ſpatio poteſt, quod fauces appellant, & laxius eſt: gutturis autem affectio eſt hujuſmodi, aſperæ quidem arteriæ inflammatio difficultatem ſpirandi efficere poteſt, ſtrangulationem non poteſt, ob meatus magnitudinem in ipſa laxiorem, & tunicæ tenuitatem; impoſſibile ſiquidem eſt, corporis adeo tenuis inflammationem perinſignem Canaliculæ laxitatem complere.* Curioſiſſima, & diſertiſſima eſt hæc doctrina, quæ non poteſt non ad ſalutem Patientis, & totius reipublicæ Medicæ emolumentum, ac dignitatem emergere.

Manus.

Introducit in trigeſimo tertio, cum ſtupenda, ac inauditâ Eloquentiâ, ſummum Magiſterium, ac miniſterium Manuum, quæ Artiſtæ Mentis verè ſunt famulæ, eruditè ac ſapienter à Patre Daniele Bartolo, in libro ejus, quem Recreationes Sapientum compellavit, deſcriptæ. Cœlius verò noſter, hic in laudes ſcripturæ diffunditur, omniaque ex ſcripturâ emanantia bona ad longum recenſet. Tum de brachiis, eorumque diverſis nominibus loquitur, terminatque in digitis, manuum terminis, de quibus ego quoque in primo volumine multa paſſim egi.

Lib. 1. c. 19.

Primùm ſe excuſat, non tantùm ſibi Eloquentiæ ſupereſſe, quàm conveniebat pro tam condignæ, tamque utilis omnino rei pertractatione, paucis verbis complectendâ. *Mira eſt,* inquit, *artium numeroſitas, quam membri hujus adjumento condiſcimus, & exercemus.* Exempli loco adducit, Artes fingendi, pingendi, ſculpendi, in organo, ac cæteris inſtrumentis Muſicis ludendi; Sublimitatem ædificiorum, urbium ſtructuram; culturam agrorum, & hortorum; artes præterea omnes, quæ ad victum, veſtitumque hominum comparandum ſunt inventæ, ut pannificium, textrina, piſtura, ars culinaria, & reliquæ quæ his famulantur. His manibus, inquit, ad intima terræ viſcera, pro eruendis metallis penetramus: harum operâ metimur, & ſulcamus maria, ipſasque marium abyſſos ſpeculamur, & rerum omnium diverſas conditiones inveſtigamus. His montium cacumina ſolo æquamus, & plana in montes erigimus: Verbo, quidquid in univerſi terrarum orbis vaſtitate comprehenditur, manuum operâ noſtræ voluntati ſubmittitur, & Hominem quaſi Dominum ſuum agnoſcit, & veneratur.

Nunc ad ipſam ſcriptionem, quæ utique manuum ope fit, progreditur, eamque ſummis ad cœlum laudibus extollit. Quarum ego exiguam

Laus ſcripturæ.

guam particulam huc transfero, dum liberum ſtudioſo Lectori permitto, in ipſo prototypo ſe, cum videbitur, pleniùs exatiandi. Feſtiviter igitur hanc rem amplificat his verbis: *Quid illa ſcribendi majeſtas, quæ tantarum rerum ſcientiam nobis comparat, vetuſtatem propagat, nil ſinit interire, & quod omne conterit tempus, noſtris cogitur manibus ſuccumbere, quid hoc magnificentius? quid æquè admirandum, id eſſe Homini datum, in quod ne mortis quidem avida rapacitas jus ullum habeat? Quid tot, tantarumque legum contexta volumina, quam demum civilioris vitæ proferunt eminentiam? Quid dictorum, conventorumque publicis tabulis comprehenſa fides, adverſùs ingeniorum pravitatem? Auſim dicere, ſejunctis manibus nos fuiſſe, non inermes modo, ſed vel brutis infeliciores: quem enim uſum Rationis habeat lumen, illis deſtitutum?* Hinc non injuriâ manûs quidam Sapientiæ miniſtras appellârunt. Anaxagoras porro, cum de Ariſtotele loqueretur, referente aliquoties Plutarcho, ajebat, ſibi Hominem ſagaciſſimum videri, quod manibus eſſet ornatus. Quid enim eſt, quod hæ non poſſint? Nunc verò quanto artificio digitorum ſtructura compoſita eſt, de quibus neſcias, ſintne venuſtatis, an utilitatis majoris? Quæ dignitas in numero, quis decor in ſerie articulorum, quantâ dexteritate extenduntur, dilatantur, reſtringuntur, & contrahuntur? Amplius nunc excurrit in declaratione nominum, juxta mentem gravium quorundam Authorum, ut Divi Hieronymi, Diodori, & Alexandri Aphrodiſæi. Palmam, ſeu volam manuum molliorem effectam, ut ſenſus accuratior, exquiſitior, ac promptior eſſet, & hujus cutem Avicenna tradit temperatiorem eſſe, quàm in univerſo reliquo corpore. Unde Galenus palmæ interioris temperiem mediam ponit inter calidum & frigidum, humidum & ſiccum, durum & molle: eſtque præterea glabra, ſeu pilis orba; ne ſi hirſuta foret, tactûs forte ſenſatio læderetur. Conſtat deinde brachium (ut nos quoque monuimus) duobus oſſibus. Nunc diverſorum nominum declaratione detinetur, qualia ſunt, Brachiale, Radius, Cubitus, Carpus, Metacarpus, Thenar, Hypothenar, & complura alia, quò eum, qui eorum fortè notitiam appetit, remittimus.

Explicat in trigeſimo quarto ſitum pectoris, coſtas dinumerat, earumque nomenclaturam exponit. Item quid os ſacrum, quid ſpondyli ſint, quid Pleuritis, Arthritis, Nephritis, & alia? Conſtat pectus ex muſculis maximè ſenſibilibus, ac nervoſis, iis maximè, qui intercoſtales dicuntur. Referunt Galenus, & Avicenna, ſeptem utrimque coſtas eſſe, quamvis Medicorum aliqui octo numerent. Sentiunt Ariſtoteles, itemque Galenus in Iſagogicis, thoracis nomine totum id comprehendi, quod à collo ad pudenda uſque protenditur; ſic alio nomine *Holmos* dicitur, illius os medium, atque inferius ſternum dicitur. In hoc mirabilis Dei providentia cognoſcitur, quod totam pectoris regionem non ex unico oſſe, ſed pluribus conſtare voluerit, quò liberior eſſet tranſpiratio, & ipſius corporis quaquaverſum expeditior inflexio. Jam de Hypocardio, Anticardio, Procardio, atque Pericardio loquitur. Mammillarum apicem papillam vocat, mammillas vero ipſas ex pluribus tubulis undequaque liquorem attrahere, velut fons per plures ſcaturigines lympham. Earum ſubſtantiam laxam & ſpongioſam eſſe, jamque non utilitati ſolùm, ſed & decori inſervire. Cartilaginem Græci Chondron dicunt, inde Hypochondrion. Xiphoides os, quod enſis manubrium figurâ ſuâ referat, dictum. Ubi ſpondyli, ſeu vertebræ terminantur, os ſacrum incipit, in ſummitate latius, inferiùs in acumen deſinit. Inflammatio pleuræ, quæ eſt membrana ſuccingens coſtas, pleuritis dicitur, velut articulorum affectus arthritis, renum vero paſſiones nephritis appellantur.

Pectus quare apertum.

Mammillæ, earumque ſubſtantia.

His, & aliis compluribus vocabulis præcedenti capite explicatis, in ſubſequenti de ventre demum, ejusque nomenclaturâ fuſiùs agit. Multa de paſſione Colica differit. Jam de umbilici regione, & ſubjectis partibus agit: ſimulque ex præcedentibus, quid per Choleram intelligatur, deducit. Quid in lateribus *Ceneon, Lagon, aut Lapara* quo nomine Hippocrates imum ventrem, umbilicum inter, & pudenda, appellat, quid ea, inquam, ſignificent exponit. Omnis illa regio, à coſtarum cartilaginibus uſque ad inguina, juxta ejuſdem Hippocratis mentem, Hypochondria dicuntur. Infra umbilicum, ſedes colicæ paſſionis eſt, quæ plerumque aliud nihil eſt, quàm durities alui. Totum id quod circumcirca potiſſimum verò, quod infra umbilicum eſt, abdomen dicitur. Membrana ambiens *Gangamon* appellatur, ſive omentum, quod eſt quoddam quaſi rete à Natura ad ſuccingenda inteſtina ordinatum. Umbilicus verò ad id creatus eſt, ut per illum materno ſanguine fœtus in utero nutriatur, & confortetur. Obſervatione dignum eſt, quod notat Albumazar, in Umbilico primi infantis prædici ab obſtetricibus filiorum numerum poſſe, quos in univerſum ſit habitura puerpera, inſpectione videlicet, & computatione nodorum, qui plerumque in umbilicis recens natorum conſpiciuntur. Latera, ſive ilia dicitur ſpatium illud, quod eſt inter coxas, & inguina, quæ quia cava ſunt, & inania, à Græcis Ceneones vocantur, & Lagones, propterea quod flaccida ſint, atque vacua. Frequentiores ſunt alui perturbationes, cum dejectionibus, atque vomitu, ſive ex humorum cruditate, ſive ex illorum redundantiâ, per nimiam ciborum ingluviem introductæ.

Ventris imi nomina.

Umbilicus.

In umbilici nodis praſcitur numerus filiorum.

His ſuccedunt longæ tractationes, ſeu capita de pube, ac pene, ubi multa aguntur de faſcinis pudendorum: de cultu Liberi patris, de Tauro, Datilio, & Copro; de Nanorum præterea, ac Vepenis genitalibus. Quæ in reliqua corporis membra dominium exerceant, inquiritur: ſimulque vocabula, Lanuvinum, Clitoris, Dupondium, Chromaſter, Clunes, Entomia, Viduli, Vidulares, Meſoſceles, Apocopi, & alia complura examinantur. Neque natium, ſeu clunium nomina eximuntur; hinc Glutti, & Apoglutti, Aphedron, Hypoliſpæ. Cur ab Athenienſibus Depyges dictæ? De Theſei lapide. Cur pueri lapides confricent? Cur voces, Callipyga, Catipyga, Pegoſtulum, Arium, Arioliparum, Aniſchium, Liſpum, & aliæ hujus generis plures.

Quæ inſequuntur, conſiderationes, tametſi tum propter materiam, & ipſius compoſiti integritatem, tum propter alios reſpectus, hìc neceſſariæ videri potuiſſent: nihilominus, quia his caſtæ aures offendi poterant, neque ipſum idioma, conditio, aut honeſtas ſeu noſtra, ſeu libri hujus, & complures aliæ rationes id permiſſuræ

videbantur, ut illæ huc loci traducerentur, idcirco de induſtria illas omittimus, malumusque nobis hàc de cauſa exprobrari, Benevole Lector, nos Hominem eviratum, ac debilem, quàm impudentem, ſordidum, & impurum exhibuiſſe. Pergamus igitur inſpicere, quantum ille nobis doctrinæ, & eruditionis in ſequentibus capitibus reliquerit.

Pedes, & crura.

Superfuit ad complementum Hominis, de cruribus, pedibusque aliqua dixiſſe; quæ ille conſuetâ prolixitate in quadrageſimo primo capite, atque, ut ſolet, feliciter expedit. Sunt igitur pedes, juxta Ariſtotelis ſententiam, carnoſi, nervoſi, oſſei, ſpinoſi, & rigidi. Horum omnium una cauſa fuit, ut Hominem ſcilicet erectum ſuſtentarent; quò igitur feliciùs carneam hanc molem regerent, opus fuit illis veluti baſibus, totiusque ædificii columnis. Latera mollia, & flexibilia, utrimque ilia vocantur, inde oſſis ilii denominatio. Hic illæ cotylæ, ſeu acetabula, quorum amplum pro capite oſſis femorum recipiendo in coxendicis, ſive iſchii oſſe viſitur; ab hoc oſſe, qui iſchiadici vocantur dolores, denominationem habent. Sequuntur femora; pars pedis totius ab oſſe iſchio, uſque ad genua. In genu ipſius anteriore parte, os, quod Pauſanias *Molam* appellat, cernitur: poſterior genu incurvatura Plinio *poples* dicitur. Tibia pars pedis inter genu, & talum, duobus oſſibus conſtat: quorum quod interius eſt, & majus, totius nomine donatur, & *tibia* dicitur, item paracneme; alterum minus ac tenuius, *fibula* appellatur, quæ ſupra aſtragalum, ſeu talum nonnihil eminent, de cætero ſunt æqualia. Pes propriè dicitur à talo, uſque ad digitos pedis. Conſtat ex oſſibus, tendinibus, & nervis.

Tarſus eſt pars pedis calcaneo proxima; tum Metatarſus, & ipſi digiti. Pedis pars ſuperior, pectus; inferior dorſum pedis, & apud Rhaſem *Pelmata* appellatur. Cavitatem pedis, plantam dixerunt. Fiſſuræ in digitis pedum, à frigore ortum ducentes, græco nomine Chimethla, latinè perniones dicuntur; quibus, quod auxiliatur medicamentum, uſitato inter Medicos vocabulo, *Marcelion* nuncupatur, quod idem videtur eſſe, ac digeſtivum, & emolliens, quale ad plures affectus corporis externos applicatur; fuitque juxta Authoris noſtri mentem, primò ad nervorum, qui ex frigore aut contuſione paſſi fuerant, confortationem inventum, Ganglionis poſthæc nomine appellatum. Ut verò ad pedem revertamur, hunc non immeritò, corporis humani baſim appellari. Sarapoda (ut Græci tradunt) Alcæus Pittacum vocabat, quod latos pedes traheret, item Chirapoda quod frequenter pedum ulcere affligeretur. Pedes laſcivioribus epithetis ab Athenienſibus donabantur, quod eſſent libidinum incentiva: ſcilicet à corporis parte imâ, ſummam animæ pernitiem ſibi contrahentes.

Ad demonſtrandam correlationem partium inferiorum cum ſuperioribus, ignobilium, cum nobilioribus; ingenioſiſſimus Author noſter, manuum pedumque mutuam proportionem, eorumque cum ſublimioribus membris correſpondentiam inducit, idque ſecundo, & quadrageſimo capite. Inque hoc compoſito ſupremi Creatoris ſingulare artificium maximè ſuſpicit, aitque: *Singulari eſt dignus admiratione tanti operis Artifex infinitus; qui, ut ſuperna Mundi minoris affabrè compegit perfectione ſummâ, ita nec in imo quippiam ejus deſiderari eſt paſſus; quippe manuum cum pedibus inſignis proportio ineſt; quòd adſunt pedibus digiti ad figendum fortiùs, manui ad apprehendendum. Tanta prominet tamen ſimilitudinis vis: ut quoſdam naturâ manibus mutilos, pleraque pedibus exequi, quæ manibus ſolent alii, maximâ omnium, qui inſpectarent, admiratione.* Recordor & ego (quod ut jam dixerim aliàs, non poſſum non hìc loci repetere) vidiſſe me in Patria mea Bononiæ, quendam brachiis omnino mutilum, qui pedibus fila per acûs foramen trajiciebat, & acu, quidquid occurreret, nebat, ſclopetum explodebat, & tantâ quidem dexteritate, ut nec à meta aberraret; aliaque multa faciebat, quæ difficulter alii manibus aſſequi potuiſſent. Pergit igitur Cœlius noſter, poſt *admiratione* ſubjungendo illa, quæ ſequuntur; *viſos ſe prodant pedibus ſcripſiſſe; ligna concidiſſe, atque etiam neſſe, & id genus multa impleſſe.* Utraq; porro tam pedes, quàm manus triplicis officii muſculos habent, inſervientes ſcilicet erectioni, contractioni, & circumductioni, ſeu malis dicere, rotationi. Pedes igitur providè circumferunt humani corporis machinam; cui manus fideli miniſterio famulantur. Eſtque illorum inter ſe tam exacta proportio, & analogia, ut neutrum altero longiùs protendatur. Neque enim ſi alterutra manuum longior eſſet; amplexari quidvis liberè poſſis, neque decenter ambulare alterutro pedum longiore: quare tam Monoſcelidum, quàm Sciopodum hiſtoria falſitatis damnatur. Quis enim poſſit unico pede, ut de illis fingitur, ambulare? Digitorum quoque inter ſe, ut in manibus, certa proportio eſt, ſuntque manuum digitis breviores, ob diverſam activitatis exigentiam. Neque enim ad utilitatem ſolum confert, quod breves ſunt, ſed ad venuſtatem. Vires ad ambulandum pedibus tribuunt, ad ſaltum factâ in terram impreſſione conducunt, & corpus ipſum, firmati cum volunt in terram, firmiter conſiſtere faciunt. Illis vigentibus, corpus viget, & liberè quaquaverſum movetur; & quidvis audet. Eâdem occaſione ſedem caloris non in artubus, ſed in ipſo corpore locat, aitque fœminas inferiora verſùs, viros verò verſùs ſuperiora calidiores eſſe. Et in fœminis quidem in earundem temperamento frigido ac humido cauſam conſtituit, quod non patiatur ſurſum ferri calorem; contrarium in viris evenire, in quibus proinde calor ſuperiorem corporis regionem potiſſimùm occupet, virosque ad multa agiliores fœminis efficiat. Fœminas tamen ob frigidam illam, humidamque ſimul temperiem, ſæpenumero maribus craſſiores evadere. Ii, qui pedibus carent, *apodes* vocantur. Pedum fiſſuræ à Græcis *Chiræ* dicuntur; inde *Chirapodes.*

Fœminæ cur viris craſſiores?

Hìc famoſus ille tractatum ſuum celeberrimum de partibus, & ſtructurâ Hominis concludit, in quo ego, velut in venerabili quodam ſacrario, eas ſolùm imagines contemplatus ſum, quæ cæteris illuſtriores mihi videbantur; dum interea mihi firmiter perſuaſum habeo, fore, ut alii me doctiores, exercitatiores, ac diligentiores, oculo magis lynceo, ac perſpicaciore viſu, meliora detecturi, ac ſelecturi ſint. Qui ſi talem in externis ſe exhibuit; æquè verſatum, eruditum, & prolixum, in cognitione internorum (quæ ſunt ipſa viſcera Hominis) ſe oſtendit. Ve-

rùm cum in primo volùmine multa paſſim Anatomica tractaverit, mihi verò animus non ſit, quanquam ſalutaribus alioquin Medicinæ præceptis has paginas complere, dum affatim in hac Appendice, ut mihi quidem videtur, ea jam fuerint pertractata: idcircò neglectis illis, ad ipſum fontem curioſos remitto, eos maximè, qui aliquem ex ſchola Medicâ profectum haurire ſatagunt, ut ex hac ſcientiæ abyſſo (nec enim dubito hoc nomine profundam ejus doctrinam compellare) tantùm luminis, ac cognitionis eruant, quantùm ſuæ, aliorumque ſanitati conveniens, ac neceſſarium futurum eſt. illic ſapienter examinata invenient, quid collum ſit, & quæ illius partes, quid venæ jugulares, quid arteriæ Carotides, qui nervi, quæ duplex colli fiſtula, & alia ad id pertinentia? Tum inteſtina perſcrutatur, earumque partes, officia, connexiones, & ſitûs, ut ductus lactei, & choledochi, meſenterium, meſaræum, omentum, & ſimilia. Neque adduci poſſum, ut elegantem illius expreſſionem ſicco pede pertranſeam, ubi ait: *Ab ventriculo excipiuntur inteſtina, ex quibus pleraque multis implicantur orbibus; ne ſemper adſit cibi appetentia, neve alimenti inopiâ fameſcamus:* & paulo infra, rem duobus verbis declarat: *Ergò ima ventriculi pars paululum in dexteriorem converſa partem, in ſummum inteſtinum coarctatur.*

Pulmo quid ſit.

De inteſtinis poſtea differit, ut tenuibus, cœco, colo, & recto, de peritoneo, & ſimilibus. Quàm ille diſerte, de pulmonibus agit, quos vitæ humanæ uberrimos fontes agnoſcit; quantâ Naturæ ſagacis providentiâ inſtituti fuerint, ut pro refrigerando cordis exceſſivo calore, mediante reſpirationis aſſiduo motu, quaſi gemina ventilabra inſervirent, exponit: eâdem occaſione de piſcibus qui pulmonum loco veſicam habent, de pneumonicis item, ſeu pulmoniacis, eorumque affectibus ratiocinatur. Pulmonem his Adjunctis, ſeu Epithetis exornat: *Eſt aëris receptaculum, & ſpirandi artifex officina, unde alitur anima, ſicuti cibo corpus; naturâ ſpongioſus, fiſtulis inanibus cavus, inde ſpiritûs capax.* Diviſus per Mediaſtinum in lobos dextrum atque ſiniſtrum, flabellum cordis eſt: cujus rei teſtes Ariſtotelem, & Plinium adducit. Utriusque lobi porro, unum idemque eſſe objectum, ut cordi inſerviant; jamque ex Columellæ ſententia, culcitras illos cordis appellat.

Cor quomodo formetur.

Nunc in Cor ipſum patefacto aditu, prô! quantâ elegantia de ventriculis illius, ejusdemque in utero conceptione, ac formatione ſermocinatur: *Semen maris,* inquit, *in vulva conceptum, reſolvitur in ſpiritum, hìc verò menſtruo ſeſe inſinuat humori, atque ibi domicilium quodammodo ſtatuit, quod eſt Cor: eſt enim Cor tradente Galeno omnium viſcerum, & membrorum corporis radix prima.* Et paulò infra: *Sicut in orbe Intelligentia prima eſt quidem Microcoſmi res nobilior.* Jam de ſtructurâ illius differit, & formâ, quæ ſuperiùs lata eſt, bipertita, cava, & bimembris, in apice verò turbinata. Cor item nervis per ſubſtantiam ſuam diſſeminatis abundare. Ejus motum, qui fit cum intenſione ac remiſſione organicâ; duplicemque illius ventriculum, in quibus ſanguificatio perficitur, venarum præterea, & arteriarum ex illo per corpus diſtributio explicatur: quæ omnia, nec ab iis, quæ in primo meo volumine ſub Anatomia cordis pertractata fuerunt, nec à communi Philoſophorum ſententiâ diſcrepant. Aitque, nulli illud morbo ſubjectum, aut obnoxium eſſe, nec ferre infirmitates, ſed ab illis ſubitò, vel per mortem, vel per celerem reconvaleſcentiam liberari. Opinionem adducit, quâ Cor quotannis, uſque ad quinquageſimum ætatis, ad drachmam unam in pondere augeri creditur: exinde rurſum illius ponderi ſenſim decedere aliquid, donec illius defectu emoriatur Homo, qui ob eam cauſam non ultra centeſimum annum extendere vitam poſſit. Hujusque opinionis Authorem Plinium facit, in doctrina Ægyptiorum.

Poteris poſthæc ſi libuerit, videre amplam materiam, de Hepate, de Pancreate, & bile, eorumque ductibus: artem revera longam, & vitam Hominum brevem. Quantùm igitur ex doctrina Medicorum deduci poteſt: duplicem ait eſſe fontem ſanguinis vitalem, Cor ſcilicet, & hepar. De Galeni ſententia refert: *Ex ſpiritu reſoluto ab hepate, in toto fieri corpore appetentiam oblectantium, ferventiumque.* Et paulò ante, cùm de prærogativa, & nobilitate illius differeret, ait: *Jecur autem membrum, ut Plato inquit, nobiliſſimum, & notiſſimum, concoctionis cibariæ gratiâ contributum.* Imò ſi vitam habemus, eamque ſanam tranſigimus, totum id ab hepate proficiſci; ita Ariſtotelem, & Galenum cum univerſa Medicorum ſcholâ paſſim ſentire. Inde ſuperſtitioſus Gentilium ritus, ut infauſtum illud ſacrificium, irrita vota, & ſiniſtrum ejus rei exitum, pro qua deprecatus fuiſſet ſacrificans, augurarentur, ſiquidem jecur victimæ deeſſet. De felle porro inter cætera ſic habet: *Ex inferiori parte aſſidet fel, cujus folliculus ab Græcis dicitur Choledochus, quod flavum contineat humorem; eſt autem hoc nihil aliud, quàm purgamentum peſſimi ſanguinis.* Anaxagoras exiſtimabat, ab eo omnem derivari humorem pravum, infirmitatem præterea, omnemque Naturæ vitiatæ defectum, & morbum: dum ex hujus redundantia (inquit) pulmones, ſanguis in venis contentus, & alia vitalia contaminantur. His proinde vitiis & morbis ex animantibus illa carere, quæ felle careant, illaque idcirco vitam longævam ducere: id quod de cervo creditur, & de delphino quidem ſine ambiguitate eſt, qui vitam quàm longiſſimè protrahit. Quam doctrinam dilucidâ hac expreſſione illuſtrat: *Eſſe namque jecori ſubjectum fel, ratione ferveſcentis bilis, perinde atque ignem ſub cortina ſuccenſum.* Neque tamen uſus bilis omnino aſpernandus, per ductum enim choledochum ad inteſtina defertur, ibique ſtercorationem cauſat, & acrimoniâ ſuá inteſtina vellicando, fæcum excretionem promovet. Quibus occluſis meatibus, dum bilis per totum corpus diſpergitur, icterus, ſeu morbus regius juxta Peritorum ſententiam exoritur, cui præſentaneum remedium in proprio corpore Rhabarbarum expertus ſum, cui vel ratione coloris ſympathiam cum felle intercedere veroſimile eſt, ſympathiam verò hanc ſignaturam vocant. Doſis hujus pulveris eſt drachma una, plùs, minùs, pro rei exigentiâ infirmo exhibita.

Diligenti, & exactâ lucubratione, longoque ſermone, de Splene, ejusque proprietatibus, Capite octavo, & quadrageſimo agit. Cauſam ait eſſe riſûs immoderati. Medicamentum ſpleneticum exponit, ſimulque rationem affert (jam in primo volu-

volumine à nobis adductam) cur Trajanus Imperator lienem Fiſco comparaverit. Parenchyma illius (quod eſt caro uniuscujusque viſceris propria) ait eſſe oblongum, mediocriter, laxum, molle, & ſpongiæ adinſtar poroſum, quò faciliùs ſangvinem fœculentum, & craſſum ſecernat, atque ita purget, ut reliqua ſangvinis pars magis lucida, ſpirituoſa, & efficax evadat. Riſum verò juxta Naturæ peritos ad hunc modum producere dicitur, dum ſangvis maxime depuratus, ſpirituum lucidorum copiam exhalat, eorumque claritate Animam exhilarat.

Traditur præterea à Medicis dogmaticis, per ſuccum atrabilarium in vaſis Spleneticis contentum ardores Cordis refrigerari nonnihil, & temperari. Eam ob cauſam ſiniſtrum corporis latus temperatius eſſe, ac frigidius dextro. Siquando autem lien plus juſto frigoris contraxerit, languet corpus, & plus humorum colligit, quàm in ſui nutritionem abſumere valeat, inde ventris intumeſcentia, & tandem Hydrops, ſeu aſcites, ſeu tympanites inſeqvuntur. Meminit civitatis cujusdam maritimæ in Caria è regione Rhodi, cujus incolæ Caunii dicti, hi, cum omnes ſplenetici eſſent, ac lienoſi, vultu macilento pallebant, eumque colorem in facie exhibebant, qui eſt foliorum in autumno. Quos cum intuitus eſſet Stratonicus Citharœdus, homo ſalibus, ac facetiis plenus, hunc in illos verſiculum Homeri protulit.

Civitas Spleneticorum.

6, Iliad.

Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorum.

Caunii verò, cum hominem inceſſiſſent acrius, quod urbem ut morbidam carperet; urbaniùs multò, acriusq;, quàm prius illudens, ait: *ego eam non morbidam dicere auſim, ubi mortui ambulant?* Refert Cœlius prope Cortynam Cretæ urbem, naſci ſine ſplene pecora, quod herbam peculiarem manducent, quæ vires habeat, illud viſcus intra corpus exiccandi. Hæc eſt, de qua Medicamentum ſpleneticum componitur, Aſplenium dicta. Inde piiſſimus Imperator Trajanus, exactiones Fiſci rigoroſas, quæſtus ſpleneticos appellabat; ut namque aucto liene, reliquæ corporis partes exiccantur, ac minuuntur, ſic ditato nimium Tyranno, civium opes exhauriri: unde doctiſſimus Alciatus hoc appoſuit; *Opulentia Tyranni, paupertas ſubditorum.* De liene verò ita rem exaggerat: *Splene aucto, tabeſcunt cæteri corporis artus.* Quæ omnia à me priori volumine, tam in figura, quàm verbis demonſtrata fuerunt.

Ab hoc viſcere rectâ tendit ad Renes Capite quadrageſimo & nono. De iis teſtimonio Celſi ad hunc modum differit: *Hi lumbis ſub imis coxis connectuntur parte reſimi, parte globati; Venoſi porro ſunt, & ventriculos habent, ac convallantur tunicis.* Vult eos in Veſicæ commodum à Natura conceſſos. Eorum dexter, juxta Avicennam, eſt ſiniſtro quoad ſitum altior. Eorum vaſa emulgentia dicta, ab Aorta arteria originem trahunt. Renum porro officium eſt, ex ſangvine ſuperfluum humorem ſeroſum percolare, in qua operatione ab hepatis calore adjuvari dicuntur. Caro eorum magis eſt compacta, ſolida, & denſa, quam cæterorum viſcerum, ut nonniſi ſangvinis tenuiſſimum ſerum exugere poſſent, neq; enim illorum fuit, ſeu pituitam, ſeu atrabilarium humorem ſecernere. Hæc ſubſtantiæ illorum denſitas aliud quidpiam emolumenti includit, ne videlicet acres urinarum hypoſtaſes, ſeu mordacia ſedimenta tam eos facilè eroderent, atq; ita in operatione ſua renes perturbarentur. Profuit tamen illorum quoq; poroſitas, quò faciliùs potulentorum fæces unâ permearent, quorum commixtio turbidas urinas reddit. Renum proinde morbi dolores Nephritici appellantur, dum in illis generantur arenæ, & calculi, ſeu lapilli, qui non raro vel in ipſis renibus, vel in veſicam prolapſi exitium ſic affectis inferunt, & mortem. Urinæ profluvium, dum ſcilicet intemperantiùs urina effunditur, uſitato vocabulo *Diabetes* nuncupatur, quæ infirmitas cum ſitim maximam inducat ægrotis, alio nomine Dipſacon vocatur. Eadem occaſione de Dipſade hujus nominis viperâ agit, cujus morſu ſi qui vulnerati fuerint, ſiti intereunt.

Relictis Ureteribus, vaſisque ſpermaticis, tanquam parum ad rem noſtram facientibus, ad ea gradum faciamus, quæ in quinquageſimo primo Capite, magniloque & graviter de præcordiis, eorumque proprietatibus, & ſitu, de Diaphragmate ſcilicet, ſeu Phrene, indeque dictâ Phrenitide ad longum differit. Tum ad illuſtrandum Plinii quendam locum ſedulò incumbit. Pectus, ait, tanquam principalem Animæ ſedem, eâ decuit eſſe thoracis capacitate dotatum, quæ magnificentiâ ſuâ Sapientiæ domicilio reſponderet. Per hujus medium diſpoſita eſt membrana (ſeu malis dicere muſculus) viſcera cordis tanquam iracundiæ, & fortitudinis ſedem, in ſuperiori parte à concupiſcibili inferius, ab hepate nimirum, quaſi interpoſito quodam pariete dirimens, quæ res illi nomen *ſepti tranſverſi* peperit. Connectitur coſtarum cartilaginibus, & ſpinæ dorſi. Venas quoque ſibi peculiares admittit. Septum hoc à Platone, Galeno, & Hippocrate *Phrenes* appellatur. Hoc ſcilicet fræno iræ, & concupiſcentiæ affectûs, tanquam indomiti equi intra rectæ rationis limites continentur. Quæ tametſi verè, & propriè in Phrene non fiunt (ſeu Phrenibus) ſubmittuntur tamen ipſi organo, quod in corporis affectûs dominationem exercet, Cordi videlicet, quod primarius Animæ thronus, & irriguus facultatum omnium fons eſt. Cujus operationes quia adjuvantur à Phrenibus, ideo *Præcordiorum* nomine vocantur: de quibus eruditè Plinius: *In præcordiis fuit peculiaris cauſa vicinitas alvi, ne cibis ſupprimeretur animus.* Quæ quidem dilucidè commentatur Author noſter: *Intellige, ut Animæ ſentientis origo inoffenſa ſervetur, nec facilè cibi exhalationibus diſtringatur, & caloris adventitii copiâ: nam & ſic quoq;, ubi ex convicinia attraxerint præcordia humorem calidum, atq; excrementitium; continuò mentem, ſenſumq; perturbant.* Ex his proinde infert, ſi præcordia ipſa carnoſa omnino fuiſſent, majorem quoque vaporum humidorum copiam attractura eſſe.

Ventri cur vicina præcordia.

Hæc pars, ut Ariſtoteles tradit, calefacta, quàm celerrimè ſenſum movet, quod vel ex ſola titillatione dignoſcitur, quæ fit ob cutis laxitatem, & ſubtilitatem, dum facilè ſpiritus reſoluti intro ad ſeptum transferuntur, in iis qui titillationi ſunt obnoxii. Titillatio porro, & riſus conjuncta videntur eſſe, dum cætera animalia, ut titillationis ſenſu, ita riſu quoq; carent. Eadem omnino ratio eſt, cur ii, qui vulnerati in præcordiis fuerint, *riſu* intereant, qui *Sardonicus* dicitur. Hujus doctrinæ meminit Avicenna in Hiſtoria animalium libro decimo tertio, ſed paulo obſcuriùs. Clariùs aliquantò Plinius libro undecimo, qui ait; certiſſimum, ac omnino manifeſtum eſſe, quod vires totius corporis, motus reſpirationis ad vocis formationem neceſſarius, & principium uniuscujusq; actus in Homine, ab uno diaphragmate dependeat. Tum experientiâ diſcimus, quod omnis

Vulnerati in præcordiis riſu intereunt.

operatio

operatio corporea, quò magis extẽditur, eò magis ſubinde debilitetur; quò magis verò cõtrahitur, & condenſatur, eò plus adjuvetur, & confortetur; hunc ergo uſum Præcordia in reſpirationis negotio habent, ut thoracem contrahendo, ejusdem operationes adjuvent. Hæc Galeno digna Obſervatio, qui & ſui ævi, & cæterorum facilè Medicorum eſt princeps. Hâc aëris reciprocatione, ſeu *inſpiratione* ſimul & *expiratione*, unà ſpiritus intromittuntur & emittuntur, cooperante toties diaphragmate, ſeu pro intromiſſione aëris relaxato, ac dilatato, ſeu pro illius expulſione ſurſum contracto. Tandem docente Galeno: *Terminum, quo thoracis pars inferior finitur, antiquiores Phrenas appellaverunt; ſive ſimpliciter, ſive quia eo inflammatione affecto, mens item lædatur.* Dum igitur à diaphragmate vapores aſſurgunt, & membranas cerebri feriunt, oriuntur inde deliria, phrenitides, & alia hujus generis ſymptomata. Porro qui Platonis doctrinam amplexantur, (ut dictum fuit) præcordia circumvallationis, aut ſepimenti nomine appellarunt. Et hæc loco omnium dicta ſufficiant.

Quemadmodum ſuperiùs tractatum de Vaſis ſpermaticis, tanquam parum ad rem noſtram facientibus prætermiſimus, ita nunc uterum Muliebrem eâdem cenſurâ notamus: maximè quod ibi variè, & prolixè differat de cauſis, & generatione monſtrorum, quam materiam jam paulo antè ventilavimus. In Capite igitur quinquageſimo, & quarto, antequam ad finem cœpti operis tendat, curioſam Quæſtionem movet de numero Septenario, ejusdemque pro portione ad internas Hominis partes. Primam porro atteſtationem, ex Macrobii libro primo de Naturalibus deſumit; ſuntque hæc illius verba: *Septena ſunt intra Hominem, quæ à Græcis nigra membra vocantur: Lingva, cor, pulmo, jecur, lien, renes duo. Septem item alia cum venis, & meatibus, quæ ſingulis adjacent, ad cibum, & proportionem adnata, item ad Spiritûs reciprocationem deſtinata: Guttur, ſtomachus, alvus, veſica, & inteſtina Principalia tria, Meſenterium, & Urachus.* Condignâ attentione obſervatur nobilis hîc numerus, qui tam eleganti proportione compoſito humano præeſt, illi procul dubio inter cæteros numeros honor, & prærogativa debetur. Septem omnino ſunt in Homine, quæ omnes in illo gradus dimenſionis explent, altitudinem ſcilicet, profunditatem, ipſamque ſuperficiem. Sunt autem medulla, os, vena, arteria, nervus, caro, cutis.

Homo internè ex numero Septenario conſtat.

In aperto ſunt ſeptem Hominis partes extrinſecæ: ut caput, pectus, manus, pedes, & pudenda. Septem præterea ſunt, quæ quaſi quibusdam inter ſe vinculis colligata ſunt: ut humerus, brachia, cubitus, manus, femora, pedes, & digiti. Quandoquidem verò Natura provida ſenſus in capite, tanquam in ſpectabili quadam arce collocavit, voluit eorum quoque miniſteria, per ſeptena foramina, quaſi totidem portas exerceri; ut ſunt; oris hiatus, oculorum præterea, nariumque, & aurium bina in ſingulos foramina. *Quare* (hoc modo in laudes hujus numeri evehitur celebris Author noſter) *numerus hîc totius fabricæ diſpenſator, ac dominus eſt.* Poterit hîc nonnullus objectare nobis, ſubjungit idem: *ecquid iſta corporis humani ſtructuram faciunt auguſtiorem?* Et reſpondet, quin ita eſt, in eo enim numero, plenitudo, ac perfectio rerum omnium continetur. Marcus Tullius inquit; *Septenarium eſſe rerum omnium nodum, quippe geminam vim obtinet vinciendi: quia ambæ partes ejus vincula prima ſortita ſunt; Ternarius cum una medietate, Quaternarius cum duabus.* Cumque multa inſuper diſſeruiſſet, concludit tandem, hunc verè perfectum eſſe numerum, qui ex pari ſimul, atq; impari concrevit, omnemq; adeo menſuram, & terminum adimplevit. In pari proinde numero fœminam, in impari marem intelligit. Arithmetices ſtudioſi, in pari numero matrem, in diſpari genitorem agnoſcunt. Poſſet hîc replicare quiſpiam, paritatem hanc, & imparitatem in aliis quoq; numeris unita reperiri; cui Author reſpondet; *ineſt quidem, ſed ut ſeptenarii partibus. Poſſem* (ita porro concludit) *hoc loco argumentis pervincere, totam in utero infantis fabricam iſto diſpenſari numero, nec non totam Hominis vitam. Sed ſufficiant, de hac re pragmatica, quæ modo allata ſunt: quæ monſtrant, niſi cæcutimus, divinæ Majeſtatis Sapientiam; à qua tot, tantisq; inſigniti bonis ſumus, ut in delitiis eſſe nos fateamur neceſſe ſit; modo ſuccinat unusquisq; ſibi: Noſce te ipſum.*

Septenarius, eſt numerus perfectus.

Libri ſecundi finem glorioſiſſimo motivo inclytus Author noſter coronat, capite quinquageſimo, & quinto. Huic proinde libro millies arrideat echo, applaudat fama, & gloria, eum perennet æternitas. Dignus ſane, cui Hymetti apes ambroſium nectar aſpergant, & favos: dignus cedri incorruptibilitate: dignus, quem viridantibus palmis ſtipatum Virtus ipſa manibus complectatur: dignus tandem qui murice, & purpurâ Valoris, Meriti, & Famæ condecoretur. In compendio totum id comprehendit, quod antea dixerat, & quidquid dici in hanc rem potuiſſet: talia in medium argumenta proferendo, quæ uti ſunt abundè ex ſeipſis probabilia, ita nullius probationis indigent: videlicet ſummum, & unicum Hominis bonum, non in deliciis, aut vana oſtentatione temporalis potentiæ, ſed in Deo ſolo conſiſtere. Eamque captat occaſionem, impietatem Hominibus exprobrandi; ſic omnia ad Altiſſimum referens, ad cujus nos fruitionem primùm creati, tandem & redempti fuerimus. Hoc fine omnia illa, quæ hucusque tractaverit, à ſe producta fuiſſe demonſtrat.

Homo ad fruitionem Dei creatus.

Mihi quidem ſuggerit animus, quædam hinc inde deguſtandi, & ex ſpatioſo hoc agro pauca grana frumenti melioris, quæ mihi quidem aptiora videbuntur, in ſpicis colligendi. Nec tædioſum tibi videatur mi Lector, perlegere omnia, quæ Author vaſto volumine comprehendit, aut certè non dedignaberis ea, quæ nos, etſi forſan minùs feliciter, quàm ut poſſint palato tuo arridere, excerpſimus. Neq; enim noſtrarum partium fuit, ea hîc omnia apponere, quæ egregiè, quæ pereleganter dicta ſunt ab illo, longè enim ultra inſtitutum noſtrum, opus excreſceret. Concludit autem Author noſter his verbis: *Hæc habui de Hominis præcelsâ naturâ, quæ in literas promerem; quæ labore non parvo, ex diverſis congeſta, ſi exactiùs quis paulo humanior vocârit ad libram, fatebitur opinor, quod initio aſtruximus, Hominem eſſe miraculum magnum, atq; divinum.* Neque jam miraculum ſolummodo, ſed majus aliquid, quippe qui tantâ curâ, atque providentiâ Divinitatis, in Mundum hunc collocatur, creatus, ornatus, nullo non momento conſervatus, nutritus, protectusq; fuerit, quem totis viribus ad vitam verè felicem invitat, & trahit. Quàm porrò indignum, ſi is, qui ad tantam felicitatem evectus fuerat, ſenſuum & concu-

piſcen-

piſcentiæ mancipium factus, à prima ſua conditione degeneret, devietq; à fine proprio: ſi concreditum ſibi ſacratiſſimum Animæ numiſma, proſtratum humi peſſundet, & tot ornamentis condecoratam Creatoris effigiem per immania ſcelera coinquinet, & velut in ſterquilinio extinctam ſepeliat. Arbor virens, & fœcunda, plantata in amœnis Paradyſi campis, quàm dolendum, ſi relicto Summo Bono, & delitiis beatæ illius regionis, ſe in cœno terreſtrium voluptatum immergat? Hîc Antheus rebellis, dũ fruſtra ſectatur terrena bona, ab æterna morte incautus opprimitur.

Nos igitur à nobismetipſis diverſi, per invios terræ hujus tramites paſſim oberrantes, naturam noſtram ipſi pernegamus, eò proni currimus, requirentes illic, ubi illam amittimus. Nunc fallaciis trahimur, nunc mille illecebris implicamur, & in terram affixi, elevari non poſſumus. Pro his contendimus, & altercamur, & in barbaram feritatem dilabimur, ipſis in Erymantho urſis, atq; leonibus in humanum ſangvinem crudeliores, & ſecundum Marci Catonis dictum; *Succidias humanas facimus.*

Minùs tamen hæc in idiotis, ſimplicibus, & imperitis obſervamus: ſed in iis maximè, quod cauſam illorum aggravat, qui ſibi ſapientes videntur, qui multa de vera felicitate, de bono ſublimiter diſputare norunt, nec tamen illuc reſpiciunt, nec cogitationes illuc intendunt, ubi verè commorantur. Evocant in agrum, vexilla explicant, inſtruunt aciem, occaſionem tamen, & pugnandi tempus non arripiunt, pugnam deſerunt, retroque in fugam ignominioſam convertuntur. Ita porro, tanquam omnes, & ſinguli eodem genio ducamur, à voluptatibus trahimur, iisdemq; tam corpus, quàm animam non immergi tantum, ſed ſubmergi patimur. Jam in bona Proximi inhiamus, & quod ejus ſolius erat, nobis arrogamus. Nunc vanâ gloriâ infeſtamur, eoque adnitimur, ut cæteris præſtare videamur.

Jam infinita hominum multitudo turmatim poſt illecebras voluptatum properat, has ſolas meditatur, in hoc uno cogitationes ſuas defigit, determinatum habens, in harum profundo immergi, & ſuffocari. Dum voluptas invitat, eò laxatis frænis acceleratur; & quemadmodum Seneca de Epicuri Sectatoribus tradit, qui injuriâ Præceptorem ſuum diffamant: *ad nomen voluptatis currunt, ubi audiunt laudari voluptatem; neſcientes, quàm ſicca, & ſobria fuerit Epicuri voluptas.*

Quid porro de indoctis illis, atq; imperitis ſtatuendum? An cum Eudoxio Philoſopho non minùs, quam Aſtronomo celebri, in eos invehimur, qui omnem affectum in ſordidis voluptatibus collocârunt, qui ſolutis frænis eò decurrerunt, ut docerent, in ſenſuali voluptate ſummum & unicum bonum conſiſtere. Hujusmodi erat cum Epicureis omnibus Philoxenus, qui collum ſibi Gruis optabat, quo plus voluptatis in ciborum, potusq; ingurgitatione perciperet. Xerxes, arrogantiâ, & ſuperbiâ tumidus, ingentia præmia propoſuiſſe legitur iis qui novum ſibi quoddam voluptatis genus excogitâſſent; cumq; hæc per decretum Epheſi publicarentur, eique ſe decreto continens Hermodorus oppoſuiſſet, quod eſſet modeſtiæ, ac frugalitatis amantiſſimus, eum tanquam inutilem Patriæ civem, prius indictâ mulctâ inſuper in exilium turpiter egerunt; quod nollent ex ſuis quempiam eſſe, qui parſimoniam, & frugalitatem doceret; tanta fuit Epheſiorum inſania! Fuerunt & inter Philoſophos, qui ex voluptate ſibi idolum erigebant, hanc in ſolio locabant, Reginam rerum omnium ſalutabant, & quod turpiſſimum, ac omnino intolerandum erat, virtutem ipſam voluptati ſubmittebant, illamque ab hujus nutibus pendere cupiebant. Quaſi verò ad hunc finem creatus ſit Homo, ut cibis, & muſto innatet, & his denique refertus in nefarias voluptates, atque libidines diſtillet, & diffluat, ut ait Seneca in *Quæſtionibus.* Quin potius revereantur Coætaneum ſibi Philoſophum Antiſthenem, qui quantumvis & ipſe gentilis, ſapientior tamen, & longè modeſtior, docebat: *Inſanire ſe malle, quàm voluptate deliniri.* Et hoc non immeritò, vel propterea, quod inde tot mala emergant, quæ Silius Italicus recenſet.

Quippe nec ira Deûm tantùm, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola nocet animis illapſa voluptas:
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circum te ſemper volitans infamia pennis.

Summam alii voluptatem in imperio, & dominatu ponunt, reiterantes illud Liviani dictum: *Regnum eſt inter Deos, & Homines res pulcherrima. Reges putant eſſe Deos terrenos, qui ab exili, tenuiq; initio coorti, ad præcelſæ magnitudinis, & majeſtatis inſtar excreverunt, emicueruntve.* Tum illud Julii Cæſaris, qui cum dominationis ſpiritu agitatus in Alpium tranſitu, aliquamdiu ſubſtitiſſet, in hæc tandem verba prorupit; *mallem hîc eſſe primus, quàm Romæ ſecundus.* Hoc genus felicitatis, ut ſibi populos obedientes nanciſcantur, ut ab iis timeantur, omnem apud eos voluptatem ſupergreditur; hæc ambitio ipſis imperantibus imperat. Quæ, ut abſint curæ, vitia, & paſſiones, quodammodo tolerabilia videri poſſint, intervenit autem Senecæ Authoritas, cujus hæc opinio eſt: *Simul iſta poſuit conditor mundi Deus, Regnum, & odium.* Hinc (ut jam aliàs indicatum eſt) cum diadema humi reperiſſet quidam, diu intra ſe ſuſpenſus ſtetit, an de terra illud levandum eſſet, cum tandem elevâſſet, in hæc verba prorupit: *O nobilem potiùs, quàm felicem pannum! Quid enim, ut inquit Catullus, ſolutis eſt beatius curis?*

Alii ſunt, qui mundo huic valedicentes, & relictis omnibus, ſummam felicitatis, & ſummi boni, in ſtudio, & indagine virtutis ponunt; hanc omnibus viribus indagant, hanc proſeqvuntur, amplexantur, & fovent: æſtimantes, Sapientem cæteris omnibus præſtare; ut habet verſus:

- - - - Unoq; minor Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex deniq; Regum.

Non dubitandum enim, Virtutem in ſublimi collocatam immensâ luce refulgere; quis verò eſt, qui veſtigia illius aſſecutus ſit, quis clivum illius tranſcendit, quis ad ſummum illius faſtigium eluctatur? Difficile eſt, præcavere, ne huic virtutis deſiderio, ſeſe ingerant ambitio, & faſtus, & quod gravius eſt, ignorantia, & negligentia. Quantùm ſæpenumero mali, in ſtudium virtutis irrepit? Quanta impietas non raro ſub ſpecie boni, & honeſti latet? En tibi Sapientem faſtuoſum, & arrogantem: ut erectâ cervice, tumido, & inflato collo, rugatâ fronte incedit; quaſi majeſtatem, & reverentiam ſui minaciter hominum animis incuſſurus? Rarò loquitur, niſi circumſpectâ, & rotundâ periodo. Quem ſi ab intro contemplatus fueris, invenias vas inane, & vacuum, cui granum ſalis nullum inſit.

Quid negotii nobis cum Platone, & Ariſtotele? In Lyceis, & Athenæis eorum nomina reſonent, quorum Animæ in ultimo fortaſſè inferni ſpeculo ſepultæ, æternis ſuppliciis addictæ cremantur. O miſeram ſortem mundanæ felicitatis! O corruptos mores ſæculi fugacis, lubrici, & abortivi! Expergiſcere infelix Anima, intra temetipſam aliquando revertere, & rigoroſo ſcrutinio inquire, quis ſtatus, quæ conditio tua? Cui potiſſimum rei, tibi Mundus habitandus obtigerit? Te metire, te pondera. Poteris nunc operâ noſtrâ teipſam agnoſcere, qui tam celebrium Authorum teſtimonio maximè admiranda, tibi, *eorumq; bonam partem* deteximus, ea nimirum quæ artifex Dei manus in habitaculo corporis tui concinnavit.

Homo igitur, quem Triſmegiſtus *venerandum, & adorandum* propoſuit, tantorum honorum, tot nobilium titulorum, tot prærogativarum veluti nauſeabundus, obliquas, indirectas, & avias peccati ſemitas eligis, adeoque formam tuam, quæ erecta, & rationalis in tui Creatione erat, per irrationabilia opera incurvas, & deſtruis; tuamque naturam antehac perfectam, in brutalem, & ferinam degenerare pateris, ut plus tibi voluptatis afferant vanæ mundi hujus denominationes, & tituli, quàm *Miraculum Altiſſimi* cognominari.

Quid porro horribilius eſt, quàm pulcherrimam illam imaginem, divinam, & immortalem, tot luminoſis radiis, & ſplendoribus illuſtratam, in turpiſſimo voluptatum ſenſualium cœno, volutare, inquinare, & contaminare, eamque flagitiis turpiorem, & ipſis brutis animantibus viliorem reddere? Deteſtabilis hîc abuſus jam olim à Venerabili Philoſophorum Schola, tametſi non niſi gentilium, damnatus fuit, & reprobatus; cum docerent abſurdum eſſe, *Hominum effigies habere, animos ferarum.*

Quis æquè damnabilis error, & quem magis refugere, ac reformidare oporteat, quàm non agnoſcere Creatorem, & Patrem, datorem omnis conſolationis, & luminis, quæ in nos affatim effudit, & qui effigiem ſuam nobis atque imaginem indelebiliter impreſſit? Quæ indignitas, eum non agnoſcere, non intelligere? Quid ſceleſtiùs, quàm vel agnitum, ita ducentibus pravis affectibus, & paſſionibus noſtris, contemnere, & offendere? His caducis fundamentis dum innitimur, à dignitate noſtra decidimus, & ab indita natura degeneramus, & noſmetipſos, velut unda maris, redactos in ſpumam, bullæ adinſtar inflatos inani vento cernimus, nihil præter pulverem, & Umbram jam reliqui habentes. Eum qui verè, & realiter ſemper fuit, & futurus eſt, derelinquentes, fugitivas, & apparentes imaginum umbras nequicquam manibus prenſantes, falli malumus, & poſt iteratos lapſus interire, quàm cum vitæ largitore veram vitam vivere. Infuſa nobis lux quædam vitalis eſt, ut mediante eſſentiâ illius verâ, unicâ, & fœcundiſſimâ, in nobis quoque unum aliquid, & fœcundum oriretur. Quod ſi terrenorum affectuum fluctibus agitati, divinæ voluntati in omnibus contrariantes (quæ animum noſtrum non abjectum, non ſordidum produxit) immundarum paſſionum caligine occæcati, & implicati, cum helluonibus, comeſſationi, & compotationibus totos nos dedicamus illud ſtatuendo: *quæ ſupra nos, nihil ad nos:* lumen illud gratiæ, virtutis, & rationis prorſus in nobis hebetatur, & prope extingvitur: ingruunt undique calamitates, & miſeriæ, & quidquid à nobis agitur, quidquid operamur, id vanum, irritum, tranſitorium eſt, & caducum.

Utinam unigenitus ille Patris æterni Filius, unicum, verum, & ſummum bonum, qui ineffabili charitate, & pretioſiſſimo ſangvine ſuo animas noſtras à peccati ſervitute redemit, Salvator, & Redemptor noſter, tandem aliquando irradiare, illuminare, & accendere dignetur mentes noſtras, ut exuentes veterem Hominem, induamus gratiæ veſtimenta, & ea, quæ per peccati atrorem contaminavimus, per pietatem, & innocentiam priſtrino candori reſtituātur, ſimusq; argenti puriſſimi adinſtar, quod nullam impuritatis labem admittat. In hoc dies, & noctes invigilemus, in hoc vires noſtras omnes impendamus, neceſſe eſt. Ad hunc modum illuſtris Author noſter tractatui ſuo finem imponit.

Huc animum reflectat, cui libuerit, & ſecum reputet, num ei ſimilis ſit, qui facundiori eloquentiâ, ſeu magis Chriſtianâ pietate, & zelo, ſeu calamo doctiore, concinnare aut periodos meliùs ordinatas, aut materiam magis elaboratam, aut propoſitiones firmiores poſſit? Num ſermocinari meliùs vel Ethicus quiſpiam, vel Philoſophus, vel Chriſtianus? Dicam quinimo, relucere in eo ſublimitatem Auguſtini, ſuavitatem Ambroſii, dulcedinem Bernardi, moralitatem Hieronymi, Chryſologi comitatem.

Non nego partialitatem noſtram versùs tantum Scriptorem, tum quòd illius dogmata referta ſagaciſſimo, & ingenioſiſſimo ſale paſſim reperio, tum ut me debito meo quadantenus exolvam, quo illuſtri Patriæ meæ obligatum me ſentio, quod dignata fuerit, ut ſæpe aliàs, tum Quadrageſimale tempus integrum exiles labores meos benigno animo ſuſcipere; & quòd majus eſt, ſepulchralibus urnis reconditos fovere charos cineres dilectisſimi, & unici fratris mei, *Julii Scarlatini*, cujus funerales exequias Primores civitatis ſuâ præſentiâ condecorarunt, eumque non minori ſtudio planxerunt in morte, quàm acceptum, gratumque habuerant in vita.

Hâc igitur triſti & acerbâ fratris memoriâ *Hominem figuratum, & ſymbolicum* terminamus: cujus facultatibus mihi relictis, id debetur, quod hæc Volumina lucem aſpexerint, ita juſtum fuit, vel gratitudinis titulo, haſce reflexiones piis illius Manibus litâſſe.

Finio per memoriam funeſtam mortis, cujus ferro nodus ille interſecatur, qui Animam cum corpore compingit, cui ab corpore ſejunctæ illa demum accedit dignitas, quam deſcribere ut ipſe nequeo, ita in Archetypo videre anhelo. Finio inquam per mortem, quæ ut eſt in Homine ultimum, & finis, ita libri finem, non immerito quis mortem ejus nominarit. Sed ut mors Hominis, alterius vitæ principium eſt, ita finem principio conjungentes, Deum Optimum Maximum precamur, tibi vitam tranquillā largiatur, benevole Lector, qui inconcinnas paginas has pervolvere non dedignatus es; Vitam apprecamur Libro, ut de manu in manum tranſeat; apprecamur & nobismetipſis vitam longiorem, ut utilioribus aliquando lucubrationibus liceat tuis commodis inſervire; Siquidem has noſtras imperfectiones toleranti animo excipere digneris. Vale.

CONSI.

CONSIDERATIONES PATHETICÆ

De Creatione, & Dignitate Hominis,

Fundatæ in verbis Triſmegiſti, Platonis, Cœlii, & aliorum Veterum, qui dixerunt: *Hominem eſſe animal admirandum, venerandum, adorandum, miraculum miraculorum Dei.*

Ex Cœlio Lib. 1. C. 4.

Proſopopœia, ubi inducitur Pater Æternus loquens:

porro ex effectibus piè credi poteſt, in Creationis actu omnia & ſingula, per infallibilem illius providentiam, eo ordine diſpoſita fuiſſe, quem attoniti ſtupemus.

O D E.

TRà un fulgido baleno,
Chè a Caratteri d' oro in Ciel s' apriva;
Paſſeggiava l' Eterno, e in grande Idea
L' alta Mente volgea.
Già al beato ſuo ſguardo il Sole uſciva,
A far con bionda luce il dì ſereno,
E trà cerulei Abiſſi
Carolavano gli Aſtri erranti, e fiſſi,
Già di feconda Aurora
Spargeanſi intorno i rugiadoſi umori;
Onde fecondi già'n colli, e campagne,
Iuano i capri, e l' agne,
Delibando colà dolci i licori:
E Pomona, e Vertunno in ſeno a Flora;
Trà què ſereni Eoi
Alle piante verſaro i doni ſuoi.
Da i mobili Criſtalli
I ricurvi Delfini incontro uſciro;
Ad auviſar dello ſquamoſo Armento
Il fluido elemento:
Si ſuenò la Murice in ſen di Tiro;
E, a fecondar di ſplendidi Metalli
Le viſcere dè Monti;
Miniſtri hebbe Natura induſtri, e pronti.
Le lor pompe più avite
Già diffondeano in sù gli aërei campi
Le fiamme, a illuminar vaſto Emiſtero.
Pe 'l lucido ſentiero
Vola ogn' augello, e non s' accende a i lampi;
Mentre a le belle faci, a lor gradite,
A quel fecondo lume
Ogni coſa mortal fia che s' allume.
Ma de le Gratie eterne
Chi gloria daſſe al Facitor ſublime,
E condegni Olocauſti a lui rendeſſe
Mancava, e chi godeſſe
Di tal Retaggio le dovitie opime:
Nè v' era ancor, chi delle Man ſuperne,
Per altri in eſſercitio,
Riconoſceſſe l'opra, e il benefitio.
Or via (diſſe a l' hor Dio)
E del Mondo, e del Ciel l' alta ſtruttura
Non ſia a poc' uſo, ò miniſtero vano:
Venga da la mia mano
Più partiale, e nobile fattura.
Sì diſſe: e a l' hor maſſa di Creta unio,
E ad impreſſa ſtupenda,
Fia che la deſtra il Creator diſtenda.
Facciam (diſſe) facciamo,
(E fatto fù) chi proſeguir del Sole
Sappia il gran moto, e ravivarſi al raggio;
L' HUOMO, al di cui ſervaggio
Sian le fere, e gli augei ſuddita prole:
Ogni pianta vitale incurvi il ramo,
E di poma non vili
Offra al palato ſuo doni gentili.
Tutto ciò, che il Ciel copre,
La Terra abbraccia, e l' Ocean racchiude,
Venga del ſuo voler ligio a gl' imperi:
Da lidi più ſtranieri
Servo ogni Miſto ſia di ſua virtude,
E del mio gran valor queſte bell' Opre
Tributi partiali
Gli mandino ad ogn' or Gratie rivali.
L' HUOM fia queſti, al cui nome,
Trà lucidi Zaffiri, il Firmamento
A prirà a l'uopo ſuo Porte gemmate:
Quando però dannate
Del ſenſo luſinghier forte al cimento
Haurà da pria le Paſſioni, e dome,
A l' hor qual Premio al Merto
Non haurà da Virtude auguſto ſerto:
Se al freno di Ragione
Moderarà, qual dominante Auriga;
Gli sfrenati deſtrier d' Ira, e di Senſo,
Tutto di luce accenſo
Meco di Gloria in nobile Quadriga
Tratto ſarà, doppo il mortale Agone;
E di queſte promeſſe
Leggerà in Carte le membranze eſpreſſe.
L' HUOMO, a cui, come a Nume,
Del Tago correran tutti i Teſori,
A ſuiſcerargli i tributari doni,
Di candide Unioni
Ricco Eritra ſarà; d' Argenti, e d' Ori
L' Indo, e la Plata: e a miniſtrargli il lume
Con ſplendori preſtanti
Folgoreran Carbonchi, ed Adamanti.
Ciò, che il Sole diurno.
Da l' Orto circondar sà al nero Occaſo,

De la

De la Pupilla ſua ſara l' ogetto:
Tal' immenſo riſtretto,
Che ſia in breve Epiciclo, hò perſuaſo:
Il miſto di color vario, ed eburno
Di ſua pupilla amena
Teatro ſia di non mendace ſcena.
Suiſcerata la Terra,
E dal Vomere inciſa, oh quai fecondi
Non renderà di Meſſe i campi adorni;
Faran lieti ſoggiorni
Turbe infinite, ove quel Suol s' imbiondi;
E con radici lor, fitte ſotterra,
Popol di Piante intorno
Farà di varie frutta il Mondo adorno.
Di liquefatti Argenti
I Fiumi correranno, e lucid' Orme
Per le Rive laſciando, inaſi vaſti
Daranno al Suol, che baſti
In mille guiſe, e variate forme
Fecondar campi, e abbeverare Armenti:
E in Fonti, ed in Serpilli
Al ſuo diletto ogn' un fia, che Zampilli.
De Zeuſi, e de gl' Apelli
Di lucido Zaffiro entro i ſereni,
Vò, che mille color l' Aria dimoſtri,
Biſſi, Porpore, ed Oſtri
Di fonderà da luminoſi ſeni,
E ſu le piume di canori augelli,
Ingegnoſa Pittrice
D' Iri i color, vaga Natura elice.
La, infin da Eolii Spechi
Sprigionati a ſuo prò verranno i Venti
A miniſtrargli le Stagioni unite;
Queſti in ſen d' Amfitrite
Alternaran frà lor gare, e cimenti,
E faranno intuonar gl' Antri più ciechi:
Mà, con ſi dolce inganno
Renderan lieto, e più fecondo l' Anno.
Da i lor Centri nativi
Arderanno ad ogn' or fiamme, e faville,
Che, à illuminar Caligini notturne
Saran faci diurne:
Scintilleran di raggi a mille, a mille
Lucide ruote, e folgoranti rivi
E il Sol di foco tale
Veſtir non ſdegnarà manto reale.
Del Tempo in sù le Ruote
Correrà de ſuoi Dì l' Ore ſerene,
E, a eſſequiarlo con influſſi amici,
Verranno Aſtri felici;
S' apriran queſti al ſuo voler ſecondi,
Quì Caliſto, quì Arturo, e quì Boote,
E dal ceruleo velo
Con lume d Or riguarderallo il Cielo.
Vivran memorie belle,
E de gl' Eroi le memorande Impreſe
Averrà che il Pennello ogn' or ravivi;
E perche vie più quivi
Sian l' Alme al operar pronte, ed acceſe,
Riſplenderan trà fiammeggianti Stelle
Iride, Sole, e Aurora,
Orde il Mondo a ſuo prò ſi tinge, e indora.
Quanti l' Arte operoſa
Mai ſaprà rinvenir sforzi, e portenti,
Induſtri ſcherzi ſian de le ſue Mani:
A diſuelare arcani
Di Notitie impenſate erga ſtrumenti:
E maneggiando de virtude aſcoſa
Fatti, e Penſieri egregi,
Aſcenda inſino a coronare i Regi.
Fia che ſopponga a queſta
La Terra il dorſo in ſoſtener le Moli,
Che torreggiano al Ciel gl' alti Edifici:
Vedra il Mar natatrici
Girne le Selue, e a rinvenire i Poli
L' ultime mete aprirſi ogn' onda infeſta:
Sì, doue troppo lunge
Non arriva il Penſier, l' Arte pur giunge.
Verran de' Sericani
Lucide ſete a decorargli il fianco,
E chiuderaſſi un Verme in carcer d' oro:
Di lanuto Teſoro
Feniceo campo non ſarà a lui manco;
E teſſerangli ogn' or Belgiche mani
Induſtrioſa Tela,
Che più il ſeno paleſa, a l' hor, che 'l cela.
Ne di ricchezze eſterne
Arricchita fia ſol la terrea ſalma,
Ch' a ſua mercede la Virtù non vegna
Con più nobile Inſegna
Ad arricchirl', e ſollevar quell' Alma;
Quando ritolta alle magion ſuperne,
Al deſiato acquiſto
Scenderà ad humanarſi anco il mio Chriſto.
Così il Mortal Divino,
E Divino il Mortale in ſtretti nodi
Verran trà loro immobilmente uniti.
Queſti pregi eſquiſiti
Godrà poi l' HUOMO, ed à maggior ſue lodi
Aſſiſo il voglio a quella Menſa inſino,
Dove del Figlio mio
Si beve il Sangue, e s' hà per Cibo ei Dio.
Là da più vaſti Erari
Tali a ſuo prò dal ſommo Cielo intanto
Pioveranno di Gratie ampie ricchezze,
E in così degne altezze,
Benche recinto di terreſtre Manto,
Eletto a paſſeggiar frà miei più cari;
Se il Verbo fia humanato,
Sara l' HUOMO egli ancor divinizato.
Non hauran per nutrirlo
Così degno licor d' Engadde i Moſti;
O l' Idumeo, di Palme in guiderdone
Così degne Corone;
Se ſublimato a più elevati poſti
Farò inchinarlo inſino, e riverirlo
Da i Miniſtri più degni,
C' habbin Diademi in sù gli Empirei Regni.
Saran gli Angioli queſti,
Gl' Angioli, Spirti mei più puri, e accetti,
De la cui bianca illibatezza al fiore
Cede il Giglio il candore
Queſti del Trono mio Miniſtri eletti,
Con Ali d' Oro a un cenno ſuo ſian preſti;
Pronti a le ſue difeſe
Lo guarderan dalle innimiche offeſe.
Di conſimile ſtato,
Patrocinato da virtù preſtante,
Se goderſi ſaprà l' honor felice,
Gloria haurà per Nodrice,
Pietà per ſcorta; e di Giuſtitia amante
A la immortalità, con più bel fato,
Luminos', e perenne.
De la Fenice ei batterà le penne.
Mà, ſe al declive ſceſo,
Del ſenſo luſinghier sù l' Ombre infeſte,
D' oſcura Colpa avolgeraſſi in Lezzo:
Cadrà da l' alto prezzo,
E condannato in Region funeſte
D' ogni Bruto vivrà più vilipeſo:

Provarà

Provarà al ſuo fallire
De lo ſdegno divin condegne l' Ire.
Or quì dunque vi chiamo
Me Compagne Perſone, e Spirto, e Verbo;
Voi che qui meco in un eſſenza unite
A un tal fatto applaudite;
Del ſublime Prodigio a Voi riſerbo
Porger Alma, e vigor, qui in un facciamo,
Facciam d'ogn' Opra auguſta
La più bella, più eccelſa, e più venuſta.
Nel Terreſtre Giardino
Rimaneggiando il Creator de l' Alme
La nobil Creta, onde creò ben toſto
Il Mortale Compoſto,
Porgendo in uno a le corporee Salme,
E ſpirto, e moto, in ſuo voler divino
Diſſe, e conforme al detto,
Pari ſucceſſe al gran voler l'effetto.
Sorge l' HUOMO, e in un punto
Aperti i Rai di più colori ornata
Vede del Mondo la gran Scena, e intende
Qual d'affari, e vicende
Venga a l'eſſere ſuo l'Opra aſſignata,
Che di delitie in Paradiſo aſſunto
Deue ſenza fatica
Sol coltivar la Collinetta aprica.
Ed oh, rimaſo ei foſſe
Ne lo ſtato felice, in cui fù meſſo;
Ne la ſola Innocenza eſſercitato!
Quale gaudio beato
Non hauria ſeco ogni ſuo Figlio ammeſſo?
Ma poiche il Giogo a Ubbidienza ei ſcoſſe,
Condannato a cadere,
Perſe con la ſalute ogni piacere.
Del Sellaro giocondo
Sì meditava in ſua devota Muſa,
Sù le Rive ſedendo, il Vecchio ERGASTO;
E del Portento vaſto
Col non ſaper ridir, mentre ſi ſcuſa,
Il Miſtero ineffabile, e profondo:
Da un ſopore tenace
Sourafatto, depon la Cetra, e tace.

HOMO.

Felix, & miſer;
Immortalis, caducus,
Gryphus.
Viator ſiſte pedem.
Hoc, quod tibi ſpectandum exhibeo, neque Vir, neque Fœmina,
Sed utrumque,
Diſcolor, & concolor, bipes, & quadrupes.
Theatrum habes, ubi Protagoniſta unus omnia agit,
Hector, & Aſtyanax:
Per varios portarum tranſit anfractus,
Et ubi degat neſcit.
Trivius, triceps, trianimis, & unus. Alludit ad mores antiquorum.
Nunc Mercurium lapidibus ne impetas, ne teipſum lædas.
Vel moram faciat, vel properet, ſemper erit in trivio:
Cunctis, quæ in Mundo ſunt imperat, cunctis obſequitur.
Idem in ſceptro, & ligone, in Purpura, & ſacco.
Æquè Gigas, ac Pygmæus.
Audet cum Jove certare, qui parvo Terræ
Obruitur tumulo.
Immenſa metitur, non valens ad ſtaturam ſuam Seneca ad Lucillum Ep 39.
Adjicere cubitum unum.
Quotidie vivit, & moritur; creſcit, & decreſcit: Alludit ad dictum: *Homo eſt arbor inverſa.*
Arbor, quæ radicibus in aëra expanſis vivit, & movetur.
Ponit pedem in luto; ut videat, ſi fortè ſit ſpes. *Thren. Ierem.*
Venenato caducitatis inficitur telo; cui
Æternitatis Elyxir medetur.
De Cœlo factus, de cœno vivit.
Heterogeneum Monſtrum, variè efformatum:
Nabuchodonoſoris ſomniatum ſchema,
Ad opus reale conflatum:
Ex Auro conſtructum, atque Argento, in extremo
Æreus, ac fictilis.
Ab iis quos paſcit, depaſcitur.
Minoratus paulo minus ab Angelis, Dæmonis
Quandoque evadit mancipium.
Qui fieri nitidior debuerat Sole, Erebi
Interdum obnubilatur Tenebris,
Quaſi avis Ephraim, cujus ſanitas in pennis ejus, *Iſaia 58.*
Errorum aliquando compedibus irretitur.
Juſtitiæ fons, iniquitatis ſcatebra.
Ad ſummam Veritatem inquirendam delatus;
Verſipellis, mendax, inanis.
Cœleſti in ſede locandus, fœdioribus (heu miſer!)
Latet in ſcrobibus.
Inter amœna Paradyſi figendus, degit cum Feris.
At ex adverſo,
Ex Creta conflatus, æthereis decoratur fulgoribus:
Sibimet unus, & plures; idem, ac differens;
Vel ſublimi elatus honoris in ſummo;
Vel inſcitiæ detruſus in imo.
Parvus in grandia ſurgit, magnus detumeſcit
In minimis.
Non, commentoſam Bellerophontis Chimæram ſi appellaveris,
Non errabis:
Quinimo, apparentibus magis diſtinctam ſignis videbis;
Aquilam invenies in capite, ſerpentem in pedibus;
Volatile, & fixum; Vultur, & Bufo;
Dominus, & Servus.
Hæc vel meliora, vel pejora, uno nectuntur
Ligamine.
Diſrumpitur Nodus hic inter ægritudines:
Meliori Immortalitatis reſtituatur ut nexui.
Ex bulla evadit in jubar.
Tanti Ænygmatis ſolutionem ſcire ſi cupis,
Conſule Sphyngem.
At Delphicam magis, quàm Theſſalicam:
Quæ una cum vitæ diſcrimine viatoribus dubia
Solvenda proponit, altera ſolvit.
Dum aureis calatum literis inſpicies lemma legendum:
NOSCE TE IPSUM.

FINIS.

INDEX UNIVERSALIS LIBRI SECUNDI.

Juxta Regulas, & annotationes in Indice Libri primi memoratas.

A.

A*Braham* verſatus in ſcientia Hieroglyphicorum. 32
Abſentia ſæpe damnoſa eſt. 84
Amicorum non prodeſt. 82
Abſtemii abhorrentes à vino. 114
Abſurda, & impropria vocantur monſtroſa. 164
Abundantia per Imperatorem procurata, in monetis excuſa. 56
Abundantia ſeminalis monſtra generat. 186
Abuſus fugiendus. 87
Abuſus ſacrificiorum humanorum ſublatus à Romanis. 151
Accentus quantopere olim in ſacrificiis obſervati ſint. 136
Accentus Provinciarum diverſi unde proveniant. 131
Achilles deteſtatur vitia. 87
Quare invulnerabilis. 215
Actio ſcenica, & tragica, quid repræſentet, & quomodo deſcripta. 79
Actiones Heroum ſingulares, ob gratitudinem ab antiquis in ſigna cæleſtia translatæ ſunt. 70
Actiones humanæ omnes in cælo deſcriptæ ſunt. 59
Illuſtres, & admirabiles. 164
Ferinæ monſtroſæ dictæ. ibid.
Actus naturalis hominis dum ad ignem accedit. 126
Actus indecentes condemnantur. 95
Acumen Orationis quomodo intelligatur. 30
Acuta vox cur noviter natis animalibus ſit. 132
Adagia immixta orationi quantum ei ornamentum adferant. Sunt tanquam ſtellæ firmamenti, & flores campi. 79
Adam & Eva Principes humani generis 50
Adam intellectus in voce *homo*. 39
Idem eſt, quod terra. 98
Adjutorium improviſum, quod ſupervenerit, quomodo intellectum: quàm acceptum ſit. 79
Reciprocum quanti momenti ſit. ibid.
Non debito tempore præſtitum, ſæpe damnoſum. 91
Admonitio Dei per apparentia monſtra. 185
Adoleſcens cadens de arbore ingenti, docet mediocritatem obſervandam. 45
Idem alam gerens in brachio, ſaxum in pede, quid ſibi velit. ibid.
Adoleſcentes normam vivendi à ſenibus mutuentur. 122
Adoleſcentia deſcripta. 46
Adoratio ſtultè exacta. 53
Adoratores felium, canum, & luporum. 149
Adverſarius quomodo intelligatur. 174
Adverſitates gloriam pariunt. 18
Adulatio vitium deteſtabile. 23
Adulator deriſus. 122
Adulteri in Britannia quomodo caſtigati. Quod Amor ſæpe mortis cauſa ſit. 118
Adulterium abominabile. 43
Quomodo caſtigatum. 74
Adultorum capilli remedium pro morſu canum. 159
Advocatus avarus deteſtabilis. 49
Ægyptii adorabant canes, feles, lupos, & ſimilia. 149
Quomodo Nilum flumen venerati ſint. 146
Studioſi Hieroglyphicorum. 32
Ægyptus mater monſtrorum. 166. 176
Ibi homines naſcebantur abſque naſo. 238
Æneas quomodo numiſmatibus inſculptus. 55
Æqualitas in amicis eſſe debet. 83
Æquivoca. Quid ſint. Quod phraſin elegantem reddant, ſicut & conceptus. Cavillationes ingenioſæ, quomodo à Metaphyſicis, & Dialecticis appellatæ. 96
Delectant, & faceta ſunt, & mordacia. E decem Categoriis deducuntur. De his anagrammata veniunt. Ex virgulis, & punctis æquivoce formari poſſunt, ſiquidem non ſuo loco collocata fuerint. Finguntur inter res veras & falſas. De his Comœdiæ componuntur. 97
Aër quomodo deſcriptus. 205
Quomodo ſonum portet. 238
Apertus, & liber tardiorem ſenectutem inducit, quàm qui incluſus eſt. 130
Paluſtris ſanitati contrarius. ibid.
Nimiùm frigidus, aut calidus diverſos hominum mores inducit. ibid.
Æſchinis tragici vox. 135
Æſchylus Poëta quomodo mortuus. 49
Æſculapius Protomedicus, quomodo ſignificatus, quare barbatus dicatur. 63
Æſopus monſtroſus. 164
Ætates ſex hominis quomodo expreſſæ. 44
Æternitas deſcripta. 171
Quomodo expreſſa. 35
Quomodo figurata. 69
Affectiones terreſtres, quantùm truncandæ ſint. 217

Affectus ſignificatus in pede. 215
Reciprocus, quam ſemper nutriendus ſit. 14
Afflatus divinus quomodo repræſentatus. 170
Africa mater monſtrorum. 166
Agathon Athenienſis, quàm incredibilis altitudinis. 103
Ejuſdem fortitudo ſuperantis tygrides, & Pantheras, aliaque animalia ſylveſtria. 104
Ageſilaus Rex contemnens Statuas. 78
Agilitas admirabilis. 116
In rebus neceſſaria. 29
Agnus, quem vacca peperit. 169
Agricultura laudatur. 215
Albani populi ſic nominati, quod cum canis capillis naſcantur. 112
Albigenſium hæreſis. 199
Alchymiſtæ reprobantur. 212
Eorum vanus labor. 48
Alciatus gravis Author. 51
Author inſignis Emblematum. 45. 141
Alcibiadem Athenienſes perſequuntur, eo quod eorum ſtatuas dejecerit. 210
Aldrovandus Author de Monſtris tractans. 164
Aleæ in manu Gratiarum, & quare. 216
Alexander Magnus animos imbelles vilipēdit. 77
Odorem ſuavem dabat de corpore ſuo. 113
Idem cum magna vanitate depictus habens fulmen in manu, modeſtiùs à Lyſippo cum haſta. 29
Alexandri Caſtrioti facta illuſtria. 105
Alvus hominis, ejuſdemque officia, quare voluminoſa & contorta. 228
Ambitio præcipitata. 19
Quàm deteſtabilis. 51. 79
Ambitio Scipionis Africani. 77
Ambrones qui fuerint, quomodo diſperſi. 86
Americani nudi incedunt. 149
Amicitia, planta eſt, quæ optime in campo humanæ ſocietatis floret. 82
Quantopere homines invicem conjunctos teneat. 216
Qualis ſit inter eos, qui vicini, & qui procul ſunt. 14
Eadem fucata & vana. 30
Amicus fictus, quàm deteſtabilis. 26
Amici gratia juſtitia deſerenda non eſt, & condolendum. Amicus procul abſens nullius utilit*is eſt. Inter eos æqualitas obſervanda eſt. Statu ſuo contentus ſit. Amicitiam immortalem eſſe oportet. Amicus Amicum admoneat. Cognoſcitur in occaſione. 82
Amici multi dum felix es. Quod examinandi ſint: quod non, niſi juſta de iis exigenda ſint. 83
Damnum quod emergit, ſi amicis deſtituti ſumus. In periculis cognoſcuntur. Qui ſolus eſt, infelix eſt. 84
Quod larvati invicem eſſe non debeant. 83
Amicorum invicem proditio. 23
Amor deſcriptus. 14
Reciprocus, quomodo ſignificatus. 61
Divinus morti comparatus. 21
Senſualis evitandus. 25
Prophanus, quomodo pervertat mentem Judicis 30
Meretricius, quàm ſit pernicioſus, & omni pacto fugiendus. 46. 49
Amor quomodo in ſimulacris intellectus: Spiritus æthereus, elementaris, & naturalis, toti mundo diſtribuitur. Quare cæcus pingatur. 61
Amor Dei quàm neceſſarius, quantique momenti ſit. 48
Amor Dei, & proximi, quomodo repræſentatus. 170
Amor Patrisfamilias in voce *hominis* intelligitus. 38
Amor virtutis, dictus *Ant-Eros*, vitii *Eros*. 61
Amor nec timorem habet, nec verecundiam. 14
Amor, fides, & honor cuncta conſervant. 212
Amor extinctus. 61
Amori duæ claves datæ ſunt. Quare depoſito arcu lyram ſonet. Quod pro libitu ſuo mundum gubernet. ibid.
Amore cuncta in orbe informata ſunt. 60
Amplificatio ſuper virtutem. 80
Anacreon ex nimio potu mortuus. 140
Anagramma ſumptum ex æquivocis. 97
Anchora ſupra quam Delphinus eſt, Emblema celeritatis maturæ eſt. 44
Andreas Fulvius Antiquarius Romæ, ſcribens de Statuis. 75
Androdus leoni objectus, ſed non offenſus, & quare. 153. 154
Androgyni. Quid hoc nomen ſit; quæ perfectio. Quæ felicitas ſit ita compoſitum eſſe. Natales fabuloſi &c. 109
Collocatur inter maſculum & fœminam; Quatuor eorum differentiæ: in quibus non conveniant. ibid.
Unde, & quomodo naſcantur. 186
Androgynus pedibus aquilinis. 194
Androgynus in utroque ſexu perfectus. 190
Angeli aquæ nomine appellati, & quare. 206
Cum his intelligit homo. 99
Angeli intellecti in voce *homo*. 39. 42
Angerona, ejuſdemque imago, Dea ſilentii habuit templum Romæ. Digitum tenet ſuper os, indicans, ſilenti ore tranſeundum. 64
Angina, morbus. 239
Remedia contra illam. 16. 163
Anguſtiæ quantorum malorum cauſa ſint. 239
Anima. Ejus compoſitio. 214
Ejus velocitas. 7
Quomodo conjuncta ſit corpori. 215
Anima humana quomodo intellecta. 217
Quanta illius ſit dignitas. 4. 5
Illius pretium. 202
Ejus nobilitas. 233
Ejus item magnitudo, & potentia. 234
Anima humana *Homo* nominata. 97
Illius ſedes in cerebro. 177
Credita compoſitum ex igne. Repræſentata ſub figura colorum. 6
Eadem per ignem intellecta. 207
Anima hominis juſti quomodo intellecta. 211
Anima non eſt aër. 230
Anima an plus de Patre, an de matre generata ſit. Quod à Deo detur. 231
Anima à multis, creditur collocata in cerebro, & quare. 229
Collocata in capite tanquam in cœlo, facit ut animus, quamvis ſopitus, ſemper tamen operetur: Quantùm ſe conſiderationibus ſuis extendat, quamvis corpore quieto per totum mundum vagatur. Ejus arcana quàm difficilia ſint. Quomodo ſenſibus miſceatur. Variæ opi-

nitiones de ea. Opinio Ariſtoxeni damnata. Ejus pretium ſingulare, & ſublimitas. Vide ad longum pag. 230

Anima humana ab inſipientibus creditur mori cum corpore. 222. 223

Quaſnam qualitates habitura ſit, cum in cælum aſſumpta fuerit. 5

Animæ quomodo in cælum conducantur. 215

Anima an unica ſit in duobus corporibus monſtroſis, an verò duæ. 177

Anima & animal an idem ſint. 230

Animal monſtroſum. 166

Animalia ſculpta ſuper caput humanum hieroglyphica multarum rerum. 173

Animalia cur primum odorentur, dehinc urinare ſoleant. 128

Quidam homines vocem animalium imitantur. 135

Animalia quare in forma conglobata non congregentur. 223

Animalia cur membris ſuis & ſenſibus fortiora ſint homine. 221

Quare, cùm primum naſcuntur, functiones ſuas exerceant, homini id negatum ſit. ibid.

Animalia monſtroſa. 167

Animalium multa ſuas qualitates hominibus communicant. 99

Animantium quare alia copioſos, alia econtra paucos numero partûs edant. 126

Animus, & quæ ad eum pertinent, quam obſcura, & difficilia ſint. 229

Effæminatus deteſtabilis. 90

Imbellis quàm deteſtabilis. 35

Impavidus quomodo ſignificatus, Item animus regius. 74

Intrepidus. 178

Inconſtans, & levis intellectus in fœmina. 94

Animos effæminatos deteſtatur Diogenes. 122

Annulus ſignum libertatis amiſſæ. 48

Annuli uſus à quo primum inventus. 209

Annus intellectus per ſtatuam mittentem digitum ad os, aut vero ad palmam manus, aliis erectis, quæ ſiniſtrâ ſuâ pollicem habeat indice compreſſum, & medium verſus palmam incurvatum. 73

Annus, ejusque tempora, quomodo in monetis expreſſa. 53

Idem in Satyro intellectus. 205

Quomodo per hieroglyphica expreſſus. 174

Anſeres adorati à Romanis. 78

Anthei ſepulchrum ſexaginta cubitorum. 103

Anthropophagi quinam ſint. 149

Cibantur carne humanâ. 157

Anti-Chriſtus indicatus per vocem *homo*. 40

Antipathia duarum montium vicinarum. 9

Antipathiæ, & Sympathiæ hominum cum animalibus. 112

Antiperiſtaſis in rebus contrariis quomodo fiat. 130

Antongil numen Chinenſium. 147

Aorta arteria, ejusdemque officium. 243

Apicius quam diſſolutus fuerit. 138

Apollo quomodo intellectus. 174

Quomodo in ſimulacris repræſentatus. 60

Apollo cum Muſis ſuis, quomodo in Numiſmatibus expreſſus. 53

Apophthegmata lectu utiliſſima. Laconiſmus perfectus ex ſententiis compoſitus: Eorum epitheta. 121

Apophthegmata de voce. 136

Apoſtoli expreſſi per vocem *homo*. 39. 42.

Apparentia humana ad nil utilis. 22

Apparentia & ſola ſuperficies rerum, præcipue in ſcientiis, quàm deteſtabilis ſit. 81

Apparentiæ exterioris deceptio evitanda. 92

Appetitus ſenſitivus depravatus per affectus ſiniſtros. 215

Apprehenſio quam efficax ſit, movens omnes ſenſus. 7. 8

Aprilis, ejusdemque ſignificatio. 67

Aquâ vinum temperandum. 62

Aqua ex fæcibus humanis deſtillata, remedium validum. 163

Aquæ currentes eos qui ſe accolunt coloratiores reddunt. 130

Aquæ qualiter multiplicent objecta. 7

Aquæ excedentes dictæ monſtroſæ. 164

Aquarius ſignum cæleſte, quid ſit, quomodo influat, quod idem ſit cum Ganymede. 72

Aquatilia quare tàm copioſa in partu ſint. 177

Aquila virum enecat. 49

Aquilonares, & Auſtrales Conſtellationes deſcriptæ. 70

Araneæ & bufones manducati. 137

Arbor, de cujus cortice balſamum profluat quid denotet. 47

Arbores conſcendunt barbari, & inde victitant. 138

Arcades quomodo Jovem ſculpſerint. 60

Arcadum nobilitas unde. 149

Arcana divina indaganda non ſunt. 47

Arcana naturæ, & Philoſophiæ per problemata panduntur. 123

Arcas Gigas quomodo repræſentatus. 66

Archæus ſuperior, & inferior deſcriptus. 206

Archilochus Poëta, ejusque verſus. 120

Arctophylax quid ſit. 71

Argentum quantum defendat. 84

Argentum vivum, hoc eſt Mercurius quid ſit. 210

Argus oculatus, ejusdem fabula, ſymbola, ſignificationes, & allegoriæ. 211

Argutiæ quid ſint. 29

Aries duorum capitum, quid ſignificarit. 171

Aries occidens Paſtorem, qui ſe capræ miſcuerat. 187

Ariſtomenes Meſſenius ſolus in fugam conjiciebat exercitus. 105

Ariſtoteles in Juventute plurimùm manducat. 139

Arma ingerunt pavorem. 20

Cum literis quàm benè unita ſint. 56

Arma Sapientiæ unitæ, robuſtiſsimum propugnaculum ſunt urbium. 21

Arma contra ventum ſumpta. 146

Armarium, unguentum dictum ſympathicum, ejuſque virtus. 160

Arrogans deſcriptus & deteſtatus. 245

Arrogantia quomodo demonſtrata, & deſcripta. 170

Arrogantia humana, intellecta in ſphynge. 179

Ars quando ſuccurrat naturæ. 47

Manualis quanta laude ſit digna. 3

Magica in mortuis fictis 117

Sculptoria quàm nobilis. 58

Operoſa Hermetis. 3

Ars & ingenium, eorundem inventiones, intellectæ in fabula Promethei. 208

Arteriæ aortæ officium. 243

Artifex ingenioſus, intellectus in Dædalo. 15

Aſinus, & avis monſtroſa. 184

Aſinorum pulli devorati. 137

Aſpera vox quid ſit, quomodo nominetur. 135

Aſpis commenſalis hominum, nec damnum inferens. 118

Aſpis commercium habens cum gallina. 190

Aſſiduitas laboris vincit omnia. 30

Quàm neceſſaria in omni negotio. 29. 30

Quàm utilis. 93

Aſſyrii in fora publica ægrotos portant. 149

Aſſyriorum mores. 146

Aſtomi; quidam populi ſic dicti. 100

Aſtræa idem quod juſtitia, vide ad longum 218

Aſtrologia condemnata. 45

Aſtrologis & Athletis ſtatuæ collocatæ. 73

Aſtutia deſcripta. 88

Athenienſium nobiles, quare in mundo peregrinati non ſint. 205

Atlas gigas, ejus variæ ſignificationes. 102

Idem portans cælum humeris, demonſtrat hominem in omni ſcientiarum genere verſatum. 14

Atlas ſimul & Hercules quid ſignificent. 14

Atrabilis quàm vehemens ſit in homine. 126

Attila magnus potator. 141

Attributa Dei, 55

Avaritia quibusdam perſuaſit proprios filios vendendi. 150

Quomodo Judicem deturpet. 30

Quomodo fugienda. 23

Damna illius. 210

Avarus libidinoſus, quàm reprobus ſit 24

Crudeliſſimus. 120

Aucupium quàm difficile. 22

Quantis impenſis indigeat. 24

Audacia unde derivet. 126

Audacia Capanei 90

Audientia à Principibus cuique facilè danda. 48

Audientias publicas non privatas eſſe oportere. 60

Auditus quomodo fiat. 236

Quare amittatur quamdiu oſcitamus. 129

Auditus acutiſſimus. 113

Augmentum, & perfectio. 204

Auguria futurorum quomodo ſculpta. 56

De annis qui proſperi ſint Imperio. 69

Auguria ſumpta de Patribus, & matribus quos filii trucidarunt. 149

Auguſtinus Maſcardus, gravis Author; ejusdem oratio contra voluptatem. 35

Auguſtus menſis quomodo exhibitus. 67

Aviditas regnandi quantopere fugienda ſit. 88

Aulicus laudatus. 51

Aures quare à Latinis ſic nominatæ, earum admirabilis ſtructura. 225

Earum officium. Quomodo auditus formetur. 238

Mundanis voluptatibus claudendæ ſunt. 25

Solito grandiores ſtoliditatem indicant. 35

Ad terram uſque pendulæ. 100

Medicatæ lacte 162

Leporinæ in ſimulacro humano & quare. 170

Ovium tanquam primitiæ ſacrificatæ. 146

Aures cujusdam, ſicut digiti motæ 100

Aurita monſtra. 170

Aurum intellectum in gratiis. 216

Auſter ventus quomodo demonſtratus. 67

Auſus impius contra crucem Chriſti. 175

Author damni ſui proprii quomodo quis dicatur. 14

Auxilium efficax neceſſarium eſt magna operantibus. 18

Axillæ humanæ cur malum odorem reddant. 129

Azolini deſcriptio hominis. 201

B.

Bacchus, ejusdemque figura quomodo expreſſa, quare coronatus hederâ, & flagellum in manu geſtet. 62

Sacrificator victimarum humanarum. 151

Quare natus dicatur inter fulmina. 140

Nymphæ in ejusdem Comitatu, quâ de causâ, quare capillis cæruleis, cum tridente, & tuba. 62

Bactriani ſi quos Senes impotentes habebant canibus objiciebant, imò & proprios parentes. 149. 158

Balbi & blæſi quas voces habeant. 136

Balſamum Mumiarum. 161

Barba ſignum virilitatis, condecorat viros. 273

Nata in vultu mulierum. 112

Barba & capilli raſi in ſignum doloris. 148

Barbaries Hircanorum. 147

Baſis hominis pes dicitur. 241

Batti fabula, & allegoria. 210

Beliſarius quare excæcatus 119

Bella futura per monſtra præſignificata. 177. 181

Bella quot modis geſta. 61

Bellerophon quomodo in cælum tranſportatus. 71

Bellicoſi homines in Urbe meliora propugnacula ſunt, quàm quæ ex lapidibus eriguntur. 155

Bellum cur ſic dictum. 154

Quomodo terra marique geſtum. 155

Bellum, bellique expeditio quomodo in numiſmatibus expreſſa. 53

Belli incommoda. 156

Bello quot intereant. 36

Bellum inter Pygmæos & grues. 107

Bellum inter ſenſum, & rationem. 207

Bellum & pax, quomodo in numiſmatibus expreſſa. 56

Belus inventor Statuarum. 73

Beneficentia, & promptitudo, quàm accepta ſint. 27

Beneficium quomodo recipiendum, & redhibendum 216

Beneficii accepti quantùm meminiſſe oporteat. 209

Beneficia quandoque damnum inferunt. 52

Benevolentia quàm utilis. 92

Benevolentia & concordia quomodo unitæ. 74

Beſtiæ adoratæ ob beneficia præſtita. 80

Beſtiæ cur fortiores homine. 221

Cur primùm natæ continuò actiones ſuas vitales exerceant, homo id nequeat. ibid.

Bibacitas reprehenditur. 146

Bicorpora monſtra. à pag. 196. uſque ad p. 200.

Blanditiæ mundanæ. Quod iiſdem aures obturandæ ſint. 25

Bombilius homo quid ſit. 88

Bona Dea quid ſignificet, quomodo expreſſa. 213

Bona, & mala quæ per vocem eveniunt. 135

Bona æterna ſequenda ſunt. 246

Bonitas humana quomodo expreſſa. 39

Bonitas vitæ quomodo amplexata. 85

Boreas ventus ſignificatus. 67

Bos integer devoratus. 138

Bos portatus humeris gigantis. 101

Brabo Gigas qui nomen dedit Brabantiæ. 103

Brachia quibus deſunt : quibus ſuperabundant inter monſtra cenſendi. 193
Monſtrum habens brachia ſubtus umbilicum. 195
Brachia, & manus, eorumq; Hieroglyphica. 174
Brachia & manus cur homini ſint, cum tamen animalibus plus laborandum ſit. 123
Brachia & manus monſtroſæ. 171
Braſilienſium barbara crudelitas. 158
Brevitas humanæ vitæ. 87. 174
Bruta monſtroſa, ſicut & homines. 198. 199. 200
Brutus per monſtrum pavefactus. 181

C.

CAdaver balſamatum 162
Humanum cur horrorem incutiat. 125
Cadaver de ſepulchro raptum ad eſcam Braſilienſium. 158
Cadavera Patrum jacta in flumen. 146
Cadaverum anatomia. 161
Caduceus Mercurii quid ſignificet. 211
Caducitas humana. 46. 48. 66. 79
Cur hanc patiatur homo. 125
Cæcus ea operans, quæ vix poſſet, qui optimè videt. Cæcus ſtatuarius. 112. 113
Cæſares expreſſi in monetis. 57
Calamitas humana quomodo expreſſa. 36
Calamitates ſubſecutæ poſt monſtra. 181. 184
Calamus quindecim ſpicas ferens. 199
Callicrates oculos habebat acutiſſimos. 112
Calor, ubi vehementior, ibi & frigus vehementius ſuccedit. 130
Calor in homine major, quàm in beſtiis. 128
Calvaria mulieris magis clauſa, quàm viri. 127
Campi exculti quantum à ſole beneficium recipiant. 60
Cancer, & fiſtula quomodo curata. 163
Candela ad inveniendos theſauros, obſervatio vana, & ſuperſtitioſa. 156
Canis patiens truncum vitis. 176
Canis Æſopi conſideratione dignus. 92
Canes dicti ſepulchrales, devorantes cadavera. 149
Canes ſemihomines monſtroſi. 166. 167
Canes ſemi homines ex muliere geniti 189. 199
Canes cur odoratu locum explorent, quo urinaturi ſunt. 128
Canibus honor divinus datus. 149
Canum varia Hieroglyphica & ſignificationes 173
Cannæ ſpiritales, & vitales in homine. 227
Canochiale vel tubus opticus Ariſtotelicus Comitis Emmanuelis Theſauri laudatus. 44
Canopus ab Ægyptiis adoratus. Quomodo expreſſus. Quare ſupra baſim quadratam ſit, & alia his ſimilia. 63
Canutus Sanctus deridens adulatores. 122
Capanei audacia. 90
Capilli Symbolum naturæ humanæ. 216
Capilli ex quibus cauſis cum nigri ſunt albeſcunt. 124
Capilli cur virides non naſcantur. 127
Capilli unica nocte cani facti. Quomodo naſcantur & conſerventur. Unica nocte amiſſi. 112
Capilli Infantium remedium pro podagra. 159
Capitanei boni conditiones. 178
Capra cultrum quo ſacrificanda erat, diſcooperit. 91
Capra integra à gigante conſumpta. 101
Capra ſemihomines. 187
Caput reliquis membris majus. 177
Caput hominis, quare magis piloſum cæteris corporis partibus. 128
Caput hominis quomodo defenſum. 223
Caput hominis inventum in excavandis fundamentis Templi Jovis Capitolini, adhuc recenti ſanguine diſtillans, tanquam recens à buſto ſuo truncatum. 111
Capitolium ex hoc denominationem ſuam deſumpſit. ibid.
Caput ſupra ſceletum, cui impoſita ſit corona regia, indicat ingenium ubique adhibendum eſſe. 49
Caput ſupra quòd pedes manuſque in circulum contortæ ſint. Monſtrum hoc quid ſignificet. 170
Caput à matre prolongatum infanti. 167
Capita quinque in ſtatua una quid ſibi velint. 73
Capita tria in monſtro humano. 181
Carcerati lautè tractati à Braſilienſibus, præcipuè ii qui ad mortem deſtinati ſunt. 158
Carneades Philoſophus vocem Stentoris habebat. 135
Carnificina membrorum humanorum. 151
Caroli Antonii Ghislieri virtus. 161
Carolus Magnus Imperator cum grandi corpore eſſet, vocem habebat exiguam. 135
Carolus Nonus Rex Franciæ Monarcha juſtus, & pius. 28
Caro hominis quomodo appellata. 236
Caro per miraculum ſanata. 177
Caro mortificanda. 174
Caro humana crudè devorata. 157
Caro, cur reliquis cibis plus nutriat. 126
Carnium eſus nauſeam quibuſdam provocans. 114
Caſſiopea ſedens. Via lactea : quomodo apparuerit & cognita ſit. Fuit Caſſiopea quondam Regina hujus nominis. 71
Caſtigatio divina quantò lentior tantò ſeverior. 209
Caſtigatio peccati quàm terribilis. 47
Caſtitas quomodo expreſſa, & quàm laudabilis. 85. 93
Virtus delicatiſſima eſt. 31
Caſtitas inter antiquos quantam venerationem habuerit. 73
Caſtitas quàm religioſè obſervata à Sacerdotibus Idololatris. 146
Caſtor & Pollux quid repræſentent. 30
Idem ſunt cum geminis. 71
Caſtrati cur vocem acutam habeant. 128
Caſtrati quomodo puniti, & ſignati. 146
Caſus admirabilis, & ſtupendus. 235
Caſus admirabilis Andronici feris objecti. 153
Caſus Magnatum. 19
Cathedra S. Petri Romæ æri inſculpta. 58
Cato præcepta militaria dedit. 137
Cato magnus potator. 140
Sexagenarius non erubeſcit doceri literas. 49
Cattus adoratus. 149
Cattus octo pedum. 194
Cauda equina Infanti noviter nato inhærens. 176
Cauſa prima & principalis omnium rerum in Univerſitate. 206
Cauſæ naturales, quales, & quantæ ſint earum neceſſitas, & utilitas. 186. 187
Cauſa malorum ſuorum quis ſit. 90
Cauſæ efficientes monſtrorum. 190
Cauſæ inſtrumentales eorum. 191

Cauſa

Cauſæ finales eorundem. 192
Celeritas matura commendatur. 44
Celeritas immatura negotia deſtruit. 51
Celeritas quandoque tarditate vincitur. 86
Celeritas & Beneficentia quàm accepta ſint. 27
Centauri quid fuerint, eorum Hieroglyphica. 174. 187
Centrum hominis quid ſit. 10
Centurio. Qualem eum in bello eſſe oporteat. 155
Cera recipiens omnium rerum imaginem, figura eſt docilitatis. 89
Cerebellum cerebro inſervit. 237
Cerebrum mulierum humidius cerebro virorum. 127
Charon quomodo expreſſus. 66
Chaſma ignitum ab Ariſtotele in cœlo viſum. 5
Chimæra deſcripta. 14. 171
Chinenſes quàm exactè Idola ſua fabricent, & quantam eis venerationem exhibeant. 76
Chinenſium exotici mores. 147
Chriſtiani intellecti per nomen *hominis*. 42
Chriſtus. Poſitus in mundum, tanquam Caput Eccleſiæ. 38
Quomodo in deſerto manſerit. 39
Ejuſdem potentia. Quomodo ex omni parte perfectus fuerit. Quomodo expreſſus. Quando dictus ſit filius hominis. Quomodo Redemptor animarum, earumque Creator ſit. 40. 41.
Chriſtiani ſub ejus Imperio ſunt. 42
Chriſtus in paſſione ſancta. 41
Amor ejus erga Patrem æternum. 42
Chriſtus quare homo factus ſit. 201
Chymia quàm difficilis. 161
Chymica ars. Ejus nobilitas, origo, denominatio, operationes, epitheta, &c. 97
Chymici deteſtati. 210
Cibus hominis. Qualis eſſe debeat. Diverſitas appetituum. Quidam appetunt canes, talpas, feles, vulpes, ſerpentes, & ſimilia. 137
Sæpe pro cibo quidam militarunt. Videantur Authores qui de conviviis tradiderunt. Crapulones. 138
Cibi gratia ſeipſum occidens. 140
Cibi cur homini neceſſarii. 227
Cibi antiquorum. 138
Ciborum varietas pernicioſa homini. 124
Cicatrices quomodo correctæ. 163
Cicero Verrem reprehendit, quod Emblemata ſuſtulerit. 44
Ciconia quare ab Ægyptiis adoratæ. 80
Ciliorum examinatio, unde corrugatio eorum derivet. 237
Circulus mentis. 213
Civis nunquam patriâ ſuâ egreſſus, in Fauno figuratus. 205
Cives unius animi, unius voluntatis eſſe oportet. 74
Civitas Gigantum. 101
Civitas Spleneticorum. 243
Clamor magnus, pauca lana, quid ſibi velit. 92
Cleanthes Philoſophus ob immortalitatem animæ ſeipſum occidens. 120
Cleomedis gigantis crudelitas. 104
Cleomedis mors ibid.
Climata orbis inhoſpita, etiam homines producunt intractabiles. 130
Clunium, aut natium neceſſitas. 228
Codrus nobiliſſimus anſam dedit Proverbio. 84
Cœlius quis fuerit, & quomodo in Cælum transportatus ſit. 71
Cœlius Rhodiginus gravis Author. 232. 246
Cœlum. Cur poëtæ fabulentur à Gigantibus oppugnatum. 102
Quare ab Atlante portatum. ibid.
Cœlum. Ad illud obtinendum hic in terris non ſegnis militia exercenda eſt. 155
Cœli intellecti per mentem humanam. 99
Cœli monſtrati in machina. 3
Cœli quare humidi. 206
Cœli creati ad beneficium hominis. 5
Cogitata hominis per aſpectum illius expreſſa. 225
Negatur hæc opinio. ibid.
Cogitationes occultandæ ſunt. 206
Cognitio hominis quàm excelſa ſit. 9
Cognitio ſui ipſius quàm utilis. 235
Cognitio rerum quanti momenti ſit. 10
Colici dolores quomodo ſedentur. 159
Colli nomen, & diviſio. 239
Color flavus capillorum unde derivet. 127
Color ſubflavus unde veniat. ibid.
Color viridis cur delectet. ibid.
Colores quomodo ſignificati. 206
Colores repræſentantes animam humanam. 6
Coloſſus Solis deſcribitur. 11
Coloſſus Solis fabricatus in Rhodo, quantæ celſitudinis. 3
Columba lignea Architæ Tarentini, quæ volabat. 9
Cometa mirabilis in Hungaria viſus quid portenderit. 111
Cometæ item alii figuræ diverſæ, horribiles, & monſtroſi, quos deinceps mala funeſta ſubſecuta ſunt. ibid.
Cometarum præſagia infauſta. 110
Commoditas. Quantopere pro hac acquirenda homo laboret. 84
Commotio nimia mulierum prægnantium vitioſos partus producit. 188
Comœdiæ finguntur ex æquivocis, quæ vera cum falſis continent. 97
Comparatio inter macrocoſmum & microcoſmum. 201
Compoſiti humani perfectio. 235
Compoſitio animi. 214
Comus Numen lætitiæ, quomodo expoſitus. 64
Conceptus quid ſit. 96
Conciones quantum valeant in bellando. 156
Concluſiones centum uno die defenſæ. 115
Concoctio in homine quomodo fiat. 228
Concordantia cœli cum homine. 206
Concordia quomodo inſuperabilis. 17
Concordia & pax ſignificata in caduceo. 211
Concordia Principum in monetis expreſſa. 56
Concupiſcentia fugienda. 50
Concupiſcentia mala. 207
Concupiſcibile refrænandum eſt. 61
Condemnati ad mortem peroratio. 158
Confidere in homine quàm vanum ſit. 40
Confligentes in prælio inſculpti monetis. 54
Confœderationes factæ per ſanguinem potatū. 150
Congreſſus Beneventi, quàm impii & Sacrilegi. 157
Conjunctio luminarium quomodo intellecta. 205
Connexio rerum cæleſtium cum terreſtribus. 211
Conſcientiæ remorſus. 24
Conſiderationes poëticæ de Creat. hominis. 246
Conſiderationes humanæ, & divinæ. 214
Conſilia occultanda ſunt. 206
Conſilium non divulgandum eſſe. 179
Conſilium improviſum quandoque optimum. 82
Conſilium opportunum & neceſſarium & utile. 28
Conſilium Senum quàm utile. 51

Con-

Conſtantia quomodo intellecta. 32

Conſtantia quanta virtus ſit. 80

Conſtantia in operando quantum valeat. 93

Conſtellationes omnes deſcriptæ. 71

Conſuetudo quandoque legem tranſgreditur. 87

Conſuetudo mala. 29

Conſuetudo mala abolenda. 89

Conſuetudines incultæ & ruvidæ fugiendæ. 27

Conſul ſacrificans quomodo expreſſus. 53

Contemplatio hominis quàm ſublimis. 8

Contemplationis gratiâ Homo Creatus. 225

Contemptus mortis quomodo expreſſus. 32

Contentioſi & Cholerici vitandi. 26

Conteſtationes fugiendæ ſunt. 33

Continentia Conjugalis quomodo expreſſa. 36

Contrarietas opinionum, quandoque quod obſcurum eſt, exponit. 87

Converſatio examinanda quocum ineatur. 90

Converſatio doctorum quandoque litigii, & rixarum cauſa eſt, ideoque pernicioſa. 93

Convivia de quibus mentio in ſacris literis fit; Eadem convivia ſubſecuta mors. 139

Cor humanum primum eſt quod in homine naſcitur. 228

Cor principium omnium virtutum. 233

Cor obſtinatum quomodo evitandum. 21

Cor obſtinatum & durum condemnatur. 47

Cor oppreſſum vocem tremulam edit. 129

Cor vi extractum ab homine moribundo. 104

Cornua ex improviſo de capite quodã exeuntia. 118

Cornua arietum poſita in capite Pygmæorum, ut tanto majores appareant. 108

Cornutum monſtrum loco narium proboſcidem gerens. 184

Corpus humanum quare rotundum, & quadratum. 236

Quod quatuordecim rebus conſtet. ibid.

Corpus humanum quanto tempore inediam pati poſſit. 125

Corporis compoſitio in homine quàm robuſta. 229

Corpus laxum, & non magnæ molis facilè ſomniat. 125

Corpus duplex in uno homine. 195

Corpus biceps. ibid.

Corpus impiorum cur in die Judicii cum imperfectionibus ſuis reſurrecturum ſit, non item juſtorum. 125

Corpus canis & hominis ſimul unitum. 181

Corpora bina, quamvis monſtroſè ſibi invicem adhærentia, binas animas gerunt. 177

Corpora duo non niſi uno corde. 196

Item duo cum uno umbilico. 197

Item duo cum uno pectore. ibid.

Mas & fæmina ſimul juncti. 198

Item corpus duo habens capita, quorum alterum triſte erat, altero mœſto. ibid.

Corpora maris & fæminæ mortua, diverſimodè ſupernatant aquis. 127

Corporum tricipitum variæ ſignificationes. 173

Correctio ſevera quando adhibenda. 24

Cothurnus Achillis in flumen projectus quid ſignificet. 215

Cranium humanum in plurimis morbis remedium. 159

Craſſities, & durities, ſicut ſemen quoque fluidum partus vitioſos, & monſtroſos producunt. 188

Creatio hominis quare inter creaturas ultima fuerit. 5

Creaturæ ſæpè nos deſerunt. 23

Creſcere in longitudinem potius, quam in latitudinem cur cunctæ res ſoleant. 131

Cretenſes quo modo Jovem ſculpſerint. 60

Cretenſium mores. 147

Crocodilus adoratus. 149

Crœſus Lydorum Rex quare calamitoſus. 88

Crœſi mors. 29

Crucifixus demonſtrat9 in venis ſaxi cujusdã. 169

Crudelitas inaudita propter ingluviem in edendo. 139

Crudelitas impia Braſilienſium. 159

Crudelitas efferа hominis. 80

Crudelitas Vitellii. 92

Crux Chriſti à quodam impio vilipenſa. 176

Crux Sancta in navi vitæ pro malo eſt. 25

Culpa ſemper caſtiganda. 86

Culpa quomodo deturpet hominem. 245

Cupido effringens fulmen quid ſignificet 34

Cura ſui ipſius nimia, quàm vana ſit. 51

Curioſitas damnatur. 34

Curioſitas quantorum malorum cauſa ſit. 215

Curioſitatis imago. 170

Currus in medio curſu retentus. 104

Curruum & rhedarum quis Inventor. 71

Curſus pedum velociſsimus. 116

Cybeles fabula, & Allegoria. 215

Cynegyri Athenienſis fortitudo. 105

Cynocephali monſtroſi. 166

Cyrus Rex militum quemque nomine ſuo appellat. 115

D.

D*Ædalus* quis fuerit. Quomodo intellectus. Idea mediocritatis. Artifex ingenioſus. 15

Dædalus Faber & inventor mirabilis Statuarum, unde ob valorem ſuum dictus fuit alatus. 73

Dæmon ſub nomine *homo* intellectus. 97

Dæmon apparens in forma monſtri. 181

Dæmones egredientes de ventre fæminæ. 175

Dæmonium intellectum per vocem *homo*, damna ipſius, & aſtutiæ, & alia mala. 41. 43

Dæmonia in forma gigantum. 102

Dæmonia ſub nomine Harpyiarum. 171

Dæmonia monſtra illudunt humanæ naturæ. 185

Damnum quod ex nimia audacia naſcitur. 16

Danaes fabula, & Allegoria. 214

David Civitatem gigantum deſtruxit. 101

Deceptio externæ apparentiæ. 92

Defectuoſi in quadam corporis parte monſtroſi dicuntur. 166

Defectus externi, internos indicant. 173

Definitio monſtrorum. 172

Defunctis quomodo ab antiquis requies augurata. 69

Delectatio in Infantibus quid operetur. 123

Delectatio ſpectaculorum crudelis. 152

Delicta beſtialia caſtigata ignibus. 191

Deliciæ mundanæ fugiendæ. 51

Delphinus alligatus anchoræ, celeritatem maturam ſignificat. 44

Demetrius Phalereus, honoratus trecentis ſexaginta ſtatuis. 73

Democritus quare ſemper ridens. 51

Democritus oculos ſibi eruit, ut tanto commodius contemplationi vacaret. 119

Dens gigantis maximus. 101

Dentes cur dati. Cur brevitatem vitæ indicent. Diſtributio oſſium eorum. Hiſtoria Pyrrhi & Herculis. Eorum facultas ſenſitiva. Rari, vitæ brevitatem denotant. Nomina partium quæ ad dentes pertinent. Cui dentes in unum os concreverint. 239

Dentes albi Æthiopũ, in vultu nigro, & quare. 128

Dentes cur frigus ægrius tolerant, quàm caro. 131

Dentes infantium facilitant partum. 157

Sterilitatem inducere creduntur. ibid.

Dentium ſitus, deſcriptiones, figuræ, & alia huc ſpectantia. 226

Dentium virtutes. 160

Deſcriptio Eccho. 132

Deſcriptio Hermaphroditi. 110

Deſcriptio hominis. 201. 202

Deſcriptio nominis hujus homo. 132

Deſcriptio myſtica Promethei, concernens hominem. 208

Deſcriptio Pygmæi. 108

Deſiderium poſſidendi, & damna illius. 210

Deſperatio ad ſui ipſius homicidium inducit. 120

Detractio omni pacto fugienda. 21

Deus primum mortalibus cognitus. 208

Deus quantæ magnitudinis, omnipotentiæ, immenſitatis. 66

Deus centrum eſt hominis. 10

Deus terminus adæquatus hominis. 244

Deus ſe totum impendit in fabrica hominis. 5

Deus quam providus diſpenſator. 231

Deus pro moderatore, & directore omnium rerum agnoſcendus eſt. 180

Deus vera ſors omnium, quanto amore dignus ſit. 46. 48.

Deus quomodo nominatus ab Ægyptiis. 204

Opera ejus poſteriora quæ, & qualia. ibid.

Deus quomodo expreſſus in numiſmatibus. 53

Deus quomodo ab Idololatris agnitus, & quali Hieroglyphico adoratus. 173

Deus Creator quomodo expreſſus in ſimulacris. 59

Deus ultor juſtus. ibid.

Ejus tutela. ibid.

Deus ſemper beneficus erga mortales. 217

Deus denominatione hominis intellectus, aut *Viri*. pag. 37. uſque ad pag. 43

Deus quàm ab homine conſiderandus ſit. 202

Dei attributa. 55

Deo erectæ ſunt ſtatuæ. 72

Ejuſdem potentia in iis ſignificata. 73

Dialectici quomodo æquivoca appellent. 97

Diana proviſa arcu, & ſagittis: quid ſignificet. 49

Dianæ ſacrificabantur puellæ, 151

Dies, & nox quomodo intellecti. 212

Differentia hominis terreni & cæleſtis. 39

Differentia Monſtrorum. 167. 168

Differentia rerum quomodo intellecta, & quàm neceſſaria ſit. 99

Differentia vocum. 135

Difficultas maxima ſapientiam acquirendi. 47. 49

Digiti ingenioſè deſcripti, & à quo. 239

Digiti complicati, & demiſſi quid indicent. 212

Digitus minimus quomodo aliter nominetur. 108

Diogenis apophtegma. 51

Dipſas ſerpens quid ſit. 46

Diſciplina militaris. Qui authores de ea tractent. 154. 155

Diſcurſus hominis: Robur ejuſdem. Amicitiam Dei fovet. 205

Diſcurſus mentalis quid ſit, & qua ratione fiat. 74

Diſſolutio veſtita habitu virtutis, deteſtata. 19

Diſſolutio extraordinaria. 138

Diſtinctio rerum quantùm obſervari debeat. 81

Dives ſe argento ſuo defendit. 84

Divinitas occulta. 174

Diviſio facienda in rebus, vel definitio in quibus difficultas intelligentiæ eſt. 99

Divitiæ, quantò magis abundant, tantò magis fugiendæ. 23. 48

Divitiarum utilitas. 51

Docilitas & ſuavitas in agendo. 89

Doctorum numerus quare minor, quàm Idiotarum. 124

Doctrina quantùm valeat. 18

Doctrina moralis de homine 244

Doctrina, à quo inventæ, quomodo ſequendæ ſint. 33

Doctrina infidelium quàm vanæ & reprobæ. 231

Doloris vehementia mortem inducit. 118

Dolores colici quomodo ſanati. 159

Doloribus quidam oppreſſus, reſanatus fuit dum ei de pinguedine humana quædam guttæ deſtillant ſupra dorſum. 157

Dominator Univerſitatis homo. 5

Dominium intellectum in Caduceo Mercurii. 210

Dominium nimis avide deſideratum grave damnum inducit. 88

Domitianus ſtatuas nonniſi aureas, vel argenteas volebat. 76

Domus fabricatæ in ſummitatibus arborum. 146

Donum Donatori non perit. 30

Dona quantum robur habeant. ibid

Donorum acceptatio procul eſſe debet à Judice incorrupto. 74

Draco alatus cum urina de homine exiens. 117

Ducis militiæ quanta prudentia eſſe debent. 155

Duellum quantopere olim æſtimatum, nunc deteſtatum. 148

Duo potentes non bene conveniunt in eodem loco. 93

Duplicitas ſapientibus abominabilis. 26

Duritia cordis deteſtabilis eſt. 21

Duritia opinionis. 91

Durities cordis condemnatur. 47

Dyſenteriæ remedium. 160

E.

E*Brietas* quot malorum cauſa ſit. 72

Ebrietas mortem adfert Anacreonti Poetæ. 140

Ebrietas ſimilis arboribus, quæ in præcipitiis naſcuntur. 122

Ebriorum deſcriptio. 139

Ebriorum vox. 135

Eccleſia habens duo capita monſtrum eſt. Videantur de hoc plures aliæ propoſitiones. 178

Echo deſcribitur. 132

Echo, quam vocem formet. ibid.

Educatio filiorum quàm neceſſaria. 47. 63

Effectus ſympathici, & antipathici. 9

Effæminatus & mollis animus deteſtabilis. 35

Electio Principis in Carinthia quomodo olim inſtituta fuerit. 148

Electio Regis in Taprobana, & Florida. 148. 149

Elementa omnia amore informantur. 61

Elementa quomodo cum homine correſpondeant. 7

Elementa æquiparata ſenſibus. 233

Elementa adorata. 147

Elementorum commixtio. 212

Elephanti manducati ab homine. 137

Elephantorum fortitudo in proboſcide. 238

Eloquentia deſcripta. 207

Eloquentia demonſtrata in Orpheo ſonante. 66

Eloquentia repræſentata in Hercule. 51

Eloquentia Idololatrarum quàm vana, & impia. 231
Eloquentiæ fortitudo. 22
Eloquentiæ Epitheta. 136
Eblemata, vel Impreſæ ſignificantes Amorem. 14
Emblemata quantæ utilitatis, quàm neceſſaria ſint; quomodo correſpondeant cum adagiis, ſententiis, Ænigmatibus, quomodo rurſùm ab his differant. Compoſita ſunt ex verbis & rebus: Tyberius Imperator ſtudioſiſſimus erat Emblematum. Erant ornamentum exemptionis: Eorum definitio: & quid ſint. In omni genere & ornamento dictionis uſurpantur. 44
Emblemata Alciati quanta. 45
Emblematum utilitas: authores. 179
Empedocles ſemetipſum præcipitat in montem Æthnam. 120
Endymionis fabula, allegoria, Hieroglyphica & hiſtoria. 211
Enos idem eſt quod *homo*. 98
Ens Chimæticum quid ſit, & unde derivet. 14
Enthuſiaſmus poeticus ex muſto proveniens. 140
Epicurei diverſi à natura magiſtri ſui. 108.245.
Epilepſia, & alii morbi cranio humano curati. 160
Epimethei infortuniæ. 81
Epiſcopus nonniſi unam Eccleſiam habens quomodo expreſſus. 43
Epitheta monſtrorum. 172. 192.200
Epithetorum laus. 200
Epulæ ſplendidæ Vitellii Imperatoris. 137
Equæ monſtroſæ. 219
Equi pro cibo adhibiti. 137
Equus quinque, alius octo pedum. 194
Equus ſuper humeros Gigantis portatus. 101
Eros Amor vitioſus. 61
Errores naturæ nominati monſtra. 169
Eunuchi dedicati miniſterio Matris Deorum. 146
Euripus mare, quot naufragiorum cauſa. 88
Europæ fabula, & allegoria. 214
Eurus ventus, ejuſque ſignificationes. 67
Eurydices fabulá, & allegoria.
Examinandi ſunt Amici. 83
Exceſſus. Omne quod excedit monſtroſum eſt. 164
Excrimenta humana ad plures res utilia. 162
Exercitium, quàm utile, & quam laude dignum. 79. 87. 89. 126. 214.
Exercitus nunquam periculoſo eventui exponendus. 90
Exercitus monſtroſi. 166
Exercitus integri ab uno homine fugati. 105
Exitus bonus quomodo demonſtratus. 69
Exitus proſper deſcriptus. 37
Econtrario exitus infelix. *ibid.*
Exitus fortunatus, & favorabilis quomodo expreſſus. 90
Exitus infelix, expreſſus in fæmina. 94
Extraneis non fidendum. 80

F

Faber malorum ſuorum quomodo expreſſus. 14
Fabula Promethei & Pandoræ. 81
Faces unitæ, & implicatæ. 14
Facies in univerſum expoſitæ, & nomen ejuſdem. 239
Facies hominis cur ſic compoſita. 225
Facies ſimulacrorum cruore humano tincta. 156
Facies Principis lætitiam diſſeminat. 16
Facinoroſus monſtroſus dictus. 164
Facta diſtinctè cognoſci debere. 81
Facundia prodigioſa in perſona quæ antehac mutata fuerat. 136
Facundiæ robur. 22
Faces avli ejectæ per os. 117
Faces humanæ ad plurima utiles. 163
Fama Martem præcedit. 61
Fama quantum terrorem, quantam ſpem inferre debeat. 15
Fama quàm facilè amitti, quàm difficulter cuſtodiri poſſit. 31
Fames ſublevata Principis operâ quomodo numiſmatibus impreſſa. 56
Fatum in caduceo Mercurii intellectum. 56
Faunus in numero deorum collocatus. 205
Favor quomodo deſcriptus. 69
Favor, & gratia quomodo intellecta. 212
Favores quandoque præcipitant. 52
Favorinus philoſophus quàm patiens. 78
Febres ardentes, cur maxime in locis frigidis generentur. 130
Feles manducati. 137
Felicitas impetrata explicatur. 79
Perfecta in mundo non datur. 80
Felicitas in ſculpta monetis. 58
Felicitas amicitiæ quandoque brevi tempore evaneſcit. 83
Felicitatis duplex via. 255
Fellis examen, ſitus, diſpoſitio. 242
Femorum pedumque qualitates, compoſitiones, officia, & actiones. 241
Feræ ipſæ amorem ſentiunt. 61
Feræ quandoque benigniores homine. 154
Feriæ quid ſint idem ſcilicet quod ſocordia. 87
Fictio quàm deteſtabilis. 83
Fidelitas, & amor patriæ. 121
Fides ſignificata in voce homo. 31
Fides impreſſa numiſmatibus. 54
Fides quomodo ſimulacris expreſſa. 59
Fides & pietas in numiſmate. 56
Fides violanda non eſt. 86
Fidei myſteria & arcana penetrare velle periculoſum. 45
Fidei pretium. 28
Figura Lesbia quid ſit. 48
Figura hominis quare orbicularis. 225
Figura ſemihominum, & ſemianimalium. 174
Figuræ infantium collocatæ ante oculos parturientium eandem figuram embryoni imprimunt. 189
Figuræ in partu vitiatæ, & quare. 169
Figuræ monſtroſæ partium humanarum in ſaxis inventæ. 167
Filia à Patre in adulterio deprehenſa, objecta equo, & devorata. 120
Filia candidæ cutis nata ex parentibus nigris, & quare. 190
Filia Jani ſe ſuſpendio necârunt. 63
Filiæ à Patre temulento violatæ. 139
Filii Principum occiſi, & Saturno conſecrati. 151

Filiis

Filii ſtulti de Patre ſapiente, & econtra. 231
Filii Cœli quinam dicti. 86
Filiorum numerus ex nodo umbilici fæminæ cognitus. 240
Filiorum veneratio erga Patres, etiam poſt mortem. 146
Filiorum educatio quantæ curæ eſſe debeat. 47
Filius Croeſi ſex menſium puer diſtinctè loquitur. Alia item hujus generis exempla. 136
Filius in manu hoſtium relictus & quare. 123
Filius prævaricator paternarum legum à Patre occiditur. 120
Filius lactatus à Patre. 114
Firmitas in negotiis, quo Hieroglyphico expoſita. 173
Fiſcus avaritiam non ſectetur. 30
Fiſcus quare æquiparatus lieni. 243
Fiſtula & cancer quomodo curata. 163
Fiſtulæ, vel tibiæ factæ ex oſſibus humanis. 157
Fiſtulæ ſpiritales & vitales in homine. 227
Flagellum in manu Bacchi, & quare. 62
Flammæ ex Oratorum ore prodeuntes. 6
Florentia Urbs dives ſtatuis. 77
Floridæ inſulæ mores. 149
Flumina quomodo cum effectibus, & ſignificationibus ſuis expreſſa. 68
Focus ſeu ignis quomodo intellectus, & deſcriptus. 207
Fœmina ſe vulnerans, & de vulnere Lapilli exeuntes. Caſus ſtupendus. 235
Fœmina monſtroſa. 177
Fœmina & mas, monſtroſa conjunctione ſibi invicem cohærent in partu. 198
Fœmina pariens infantem cum dimidio capite. 189
Fœmina pariens ranas, & ſerpentes. 166
Fœmina multiplices partus habens. 194
Fœmina plures lingvas habens. 170
Fœmina laſciva ſub imagine Sirenes. 22
Fœminæ pudica nunquam ſola ſit. 93
Silentium obſervet. 94
Fœmina non imperet, & quare. 94
Fœminæ quomodo concipiant. 228
Fœminæ quomodo concipiantur. 228
Fœminæ in viros transmutatæ. 219. 220. 221
Fœminæ heroinæ ſtatuas obtinuerunt. 73. 77
Fœminæ ſagaces ſunt, æque ac viri, quandoque plus viris. 93
Fœminæ prægnantes pro ſitu ſuo partus generant. 188
Fœminæ gravidæ multiplices imaginationes producunt. *ibid.*
Fœminæ craſſiores viro: quare calidiores viro ſint. 241
Fœminæ Ægyptiacæ plura monſtra pariunt, quàm quæ in cæteris mundi partibus ſunt. 177
Fœminarum ſimulacra quare in Emblematibus collocata. 49
Fœtus habens femora & pedes caninos. 194
Fons in quo extinctæ faces reaccendi poſſunt. 9
Formatio hominis. In hanc omnium rerum ſemina adhibita ſunt. 10
Formicæ minutiſſimè factæ à Callicrate in ebore. 112
Fortalitia vel urbes reſtitutæ in numiſmatibus repræſentatæ. 56
Item pietas & fides. *ibid.*
Fortitudo neceſſaria iis, qui gubernandis populis præſident. 18
Quomodo deſcripta. 20
Fortitudo neceſſaria homini inclyto. 213
Fortitudo ſociata virtuti inſuperabilis eſt: Ode ſuper hoc ipſum. 24
Fortitudo & virtus ad extirpanda vitia. 52
Fortitudo juncta ſapientiæ. *ibid.*
Fortitudo & ſapientia. 33. 55
Fortitudo & prudentia unitæ, res eximias operantur. 66
Fortitudo malè impenſa degenerat in vitium. *ibid.*
Fortitude corporalis Heroum. 115
Fortitudo ingenii. 24
Fortitudo vel virtus ſeminum. 213
Fortuna in quanto pretio ſit inter homines: ſubminiſtrat audaciam. Imago ipſius cum virtute. Quam vultus illius fallax ſit. 16
Quomodo repræſentata. 169
Fortuna cum virtute monetis inſculpta. 54
Fortunæ imago. 37
Fortunæ ſignificata, expreſſio, & effectus ad longum explicata. 70
Fortunæ curſus volubilis. 88
Exitus ejus favorabilis. 90
Fortunæ dona. 46
Fortunæ fidendum non eſſe. 16
Fragilitas hominis. 46
Fragilitas humana quàm calamitoſa ſit. 48
Fraternitas quomodo repræſentata. 30
Fratricidia varia. 120
Fraudulentia quam deteſtabilis. 26
Fraus quomodo expreſſa. 170
Frigus quare ſaporem, & odorem impediat. 129
Frigus ubi acrius eſt, ibi calor quoque vehementior. *ibid.*
Frons cur ſtellata dicatur, ejusdem ſudor, & oſculum in illam datum. 237
Fructus argumentantur influxu Geminorum. 71
Fructus monſtroſi. 199
Frumentum frigori expoſitum melius conſervatur, quàm calori. 130
Fulmen confractum à Cupidine quid indicet. 34
Fumo ſuffocatus. 121
Funambulo quid ſignificet. 45
Funera pompoſa Maſſagetarum. 146
Fures in rebus minimis ſevere caſtigati, fures graviſſimi præmiati. 149
Fures ſub conſtellatione Mercurii. 210
Furor quomodo ſignificatus. 67
Furunculi, ſeu ulcera quomodo ſanata. 162

G.

Gallina nutrimentum homini ſubminiſtrat. 62
Gallina ſex digitorum, ejusque partus monſtroſus. 109
Gallina commercium habens cum aſpide. *ibid.*
Gallus monſtroſus. *ibid.*
Garrulitas, utpote vana, evitanda. 34
Garrulitas quàm pernicioſa. 88
Gemelli tam ſibi facie ſimiles, ut unus ab altero diſtingvi non poſſet. 116
Gemelli monſtroſi. 195
Copulati per tertium ventrem. 197
Uniti ſcapulis. *ibid.*
Gemini dicuntur Caſtor, & Pollux. 71
Gemini influxu ſuo herbas & plantas fecundant. *ibid.*
Gemma ſummi valoris in convivio diſſoluta & conſumpta. 139

 Gena

Genæ faciei cur ſic compoſitæ. 226
Generatio, & virtus ſeminum. 213
Generatio monſtrorum quomodo fiat. 185
Generoſitas in ſola poſſeſſione divitiarum conſiſtens, non in animi dotibus. 84
Genitores pro qualitate ſua Hermaphroditos generant. 220
Genitores ſenes, & impotentes canibus objecti: & deinde in ſumptuoſis conviviis eorum caro manducata. 149. 157. 158
Item violenter occiſi. 149
Genius hominis quid ſit. 8
Genius quomodo in numiſmatibus expreſſus. 55
Genius, vel Genii quomodo expreſſi, tam boni, quàm mali. 65
Genium ſuum quiſque ſequitur. 99
Genii cur tam varii ſint. 235
Gentiliſmus intellectus in homine: ejus imperfectiones, durities, perſecutiones; ſynagoga & alia. 38. 43
Geometria, & Geographia intellectæ in Dea Cybele. 216
Germanorum mores atroces. 148
Geryon trium corporum quid indicet. 60
GIGANTES. Ad quam magnitudinem excreſcere poſſint: quorum unus novem cubitorum viſus. 100
Qui duodecim ſecum ſocios Svecos, & Gothos habebat: eorum inſolita fortitudo. Capta integra à gigante conſumpta. Ubi altiſſimi viſi ſint. Quindecim pedum altitudine ubi viſi. 101
Quidam eorum dicuntur ex ovis prodiiſſe. Gigantum mentio in ſacris literis. *ibid.*
Gigantes ubi præcipuè nati, gigantum urbem David deſtruxit. *ibid.*
Eorum membra, & dentes ultra modum magni. Gigas à S. Maglorio reſuſcitatus. Gigantes quare Terræ filii dicti ſint. Pugna eorum vana contra cælum. Gigantomachia Comitis Theſauri: ejus diſcurſus lectu dignus. Nomina gigantum hebraica. 101. 102
Quare dicantur habere femora, & pedes contortos, per modum ſerpentum. 102
Gigantes filii Cain, & Seth, in terra promiſſionis erant. Corpora eorum reperta in Dalmatia. *ibid.*
Gigas altitudinis centum cubitorum. In quibus Provinciis copioſi fuerint. 103
Gigantum ſtatura, exercitia, & alia. 66
Gigas incomparabilis fortitudinis. 105
Cur hodie tales non naſcantur. 126
Gladius ſimul & palma. 128
Glaucus quomodo figuratus. 62
Globus igneus in cælo à philoſophis viſus. 5
Gloria hominis. 201. 202
Gloria ſequitur laborem. 18
Gloria fugit ſe ſequentes, ſequitur fugientes. 51
Gloriam cæleſtem mens humana non capit. 4
Gloriatio. 201. 202
Gloriator quomodo expreſſus. 43
Gordius nodus quid ſibi velit. 24
Gorgonum fabula & allegoria. 217
Gratiæ quomodo ſignificatæ, earum poſitura, & cur tres numero ſint. 65
Gratiæ finguntur virgines, & juvenculæ, & ridentes. 216
Hæ propalandæ ſunt. *ibid.*
Gratiæ & favores quomodo expreſſi. 212
Gratiæ impetratæ quàm acceptæ ſint. 27
Gratiæ quandoque plus damni, quam utilitatis adferunt. 52
Gratiæ ſuperatæ. 31
Gratiæ indignis non tribuendæ. 63
Gratiæ quomodo reddendæ. 96
Gratitudo quanta in antiquis fuerit, ita ut etiam beſtias adorarint. 80
Gratitudo in hoc ab antiquis demonſtrata, quod Heroës inclytos in cæleſtes figuras tranſtulerunt. 70
Gratitudo aſpidis. 118
S. *Gregorius* M. in flumine Tyberi ſubmergi jubet ſtatuas Idolorum. 77
Gryphorum deſcriptio. 171
Gubernatio populi mala, quantorum malorum cauſa ſit. 52
Gubernatio populi, manifeſtat quid in homine ſit. 79
Gubernatio populi negata fœminis. 94
Gubernatio populi quàm difficilis. 16
Gubernatio œconomica quomodo intellecta. 36
Gubernatio mala quantorum malorum cauſa. 52
Gula quot genera ciborum inventarit. 138
Gulæ vitium in pluribus Alciati Emblematibus expreſſum. 141. 142
Gurgulio hominis quomodo conſideratus ejuſque officium. 227
Guſtus ex pluribus cauſis depravatus. 114
Guſtuum cur tanta differentia. 126

H.

H*Æmorrhagia* unde derivet in homine. 128
Hæmorrhagia quomode ſanata. 161
Hæreſis Albigenſium. 199
Hæreticorum damna, ſectæ, inordinata confuſio, & alia. 41. 43
Halitus hominum venenatus, quo inficiebantur ii, quos alloquebantur, idque non niſi naturaliter. 113
Harmoniam Mundi Pan veterum Numen indicat. 63
Harpocrates Deus ſilentii, quomodo intellectus, & ſignificatus: vanæ ejuſdem figuræ. *ibid.*
Harpyiæ, animalia monſtroſa, poſita in genere Simiarum. 179
Harpyiæ, quomodo intellectæ, & deſcriptæ: quod nil aliud quàm dæmonia ſint. 171
Hebræi pluries memorati, eorum obſtinatio, Synagoga, & alia. 40
Hectica morbus unde derivet. 124
Helena cur canis nominetur. 173
Helici populi quomodo Jovem ſculpſerint. 60
Hemicrania quomodo ſanata. 162
Henoch natus de ſtirpe gigantum. 102
Hepar cur in homine ſit. 229
Heraclitus cur ſemper plorare viſus. 51
Herbæ creſcunt & augmentantur per influxum geminorum. 71
Herbis plures hominum veſcuntur. 100
Hercules quomodo deſcriptus & expreſſus. 17. 19. 33. 50. 51. 55
Ejus ſimulacrum in figura hominis nudi, ſtantis cum trophæo in ſiniſtra, clavâ in dextra. 64
Nomen ejus inter ſtellas collocatum primæ magnitudinis. 71

Romæ in variis hortis, palatiis, & ædibus invenitur. Variæ ejus ſtatuæ monſtrantur, in varia figura, & veſtimento. 75
Statura ejus quantæ magnitudinis fuerit. 100. 103
Tres dentium ordines habebat. 113
Devorator filiorum. 120
Devorat taurum. 139
Armatus clava cum catenis aureis de ore ejus procedentibus, quibus populum captivum ducit; denotans eloquentiam. Dejiciens in terram Antheum. 207
Hercules Idea laboris. 33
Conſiderationes ſupra hoc ipſum. *ibid.*
Hermanſal ſtatua in Saxonia, ſtaturæ elevatiſſimæ, cum pluribus Hieroglyphicis. 74
Hermaphroditus creditus fœmina, generat filios, & filias, deinceps virum agit, conjuge ducta, & ex illa filios rurſum generans. 109
Item alius poſt mortem inventus habere vaſa ſpermatica utriuſque ſexus. Differentia Hermaphroditorum. Ubi locorum maxime copioſi ſint. Eorum exercitia, & miniſteria. An ad matrimonium admittendi ſint. Ad juramentum adſtringuntur, ut non niſi unum ſexum ſequantur. Pœna capitalis contra prævaricatores. Ab Athenienſibus in flumen jaciebantur. Inter cantus, & ſonitus à Romanis occidebantur: ſicut in aliis quoque Italiæ locis, & alibi. Ab horum uno filia quædam herilis violata fuit. Quomodo generentur. *ibid.*
Item quomodo naſcantur. 186
Hermaphroditi diverſi. 219
Hermaphroditus defenditur non eſſe monſtrum, ſed complementum naturæ. *ibid.*
Hermes, ſtatua Mercurii. 210
Heros à Lirano ſub nomine vir intelligitur. 44
Heroibus ſtatuæ nudæ erigebantur, & dedicabantur. 77
Hieroglyphica unde originem trahant. 173
Hieroglyphicorum ſtudium apud Ægyptios: quantum utilitatis adferat hæc indagare. 32
Eorum inventio: Scena imaginum: quàm antiqua ſint: quomodo à prudentibus & ſæcularibus, & Eccleſiaſticis obſervata, &c. *ibid.*
Hieroglyphica exprimentia hominem. 42. 32. 38
Hippolytus quare in ſtellam mutatus. 71
Hippomenes impius filiam ſuam equo devorandam objecit. 120
Hircani populi crudelitas. 147
Hiſpania quomodo intellecta. 173
Hiſpaniæ regna quomodo ſymbolizata. 60
Hiſtrionum officium. 137
Homerus quare cæcus, & qualiter. 119
Homerus magnus potator. 140
HOMO. Mens ejus quàm elevata ſit. Miraculum animatum eſt: id quod peroratione integra monſtratur. Hermes & ars ejus operoſa. 3
Homo appellari poterit ſpeculum terſiſſimum. Quantam majeſtatem ſpiret. Quomodo à Zoroaſtro appellatus ſit. 4
Homo ænigma. 4
Fabrica inter omnes elevatiſſima. Appellatur magiſter. 5
Ad ejuſdem condignum encomium invalidæ ſunt pennæ Oratorum. Quare ultimo loco inter creaturas productus ſit. Ejus gratiâ cuncta creata ſunt. Rex eſt omnium rerum. Qualitates corporis ejus aſſumptæ in gloria. 6
Qualitates ejus elementares, quomodo invicem correſpondeant. Intellectus, & imaginatio quomodo in eo formentur, quàm velocia ſint. 7
Genius ejus quid ſit. Contemplatio ejuſdem quàm ardua. Unio ejus cum Deo. Appellatur Magus. 8
Cognitio ejus quàm excelſa ſit, quàm utilis & proficua. 9. 10
Omnia mirabilia in ſe concludit. Pedibus ſuis res univerſas mundi ſubſternit. In formatione ejus cuncta mundi ſemina concurrerunt. Centrum ejus Deus. 10
Excedit valorem ſeptem mirabilium mundi in ſtructura ſua. Quomodo cuncta ei famulentur, & quomodo in ſemetipſo mundum univerſum poſſideat. Omnia creata ſunt ut oculo ejus cernantur. 12
Nudus de ventre matris egreditur, ſed non inermis. Vita hominis ſchola doctrinarum. Nobilitas ejus, dum terram pedibus calcat. Mens ejus omnium rerum idem eſt, quod parvus mundus. Contemplando Cælum Empyreum in ſe concludit. In vultu ſuo Ideas Deitatum fabuloſarum includit, & numerum cælorum. Vegetativus eſt cum plantis, ſenſitivus cum animalibus, intellectivus cum Angelis. Similitudinem gerit cum Principatibus cæleſtibus, & alia digna ſcitu. 98
Differentiæ hominis. Differunt ſcientifici ab ignorantibus. Qualitatem plurium animalium aſſumit. Aſpectus horoſcopi, & qualitates climatum multum inter ſe differre homines faciunt. 99
De natis in terræ motu. Quanta amplectatur homo, quantas qualitates. Quot opinionibus diverſis diſcindatur, quot paſſionibus, & affectibus. Homines vocati aſtomi. Alii ſine lingva ſunt: Alii non niſi pomis ſylveſtribus veſcuntur, alii herbis. Alii naribus maximis, & mento ſimo ſunt, alii ſine labris, alii labrum inferius ad pectus usque demittunt. *ibid.*
Homines auribus monſtroſis, in varia figura. 110
Homines Sympathici & Antipathici cum animalibus. 112
Homines inventi, qui veneno inficiebant eos, quibiſcum loquebantur, idque naturaliter. *ibid.*
Homo nunquam in decurſu vitæ ſuæ ſitim patiens. 114
Homines humana non operantes. *ibid.*
Homines feliciſſimæ memoriæ. 115
Homines in ureteribus non perforati, qui tamen diu vitam protraxerunt. 117
Homo conjugatus vigeſies. *ibid.*
Homo impoſitus feretro, & portatus ad ſepulchrum ſe levat, & feretrum ſuum domum portat. 117. 118
Homo dormiens loquitur, ambulat, aliaque operatur, ſimilia vigilantibus: prædicit mortem Pontificis. 118

Homo dormiens annis ſeptuaginta quinque. 120
Homicidia mira. *ibid.*
Herodes ſemetipſum occidens. 121
Homo non niſi ex uno oſſe formatus. 117
Homines de fæce populi ſterquilinia appellati à Diogene. 122
Homines viventes abſque cibo. 125
Homines militantes longiùs vivunt aliis. 126
Suſpenſi quare faciem verſus ſolem vertant. *ib.*
Mortui quare ſupini ſupernatent aquis. *ibid.*
Cur uno oſcitante, reliqui oſcitent. 128
Cur cibos humidos appetat homo, alia animalia ſiccos. *ibid.*
Effæminati deteſtabiles. 125
Homines ſylveſtres Americæ, ſemper nudi incedunt: quanquam etiam aliquando leviter veſtiantur viſo inimico, ut tanto expeditius dimicent, veſtimenta abjiciunt: quod capitis tegumentum portent. Quàm animoſi ſint. Nomen Regis. 149
Homines diverſimodè ſacrificati. 151. 152. 153
Homo homini lupus. 157
Homo homini ſalus. 159
Homines monſtroſi. 164
Homo marinus. 166
Homines ſemicanes. *ibid.*
Homo vocatus Emon. 170
Hominis varia Hieroglyphica. 173
Homo & canis: Homo & lepus: homo & piſcis aliaque monſtra. 181. 182. 189
Homo deformatus per peccatum. 185
Homines ſemicapræ. 187
Homines ſimiæ. *ibid.*
Homo piſcis. 194
Homines monſtroſi & feræ. 198. 199. 200
Hominis dignitas, & definitio. 201
Homo quantum æſtimatus à Deo, ejusque pretium. 201. 202. 203
Comparatus Mundo & Urbi. 201. 202
Homo quare ratione præditus ſit. 221
Quare ungvibus oblongis, & cornicibus & villis careat. Nativitas ejus quam infelix, & quare. *ibid.*
Uſus rationis in eo quodvis animal exuperat. Quantò ſublimior ſit belluis. Quare homo tot malis ſubjectus. 222. 223
Quare ſapientia dotatus. 223
Homo in conſtitutione ſua magnitudinem Dei manifeſtat. *ibid.*
Homo membris talibus dotatus, quibus nutrimentum ſuum procuret. 224
Homo myſticè deſcriptus. 225
Homo ſecundum quamque partem ſuam conſideratus. Idcirco factus ut contempletur. *ibid.*
Quare in figura orbiculari compoſitus ſit. *ibid.*
Quomodo concipiatur in utero. 228
Homo miraculum miraculorum. 232
Si è terra caſu progigni poſſit. *ibid.*
Homo vitioſus Eva appellatus. 233
In libidine vehementior belluis. *ibid.*
In compoſito ſuo externo perfectiſſimus. 236
Ejus menſuratio. *ibid.*
Homines ſine naſo. 238
Homo creatus ad gaudendum Deo. 244
Quantum per peccatum deterioratus. 245
Homo conſideratus in creatione ſua. 246
Idem per oden deſcriptus. 247
Homo Artifex. In potentiis ſuis comparatus SS. Trinitati, quod per oden exprimitur. 12. 13
Virtus ejus, amor, & amicitia. 14
Verſatus in omnibus ſcientiis. Author proprii mali ſui eſt. Mediocritas ejus: Artifex ingenioſus eſt. 14. 15
Fama ejus quantum timorem, quantam ſpem ingerere debeat: vitia ejus quantùm caſtiganda ſint. 15
Hominis intrepidi deſcriptio. 24
Homines morum intractabilium, quantopere fugiendi ſint. 27
Homo pauper ſtans ante mortis imaginem quid ſignificet. Multò magis in hoc laborandum, ut benè operemur, quàm ut ſplendidè veſtiamur. *ibid.*
Homo ſtans quid indicet: quid ſibi rodens ungves. 32
Humana Hieroglyphica videantur amplè deſcripta pag. 32. Usque ad pag. 38. Ubi ſimul de eorum Authoribus.

MORALIA & MYSTICA.

DE

HOMINE.

In ſymbolo Deum repræſentat, magnum datorem bonorum. Amor Patrisfamilias. Chriſtus in terris collocatus Caput erat Eccleſiæ. 38
In homine militia cæleſtis angelorum quaſi in imagine figuratur. Iterum hoc loco Deo comparatur. Figura Chriſti pluries à Prophetis prævisa. Rurſum de Chriſto, quomodo in deſertum quaſi relegatus fuerit. Ejus potentia exprimitur. Homo quantæ perfectionis ſit in omnibus membris ſuis. Ejus ratio, ſenſus, & perfectio. Vox hominis congeminata quid ſignificet. Mens ejus quomodo à ſe profliget cogitationes vanas. Per hominem interiorem indicatur prudentia, & rectitudo. Vilitas ejus, & denominationes nullitatis cum in peccatis eſt. Nomen ejus reduplicatum bonitatem & rectitudinem indicat: Chriſtus exprimitur, cum filius hominis nominatur. In hac voce homo angeli ſignificantur. Joſephus ab Arimathæa quomodo expreſſus. 38. 39
Exprimit item rectitudinem & fidem. Differentia hominis terreſtris, & cæleſtis. Quatuor facies, quatuor Evangelia indicant. Hic de Moyſe mentio fit. Caro, peccatum & vitia quomodo expreſſa, & punita. Mores corrupti quam putredinem incurrant. In voce *homo* univerſum genus humanum comprehenditur, ſicut & in voce *Adam*: quomodo in hoc poſteriori Chriſtus intelligatur Redemptor animarum noſtrarum. 39. 40
Fiducia in homine collocata quàm vana ſit. Synagoga Judæorum contraria innocentiæ Chriſti. Homo unanimis is intelligitur, qui ſub lege Chriſti vivit. Populus Judaicus, quaſi à Dæmonio poſſeſſus, ejus malitia ſcelerata. Qui ſe fidelem ſimulat, cum talis non ſit, zizania in medio frumenti ſeminat. Anti-Chriſtus Judas, & Pilatus per hominem à dæmonio poſſeſſum intelliguntur. Per nomen *Vir* virile robur intelligitur. Per *Virum* Deus intelligitur, utpote in omni virtute perfectus. 40. 41
Chriſtus rurſum homo ille intelligitur qui cum Patriarcha luctatus eſt. Et ille Ægyptius, memoratus in Exodo: Maritus duarum fæminarum quarum una ſterilis, altera fecunda, illa ſynagogam, hæc Eccleſiam gentium indiat. Judæos item memoratus in Zacharia, antiquus dierum. 41
Deus iterum tanquam Judex hic exponitur: Chriſtus quoque, tanquam Creator, & Redemptor: Et Spiritus Sanctus. Verbum divinum ab anima peccatrice rejectum. De anima peccatrice. A Chriſto recedunt quicunque à divinis præceptis declinant per hominem vagantem in agro, & quem Joſeph invenit, Chriſtus Redemptor intelligitur. *ibid.*
Per nomen *Vir* Philo ratiocinationem, aut diſcurſum intelligit, ſicut & mentem vigoremque illius, & liberum arbitrium. Vir Samaritanæ, qui vir non erat, Spiritus rationalis dicitur. Homo rationalis verè homo nominandus. 42
Apoſtoli prædicatores, & Prælati intellecti per vocem *homo*: Item Charitas intelligitur per hominem ſecundum cor Dei. *Vir unus* de quo in primo Regum dicitur, ii ſunt qui abdicato ſeculo vitam Clauſtralem agunt. De vana gloria Prædicatorum. De acquiſitione virtutis, & fuga vitiorum. Per homines reducentes arcam, Chriſtiani intelliguntur ſub imperio Chriſti viventes. Per viros Anathot, qui Jeremiam ad occiſionem quærebant Judæi intelliguntur perſequentes Chriſtum. Vir *Uxoris unius*, Epiſcopus eſt nonniſi unam Eccleſiam habens. Per homines ordinatos ut terram perluſtrent, Eccleſiaſtici viri intelliguntur, qui ad curam & ſalutem animarum deſtinati ſunt. 42. 43
In brachio arido Jeroboam intelliguntur ii, qui de oportationibus ſuis gloriantur. *Si peccaverit vir in virum* hic nomine viri vel adulter vel appetitus ſenſualis, &c. intelliguntur. Vir item Ægyptius ſenſum literæ carnalem indicat. *Maledictus vir* ex propheta Jeremia dæmonem indicat inimicum veritatis. Homo Ægyptius inſultans Iſraelitæ Hæreticus eſt inſultans Catholico: Viri ſanguinum dicuntur qui judicia pecuniis corrumpunt: Item qui à carnalibus deſideriis non abſtinent. Sex homines in propheta Ezechiele memorati, ſex hominis ætates indicant. Nomine viri item Heros omni perfectione dotatus intelligitur. 43. 44
Homo ſubtus arborem poma colligens quid ſignificet. 46
Homo cui collum ſerpente cinctum, eum indicat qui meretriciis amoribus faſcinatus eſt. *ibid.*
Homo aſpectu venerabilis, currui triumphali inſidens, honores virtutis indicat. *ibid.*
Homo ſedens ſuper puteum, cui gladius ſuper caput pendet, cui quinque gladii ad latus ſunt, caſtigationem peccati indicat. 47
Homo ſedens ad menſam lautiſſimam, cum gladio item ſupra caput infelicitatem tyrannorum demonſtrat. *ibid.*
Homo qui piſcatur in igne, difficultatem indicat in acquirenda ſapientia. *ibid.*
Homo inſerens arborem, denotat quantum ars naturam elevet. *ibid.*
Homo incidens arboris corticem, unde balſamum effluit, duritiem hominum reprehendit. *ibid.*
Homo menſurans ſaxum cum inſtrumento Leſbio, rectitudinem incorrupti Judicis indicat. 48
Homo pallidus folle ignem inſufflans, Alchymiſtarum ignorantium vanitatem indicat. *ibid.*
Homo intuens in maſſam fœni, caducitatem mortalium denotat. *ibid.*
Homo Solem contemplans, meditationem figurat. *ibid.*
Homo cujus vultus radiis ſolaribus percutitur, Idea avaritiæ eſt. 49
Homines numeroſi in cubiculo edentes ubi cophinus cernitur, turpitudinem viti exprimit. 50
Homo veſtitus paludamento regali, ſed qui loco ſceptri fuſum geſtat, imago virtutis eſt, ſuperatæ à vitio. *ibid.*
Homo inſidens throno, cui flores aliique fructus præſentantur, Idea eſt boni quod ex divitiis profluit. *ibid.*
Homo inſidens ſolium, cum fulmine in dextra, ſub quo aquila eſt, denotat à Deo juſta poſtulanda eſſe. Idem indicat homo coronatus, qui dextra ſceptrum geſtat, & cui ad latus imago juſtitia eſt. *ibid.*
Homines duo, quorum alter caudam integram extrahere equo intendit, nec id ulla vi poteſt; alter pilum poſt pilum trahit, quo demonſtratur, temporis beneficio difficultates quaſcunque exuperari. *ibid.*
Homo ſatagens quercum antiquam evellere indicat à teneris educationem neceſſariam eſſe. 47
Homo pedes gerens lana involutos cum fulmine in manu, Dei juſtitiam indicat, ſeveram denique, cum diu tardaverit. 48
Humana vita riſu & planctu intermixta. 51
Vanitas humanæ vitæ expreſſa in numiſmatibus à pagina 52. uſque ad pag. 58
Brevitas ejuſdem. 65
Homo Idiota ſimilis ſtatuæ. 78
Homo ſolus ſine ſocio infelix. 84
Probatur ingruente occaſione. 85
Illuſtratur propria virtute. 86
Homo ſermone cognoſcitur. 82. 89
Pertinacia incorrigibilis. 87
Homo infidelis quàm abominabilis. 88
Homo quid verè ſit. Ejus æquivoca. In hoc nomine homo & fæmina comprehenditur. In eodem turba intelligitur: quandoque & Dæmon: Herba balſamina ſic item nominatur. Pictores hominem pictum eodem nomine nuncupant, ſicut & ſculptores. Intelligitur in hoc nonnullibi Anima. Speciem ſpecialiſſimam eamque principalem Dialectici cum ajunt Hominem voce & Prophetæ intelliguntur. 97
Synonyma hominis. Dicitur homo ab humo. Hoomet mens altiſſima interpretatur. 89
Vir à virtute dicitur. Menſch germanicè idem eſt, quod liber. Microcomus
Homo ſecundum cor Dei, qui plenus charitate eſt. 42
Homo clauſtralis ſecundum cor Dei eſt. *ibid.*

Hone-

Honeſtum quàm acceptabile. 123
Honeſtum & utile in omni negotio conſiderandum eſt. 37
Honor quomodo intellectus & ſignificatus. 69
Honor, fides, & Amor omnia conſervant. 212
Honoris imago in numiſmatibus. 53
Attributum principale hominis eſt honor. 80
Honoris & virtutis variæ ſignificationes. 213
Horologium. 79
Horror qui ex ſono provenit, ut eſt ſonus limæ. 126
Humilitas quomodo intelligatur. 32
Hydrargyrum quid ſit. 210
Hypochondrium quare ſic dictum. 240
Hypocriſis deſcripta. 171
Hypocriſis quàm deteſtabilis ſit. 34

I.

I*Actantia* vitium deteſtabile. 51. 79
Iactantia & gloriatio de ſe, quàm vana & deteſtabilis ſit. 106
Ianuarius Menſis quomodo ſignificatus. 67
Ianus Idea prudentiæ. 17
Iudicium finale in Jano intellectum. *ibid.*
Ianus quomodo figuratus, ejus variæ formæ, biceps, ſignificat prudentiam neceſſariam Principi: Expreſſus cum quatuor capitibus; ei conſecrabantur Principia, & fines rerum. Dictus Noë: Inventor vini: occiſus à villicis. 63
Quare biceps. 73
Ianus duarum facierum: in quo optimus populi moderator intelligitur.
Inventor Serrarum. 180
Icarus de cœlo cadens, indicat impoſſibilia quærenda non eſſe. 45
Icari malæ qualitates deſcriptæ. 19
Icterus quomodo ſanatus. 163
Idiomata patriæ, quare tam diverſa. 132
Idolum trium facierum adoratum. 149
Idola & Statuæ à S. Gregorio M. in Tyberim projectæ. 77
Idolorum magni cultores Chinenſes. 76
Iecinoris examen, natura, officium & alia huc pertinentia. 242
Ieruſalem antequam devaſtata eſſet plura monſtroſa indicia hanc deſolationem ejus præcurrerunt. 166
Ignatius martyr leonibus objectus. 152
Ignis nutritus ab Imperatoribus Romanis. 3.
Ignis obſervatus in cælo ab Ariſtotele. 5
Ignis à quo inventus. 33
Ignis à quibus adoratus. 148
Igni ſi accedimus cur volam manus primum ad eundem vertimus. 126
Ignes tempore Cæſaris Auguſti obſervati. 6
Ignorans quantum differat à docto. 98
Ignorantia poſita in conſpectum Sapientiæ quantum erubeſcat. 30
Ignorantia tollenda eſt ab homine. 66
Ignorantia quomodo expreſſa. 170
Ignorantia opprimit hominem. 184
Ignorantiæ cauſæ. 179
Ilei os quare ſic dictum. 241
Illuſtres viri propria virtute. 86
Imaginatio magnam vim habet in parturientibus: Ex hac ſæpe monſtra producuntur. 188
Imago Hieroglyphicorum. 32
Imago juſti Judicis. 31
Imago fœminæ cum Cornucopiæ, quæ caſſidem premit, honorem indicat. 213
Imagines Cœlii Rodigini, de partibus hominis. 233
Imagines nudæ, earumque effectus. 54
Imagines, & ſimulacra diverſa. 170
Imitatio vocis animalium ab hominibus facta. 135
Immortales quandoque ſunt amicitiæ. 83
Impenſis propriis doceri, quomodo expoſitum. 81
Imperator Sacrificans, quomodo expreſſus. 53
Imperator, ejuſque militaris expeditio, & victoria. 53. 54. 55
Imperator tyrannum vinctum tenens, in numiſmate repræſentatus. 53
Imperatores in monetis excuſi. 56. 57
Imperia vel regna turbata, & diſciſſa, per partus & infantes monſtroſos ſignificantur. 183
Impietas aperta deſcribitur. 33
Impietas monſtroſa. 164
Impoſſibilia tentanda non ſunt. 45
Impreſa vel Symbolum heroicum, ejusque nobilitas. 10
Plura adducuntur de hac materia. 13. 14
Imprudentia deſcribitur. 34
Imprudentia eorum, qui nullam rerum memoriam habent. 81
Impudicitia in Sacerdotibus quantopere caſtigata. 146
Inamorati quam vocem habeant. 136
Incantatio Sagarum abominabilis. 95
Incolæ littorum Maris animoſiores ſunt habitatoribus planitiei. 149
Inconſtantia deſcripta. 89
Inconſtantia quantum fugienda. 88
Incontinentia quantorum malorum cauſa ſit. 186
Indagatores numiſmatum, & monetarum. 52
Indecentia actionum quantopere evitanda. 95
India ferax Gigantum. 101
Item ferax pygmæorum, qui ſuper montes & in locis amœnis ſunt. 107
Indianorum Superſtitiones. 147
Indifferentia in rebus, quandoque magnæ utilitatis eſt. 85
Indignatio unde derivet, & terribilis commotio ejus interna. 34
Indignatio mortem producit. 139
Indignatio divina quomodo metuenda. 209
Indignis gratias largiri non eſt hominis ſenſati. 63
Indolem ſuam quisque ſequitur. 100
Induſtria in omni re quàm neceſſaria ſit, hâc ſcientias & honores adipiſcimur. 49
Infans miraculoſè corrigit matrem. 136
Alius infans qui præmaturè loquitur. *ibid.*
Infans ſerpentem monſtrans in ore. 199
Infans ſex menſium, junctus alteri ſine capite. 195
Infans ſeptem capitum. 175
Infans monſtroſus, qui in ventre cuſpidem cultri monſtrabat. 178
Infans natus ſine brachiis, cujus pars inferior ab umbilico deorſum in piſcem deſinit. 181
Infans quatuor pedum. ibid.
Infans portans caput caninum. 182
Infans & canis monſtroſè colligati. 183
Infans quatuor pedum, & manuum. ibid.
Infans habens aures leporinas. ibid.
Infans totus piloſus. 194
Infans unius capitis, duorum corporum. 195
habens lingvas duas. ibid.
Habens duo capita, quatuor brachia. ibid.
Infans undecim ora, & labia viginti duo habens. 187
Infans qui nunquam in vita ſua loquelam hominis audierit, quam lingvam locuturus ſit. 127
Infantes cani nati. 112
Infantes memoria plus vigent, quàm ſenes, & quam ob cauſam. 123
Infantes duo natibus implicatis, & cruribus monſtroſis. 198
Infantes item monſtroſè cohærentes, quorum cùm unus lac ſugeret, alter plorabat. ibid.
Infantes utriusque ſexus tercentum ſexaginta quatuor, uno partu editi, & quare. 118
Infantes centum Jovi ſacrificati. 151
Infantes in medio æreæ ſtatuæ collocati & in ſacrificium illic igne conſumpti. ibid.
Infantes cur quandoque plus affectionis uni homini portent, quàm alteri. 124
Infantes quomodo educati. 148
Infantes quantopere educatione bona indigeant. 63
Infantes quomodo olim & quibus ceremoniis ante aram collocati fuerint. 123
Non ſunt deducendi ad loca, ubi nimium lugubria, nec ubi nimium jocoſa audiant. 124
Infantes devorati. 158
Infantula octennis jam omnium rerum notitiâ dotata. 194
Infantia quare Jocis addicta. 123
Infantia hominis quomodo per numiſmata ſignificata. 53
Infelicitas tyrannorum. 48
Infelicitatem monſtra præſagierunt. 199
Inferior potentiâ, quandoque ſuperiorem vincit. 86
Infidelitas vitium horribile. 88
Infidelitas vitium peſſimum; cujus typus eſt mulier. 94
Infidelitas mulierum quàm monſtroſa. 96
Infirmi impiè occiſi. 158
Infirmitates provenientes de hepate malè affecto. 242
Inflammationes quomodo curentur. 163
Inflexibilitas æqui Judicis. 17
Influxus ſtellarum varii ſuper varias nationes. 145
Influxus ſingulares ſtellarum monſtra producunt. 191, 192
Influxus ſolis in corpora cæleſtia, & ſublunaria. 206
Infortunium in negotiis. 37
Ingenia bona cur ſæpè à vero tramite aberrent. 124
Ingenium ſemper exercendum. 49
Ingenium debile. 217
Ingenium obtuſum vix docile evadit. 94
Ingenium intelligitur in face, quam Prometheus furatus dicitur. 209
Ingenii fortitudo. 24
Ingratitudo vitium damnabile. 209
Ingratitudo, & infamia, quantopere fugienda. 34
Injuria patienter tolerata. 122
Injuria Philoſopho cuidam illata, & patienter tolerata. 78
Injuria ſemel ſopita, non rurſum movenda eſt. 88
Innocentia agnita. 175
Inquietudo mundanorum. 20
Inſatiabilitas ſciendi. 48
Inſpiratio divina quomodo repræſentata. 170
Inſpiratio divina quomodo fiat in homine. 10
Inſula ex improviſo nata in medio mari. 6
Integritas Judicis. 36
Intellectus, & imaginatio quomodo formentur in homine. 7
Intellectus agens, quantæ velocitatis ſit. 209
Intellectus, & promptitudo illius in loquendo. 234
Intellectus hominis quàm magnus. 200
Intellectus operationes. 37
Intemperantia quàm pernicioſa. 139
Intemperantia ſenſuum abbreviat vitam. 126
Interna hominis per loquelam panduntur. 89
Interna hominis ſeptenario conſtant. 244
Inteſtina humana devorata. 158
Intractabilitas morum quàm deteſtabilis. 27
Intractabilitas quàm deteſtabilis. 89
Intrepiditas deſcripta. 32
Intrepiditas quàm neceſſaria in operando. 18
Intrepiditas animi in perſonis conſtantibus. 115
Intrepiditas fœminea. 23
Inventio artis, & ingenii. 208
Invidia cor proprium edens deſcribitur. 51, 52
Inutilitas negotii cujusdam deſcripta. 96
Joſeph continens, dupliciter vir. 42
Joſephus ab Arimathea expreſſus in voce homo. 39
Ira effrænis quantum fugienda. 26
Ira quantopere fugienda. 34
Ira res venenatiſſima. 112
Ira fœminæ major quàm ira viri. 127
Ira Dei productione monſtrorum indicatur. 181
Iracundia cauſa mortis. 140
Iraſcibile, & mala ejusdem. 210
Irreſolutio evitanda eſt. 90
Iſchium, & Iſchiadici. 241
Iſocrates Orator timidus. 137
Italia Provincia amœniſſima. 37
Italia reſtituta in numiſmate exprimitur. 54
Judæa capta quomodo in numiſmatibus expreſſa. 56
Judas nomine hominis appellatus, & quare. 41
Judex ſordidus, & venalis monoculus dicitur. 29
Judex incorruptus. 36
Judex juſtus expreſſus. 31
Judex ſincerus quomodo indicatus. 48
Judex vino depravatus, ſicut & paſſionibus, idem de avaritia dicendum. 30
Judex quam fortis, quam conſtans, rectus, & intrepidus eſſe debeat. 218
Judices incorruptos eſſe oportet. 21
Judicia largitione corrupta, quomodo ſignificata. 43
Julius menſis quomodo expreſſus. 67
Junius menſis quomodo repræſentatus. ibid.
Junius Brutus ſtatuam ſingularem à Romanis obtinuit. 77
Junius Brutus ſacrificia capitum humanorum abolet. 151
Junii Valentii fortitudo. 104
Juno quo habitu, & diſpoſitione ab antiquis monſtrata: Ejus ſignificationes. 65
Jupiter quomodo in numiſmatibus excuſus:

ejus ſacrificia: quomodo Victor, Cuſtos, ultor, ſervator, propugnator, ſtator expreſſus. 54
Jupiter Olympicus deſcriptus. 11
Jovis figuræ in ſimulacris. Quod omnes omnipotenti Deo conveniant. 59
Juramenta facta per ventum, & gladium. 80
Juramentum falſum quomodo caſtigatum 174
Juſta à Deo petenda ſunt. 50
Juſta exigenda ſunt ab Amicis. 83
Juſtitia deſcripta, quid ſit, ejus definitio, doctrinæ; Judex quantopere incorruptum eum eſſe oporteat: Judex ligatis oculis, & corruptus. 17
Juſtitia repræſentatur in ſtatua, habens oculum in occipitio. 74
Juſtitia juncta paci, vinculum optionum. 28
Juſtitia Dei dum lenta, ſervera eſt. 48
Juſtitiæ attributa, qualitates, operationes, & uſus. 218
Juſtitia corrupta. 27
Juſtorum mors pretioſa. 21
Juvenis bibens cava manu aquam fluviatilem, docet ſuperflua negligenda. 48
Juvenes ſibi panem porrigentes quid indicent. 30
Juventus ſedula educatione indiget. 17
Juventus incapax regiminis. 16
Juventutis deſcriptio. 45
Juvenum gubernatio quàm lubrica, incerta, & evitanda. ibid.
Juvenum vigor quàm neceſſarius. 51
Ixion deſcriptus. 20
Ixion, & ejus corpus. 214

L.

L*Abiorum* conſideratio, ſitus, figura, diſpoſitio, & officium. 226
Labiorum item officium. 238
Labrum inferius in pectus uſque propendens. 100
Labor glorioſum reddit. 18
Labor quantum adjuvet hominem. 60
Labor in omni re neceſſarius. Quàm utilis ſit. 93
Labor aſſiduus vincit omnia. 29.30
Labor vanus reprobatur. 29
Labor Alchymiſtarum ignorantium quam vanus. 48
Labor gigantæus: Gigantum robur inſolitum. 101
Labor in aſcendendo unde proveniat. 126
Laboris Idea Hercules. 33
Laboribus plus expoſiti Magnates, & Principes in populo, quàm plebei homines. 18
Laborare & ſudare neceſſe eſt ei, qui ſtudiis deditus eſt. 49
Labyrinthus Dædali, quo fine erectus. 179
Lac mulierum utile ad multa. 162
Lac naturaliter exiens è venis cum ſanguine. 114
Lac de papillis viri exiens. ibid.
Lacertæ manducatæ. 137
Laconiſmus perfectus in Apophthegmatibus eſt. 121
Lacrymæ fictæ fæminarum. 96
Lactantius Firmianus gravis author, quantopere laudatus etiam à viris ſanctis. Opera ejus in compendio. Item zelus ejus. 221.231
Lanceam quidam ſibi ipſi in os immittit, ut ſic occiſus feris non objiciatur. 153
Lares qualia Numina, eorum officium quomodo ſignificati. 65
Larunda Dea ſacrificium humanorum capitum habuit. 151
Laſſitudo magis contrahitur deambulando hinc & inde, quàm iter agendo. 128
S.Laurentii Idea eſt Hercules inter flammas. 18
Laus gigantum. 101
Laus ſcriptionis. 239
Lemma in ſymbolis ſemper neceſſarium. 30
Leonem ovis parit. 166
Lesbia figura quid ſit. 48
Levitas, & ſcurrilitas puerilis quantum fugienda. 45
Levitas animi. 179
Levitas animi intellecta in fæmina. 94
Liber terminatus memoriâ mortis. 246
Liber datur in manus Regum Perſiæ antequam ſceptrum. 9
Liber datus ad maſticandum Ezechieli, quid ſignificet. 38
Liber in laudem vini. 141
Libri antiqui quomodo facti. 145
Liberalitas in rebus acquiſitis. 85
Liberalitas impreſſa monetis. 58
Libertas quam accepta ſit. 48
Liberum arbitrium quomodo expreſſum. 50
Libidinoſus avarus, quantopere fugiendus ſit. 24
Libido quomodo intellecta. 29
Libido in Sirene intellecta, 22
Libido in homine acrior, quàm in animalibus. 233
Lien quare ordinatus in homine. 229
Lien quare fiſco comparatus. 244
Lienoſus contactu pedis ſanatus. 114
Lingua ſymbolum perſuaſionis. 170
Lingua tardioris loquelæ. 136
Econtrario loquelæ velocis. *ibid.*
Lingua multiplex in ore mendaci. 170
Linguæ deſcriptio, figura, compoſitio, exercitium, & aliæ conſiderationes. 227
Linguæ laus, derivatio, origo. Caſus de quodam pſittaco. 238
Linguæ monſtroſæ. 170
Linguarum origo. Quare tam variæ. 131
Lites & contentiones fugiendæ. 34
Lites non facilè incipiendæ. 87
Lithuani ſerpentes adorabant. 149
Litteræ & arma verum præſidium Civitatis. 24.25.
Litteræ ſcriptæ in pectore monſtri. 182
Loca calida vitam prolongant. 130
Loca frigida ardentes febres producunt. 130
Loquacitas. 119.120
Loquacitas quam vana, & pernicioſa. 35.88
Loquacitas ſemper pernicioſa, præſertim in fæminis. 94
Loquela interiora hominis prodit. 82.89
Loquelam quidam ſubitò amittentes. 113
Loqui pauca oportet in præſentia Principum. 79
Lucius piſcis devorans minores piſces, crudelitatem homicidarum denotat. 46
Lucretia Romana ſemetipſam occidens. 31
Luminaria mundi quomodo intellecta. 205

Luna quot nominibus appellata, quomodo in ſimulacris expreſſa. 56.60.173
Luna quomodo ſtellas attrahit. 211
Lunæ conjunctio cum ſole. 206
Lupi. Quidam homines in lupos converſi. 30
Lupi in eſcam adhibiti. 137
Lupi adorati. 149
Lupo viſo vox amittitur, vel rauca fit. 64
Luſores ſemetipſos in pretium exponentes, & poſt luſum vincti. 150
Luſus horologii antiqui. 79
Luſus pilæ. 29
Lux ſignificata in Niſo ave. 206
Lybia monſtrorum mater. 166
Lyra data in manus Amoris, & quare. 61
Lyſimachus occidens leonem. 104

M.

M*Achina* mundi in Argo intellecta. 211
Macula candida ſignum innocentiæ. 114
Maculæ candidiſſimæ in Cute *ibid.*
Maculæ oculorum quomodo ſanatæ. 136
Maculæ & ſigna in corpore infantis ex imaginatione matris proveniunt. 188.189
Magæ quam deteſtabiles. 95
Magia quid ſit. 8.9
Magica arte ad vitam quidam reſuſcitatus & apparens Pompeio. 118
Magiſtratus rectus quomodo expreſſus. 17
Magiſtratus quantò magis inſignes, tantò majori auxilio indigent. 18
Magiſtri nomine appellatur homo. 5
Magiſtro quiſque indiget. 63
Maglorius Sanctus gigantem reſuſcitat. 101
Magnanimitas quomodo exhibita. 66
Magnanimitas ſpe præmii acuitur. 19
Magnanimitas præmiata. 26
Magnates qualibus ſtatuis honorati. 210
Magnatum caſus. 19
Magus appellatur homo. 8
Majus menſis deſcriptus. 67
Malum ſuum accerſere. 91
Malum tarde cognitum, pernicioſum eſt. *ibid.*
Mala cur eveniant homini. 223
Mala quanta cum magnanimitate tolerata. 149
Mala quare monſtroſa appellata. 164
Mala plurima malè affecto hepate proveniunt. 242
Mammillæ cur factæ, & earum nomina. 240
Mammillarum deſcriptio. 227
Manlius Torquatus occidit filium ſuum, eo quod paternam legem transgreſſus eſſet. 120
Manus hominis quare tanquam in ramos diviſæ. 224
Manus, & brachia cur in homine, non in beſtiis ſint, quæ tamen majori fatigationi & laboribus ſubjectæ ſunt. 123
Manus, pedeſque quare aſſignati homini. 227
Manus, & palmæ oculatæ 171
Manus ſalutantium conjunctæ. 146
Manus è cujus digito annulus extractus eſt, libertatem indicat 48
Manuum, & brachiorum hieroglyphica. 174
Manuum magiſterium, officium: Deſcriptio P.Danielis Bartoli. 239.240
Maria Virgo Protectrix. 65
Maria Virgo vera Minerva: adjutorium ejus ſpecialiſſimum, & immortale. 21
Marmor Phydiæ quid continuerit. 212
Marmor transparens Ravennæ. 169
Mars quomodo expreſſus. 56
Mars quem fama præcedit, in ſimulacro expreſſus. 61
Mars propugnator, & ultor in numiſmatibus. 53
Item Victor. *ibid.*
Mars & Neptunus. 54
Marti victimæ humanæ cæſæ. 151
Martius menſis quomodo repræſentatus. 67
Maſculi quomodo concipiantur in utero. 228
Materia prima rerum omnium quid ſit. 10
Mater elevans anteriora veſtimenta ſua ante filium, quid ſibi velit. 35
Matrimonium, quomodo repræſentatum; plura de eo. 68
Matrimonii pudor, quantum obſervari debeat. 49
Matrimonia inter pares ineunda ſunt. 94
Maturatio intempeſtiva corrumpit negotia. 51
Mauritius Imperator fortis, & ex genere gigantum. 101
Mauſoleum Artemiſiæ. 11
Maximinus Imperator terribilis, & immenſæ ſtaturæ. 103
Medea Numen aſſiſtens germinibus. 213
Mediaſtinum quid ſit. 242
Mediator pacis quomodo expreſſus in ſtatuis. 74
Medicamentum contra vinum. 140
Medici honorati, & deteſtati. 147
Medicos maturos ætate decet eſſe. 63
Meditatio quantùm valeat. 17
Meditatio quomodo intellecta. 32.48
Meditatio quomodo facienda. 217
Mediocritas laudatur. 19
Mediocritas ubique obſervanda. 45
Mediocritas hominis, intellecta in Dædalo. 15
Mediocritas figurata in caſu Phaëthontis. 16
Medium conjungens animam cum corpore. 215
Melancholia quandoque cibum impedit 125
Melitis homo tardiſſimæ & infeliciſſimæ memoriæ. 81
Membra humana particulatim conſiderata 225
Memoria Infantium, melior memoriâ ſenum. 123
Memoria fœcunda hominum. 114.115
Memoria locum habet in auribus. 238
Memoria beneficii recepti. 209
Memoriæ promptitudo in ratiocinando. 234
Mendacium quomodo deſcriptum. 170
Mens hominis quam elevata. 3
Mens hominis artifex omnium rerum. 13
Mens ſemper operans & vigilando, & dormiendo. 231
Mens intellecta per oculos, & pupillas. 225
Mentis circulus. 214
Menſes in Luna ſymbolizati. 60
Menſium ſignificationes deſcriptæ. 67
Menſium hieroglyphica. 174
Menſura hominis. 236
Menſuranda ſunt omnia diligenter. 28
Mercator expreſſus in imagine Mercurii. 36
Mercatoris officium. 210
Mercatura à Mercurio inventa, & inſtituta. *ibid.*
Mercurius quomodo expreſſus. 53

Mercurius quomodo in ſimulacris expreſſus dicitur anima informans univerſitatem; eſt Spiritus Aſtralis hominis. 60
Mercurius præſidens furibus. 210
Mercurius gratiarum Caduceator. 217
Mercurius & Hercules in monetis. 55
Mercurii imago in medio circuli, indicat difficultatem in acquirendis ſcientiis. 148
Mercurii imagines, allegoriæ, Hieroglyphica. 209, 210
Mercurio ſtatuæ erectæ. 74
Meretrices quantorum malorum cauſa. 67
Meretrices, quomodo expreſſæ. 174
Meretrices condemnatæ. 229
Metalla quomodo nominata, & ſignata à Chymicis. 210
Metaphyſici, quomodo appellent æquivoca. 96
Micerinus Rex ſeverè caſtigans famulas quæ ad adulterium cooperatæ fuerant. 83
Microcoſmus nominatur homo. 97
Microcoſmus comparatus cum Macrocoſmo. 201
Miles. 44
Miles odorem rutæ non ferens. 113
Milites cur longiùs reliquis vivant. 126
Militaria vel caſtrenſia pericula glorioſè ad mortem usque exantlata. 106
Minerva cum Meduſa quid ſignificet. 20
Minervæ virgines ſacrificatæ. 151
Minotaurus quid ſit, & quid repræſentet. 179
Minutiæ quantopere aliquando obſervandæ ſint. 81
Mirabilia, quid ſint. 4
In quot partes & capita dividantur. 4
Mirabilia quanta in homine. 4
Mirabilia in homine à pag. 112 usque ad pag. 119
Mirabilia mundi deſcripta. 11
Miraculum eſt quod in hominis tam exiguo corpore tam grandis mens contineatur. 231
Miraculum Inſulæ natæ in mari. 6
Miſeria & calamitas hominis, quomodo ſignificata. 36, 46, 215
Mithridates Rex complures lingvas callebat. 115
Moderatio, & prudentia quàm neceſſaria. 28
Moderatio in Principe quàm neceſſaria. ibid.
Moderatio in rebus quomodo expreſſa. 37
Modus & menſura in omni re obſervanda. 26
Mola in utero parturientium quid ſit. 188
Mollities animi effæminata, exploditur. 35
Mollities, & effæminatus animus, quomodo expreſſus. 74, 90
Momus detractor deorum. 64
Monachus bonus, homo ſecundum cor Dei. 42
Monetæ ad quem finem inventæ. 52
Studium earum, & utilitas. Ad quid ſimulacra & ſtatuæ inſerviant. Authores qui de his tradiderunt. 52, 53
Monetæ ex vario metallo, in quibus Imperatores repræſentantur. 57
Monoculi monſtroſi. 166
Monſtrum idcirco dictum, quod futura monſtret. 167
Monſtra multitudine aurium, & brachiorum, & manuum inſignia. Mercurius quomodo demonſtratus. 170, 171
Monſtrorum definitio. 194
Monſtrum per antonomaſiam quomodo appellatum. 172
Monſtri etymologia. 167
Monſtra naturalia, & artificioſa. ibid.
Aliæ item monſtrorum differentiæ copioſæ. Ex abundantia materiæ proveniunt. 168
Monſtra miraculoſa. 175
Monſtra quare in utero vivant, moriantur foris. 176
Monſtra portenderunt quæ futura erant. 177, 178
Monſtra ob peccata hominum provenire. 178
Monſtra in bonum omen verſa. 165
Monſtra portendunt bellum, calamitates, & iram Dei. 181
Monſtrum in effigie dæmonis cornutum & alatum. ibid.
Monſtra diverſa, & in eis caſus admirabiles, qui evenerunt. 181, 182
Monſtrum quadrupes, aquatile, humanum. 182
Sententia Sorbini de monſtris. ibid.
Alia item monſtra horrenda. 182, 183, 184
Monſtra quid præſagiant, & portendant, admonitiones Dei ſunt. 184
Monſtra unde, & quare naſcantur. Natura in formatione ſua monſtrum non intendit. Quæ res in generatione ejus concurrant. Commixtio materiæ præcipua cauſa. 185
Materia devians à recto itinere, monſtrum producit. Copioſiora ſunt in paucis animalculis, quam in majoribus. Materia fæculenta potiſſima eorum cauſa eſt. 186
De eorum generatione à pag. 186 usque ad pag. 193
Monſtra quibus femora & alia deſunt. 193
Monſtri unius capita duo invicem rixantia. 195
Monſtra generata ex influxu particulari ſtellarum. 191
Monſtra quandoque neſcio quid in ſe divini portant. ibid.
Eveniunt ex ſpeciali providentia divina. Ad hoc ſæpe producta, ut peccata hominum caſtigentur. 192
Eorum mirabiles figuræ. 193
Monſtra duorum corporum, & aliæ inordinatæ proportiones. à pag. 193 usque ad pag. 199
Monſtra humana, & ferina 198, 199, 200
Præſagiunt infelicitatem. 199
Monſtrum habens caput infra umbilicum. 196
Monſtroſæ lingvæ. 170
Monſtroſitas in fructibus. 199
Montes qui ſe invicem magna colliſione facta ſepararunt. 93
Montium habitatores ſeveri, quia ſtellæ ſingulares illuc influunt. 145
Morbis extremis extrema remedia adhibenda. 24
Mores doctorum, quantùm ab ignorantibus differant. 99
Mores hominum perverſi, in pluribus locis memorati. 39, 43
Mores inculti fugiendi ſunt. 89, 92
Moribus quomodo Nationes conveniant. Hi mores quandoque norma regiminis ſint, eorum encomium, & varia Epitheta. 145
Morientes ex nimio dolore, vel lætitia. 118
Morſus ſerpentum ab hominibus ſanati. 114
Mors quomodo intellecta, & repræſentata. 21
Mors juſtorum pretioſa. ibid.
Ejus memoria contemptum omnium terreſtrium parit. 22
Mors juſti. Meditatio quomodo facienda.

Manus conjunctæ, & demiſſæ quid portendant. 211
Mors philoſophi, qui dum aſinum vidit ficus manducantem nimio riſu interiit. 114
Mors ſecuta ex nimia lætitia, aut dolore. 118
Mors miſerabilis Imperatorum. 140
Mors quàm ſæpe ſalutaris. 18
Mortis contemptus quomodo intellectus. 32
Mortis memoria quàm proficua. 46
Mortis memoriâ liber terminatur. 246
Morti aſſimilatur amor divinus. 21
Mortui in quanta reverentia habendi ſint. 146
Mortui redeuntes ad vitam. 118
Mortuorum imago in conviviis poſita. 146
Motus ſpirabilis. 206
Movetur digito immenſum ſaxum in Aſia. 9
Moyſes expreſſus in voce homo. 40
Moyſes quare tardioris lingvæ. 136
Muliebris intrepiditas. 23
Mulier quare ſub voce *hominis* intellecta. 97
Mulier viginti & duabus vicibus maritata. 117
Mulier in partu emittens ſtrepitum, ſicut ſolet ſclopeti eſſe, ſubſecutis flammis, quibus panni ambuſti ſunt. 119
Mulier vana fugienda. 25
Mulier gigas, ejusque robur. 103
Mulier parva minus malum, ajebat Democritus. 122
Mulier videns infantem ſuum devorari à Crocodilo, crocodilum adorat. 149
Mulier continens quomodo expreſſa. 36
Mulier viva, ſeque gubernans, ſine omni oſſe. 117
Mulier ab equo devorata. 120
Mulierem ducere ſolo utilitatis intuitu, quam fœdum ſit. 92
Mulieris nomina diverſa. 99
Mulieres Selenitides ova pariunt, è quibus Gigantes naſcuntur. 101
Mulieres gigantææ ſtaturæ. 102
Mulieres literarum ſtudiis addictæ. 106
Mulieres barbatæ. 112
Mulieres, quæ cùm iracundiâ flagrarent, oculis ſuis faſcinabant. ibid.
Mulieres plus iracundæ, quàm mares. 127
Mulieres quare ingenio inferiores viris. 124
Quare plus doloris in partu habeant, quàm reliqua animantia. ibid.
Mulieres non intrabant Senatum. 147
Mulieres deteſtatæ à Solone. 123
Mulierum ſimulacra exprimentia Deitates. 65
Mulierum vitia condemnata à Diogene. 122
Mulus quare ſterilis, & an inter monſtra numerandus ſit. 187
Mulus monſtroſus. 219
Mumia quid ſit, & quæ virtus ejus. 161
Mundana apparentia fallit. 22
Mundana concordia. 171
Mundana bona quantum obſint meditationi. 244
Mundanæ deliciæ quantùm fugiendæ. 245
Mundana voluptas procul eſt à cœlo. 236
Mundus & conſtitutio ejus quomodo repræſentata. 67
Mundus creatus ad beneficium hominis. 5
Mundus univerſus pedibus hominis ſubjectus. 10
Mundus nominatus *homo.* 97
Mundus animatus quare. 211
Mundus ſignificatus in Satyro. 205
Mundus ſubjectus homini, imò ipſe homo mundus eſt. 12
Mundus quomodo poſt diluvium inhabitatus. 131
Mundus quantum inveteraſcat. 130
Mundus felicitatem perfectam non habet. 80
Mundi contemptus in S. Canuto. 122
Mundi inquietudo. 20
Mundi vanitas, ejusque excellentia non niſi in puncto conſiſtens. 45
Mundi vanitates audiendæ non ſunt. 29
Mundi ſimulacrum. 174
Muri Babylonii deſcripti. 11
Murmuratio fugienda. 21
Muſæ & Apollo, quomodo in numiſmatibus ſignificati. 53
Muſici, & Medici ſtatuas habuerunt. 73
Mutatio rerum quomodo explicata. 214
Muti à nativitate. 227
Mutilus manibus & pedibus, acubus nihilominus filum immittere, & pedibus nere didicerat. 241

N.

NAbuchodonoſor Rex deformatus per peccatum. 185
Nabuchodonoſor in belluam converſus. 169
Nani quare in mundo ſint. 177
Narciſſus in fonte ſemetipſum intuens quid ſignificet. 36
Nares quare pro libitu noſtro claudi nequeant. 238
Naſamoni populus multos habens hermaphroditos. 109
Naſus conſiderabilis pars in ſtructura hominis. 226
Naſus quorundam hominum ingens. 100
Nationes variæ variis cibis veſcuntur. 137
Nationes diverſæ diverſis conſtellationum influxibus ſubjectæ. 145
Nati ſine naribus. 238
Nativitas hominis quàm infelix. 221
Natura univerſalis, & humana intellecta in Prometheo, & Epimetheo. 208
Natura humana. 217
Natura ſemper partus perfectos intendit. 176
Natura quare maga dicta. 9
Natura ipſa tam deformis in principiis ſuis. 185
Natura duplicata quomodo intelligatur. 215
Natura quantùm ab arte elevetur. 47
Naturam quantum ars æmuletur. 3
Naturæ variæ quomodo invicem conveniant. 187
Naturales cauſæ quæ, & quantæ ſint, earum neceſſitas, & utilitas. 186
Navigatio multis morbis medetur. 125
Navis dentibus militis retenta. 140
Navis per crocodilum tracta, quid ſignificet. 206
Neceſſitas amicitiæ. 84
Nechevah quare mulier dicta. 99
Negocium proſperum quomodo intelligatur. 94
Negocia benè cœpta quomodo intelligantur. Quod cum moderatione facienda ſint. Quod in iis ſemper honeſtas ſpectanda ſit, cum utilitate. 37

Negocia tractari feliciter nequeunt ſine divino auxilio. 180
Negocia nimia celeritate peſſumdantur. 51
Negocia maturè concludenda. 25
Negocia ſemper diſtinctè cognoſci debere. 81
Negocia damnoſa evitanda. 92
Negocia facta evaginato gladio. 148
Negocia aliorum ſibi adſciſcere non oportet. 92
Negociis propriis invigilare quàm utile ſit. 85
Negociis cum aſſiduitate incumbere oportet. 93
Nemo ſua ſorte contentus. 30
Nemrod Gigas ſceleratus. 102
Nephriticus morbus, ejusque conditio. 243
Neptunus & Mars ſimul juncti in monetis. 54, 55
Neptunus tridente armatus, tria maria denotat, ſupra quæ imperium habet: item tres aquas maris, marinas, fontium, & Lacuſtres. Quot figuris expreſſus. Quatuor equis vectus. Secum habet Tritonem, Glaucum, & Thetin. 62
Nero monſtroſus. 164
Nervi unde naſcantur, & quis eorum ſitus. 236
Nervi quare cauſa membrorum organicorum. ibid.
Nervi. Quomodo anima in iis robur ſuum exerceat. 233
Neuri populi in lupos converſi. 30
Nigritæ populi elevatæ ſtaturæ; quibus labium inferius ad pectus usque pendet. Ne computreſcat, Sale emendatur. 100
Nilus flumen, quomodo in effectibus ſuis ſignificatus. 68
Nilus obſervatus ab Ægyptiis. Quantopere hoc flumen terras ſibi ſubſtratas fœcundet. 146
Niobe fulminata. 90
Niſus avis denotans Lunam. 206
Niſus adoratus. 149
Nobilitas natalium. 84
Nobilitas unde derivet. 205
Nobilitas inferior virtute eſt. 27
Nobilitas hominis dum terram pede calcat. 13
Nobilitas Arcadum. 149
Nobilitatis Hieroglyphica. 205
Nodus Gordius. 24
Noë idem videtur qui Janus vini Inventor. 63
Nomen monſtri pluribus rebus imponitur. 172
Nomen proprium à quopiam cum difficultate ſcriptum. 135
Nomen hominis deſcriptum. 232
Nomina hominis apud varias nationes. 99
Nomina variorum gigantum. 102
Nomina impoſita nationibus, & provinciis à primis habitatoribus. 131
Nomina partium ad dentes ſpectantium. 239
Nomina inſtrumentorum, & officiorum ad uſum belli ſpectantium. 154, 155
Norma Juvenum ſint ſenes. 121
November menſis quomodo notatus. 67
Noverca privignum ſuum diligens, & fovens, monſtrum dicitur. 164
Nox & dies quomodo ſignificata. 212
Nuditas corporis non defectuoſa. 236
Numero ſeptenario conſtant interna hominis. 244
Numina placata victimis humanis. 151
Numiſmatum Authores. 52

O.

O*Bjectum* cognoſcitur per cauſas. 185
Objecta quomodo multiplicata in aquis. 7
Objecta ad profeſſionem ſpectantia quàm accepta ſint. 200
Objecta divina & humana conſiderata. 214
Obligatio deſcripta. 171
Oblivio damnatur. 81
Obſervationes vanæ evitandæ. 185
Obſtinatio quomodo fugienda. 21
Obſtinatio condemnatur. 47
Occidentes ſemetipſos. 120
Occiſiones conceſſæ. 150, 151
Oceanus fons monſtrorum. 177
October menſis quomodo expreſſus. 67
Oculus quomodo fallatur in aquis. 7
Oculus hominis factus ut omnia contempletur, ad quod etiam mundus creatus eſt. 12
Oculus humanus cur quandoque melius objecta longinquiora diſcernat, quam quæ propiora ſunt. 125
Oculus & manus. 171
Oculi hominum quare tam ſibi vicini. 128
Oculi ſingulariter conſiderati. 225
Quare ſic nominati, & quare ſic fortificati. 226
Oculi quare pro libitu claudantur, non item nares. 238
Oculi in capite ut cerebro ſerviant. 237
Oculi præſervantur lacte. 162
Oculi muliebres quantorum malorum cauſa. 95
Oculi incentivi concupiſcentiæ, quos Democritus ſibi eruit. 119
Oculi ſtatuis adempti, & quare. 74
Oculi Argi indicant firmamentum ſtellatum, & mundum. 211
Oculi qui nocte ſine lumine literas legebant. 112
Oculi quomodo in ſomnio ſignificati. 212
Oculos quidam in bello ſcintillantes habuerunt, ita ut inimicos faſcinarint. 112
Oculos quidam in dimicando claudunt. 149
Odor quare oblectet. 126
Odor quid ſit, fumus, an aër, an vapor aut aliud quid. 129
Odor aromaticus quare melius de longinquo, quam è vicinia ſentiatur. ibid.
Oeconomica gubernatio deſcripta. 36
Offenſa ſemel remiſſa, non rurſum redintegranda eſt. 88
Og de Baſan Gigas. 101
Oleum ex ſangvine humano, ejusque virtus. 160
Omnipotentia Dei deſcribitur. 66
Opera plus valent in homine, quam ſplendida veſtimenta. 27
Opera clara potius, quàm ſtatuæ hominem illuſtrem & inclytum faciunt. 78
Opera manifeſta eſſe debent. 171
Opera impoſſibilia. 29
Opera poſteriora Dei. 204
Operari quanti momenti ſit. 89, 93
Operationes humanæ non ab homine factæ. 115
Operationes omnes à manibus derivant. 239
Operationes intellectus. 37
Opinio Chaldæorum de ſole. 146

Opinio illa, quæ mulierem monſtrum eſſe dicit reprobata. 177
Opinio propria quantorum malorum cauſa. 87
Opportunitas in rebus quantum valeat. 29
Ops eadem eſt quæ Cybele, & Berecyntia. 215
Oratio, ejusque vigor. 207, 209
Oratio ordinata, & voce conſummata. 135
Oratio brevis, & ſententioſa quantum æſtimata. 147
Orationis acumen quomodo intellectum. 30
Orator factus inutilis ex timiditate. 137
Oratores incapaces ſunt ad ritè exprimendam hominis dignitatem. 5
De eorum ore flamma viſa exire. 6
Orbicularis figuræ cur ſit homo. 225
Ordo in loquendo, quàm neceſſarius. 81
Orion gigas cubitorum quadraginta ſex. 101
Orion prima conſtellatio Auſtrina. 17
Orion ſtella, quomodo item à Romanis appellata. ibid.
Ornamenta dedecent vetulas. 122
Orpheus ſonans cytharam: ingenioſa figura. 66
Oſcitatio auditum impedit. 129
Oſcitante uno, quare reliqui oſcitent. 128
Oſcula Endymionis cum Luna, quid portenderint. 211
Oſiris quis fuerit, & quomodo intellectus. 206
Oſiris adoratus. 170
Os clauſum in principio promotionum ad Cardinalatum, & quare. 180
Os Homini quare minus cæteris animantibus. 123
Os homini juxta qualitatem ciborum, & diſpoſitionem ſtomachi datum. 226, 227
Ora oratorum ſæpius ſcintillare viſa. 6
Os Ileum quare ſic dictum. 241
Os unicum quod quis pro dentibus habuit. 239
Oſſa humana ſine medulla. 114
Oſſa mortuorum in ſacrificiis combuſta. 151
Oſſa immenſa gigantum inventa. 101
Oſſa Brabonis gigantis, quæ à quibusdam Ceto adſcribuntur. 103
Oſtium regiones, ſtatus, poſituræ, quomodo in corpore humano ſituata ſint. 236
Otium & pigritia quomodo fugienda. 31
Otium quantopere evitandum. 49
Otium fugiendum. Otioſus nil novit. 87
Otium graviorem partum gignit. 124
Ottomanni viris potius quam muris utuntur ad defendendas urbes. 155
Ovis pariens leonem. 166
Oves ſine liene. 243
Ovum quare duas ſubſtantias contineat. 185
Ovum cujus putamini ſerpens impreſſus erat: alia item ova monſtroſa. 190
Ova monſtroſa hæreſes indicant. ibid.

P.

P*Acificator*, & mediator pacis, quomodo repræſentati in ſtatuis. 73
Pacificator & pax quomodo expreſſa. 211
Padus fluvius quomodo expreſſus. 68
Pagoda Numina Chinenſium, quàm elevata, & quomodo adorata. 147
Palæſtra ubi exercitata. 148
Palatiis antiquorum imponebatur ſimulacrum ſphyngis. 66
Palladis natalitia. 59
Pallas Gigas ubi inventus. 101
Pallium, Græcorum Veſtimentum. 89
Palmæ, & manus oculatæ. 171
Paluſtres loci faciliorem ſomnum provocant. 130
Pancreas quid ſit. 242
Pandora fabula, & allegoria. 215
Pan Numen gentilium. 171
Pan harmoniam mundi indicat. Quid ſit panicus terror. Ubi primum adoratus. Quomodo in imagine Lunæ expreſſus. Quare cornutus. 63
Pan elementa, eorumque qualitates indicat. ibid.
Panis exprimens magnitudinem Dei. 205
Paradiſus Civitas in quadro. 50
Paradiſi amore patiendum eſt. 155
Parcarum quare tria nomina, earum ſignificatio, & miniſterium. 65
Parricidia varia. 120
Partes internæ hominis conſideratæ. 227
Parturiens læſa monſtra generat. 188
Partus facilitati dente infantis. 157
Partus vitioſus, turpis, & monſtroſus quomodo accidat. 169
Partus juxta ſitum quem in utero materno habuerunt, perfecti, aut imperfecti prodeunt. 188
Partus naſcuntur juxta figuram, quæ matribus proponitur. 190
Partus humani monſtroſi, & deformes. 193
Partus ſine mento. 175
Partus retentus in utero viginti annis. 117
Paſiphaës fabula, & allegoria. 214
Paſſiones judicem corrumpunt. 30
Paſſiones refrænandæ ſunt. 93
Patres filios ſuos juxta proportionem & conſtitutionem ſuam generant. 188
Patris familias gubernatio quomodo intellecta. 36, 38
Patrocinium magnatum quantæ utilitatis ſit. 21
Pavonis carnes non computreſcunt. 9
Pavor deſcriptus. 87
Pavor armis illatus. 20
Pavor alatos pedes habens. 210
Pauperes cur fœcundiores in pariendis filiis ſint, quàm divites. 127
Paupertas ubique ſecura. 91
Paupertas eorum qui Mexicum inhabitant, offerentes Principi ſuo veſtimenta viliſſima. 147
Pax nunquam ſic radicata eſt, ut rumpi nequeat. 76
Pax & juſtitia, optimum vinculum. 28
Pax & bellum. ibid.
Quomodo in numiſmate expreſſa. 56
Pax & amicitia rerum, intellecta in Caduceo Mercurii. 211
Pax acquiritur auro. 31
Peccatum poſtquam commiſſum eſt pœnitudinem, & confuſionem inducit. 67
Peccatum carnale quantopere fugiendum. 35
Peccatum monſtrum eſt. 172
Peccatum deformat hominem. 185
Peccatum quomodo deturpet hominem. 244
Peccati pondus quàm grave. 20
Peccati caſtigatio quomodo expreſſa. 47
Peccata per monſtra caſtigata. 175
Peccata quantoperè caſtiganda ſint. 86
Pectus hominis quare planum. 123
Pectus & ei adhærentia cur aperta. 293

Pectoris figura, diſpoſitio, exercitium, ſtructura; de papillis, & mamillis. 227
Pectori gigantis impoſita incus. 105
Penates quænam numina fuerint. 8
Penates quomodo expreſſi. 65
Percuſſi in præcordiis moriuntur ridendo. 243
Peregrinatio hominum ſapientium, ut majorem ſcientiarum acquiſitionem ſibi procurarent. 9
Perſecutio Poëtæ cujusdam ad voluntariam mortem quendam adegit. 120
Perſecutores Chriſti quomodo expreſſi. 42
Perſeverantia in omni re neceſſaria. 91
Perſeus aſtrum cæleſte. 71
Perſeus valoroſus & verax, monetis excuſus. 54
Perſei magnanimitas. 66
Perſei fabula, & allegoria. 217
Perſvaſio quomodo deſcripta. 171
Perſvaſio ad ſequendum bona æterna. 246
Pertinacia hominem incorrigibilem reddit. 87
Perverſitas ſæculi. 144
Pes. Multæ eruditiones de hoc. 215
Pedis multæ conſiderationes. 241
Pes ſignificans affectum. 215
Pedes cur facti in homine. 225
Pedes cur in homine reliquas partes magnitudine excedant. 123
Pedes male formati. 193
Pedes vulnerati, cur in quibusdam locis difficilius ſanentur, quàm capitis vulnera. 130
Petra quæ à pluviis contacta accenditur. 9
Phaëthon de curru præceps indicat hominem impium in ea via, in qua deliquit, caſtigandum eſſe. 15, 16
Phanesia gens aures ad terram usque demittit. 100
Pharos turris deſcripta. 11
Philadelphia Civitas gigantum. 101
Philemon philoſophus nimio riſu mortuus. 114
Philippus Macedonum Rex à ſagitta quam verſus cælum jaculatus fuerat, vulneratur. 90
Philologia in ſphæram Solis ingrediens quid portendat. 206
Philoſophiæ arcana detecta per problemata. 124
Philoſophi quantùm divitias deteſtati ſint. 48
Philoſophis ſtatuæ collocatæ. 73
Phreneſis cauſa. 244
Phthiſis morbus unde derivet. 124
Pictura, & plaſtica de imaginatione proveniunt. 188
Pietas quomodo expreſſa. 69
Pietas repræſentata in monetis. 55
Pietas ubique accepta eſt. 85
Pietas erga defunctos. 146
Pietas Gentilium pietatem Chriſtianorum vincit. 150
Pietas Gentilium exemplum præbens Chriſtianis. 184
Pietas Veſpaſiani Imperatoris. 158
Pilatus quare *homo* appellatus. 41
Pilatus ubi adoratus. 147
Pilatus ſemetipſum occidit. 121
Pili quare ſpiſſiores in capite, quàm alibi. 128
Pingvedo humana lenitivum eſt pro doloribus Juncturarum & nervorum. 157
Piſcis magnus, devorans parvos crudelitatem hominum denotat. 46
Piſcis mulier. 166
Piſces humana facie monſtroſi. ibid.
Planctus à ſpiritu frigido provenit. 132
Planctu & riſu tota hominis vita componitur. 51
Planetarum nomina, data metallis à Chymicis. 210
Plantæ foliis nigris non inveniuntur. 127
Plantas conſcendunt homines, ut earum fructibus veſcantur. 138
Platanus aurea Xerxis in veneratione habita. 3
Plebejus homo omnis generis res devorat. 116
Plebei minùs fatigationi ſubjecti, quàm potentes. 18
Plinius Author non vanus, ſed memoriâ digniſſimus. 100
Pluto quomodo repræſentatus. 66
Pluto armatus Proſerpinam rapiens, quid ſignificet. 206
Pluvia & nives ab Aquario proveniunt. 72
Pluviæ intellectæ in cymbalis datis Cybeli. 216
Pocula facta ex calvaria humana. 147
Podagra ſanata. 119
Podagra ſanata per capillos infantium. 159
Podagrici quare difficulter curentur. 124
Podagrici ſanati per urinam. 163
Pœnitentia inſequens culpam. 35
Pœnitentia Sacerdotum Ægypti. 150
Poëtæ vilipenſi, & deriſi. 124
Pollex quare ſic dictus. 227
Pollex digitus retrorſum flexus, ſignum disgratiæ. 212
Pollux & Caſtor idem quod Gemini. 71
Polydamantis fortitudo. 104
Pomo comparatur homo. 46
Pomis ſylveſtribus plures hominum ſe nutriunt. 100
Populus lapideus ſtatuæ Romanæ dictæ. 75
Porcellus cum capite humano. 191
Porcia mortem ſibi deglutiendo carbones procurat. 121
Portenta hominum, qui ſat longo tempore vitam ſine cibo protraxerunt. 125
Portentoſè obmuteſcens. 136
Porus Rex Indorum, altitudine æquiparatus Giganti. 103
Potatores dicti Utres vini. 140, 141
Potentia divina in ſtatuis intellecta. 74
Potentia ſuperior quandoque ab Inferiore ſuperata. 86
Potentia hominum comparatæ ſanctiſſimæ Trinitati. 13
Præcipitantur quidam de monte in ſacrificium. 151
Prædicatores, & Prælati denominatione hominis appellati. 42
Prælatorum varia appetentia. 126
Præmia exhibita quantum acuant valorem. 19
Præmia danda ſunt virtuti. 26
Præſagium de futuro per monſtra. 177, 178
Præſagia monſtrorum. 185
Præſagia quomodo obſervanda. 181
Præſumptio condemnata. 19
Prætenſio vana quantum damnata. 79
Praxilla Poëtiſſa, quænam, & qualis fuerit. 81
Praxis rerum negata eſt animalibus. 123
Praxis militaris. 155
Pretium hominis. 201, 202
Pretium animæ. 202
Pretium bonæ mentis & conſcientiæ. 214
Princeps intuitu ſuo lætitiam parit. 16
Princeps quantùm exaltare & deprimere poſſit. 31
Princeps moderatus quanta æſtimatione dignus. 28
Princeps Ruthenorum quomodo electus. 147
Princeps omnium rerum eſt homo. 5

Principis vigilantia, & prudentia. 180
Principem quantùm prudentia deceat. 63
Principes varii monetis excuſi in diverſo genere metalli. 57
Principes plus quam reliqui homines per Cometas admonentur, ut bona operentur. 112
Principes Carinthiæ quomodo olim electi. 148
Principibus durum eſt reſiſtere. 51
Principatus quam difficile regimen habeat. 16
Problema univerſaliter loquendo utile eſt, & dogmaticum, & neceſſarium. 123
Proboſcis Elephantorum in cibum uſurpata. 137
Prodigia cælorum, ſigna iræ divinæ. 110
Proditio amicorum. 23
Proditio horrendum ſcelus. 80
Proditor quomodo intellectus. 33
Prometheus facem furatus à ſole prudentiam indicat. ibid.
Prometheus & Pandora. 81
Promethei fabula, allegoria, ſignificationes. 208
Promiſſio eadem pluribus facta quàm turpis. 96
Promptitudo potentiarum in ratiocinando. 234
Pronunciatio varia linguarum. 131
Prophetæ voce hac *homo* nuncupati. 39. 97
Proſerpina quid ſignificet. 213
Proſperitas quomodo expreſſa. 94
Proſperitas rerum quomodo intellecta. 37
Protagoras filiam ſuam nuptui dat inimico ſuo, & quare. 122
Protagoræ paupertas. 124
Proverbium ornamentum eſt compoſitionum. 79
Providentia repræſentata in ſtatua trium oculorum. 73
Providentia divina negatur ab obſtinatis & infidelibus. 223
Provinciæ primorum habitatorum nomina aſſumpſerunt. 132
Provinciæ repletæ gigantibus. 103
Prudens homo faſtigia honorum fugit. 93
Prudentia expreſſa in Jano. 17
Prudentia quomodo demonſtrata. 170
Prudentia quomodo intellecta, & deſcripta. 180
Prudentia quàm neceſſaria ſit. 24
Eſt virtus inſuperabilis. 25
Prudentia in Juvenibus non quærenda. 16
Prudentia, & fortitudo quid valeant. 66
Pſylli populi contra ventum pugnant, & cibantur ſerpentibus. 146
Pſylli populi ſerpentum morſu læſos curant. 161
Pudendum unum in binis corporibus. 198
Pudicitia quantum ab antiquis æſtimata. 73
Pudicitia virtus omni laude digna. 93
Pudicitia omni encomio digna, ſi ad finem uſque intemerata perſeveraverit. 95
Pudicitiæ encomium. 86
Pudor Conjugalis quomodo obſervandus. 49
Puella exiens de utero matris mammillis tam plenis, quàm in adultis ſunt. 187
Puellæ impoſitæ currui, cujus rotis ſubjiciuntur & conteruntur ii, qui ſe Idolo ſuo ſacrificant. 152
Puellæ flagellatæ in Arcadia ad mortem uſque. 151
Puellæ Inſulæ Floridæ quomodo ante Principem ſuum compareant. 149
Puer indormiſcens ſupra calvariam, docet memoriam mortis recolendam. 46
Puer ſex menſium ob timorem diſtinctè loquitur. 137
Pueri quam vocem habeant. 135
Pueri æſtimati propter vocem. 136
Pueri gerentes gremium repletum nucibus, quare ad templum Veneris conducti. 123
Puerili rixantes propter nuces, aliasque quisquilias, denotant pueriles ineptias fugiendas eſſe. 45
Pueritia quomodo expreſſa ibid.
Pueritia hominis, quomodo in numiſmatibus ſignificata. 53
Pugna facta oculis clauſis. 149
Pulchritudo deteſtata. 20
Pulchritudo monſtroſa, idem dicatur de turpitudine. 164
Pulli gallinarum nati cum capite Niſi. 190
Pulmo cur ſic compoſitus, ejus officium & figura. 227
Pulmo quid ſit, quod ſit ventilabrum cordis. 242
Pulmones plurium malorum cauſa. 124
Pulſus hominis, ejuſque varietas. 236
Pygmæorum virtus compendiata. Copioſi ſunt in Thracia: Inter monſtra collocantur. 107. 108
Pyramis everſa quid ſignificet. 174
Pyramides Ægypti. 11
Pyrrhus Rex Epirotarum laudatus. 105
Pyrrhus Epirotarum Rex lienoſos ſolo pedis ſui contactu liberabat. 114
Pyrrhus Æacidas miles magni valoris. 115

Q.

QUadrata figura Hieroglyphicum. 209
Quadrupedes, quare rariùs monſtra pariant. 177
Qualitas vocum. 135
Qualitates elementares hominis quomodo ſibi correſpondeant. 7
Qualitates monſtrorum variæ in corporibus unitis. 183
Quatuor ſunt Cauſæ naturales Monſtrorum. [illegible]
Quatuor ſpecies monſtrorum. 167
Querelæ hominis contra naturam ſuam. 222, 223
Quies deſcripta & ſignificata. 69
Quoniambec Rex, & cujus nationis. 144

R.

RAbba Civitas gigantum. 101
Radix arundinum, quorundam populorum eſca. 145
Rapacitas deſcribitur. 1[illegible]
Ratiocinatio quomodo fiat, quid ſit. [illegible]
Ratiocinatio intellecta per Numen Pan. 2[illegible]
Ratio hominis omnem cæterorum animalium qualitatem exuperat. [illegible]
Rationis uſus quomodo compoſitus, & intellectus. 229
Rationis & ſenſuum conflictus. [illegible]
Reatus in inferno caſtigatus. [illegible]
Recipere, & dare quomodo expreſſum. 91
Reciprocatio affectuum deſcripta. 14
Reciprocatio amoris expreſſa. 61
Recitans maximè indiget voce. 137
Rectitudo judicis æqui. 17. 21. 48
Rectitudo judicis invicta eſſe debet ad paſſionum impetum, & auri munera. 30. 36
Rectitudo hominis expreſſa. 39
Rectitudo & ſinceritas, neceſſaria in iis qui inter homines agunt. 85

Reflexio, & robur illius. 7
Regius morbus, aut Icterus quomodo generetur. 242
Regula juvenum ſint ſenes. 121
Rei quomodo caſtigati 146
Rei in forum, ducti capite tecto, 218
Religio inventa â Prometheo. 208
Religio gentilium Chriſtianis exemplo eſſe poteſt. 185
Renum compoſitio. 243
Renuntiatio, quam Carolus V, in favorem Philippi I. filii ſui fecit de regno Hiſpaniæ, 18
Requies quomodo expreſſa, & quod defunctis apprecanda ſit. 69
Requies nocturna quare commodius in latere ſiniſtro ſumatur. 127
Res quandoque melius de longè, quàm prope videntur, & qua de cauſa. 125
Res magni momenti celandæ ſunt, 22
Res occultæ, in lucem productæ, 213
Res ſuperfluæ rejiciendæ vel omittendæ, 48
Res mirabiles. 112, 119
Res præteritæ rememorandæ, futuræ prævidendæ ſunt, 63
Res eventuras noſſe quàm difficile ſit. 49
Res eventuræ per monſtra prænunciatæ, 167
Res non caſu, ſed à Deo factæ, 225
Reſpublica reſtituta. 56
Reſolutio capienda in negotiis, 25
Reſolutiones maturandæ ſunt, 86
Reverentia exhibenda Principibus, ut videlicet parcè in præſentia eorum loquamur. 79
Rex Daciæ ſuperatus ab Imperatore, quomodo in monetis expreſſus. 54
Rex truncans aures ei, quem amiciſſimum ſibi eſſe hoc ipſo declarabat, 147
Rex Tragicus dicitur is, qui rem quandam prætendit quam nunquam conſecuturus eſt. 79
Reges Franciæ quomodo ſtrumis medeantur, 161
Reges Taprobanæ, & floridæ quomodo electi. 148, 149
Rhetores ſtatuas habuerunt. 73
Rhodii artifices inſignes ſtatuarum. ibid,
Ridendo moriuntur, qui in præcordiis vulnerantur. 243
Rigor militaris â Belliducibus diſcretis evitatur, 29
Riſus provenit à ſpiritibus calidis, 132
Riſus puerorum quare frequentior, quàm eorum, qui ætate maturi ſunt. 123
Riſus portentoſus. 114
Riſu, & planctu vita hominis componitur, 51
Rixa literariæ ſæpè pernicioſæ, 93
Roma quadrata, 85
Roma comparata homini, 202
Romani quomodo ſtellam Auſtrinam appellârint. 71
Roſa dedicata Veneri, typus benevolentiæ. 74
Roſa quare in manu Gratiarum ſit. 216
Roſarum odor quoſdam occidit. 113
Rumor magnus, pauca lana. 92
Rupes tremula, 9
Ruptura inteſtinorum quod remedium ſit. 160
Ruſticitas & tetrici mores in horrore eſſe debent. 211
Rutheni quomodo Principes ſuos eligant. 147

S,

SAbini Gigantis facta illuſtria. 104
Sacerdotes quomodo reverendi ſint. 175
Sacerdotes gentilium, cum monſtrum apparuiſſet, continuo Deos in templis placabant. 185
Sacerdotum Ægyptiacorum pœnitentia, 150
Sacra ſcriptura à Paſtore quodam in verſus traducta, 115
Sacrificia obſervata â Romanis, 136
Sacrificia facta in agris. 146
Sacrificia antiqua quomodo facta. 146
Sacrificia humana, facta ad avertendum malum aliquod. 151
Sacrificia humana â Junio Bruto abolita, *ibid,*
Sacrificia ſanguinis humani ſublata à Conſulibus Romanis, *ibid.*
Sagæ quàm deteſtabiles ſint; ſicut & vetula ſaltans, 59
Sal liqueſiens in igne, induratus aquâ. 9
Sal ſuper ignem jactus, cur ſtrepitum excitet, 128
Sal ex ſanguine humano. 161
Sal ex urina deductus quàm efficax ſit. 157
Salivæ humanæ virtus, 157, 162
Salus, & ſecuritas in monetis, 57
Salutatio quomodo antiquitus facta, 146
Samſon cum Dalila quid ſignificet, 217
Sanati in anima quomodo intellecti, 42
Sanguificatio, quomodo fiat. 243
Sanguis ebulliens ex cadavare occiſi, præſente occiſore, 126
Sanguis potatus, quem ſibi invicem Confœderati è venis traxerunt, 150
Sanguinis humani virtus. 160
Sanguinem ajunt quidam ſedem eſſe animæ, 230
Sapere non niſi externo cortice. 81
Sapho Gigas à Davide occiſus. 102
Sapiens fortunam ſub pedibus tenet, 46
Sapiens ubique ſecurus, 80
Sapientes quandoque errant. *ibid,*
Sapientia diſcooperit ignorantiam. 30
Sapientia quàm difficulter acquiratur. 47. 49
Sapientia quomodo per Hieroglyphica intellecta. 174
Sapores lingua probati, 227
Sardanapalus effæminatus, & vitioſus. 80
Sardanapalus quàm effœminatus. 50
Sardanapalus ſeipſum occidens, 121
Saturnus expreſſus in ſene diſcooperto & alia. 59
Satyrorum deſcriptio. 205
Saxum repræſentans humanam figuram. 169
Saxum perforatum, quod ventis pervium eſt, idea animi intrepidi. 178
Saxum ingens à Gigante portatum. 101
Saxo non abſimilis partus in ventre mulieris induratus, 117
Saxa figurata monſtroſè. 167
Saxa de cœlo lapſa hominum figuram repræſentant. 111
Scanderbeghi robur, & valor. 105
Schiſma exortum tempore Benedicti Decimi tertii, qui Petrus de Luna dictus fuerat. 182
Scientia quâm accepta Regibus Perſiæ. 9
Scientia Zoroaſtri quare magia dicta. 9
Scientiæ acquiruntur mediante ſenſu. 233
Scintillæ viſæ de ore oratoris exiiſſe. 6

Scipio, & Scævola ſtatuas Romæ obtinuerunt. 75
Scipionis Africani fortitudo. 105
Scopulus viſus flammas ejicere. 6
Scorpio de ventre cujuſdam fæminæ egreſſus. 117
Scriptionis laus. 239. 240
Scriptores rerum militarium. 156
Scriptores geſtorum Turcicorum. 150
Scripturæ ſacræ ſtudium quàm utile & neceſſarium. 38
Sculptura ars nobiliſſima. Ejus prima Principia & rudimenta. Deus primus, & ſempiternus ſculptor. Primus Author artis hujus inter homines quis fuerit. Tabulæ cereæ &c. Sculptores Primarii. Phidias laudatur. 58
Scurrilitas puerilis quantopere à ſapientibus fugienda ſit. 45
Scytha, idem quod homo intractabilis. 89
Scythæ magni portatores. 141
Secreta divina indaganda non ſunt. 47
Secreta mulieribus committenda non ſunt. 127
Sectatores virtutum. 213
Secundinæ in puerperis quomodo expellantur. 163
Secura eſt ubique paupertas. 91
Sedes animæ præcipua in cerebro. 230
Seleucus Rex Taurum manu domat. 105
Seminum robur & virtus. 213
Semiramis infans ab alitibus nutrita. 115
Semivivi ſepulti. 151
Senatorum ſtatuæ ſine oculis. 74
Senex qui Alphabetum diſcere videtur, denotat ſcientiarum inſatiabilitatem. 48
Senex ebrius & dormiens quid denotet. 206
Senes quare cerebri frigidi ſint. 124
Senum Conſilium optimum, 51
Senſualitas fugienda, 22
Senſus hominis orbi dominantur. 12
Senſus ab apprehenſione moti. 8
Senſus corporis in metaphora hominis intellecti, 42
Senſus quàm velox. 209
Senſus communis quid ſit, 233
Senſus & ratio invicem dimicant. 207
Senſus non idem eſt quod Intellectus. 234
Sententia dicax Stilponis, & Diogenis. 122
Sententia perfecta eſt apophthegma, 121
Sententiæ tot, quot capita, 91
September menſis quomodo expreſſus. 67
Septenario numero conſtant interna hominis, ſicut & externa. 244
Septimus filius cujuſdam familiæ curans Scrophulas, 161
Sepulchrum Anthei. 103
Sepulchra Principum quomodo viſitata & honorata, 69
Sepulchra quomodo olim in veneratione habita, & qualiter caſtigati, qui eadem violârunt. 146
Sepulturæ quomodo ab antiquis factæ. 161
Serpens cingens collum hominis, indicat ligamen amoris meretricii. 46
Serpens in manu Æſculapii; quare de eo Medicina proveniat. 62
Serpens in ore hominis monſtrum. 199
Serpentes fugantur fumo capillorum muliebrium, dum igne uruntur. 159
Serpentes manducati. 137
Serpentes cum urina egreſſi. 117
Serpentes adorati à Lithuanis. 149
Serpentes in caduceo Mercurii quid denotent. 211
Servitium pluribus promittere, quàm indecorum ſit. 96
Servus perſequens Dominum. 51
Servi piſcibus objecti, ut piſces inde paſti dulciores eſu ſint. 139
Signa Zodiaci duabus vicibus per figuras humanas demonſtrata. 70, 71. 72
Silentium quomodo obſervandum. 63. 64
Silentium præſentibus ſenibus, laudatur. 79
Silentium ubiq; utile, ſed mulieribus præcipuè. 94
Silentium cum menſuram excedit, & non tempore ſuo tenetur pernicioſum eſt, 88
Silenus deſcriptus, 22
Silenus vetulus dormiens. 206
Simiæ manducatæ ab homine. 137
Simiarum generi adſcribuntur Pygmæi. 107
Similitudo vultuum perfecta. 116
Simulacra tincta in facie humano ſanguine. 156
Simulacra cæleſtia illuſtrium actionum Heroes repræſentant. 70
Simulatio evitanda. 83
Sirene contemnens procellas, & alia. 178
Sirenum blandimenta, & vitia deteſtata. 22
Siſyphus Idea peccatoris, portantis peccatum ſuum. 20
Sol Creatus in beneficium hominis. 5
Sol quomodo depictus, 206
Sol cur ceram & oleum alba reddat, carnem denigret. 131
Sol cum terram calefacit, non ſinit generari animalia impura, 60
Sol quomodo in ſimulacris repræſentatus, ibid.
Sol quomodo in veneratione habitus. 170. 173
Sol oriens quomodo in numiſmate exhibitus, 55
Sol oriens adoratus, occidens blaſphematus. 146
Solis Coloſſus fabricatus in Rhodo inſula, quantæ ſtaturæ, & amplitudinis fuerit, 3
Solem æſtate cur homo, & non reliqua animalia, declinent, 126
Solſtitium hyemale & æſtivum, quomodo in ſimulacris intellectum, 60
Conditiones & cauſæ ſolis. ibid,
Somnia quomodo ſignificata, 212
Somnia quomodo fiant: quandoque verificantur; eorum conditiones. 231
Somnus recuperatus poſt diuturnum inſomnium, 120
Sonus loco vocis. 135
Sorte ſua nemo contentus. 39
Soſipolis Numen, manifeſtatum per Genium. 65
Spectaculorum inventio: Facta ſpectacula coram populo, præcipuè Romano, ubi homines feris exponebantur. Sic Martyrio ſubjecti ſunt Chriſtiani, & alia. 152, 153
Sperma humanum ad quid utile. 162
Spes bonæ famæ, ſtimulus eſt ad benè operandum. 15
Spes quomodo laudata. 19
Spes præmii roborat operantes. ibid.
Spes præmii magnum incitamentum eſt ad victoriam. 155
Spes rerum futurarum. 173
Spes fallax quomodo repræſentata, 214
Sphynx quomodo expoſita. Figura ejus validorum animalium. Varia ejus ſignificata, quare ſuper veſtibula palatiorum & Templorum, 66
Sphynx repræſentans Emblemata. 179
Sphyngum, & Sirenum figuræ. 174

Spiritus humani eſſentia. 235
Spiritus vitalis conſideratus in homine. 227
Spleneticorum Urbs. 243
Spolia obtenta animos addunt militi. 19
Spurius quomodo ſignificatus. 36
Stabilitas negotiorum. 173
Stadium quid ſit. 26
Statua dicitur à ſtatuendo. 76
Statua quomodo affinis ſimulacro, & alia. 72. 73. 74
Statuam Hercules ſaxo percutit, & repercutitur. 90
Statuæ in antris collocatæ. 73
Statuæ Idolorum à S. Gregorio M. in Tyberim jaciuntur 77
Statuis honorabatur meritum virorum illuſtrium. 210
Status calamitoſus hominis. 36
Statum ſuum quiſque tueatur. 94
Statu ſuo quiſque contentus ſit. 83
Statura hominis myſticè deſcripta. 224
Alio item modo conſiderata. 225
Statura hominis, ejuſque dignitas. 235
Stellæ primæ magnitudinis, quomodo indicatæ. 71
Stellæ quos influxus in partubus & monſtris habeant. 191
Stellæ monſtroſæ. 199
Stellæ intellectæ in pelle. 205
Stellæ quomodo à Luna attractæ. 211
Sterilitas inducta per dentes Infantium. 157
Sternutatio quare geminetur. 125
Sterquilinia appellantur à Diogene homines infimi de plebe. 122
Steſichorus poëta repentè excæcatus. 119
Stilponis mordax ſententia. 122
Stoliditas deſcribitur. 173
Stomachi valentis cibi. 137
Studioſo quanto labore opus ſit. 49
Stulti quandoque conſilia ſalutaria ſuggerunt. 82
Suavitas in tractando quomodo intellecta. 89
Subjecta magna in Sacra Scriptura quomodo lapſa. 19
Sublimitas hominis quanta. 4
Sudor cur in capite potiſſimum oriatur, antequam in reliquis membris. 125
Sudor quomodo mitigatus. 162
Superbia eorum qui adorari volunt, quo modo in numiſmatibus expreſſa. 53
Superbia ignorantiam parit. 179
Superbia damnata. 67
Superbia præcipitata. 19
Superciliorum uſus, natura, & officium. 237
Superfluitas rerum rejicienda. 48
Sylveſtres & ferini homines utrum ſalventur. 125
Symbola non ſunt ſine lemmate. 30
Sympathiæ, & antipathiæ hominum cum beſtiis. 112
Sympathicum unguentum, quomodo compoſitum. 160
Synagoga Hebræorum, in pluribus locis intellecta nomine Hominis à pag. 40. uſque ad 43
Syntereſis conſcientiæ. 24
Syphax Gigas de quo natus. 103

T.

Talpæ manducatæ. 137
Tantalus quomodo intellectus. 23
Tantali pœnæ. 66
Tardare quandoque proficuum. 47
Tarditas in negotiis evitanda. 25
Tarditas nonnunquam plus emolumenti adfert quàm improvida celeritas. 86
Tarenti origo. 56
Tarentini dimidium anni feſtivitatibus tranſigebant. 87
Tedeus gigas ſibi ſimilem robore non habuit. 105
Telemachus Ulyſſis filius, quomodo ſculptus. 56
Telephus infans, nutritus à Cerva. 115
Temeritas inconſiderata damnatur. 16. 28
Temeritas procax quomodo in ſtatuis repræſentata. 75
Temperamenta hominis. 123
Temperantia quàm neceſſaria. 19
Templum Dianæ deſcriptum. 11
Templum Gratiarum in medio fori. 216
Templis antiquorum quare Sphynx ſuperpoſita fuerit. 66
Tempus quàm fugitivum ſit. 30
Tempus quàm fugax, quare Chronos appellatum. 35
Tempus virtute ſuperatum. 30
Tempus difficultatibus moderatur. 52
Tempus opportunum quomodo obſervare oporteat. 214
Tempora deſcripta. 69. 174
Tempora quomodo ſignificata. 60
Tempora anni in numiſmatibus expreſſa. 53
Tempora anni figurata in Gratiis. 216
Temporum mutationes. 213
Tenedius homo quid ſit. 89
Tercentum Infantes Jovi ſacrificati. 151
Terra Sedes regnorum & potentiæ. 215
Terra calefacta à ſole non generat impura animalia. 60
Terra promiſſionis gigantes continebat. 102
Terror quomodo expreſſus. 170. 69
Teſtudo Poëtam quendam occidit. 49
Teſtudo monſtroſa. 166
Teſtudo à Venere calcata quid ſignificet. 36
Teſtudo ſubtus ſtatuam Honoris. 213
Theatro aſſimilatur vita humana. 89. 122
Themiſtocles ſeipſum occidens. 121
Theologia quomodo demonſtrata. 170
Theophili Imperatoris dictum, dum uxorem docturus eſſet. 122
Thermæ Romanæ quid fuerint. 3
Theſaurus Comes Author laudatus. 14
Theſauri quàm vanè quæſiti. 156
Theſſala regio repleta Sagis, & Lamiis. 95
Thetis Dea marina quomodo ſignificata. 62
Thomas de Aquino, monſtrum ſcientiæ. 164
Thomam Cantuarienſem deridentes quomodo caſtigati. 175
Thracia abundans Pygmæis. 107
Thracum mores, & ſententiæ tempore pluvio, & cælo nubilo. 147
Thraſybulus Athenienſis grandi voce, & corde. 135
Tiberius Imperator appellatus Biberius, ob nimiam potationem. 141
Timor quomodo intellectus. 19
Timor procul fugandus eſt. 87
Timor reſtituit vocem. 113
Timor oratorem inutilem reddit. 137
Timor alas pedibus addit. 210
Timor, vallum eſt quo vitiorum profluvium impeditur. 223
Timorem amor neſcit. 14

Titius deſcriptus. 24
Titormi gigantis, crudelitas, & robur. 104
Titus Livius Patavinus in Prætorio Patavino ſtatuâ honoratus. 74
Toga habitus Romanorum. 89
Tolerantia quomodo deſcripta. 31
Tolerantia malorum. 149
Tolerantia in omni re. 85
Tolerantia magna in quodam philoſopho. 78
Tormenta tyrannorum inaudita. 152
Transfixi non mortui, idque pro ſacrificio. 151
Tributum per Principes moderatè exigendum. 28
Triceps vultus, & varia ejus ſignificatio. 173
Tricongii nomen impoſitum ebrioſis 141
Trinitas Sacro-Sancta expreſſa in ſimulacris. 55
Trinitas Sacro-Sancta in ſtatua tribus oculis dotata ſignificatur. 74
Trinitas Sacro-Sancta in marmore Phidii repræſentata. 212
Triton quomodo figuratus. 62
Tuba & tridens in manu Bacchi, quæ tamen magis propria Neptuno ſunt. ibid.
Turba intelligitur in voce hominis. 97
Turcæ cubicula ſua puriſſimis vaſis adornant, in quibus multæ hiſtoriæ, & emblemata ſunt. 44
Turcæ tribus ſitulis aquæ purificantur, quæ ſuper caput eorum funduntur, antequam Mecham perveniant, ubi totum corpus lavant. 150
Turcarum Imperium per monſtrum indicatum. 184
Turris Pharos deſcripta. 11
Tutela divina. 59
Tutelares Dei quomodo repræſentati. 66
Tyberis fluvius quomodo repræſentatus. 68
Tyrannus omnia voluntati ſuæ ſubdit. 28
Tyrannus ab Imperatore ſuperatus, & inſculptus monetis. 53
Tyranni unde uſum ſacrificandi Chriſtianos ſumpſerint. 151. 152
Tyrannorum infelicitas quàm abominabilis ſit. 47

V.

Valor quomodo ſignificatus. 66
Valor & virtus præmiata. 26
Vapores in caput levati vigilias in homine excitant. 124
Varietas ciborum quam pernicioſa. ibid.
Vas diſtillatorium à Chymicis homo appellatum. 97
Vaſa ſpermatica utriuſque ſexus in Hermaphrodito inventa. 109
Vaticinium quomodo expreſſum. 56
Vaticinium deſumptum ex interioribus hominis occiſi. 151
Velocitas in curſu. 149
Venatores exotici. 148
Venenum naturaliter in lingua geſtum. 114
Venetiæ abundant ſtatuis. 77
Venter hominis, quare contortus, & voluminoſus. 228
Venter major & minor. 242
Venter bovinus. 138
Ventris vocabula. 240
Ventus adoratus. 147
Ventorum deſcriptio. 167
Venus quomodo ab antiquis exhibita. 65
Venus ſupra teſtudinem quid ſibi velit. 36
Veneris ſtatua in antro. 73
Verbum Divinum per animam peccatricem rejectum. 42
Verba quàm religioſè à Veteribus in ſacrificiis obſervata. 136
Verba in pronunciatione plus adjuvantur dentibus, quàm labiis. 226
Verba quædam adhibita ad medelam morborum. 163
Verecundiam non agnoſcit amor. 14
Veritas quomodo intellecta. 209
Veritas quanti momenti ſit. 59
Veritas quantum deteriorata ſit in Mundo. 42
Vermis conſcientiæ quantum tormentum ſit. 24
Verſatus in omni ſcibili repræſentatur per Atlantem, qui Cælum humeris ſuſtentat. 14
Verſipellis homo quomodo deteſtandus ſit. 88
Veſpaſiani Imperatoris pietas. 153. 154
Vetula tripudians quàm deformis. 95
Vetulam ornari, quàm indecens ſit. 122
Victor Germaniæ. 53
Victoria in quo conſiſtat. 21
Victoria navalis Veſpaſiani, & aliorum. 55
Vilitas animi quàm deteſtabilis. 35
Vilitas animi contemnitur. 94
Vilitas animi reprehenſa ab Alexandro M. 77
Vinum inventatum à Noë, quem eundem eſſe volunt cum Jano. 63
Vinum quibuſdam in horrorem verſum. 114
Vinum aquâ temperandum. 62
Vinum corrumpit Judices 30
Vini mala. 140
Violentia ſemper damnum infert. 26
Viperæ, & vulpes manducatæ. 137
Viperæ comparatur mala mulier. 122
Vir à virtute dictus. 98. 228
Virago quare ſit dicta fœmina. ibid.
Vires debiles. 217
Virgo ſignum Zodiaci. 71
Virilitas in homine conſiderata. 228
Virtus quàm formoſa ſit. 19
Virtus quantum allectet. 23
Virtus propria quantum illuſtret. 86
Virtus quàm neceſſaria homini. 80. 231
Virtus quantopere inquiſita. 245
Virtus præcipuè reſidet in corde. 233
Virtus prævalet nobilitati. 27
Virtus unica eſt, idcircò laborioſa. 124
Virtus ſuperat tempus. 30
Virtus ſæpè à vitio ſuperatur. 50
Virtus inſidias patitur ab Invidia. 52
Virtus ſtatuis honoratur 73. uſque ad 78.
Virtus & fortuna quomodo intelligantur. 16
Virtus & prudentia inſuperabiles. 25
Virtus divina quomodo expreſſa. 174
Virtus imperialis ſignificata in numiſmatibus. 53. 54
Virtus ſeminalis depravata producit monſtra. 188
Virtutis via ſemper ingredienda. 49
Virtutis honores à quo obtenti. 46
Virtutis & honoris variæ ſignificationes. 213
Virtutum præſtantiſſima caſtitas. 93
Viſcera hominis conſiderata. 227
Vita hominis quàm brevis. 66. 174
Vita labilis, & fugitiva. 174
Vita humana deſcripta in Hieroglyphicis. ibid.
Vita hominis ſimilis theatro. 89. 122
Vita protracta cum inedia incredibili. 116
Vita, & curſus ad gloriam. 26
Vitellii Imperatoris crudelitas. 92
Vitioſus puniendus eſt per id, quo peccavit. 15
Vitis aurea Xerxis in honore habita. 3

Vitium plures ſequaces habet, quàm virtus. 86
Vitium omni pacto fugiendum. 50
Vitium extirpatur robore & virtute. 52
Vitium refrænatum timore. 223
Vitia ſignificata in voce *homo* â pag. 38. in pluricus locis uſque ad pag. 44
Vitriolum potatum unicâ nocte capillos capitis decidere facit. 112
Vitulus habens humanum caput. 198
Ulcera quomodo ſanentur. 163
Ultramarinum color elegantiſſimus, unde fiat. 157
Ulyſſes deſcriptus. 25
Umbilici nomina, officium, nodus, qualitates, & forma. 240
Umbilici humani virtus. 162
Unguentum ex ſalina humana. 157
Unguentum quoddam veneficum non occidens, ſed ab omni infirmitate liberans. 119
Ungues morſi quid indicent. 32
Ungues nigri, & dentes candidi Æthiopum. 128
Unio repræſentatur in Statua. 74
Unio inſeparabilis. 17
Unio fraterna quomodo ſignificata. 42
Unio rerum cæleſtium cum terreſtribus. 210
Volubilitas quomodo intellecta. 89
Volucres amorem ſentiunt. 61
Volucres linguam diſcunt, quam docentur. 131
Volumina antiquorum quomodo facta. 145
Voluptas corporalis ignorantiam parit. 179
Voluptas inhoneſta omnimodo tollenda. *ibid.*
Voluptas mundana in cælo non eſt. 235
Voluptas ſenſitiva in modum reginæ adorata. 244
Voluptas ſordida, quàm deteſtabilis. 35
Voluptatis ſenſualis deceptio. 174
Voluptates mundanæ quantum fuga dignæ ſint. 22
Vomitus quandoque prodeſt. 124
Vox quomodo fiat in homine. 227
Vox amittitur viſo lupo. 64
Vox recuperata timore. 113
Vox cur magis rauca & gravis ſit, dum è lecto exurgimus. 128.132
Vox acuta in fœminis, caſtratis, ſenibus. 129
Vocis deſcriptio. 134
Vocis laus, & pretium. 131
Vocis plures conſiderationes. 229
Vocis varietas, laus, & quomodo orationi perfectionem addat, & aliæ obſervationes. 135.136
Voces æternus, & immenſus â quo primum articulatæ ſint. 208
Ureterum conditiones. 243
Urina ſecum vehens quædam animalia. 117
Urinæ beneficia. 157
Uriplaca, quare Juno ſic nominata. 65
Uterus vas eſt in quo homo concipitur. 228
Utile & honeſtum in omni negocio tanquam ultimus finis obſervandum eſt. 37
Utilitas quæ ſæpè trahitur â laboribus & induſtria aliorum. 84
Uva barbata. 199
Wallenſtein egregius miles. 20
Vulcanus Numen ignis, repræſentatus diverſimode. 64
Vulcanus denotans elementum ignis. 206.207
Vulnus vitale. 235
Vulnere recuperatur viſus. 113
Vulnere vomica ſanatur. 119
Vulnera capitis cur in quibusdam locis facilius curentur, quàm pedum. 130
Vulnera cannisfacta, & ſanguis inde profluens ſacrificatus. 152
Vultur Hieroglyphicum animæ. 5
Vultus quare ſibi ſimiles non ſint. 116
Vultus duo ſibi ſimiles. ibid.
Uxores non eſſe perterrefaciendas â Maritis. 189
Uxores alunt maritos ſuos ignavos. 149

Z.

Zamolxis quomodo placatus â Thracibus. 152
Zamolxis Numen pro ſacrificio homines habebat, lanceâ transfixos. 151
Zelotypia non niſi in hominibus brutalibus eſt. 187
Zodiacus, ejuſque ſigna, bis humanis figuris expreſſa. 70.71.72.
Zoroaſter quis fuerit, & quomodo hominem nominarit. 4
Zoroaſter quare natus ſit ridendo. 114

FINIS INDICIS UNIVERSALIS LIBRI SECUNDI.

005663678
005663677



SCARLATINI
HOMO
FIGURATUS
ET
SYMBOLICUS

VIII.
1695.

3

V
2
107